UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Sacramentis

Chamier, Daniel

[Frankfurt], 1627

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-926

Visual Library

מלחמות יי

DANIELIS CHAMIERI
DELPHINATIS

PANSTRATIÆ CATHOLICÆ,

Tomus Quartus.

De

SACRAMENTIS.

Anno æræ Christianæ

M. DC XXVII.



INDEX
LIBRORVM ET CAPITVM
QVÆ QVARTO PANSTRATIÆ TOMO CONTINENTVR.

LOCVS IV.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

LIBER PRIMVS.

Cap. I. De nomine Sacramenti calumnia 1
II. De vi, atque vsu nominis Sacramenti 2
III. De Sacramenti nominibus Hebræis 5
IV. De Sacramenti nomine Græco 4
V. De nomine Sacramenti Latino 5
VI. De definiendo Sacramento ibid.
VII. De Sacramentis ante peccatum 6
VIII. De Sacramentis in lege naturæ 7
IX. De Sacramentis Vet. & Noui Test. 9
X. De proprietatibus Sacramenti qua ceremonia est ibid.
XI. Qua signum 10
XII. De Sacram. quantum ad rem significatam attinet 13
XIII. De celebratione Sacramentorum 14
XIV. Quomodo signa sint sensibilia
XV. Calumnia de verbo consecratorio & concionatorio 16
XVI. De verbo sacramentali prædicato 17
XVII. Contra verbum sacramentale prædicatum argumenta Suaris 18
XVIII. Bellarmini 19
XIX. De intentione Ministri 20
XX. Argumenta Papistica 22
XXI. Argumenta Catholicorum 24

LIBER II.

Cap. I. De efficacia sacramentorum Papistarum opiniones 25.
II. Sententia Catholicorum 27
Argumenta Papistica.
III. Ex Nouo Testamento 28
IV. Ex Veteri 28
V. Rationes 31
VI. De Veterum testimonijs 35
Argumenta Catholica.
VII. Neque iustificationem, neque Sanctificationem effici physice à Sacramentis 38
VIII. De ablutione carnis & interrogatione bonæ conscientiæ 40
IX. De signis institutis & sigillis 41
X. Apud Veteres disparari efficaciam Spiritus & Elementi 44
XI. Alij ex Patribus loci 45
XII. De charactere sacramentali 47
XIII. Argument. Papist. ex Vet. Test. 48
XIV. Ex Nouo Testamento ibid.
XV. Ratiunculæ 50
XVI. Patrum authoritates 52

LIBER III.

Cap. I. De vi, & efficacia Sacramentorum Veterum 54
Argumenta Catholica.
II. De typis Baptismi, & Eucharistiæ 55
III. De Circumcisione 58
IV. De Sacrificijs 61
Argumenta Papistica.
VI. Ex Veteri Testamento 62
VI. Ex Nouo Testamento ibid.
VII. Ex Patribus 65

LIBER IV.

DE

NVMERO SACRAMENTORVM.

Cap. I. Status controuersiæ de numero Sacramentorum Noui Testamenti 69
Argumenta Papistica.
II De congruentijs 70
III. De nomine Sacramenti apud Paulum 72
IV. De nomine Sacramenti apud Patres 73
Argumenta Catholica.
V. De numeratis olim duobus Sacramentis 75
VI. De arg. à definitione Sacramenti 77

DE

CONFIRMATIONE.

VII. De Confirmatione 78
Argumenta Papistica.
VIII. De instituendo Sacramento Confirmationis. ibi.
IX. De instituto Confirmationis Sacramento nihil certi haberi in Script. 80
X. Loci Scripturæ pro institutione Confirmationis 81
XI. De vsu Confirmationis apud Patres 83

DE POENITENTIA.

XII. De Pœnitentiæ Sacramento status quæstionis 87
XIII. Argum. à remissione peccatorum 88
XIV. A definitione Sacramenti ibid.
XV. In Pœnitentia nullam esse institutionem sacramentalem 90
XVI. De testimonijs Veterum pro Sacramento Pœnitentiæ 94

DE

EXTREMA VNCTIONE.

XVI. De extrema Vnctione 96
XVIII. Eandem esse vnctionem Marci VI. & Iacobi V. 97

XIX. Apud Iacobum nullum esse Sacramentum vnctionis 99
XX. De præsidio necessario morientibus 100
XXI. De Vnctione ex Patribus 101

DE
ORDINATIONE.

XXII. De Ordinatione 102
XXIII. De vnitate Ordinum 103
XXIV. Vtrum definitio Sacramenti conueniat Ordini 104
XXV. An ratio probet esse Sacramentum 106
XXVI. De Traditione Ordinum ibid.

DE
MATRIMONIO.

XXVII. De Matrimonio 108
XXVIII. Nullam esse Matrimonij institutionem sacramentalem 110
XXIX. Nullam esse in Matrimonio Sacramenti materiam & formam 111
XXX. In Matrimonio non esse gratiam sacramentalem ibid.
XXXI. An ratio probet Matrimonium esse Sacramentum 113
XXXII. De Patrum sententia 114

LIBER V.

DE BAPTISMO.

Cap. I. De Baptismi nomine, & definitione 115
II. De Baptismi materia & forma ibid.
III. Calumnia Papistarum de effectis Baptismi 116
IV. Status controuersiæ de effectis Baptismi 117
V. Argumenta Papist. de præsenti effectu Baptismi 118
VI. De efficacia Baptismi in futurum, Argumenta Catholica 120
VII. Contra efficaciam Baptismi in futurum, Argumenta Papistica 122
VIII. Status causæ de necessitate Baptismi ibid.
IX. De ea argumenta Papistica ibid.
X. Contra argumenta Catholica 126
XI. De personis in Baptismo 130
XII. De Baptismo Iohannis status quæstionis, & argumenta Catholica ibid.
XIII. Contra, argumenta Papistica 133
XIV. De legitimo Baptismi ministro 136
XV. De legitimis Baptismi ritibus 140
XVI. De Baptismi ritibus alienis. 142

DE
EVCHARISTIA.

LIBER VI.

Cap. I. De Eucharistiæ & Cœnæ nominibus 145
II. De Missæ nomine 147
De Elementis.
III. De miscenda aqua 149
IV. De azymo & fermento 151
V. De consecratione 152
VI. De verbis consecratorijs argumenta Papistica 154
VII. De consecratione argum. Cathol. 157
VIII. De secreta pronuntiatione consecrationis 159
IX. Contra secretam pronuntiationem consecrationis 162

LIBER VII.

Cap. I. Status controu. de adoratione Eucharistiæ 165
II. De adoranda Eucharistia, Papistica argumenta ibid.
III. Argumenta Catholica contra adorationem Sacramenti 169
IV. Status quæstionis de reseruatione Eucharistiæ 171
Argumenta Papistica.
V. Ex institutione ibid.
VI. De dissimilitudine Baptismi 172
VII. Arg. Suaris, Lorichij, Vegæ, Pererij, Sanctesij 173
VIII. Item Turriani, & Greg. de Valentia 175
IX. De Veterum testimoniis 177
X. Arg. Catholica contra reseruationem 180
XI. De fractione panis 183
XII. De Missis priuatis, status quæstionis 184
XIII. Argumenta pro Missis priuatis 185
XIV. Argumenta ex Veteribus pro Missis priuatis 187
Argumenta Catholica.
XV. Ab institutione 189
XVI. Ab vsu Ecclesiæ Apostolicæ 190
XVII. Item post Apostolos 191
XVIII. Contra Missam priuatam decreta antiqua 192
XIX. Varia testimonia 194
XX. De pane tradito in manes communicantium 196

LIBER VIII.

DE VTRAQVE SPECIE.

Cap. I. Status controuersiæ de vtraque specie 197
Argumenta Catholica.
II. Vtrum violari possit institutio Eucharistiæ 198
III. De verbis, *Bibite ex eo omnes* 200
IV. De verbis, *Hoc facite in meam commemorationem* 204
V. De signo, & re significata 207
VI. Variæ rationes pro vtraque specie 208
VII. De exemplo Christi 211
VIII. De exemplo Apostolorum 212
IX. Vtramque speciem fuisse olim communicatam perpetuis multis seculis 214
X. De longa consuetudine Ecclesiæ 219
XI. Consuetudinem fuisse approbaram à doctoribus 221

LIBER IX.

Cap. I. Diminutæ communicationis exempla 228
II. De exemplis è Scriptura 229
III. De exemplis præter Scripturam 232
IV. Coniecturæ contra communionem vtriusque 235
V. De authoritate Ecclesiæ 238
VI. De sacerdotum Papistarum nequitia 239
VII. Etsi totus Christus esset sub vtraque: tamen non sequi, alteram detrahendam ibid.
VIII. De Concomitantia 241
IX. De tota ratione Sacramenti 243
X. Vtrum maior sit vtilitas in vtraque specie quam in altera 244
XI. Vtrum communio mutilata non aduersetur Scripturæ 247
XII. Rationes interdicendi calicis 249

DE RE SIGNIFICATA.

LIBER X.

DE
ENVNTIATIONE
Sacramentali.

Et primum

DE
TERMINIS.

Cap. I. De capitibus controuersiæ circa rem Sacramenti 253
II. Quid sit corpus Christi in Eucharistia ibi.
III. Quid sit *Hoc* in Eucharistia 254
IV. Quid sit *Est* in Eucharistia 256
V. De tota enuntiatione Eucharistica 257

Deinde

DE
INTERPRETATIONE
Enuntiationis.

VI. Qui scripserunt de Controuersiis Eucharistiæ & quis status primæ 258
Argumenta Papistica.
VII. Vtrum verbum substantiuum possit esse tropicum aliquando 259
VIII. Vtrum *est* sit hoc loco figuratiuum 262
IX. De regulis interpretandi: & de circumstantiis textus 264

X. De

X De comparatis locis 265
XI. De articulis fidei 267
XII. De absurdis ibi.
XIII. De tempore institutæ Cœnæ 68
XIV De Ecclesiæ consensu,& existimatione 277
XV. Varia argumenta ibi.

Argumenta Catholica.

XVI. De terminis disparatis in enuntiatione affirmatiua 277
XVII. Est non poni pro futurum esse,aut fieri mutatiue 278
XVIII. Vtrum Hoc nihil significet 279
XIX. De iis qui Hoc interpretantur Accidentia 280
XX. De identica enuntiatione,& indiuiduo vago 281
XXI. Hoc esse hunc panẽ,probatur ex Institutionis textu 283
XXII. Argumen. Papist,quibus negant, Hoc esse hunc panem 285
XXIII. Probatur ex aliis Scripturæ locis,& ex Patribus Hoc esse hunc panem 287
XXIV. Aliis argumentis ex Patrib.probatur tropus 288

LIBER XI.

DE MANDVCATIONE CORPORALI.

Cap.I. Oeconomia futurarum disputationum 289
II. De corporali manducatione, Papistarum sententia 290

Argumenta Papistica.

III De manducatione in sexto Ioh.vtrum sit sacramentalis 291
IV. Quibus præiudiciis coniiciatur in eo capite agi de Sacramento 292
V. Arg.sumpta ab ipsa Concione 295
VI. Vtrum Iohan.VI.manducatio sit corporalis 298
VII. Varia arg.pro esu corporeo 302
VIII. De vnione Christiana 304
IX. De Patribus 307

Argumenta Catholica.

X. De inutilitate manducationis carnalis 316
XI. Manducationem carnalem esse impiam 320
XII. Carnis Christi manducationem carnalem esse impossibilem 523
XIII. De vnione cum Christo 325
XIV. De necessitate manducationis 326
XV. De effectu necessario manducatæ carnis Christi 329
XXI. De cibo in secessum 330
XVII. De Christo seipsum manducante 331
XVIII. De cibo dentis ibid.
XIX. De non manducando ipso corpore Christi 332

INDEX LOCORVM PRÆCIPVORVM, SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ QVARTO HOC PANSTRATIÆ CATHOLICÆ TOMO EXPONVNTVR, ET AB ADVERSARIORUM exceptionibus,ac corruptelis vindicantur.

Notet lector,literam l.librum, c.caput.& hoc subsequentem numerum paragraphum,finales vero numeros paginam denotare.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESEOS.

Cap.I. TATVAM *pactũ meum inter me & te,& inter semẽ tuum post te, &c.l.5.c.* 10.17.20. *&c.*127.*&* 128
*Hoc pactum meum &c. circuncidetur mas, &c. libr.*3. *c.*3.5.9.58. *&l.*19. *c.*7.38. *Qui circunciſus non fuerit, &c.excindetur,l.*3.*c.* 3.5.*&* 17.*&c,*60.61

EXODI.

Cap.IV. *Cumque esset in diuersorio Moses,occurrit ei Dominus & volebat occidere eum,&c.l* 3.*c.*3.21.60
*Circuncidutur Mosis filius &c.l.*3.*c.*3.21.31.61
*Sephora abscidit præputium filij sui & proiecit ad pedes eius,&c l.*5.*c.*14.9.10.137
XVI.*&* XVII.*Manna è cœlo,& aqua ex petra*, quomodo ad Baptismũ referantur *l.*2.*c.*4.8.31

DEVTERONOMII.

Cap XVI. *Oblatio* ממה *l.*6.*c.*2.17.148

I. SAMVELIS.

Cap.II. *Dimitte me ad vnã partem Sacerdotalem, vt comedam buccellam panis l.*9.*c.*3.42.*&c.*235

II. REGVM.

Cap.II. *Cultus institutus à gentibus quæ leonibus infestabantur &c.* an fuerit legitimus & Deo probatus *l.*5.*c.*14.15.16.17. *&c.* 137

PROVERBIORVM.

Cap.IV. *Filius fui Patri meo,& vnicus coram matre mea l.*5.*c.*10.3.128

CANTICI CANTICORVM.

Cap.IV. *Tota pulcra es amica mea,& macula non est in te l.*5.*c.*5. 6.9. 10.118

PSALMI.

Psalm.V. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem l.* 5.*cap.* 5. 34. 120
XXII. *Edent pauperes & saturabuntur & laudabunt Dominum,&c.adorauerunt omnes,&c.l.*7.*c.*2.5.166
XL. *Sacrificium & oblationem noluisti,&c.c.*3.*c.*5.1.3.*&c.*62
XLV. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem l.*5.*c.*5.34.*&c.*120
LI. *De iniquitatem,laua me l.c.*5.1.17.118
*Si voluisses sacrificium dedissem,&c.l.*3.*c.*5.1.62
LXXII. *Erit firmamentum, vel pugillus frumenti* פסת בר *in terra in summis montium &c.l.*6.*c.*2.21.148 *&l.*7.*c.*2.15.18. *&c.* 166
XCIX. *Adorate ad scabellum pedum eius l.*7.*c.*2.8.166
CXXX. *Si iniquitates obseruaueris, Domine,quis stabit? &c. l.*5.*cap.*5.35. 120

ESAIÆ.

Cap.I. *Quis quæsiuit hæc de manibus vestris?l.*3.*c.*5.1.62
Lauamini & mundi estote explic.& vindic.*l.*2.*c.*4.1. 30.*&* 11.31
Si fuerint peccata vestra vt coccinum sicut nix dealbabuntur ib. 5.*c.*5 17.*&c.*119

XLIV. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, &c. l.5.c.17.119*
LVI. *Holocaustata eorum, &c. mihi placebunt super altari meo l.7.c.1. & c. 175.*
LXVI. *Omnes gentes & linguæ venient, & videbunt gloriam meam, & ponam in eis signum l.2.c1.13.2.48*

IEREMIÆ.

Cap. *XI.* *Carnes sanctitatis transeunt, &c. l.3.c.5.13.62*
XXXI. *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius l.3.c.6.27.28.64*

EZECHIELIS.

Cap.IX. *Signa Thau in frontibus gementium & dolentium l.2.c.13. 2.48*
XXXXI. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnib. inquinamentis vestris &c. l.2.c.4.1. &c. & l.5.c.5. 6.12.118.*
XXXVII. *Ponam sanctia mea in medio eorum in perpetuum, &c. l.7.c.8. 6. &c.175*

DANIELIS.

Cap.II. *Secretum* רגא *l.1.c.3.17.4*

AMOS.

Cap.V. *Holocaustata non suscipiam, &c. l.3.c.5.1.9.62*

MICHEÆ.

Cap.VII. *Auferis iniquitatem l.5.c.5.1. &c.118*

HABACVC.

Cap.III, Ex LXX. *In medio duorum animalium cognoscetis l.7.c.8.18. 176.*

HAGGÆI.

Cap.II. *Magna erit gloria domus istius novissimæ, &c. l.7.c.8.8. &c. 176.*

EX APOCRYPHIS.

SAPIENTIÆ.

Cap.XLIV. *Odio est Deo impius & impietas eius l.5.c.5.34.120*

II. MACCABÆORVM.

Cap.VI. *Mulieres filios circumciderant, &c. l.5.c.14.10.11. &c. 137*

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆI.

Cap.III. *Ego baptizo vos aqua, &c. l.5.c.13.20. &c.134*
Baptizo vos in resipiscentiam lib.5.c.12.16. &c.131.
Ille baptizabit vos Spiritu Sancto & igne l.5.c.9.33.39.42. &c. 124. & l.5.c.13.36.37.135.
IV. *Agite pœnitentiam l.4.c.15.2.4. &c.81.*
VI. *Panis supersubstantialis, ἐπιούσιος, expl. l.9.c.11.24. &c.248*
XV. *Quicquid ingreditur in os, in ventrem cedit, &c.* expl. *l.11.c.16,5. &c.330*
XIX. *Quod Deus coniunxit, homo non separet l 4.c.28.12.13,110*
Oblati Christo pueri, &c. finite parvulos venire ad me: talium enim est regnum cœlorum l.5.c.10.2 &c.126
XXI. *Baptisma Io. è cœlo l.5.c.13.4. &c.133*
XXVI. *Edentibus autem eis, accepit Iesus panem: & cum benedixisset fregit deditque discipulis, & ait, Accipite, comedite, hoc est corpus meũ & acceptopoculo, ac gratiis actis dedit eis dicens, Bibite ex eo omnes.* de consecratione expl. *l.6.* & 154. *&c.157.* contra Reseruationem *l.7.c.5.171. &c.7.18. &c.174. &c.8.27. 28.177. &c.19. &c.18.* contra Missas priuatas *l. 7.c.15.1. &c.189.* de traditione in manus *l.7.c.20.2.196.* pro communione sub vtraque, *Bibite ex eo omnes l.8.c. 200. & c.4.204.* & *c.* de veritate præsentiæ *l.10.c.1. &c.258*
An verba, *Hoc est corpus meum.* intelligenda sint μὴ τὸ φυσικὸν, μὴ τρόπον & μυστικῶς: verba singula expl. *l.10.c.2.1. &c. 257*
XXVIII. *Euntes docete omnes gentes: baptisantes eos, &c. l.1.c.16.9.10.17. & l.5.c.14.28.138. & l.5.c.14.55. & c.139*

MARCI.

Cap.I. *Baptismus pœnitentiæ l.5.c.12.16. & c.131. Exibat ad eum vniuersa Ierusalem, Iudæa, & c. vt baptizarentur, &c.* confertur cum locis ex Act.2. & 4. &c. vbi multi Iudæi baptizati dicuntur *l.8.c.13.38.38.135.*
Ego baptizo vos aqua l.5.c.13.20. & c.134
VI. *Vngebant oleo agrotos & sanabant eos l.4.c.18.1 & c.96*
XIV. *Edentibus eis accepit Iesus panem, & quum benedixisset fregit, deditque eis, & ait, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, &c.* de Consecratione exp. *l.6. & 7.152. & 154. &c.157.* & contra Reseruationem *l.7.c.5.1. & c.171. & c. & c.7. 19. & c.174. & c.8.17.28.177. & c.10. & c. 179. & c.* & de fractione *l.7.c.11.2. & c.183.* contra Missas priuatas *l.7.c.15. 1. & c.* & de traditione in manus *l.7.c.20.2. & c.169.* & pro communione sub vtraque *lib.8.c.3.200. & c.2. & c. 253. & c.*
XVI. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit l.2.c.3.5.28. & l. 5.c.6.9.10.120*

LVCÆ.

Cap.III. *Baptismus pœnitentiæ l.5.c.12.16. & c.131. Ego baptizo vos aqua l.5.c.13.20. &c.134 Baptizabit Spiritu S. & igne l.5.c.9. 39.40.41.42. &c.124*
XXII. *Accepto poculo &c. dixit, Accipite, &c. partimini inter vos &c.* vind. *l.8.c.200. Et accipiens panem, quum gratias egisset, fregit, & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur Hoc facite in mei commemorationem. Itidem etiam poculum, &c.* de Consecrat. exp. *l.6.c.5.6.7.152. &c.154.157. &c.* & contra Reseruationem *l.7.c.5.1. &c.171. &c.7.19. &c. 174. &c.8.27.29.177. &c.10. &c.* 180. & de fractione *l. 7.c.11.2. &c.* 183. contra Missas priuatas *l.7.c.15.1. &c.* de traditione in manus *l.7.c.20.2. &c.196.* pro communione sub vtraque *l.8.c.3.200. &c. & c.4.204. &c.* de veritate præsentiæ *l.10.c.1. &c.253. Postquam cœnauit dedit calicem, &c. l.6.c.1.25.304.147.*
XXIV. *Sumpto pane benedixit, & fractum porrexit, &c, l.9.c.1.1. &c. 228. &c.2.8. &c.231. Ego mittam promissum Patris mei in vos l.4.c.10.2.21.81.82*

IOHANNIS.

Cap.I. *Ego baptizo vos aqua, ille vos baptizabit Spiritu Sancto l.2. c.3. 2.28*
Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi l.5.c.5.1. &c.118. & l. 5.c.12.23.131
II. *Nuptiæ in Cana &c. l.4.c.28.10.11.110*
III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei l.2.c.3.9.28. & l.5.c.5.25.120. & l.5.c.9. 9. &c.123*
Quod natum est ex carne caro est, quod natum ex Spiritu, Spiritus est l.5.c.5.20.119. Ioh.3. Agi de generatione spirituali. non de Sacramentali *l.21.c.5.2.295*
XI. Vtrum Ioh.6. *manducatio* sit Sacramentalis *l.11.c.3.291*
De Cœna siue Sacramento, qua Cœna est, hoc totum caput non agere *l.11.c.3.9 291*
Quibus præiudiciis coniiciatur de Sacramento agi *l. 11.c.292*
Agi de Sacramento Euchar. ex Patrib. non probatur *l. 11.c.4.33. &c.294*
Agi de manducatione spirituali *l.11.c.4.3.292*
Comedere referri ad rem significatam, non autem ad signum *l.11.c.4.20.293.* Non agi de manducatione corporali *l.11.c.6.297*
Ego sum panis, ex quo si quis manducauerit viuet in æternum, exp. *l.9.c.10.22. &c.245. Panis quem ego dabo, caro mea est,* expl & vind. *l.11.c.5.17. &c.296. Nisi comederitis & biberitis &c.* particulam, *&,* non esse disiunctam *lib. 11.c.14.21. &c.327. Nisi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam, &c. l.8.c.5.5. &c.207. Caro mea vere est cib.* exp. & vind. *l.11.c.6.47. &c.301. Sicut ego viuo propter Patrem: & qui manducat me ipse viuet propter me.* expl. & vind. *l.9.c.8.10.11.241. & l.11.c.6.58.59.302. Sicut manducauerunt Patres vestri manna, &c. l.11.c.6.12.292. Quid si conspiceretis Filium hominis ascendentem vbi erat prius? l.11. c.12*

l.12.9.&c.324.& 14.15.&c.325
Caro mihi prodest, sensus Papisticus exponitur *l.* 11.c.10. 21.317.& 33.318 & 37.*ibid.* refellitur 22.27. &c.317.& 50.319
Verba mea spiritus sunt & vita, à Patribus explic. *l.*11.c.10. 53.&c.319

XIII. *Cœna facta l.6.c.1.25.190*
Qui lotus est, non indiget nisi vt lauet pedes, sed est mundus totus l.5.c.5.2.6.11.118
Debêtu alij aliorum pedes lauare. Exemplum enim præbui vobis, vt prout ego feci vobis, ita & vos faciatis l.8.c.2.22.&c.220

XIV. *Paracletus spiritus, &c.l.4.c.10.2.18.81*

XV. *Ego sum vitis vera* exp.*l.11.c.6.52.&c.301*
Cum venerit Paracletus lib.4.c.10.2.18.82

XVI. *Si non abiero, Paracletus, &c.l.4.c* 10.2.*ibi.*
Modicum & iam non videbitis me exp.*l.11.c.19.34.334*

XIX. *Sanguis & aqua ex latere Christi lib.6.c.3.16.17.150*

XX. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. &c.l.4.c.15.2.90.& 17.18.&c.91*

ACTORVM.

Cap.I. *Præceptum eis ne discederent Ieroſolyma, ſed expectarent promiſſionem Patris, &c.l.4.c.10.2 21.81.82*

II. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum l.2.c.3.29*
Baptiz. in nomine Christi l.8.c.2.13.199
Tria millia hom. baptiz. l.5.c.14.39.138. Fractio panis l.7.c.6. 13.163.15.183 & l.9.c.1.5.228.&c.2.34. &c.231. Et erant perdurantes in communione & fractione panis, &c. contra Miſſas priuatas *l.7.c.16.1.190*

III. *Argentum & aurum non eſt mihi* exp.*l.11.c.14 23.328*

VI. *Impoſitio manuum lib.4.c.24 2.& 19.104.105*

VIII. *Miſerunt ad eos Petrum & Iohannem, qui orauerunt pro ipſis vt acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quenquam illorum venerat, &c.l.4.c.10.3 &c.81. Cum vidiſſet Simon, quia per impoſitionem daretur Spiritus Sanctus l.2.c.3.22.29. Philippus baptizat Eunuchum l.5.14 33 138*

IX. *Ananias Paulum baptizat lib.5.c.14.33.ib.*

X. *Petrus iuſſit eos baptizari &c.l.5.c.14.33.38.ib.*

XIII. *Segregate mihi Paulum & Barnabam l.4.c.24. 49.23.104*

XIV. *Χειροτονήσαντες Presbyteros, &c.l.4.c.24.2.16.ib.*

XIX. *Io. quidem baptizauit Baptiſmo reſipiſcentiæ, &c. qui vero audierãt baptizati ſunt in nomẽ Domini Ieſu, &c.l.5.c.13.42.43.&c.135*

XX. *Primo die hebdomadis coactis diſcipulis ad frangendum panem Paulus diſſerebat l.7.c.16.1 190.& l.9.c.1.5.228.&c.2.24.&c.231*
In quo vos Spir.S. poſuit Epiſcopos l.4.c.24 4.9.23.104

XXVII. *Paulus accepto pane gratias egit, & fregit, &c.* pro diminuta Euch. communione *l.9.c.15.228.&c.2.12.&c.229*

AD ROMANOS.

Cap.III. *Quæ vtilitas Circunciſionis, &c.l.3.c.6.1.&c 62*

IV. *Non in Circunciſ. iuſtif. ſed in præputio l.3.c.6.11.12.63. Abraham ſignum accepit Circunciſionis ſigillum iuſtitiæ fidei lib.3.c.3.34. 35.&c.61*

V. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam, &c.l.5.c.5.20.119*

VI. *Conſepulti ſumus cum Chriſto per Baptiſmum in morte &c.l.5.c.5. 22.23.ibid.*

I. AD CORINTHIOS.

Cap.III. *Vnuſquiſq; donum ſuum habet à Deo, &c.l.4.c.30.21.22. &c. 113. Maritus infidelis ſanctificatus eſt in vxore, &c. l.5.c.10.42. 46.&c.129. Liberi veſtri ſancti ſunt l.5.c.10.19. 127. &39.128*
Circunciſio nihil eſt l.2.c.9.59 44.&& l.3.c.6.15.17.63

X. *Patres baptizati, &c. eſca ſpiritualis, Petra Chriſtus, &c. l.3.c.2.1. &c.55.l.10.c.7 45.&c.261. Poculum benedictionis, nimne communio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, &c.* contra Miſſam priuatam *l.7. c.11.16.17.183. & l.7.c.16.1.18.&c 190.&c.& l.9.c.10.25.&c.246.& l.10.c. 23.2. 287. Communicatio ſanguinis Domini, communicatio corporis Domini, &c.* exp.*l 11.c.7.22. Vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus l.2.c.3.240.29. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum l.5.c.5.29.120*

XI. *Cum conuenitis, hoc non eſt Dominicam Cœnam edere: nam vnuſquiſque propriam Cœnam præoccupat in veſcendo: & hic quidem eſurit, ille vero ebrius eſt, &c.* contra Miſſam priuatam *l.7.c.16 1.8.&c.190. Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis l.8.c.8. 2.6.&c.212*
Inſtitutio S. Cœnæ à Paulo enarrata vind. *l.6.c.5.14.15.&c. 153. Accepit panem, & gratiis actis fregit, & dixit, Accipite, &c. item & poculum, &c.* exp. de Conſec. *l.6.c.5.6.7.152.&c.157 &c.& contra Reſeruationem l.7.c.5.1. &c.171.&c. 7.19. &c.174.&c.8.27.28.177. &c.10.&c. 180.* contra Miſſas priuatas *l.7.c.15.1.&c.189.* de traditione in manus *l.7.c. 20.2.&c.196* pro communione ſub vtraq; *l.8.c.3.15.193 &c.204.&c.* de veritate præſentiæ, *&c.l.10.c.1. &c.253*
Quod pro vobis frangitur l.7.c.6.19.173. Quotieſcunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis mortem Domini annuntiabitis vſque quo venerit, &c. vind. *lib.8.c.8.1.2.3.&c.212*
Quotieſcunque ederitis panem hunc, &c. exp.*l.10. c.23.1.287*
Qui manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini l.9.c. 10.29.246. Itaque, fratres mei, cum conuenitis ad veſcendum alius alium expectate: quod ſi quis eſurit, &c. contra Miſſam priuatam *l.7.c. 16. 1.15.& c. 190*

XII. *Omnes nos in vno ſpiritu; in vnum corpus baptizati ſumus l.2.c.3. 29.30*

XV. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur l.5.20 21.1.19. Non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum l.11 c.19.24.&c.334*

II. AD CORINTHIOS.

Cap.I. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſtum, & qui vnxit nos Deus: qui ſignauit nos & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris l. 2.c.14.1.48*

II. *Ei condonetis, &c.l.4.c.15.43 93*

VI. *Quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ participatio &c.l.5.c. 5.29.199*

XII. *Non egerunt pœnitentiã ſuper immunditia &c.l.4.c 14.17.18.90*

AD GALATAS.

Cap.II. *Dextras mihi dederunt, &c.l.4.c.24.27.29.105*

IV. *Quomodo conuertimini ad infirma elementa l.3.c.6.15.18.63*

VI. *Neque Circunciſio aliquid valet, &c.ibid.*

AD EPHESIOS.

Cap.I. *Elegit nos vt eſſemus ſancti & immaculati l.5.c.5.118. In quo credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis l.2.c.14. 0.49*

IV. *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, &c.l.4.c.24.4.9.104*
Nolite contriſtare Spiritum quo ſignati eſtis, &c.l.2.c.15.16.&c. 49

V. *Viri diligite vxores ſicut & Chriſtus Eccleſiam &c.l.4.c. 30.3.112. Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam & tradidit ſemetipſum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ l.2.c.3.31.30.& l.5.c.9. 1.104.& l.5.c.5.1.&c. 118. Membra ſumus corporis eius, caro de carne eius & oſſibus eius, expl.l.11.c.8.14 15.305. Sacramentum hoc magnum eſt, loquor autem de Chriſto & Eccleſia l.1.c. 2.5.&c. 2.&c.4.18.5.& l.4.c.3.2.72.& l.4.c.29.12, 13.111.&c.&c. 30.11.&c.107.*

VI. *Iacula ignita &c.* *l.2.c.48.38*

AD PHILIPPENSES.

Cap.II. *In nomine Ieſu omne genu flectatur l.7.c.2.44.45.168*

III. *Eam iuſtitiam quæ ex lege, eſſe detrimentum, & Circunciſionem, concisionem l.3.c.6.15.& 19.63*

AD COLOSSENSES.

Cap.I. *Reconciliauit vos in corpore eius per mortem exhibere vos ſanctos, immaculatos, & irreprehenſibiles c.5.c.5.6.118*

II. *Conſepulti ei in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis l. 5.c.5.22.23.119*
Cũ eſſemus mortui propter delicta conuiuificauit nos Chriſto l. 5.c.5.25 120. Vmbræ futurorum, &c l.3.c.6.15.20.63

I. AD THESSALONICENSES.

Cap.IV *Quiſque vas ſuum poſſideat in ſanctificatione l.4.c. 30.31.33 113*

II. AD THESSALONICENSES.

Cap.II. *Myſterium iniquitatis l.1.c.4.14.4*

I. AD TIMOTHEVM.

Cap.II. *Saluabitur per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, &c. l.4.c.30.16.&c.112*

IV. No-

IV. *Noli negligere gratiam quæ in te est per impositionem manuum, &c. l.2.c.15. 22.&c.49.& lib.4.c.24.2.11.104.& l.4.c.24.3.11. 104*

V. *Manus cito nemini imposueris neque communicaueris peccatis alienis lib.4.c.15.3 90.& 92.63.64 &c.94*

II. Ad Timotheum.

Cap.I. *Vt resuscites gratiam quæ est in te per impositionem manum mearũ l.2 c.3.22.23.29.& l.4.c.24.2 104.& l.4.c.24.3.11.ibid.*

Ad Titum.

Cap.III. *Saluos nos facit per lauacrum regenerationis l.2 c.3.31.30. & l.5. 25.120.& l.5.c.6.9.10.&c.120.& l.5.c.6.1.122*

Ad Hebræos.

Cap.VI. *Non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis,&c.impositionis quoque manuum l.4.c.10. 4.&c.81.Impositio manuum l.4.c.10 37.38.83. Impossibile est eos qui sunt illuminati, iterum renouari ad pœnitentiam l.5. cap. 7.&c. 121*

VII. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem l.3. c.6. 15.20.63*

VIII. *Melius sortitus est ministerium quanto & melioris Testamenti minister est,&c.l.3.c.6.27.167*

IX. *Iustitiæ carnis l.3.c.6.15.20.ib.*

X. *Lex vmbram habuit l.3.c.6.15.20.ibid.*

Iacobi.

Cap.V. *Infirmatur quis inter vos? accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo,vngentes eum oleo, &c.l.4.c.18.1.&c. 96.&c.&c.19. 98*

I. Petri.

Cap.II. *Quasi modo geniti infantes &c.l.5.25.120*

III. *In arca octo animæ seruatæ sunt. Cui rei correspondens exemplar Baptismi,&c.l.2.c.8.2.40. Nos similis formæ saluos fecit Baptisma, non carnis depositio sordium sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum l.2.c.3.35.30.5.c.6 9.10.120.& 13.14.121*

I. Iohannis.

Cap.IV. *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est*, pro concomitantia *l.9.c.8.&c.240*

V. *Hic est ille qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus,&c.l. c.9 4.109*

Apocalypseos.

Cap.XVII. *Mysterium l.1.c.4.10.4*

FINIS.

INDEX

LOCORVM PRÆCIPVORVM, TVM EX CONCILIIS, TVM EX PATRIBVS, ALIISQVE AVTORIBVS, QVÆ QVARTO HOC PANSTRATIÆ CATHOLICÆ TOmo exponuntur, aut ab Aduersariorum exceptionibus & corruptelis vindicantur: necnon librorum suppositiorum, qui νοθεύας censura notantur.

A.

Abdias Babylonivs.

Bdias Babylonius Apocryphus Scriptor fabulosus,& *c.l. 6,c.2.25.148*

Alcvinvs.

Offic. diuin.*c.* de missæ celebr. *de Pastoribus consecrantibus.& c.l.6.c. 8.42.161.*

Algervs.

De Sacramen.*l.II.c.VIII.* ex Aug. *carnem sine sanguine non iure communicarii in Euchariſt.& c.l.8.c.9.52. 219.& c.11.103.&c.227*

Alexander eps icopvs alex.

Alexander Episcopus Alexandrinus ex Rufino *pro ministro Baptismi l.5.c.14.44.46.139.*

Amalarivs.

Offic.lib.*III.cap.XXXV. de tribus Eucharistiæ partibus* l.9.c.1.10 229, & c,3.19.233

Ambrosivs.

Offic.*l.I.*c.XLI. *Laurentii dictum de Calice Eucharistiæ lib.8.c.9.13.415. &c.*11.78.*&c.226*

Offic.*lib.II.c XXVIII. de vase destinato Reseruationi Eucharistiæ lib. 7.c.9. 3.177*

de Pœnit.*lib.I.c.VII. pro efficacia pœnit. Deo tributa lib.* 4.*c.*16.4.9.10. *&c.95*

de Pœnit.*l.II.c.II. Pœnitentia peccata dimitti l.4.c.26 3.9 95*

de Pœnit.*l.II.c.X. Ego non sum ego,&c.exp.l.11.c.19 27.334*

de Fide ad Gratianum,*lib.IV.c.V. de precib.in Eucharistiæ consecrat lib.* 6.c.16.158

de obitu Satyri,*pro Reseruatione Euch.l.7.c.9.1.12.177*

de obitu Satyri,*pro solius panis in Euch.communione & reseruatione l.9 c.1.7.229.& 8.&c.232*

Serm.LXVI.*pro Pœnit.Sacram.l.4.c.16.3.7.19.94*

de Abrah.*l.I,c.VII. de Matrim.l.4.c.32,10.114*

de iis qui initiantur *c.l.X. verba operatoria l.2.c.5.3.4.5.32*

de Sacramentis *l.I.c.I pro saliua in Baptismo*, allegatus *de tactu narium & aurium l.5 c.16.34.143*

de Sacram.l.*IV.c.IV. Verba Dei esse operatoria l.2.c.5.3.32*

de Sacramentis *l.IV.c.* V. *de verbu Consecrationis Eucharistiæ l.6,c.6.43. 157*

de dignitate Sacerdotali *c.*V. *de Ordin.l.4.c.26.12.*& c.107

I.ad Cor. *l.de Ordinat.l.4.c.26.2.&c.*107

ad Ephes.V. *de Ministro Baptismi.l.5.c.14.44.139*

in Ephes.V. *de Mysterio de Matrimonio l.4.c.3. 19. 76. &l.4.c.32.6. 114*

in *I.*Tim.*III.*& V. *de Ordinatione l.4.c.26.2.&c.*107

amphilochivs

Amphilochius In vita Basilii, *de vasis reseruatoriis Euch.l.7.c.9.3.11.28 177*

Anastasivs II. Papa.

Anastasius *II.*ad Anast.Imp.*c.VII. de Ordin.l.4.c.26.26.108*

Apostolorvm dicti Canones.

Canon.*I.& II. de Ordinib.lib.4.c.26.2.&c.*106

Cano

Can. X. seu IX. apud Zonarã. *contra Missam priuatam l.7.c.18.2 193*
Can. *XV. de Laicorum communione l.9.c.3.24.233*
Can. L. *de trina immersione in Baptismo l.5.c.2.7,8.116*

AVGVSTINVS

Tom. I.

Confess. lib. I. c. XI. *de Sale l.5.c.16.31.143*
Confess. lib. IX. *c. XII. pro Missis priuatis l.7.c.14.17,18.188*

Tom. II.

Ep. V. *Signa Sacramenta l.1.c.6.4.&c.6*
Ep. XXII. de *Charactere l.2.c.16.15.53*
Epist. XXIII. de *peccatis post Baptismum admissis l.5.c.6.18.20.121*
Epist. L. de *Charactere l.2.c.16.15.53*
Epist *L. de Baptismi efficacia ad remissionem culparum post Baptismum contractarum l.5.c.6.17.&c.121*
Epist. LIX. ad Quæstionem *V. pro precibus in Consecratione l.6.c.7.16.158*
Epist. XC. *& XCII de Baptismo paruulorum l.5.c.9.64.65.126*
Epist. CXIIX. *quæ toto terrarum orbe obseruantur & c. esse ab Apostolis & c l.9.c.4.3.4.&c.236*
Epist. CLXXX. ad Honoratum pro *Pœn. Sacram. l.4.c.16.6.16.95*
Ep. CCIV. *de Charactere dominico in Sacramento l.2.c.16.53*

Tom. III.

de Doctrina Christ. lib. III. *c. XVI. locutionem quæ flagitium & facinus videtur iubere figuratam esse &c.* exp. *l.11.c.11.2 5.6.321.& 18.322*
de Trinitate *l. III. c IV. pro precib. in Consecratione l.6.c.7.16.158*
de Trin. *l. III. c.* X. *infantium cogitationes de Eucharistia l.9.c.8.243*
de Trin. *l.* XV. *c.* XXVI. pro *Imposit. manuum l.4.c.11.83*
de Trin. *l.* XV. *c.* XXVI. *de Chrismate l.4.c.11.4.8.&c.84*
de Genesi ad literam, *l. VIII. c. IV. de Ligno vitæ l.1.c.7.4.6*

Tom. IV.

Quæstione in Leuiticum quarta & octogesima *l.2.c.10.3.14. 44. 45*
de Consens. Euang. *l. III. c.* XXV. *de Sacramento panis &c. l.9.c.2.23.24.&c.231*

Tom. V.

de Ciu. *l.* X, *c. V. Sacramentum signum esse l.1.c 6.4.&c.6*
de Ciu *l, XVII. c, V. de Buccella panis l.9.c.3 42.&c.234.235*
de Ciuit. *l. XXII. c. VIII.* pro *Missis priuatis l.7.c.14.17.18.188*

Tom. VI.

contra Faust. *l, XIX. c. XI. de Sacramentorum inenarrabili efficacia l.2,c. 6.5.44.36*
contra Faust *l. XIX. c, XVI. Sacram. quasi verba visibilia &c. l.1.c.14.6. &10.14*
contra Faust. *l. XX. c. XIII. de panis Euchar. cultu exprobrato &c. l.7.c.3.15. 17.170*
de bono Coniugali *c. XXIV. l.4.c, 26.27.108*
de Adult. coniugiis *cap. XXVI. pro Pœnit. Sacram. l.4. cap.16. 7.22.23. 96*

Tom. VII.

Lib. II. *c. XIII.* contra epist. Parmeniani *de Ord. l.4.c.26.27.108. & de Ministro Baptismi l.5. c.14.44.139. & lib.5.c.14.66.ib.*
de Bapt. cont Don. *l. IV. c. XXIV. Sacramentum per se ipsum multum valere l.2 c.6.2.23.37*
de Bapt. *l. V. c.* XX. pro *Pœn. Sacram. l.4.c.16.6.& 16.95*
de Baptis. contra Don. *l. V. c. XX.* de *Vnct. Sacram. l.4.c.21.3.28.101*
de Bapt. *l. VI. c. I.* de *Charactere l.2.c.16.15.101*
de Bapt. contra Don. *l. VI. c.* XX. *de precibus in sacram. consecratione l.6. c.6.34.36.156*
de peccator meritis & remiss. *l. III. c. XXVI.* de *Infantium sanctitate l.5. c.10.43.43.118*
de Nupt. & concup. *l.1.c.X.* de *Mysterio Matr. l.4.c.3.19.73*
de Nuptiis & concup. *l.1.c.* XXXIII. *de Baptismi efficacia ad remissionẽ peccatorum post Bapt. admissorum l.5.c,6.17.18.121*

Tom. VIII.

in Psal. XXVI. *de Chrismate l.4.c.11.4.8.&c.84*
in Psal. XXXIII. *Christum in Eucharistia suum manibus se portasse l.9.c.8. 41.243*

in Psal. LXV. de *igne* pro *ceris* allegatus *l.5.c.16 35.143*
in Psal. LXXII. de *promissionum Vet. & Noui Testam. diuersitate l.3.c.6. 30.64*
in Psal. *XCVIII. Non hoc corpus mãducaturi &c.* exp. *l.11.c.19.4.&c.333. & 17.ib.*
in Psal. *CIII.* concione prima, de *plurib. Sacramentis l.4. 5.26.6*
in Psal. *CXLVI. Pœn. Sacram. l.4.c.16.7.23.94.96*

Tom. IX.

in Ioh. tract. *II. Iesum se Catech. non credere l.9.c.8.243*
in Io. tract. XXV. *Quid paras dentes, & ventrem? Crede & manducasti &c* exp. *l.11.c.18.3.&c.331.332*
in Ioannem tract. LXXX. *verbum accedens ad elementum, &c. l.1.c.16. 13.&c.18.19*
tract. in Io. *LXXX. Sacramenti effic. ex verbo l.2.c.11.1.&c.46*
devisit. infirm. suppos. *l.4.c.21.6.103*
de Rect. Cathol. conuersationis suppos. l.4.c.21.6.ib.

Tom. X.

Serm. de Tempore CCXV. suppositius *l.4.c.21.7.b.*
Lib. *L.* homil. hom. postrema *de satisfactione, &c. l.4.cap.16.2.&c. 94*
Aug. apud Gratianum, de Consec. dist. *II. simul omnes in Euch. bibere l.8.c.9.29.217.&c.11.99.100. 228*
Ang. Sacramenti nomen late accipit *l.4.c.32.13,116.114*
Aug. loca *pro Matrimonii Sacr. l.4.c.32.10.ibid.*
Aug. apud Alger. vide Alger ex Augustino.

B.

BASILIVS MAGNVS.

De Spiritu Sancto *c.* XIV. *de Circunc isione l.3.c.7,4,20.66.68*
De Spiritu Sancto *c. XV. quænam in aqua gratia l.2.c.6.10.36*
de Spiritu Sancto *c.* XXVII. *de inuocatione cum ostenditur panis Eucharistiæ l.7.c.2.38.168*
de Spiritu *S.c.* XXXVII. *de mysterio & silentio l.6 c.8.22.&c.160*
Exhort. ad Bapt. *de sigillo. &c. l.2.c.16.2.17.21.22.53*
Moralium regula LXX. *de Ord l.4.c,29.2.&c.107*
Reg. breu. interrog. CCXXIX. *de confessione l.4.c.16.2.&c.94*
Epist. *I.* ad Amphilochium; can. *I. de ministro Baptismi lib. 5.6,14.65. 140*
ad Amphilochium, can. XXXII. *de Laicorum communione, &c. l.9 c.3. 24.233*
ad Cæsariam Patritiam *de Reseruatione Eucharistiæ 177.l. 7.c.9. 1.31. 179*
Basilij liturgia *de consecrationis Eucharistiæ pronuntiatione, &c. l,6.c.9. 12.&c.162*
Basilij liturgia, *de Eucharistiæ eleuatione l.7.c,2.41.&c. 168*

BERNARDVS.

Serm. LXVI. super Cant. *de Ord. l,4.c.26.2.&c.107*
Serm. de carne Domini, *virtus Sacramentorum l.2. cap. 6.7. &36. 38*
in Sermone de cæna Domini *l.2.c.11.15 16.46*
Serm. III. in ramis Palmarum, *Corporis & sanguinis alimonia mandatam deinceps frequentari l.8.c.9.48.218.&c.11.107.12*

C

CANONES.

Can. Apostol. vide Apostol. Can.
Can. vniuersalis Æthiopum, *de communione Euch.* contra *Missas priuatas l.7,c.17.7.192*
Can. Romanus, *de communione Euch.* contra *Missas priuatas l.7,c. 17 19.ibid.*

CHRYSOSTOMVS.

in Gen. hom. XXVII. XXXIX. & XL. *de Circunc isione l.3.c.7. 4.9.& 36.65.*
in Matth. hom. LXXXIII. *Christum in Eucharistia tangi comedi, &c. l. 9.c.8.37.242*
in Matt. hom. *LXXXIII, reipsa nos corpus Christi effici l.11.c.9.61.&c.167*
Imperf. in Matth. hom. XVII. *de pane sanctificato & sanctificatione, &c. l.9.c.2.23.27.&c.231*
& in Io. hom. XLV. *nos in carnem Christi conuerti, &c.* explicatur *l. 11.c.9.61.&c.311*

in II.ad Cor.hom.II.pro *Consecrat.Panis,&c.eiusque verbis l.6.c.6.42.* 157
in II.ad Cor.hom.XVIII.*in Sacramentorum perceptione Sacerdotem à populo non differre,omnibus vnum poculum,&c.li.* 8.c.9.23.210.vind. c.11.10.11.12.*&c.*222.*&* 25.26.222
in Epheſ.hom.III.quæ eſt LXI.ad pop.Antioch.pro *Miſſis priuatis In ſacrificio quotidiano neminem communicare, &c.l. 7.c.* 14.27.28. 189.contra *Miſſas priuatas lib.*7.c.19.10.18.&c.196
in Eph.v.*de myſterio Matr.l.*4.c.3.19.73
ad Eph.hom.XX.*de Coniugio l.*4.c.32.6.114
in Hebr.hom.XVII.*ſemel in anno communicatum* : pro *Miſſis priuatis lib.*6.c.14.25.*&c.*187
de Sacerdotio l.III *de Pœn.Sacram.l* 4.c.16 7.19.*&c.* 95.96
de Sacerdotio *lib.*III.*pro vnctione l.*4.c.21.2.15.101,102
de Sacerdotio *lib.*III.*pro Ord.l.*4.c.26.2.*&c.*107
de Sacerdotio *l.*III.c.VI.*pro pœn.Sacram.l.*4.c.16.5.13.95
deSacerdotio*l.*VI. *de reſeruatione Euch.l.*7.c.9.7.7.177
Hom.ad Neophytos,*de effectu Baptiſmi l.*2.c.6.36.& 36
Hom.de Iudæ prodit.*pro conſecr.verbis l.*6,c.6.42.157.*de reſeru.Euch. l.*7.c.9.38.*&c.*179
ad Innocentium,*de Euch.reſeru.l.*6.c.7 2.26.177
Chryſ.liturgia *de Conſecr.Euch. pronunciatione l.*6.c.9.12.*&c.*163
Chryſoſtomi liturgia,*de Euchariſt.a eleuatione, &c.l.*7. *cap.*7.41.*&c.* 168

Clemens Alexandrinvs.

Strom.*lib.*I.*pro ſolo pane in Euch.communione accepto, & domum delato, &c.lib.*9 c.1.8.229
Strom.III.c.VII.*de Matrim.l.*4.c.32.6.114
Pædag.*l.*II.c.II,*de Calicis in Euch.vſu l.*8.c.11.73,*&c.*226
Clementis Alexandrini teſtimonium apud Euſeb.*de ſigillo*,in gratiam *Confirmationis,&c.*vertendo falſatum,veritati aſſeritur *lib.* 2.c.16.9.10.53

Clemens Romanvs.

Epiſt.ad.Iacobum,*de Ord.l.*4.c.26.2.&c.107
Epiſt.II.ad Iacobum fratrem Domini,*de reſeruatione Euch.l.*7.c.9.2. 105.15.177.*&l.*7.c.10.29.31.181
Recog *l.*III.*de Ord.l.*4.c.26.2.&c.107
Conſt.*lib.*III.c.X.*de Miniſtro Baptiſmi l.*5.c.14.60.140
Conſt.Apoſt.*lib.*III.c.X.& XVII.*de impoſitione manuum lib.*4.c.11.2. 5.25.83
Conſt.*lib.*III.c,XVI.*de Chryſm.l.*4.c 11.3.25.84
Conſtit.*lib.*VIII.*de Ord.l.*4.c.26.2.&c.107
Conſtitut.*lib.*VIII.c.XII.*de communione Euch.* contra *Miſſas priuatas l*7.c 17.3.191
Conſtit.*lib.*XIII.c.VIII.*de vaſis ad reſeruationem Euch.deſtinatis l.*6.c.9. 3.28.177

Concilia.

Conc.Afric.apud Cyprianum ſententia XVIII. *de aqua ſanctificata lib.*5.c.16.28 vide Carthag.143
Agathenſe *de pane benedicto dato non communicantib.l.*7.c.14.2.5.187
Agathenſe *c.*II. *&* V.*&* L.*de communione Laicorum lib.*9.c.1.11,229.*&* c.3.25.233
Antiocheni can.*I.*I.contra *Miſſas priuatas l.*7.c.18.2.*&c.*193
Aquiſgranenſe I I.can. VIII.*de vnctione l.*4.c.21.2.8.101
Arauſicanum *II.*can.XXV.*de Baptiſmo l.*2.c.6.3 29.&c.38
Arelat.I.can.VIII.*de manuum impoſitione l.*4 c.11.2.& 50.83
Arelat.I I.ſub Syluestro can.XVI I.*de Chriſm.l.*4.c.11.84
Aurel.III.can.II *de laica communione l* 9.c.3.25.&c.233
Bracarenſe II.can.III.*de Ordin.l.*4.c.26,12.&c.107
Bracarenſe*III.de Calicis Euch.vſu l.*8,c.11 82.&c.226
Cabilonenſ.II.can.XLVIII *de vnctione l.*4.c.21.2.8.101.102
Cæſarauguſtanum can.III.contra *Euchariſtiæ reſeruationem lib.* 7.c. 9.13.178.&I.7.c.10 29 51.181
Carth.III.can.v.*de Sale Sacrament. l.*5 c.16.33 143
Carth.III.can.c.*de Miniſtro Baptiſmi l.*5.c 14.44.139
Carthaginenſe IV.can.1.&c.*de Ord.l.*4.c.26.2.*&c.*106
Carth.V. can.XIII. non eſſe *de Laicorum communione l.*6.*cap.*3.38. 234
Carth.ex Aug. epiſtola XC. *de Baptiſmo paruulorum l.*5. 9.64.65. 127.vide Africana
Chalcedonenſe can.II.*de ord.l.*4.c.26.2.12.106
Eliberinum can.XXXVIII.*de impoſit.manuum l.*4.c.11.2.33.83
Eliber.can.XXXVIII.*de miniſtro Baptiſmi l.*5.c 14.44.50.139
Elber.can.LXXVI. *de communione Laicor. lib.*9.c.1.11.233.&c.3.25. 229
Epheſino 1.non eſſe ſancitam communionem *Euchariſtiæ lib.*9.c. 5.10.*&c.*238
Laodicenum can.VII.*de Chriſm.l.*4.c.11.3.52.84
Matiſcon.II.can.*VI.de reliquiis Euchar.l.*7.c.10.181
Meldenſe apud Burchardum *lib.*IV. can.LXXV.*de vnctione lib.*4.c. 21.2.8.101
Meldenſe apud Gratianum,de Conſec.diſt. V.can. VII.*de impoſitione manuum l.*4.c.11.2.*&c.*83
Mileuitanum can.II.*de Baptiſmi efficacia*,à corruptela vind.*lib* 2.c.6. 3.37.& 26.37
Mileuitan.apud Auguſtinum,in epiſt.XCII. *de Baptiſmo paruulorũ lib.*5.c.9.64.65.126
Moguntinum ſub Rabano,can.XXVI.*de vnctione l.*4.c.21.2.8.101
Nannetenſe de *Miſſis priuatis lib.*7.c.14.7.188
Nicæn.*I.*can.*VIII.de Ord.lib.*4.c.26.2.*&c.*106
Nicæn.*I.*can.*XIII.de Reſeruatione Euch.lib.*7.c.9.6.177
Nicænum.I.can.XV.apud Rufinum,hiſt. l.X.*c.XI. de Reſeruatione Euch lib.*7.c.8.4.30.177
Nicænum *I.*ex Hieronymo,*de miniſtro Baptiſmi l.*5. c.14.44.52.139
Nicæn.*I.*can.Arabico *LV.de impoſ.manuum l.*4.c. 11.2 83
Nicæn.*I.*can.LX.Arab.*de vnctione* ſuppoſititius *l.*4.c.21.2.4.9.101
Nicæn.*I.*can.*LXIX.*Arab.*de Oleo.l.*4.c.21.2.9.12.*ib.*
Quinſextum can. *LII. de Reſeruatione Euch.l.*7.c.9.177
Sardicenſe can.I.& II.*de communione laicorum l.*9.c.1.11. 229 *&c.*3.25. 233
Senonenſe,recent.eſſe Prouinciale & Papiſticum,nullius autoritatis *lib* 11.c.4.32.294
Tolet,I.can.IV.*de Laicorum communione l.*6.c.3.23.*&c.*233
Tolet.*I.*can. *XIV.de non reſeruanda Euch.&c.l.*7.c.9.13.178
Tolet.I.can.*XIV.contra reliquias Euch.l.*7.c.10.29.51.181
Tolet.*XII.*can.*V.de Miſſis priuatis l.*7.14.10.11.188
Trullenſe,vide Quiniſext.
Vvormatienſe can.*LXXII.de Chriſmate l.*4 c.21.3.17.101

Cornelivs II.

Cornel.I I.epiſt.ex Euſebio,*de laicorum communione, &c.l.*9,c.3..23 *&c.*38

Cyprianvs.

Ep.I I.pro *Baptiſmi efficacia ad regen.* à corruptela vind.*l.*2.c.6,5.74. *&* 37.*&c.*38
Epiſt.LII.*de laicorum communione l.*9.c.3.22.29.*&c.*233
Epiſt.LIV.ad Cornel.*de poculo Euchariſtico omnib.fidelibus miniſtrando &c.l.*8.c.9.15.215.vind.ib.10.37.36.*&c.*228.11.38 39.221
Epiſt.*LXIII.de Calicis vſu in Euchariſtia l.*8.c.11,60.61.225
Ep.*LXVII.de laicoaum communione l.*9.c.3.22.40.*&c.*233
Ep.*LXX.de aquæ ſanctificatione in Bapt.l.*5.c.16.28.143
Epiſt. *LXX.& LXII. de Chriſm.l*,4.c.11.4.*&* 47.84
Ep.*LXXIII.de impoſ.manuum l*,4.c,11.2.*&c.*83
Ep.*LXXIII.de laicorum communione l*,9.c,3.22.39.*&c.*233
Serm.de Lapſis,*de reſeru.Euch.l*,7.c,9.1,177
Serm.de Lapſis pro *ſolius panis in Euch.communione & reſeruatione l*, 9,c,7.8.9.229.*de communione infantium c*,3.4.*&c.*233.*&c.&* 8.237 *&* 14.*ibid.*
Serm.V.de Lapſis,*Calicem offerri expletis ſolennibus &c.* exp.*l*,8.c,6. 23.210
Lib.de CænaDomini *contra reſeruationẽ Euch.*vind.*l*, 7.c.10.29.181
de Cœna,*de verbis Conſec.l*,6.c,6.43.157
de Cœna,*ſanguinem Chriſti in Euchariſtia bibendum Chriſtianis l*,8.c,9. 15.215.*&c.*11.32.*&c.*224
de Cœna,*de mutatione panis in corpus,&c.*exp.*l*,9.c,8,26.243
de Cœna,*Cruci nos hærere,ſanguinem fugere,&c.l*,II.*cap.*9.19.20.308. 309
de Spectac.pro *ſolo pane in Euchariſtia communione accepto, & domum delato,&c.l*,9.c.1.X.228
Lib.de Ablut.pedum pro *Pœn.Sacr.l*,4.c,16.5.1.*&c.*95
de ablutione pedum,pro *Ord.Sacr.l*,4.c,26.26.108
de vnctione Chriſmatis,pro *Chriſmate l*,4.c.11.4.7.*&c.*74
aduerſus Iudæos I.I.*c.VIII.de Circunciſione l*,3,c,7.5 12.66

Cyrillvs Ierosolymitanvs.

Catecheſi III.myſtagogica *de Chriſmate l*,4.c,11.3.*&c.*84
Catech.myſtagogica *III.de precib.in Euchariſtiæ conſecr. l*,6.c,7.14.158

Catech.

Catech.myst.*IV.Christoferos nos fieri in Eucharisti la.9. c.8.33.242*
Catechesi *IV.*mystagogica,*σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνειν*, expl. *l.b.11.c.9.46 &c.*510
Cat.myst.*V.adoratio in Euch.l.7.c.2.50.51.169*

CYRILLVS ALEXANDRINVS.

in Leuiticum *lib.V.contra reseruationem Eucharist.*vind.*lib.7.c.10.29.* 181.*&37.*181
in Ioh.*lib.II.c.XXII.de Matrim.l.4.c.32 3.4.*114
in Ioh.*lib.II.c.XLII.de effectu Bapt.simi simili effectui ignis in aqua l.2.c.6.* 4.*&19.20.&c.*38
in Iohann.*libr.cap.XIII. Christum in nobis manere,&c.lib.9.cap.*8.42. 243
in Ioh.*lib.X.c.XIII.XIV.XV.&c.*explic. *l.*11.*c.*9.69.*&c.*vsque ad 87. 312
inIoh.*lib.XII.c.LVI.de Pœnit.l.4.c.16.5.15.95*

D.

DAMASCENVS.

Thesauri *lib.IV.c.X.de Oleo,&c.*exp.*l.4.c.*11.16.18.*&c.*85
Thesauri *lib.IV.c.XIV. de reseruatione Eucharist.* lib.*7.cap.*9.38.39. 179
*Lib.IV.c.XIV.de consecr.Euch.l.6.c.*6.42.157

DAMASVS EPISC. ROM.

Epist.*IV.de impositione manuum lib.4.c.*11.2.5.83
Damasi Papæ epistola supposititia *l.4.c.*11.5.*ibid*

R. DAVID KIMCHI.

R.Dauid Kimchi in Oseæ XIV. *de mutatione naturæ lib.* 7.*cap.*2.30. 167

DECRETALES.

Decretales epistolæ *lib.*4.*c.*12.74

DIONYSIVS ALEXANDER.

Dionysius Alexandrinus apud Eusebium,*de reseruatione Eucharistiæ lib.*7.*c.*9.6.32.177

DIONYSIVS AREOPAGITA.

Hier.Ecclesiast.*c.II.de sigillo,&c.l.*2.*c.*16.24.25.54
Hierar.Eccles.*cap.II. & III. de duobus Sacramentis,&c.lib.*4.*c.*5.9.*&* 22.27.75.
Ecclesiast.Hierar.*cap.II.III.&IV.de Chrismate lib.* 4.*cap.*11.3.7.84
Ecclesiast.Hierarchiæ *c.III.de ostensione Euchar.&c. lib.*7. *c.*2.33.*&c.* 167.*&*55.*&c.*169
Eccles.Hierarch.*c.III.*parte *II.& III.de communione Eucharist.contra Missas priuatas l.7.c.*17.2.191
Ecclesiasticæ hierarchiæ *c.*V.*de ritu ordinandorum lib.* 4.*c.*26.2.23. 106
Eccles.hierar.*c.V.*parte I.*de Circunctsione l* 3.*c.*7.4.65
Eccles.hierar.*c.*VI.*de Vnctione l.*4.*c.*21.2.14.102

E

EPIPHANIVS.

Hær.VIII.quæEpic.*de obsign.l.*2.*c.*16.12.53
Hæres.VIII.quæ Epicuræor.*de Circuncisione lib.*3.*cap.*7.4.17. *&* 34. 65
Hær.XXX.*de sigillo,&c.l.*2.*c.*16.3.10.11.53
Hæres.LXXV.*de Ordin.lib.*4.*c.*26.2.*&c.*107
Epiph.hær.Ebionit.*de Azymo l.*6.*c.*4.14.151

EVAGRIVS.

Lib.IV.*c.*XXXV.*de reliquiis Euch.*l.7.*c.*10.33.181

EPISTOLÆ DECRETALES.

vide Decretales.

EVSEBIVS CÆSARIENSIS.

Demonstrat.lib.I *c.*X.*de Sacramentis Veterum,&c.lib.*3.*c.*7.4.*&*16.65

HIstor. *libr.*1 *cap.*1.*de Sacramentis Veterum, &c. lib.*3. *cap.*7.4.*&* 16. 65
Histor.libr.III. *cap.* XVII. locus *de sigillo,*in gratiam *Confirmationis* falsatus à Christophorsono,veritati restituitur *leg.* 2.*cap.*16.9. 10.52.53
Hist.lib.IV.*c.*VI.*de ordin.l.*4.*c.*26.5.*&c.*107
Hist.l. VI.c. XXXV. vel XLIII. *de laicorum communione l.*9.*c.*3.23. *&c.*233
Histor.lib.VI.*c.*XXXVI.*de asportatione Eucharistiæ ad ægrotos lib.* 7.*c.*9.6. 32.179
Hist.l.VI.c.XXXVI.*de Eucharistia data Serapioni ægroto leg.*9.*c.*1. 10.*&c.* 3.17.*&c.*233

EVSEBIVS EMISSENVS.

Homil.de Sacram.corporis Dom.*de efficacia Sacramentorum,* exp.*l.* 2.*c.*6.24.25.37
Homil.in Sabbato post I.Dominicam Quadrageſimæ *lib.*3.*c.*29. *&c.*67
Serm.V.de Paschate,*de verbis Consecr.l.*6.*c.*6.43.157
Serm.de Pentecoste pro *impost.manuum l.*4.*c.*11.2.*&c.*83
Eusebio Emiss.inscriptas homilias esse rapsodias Latini scriptoris,*&c.l.*3.*c.*7.29.67

EVSEBIVS PAPA.

Eusebii Papæ epistola *de Sacramento Confirmationis l.*4.*c.*4. 12.74.
Epist.III.*de impositione manuum lib.*4.*c.*11.2.84
Eusebii Papæ epist.supposititia l.4.*c.*11.5.ibid.

F.

FABIANVS.

Fabianus, vide Gratian.

FAVSTVS.

Faustus lib.1.de lib.arb.*c.*11.*de Matrim.l.*4.*c.*32.3.4.114

FELIX III.

Felix III.epist.1.*c.*II.*de communione laicorum l.*9.*c.*1.11.228

FVLGENTIVS.

Fulgentius epist.ad Probam.*de Matrim.*l.4.*c.*32 3.131

G.

GELASIVS.

Epist.1.*de Ministro Baptismi l.*5.*c.*14.44.139
Gelasius apud Gratian.de Consecratione dist. *II..de calice Eucharistiæ: Sacramenti diuisionem esse sacrilegium l.*8.*c.*9.32.218.*&c.*11.87. 88.*&c.*227

GERMANVS CONSTANTINOPOLITANVS.

Germani Constantinopolitani liturg.Græc.expos.*de communione Euch.contra Missas priuatas l.*7.*c.*17.11.115
de Consecration.dist.I. can. Vtillud,*contra Missas priuatas* l.7.*c.*18. 6.*&c.*193
de Consec.dist.II.can. Et si non frequenter Fabiani constitutio *de communione ter in anno l.*7.*c.*14 2.187
de Consecratione dist. II. can.X. & XVIII. ex Concilio Martini Brachar.*contra Missas priuatas* lib.7.*c.*18.3.193
de Consecrat. distin. II.can. Cum omne,*de calicis Euchar.vsu.lib.*8. *c.*9.24.219.*&c.*&*c.*11.82.*&c.* 226. vide Conc.Meldense, Aug. Gelasius. Hier.Iulius

GREGORIVS NAZIANZENVS.

Orat.II.*de inuocatione ad altare lib.*6.*c.*2.4.168
Oat. in Gorgoniam pro *reseruatione Eucharistiæ Gorgoniam, antitypa corporis & sanguinis recondere solitam &c. l.c.*9.1.177. *&c.*& *l.*9.*c.*3.232
Oratione XL.in sanctum Lauacrum *de Chrismate* l.4 *c.*11.3,27.31. 84

Orat.XL.*de lampadib.*l,5.c,16.35.144
Ep.LVII.ad Anysium,*de Matr.*l,4.c,32.1.113

GREGORIVS NYSSENVS.

de Baptism.*comparatio Baptismi cum Virga Aaronu & semine hominis*, &c.l,2,c,6.14.37.& l,2.c,9.4.36.& 33.34.38
de Baptismo Christi pro *Ord.*l,4.c,26.12.&c.107
Orat.Cathol.c.XXXVII.pro *consecratione Panis*,&c. *eiusq; verbis* l, 6.c, 6.42.157
Catechesis maioris c,VII.& XXX *corpus Christi in corpus nostrum ingredi*,&c.exp.l,11.c,9.56.&c.311
de vita Mosis pro *Pœn.Sacr.*l,4.c,6. 7.24.95
de vita Mosis,*Panis absque semine*,&c.*res incorporea corpori*, &c.expl. l,11.c,9.49.&c.311

GREGORIVS ROMANVS.

Comm.in *lib.*Regum.l,V.c,V.*de Ord.*l,4.c,26.108
Lib.I.ep.XLI.*de trina mersione Baptismatis*,&c.l,5.c.2.9.&c.116
Dial.l,IV.c,LVIII.*Sanguinem in ora fidelium perfundi in Eucharistia* &c. l,8.c,9.34.219.&c.II.101.&c.228

H

HESYCHIVS.

in Leuiticum l,II,contra *reseruationem Euch.* l,7.c,10.34.182.& 43. 44.45.*ibid.*
in Leuit.*lib.VI.*c,XXII.*de verbis Consec.*l,6.c,6.43.157

HIERONYMVS.

Ep.ad Rusticum Narbon.*de Ord.*l,4.c,26.26.108
ad Rusticum,pro *reseru.Euch.*l,7.c.9.1.12.177
ad Rusticum,*de Exuperio,corpus Christi in canistro portante*,&c.pro *reseruatione* &c.l,9.c,3.9.233
Epist.V.& LXXX.quæ ad Euagrium, *de precibus in Euch.consecr.*l,6.c, 7.16.158
Dial.contra Luciferianos,*de impositmanuum* l,4.c,11.2.&c.83
Dial.contra Luciferianos,*de Ord.*l,4.c,27.6.&c.107
Dial.contra Luciferianos,*de ministro Baptismi* l,5,c.14.44.110
contra Pelagianos *lib.*I.& II.*de Pœn.Sacr.*l,4.c.16.5.94
in I.Cor.XI.*Cœnam Domini omnibus communem esse debere*, &c.*de calicis vsu* l,8.c.9.26.416.vind.ibid.c,11.36.37.&c.416
in I.ad Corinth.c,XI.*de Euch.reliquiis* l,7.c,10.32.181
in Eph.V.*de mysterio Matr.*l,4.c,3.19.73
apud Grat.*de Consec.*dist.II.c,LXXVI.*de hostia quam Christus in ara Crucis obtulit nulli edere licere*,exp.l,12.c,19.2.3.4.&c.332

HILARIVS.

de Trinit.*lib.VIII.per manducationem Eucharistiæ Christum in nobis esse*, &c.l,9.c,8.32.242
de Trin.*lib.VIII.de vnione nostri cum Christo qualis est inter Patrem & Filium* &c.exp.l,11.c,9.68.87.&c.312

HISTORIA TRIPARTITA.

Hist.tripartitæ *lib.IX.cap. VIII. de NaZianZeno cœtus cogente in sacello*, &c.l,7.c,14.20.22.188

HVMBERTVS.

contra Nicætam.*de Eucharistiæ distributione & communione*, contra *Missas priuatas*,vind.l,7.c,19.12,14.25,195
contra Pectoratum,*aduersus reseruationem Euch*,l,7.c,10.30.182

I.

IACOBVS.

vide Liturgia.

IGNATIVS.

Ignat ep.ad Philad.*vnum calicem omnibus distrib.* &c,l,8.c,9.12,213. vind.ib.c.11.17.18.&c.223

ILLEFONSVS.

Illefonsus hær.9.*de Matr.*l,4.c,32.1.2.114

INNOCENTIVS I.

Ep.I.c.III.*de Chrismate* l,4.c,11.3.84
Epist.I.*de mysteriis & silentio* l,6.c,8.50.52.162
Epist.I.*de Vnctione* l,4.c,21.3.5.16.101
Epist.I.*suppositia* l,4.c.21.5 *ibid.*
Epist.IX.ad Probum.*de Matr.*l.4.c.32.3.4.114
Epist.XXII.c,IV.*de Ordin.*l.4.c,26.12.&c.107
Ep.XXII.c,IV.*de Laicorum communione* l.9.c.3,24.233

IOHANNES DIACONVS.

Ioannes Diaconus in vita Gregorii, *de Reseruatione Eucharistia* l,6. c,9.1,12.177

IOANNES CHRYSOSTOMVS.

vide Chrysostomus.

IOHANNES DAMASCENVS.

vide Damascenus.

IOANNES III. EPISCOPVS ROMANVS.

Epist.ad Episcopos Germaniæ,de *Impositione manuum* l,4.c. 11.2.5. 84

IONATHANIS TARGVM.

Ionathanis Targum in Psalm.LXXII. *de oblatione frumenti* l,6.c.2. 28.167

IRENÆVS.

Irenæus *l*,I.c.I.*de Matrimonio* l,4.c,32.6.8.114
Lib.III.c,III.*de Ordin* l,4.c.26.2.&c.107
Lib.III.c.XIX.*de Lauacro* l,5.c,9.54.65.126
Lib.IV.c.XXX.*de Circuncisione* l,3.c.7.4 11.65
Lib.V.c.II.pro *Consecratione Panis eiusque verbis* & cæt.l,6.c.6.42 157
Irenæus apud Eusebium Hist.l,V. c,IV.& XX. de *more asportandi Euch.*l,7.c,9.5.7.177

ISIDORVS.

Isidorus *l*,II.de Officiis. c,XXIV. *de Ministro Baptismi* l, 5.c.14.44 139

IVLIVS PAPA.

Iulius apud Gratianum de Consecrat. dist,II,can. Cum omne,de *Calicis vsu in Euch.*l,8.c.9.24.216,&c.11.82.& cæt.226.

IVO.

Iuo libr.II.c,CXXXVII.de *pane benedicto dato non communicantibus* l,7.c,14.2.4.187

IVSTINIANVS.

Iustiniani Nouella CXXIII.de *Sacrorum pronunciatione* &c.vind.l, 6.c,9.28.29.&c.164

IVSTINVS MARTYR.

Dialogo cum Tryphone,de *Circuncisione* l,3.c.7.4.7.&c.65
Dialogo cum Tryph.*de* Pœnit.l,4.c.16,3.9.94
Apolog.II.de *duobus Sacramentis* l.4.c,5.4.75.& 16.76
Apol.II.*de precum effectu in Euch.*l,6.c, 6.42.&c.157,& l,6.c,7.14.158
Apol.II.*de Asportatione & Reseruatione Euch.*l.6.c,9.5.177
Apol..II.*Calicem Euch.vnicuique præsentium distribui* &c. l,8.c,9.215. &c.11.97.227
de missione Euch.ad absentes l, 9.c,3.9.237
Quæst.XXXVII.Orthodox.*de Chrismate* l,4.c,11.3.6.&c.84

L

LEO MAGNVS.

Leo.I.Ep.LXXXI.ad Dioscorum c,I.& LXXXVI. ad Episcopos Mauritaniæ *de Ord.*l,4.c.26.26.&c.108
Ep.LXXXVIII.*de Impositmanuum* l,4.c,11.2.5.& 32.84
Ep.XCI.ad Theodor.*de Pœn.Sacr.*l,4.c.5.11.12.95
Ep.XCII.ad Rust.Narbon.*de Matr.*l,4.c,32.10.12.114
De Quadrag.ser.I.*de Calice Euch.*l,8.c,9.32.217.&c.11.87.88.217 & pro *communione diminuta* l,9.c,1.6.229.& c,3.7.233

LEONTIVS.

Leontius pro *Missis priuatis* de *Ioan.Eleemosynario celebrante* &c.l,7.c, 14 20.21.188

LITVRGIÆ.

Liturgia Basil. de *Consecrationis Euchar. pronuntiatione* lib. 6. c. 9.12. & cæt. 163
Basilij de *Communione Eucharistiæ contra Missas priuatas* libr. 7.c.17.6. 192
Chrysost. de *Consecrat. Euchar. pronuntiatione &c.* l.6.c.9.12. &c.163.
Chrysostomi de *Communione Eucharistiæ contra Missas priuatas* lib.7.c.17.5.192.
Iacobi de *Eucharistiæ eleuatione* lib.7.c.2.41.&c. 168
de *Reseruatione* lib.7.c.8.24.26.176.
Iacobi de *Communione Euchar. contra Missas priuatas* lib. 7. c.17.4.192.
Marci, de *Consecrationis Eucharistiæ pronuntiatione* & cæt. lib. 6.c.9.11.&c.162.163.
de *Eucharistiæ Communione contra Missas priuatas* lib. 7.c. 17.8.9.192
Petri &c. *de Consecrationis Euchar. pronuntiatione* l.9.c.9.11. &c.163
Petri de *Communione Eucharistiæ contra Missas Priuatas* i. 9.c. 16.8.9.192

LOMBARDVS.

Sentent. lib. II. de *Septem Sacramentis* l.4.c.2.8.9.&c. 74.

M.

MARCVS.

Marci Liturgia, vide Liturgia

MELCHIADES.

Melchiadis Epist. de *Sacram. Confirm.* l.4.4.c.12.74.

MICROLOGVS.

Micrologus Eccles. rerum cap. XVIII. de *tribus Eucharistiæ partib.* lib.9.c.1.10.&c.3.19.233.

N.

NAZIANZENVS.

Vide Gregorius.

NICEPHORVS.

Libr. XVII. cap. V. & XX. *de reliquiis Eucharistiæ* l.7.c.10. 33.182.

NOVELLA.

Vide Iustinian.

NYSSENVS.

vide Gregor. Nyssen.

O.

OECVMENIVS.

in ad Rom. IV. *de Circumcisione* l.3.c.7.5. 10.&15.66.
in II. Tim. I. *de Ordin.* l.4.c.26.12. &c.107.
in I. Petr. III. *Interrogatio, hoc est, arrhabo, pignus, demonstratio* l.2.c.8.4.7.&c.41.

OPTATVS MILLEVIT.

Optatus lib. VI. *de vasis reseruationi Eucharistiæ destinatis* l.7. c.9.3.28.177.

ORIGENES.

in Exod. homil. XIII. *de cautione ne excidat pars Eucharist.* l.7.c. 51.53.53.169
in Leu. hom. II. *de Vnctione* l.4.cap.21.2.11. 101
in Leuiticum hom. VIII. & IX. *de chrismate* l.4.c.11.3. &c. 84
in Num. homil. VI. *Sanguinem Christi à populo bibi* lib.8.c.9. 14.215.& c.11.13.14.222.
in Ezech. hom. VI. *de sale in Baptismo*, exp. l.5.c.16.31.143.
in diuersos hom. V. *Non sum dignus &c.* l.7.c.2.48.168
contra Celsum lib. II. *de Circumcisione* l.3.c.7.4.12.65
contra Celsum libr. VIII. *de precibus in Eucharistiæ consecratione* l.6.c.7.14.158.

P.

PACIANVS.

de Baptismo pro *Chrismate* l.4.c.11.4.28.84
Ep. I. ad Sempro. *de Chrismate* l.4.c.11.4.28.83.

PASCHASIVS.

De corpore & sanguine Dom. cap. XV. *Bibendum de calice omnibus dici* l.8.c.9.39.217.& c.11.51.52.&c.225.

PAVLINVS.

Epist. VI. ad Seuer, *se non alligatum certæ Ecclesiæ* l.7.c.14.12. 13.&c.188.
in vita Ambrosii, *de Eucharistia data Ambrosio ægroto* lib.9.c.1. 10.229.& c.3.18.233.
PETRI liturgia, vide Liturgia.

PRVDENTIVS.

ψυχομαχία in luxuria, *de Chrismate* l.4.c.11.4.84
Hymno ante somnum, *de Chrismate*, à Bellar. corruptus l.4. c.11.4.7.&c.84
Peri Stephanon in Laurent. *de vasis Reseruationis Eucharistiæ* l.7.c.9.3.&c.177.

R.

RABANVS.

Rabanus de Instit. Cleric. cap. XXIV. *de duobus Sacramentis* l.4.c.5.9.19.20.76

S.

SEDVLIVS.

Sedulius in I. Cor. XI. *de vasis Reseruat. Eucharistiæ* l.7.c.9. 3.28.177

R. SELOMO.

R. Selomo in Psalm. LXXII. *de Placentis, &c.* l.7.c.2.29.167

SIRICIVS.

Siricius Epist. I. c. XI. *de communione Laicorum* l.9.c.1.11.229

SOPHRONIVS.

Sophronius Prati spiritualis cap. LXX. *de panis Euchar. reseruatione, &c.* l.9.c.1.7.228.&c.& c.3.4.&c.232.& 8.&c.233
Sophronius idololatra qua fide dignus l.6.c.8.42.160

SOZOMENVS.

Histor. lib. VII. c. V. *de Nazianzeno in paruo sacello cœtum colligente, &c.* pro *Missu priuatis* l.7.c.14.20.22.188
Hist. lib. VII. c. X. *de Ordinatione* l.4.c.26.12.&c.107
Hist. lib. VIII. c. V. pro *solius panis in Euchar. communione, &c.* lib.9.c.1.6.228.& c.3.3.4.& c.232

T.

TARGVM.

Targum Ionathanis. vide Ionathan

TERTVL.

TERTVLLIANVS.

De resurrect. carnis c.VIII. *de vnctione &c.* l.4.cap.11.4. & 44.45. 84. *&c.*
de Resurr.carnis c.VIII. *de Calicis vsu in Euchar.* l.8.9.14.215.& c.11. 73.&c.226.
Præscript. *de Ordinationibus* l.4.c.26.2.*&c.*107.
Præscr.cap.IV. *de Bapt.ministr.* lib.5.c.14.60.140.
contra Iudæos c.I. *de Circumcisione* l.3.c.7.5.12.66.
contra Marcion.lib.I.c.XIV. *de duobus Sacramentis &c.* l.4.c.5.& 15. 18.26.75.
contra Marcionem lib.IV.cap.XL. *de verbis Consecrationis* lib.6.c. 6.43.157.
de Corona c.III. *de duobus Sacramentis* l.4.cap.5.5.65.& 15.18.26. 76.
de Corona mil.c.III. *Panis noster* l.7.c.2.52.169.
lib.de Pœnit.pro *Sacram.Pœnit.* l.4.c.16.5.11.95.
Lib.de velandis Virginibus *pro ministro Baptismi* l.5. cap.14.60. 140.
ad vxorem libr.II.de *Matrim.* lib.4.c.32.1.3.133.
ad Vxorem libr. II. *de Eucharistæ reseruatione* l.7.cap.9. 1.9 178.
lib.de Monogamia, *de Matrim.* l.4.c.32.10.113.
libr. de Baptismo, de *aquæ benedictione* expl. l.5. cap. 16. 28. 143
libr. de Baptismo, de *Ministro Baptismi* libr.5.cap.14.44.45.49. 139.
lib.de Baptis.de *imposit.manuum* l.4.c.11.2.42.83.
lib.de Bapt.pro *Chrismate* l.4.c.11.4.&44.45.p.84.
de Orat.c.postremo, *de Euchar.asportanda & priuatim sumenda* l.7.c. 9.1.177.

THARASIVS.

Tharasius Epist. ad Adrianum Papam, Tomo I. Bibliothecæ Sanct. Patrum, de *Ordinat.* l.4.c.26.12.&c.107.

THEODORETVS.

in Cantici cap.I.de *Chrismate* l.4.c.11.3.& 24.84.
in I.ad Tim. V.de *Ordinat.* l.4.c.26.12.&c.107.
Dial. II.cap.IV. & XX. *de Precib.in Euchar. Consecrat.* l. 6.c.7.15. 158.
Dialog. II. cap. IV. & XX. de *Mysteriis & silentio* l. 6. cap.8.33.34. *&c* 161.
Dial.II.pro *Euch.adoratione* l.7.c.254.169.

THEOPHILVS ALEX.

Theophilus Alexandrinus Paschali I, *de Precib.in Euchar.consecratione* l.6.c.7.14.158.

THEOPHYLACT.

in Marci *XIV.* de *Precibus in Euchar. consecratione* luxatus l.6.c.7.17. 21.159.
in Luc.XXIV. de *Pane benedicto &c.* l.9.cap. 2. 23. 26. &c. 231
in Iohan. *VI.* de *Precibus in Eucharist. Consecrat.* l.6. cap.7. 15. 158.
in ad Rom.II.de *Circumcisione* l.3.c.7.4.10.65.
in I.Cor.X.& XI. de *Calicis Euchar.vsu populo licito* l.8.c.9.43.& c.11. 15.17.&c.222.& 28.29.223.
in II.Tim.I.de *Ordinat.* lib.4.c.26.12.*&c.* 107.

V.

VALAFRIDVS.

Valafridus Strabo Ecclesiast.rerum cap. XXII. de *Eucharistiæ communione contra missas priuatas.* vindic. l.7.cap.19.12.24. 25. &c. 196.

VICTOR ANTIOCHENVS.

Victor Antiochenus in Marci *XIV.* de *Precibus in Euchar.Consecratione* l.6.c.7.15.158.

VICTOR VTICEN.

Victor Vticensis de Persecutione Vandalica lib.II.pro *Pœnit, Sacram.* l.4.c.16.6.19.95.

VRBANVS PAPA.

Vrbanus in Decretali, de *Impositione manuum* l. 4. cap. II. 2. 84.
Vrbani Papæ Epist.supposititia l.4.c.11.5.84.

FINIS.

INDEX

RERVM ET VERBORVM
NOTATV DIGNIORVM, QVÆ QVARTO hoc Panstratiæ Catholicæ tomo exponuntur.

A.

Aronis virga lib.2.c.6.13.15.37
Ablutio carnis lib.2.c.8.1.40
Ablutio in Baptismo vsitata l.5.c.2.6.7.116.
Abrahamo non imperatur facinus à Deo iubente filium occidi l.11.c.10.9.321.
Abrenuntiatio in Baptismo vsitata l.5. cap.15.14 141
Absolata dupliciter dici potest promissio l.4.c.19.13.100.
Accidentia in recto & in obliquo quid sint l.10.c.19.8.9.281.
Accidentia non possunt esse proprie corpus Christi l.10. c.19. 9.281.
Acolyti l.4.c.22.3.&c.102
an *Actio* transiens sit pars Sacramenti l.7.c.6.172.
Adami status ante peccatum lib.1.c.7.12.&c.6.
Adoratio Eucharistiæ lib.7.c.1.165.
Æratus potentia vel actu lib.1 c.7.11.6
Ægyptiorum suffocatio in mari rubro cum Baptismi effectu comparatur l.5.c.5.13.14.15.119.
Affirmatiua præcepta non semper obligare, quo sensu verum l.7.c. 15.11.11.189. vide Præcepta.
Alimonia spiritualis in Sacramento significatur cibo & potu, non altero tantum l.8.c.6.18.19.&c.209
Allegoriæ in Scripturis lib.10.c.9.4.5.264
Allegoriæ ineptæ Papistarum in multis Scripturæ locis l. 10. c. 9.5.264
Altare portatile Papist. Sacerdotum l.7.c.13.28.187
ἀναδοχος in Baptismo lib.5 c.15.20.&c.141.
Analogia signorum cum rebus,&c.l.1.c.11.26.12.
an *Ananias*, quum Paulum baptizauit, fuerit laicus l.5.c.14.36.&c. 138
Antichristus mysterium iniquitatis l.1.c.4 14.4
ἀντίτυπα l.1.c.11.32.21
ἀφορίζεσθαι l.9.c.3.33.234.
Applicatio gratiæ in Sacramentis V. Test.&c. l.3.cap.6.7.38.&c. 64
an *Apostoli* Sacerdotes creati sint in Eucharistiæ institutione l.8.c. 4 35.36.206
an Apostolorum autoritas maior sit quam Papæ, an hic illorum dogmata antiquare possit vt vult Vasques l.8.c.8.19.20. &c. 213
Apostolorum successiones lib.8.c.3.32.202.
Aorista temp. Græc. à præteritis distinguenda, quomodo in vulg. versa, sæpe aliter vertenda esse l.6.c.7.2.3.4.&c.157.
Aquam esse elementum Baptismi probatur l.5.c.9.24.124.
Aquæ consecratio in Baptismo l.5.c.16.5.&28.143.
Aquæ vsus in Baptismo per mersionem vel aspersionem l.5.c. 26.116
an Aqua Bapt. Sacramentum dici possit l.7.c.6.7.10.173.
an Aquæ Baptismi efficacia sit inhærens l.2.c.4.13.31
pro Aquæ Baptismi efficacia argumenta Papistica refell. l.c.5. 31
Aqua Baptismi non est causa efficiens effectorum Baptismi l.2.c. 7.39.
Aquam Baptismi nullam habere efficaciam inhærentem, ex Patribus probatur l.2.c.6.8.&c.36.
Aquæ admixtio in Eucharistiæ poculo l.6.c.3.149.
Aqua & sanguis ex aperto Seruatoris latere profluentia quomodo repræsentent Baptismum & Eucharistiam l.4.cap.5. 28. 76.
an *Arbores* vitæ & sententiæ Sacramenta fuerint primis Parentib. l.1.c.7.4 6.
Arbor vitæ fuit Adæ & Heuæ immortalitatis arrhabo l.1.c.7. 3.6.
Arca Noe l.1.c.8.12.6.
Arca fœderis nunquam fuit adorata l.7.c.2.12.166.
Arcus cœlestis in cuius rei monumentum datus Noe & eius posteris l.1.c.7.3.&l.1.c.8.1,&c.&l.2.c.9.4.19.41.
Articulus Græc. ὁ, ἡ, τὸ, seruit etiam vocabulis figuratis l. 10. c. 8. 8.263.
Ascensio Christi repugnat manducationi carnali corporis Christi l.10.c,11.9,267.
Aspersio in Baptismo vsitata l.5.c.2.6.7.116.
Athanasius puer baptizat, an Baptismus eius legitimus & ratus, &c. l.5.c.14.46.&c.139.
Atteri, vide *Corpus*
Audientes pro Catechumenis dicti lib.5.c.15.2.143.
Aut vide *Et*
Autoritas Ecclesiæ in religionis partibus, vide *Ecclesia*
Azymi panis vsus in Eucharistia l.6.c.4.151.

B.

Balsamum an sit essentialis pars materiæ confirmationis l.4. c.7.4.5.78.
Βαπτισμὸς l.5.c.1.5.114
Baptismi nomina l.5.c.1.5.6.114.&l.5.c.1.16.17.146.
Baptismi *definitio* l.5.c.1.8.9.115.
Baptismus triplex, fluminis, flaminis & sanguinis l.5.c.8.5.6. &c. 122. singulorum necessitas ibid.
Baptismi materia siue elementa, aqua l.5.c.2.1.2.&c.115.&l.5.c.9. 24.114.
an Baptismi aqua sacramentum dici possit l.7.c.6.7.10. 172
Baptismi mersio vna vel trina l.5.c.2.6.7.&c.116.
Baptismi forma l.5.c.2.5.&c.116.
Baptismi personæ, in Baptismo tum agentes tum patientes l.5. c.11.1.&c.129.
Baptismi *ministeri* legitimus quis sit l.5.c.14.&c.136.
an Baptizare liceat Laicis l.5.c.14.ibi.
Baptizantes Laici l.5.c.14.44.49.&c.139.&c. qui mos refellitur ibid.
an baptizare liceat mulieribus l.5.c.14.6.&c. 136 & 47.139
Baptisma priuata à persona collatum nullam vim habet l.5.c.14. 8.137
Baptismi *ritus legitimi* l.5.c.15.140
Catechismus l.5.c.5.2.3.ibid.
Nominis impositio vel professio l.5.c.16.7.&c. 141.
Scrutinium 13. ibid.
Abrenuntiatio 14. ibid.
Fidei professio &c. 16. ibid.
Susceptorum fideiussio &c.20.142.
Baptismi *ritus alieni* l.5.c.16. ibid. tempora Baptismo destinata
Paschæ & Pentecostes Sabbatha 2. ibid.
Aquæ consecratio 5. ibid.
Signum crucis 6. ibid.
Exorcismus 8. ibid.
Sal 11.143
Saliua 12. ibid.
Manuum impositio 13. ibid.
Vnctio 14. ibid.
Abstinentia vini &c. ante baptismum 16. ibid.
Osculum post baptismum 17.143.
Cerei accensi 8. ibid.
Vestis candida 19. ibid.
Bapt. ritus obsoleti l.5.c.16.21. ibid.
Baptismi *efficacia* l.2.c.3.&c.&c.6.35.
Baptismi aqua nullam inhærentem habet efficaciam l.2.c.4.13.31
Baptismi efficaciam esse moralem non physicam, esse adsitam non insitam aquæ signo, restantur Patres l.2.c.6.8.&c.36.
pro Baptismi efficacia inhærente ex Patribus à Bellarmino citata loca exp. lib.2.c.6.12.&c.37.

Baptil-

Baptiſmum aquæ non eſſe cauſam efficientem effectorum Baptiſmi l.2,c.7,2,39
de Baptiſmi *effectu* calumniæ Papiſt. diluuntur l.5,c.3.116
Sententia Papiſtarum l.5,c.4,2,3,117
Catholicorum l.5,c.4,1,8,9,118
Controuerſia l.5,c.5,&c.ib.
de Baptiſmi effectu præſenti c.4,7,8,&c.c.5,1,&c.ib.
de effectu in futurum c.6,120
Baptiſmo dari gratiam, quomodo intelligendum l.2,c.6.23.38
in Baptiſmo remedium peccati originalis l.5,c.9,51.&c.125
in Baptiſmo obſignatur remiſſio peccatorum &c. l.5,c.4.12. &c.117
quomodo per Baptiſmum demittantur admiſſa poſt Baptiſmum peccata l.5,c.6,120,&c.7,121
per Baptiſmum quæ pœnæ ſublatæ & quomodo l.5,c.4.3.4.117
in Baptiſmo regeneratio l.5.c,5,25,26,120
vide Sanctificatio
in Baptiſmo cordis purificationem fieri per fidem, non per ſacramenta ipſa l.2,c,7,21,40
quomodo per Baptiſmum Mortis Chriſti ſimilitudo in nobis exprimatur &c. l.5,c.5,22,23,119.&c.6,7,120
Baptiſmo hominem ſaluari, quo ſenſu verum l.2,c,3,35,30
in Baptiſmo ſalus l.5,c,6.9,10,&c.120
de Baptiſmi *neceſſitate* controuerſia tractatur l.5,c,8,&c.122
Baptiſmus infantium l.5.c.9,30,31,125.&l,5.c.11.1.&c.129
Baptiſma infantium an verbo noto, clare enuntiato ſit celebrandum l.1.c.17.18.&c.18.20
pro Baptiſmo Prophetiæ l.2.c.4.1.&c.30.
Baptiſmi figuræ ſeu typi l.2.c.4.2.ib.
Baptiſmi typi cum ipſo conferuntur l.5.c.5.13.&c.118
Baptiſmi cum mari rubro collatio .5.c.5.13.14.15.ib.
cum Baptiſmo confertur Naamanis mundatio à lepra l.5,c,5. 13.14.15.ib.
Baptiſmus Chriſti, vide *Chriſti* Baptiſmus
Baptiſmus *Ioannis* l.2.c.3.3 28
Baptiſmus *Ioan.* cur Ioan. dicatur &c. l.5.c.13.2.3.&c.133
Baptiſmus Ioannis non pendet ab ipſo tanquam authore, ſed tãquam Miniſtro lib.5.c.13,7,133
in Baptiſmo *Ioannis*, Trinitatis inuocatio l.5.c.13.10.11.&c.ib.
an Baptiſmus Ioannis re differat à Baptiſmo Chriſti l.5.c.12 &c.130
Baptiſmi Chriſti & Ioannis effectum immediatum remiſſio peccatorum l.5.c,12.13,20,131
Baptiſma *pœnitentiæ* quid ſignif. l.5.c.12.16.&c.ib.
poſt Baptiſmum pœnitentia l.5.c.7.121
Baptiſmi & pœnit. comparatio l.4.c.16.11,12,95
Baptiſmi & Circumciſionis eadem ratio l.2,c.9.58.&c.44
Baptiſmi & Circumciſionis comparatio l.5.c.5.13.14.15.118
Baptiſmi & Euchariſtiæ, ſimilitudo ac diſſimilitudo lib.7.c. 6.172.&c.&c.10.19.20.181
Baptiſmi & S. Cœnæ inſtitutio ſimilis l.11.c.5,1,295
Baptizare in nomine Domini l.8.c.2.13.199
Baptiſma Clinicorum l.5.c.16.3.242
Baptiſmus extra Eccleſiam non prodeſt l,3.c.5.10.62
Baptiſmus Pauli quo anno contigerit l.5.c.14.33.36.&c.138
Benedictio aquæ in Baptiſmo l.5,c,16.5,141 & 28.143
an Benedictio in S. Cœna idem ſit quod Conſecratio & Gratiarũ actio lib.6.c.6.7.&c.155
Beſtias non communicare Sacramentis, cum ſignorum elementa vſurpant l.3.c.2.44.58
Bibendi in Euchar. præceptum libr.8.c,3.200. & cæt.
Bibite ex hoc omnes, quomodo intelligendum l.8.c,3.1.201
Bruta vide Beſtiæ

C.

Καὶ exegetice l.3.c.9.43.45.125
Vide *Et* ac Copulatiua
Calicis Euchar. diſtributio lib.8.c.1.8.&c.197
Vide Synopſim lib.8
Calicis neceſſitas l.8.c.5.13.207
in Calicis Euchar. vſu, peccatorum remiſſio obſignatur l.8 c.5.3.4.&c.ib.
Calicis Euchariſt. populo diſtribuendi conſuetudo ab Eccleſiæ Chriſtianæ primordijs per duodecim ſecula integra ſeruata l.8.c.9 & 10.214
de Calicis communione controuerſiæ origo &c. l.8.c.5.13.207
an Calicem populo eripere licuerit Eccleſiæ Romanæ l.9.c.5. 238
Calicis interdicendi rationes l.9.c.12.250
Calicis interdicendi cauſæ quinque expenduntur l.9.c.12, 17.150
Calix non interdicendus, etſi mali per accidens cauſa eſſet l.9. c.12.24.25.&c.251
an Calix interdictus propter hæreſes,&c. l.9.c.12.15.250
ex Calicis communione nullæ hæreſes, nulla incommoda l.9. c.12.23.&36.&c.351
an Calicis interdicendi legitima cauſa ſit vini penuria l.9.c.12. 19,&44.252
an Calicis interdicendi cauſa legitima fuerit irreuerentia l.9.c, 12.16.250
refellitur l.9.c.12.36.251
ex Calicis communione plus boni quam mali oriri l.9.c.12.13.ib.
Calicis interdictio plura & maiora habet incommoda, quam conceſſio l.9.c.12.41.252
Κάμνειν l.4.c.18.22.24.&c.98
Capernaitarum cogitatio de lanianda carne Chriſti bifariam intelligi poteſt lib.11.c.10.51.319
cur Capernaitis dura Chriſti verba l.11.c.10.43.44.45.318
Caro Chriſti bis data, ſed diuerſo modo lib.11 c.6.63.302
an Caro Chriſti abſolute inutilis dici poſſit l.11.c.10.19.20.317
Catechiſmus Catechumenorum &c. l.5.c.25.2.&c.140
Catechumeni l.5.c.15.2.&c.ib.
Catechumeni qui ante Baptiſmum in gratia l.5.c.10.12.128 14.& 127
Catechumenis &c. olim celata multa fidei myſteria &c. l.6.c. 8,20,21.&c.160
Catechumenos &c. olim à Sacramentis &c. myſterijs excluſos l.6.c.8.32.&c.160
Καθαίρεσις l.9.c.3.33 234
Catharorum hæreſis l.4,c.12.6 88
Cauſæ per accidens l.2.c.2.13.14.28
Sacramenta non eſſe cauſſas per accidens ib.
Celebratio Sacramentorum l.1.c.13.14
Celebratio Euchariſtiæ illegitima abſque communicantibus, vide Euchariſtia
Cerei in Baptiſmo l.5.c.16.16.143
Ceremoniæ Sacramentales &c. l.1.c.10.10
Ceremonia & Sacramentum non ſunt idem l.4.c,25.5.106
de *Charactere* Sacramentali l.2.c.12.46
Character quodnam ſit qualitatis genus lib.2.c.12.13.47
Character in quo conſiſtat l.2.c.12.11.47
an Character & gratia differant lib.2.c.12.9 47
Character circumciſionis l.2.c.13.8.48
Χειροτονία l.4.c.24.16.17.104
Χειροτονεῖν l.4.c 24,16,17.ib.
Chriſti incarnatio magnum myſterium li.1.c.5.5,5
an *Chriſti Baptiſmus* differat à Baptiſmo Ioann. l.5.c.12.&c.130
Chriſti Baptiſmus quo Chriſtus à Ioanne baptizatus l.5.c.12.28
Chriſti commemoratio c.6,2.&c.209
Chriſtum accepiſſe in Euchariſtia ſignum, non ſuum corpus carnaliter l.11.c.17 5.331
Chriſti exemplum quomodo imitandum lib.8.c.7.211
Chriſti manſio in nobis &c. l.11.c.9.114.315
vide Manſio
Chriſti mors v. Mors
Chriſti & Eccleſiæ vnio quomodo ſignificetur matrimonio l. 4,c.30.10.&c.113
Chriſtiani à Chriſto non à chriſmate dicti l.5.c.16.29,144
Cibi corporalis & ſpiritualis per anagogem nexus l.11.c.5.36,297
de Cibo in ſeceſſum l.11.c.16.330
Circunciſio ſignum l.2.c.9.5.&11.41
Circunciſionem fuiſſe ſignum & ſigillum l.2.c.9.54.44
Circumciſio eſt fœderis ſignum lib.10.c.7.41.261
Circumciſionis efficacia &c. l.3.c.2,58
Circumciſionis vtilitas vnde l.3.c.6.21 63
an Circumciſionis priuatio damnarit infantes ante octauum d ẽ mortuos &c. l.5.c.10.29.128
an circumciſio inter bona opera cenſenda lib.3.c.7.8.66
Circumciſionis & Baptiſmi comparatio l.2.c.9.59.44.&l.5.c. 5.13.14,15.118
Clericis peccantibus olim impoſitæ pœnæ l.9.c.3.33.234
Clericorum depoſitio l 9.c.3.33.ib.
Clinicorum Baptiſma l.5.c.16.3.142

an *Coa-*

an *Coactio* omnis excuſet peccata &c. l.5.c.14 21.137
Coaleſcere cum Chriſto &c. non eſſe effectum momentaneum l.5.c.5.24.120
Cœnæ nomen l.6.c.1.9.&c.145
Cœna Chriſti duplex vel triplex ab Euangeliſtis deſcripta l.8.c.6.21.210
S. Cœna eſt conuiuium integrum conſtans cibo &potu l.8. c.6 8.9.&c.209
Cœnæ &Baptiſmi inſtitutionis ſimilitudo l.11.c.5.1.294.& 42.43.298
an Cœnæ verba recitatiue aut ſignificatiue vſurpentur l.10. c.8.11.280
de verbis Cœnæ diſſenſio inter Papiſtas l.10.c.18.10.11, 280
an Cœnæ ſacramentum inſtituatur *Ioann.6.* l.11.c.4.290
de S. Cœna vide *Euchariſtia*
Κοινωνία pro Euchariſtia l.7.c.15.21.191
Κολυμβήθρα l.4.c.11.6.84
Comedendi duplex ratio l.10.c.23.17.288
Comedere proprie & impropriè l.10.c.23.17.ibid.
Comedere corpus Chriſti non eſt actio corporalis, etſi comedere abſolute ſit actio corporalis l.11.c.6.4.298
vide Manducare
an *Commemoratio* & ſignificatio differant l.8.c.6.5.209
Commemoratio Chriſti in Euchariſtia ad quem pertineat l.8.c.6.13.ibid.
Commemoratio mortis, vide Mortis &c.
Communicatio Euchariſtiæ, contra miſſas priuatas l.7.c.12.13 &c.88
in Communicando quæ ſint Paſtorum prærogatiuæ l.9,c. 12,13.250
Communicatio duplex, ſpiritualis & corporalis l. 11,c.7, 22,303
Communio Euchariſtiæ quotidiana li.7,c12,7,185
Communionis ratio in Euchariſtia quæ l.7,c.12.5.184
Communio integra Scripturæ non aduerſatur l.9,c,11. 247
Communionis ſub vtraque ſpecie antiquitas l.8.c.9,1,22
Communioni ſub vtraque ſpecie Patres ſuffragantur l.9,c. 10,48.247
Communioni in ſpecie vini ſuffragatur Patrum ſententia l.9,c,11,12,&c.248
Communio ſub vtraque ſpecie à doctoribus approbata l.8,c. 11,1,269
ex Communione Calicis nullæ hæreſes, nulla incommoda oriuntur remedijs carentia l.9,c.12,32,251
ex Communione Calicis plus boni quam mali oriri l.9,c. 12.31,ibid.
an ex Communione ſub vtraque ſpecie inferatur ſanctior vita l.9,c.10,45,247
Communio vtriuſque ſpeciei in plebe valuit per ſecula duodecim l.9,c.12,1,250
pro Communione ſub vna ſpecie argum. Pap. refelluntur l.9,c.10,33.&c.246
de Communione Euchar. ſub vtraque ſpecie, vide Synopſim lib. 8,&c.197
Communio *Laica* ſeu potius Laicorum l.9,c.3,21,233
Communio ſpiritualis l.11,c.7,26.303
Competentes l.5,c.15,4,140
Concilia vide Indicem Patrum &c.
Conciliabuli Conſtantienſis autoritas l.9,c.3.15,&c.239
Conciliabuli Baſileenſis autoritas l.9.c.5,15,&c.ibid.
Concomitantia in Euchariſtia l.9,c.8,240
Confirmationis nomina l.4.c.7, 11,78
Confirmationis vſus l.4,c.7,8,78
Confirmationis vſus apud Patres lib.4,c,11, 83
an Confirmatio Apoſtolorum reſpondeat Baptiſmo l.4.c. 11,10,85
Confirmatio in Baptiſmo l.4.c.11,31,86
Confirmatio Sacramentum dicta &c. l.4,c.4.3 &c.74
Confirmationis Pap. definitio l.4,c.7,77
Inſtitutio ementita l.4,c.8,78
Inſtitutionem eius non eſſe in Scripturis l.4,c.9,80,&c. 10,81
Confirmationis materia l.4,c.7.3.78
Confirmationis forma l.4 c.7,6,78
Confirmationis Miniſter l.4,c.7, 1.78
Confirmationis Miniſtrum olim fuiſſe etiam Presbyterum l.4.c.11,41,86
an Confirmationis eſſentiale ſit oleum l.4,c,7,4.5.78
Confirmationis effectum quodnam l.4.c.7,7,ibid.
Coniugium vide Matrimonium
Conſcientiæ bonæ interrogatio, quid l.b.2,c.8,5,&c.40
an *Conſecratio* à ſanctificatione differat l.9,c.3.49.51,&c.235
Conſecratio vſum Sacramenti includit lib.7,c.7,47,3 174
Conſecratio aquæ in Baptiſmo l.5,c.16,5,&28 143
Conſecratio Euchariſt. eſt in tota Chriſti inſtitutione l.6, c.5,11,153
an Conſecratio ſit ipſa Sacramenti forma in Euchariſt. &c. l.6,c.5,11.ibid.
Conſecratio Elementorum in Euchariſtia quid &c. l.6,c.5 3,152
Conſecrationis verba l.1.c.15.16
Conſecrationis verba in Euchariſtia quæ l.6,c.5.6.152. & c. 6,154
an Conſecratio in Euchariſt. ſit idem quod Benedictio & Gratiarum actio l.6,c,6.7.&c. 154
Conſecratio non eſt in ſolis verbis l.6,c.6 4 ibid.
Conſecrationis Euchar. verba vnde petita, an à ſolo Paulo l.6,c.5,14,15.153
de Conſecrationis pronuntiatione ſubmiſſa voce l.6,c.8, 159
in Conſecratione & cæteris myſterijs olim ſilentium obſeruatũ apud quos li.6,c.8.20,&c.160
de Conſecrationis Euchariſt. verbis &c. variæ Papiſtarum opiniones l.6,c.5.5.152
Conſequentijs fides probari poteſt lib.10.c,10,3.266
Conſeruatio reliquiarum Euchariſtiæ l.7,c.10.31.181. vide Euchariſt. reſeruat.
Conſuetudo quid ſit l.8,c.10.3.219.&18,220.&20, 220
Conſuetudo Eccleſiæ laudabilis &c. non violanda l.8.c 10,1,&c.219,&c.&l 9.c.1,13,&c.229
Conſuetudo calicis Euchariſtici populo diſtribuendi ab Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis per duodecim ſecula integra ſeruata l.8.c.9,& 10.214.& 219
Conſuetudinem vitioſam non ſequendam l.7,c.9,12, 14,178
Copulatiua particula pro diſiunctiua, quando ſumatur & viciſſim l.8.c.5,18,24.25.&c.208.&c.8,22,23,34.213
Cordis purificatio. vide Purif. cordis
Corporis diuiſio l.11,c.8,12,205
de Corpore Chriſti errores diuerſorum contrarij l. 10,c.5, 3 257
Corpus Chriſti quid in Euchar. verbis l.10,c.3,4.254
Corporis Chriſti præſentia in Euchar. ex Catholicorum ſententia l. 0,6,114,253
ex Papiſtarum opinione ibid.5.&c.
Corporis Chriſti *manducationem* omnibus neceſſariam l.11 c.14,10.&c.326
Corporis Chriſti manducatio fuit ab omni tempore l.11.c. 5.19.296
Corporis Chriſti manducatio ſpiritualis ib.
Corpus Chriſti manducari in pane quomodo intelligendum l.11,c.7 31.304
Corpus Chriſti indigne edit nemo l.11.c.7,19.ibid.
Corpus Chriſti manducare, figurate ſumi conſtat ex adiunctis l.11.c.6.5.298
Corporis Chriſti manducatio *carnalis* inutilis l.11,c.10,316
de Corpore ipſo Chriſti corporaliter non manducando l.11,c.19,332
Corpus Chriſti non comedi vt olim hoſtia l.11.c.7. 33.304
Corpus Chriſti eodem modo quo comedebatur manna, non edi l.11,c.6 22.299
Corpus Chriſti fieri, & participare carnem eius corporaliter, differunt l.11.c.8.15,16,305
Corpus Chriſti ſimus in Baptiſmo abſque participatione carnali l.11,c 8,16,305
Corporis Chriſti ſubſtantiam noſtræ corporaliter non vniri l.11.c.12,19,21,325
Corporalem manducationem ex Patribus non aſtrui 9.307
Imo deſtrui l.11.c.9.10.&c.308

Corpus Christi non esse cibum dentis aut ventris, probatur ex Patribus l.11.c.18.2.331
Corporis Christi manducationem carnalem esse absurdam l. 11,c.16,&c.330
Corpus Christi in Euchar.tangi & videri,sed tamen inuisibiliter edi vult Bell. l.11,c.11.27.322
Corpus Christi carnaliter manducari non potest cum in cœlum ascenderit l.11.c.12.9.324
Corporis Christi carnalem manducationem esse cibum dentis, non animæ l.11.c.18.331
Corpus Christi si carnaliter manducetur abire in ventrem & inde in secessum lib.11 c.16.1,330
Corpus Christi non sumi à nostro corpore siue corporaliter,siue naturaliter,probatur argumentis ex Hilario & Cyrillo desumptis l.11 c.9.118.&c.315
an Corpus Christi manducatum ab Apostolis mortale vel immortale l.11.c.19,11.333
Corpus Christi atteri & non atteri dentibus atteri leuiter & fortius,dicitur à Papisticis diuersis lib.11.c.2.7.&9,&l.11.c.2.11,291
Corpus Christi per vomitum posse eiici affirmat Bonauentura &c. l.11,c.2.15.291
d: Corpore Christi in ventrem iniecto diuersæ Papistarum sententiæ l.11.c.2,12.13.290
Corpus Christi manducationem habere effectum necessarium l.11,c.15.329
an Corpus Christi repræsentetur manna l.11.c.6,15.299
Corpus Christi comedi etiam sine sacramento l.11.c.5.27,297
Corporalia multa,quæ corporaliter non eduntur l.11.c.7.13.303
Corporalis vnio vide Vnio
Crucis signum in Baptismo &c. l.5.c.16.6.142.&30,143

D.

Δὶ part.vsus l.5,c.13.59.&c.136
Decretales primorum Pontificum R.qua lingua scriptæ l.6.c.2, 25,149
Definitio Sacramenti lib.1.c.1.11,&c.2.3.2
Definitio Sacramenti generalis quæ l.4.c.6,7,77
Dei odium in peccata vide Odium Dei
Dei iudicium vide Iudicium Dei
Δεῖπνον κυριακὸν an Sacramentum Eucharistiæ significet l.6.c. 1.8.19.20,21,22,23,&c.146
Delere peccata quid sit l.5.c.55,118
Dentibus non atteri corpus Christi vide Corpus
Depositio Clericorum l.9.c.3,33,234
Διὰ de instrumento &c. l,2,c.3,23.29
Diaconi l.4,c.22.3,&c.
Δικαίωμα l.1,c.3.4.3
Disiunctiua vide Copulatiua
Diuortij prohibitio an sit ob rationem Sacramenti in matrimonio l.4.c.31,2,3.&c.113
Docere quid & cuius sit l.5.c.14,31.138
Doctores Ecclesiæ quidam Laici l.5.c.14.31.ibid.
Dogma quid sit l.10.c.15.71.274
de *Duobus* Sacramentis proprie dictis Patrum testimonia l.4.c. 5.4.&c.75

E.

Ecclesia vnio cum Christo quomodo in matrimonio significetur lib.4.c.30.10.&c.112
an ad Ecclesiam pertineant omnes qui saluantur l.5.c.9.63.125
an Ecclesiæ legibus debeatur obsequium &c. l,5.c.3.12.&c.117
Ecclesiæ autoritas in religionis partibus,an Ecclesiæ Romanæ licuerit Eucharistiæ communionem mutilare,calicem populo eripere l.9,c.5.238
Ecclesiæ laudabilis &c.consuetudo non violanda l.8.c.10.1.&c. 219.&l.9.c.1.13,&c.229
Ecclesiæ Græcorum in Eucharistiæ celebratione pane vtuntur fermentato l.6.c.4.2.151
Ecclesiæ doctores vide Doctores
Effecta Baptismi vide Baptismum
Efficacia sacrificiorum sub Vet.Test. l.3.c.4 61
Efficacia Sacramentorum l.2,c.1.1.25
Efficaciam Sacramenta non habent ex seipsis l.3.c.6.36.64
Efficacia Sacrament. Vet. Test. l.3.c.1.54
Efficacia Circumcisionis l.3.c.3.58
Efficacia Baptismi lib.2.c.3.&c.6.36
Efficientia Spiritus,& elementi disparata l.2.c.10 44
Ἐγείρων l.4.c.18.22.23.98
Electi,pro Catechumenis dicti l.5.c.15.6.146
Elementa Sacramentorum sunt res naturales l.6.c.5.3.152
Elementi & Spiritus efficaciam disparari apud Veteres l.2.c. 10,44
Elementorum Euch.consecratio l.6.c.5.152
Eleuatio serpentis æneiI l.7.c.2.32,167
Eleuatio in Vet. Test. Sacrificijs an sit argumentum adorandæ Eucharistiæ vide Sacrificium
Eleuatio Eucharistiæ an adorationis argumentum,an antiquus sit mos l.7,c.2,15,16,&c.166
Ἐπὶ τῇ καθαρσίᾳ quomodo explicandum l.4,c.14.§.19.89
Ἐπόπτων l.9.c.11,34.&c.249.&l.9.c.11.42 249
EST,aliud absolutum,aliud medium inter subiectum & prædicatum l.10,c.4.1.255
EST sumi aliquando pro *significat* l.10.c.7 5.259
an EST possit esse tropicum l.10.c.7,259
Est,aliud proprium,aliud figuratum l.10.c.4.2.256
EST in Eucharistia quid signif. l.10.c.4.ib.
EST.in Cœna non ponit pro futurum esse,aut fieri,mutatiue l.10.c,17,278
Est,varie significare apud Papistas l,10,c.17,7,ib.
an Est in *Hoc est corpus meum*,sit figuratum nec ne l.10,c.8.262
Est Euchar.esse tropicum probatur similibus loquendi formulis l.10,c.7,28 260
Est figuratè sumi etiam apud Pontificios l.10,c.7,6,&c.259
an EST,sit transubstantiari,vt sumitur à Papistis l.10.c.17,6.278
Est Euch.non esse tropicum probantes Bel.rationes soluuntur l.10.c.7,259
Et copula quid sæpe importet l.8,c.5,25,203
Et coniunctio exegetice accepta l,5,c.9,43,45,125
Et coniunctio relata ad remotiora li.5.c.13,57,136
Et quando pro *Aut* sumatur & vicissim *Aut* pro *Et* l.8,c.5,18,24,25 &c.208,&c.8.22.23,24,214
Euangelizare quid sit l.4,c.15,39.93
Euangelium Ioannis tractare de præteritis ab alijs Euangelistis l.11.c.4,2,6,292
Εὐχαριστῖν in communi conuiuio vsitatum l.9,c.2.6,&c.220
an Εὐχαριστῖν in S.Cœna sign.ipsam consecrationem,an idem cum εὐλογεῖν l.6.c.6.7.8,&c.155
Εὐχαριστήσας l.6,c.7,2,3,4,157
Eucharistiæ nomen l.6 c.1,145
Eucharistia quid sit l.1,c.5,5,5
Eucharistiæ definitio apud Catholicos l,10,c.1.4.253
Eucharistiæ duplex significatio apud Bell. l.9,c.9.243
Eucharistiæ inepta distinctio in Sacramentum tantum, Sacramentum & rem,& rem tantum lib.10.c.19,8 281
Eucharistiæ Materia seu Elementa l.6,c.3,149 &l.7,c.10. 16, 181
Eucharistiæ materiam & formam non esse species sine subiecto l.7,c.10,17,181
in Eucharistiæ celebratione pane fermentato vti Ecclesias Græcorum l.6,c.4,2.151
Eucharistiæ institutio est præceptum l.8.c.8,8,213
Eucharistiæ institutionem vnde repetant Catholici,an à solo Paulo l.6,c.5,14,15.&c.153
an Eucharistia instituta ad significandam personam Christi vnitatem l.9,c.12,33,155
in Eucharistia mortis Christi memoria l.7,c.13,25,&c.186
in Eucharistia Testamentum Domini l.8,c.6,34,35,&c. 210
de Eucharisticis verbis consensus Ecclesiæ l.10 c.15,270
de Eucharisticis verbis status controuersiæ inter Catholicos & Pontificios lib.10,c.6,9,10,258
Eucharistiæ verba quomodo interpretanda l.10,c.9,264
Eucharistiæ communicatio contra missas priuatas l.7,c.12,&c.88
Eucharistiæ & Baptismi similitudo ac dissimilitudo l.7,c.6,172 &c.10,19,20,181
an in Eucharistia locum habeat concomitantia l.9.c.8,240
an in Eucharistia,panis aut vini elementum totum Christum cõtineat l.9.c.8,240
an vna species sit Eucharistia lib,9.c.9.6,&c.
an Eucharistiæ communionem mutilare licuerit Romanæ Ecclesiæ Romanæ l.9.c.5.238
an Eucharistiæ natura excludat omnem tropum à verbis Eucharisticis l.10.c.15.270
Eucharistiam olim fidelibus in manus traditam & tradendam l.7,c.20,196

Eucharistiæ eleuatio non facit adorationem l.7.c.2.16.166
Eucharistiæ adoratio l.7.c.1.&c.165
vide Synopsim lib. VII.
Eucharistiæ adorandæ argumentum non est eleuatio in Ver. Testam. sacrificijs vsurpata lib.7.c.2.31.167
Eucharistiæ à Papistis delata latria damnatur l.7.c.3.14.&c.170
Eucharistiæ reseruatio l.7.c.4.&c.6.171.c.10.180.& lib. 9.181. &c.3.8.&c.184
Eucharistiæ Papist. reseruationi repugnat Patrum sententia l.7.c.10.29.181
Eucharistiæ reliquiæ olim pueris tradi vel aliter consumi solitæ l.7.c.10.31.32.33.& c.181.&c.&46.182
Eucharistiæ fructum non ex visu, vt vult Bell. sed ex manducatione percipi li.9.c.10,14.& 15.245
Eucharistiæ panis differt à pane turbæ in deserto exhibito per discipulos l.11.c.5.8,248
Eucharistiæ vinum immoderate sumptum inebriare l.7.c.16.11 190
an Εὐλογεῖν in S. Cœna significet consecrationem: an idem cum Εὐχαριστεῖν &c. l.6.c.6.7.8.&c. 155
Εὐλογήσας, l.6.c.7,2.3,4.157
Eulogia l.7,c.19.6.194
Exempli & institutionis Christi discrimen l.8.c.2.22,23.200
Exemplum Christi in quibus, & quomodo imitandum l.8,c.7 212
Exorcismus in Baptismo l.5.c.16.8,142
Exorcista l.4.c.22.3.&c.102
Exorcistas non esse in ordinibus Ecclesiæ, quinam olim fuerint &c. l.5,c.16.43.44,&c.144
Exsufflatio in Baptismo l.5.c.16.8.&c.142
passim eo capite potiss. 42,43,144.
Extrema vnctio Papist. quid sit lib.4.c.17,96
Extrema vnctio Sacramentum dicta l.4.c.4.5.&c. vide *Vnctio*

F.

Fermentum an sit panis corruptio l.6.c.4.24.26.&c.152
Fermentum Innocentio I. quid dicatur l.4.c.21,17,102
Fides quomodo necessaria vt impleantur Dei promissiones l.3, c.6.45.46,47,65
Fidei certitudinis duplex ratio lib.10.c.10,3.266
Fidei in Baptismo excitatæ effecta l.2.c.6.48.38
Fidei professio in Baptismo olim vsitata l.5.c.15,16,141
Fideiussores in Baptismo lib.5.c.15.20,&c.ib.
Fidelium filij, vide Filij fidelium
Figuræ legales erant typi, non typorum, sed Christi l.9.c.11.13, &c. 248
Figuræ seu typi Baptismi l.2.c.4.2.30
Figurata locutio vnum tantum habet legitimum sensum l.10.c. 12,18,19 268
Figura omnis sermonem non obscurat l.10,c.15.10.12.271
Figuræ ex se cognoscuntur, nec egent qui indicet l.10.c.10.6.266
Figuræ non semper addi aliquid vnde constet figuram esse l.10.c.9.15,265
an omnis loquutio Figurata à Christo Apostolis explanata l.10, c.15.55.274
Figuris vsum esse Christum apud Imperitos l.10.c.15.45.273
Figuris etiam vti Legislatores l.10.c.15.60.&c.274
Figuris non esse necesse carere testamentum morientis l.10.c. 15.82,275
an figura insolita sit obscura lib.10.c.15.14.271
omnis Figurata loquutio non est incerta l.10.c.12.§.16.268
Figurate loquens non est author erroris eorum qui errant in intelligenda figura l.10.c.12.12.ib.
Figuratus sensus quid l.10.c.6.14.259
Figuram esse in verbis Cœnæ probatur l.10.c.16,271
Figura siue tropus verborum Eucharistiæ probatur argumentis ex Patribus l.10.c.24.288
Figurarum tria genera in Cœna, teste Sanctesio l.10.c. 15.84.275
contra Figuratam loquutionem in verbis Euch. aduersariorum argumenta ex ipso textu expenduntur li.10.c.9.11.&c.264
ratiunculæ l.10.c.15.270
Figurarum abolitionem non abolere figuram in verbis Euchar. Christi lib.10.c.13.269
an Figuram esse in verbis Euch. ex locis comparatis probari possit l.10.c.10.265
Figura in verbis Cœnæ quomodo inusitata l.10.c.15.15.271
Figuram esse in verbis Christi Ioh. 6. constare ex dictis aduersariorum l.11.c.6.6.58. ex sensu, ib.

Filij fidelium sancti li.5.c.10.19.&c.28 &39.&c.128
Filios iræ esse natura, qui sancti per fœderis gratiã l.5.c.10.40,128
Filiorum ex fidelibus natorum sanctitas l.5.c.10.49.&c. 129
Finis mediatus & immediatus l.2.c.4.14.41
Flagitia etiam cum mysterio non imperat Deus l.11.c.11.6.321
Flaminis Baptismus l.5.c.8.56.122 eius necessitas ib.
Fluminis Baptismus l.5.c.8.5.6.ib. eius necessitas, ib.
Fœdus Dei erga homines delet peccatum & confert gratiam l.6.c.3.7.58
Fœdus Dei complecti promissiones vitæ æternæ &c. l.3,c.3.9. 10.11.12.13.&c.57
Fœdus Dei cum parentibus complectitur etiam infantes nondũ baptizatos &c. l.5.c.10,16.127
Fœdus Dei cum Abrahamo continuisse promissiones spirituales lib.5.c.10.20.21.&c.ib.
Fœdus Domini in Eucharistia l.8 c.6.34.35.&c.210
Forma Sacramenti Euchar. disting. consecratione l.6.c.5.11.153
Fractio in Euchar. quid significet &c. an sit Sacramenti pars l.7. c.6,19.173
Fractio panis l.9.c.2.2.&c.229. &34. 231
Fractio panis in Euchar. necessaria lib.7.c.11,183
Funiculus coccineus Rahab l.1.c.12.18.13

G.

Gratia Dei causa salutis &c. l.5.c.9.57.&c.&c.10.6, 7. &c, 126
Gratia præueniens quid sit l.5.c.9.58.ib.
Gratia Sacramentis significata l.1.c.12.13
Gratiam iustificante m Sacramentis significari &c. l.4,c.24.13. 104
Gratia eadem alio modo Sacramentis confertur, quam Euangelio l.2.c.5.7.31,& 15.32
Gratia Dei sine Sacramentis efficax l.5.c.10.37.128
Gratiæ applicatio in Sacramentis Vet. Test. &c. l.3.c.6.37.38.&c. 68
Gratiam dari in Baptismo, quomodo intelligendum l.2,c.6. 32.38
Gratiam quæ in ordinatione confertur esse χάρισμα &c. l.4.c. 26,17.18.&c.108
Gratiarum actio in communi conuiuio l.9.c.2.6.&c. 229
an Gratiarum actio Christi in S. Cœna sit idem quod benedictio & consecratio lib.6.c.6.7.&c.154
Græcorum Ecclesiam vti pane fermentato in Eucharistia l.6,c.4, 2.151

H.

Hæreses non natas ex communione Calicis l.9.12,15.&c. 259
חק & חקק l.1.c.3,2.3.&c.3.
Hic, hæc, hoc. pronomen non semper genere concordare cum nomine quod refert l.10.c.22,21,&c. 286
Hoc etiam de re præsenti, masculina vel fœminina dici l.10.c, 22. 24.286
de *Hoc* in Eucharistiæ institutione lib.10.c,3.254
vtrum *Hoc*, in verbis, *hoc est corpus, &c.* nihil significet l.10.c, 18.8.279
an *Hoc*, sit adiectiuum lib,10.c.3.14.255
Hoc, adiectiue non vsurpari l.10.c.20.8.&c.286
Hoc, substantiuari à multis Papist. l.10.c.22.14.&c. ibid.
an *Hoc*, vagum quid notet lib.10.c.20.5.&c.281
an *Hoc*, demonstret tantum in communi substantiam l.10. c.21.25.284
Hoc, non designare accidentia panis l.10.c.3.11.&c.19.281
Hoc, Eucharisticum sex modis explicari à Pontific. l.10.c.10. &c.257
an *Hoc*, demonstret corpus Christi l.10.c.3.13.255
Hoc, pertinere ad præcedentia, non ad sequentia l.10.c.21.7 &c.284
Hoc, non esse hunc panem, disputant Papistæ l.10.c.22.285
Hoc, esse hunc panem, probatur ex alijs Scripturæ locis, & ex Patribus l.10.c.23.287
Hoc, etsi neutrum referri ad panem l.10.c.22.8.285
Hoc, esse hunc panem probatur ex institutionis textu l.10. c.21,283 & ex autoritate aduersariorum 10
an *Hoc*, referatur ad panem & ad corpus simul l.10.c.3. 20. 256
Verborum, *Hoc est corpus meum*, expositiones variæ l.10.c.5.2. & 6.257.& l.10.c.6.9.10.258
An recitatiue, aut significatiue sumantur l.10.c.3.8.255

Quomodo interpretanda l.10,c.9.2.&10.264
חוק l.1.c.3.2.3,&c.3
Hypodiaconi l.4.c.22.3.&c.102

I.

I*Deuticæ* propositionis exempla *l.*10,*l.*20.5,330
de Identica enuntiatione in Cœna *l.*10.c.20.281
Idololatria Pontif.in Eucharist.adoratione l.7.c.3.169
Ignis de Spiritu vi ignea purgante l.5.c.9.39.40.41.42.&c.124
יחיד l.5,c.10.32.128
I*mitatio* Christi in quibus l.8.c.47.10.211
I*mmersio* olim vsitata in Baptismo *l.*5,c.2.6.7.116.trina.ib.7
I*mpositio nominis*,vide nomen.
I*mpositio manuum* *l.*2.c.3.23.29
Impositio manuum in extraordinaria donatione Spiritus *l.*4.c.10.20.82
Impositio manuum appendix Baptismi l.4.c.11.14.&c.84
Impositio manuum in recipiendis in Ecclesiam hæreticis conuersis adhibita *l.*4.c.11.53.87
Impositio manuum ex traditione *l.*4.c.11.10.&c.84
Impositio manuum non est Sacramentum l.4.c.10.50.84.&*l.* 4.c.11.13.85
an Impositio manuum sit de materia Confirmationis l.4.c.10 3.4.5 6.&c.81
Impositio manuum an Sacramenti Ordinis signum l.4,c.24 15.&c.104.&30.&c.105
Impositio manuum Pœnitentialis non extat in Scriptura l.4.c. 15.69.&c.93
I*ncarnatio* Christi magnum mysterium l.1.c.5.3.5
Incorporatio nostri cum Christo vnde concludatur *l.*1,c.4.21.4
Indissolubilitas Matrimonij vnde fit,an à Sacramenti ratione ,vide Matrimonium.
de *Iudæo duo Vago* in Cœna l.10.c.20.281
an *Infantibus* sub lege naturæ destinatum aliquod Sacramentum l.1.c.7.8 8.7
Infantium Baptismus l.5.c.9.30.31,126.&*l.*5.c.11.1,&c.130
an Infantes qui sine Baptismo moriuntur,omnes salutis expertes &c.*l.*5.c.8.122.&c.9.&c.55.&c.126
infantes nondum baptizatos complectitur fœdus Dei cum parentibus sancitum *l.*5.c,10.16.127
an infantibus Baptisma verbo noto clare enuntiato sit administrandum *l.*1.c.17,18.&c.18.19
Infantibus data olim Eucharistia *l.*9.c.1,9.229,&c.3.&c.232.14 ibid.
Infantes saluari sine Eucharistia *l.*11,c.14.14,326. quomodo saluentur 7.9
I*niquitatis mysterium* quid sit Apostolo Paulo l.1.c.4.14.&15.4
I*nnocentiæ* status l.1,c.7.2.&5.7.6
I*nstitutio* Sacramentorum &c.tribuitur interdum autori interdū ministro *l.*5,c.13 3, 133
Institutionis Eucharistiæ verba vnde petantur,an à solo Paulo *l.*6,c.5,14.15.&c.153
Institutionis &exempli Christi discrimen l.8,c.2,22 23,290
I*ntentio* Ministri in Sacr.celeb. lib.1 c.19,&c.20
Interrogatio bonæ conscientiæ lib.2 c.8.5,40
Inuocatio Trinitatis.vide Trinitas
an *Ioannis Bapt.*Baptismus re differat à Baptismo Christi *l.*5,c. 15,&c.130
Iohannis doctrina non differt à doctrina Christi *l.*5,c.12, 22,132
Iohannes Euang. dicta ab aliis Euangelistis præteriit, præterita dixit l.11.c.4.2,5.6.292
I*ræfiti* natura qui sancti per fœderis gratiam l.5.c.10,40.128
*Iris l.*1,8.1.&c.7.*l.*2.c.5.34.18,&c.9.4,19,41, an Sacramentum ibid.
an I*rreuerentia* legitima causa fuerit Calicis interdicendi l.9 c.12 16.250,refellitur l.9 c.12,36.251
איתמר l.10,c.6.265
Iudas proditor primus author reseruationis Eucharistiæ *l.*7,c.10.4.180
I*udicium* Dei duplex,secundum legem & secundum Euangelium l.5,c.5.36.120
I*ureiurando* confirmari potest figuratus sermo si verus *l.*11.c.6. 24.300
I*ustitiæ* & peccati oppositio,&c. l.5.c,5,29,30,&c.120
I*ustificationis* sensus quid sit *l.*2.c.7,12.39
Iustificationem à Sacramentis non effici physicè l.2,c.7.38
Iustificatio in Baptismo obsignata quid sit,&c. *l.*5,c.4,8.118

L.

L*Actis* & mellis prægustatio in Baptismo *l.*5,c.16.21,143
L*Laici* quidam fuere Ecclesiæ doctores l.5,c.14.31.138
an Laicis liceat baptizare *l.*5.c.14,136
Laici baptizantes *l.*5,c.14.44.49.&c.139.qui mos refellitur, ibid.
Laicorum communio l.9.c.3.31.233
L*atria* Eucharistiæ à Papistis delata damnatur *l.*7,c.3.14.&c. 169
L*ectores* *l.*4.c.22,3.&c.102
L*egis* naturæ Sacramenta,&c. *l.*1,c.8,7
Legis obligationem quomodo soluat Baptismus *l.*5.c.3,9,10. 11.&c.117
Legibus Ecclesiasticis an & quod debeatur obsequium &c. *l.*5,c.3,12,ibid.
an לחם panem tantum significet l.10.c.23.16.88
לשבח *l.*7,c.9.29.179
L*iteralis* sensus quid *l.*10.c.6.14.259. vide Sensus.
L*oci* obseruatio in Euch.celebratione *l.*7,c.13.28.187
Loci conditione aliquid astringi quomodo dicatur ibid.
L*otio pedum* *l.*8,c.2.22.200
an sit Sacramentum l.8,c.2,25.26.ib.
L*ucis* & tenebrarum oppositio,&c. *l.*5.c,5,19.&c 120

M.

M*Alum minus eligendum*,quomodo intelligendum l.9 c.10. 9.244
M*anducatio* corporis Christi sine Sacramento l.11.c.5.27.297
an *Manducatio in Eucharistia* sit necessaria l.7.c.4.5.171
necesariam esse l.c.10.180
sine manducatione non constare Sacramenti analogiã &c. l.7.c.10.24,25.185
de eadem manducatione contra Missas priuatas l.7.c.13.185
an Manducatio Euch.sit actio l.7.c.6.15.173
Manducatio Christi in Euch.dicitur bifariam l,11.c.9.87.313
Manducatio Christi duplex,vt lotio in Baptismo gemina l.11.c. 1,9,290
de Manducatione corporis Christi sententia Catholicorum l.11,c.1.5.289.
Manducatio *spiritualis* est vnio Christi cum comedentibus *l.*11,c. 13.1.2.325
de Manducationis spiritualis necessitate l.11.c.14.328
de Manducationis spiritualis necessitate Papist. solutiones l.11. c.14.10.&c.dissoluuntur 11,12,&c.ibid.
Manducatio spiritualis corporis Christi probatur ab eius Ascensione,&c. l.10,c.11.9,&c.267
Manducationis spiritualis vtilitates l.11,c.10.3.&c.268
Manducationem spiritualem habere necessarium effectum, salutem æternam *l.*11.c.15.1.2 329
Manducationem spiritualem nihil habere absurdi l.10,c.12.267
an Manducatio Ioh.6. sit Sacr. l.11.c.3.291
de Manducatione spirituali agi Ioh.VI. *l.*11.c.4.3,292
Manducatio *figurata* dicitur multifariam l.11.c.7,3,302
Manducatio corporis Christi figurata l.11.c.5.5.296
Manducationem figuratam viuificare *l.*11.c.7.2,302
Manducare corpus Christi, figurate sumi constat ex adiunctis *l.*11.c.6,5.298
Manducatio inuisibilis duobus modis dicitur l.11.c.11. 25.223
Manducatio corp.Christi ab hostiæ pacificæ Vet.Test.manducatione differt,vt manducatio signi,à rei significatæ manducatione l.11.c.7.33.304
de Manducatione corporis Christi sententia Papistarum l.11.c.1.6.290
de Manducatione *corporali*,Papistarum sententia l.11.c.2.ibid.
Manducatio apud Papistas duplex l.11.c.2.ibid.
eiusdem aliæ diuisiones l.11.c.2.3.ibi.
Manducationis duo modi apud Bell. l.11.c.11.24.322
de Manducatione reali *& carnali* l.11.c.2.7.290
Manducationem carnalem non esse tantum Capernaitarum laniationem,sed Papistarum deglutitionem l.11.c.10.57.58 320
Manducationem carnalem à Christo non esse institutam l.11. 14.1.326
Manducationem carnalem non carere impossibilibus, & absurdis l.10.c.12.26.
Manducationem carnis Christi carnalem esse impossibilem l.11.12.324

Mandu-

Manducationem carnalem impossibilem esse cum fiat absque vnione substantiarum l.11 c.12.18.325
Manducatio Capernaitica & ascensio Christi oppositа sunt l.11.c.12 11.12.324
Manducationem carnalem esse absurdam l.11.c.10.8.316
Manducationem carnalem inutilem esse l.11,c.10, ibid.
Manducationem carnalem esse impiam l.11.c.11.320
an Manducatio carnalis flagitio careat l.11.c.11,6,7,8,9,10. 316
Manducatio carnalis non vnit Christo &c. comedentes l.11.c.13 3.4.326
pro Manducatione corporea Papistica argumenta l.11.c.7,302
Manducationem carnalem ad salutem necessariam non esse, & contra, spiritualem necessariam esse l.11.c.14.1.&c.326
an Manducatio corporalis statuatur Ioh. VI. l.11.c.6.297
Manna typus &c. l.2,c.4.2 5,30
an Manna repræsentet corpus Christi l.11.c.6.15.298
Manna Ioh.6. comparatur cum corpore Christi per oppositionem effectuum l.11.c.6,15.ibid.
Mannæ manducatio diuersa est à manducatione corporis Christi l.11,c.6,22,299
à Mannæ manducatione orali non inferri oralem manducationē corporis Christi l.11,c.6,13.298
Manna comparatur à Paulo cum pane Eucharist. l.11.c.6,16.299
in *Manus* fidelibus olim traditam & tradendam Eucharistiam
Manuum impositio, appendix Baptismi l.4,c.11.14.&c.84.&l.5. c.16. 13,142
Manuum impositio ex traditione l.4,c.11.10.&c.84
an Manuum impositio sit de materia Confirmationis l.4, c.10. 3.4.5,6,&c.81
an Manuum impositio Sacr. Ordinis signum l.4.c.24. 15,&c,104 105.&30.&c.ibid.
Manuum impositio pœnitentialis non extat in Script. l.4,c,15 66.&c.94. vide Impositio
Maris rubri cum Baptismo collatio l.5.c.5.13.14.15,119
Martyrium Baptisma sanguinis l.5,c.8,5.7 122
Materia Sacramenti l.4,c.14.15.&c.89
μαθητεύειν l.5,c,15.32.138
Matrimonium l.4.c.27.1.108
Matrimonij sanctitas, quomodo matrim. sit res sacra, &c. l.4,c. 31.9.10.113
Matrimonij ratio & consideratio multiplex Papist. l.4.c,27,3,4, &c.109
an Matrimonium sit *Sacramentum* l.4,c.3.72.& l.4. c.27.&c.108
de Matrimonii Sacramento Papist. sententia l.4,c.27,2,109
de Matrimonii Sacramento argumenta Papist. l.4,c,28.&c.110.& 7.8,10.&c.ibid.
contra fictitium illud Sacramentum argumenta Cath. l,4,c.28 6.110.& c.29.1.&c.111
Matrimonii institutionem non esse Sacramentalem l.4.c.28.110
in Matrim. nullam esse Sacramenti materiam aut formam l.4, c.29.111
Matrim. nullam esse gratiam Sacram. l.4,c.30.112
Matrimonium Sacramentum dictum l.4.c.4,7,74,& l.4, c.32. 10.114
de Matrimonio, Patrum testimonia l.4,c.32.113
Matrimonii indissolubilitas vnde sit, an à Sacramenti ratione l.4.c.31.2.3.&c.113.
Mel, vide Lac.
Melchisedeci sacrificium l.1,c.8 12.6
Meliores promissiones materialiter vel formaliter l.3 c.6 28.64
מלוא & סלואים, &c. l.1 c.3.7.3
Memoria mortis Christi in Euch. l.7.c.13.25.&c.186 vide Mortis, &c.
μόνον partic vsus l.5 c.13.59.&c.136
Mersio in Baptismo olim vsitata l.5. c.2 6,116, trina 7. ibid.
Minister Sacramenti l.1,c.13.2,3 14
Ministerium publicum dupliciter dici l.5 c.14.62.140
Minus malum eligendum, quomodo intelligatur l.9,c.10.9.244
Missæ nomen l.6.c.2.1,147. Latinum esse, vnde l.6.c. 2, 28, &c. 149
Missam ineptissimum esse Sacramento vocabulum l.6, c.2,32, 149
Missæ priuatæ l.7.c.12.1.&c.184
Missam priuatam esse contra Christi institutionem li.7,c.15,1. 189
Missas priuatas solis subnixas esse coniecturis li7.c.14.1.187
מסת נדבת l.6,c.2.17.147
משתה an sit etymon Missæ l.6.c.2,22,148
Morientibus necessarium præsidium an sit vnctio l.4,c.20.100
Mortis Christi similitudo quomodo in nobis per Baptismum exprimatur, &c. l.5.c.5.22.23.&c.119.& c,6.7.120
Mortis Christi commemoratio in calicis Eucharistiæ vsu. l.8.c. 6,2,&c.208
an *Mulieribus* liceat baptizare l.5,c.14.6.&c.137.& 47.139
Murmur Presbyteri consecrantis l.6.c.8.158.&c
Mutatio nominis, vide nomen.
Μύησις l 6.c.2.9.147
Μυστήριον l.1.c.1.20,1.& c.2.13 2.& l.1,c.4.1.&c,3. vnde dicatur l.1.c.4.1.&3.3. tripliciter sumi 2.3.&12.4
Mysterii nomen l.4.c.3.20.&c.73
Mysterii nomen late sumi lib.4.c.32.7.&c.114
Mysterium dupliciter accipi l.4.c.26.14.111
Mysteria silentio olim tegenda, apud quos, &c, l.6.8,20,21, &c. 159
an Mysteria male intelligentibus semper explanarit Christus l.11.c.6,35,&c.300
Mysterium magnum incarnatio Christi l.1.c,5.3.5
Mysterium de Matrimonio dictum l.4.c.32.6.7.&c.114
Mysteriū iniquitatis quid sit in Apostolo Paulo l.1,c. 4,14,&15.4

N.

Naamanis mundatio à lepra cum Baptismo confertur l.5,c.5. 13.14.15.119
Naturæ lex eiusque sacramenta l.1.c.8.7
Necessarium quot modis dicatur l.8.c.1.15.198
Necessitas duplex, absoluta & secundum quid l.5.c.8.122
Necessitas Baptismi, vide Baptismi necessitas
Nemo hyperb. pro fere nemo l.7.c,14.28.189
in *Nomine* Domini baptizare l.8.c.2.13.199
Nominis impositio an in Baptismo olim fieri solita l.5.c.15.11.141
Nominis professio in Baptismi petitione l.5.c.15,7.141
Nominis mutatio an in adultorum Baptismo olim vsitata l.5.l.15.11.12 141
νόμος l.1.c.3.4 3
νόμιμον l.1.c.3.4.3
Nouatianorum hæresis l.4.c.12.6.88
quid Nouatiani de pœnitentia senserint l.4.c.12.9.88
Nubes & mare, Manna & aqua typi Baptismi & Eucharistiæ l.3. c.2,1,55
Numerus sacramentorum Noui Test. l.4.c.1. &c.69
Numeri septenarii sacramentorum, & congruentiæ refelluntur l.4.c.4.70

O.

ὀ, ἡ, τὸ, figuratis vocibus præfigi l.10,c.8.263
Oblationes populi ad Euchar. l.7,c.9.20,21, 178
Odium Dei in peccata an omnino peccati reliquias omnes tollat in Baptismi momento l.5,c.5.34.35.124
Offerenda & Offertorium l.7.c.9.20.&c.178
an *Oleum* sit essentiale Confirmationi l,4.c.6.4.5,78
an Oleum Extremæ vnctionis habeat analogiam ad sanitatem corporis aut ad remissionem peccatorum l.4 c.19.5.&c.99
Omnes, de generibus singulorum l.5,c.13.40.135
Operatio sacramentorum l.9.c.10.38,246
Operatoria verba & practica, quid l.2.c.5.3,5.32
Opus operantis l.2.c.1.9,26
Opus operatum l.2,c,1,7,26
Ordinis vox, exp. l.4.c.24.8.104
Ordo in Eccles. Papist. quid l.4,c.22.2.102
Ordinis & ordinationis distinctio l.4.c.24.8,104
Ordinationis Papist. Sacramentum l.4 c.22,4,&c.102
an Ordo sit Sacramentum l.4,c.23.24.25.104
Ordinis nullam esse institutionem sacramentalem l.4.c.24.6.104
in Ordine nullam esse sacramenti rationem l.4.c.22.9.103
quænam Ordinis sit gratia l.4.c.26.17.18.&c.108
Ordo sacramentum dictus quo sensu, &c. l.4.c.4.5.&c.74
Ordines l.4,c.22.3.102
Ordinum vnitas l.4,c.23.105
Ordines Papistici quot l.4 c.22.3.102
Ordines Maiores & Minores l.4,c.22.3.ibid.
Originalis peccati remedium in lege naturæ, &c. vide Peccatum. l.1.c.7.7.8.7
Osculum pacis in Baptismo l.5.c.16.17.143
Ostiarii l.8.c.22.3.&c.102

P.

Pactum Dei cum homine quid complectatur an promissiones Dei, *&c. l.3.c.3,9.10.11.12.13.&c.59*
Pædobaptismus l.5.9.30.31.124.&c.11.1.&c.130
an *Panis* semper proprie vsurpetur *l.10.c.23.16.288*
Panis metaphoricus & sacramentalis *l.9.c.10.23.245*
Panis fractio l.9.c.2.2.&c.476.34.231
Panis fractio in Euchatistia *l.7.c.11.183*
Panem Eucharistiæ differre à pane turbæ in deserto exhibito *l.11.c.5.8.296*
Panis azymus & fermentatus in Euch. *l.6.c.4.151*
an Panis elementum in Eucharistia Christum totum contineat *l.9.c.8.240*
Panis Euch.elementum solum corpus Christi, non sanguinem significat *l.7.c.9.9.&c.209*
etsi Panis elemento totus Christus in Euch. contineretur, non tamen auferendum calicem *l.9.c.6.&c.240*
Panem & vinum esse signa apud Patres *l.10.c.24.2.288*
Panis & Calicis distributio *l.7.c.1.197*, vide Synopsim *l.VIII.*
Panis Eucharistiæ olim traditus in manus communicantibus *l.7.20.1.&c.196*
Panem & corpus Christi esse disparata *l.10.c.18.c.12.39.4.279*
Panis speciem etiam irreuerentię esse obnoxiam, nec tamen eius vsu interdicendum *l.9.252*
à Panis vsu plane abhorrens puer autori visus *l.8.c.3.56.203*
an *Papæ* autoritas possit refigere Apostolorum dogmata, vt volũt Papicolæ *l.8.c.8.19.20.&c.214*
Paradisi arbores *l.1.c.6.3.4.&c.6*
παραλαμβάνειν *l.4.c.11.32.&c.85*
Partes potestatiuæ, *&c.l.4.c.23.5.&c.* 103. & 13.104
an *Pascha* olim fuerit sacrificium *l.20.c.6.54.&c.262*
Pascha à Christo celebratum fuisse aliquot dieb, post panum miraculum *l.11.c.5.7.296*
Paschæ & Pentecostes Sabbatha Baptismo destinata *l.5.c.16.2.142*
Pastophorium quid *l.7.c.9.3.& 29.177.&179*
Pastores fabulosi, qui verbis Euch.consecrarunt, *&c.l.6.c.8.20.41.160*
Patrini, vide Susceptores
Patrum loca de Sacramenti nomine late multis ceremoniis tributo *l.4.c.4.74*
Patrum testimonia de efficacia Sacramentorum *l.2.c.6.36*
Patrũ testimonia *de duob.Sacramentis* proprie dictis *l.4.c.5.4.&c.75*
Patrum test.de Pœn.Sacr.*l.4.c.17.94*
vide Ind.locorum ex Patrib. *&c.*
Pauli Baptism.quo anno contigerit *l.5.c.14.33.36.&c.138*
Peccati & iustitiæ oppositio, &c. *l.5.c.5.29.30.&c.120*
Peccatum Deo exosum. vide Odium Dei in peccata
Peccata delere, tegere, tollere, &c.quid sit *l.5.c.5.1.3.&c.118*
Peccata tolli multipliciter, efficienter, formaliter, significatiue, *&c.88.l.4.c.13.2.88*
Peccati remedia duplicia *l.4.c.30.7.112.&c.31.15.113*
Peccati originalis remedium in lege naturæ, *&c.* *l.1.c.8.7.8.7*
Peccati originalis remedium in Baptismo *l.5.c.9.51.&c.125*
Peccata post Baptismum admissa quomodo dimittantur per Baptismum *l.5.c.6.120.&c.7.121*
Peccatorum remissio in Baptismo obsignata *&c.l.5.c.4.1.2.&c.117*
Peccatorum remissio quomodo effectus immediatus Baptismi tum Christi, tum Io.*l.5.c.* 12. 12.13.20.131
Peccatorum remissio obsignata in calicis Eucharistici vsu *l.8. c.5. 3.4.&c.207*
Peccatorum remissio septuplex apud Origenem *l.4.c.21. 11. 102*
Peccatorum remissionem partem esse ministerij Euangelici *l.4. c.15.30.&c.92.&c*
Pedum lotio *l.8.c.2.22.200.* an sit sacramentum 25,26
Pentecostes & Paschæ sabbatha Baptismo destinata *l.5.c.18.2.142*
Per, de instrumento *&c.* *l.2.c.3.23.30*
פסח *l.10.c.6.60.&c.262*
Petra erat Christus, figuratam esse loquutionem probatur l. 10.*c.7. 46.261*
de Petra bibisse Israelitas quomodo intelligendum *l.10.c.7.50.ib*
an *Philippus* cum Eunuchum &c.baptizauit, fuerit tantum Diaconus *l.5.c.14.35.138*
Pignus Spiritus *l.2.c.14.3.48*
פסחה an sit etymon Missæ *l.6.c.2,21.148*
ספחר *l.7.c.2.18.&c.166*
Pœnæ itates quæ post Baptismum remanent l.5,*c.4.34.&c.117.Pœnæ* per Baptismum sublatæ quæ & quomodo *l.5. c.4.3.4. &c.117.*
Pœnæ Cleticorum vide Clerici
Pœnitentiæ Baptisma quid signif.*l.5,c.12.16.&c.131*
Pœnitentia post Baptismum *l.5.c.7.121*
Pœnitentia sacramentum dicta, &c. *l.4.c.4.4.&c.73*
Pœnitentia sacram.Pap.quid sit *l.4.c.12.3.88*
in Pœnitentia nullum signum sacramentale, vel materiam sacramentalem esse *l.4.c.14.88*
in Pœn.nullam esse institutionem sacramentalem *l.4.c.15.91*
de Pæniten.sacr.Patrum testimonia exp. *l.4.c.16.94*
Pœnitentiæ & Baptismi comparatio *l.4.c.16.11,12.&c.95*
Poculum pro vase *l.10.c.21.21.*vide Calix
ποτήριον quid *l.10.c.21.20.21.284*
ποτήριον octo locis in Scriptura reddi poculum, alias calicem *l.10. c.21.23.284*
Potestatiua vnitas *l.4.c.23.13.103*
Practica non esse sacramenta, sed significatiua.vide opus
Præcepta affirmatiua quomodo semper aut non semper obligent *l.7.c.15.11.189.&l.8.c.4.17.19.&c.205*
Præceptum & traditio an sint eadem *l.8.c.8.213*
Prædicatio verbi instrumentum nostræ sanctificationis *l.1.c.12*
Præsanctificata *l.9.c.1.12.200.&c.3.45.&c.235*
Præsanctificatorum communio ib.
Præparatio ad sacramenta recipienda & ad gratiam quæ sit *l.2.c.6. 40.Precum* distinctio in priuatas & publicas *l.6.c.82.111*
Preces publicæ quomodo pronuntiatæ *l.9.c.8.3.ibid.*
Preces in Eucharistiæ consecratione *l.6.c.6.3.4.5,&c.154.&c.7.2. &c.157.&c.13.14.&c.158*
Presbyteratus ordo *l.4.c.32 3.&c.102*
περιγιασμὸς præsanctificata *l.9.c.1.12.229.&c.3.46.&c.235*
Professio nominis in Baptismi petitione *l.5.c.15.7.141*
Professio fidei in Baptismo vsitata *l.5.c.15.16.&c.141*
Promissiones Dei quomodo fidem hominis exigant vt impleantur *l.3.c.6.45.46.47.65*
an Promissio exprimatur semper per vrbem futuri temporis *l. 7.c.10,12.180*
Promissiones quasdam verbis præsentis temporis exprimi *l,6.c. 10.12.ibid.*
Promissio absoluta dupliciter dici potest *l.2.c.19.13.100*
Promissiones vitæ æternæ *&c.* contineri fœdere Dei, *&c.l.3.c.3.9. 10.11.12.15.&c.59*
Promissiones spirituales contineri in fœdere Dei cum Abrahamo *l.5.c.10.20.21.&c.127*
Promissiones meliores materialiter vel formaliter *l.3.c.6.28.64*
Promissiones habeti in sacramentis *l.2.c.9.16.41*
an Promissiones confirmentur signis *l.2.c.9.30.42*
Promissio iuncta signis facit sacramenta *l.4.c.10.18.82*
Pronomina explere vicem nominum *l.10 c.8.19.&c.264*
Pronomina significare tam quod est quam quod fuit *l.6.c.5. 172. 7.c.5.5.* Pronomina demonstratiua non semper requirere rem præsentem *l.10.c.18. 20. 280.* de *Pronuntiatione* submissa consecrationis *l.6.c.8.159. Prophetiæ* pro Baptismo *l. 2.c.4. 1. 11.30.*
Proprietas verborum in Cœna excutitur *l.10.c.16.271*
πρόσταγμα dupliciter dici *l 5.c.* 14.62. 140. *Publicum* dupliciter dici *l.5.c.* 14.62.140. *Purificationem* cordis fieri in Baptismo per fidẽ, non per Sacramenta *l.6.c.7.2140.*

Q.

Qualitatem præuiam gratiæ in homine bonã nullam esse, &c. vide Præparatio.

R.

רוא & רר *l.1.c.3.13.3*
Realitatis & Transsubstantiationis differentia *&c.*l.10.*c.*1. 9.253.de *Regenerationis* doctrina ex Ioh.3.multa, exp.*l.5.c.9.8,&c.* 75. Regeneratio in Baptismo *l. 5.c.5.25.26.120.*vide Sanctificatio
Reliquiæ Eucharistiæ olim pueris tradi, vel aliter consumi solitæ *l. 7.c.10.31.32.33.&c.181,&c.46.182*
Remedia peccati dupl. *l.4.c.30.6.&c.31.15.113*
Remedium peccati originalis in lege naturæ *&c.* *l.1.c.8,7.8.7* vide Peccati remedium
Remissionem peccatorum esse partem ministerij Euangelici *l.4.c.* 15.30,*&c.92.* Remissio peccatorum in Baptismo obsignata *l.5. c.4.1.2.&c.117.* Remissio peccatorum quomodo effectus immediatus Baptismi Christi & Ioh, *l.5.c.12.12.13,20,131.* Remissio peccatorum septuplex apud Origenem *l.4.c.21,11.102.* vide Peccata.
Renuntiatio vide Abrenuntiatio.
Repudii prohibitio cur facta sit, an ob rationem Sacramenti i n cõiugio *l.4.c.31.2.3,113.* Res Sacramentis significatæ *l.1.c.12.13*
Res in Sacramentis eadem *l.3.c.1.7.55*

Re-

Reseruatio Euchariſt. li.7.c.4,171.&c.10,180.&l.9.c.1.7.&c.3.8.232
Reſeruationis Euch.Papiſt. repugnare Patrum ſententiam *l.7.c.* 10.29.&c.181. Reſeruationis Euch.primus autor Iudas l.7. c.5.4,180 *Reuelare*, quid *l.2,c.5,10.33*
Ritus Baptiſmi, vide Baptiſmi ritus

S.

Sacerdotum ordo li.4.c.22.3.&c.120
San Sacerdotes creati ſint Apoſtoli in Euchariſtiæ inſtitutione l.8,c.4,35.36.206
Sacerdotum Papiſtarum nequitia in negotio Euchariſtiæ,&c.*l.9 c.6.2,6* *Sacramentum* vnde dictum lib.1,c.1.17.1
Sacramenti nomen l.1,c.1,&c.2.2.&c.&c.5.5
Sacramenti nomina Hebræa c.3.3.&c. Græca c.4.&c.3
de Sacramenti nomine Latino lib.1,c.5.5
Sacramenti vox Latina non reperitur in Scriptura l.1.c.2.12.3
Eius vis atque vſus *l.1,c.2,&c.2*
Sacramenti nomen Auguſtino late acceptum l.4,c.32.13.114
Sacramenti nomen apud Patres late multis ceremoniis tributũ l.4.c.4,74, de Sacramenti nomine calumnia Papiſtarũ l.1.c.1.1
à Sacramenti nomine non abhorrere Catholicos *l.1,c.1.8.&11.14,1*
Sacramenti nomen quid complectatur l.1,c.7,3,6
Sacramenti nomen genericè & ſpecifice ſumi l.1.c.2.8.3
Sacramenti nomen tripliciter acceptum l.4.c.3.27.74
Sacramenti multiplex diſtinctio l.2,c.1.18.19.20.2.&l.4.c.6.4,77
Sacramẽti *definitio* l.1,c.1.11.77&c.2.3.2.&*l.1,c.6.5.&l.4.c.6.77.&l.* 4.c.24.13,104
Sacramenti definitionem inductione colligi l.1,c.7.8.9.10.6
ad Sacramenti *eſſentiam* quot requirantur & quæ l.4.c.10.1.81
Sacramentorum propriet.qua ſigna ſunt l.1,c.11,10.eſſe ex inſtituto diuino ib.Sacramentum eſſe rei ſacræ ſignum l.1,c,5.1,5
Sacramenta eſſe ſigilla lib.2.c,9.11.41
Sacramenti materia lib.4.c.14.15.&c.89
Sacramenti forma à conſecratione diſting. l.6,c.5.11.153
Sacramenti miniſter li.1.c.13.2,3,14. Sacramenta dicuntur ſingula vnius Sacramenti ſigna, elementa, ritus,&c. li.4.c. 11.48.87
Sacramentalia ſigna quid,&c. lib.4,c.14.89
Sacramentalia ſigna eſſe ex inſtituto diuino l.1.c.11.1.&c.10
Sacram.nihil habere myſterij niſi ab inſtitutione l.6.c.4.20.151
Sacramentorum inſtitutio &c. tribuitur interdum autori, interdum miniſtro lib.5.c.13.3.133
Sacramenta multa verbis figuratis inſtituta *l.10.c.15.94.&c.276*
Sacramentorum inſtitutio ad quid l.4,c.2,19.71
Sacramenta duabus partibus conſtare l.10.c.15.90.276
Sacramenta non eſſe cauſas per accidens l.2.c.2.13,14 28
Sacramenti *efficacia* vnde lib.2.c.5.47.34
Sacramenti gemina efficacia li.2.c.6.26.37
Sacramentalia verba operatoria & practica quid *l.2.c.5,3, 4,32*
Sacramenta non eſſe practica, ſed ſignificatiua l.2.c.5.3.&19.33
à Sacramentis neque iuſtificationem, neque ſanctificationẽ effici phyſice lib.2.c.7.38, Sacramenta non operari rem ſignificatam vi inhærente l.2,c.7.&c.38
Sacramenta Phyſica actione non producere in homine qualitatem gratiæ præuiam l.2,c.7.7.&c.39. Sacramentorum nulla vis operatiua alia à ſignif. *l.9.c.0.38,246*
Sacramenta eſſe inter cauſas Ethicas nõ Phyſicas l.7.c.10.14,180
Sacramenta alio modo gratiã conferre quam Euangelium, etſi eandem conferant l.2,c.5.7,32.&15,ib.
Sacramentis ſignificata gratia iuſtificans *l.4,c.24.13.104*
Sacramenta non ſemper operari in præſenti *l.2.c.7,24,41*
de Sacramentorum efficacia Patrum teſtimonia l.2,c.6,35.&c. de Charactere c.12,46, vſque ad 54
Sacramenti proprietates qua ceremonia eſt *l.1,c.10.10*
Sacramentorum celebratio lib.1.c.13.14
Sacramenti vſum includit conſecratio c.7.c.7,3,3,174. Sacramenta extra vſum non habere rationem Sacramenti *l.7,c.4.9.&c.171*
Sacramentum non durare vltra materiã ſuam l.7.c.10.15,180
Sacramenta habere promiſſiones l.2 c.9,16 44
Sacramenta ordinaria & extraordinaria l.4.c.1.15.69
Sacramentorum *diuiſio* l.1,c.7,3 & l.9.c.9.2,243
Sacramenta ante peccatum quæ li.1.c 7,6, Sacramenta in lege naturæ li.1.c.8.7. an Sacramentum aliquod deſtinatum infantibus ſub lege naturæ l.1,c.7.8. Sacramenta fœderis operum li.1.c.7.3.6. Sacramenta fœderis gratiæ l.1.c.7,3.6.
Sacramentorum diſtinctio in vetera & noua l.1,c.6.2.5. Sacramenta Vet.& Nou.Teſt.li.1.c.9.9. Sacramenta fœderis corporalis l.1,c.7.3. Sacramenta fœderis ſpiritualis l.1.c,3.5, Sacramenta vetera ſpiritualia fuiſſe quoad effectum l.3.c.2. 22.57. Sacramenta Vet.&Nou.Teſt.conferuntur l.3.c.1.54
Sacramentorum Nou.Teſt. *numerus* l.4.c.1.&c.69. Sacramenta *duo* omnino nobis relicta à Chriſto l.1,c.1.13.2.&c 2.3
Sacramenta duo tantum eſſe probatur l.4.c.5.&c.75. de duobus Sacramentis Patrum teſtimonia ib. Sacramenta exlatere Chriſti li.2,c.5,39.40.33. an Sacramentum dici poſſit aqua Baptiſmi l.7.c.6,7,10,172 Sacramentum vnum & pluta eſſe in Euchariſtia quomodo dicatur *l.6.c.3,3,149*. Sacramenti ratio an tota in altera ſpecie l.9,c,9,243 Sacramenta Papiſtis *ſeptẽ* l.1.c.2.9,3 Sacramenti definitionem non competere *quinque* Sacr.pſeudonymis l.4.c.6.7.77. Confirmationi l.4.c.7.77 Pœnitentiæ li.4,c.12.13.14,&c.87. Extremæ Vnctioni *l.4.c,* 17 &c.96. Ordinationi *l,4,c.22.23.24.102*. Matrim.l.4,c.27 28.108
Sacramenti nomen matrimonio tributum l.4.c.32,10.114
Sacr.nomen an tributum apud Patres quinq; pſeudonymis Sacramentis Pap ſtarum,&quo ſenſu l.4.c.4.74
an *Sacrificia* Sacramenta ſint l.1,c,8 4.&c.7.&13.14.7
an Sacrificium fuerit Paſcha, vide Paſcha.
Sacrificiorum Vet. Teſt.efficacia li.3.c.4.61
Sacrificiorum Vet. Teſt.pars extollenda, vel agitãda, non probat adorandam Euchariſtiam l.7.c,2,31.167
Sal in Baptiſmo li.5.c.16.11,143, & 31.ibid
Saliua in Baptiſmo l.5.c.16,12, ib.& 31.ib.&41.244
Salus in Baptiſmo l.2.c.3.35.30.&l.5.c.6.9.10.&c.120
Salutis cauſa gratia Dei, quid,&c.*l.5.c.9.57.&c.*125.&c.10.6.7.126
Salutem dare *αὐθεντικῶς* vel *ὑπουργικῶς* diſt.l.5.c.13.32.&c.134
Sanctificatio actiua & paſſiua li.2.c.7.20.40
Sanctificationem fieri à Spiritu, non à Sacr. l.2.c.7.20 40
an Sanctificatio à Conſecratione differat l.9.c.3.49.51.&c. 235
Sanctificationis noſtræ inſtrumenta eſſe, tum verbum, tum verbi prædicationem,&c. l.1.c,1.2.1. Sanctificationem à Sacramentis non effici phyſicè l.2.c.7.38. Sanctificatio in Baptiſmo obſignata, quid ſit,&c.l.5.c.4.8.118.&c.6 8.120. Sanctificatis Baptiſma etiã conferri, ideoq; Baptiſma aquæ non eſſe proprie cauſam efficientem Sanctificationis li.7.c.7,23.41. vide Bapt.
Sanctitas coniugis infidelis in fideli l.5.c.10.47.129
Sanctitas filiorum ex fidelibus natorum l.5.c.10.49.129
Sanguinis Bapt.l.5.c.8.5.6.7 122, eius neceſſitas ib. vide Aqua.
Scrutinium competentium ad Bapt. accedentium *l.5.c.15,13.141*
Secreta ſiue ſecretella in Euchariſtiæ conſecratione l 6.c.8.4.6,159
Senſus Scripturæ literalis *l.10.c.6.14.259*. figuratus ibid.
Senſus iuſtificationis l.2.c.7.22.40. *Septenarij* numeri ſacramentorum fictæ congruentiæ refelluntur l.4.c.2.70. *Serpens* æneus l.2.c.5 37.34. Serpentis ænei eleuatio *l.7.c.2.32.167*
Signum quid l.10.c.24.4.288. Signorum natura l.2.c.5.13.33. Signũ & ſigillũ differre l.2.c.9.11.43. Signorũ varia genera l.1.c.11.1.20
Signa duplicis generis l.2.c.9.38.44. Signorum tria genera l.9.c. 10.15.245 Signa ſacramentalia quid &c.l.4.c.14 90 Signa ſacramentalia eſſe ex inſtituto diuino l.1.c.11.1.&c.10
in ijs attendendum quid ſignificent l.4.c.29 111. Signum aliquando rei ſignificatæ nomen accipere l.10.c.4.4.256. Signorum analogia cum reb.&c.l.1.c.11 26.12. cur verbo addantur l.2.c.9. 25.28.44 Signorum & ſigillorum efficacia l.2.c.9.1.44
Signa obiectiue dupliciter agere l 2.c.6 34.38. Signorum naturã non exigere vt ſigna efficiant rem ſignificatã inhærente efficacia l.2.c.9.41. Signa gratiã non operari phyſicè l.2.c.7.8.38
Signaculum non eſſe tantum ad ſignificandum ſed ad confirmãdum authentice l 3.c.3.36.60. an ſigna confirment promiſſiones l.2.c.9.30.44 efficaciora verbo, l.2.c.9. 26.44. non eſſe omnia confirmatiua l.2.c.9.38.44. ſignum ſignificatiuum, ſeu theoreticum ſignorum vis l.2.c.5.31.35 34. ſignum pœnitẽtiæ Sacr. l.4.c.14 88. ſigna in Euch. panis & vinũ l.6.c.3.3.149
Significationem ſacramentalem eſſe applicationem l.3.c.6.57. 64
Similitudo ſacramentorum vnde l.4 c.14.24.90.
Silentium in conſecratione &c. myſteriis l.6.c.8.20.&c. 160
Species in Euch. pro accidentib. non vſurpatur l.10.c.19.3.281
ſpecies ſine ſubiecto non eſſe materiam & formam Euch. *l.7.c.10* 17.181. an ſpecies adorandæ l.9 c.12.6.250
de *Speciei vtriuſque* communione controuerſia l.8.c.1,&c.197
an ſpecies altera totum Chriſtum contineat l.9.c.8.240. ſpeciei vtriuſq; communio ex Patribus probatur l.9.c.10.48. 247
pro ſpecie vnius communione Papiſt.arg. refelluntur l.9.c.10.33 &c.246. vnius ſpeciei figuræ in Vet. Teſt. non excludunt alterã ſpeciem l.9,c.11.4.&c.247. etſi ſpecies altera totũ Chriſtũ in ſacr. contineret, nõ tamen calicis vſu populo interdicendũ l.9.c.7.&c.239 *Σφραγὶς* l.2.c.9.11.43
Spiritus & elementi efficaciã diſparari apud Veteres l.2.c.10.44
Sponſores in Baptiſmo lib.5.c 15.20. 21.&c.141
Status iiinocent. l.1.c.7.5.7.6
Succeſſores Apoſtolorum l.8.c.3,32 202

Suæ-

Officium quid apud Ecclesiæ Dd? 45.a.30
Ordinatio ministrorum Ecclesiæ quo ritu, quaue ceremonia fieri debeat? 163. b.1.& d.
Ordines ministrorum Ecclesiæ septem sunt fundati in N.T. 151.a.2. an admittant gradus? 153.b.13. septem sunt ex mente Papistarum. 157.a.6
Ὀρθοτομεῖν *verbum Dei* quid sit? 43.b.22
Ὀστμὸς quid apud veteres? 127.b.8
Ornatus Missaticus est Aharonicus, & proinde non conuenit simplicitati N.T. 52.b.3
Ostiarius quis in Ecclesia? 157.b.7.9

P.

Παιδεία quid sit apud apostolum Paulum? 10.b.10
Panis in Eucharistia quomodo sit communio corporis Christi? 3.a.7. Panis & corpus Christi sunt ἅμα, sed non ὁμοῦ. 3.b.20
Papa non est sanctitatis magister. 103.a.6. non habet solus ius conuocandi Concilia. 121.b.1. & d. non habet ius præsidentiæ in Conciliis. 134. & 135. an sufficiat, si per legatos suos præsideat Concilio? 13. b.16. & d. an Papa sit supra Concilium? 141.a.1.& d. Papæ nomen quale? 152.a.4
Papistæ non consentiunt in omnibus, cum antiquis Patribus. 94.b.5. quid commune habeant cum ethnicis, 95.a.32. cum philosophis, 97.b.33. cum Iudæis, 97.b.34. cum hæreticis, 97.b.35
Παραδειγματίζειν τὸν χειστὸν quid sit? 53.b.9
Pascha. Vide Agnus Paschalis.
Pascere quid sit? 176.b.13
Pastores qui dicantur in N.T? 153.a.8. quales sint vocandi? 159.b.1.& d.
Pastorum Ecclesiæ officium commune & proprium. 132.b.2
Patres sunt magni faciendi. 22.b.13. quæ regula in iis citandis obseruanda? 22.b.14.& 34.a.13. an faciant mentionem Missæ Papisticæ? 47.a.37.& d. Patres, etiam antiquiores, hallucinati sunt. 85.a.3.& 95.a.6
Patriarchæ quando cœperint, & quot antiquitus constituti? 154.b.16
Penetratio corporum est impossibilis. 14.a.14.& 27.b.42
Peregrinationes religiosæ quando incepere. 210.b.2.& d.
Persecutiones Ecclesiæ non mutant ipsius essentiam. 59.a.8. sæpe faciunt, vt Ecclesiæ visibilis non sit conspicua. 62.a.17
Peronus quomodo probet reformatores Ecclesiæ non esse legitime vocatos? 166.a.10.& d.
Petri apostoli primatus qualis? 152.b.5
Phrases sacramentales. Vide Locutiones sacramentales.
Pistorius quomodo probet Transsubstantiationem? 32.b.5.& d. quomodo Missam? 40.b.3.& d. constituit duodecim notas Ecclesiæ. 82.a.1.& d.
Pontifex Romanus. Vide Papa.
Pontificij scriptores inter se dissident. 99.b.8.& seqq.
Possibilia. Vide Impossibilia.
Potestas Ecclesiæ in iure condendo quænam? 187.a.1.& d.
Prædestinatio an faciat vt homo actu sit in Ecclesia? 65.b.8
Prædicatio verbi Dei quid complectatur? 43.b.22. est nota Ecclesiæ. 108. b.1
Præfigurare duobus modis accipitur. 38.b.15
Prælati maiores an soli habeant ius suffragii decisiui in Concilio? 132.b.1. & d.
Præsentia quot modis dicatur? 17.a.40.41.& 24.a.25
Præsentia Christi in Eucharistia est ratione beneficij, vel iudicij. 8.b.14. plene tractatur 12.& d. quid de illa doceat Becanus. 23.b.24
Præsentia corporis Christi sacramentalis & spiritualis quid sit? 13.a.3. an præsentia sacramentalis dependeat à naturali? 24.a.24
Præses Conciliorum quisnam esse debeat? 134.a.1.& d. est politicus, vel ecclesiasticus. *ibid.* item vniuersalis vel particularis. 135.b.5
Presbyteri qui dicantur in N.T? 153.a.10. an presbyteri & episcopi distinguantur iure diuino? 158.a.12.& d. 164.b.1.& d.
Primatus regius in Ecclesia asseritur. 174.b.1.& d.
Πρόεδροι qui fuerint in Conciliis? 154.b.3.4
Προϊστάμενοι qui sint in Ecclesia? 151.a.1
Πρεσβύτεροι qui sint apud veteres? 69.a.9
Πρόκλαυσις quid sit apud veteres? 69.a.9
Prophetæ qui dicantur in N.T? 153.a.6
Pronomen Hoc, quomodo debeat accipi in verbis Eucharistiæ? 33.b.10
Proprietates essentiales quomodo se habeant? 17.a.38.& 24.b.28

Q.

Quantitas est entitatiua vel localis. 24.b.28. habet duplicem extensionem. 25.a.31.& d.

R.

Recordatio an sit præsentium? 16.a.27
Regnum Christi est perpetuum. 79.a.4
Replicatio, seu reproductio quid sit? 35.b.20
Res præter Scripturam sunt duplices. 69.b.2
Reus corporis & sanguinis Christi quisnam fiat? 9.b.2.& 11.b.15
Ribera de Romæ excidio. 108.b.3
Romana Ecclesia. Vide Ecclesia Romana.
Romanus & Romanensis an idem sit quod Catholicus? 89.b.7

S.

Sacerdos in N.T. est solus Christus. 37.b.9. quisnam vulgo ita dicatur? 157. b.9
Sacerdotium Christi est ἀπαραβατον. 36.b.3. eius natura plenius explicatur. 38.a.12
Sacramenta quid sint? 2.a.10. V.& N.T. quatenus sint paria? 2.b.2.& d.& 6.b.17.& 20.b.3. cur non prosint infidelibus? 8.a.9. sacramentorum natura. 13.a.6.& 15.b.25. quo sensu sacramenta V.T. dicantur typi sacramentorum N.T? 23.a.17
Sacrificium est propitiatorium vel eucharisticum. 39.a.21. non est par ratio sacrificiorum & sacramentorum. 48.b.44.49.b.46. sacrificium propitiatorium incruentum nullum. 50.a.2.3
Sacrificium Missæ. Vide Missa.
Sancti an canonizandi. 204.a.1.d.
Sanctitas an sit nota Ecclesiæ? 86.a.9
Sanctitas doctrinæ an sit nota Ecclesiæ? 101.a.1.2. an competat Ecclesiæ Romanæ? 101.a.3.4. an competat Ecclesiis nostris? 101.b.5.6.7
Sanctitas vitæ authorum veræ religionis an sit nota Ecclesiæ? 120.b.1.& d.
Satisfactio duplex. 85.a.3
Sibyllæ vaticinia de ruina Romæ. 108.b.3
Spirituale multis modis dicitur. 7.b.8
Spiritualiter & vere perperam opponuntur. 4.b.23
Subdiaconus quis, & quodnam eius officium? 157.b.7.9
Substantia creata est finita. 16.b.34
Successio distinguitur. 92.b.1.2.& 93.b.6
Successio apostolica num sit nota Ecclesiæ? 92.b.1.& d. an competat Ecclesiæ Romanæ? 93.b.5
Successio episcoporum Romanorum est incerta. 93.b.7
Suffragium decisiuum qui habeant in Conciliis? 129.b.1.& d.
Synagoga quid significet in N.T. & apud Dd. Ecclesiæ? 54.a.5.6.7.& b.9. discrimen inter synagogam & Ecclesiam N.T. 83.a.12
Synedrium, siue Sanhedrin, duplex apud Iudæos. 118.b.6
Synodus. Vide Concilium.
Σύναξις quid sit apud veteres? 69.a.9

T.

Testamentum quo sensu accipiatur in re sacramentaria? 21.a.7
Θύειν & θυσία quid? 42.a.12.13
Tonsura monachorum an probanda? 173.a.12.& b.15
Traditio quotuplex? 73.a.4
Transsubstantiatio impugnatur. 28.& d. eius fundamenta conuelluntur. 31. & d. quæ sit possibilis, & impossibilis? 35.a.18.19.20
Typi quo sensu dicantur? 20.b.3.& 23.a.17

V.

Varietas credentium an sit nota Ecclesiæ? 91.b.1.& d.
Veneratio Eucharistiæ est gemina. 23.b.20
Verba S. Cœnæ, Hoc est est corpus meum: quomodo intelligenda? 18.a.45. 46.& 21.a.6.& 31.b.2.3.& 32.a.4
Verbum Dei eandem cum sacramentis rationem habet. 6.b.48.& 7.a.56
Vetustas an sit nota Ecclesiæ? 89.b.1.& d. an competat Ecclesiæ Romanæ? 90.a.3. an competat nostris Ecclesiis? 90.b.5
Victimæ manducatio est κοινωνία altaris. 46.a.31
Viginti hæreses a Bellarmino obiiciuntur nostris Ecclesiis. 95.b.7.& d.
Vita Ecclesiæ est duplex. 66.b.12
Vnio corporis & sanguinis Christi cum credentibus num substantialis? 3.b.18
Vnio membrorum inter se & cum capite num sit nota Ecclesiæ? 98.b.1.& d. an competat Ecclesiæ Romanæ? 99.b.8. an competat Ecclesiis nostris? 100. b.9.
Vnio nostri cum Deo Patre, Christo, & inter nos qualis? 6.b.54
Vnio nostri cum Christo. Vide Coniunctio.
Vnio personalis & sacramentalis à Patribus inter se conferuntur. 32.a.4
Vnio sacramentalis qua in re consistat? 11.b.16.& 13.a.3.& 15.b.25
Vnitas an sit nota Ecclesiæ? 85.b.2
Vocatio fit per gratiam naturalem vel supernaturalem. 54.b.10. est immediata vel mediata, ordinaria vel extraordinaria, externa vel interna. 55.b.7
Vocatio ministrorum Ecclesiæ qualiter, & quo ordine fieri debeat? 163.a.1.& d. est ordinaria, vel extraordinaria. 165.a.3.& b.7.8
Voluntas Dei est iustitiæ regula. 16.b.32
Vota sanctis, præsertim mortuis, absque idololatria non possunt nuncupari. 211.b.4

Z.

זִבְחַ quid sit? a.12
Zuinglius quomodo sit intelligendus, quando scribit de somnio suo: Nescio an ater vel albus fuerit? 20.a.59.60. non est author nostræ religionis. 90.b.5.6. eius mors. 107.b.3

FINIS.

PANSTRATIÆ CATHOLICÆ TOMI QVARTI

LIBER PRIMVS.

Qui est

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Caput Primum.

De Nomine Sacramenti calumnia.

HORRET animus reuoluens exantlatos hactenus labores, prospiciens porro exantlandos. Certe annos iam quindecim conflictato cum ingeniis Papisticis omne genus, videri poterat tempestiua missio, quies grata. Et tamen pars ea supereſt, in quam collatum quantum fuit vnquam, animositatis, subtilitatis, sophisticæ. Nam de Sacramentis, de Ecclesia, quis non vidit infinita disputationum plaustra: quarum vel tituli fatigent constantissimum, moles obruat ipsum Athlantem? Magna ea fatiscendi, magna desperandi occasio: si propriis freto viribus tantum opus esset susceptum. Sed Deus ipse autor consilij, animi fautor, sufficientiæ largitor, porro dabit, vt qui tot annos exercitiis non defecerim, & quod reliquum est persequens ὡτῦ χειραγωγῆντος, ad finem deducti operis vota soluam in Ecclesia. Exaudi, Pater optime: & vota rata habeto.

II. Prolixe disputatum postremo loco de Sanctificatione, Iustificatione, atque earum beato fine in statu animarum redemptarum post hanc vitam. Ordo vocat ad vtriusque instrumenta, quæ sigillatim in quibusque hominibus promouent vtramque: sic enim nostra methodus promisit. Eo capite continebitur disputatio ingens de Sacramentis. Nam etsi hæc non sint sola; quibus id diuini operis conficitur: tamen alios locos alia sibi postulant. Certe per verbum sanctificari fideles Christus docuit, Ioan. 17. *Sanctifica eos in tua veritate: sermo tuus veritas est.* Verbum autem per prædicationem efficax: vnde consequens, & Verbum, & Verbi prædicationem, in instrumentis esse nostræ sanctificationis. Verum de Verbo Dei controuersiæ fuerunt, Tom. 1. Prædicationem sibi Tomus postremus vindicabit, cum reliquis quæ ad ordinem Ecclesiæ pertinebunt. Itaque Tomus hic totus occupatur sane in Sactamentario negotio. In quo nomen ante omnia considerandum: postea prolixius res discutienda.

III. De Nomine Sacramenti disputarunt quicunque ferme locum hunc communem sunt aggressi. Catholici paucis: non solent enim à vocibus momentum arcessere Theologicorum mysteriorum. Caluinus instit. lib. 4. cap. 14. sect. 2. valde breui. Petrus Martyr. in 4. ad Rom. Beza ipso statim initio 2. part. Quæst. & Respons. Hellopœus de tota re Sacramentaria, cap. 1 Polanus Syntag. lib. 6. cap. 49. Zuinglius de Vera & falsa Religione, cap. de Sacramentis. Musculus in Locis Communibus, cap. de Signis Sacramentalibus.

IV. At Papistæ vehementius? nam hi ne loqui quidem permittunt, nedum sentire, nisi ad suum præscriptum. Catechismus ad Parochos initio tractatus de Sacramentis. Eckius hom. 1. de Sacramentis. Polygranus in Assert. Gropperus in Enchir. Colon. initio tractat. de Sacramentis. Bellarm. de Sacramentis in genere lib. 1. c. 7. & 8. Gregor. de Valentia in tom. 4. disput. gen. 3. quæst. 1. par. 1. Francisc. Suares de Sacramentis, tom. 1. in præfatione.

V. Bellarminus Caluino litem mouet, quod §. 13. cap. 14. lib. 4. Institut. etsi dicat nolle contendere de nomine Sacramenti, tamen non obscure reprehendat: cum, *Abunde*, inquit, *liquet veteres qui Sacramentorum nomen signis indiderunt, minime respexisse, quis fuisset verbi huius vsus Latinis Scriptoribus: sed nouam hanc significationem pro suo commodo affinxisse, qua simpliciter sacra signa designarent.* Zuinglio etiam os suggillat, qui libro de Vera & Falsa Religione scripserit, *Voce istam Sacramentum magnopere cuperem Germanis nunquam fuisse acceptam.* Ne Melanchthoni quidem parcit, qui in locis editis anno 21. & 22. caput de Signis inscripserit, non de Sacramentis: & in medio eius capitis, *Quæ alij*, inquit, *Sacramenta, nos Signa appellamus.*

VI. Hac occasione accersita, id nominis vsurpandum non paucis disputat, & iam vsurpatum, porro conseruandum: tum quia in Scripturis ex stet tam quod eo Patres vsi sint: Denique quia propagatum in omnes linguas vulgares, Italicam, Gallicam, Hispanicam, Germanicam, & alias. Nec aliter Suares, causatus huius temporis hæreticos (& quos indicet hæc phrasis Papistica, notum) nomen ipsum reiicere in ea significatione.

VII. Sed nos illiberabilem dicimus, nec dignam Theologis contentionem de nudis vocibus: quarum quicquid iuris est, pendet à consuetudine: adeo vt solenne iamprideni fuerit axioma, loquendum esse cum multis, sentiendum cum paucis. Scimus autem olim factum, cum sit iuris Ecclesiastici factum Sacramentum, etiam ad denotandum id genus rerum de quo nunc nobis controuersia inchoatur. Itaque nemo prorsus est nostrum, qui eo non vtatur tam facile, tam libenter, quam alio quocunque.

VIII. Testes habeo omnes Confessiones, omnes Catechismos, quarumcunque Ecclesiarum, quæ à tyrannide Papistica vindicauerunt se in Christianam libertatem. Locos omnes communes, disputationesque, & scripta quæcunque prodierunt eorum, qui de hac ipsa materia scripserunt aliquid. Ex quibus omnibus si locos congeram, volumen exibit integrum. Certe in Confessione Augustana, cuius autor Melāchthon, Lutherus approbator verba sunt art. 13. *De vsu Sacramentorum docent, Sacramenta instituta esse, non modo, vt sint nota professionis inter homines, sed multo magis vt sint signa & testimonia voluntatis diuinæ erga nos.* Confessionis Gallicæ art. 35. *Credimus adiuncta esse verbo Sacramenta, amplioris confirmationis causa.* Catechismus ab ipso Caluino compositus, sect. 46. Pastori interroganti, *Non est aliud à verbo medium, vt loquuntur, quo se nobiscum Deus communicet?* Respondet ὁ Κατηχούμενος. *Verbi prædicationi adiunxit Sacramenta.* Confessio Heluetica (& Heluetius fuit Zuinglius) art 19. *Prædicationi verbi adiunxit Deus mox ab initio in Ecclesia sua Sacramenta, siue signa Sacramentalia.* Anglica, *Recipimus Sacramenta Ecclesiæ.* Scoticana art. 18. *Notas veræ Ecclesiæ Dei credimus, confitemur & profitemur, primum & ante omnia, veram prædicationem Verbi Dei: deinde rectam Sacramentorum Iesu Christi administrationem.* Belgica 29. *His notis vera Ecclesia à falsa discernetur: si in illa pura Euangelij prædicatio, legitimaque Sacramentorum ex Christi præscripto, administratio vigeat.* Poloniæ consensus, *Docentur etiam homines Sacramenta esse actiones diuinitus institutas.* Saxonica cap. 13. *Ritus quidam diuinitus instituti, qui nominantur vsitate Sacramenta.* Bohemica art. 11. *Docent in primis Sacramenta per Christum instituta ad salutem necessaria esse.* Catechismus Ecclesiæ Tigurinæ (& debet Tigurum suam liberationem Zuinglio) sectionem habet cui titulus, *De Sacramentis Ecclesiæ Christi.*

IX. Hæc sunt authentica ex quibus æstimari debebat, si quid erat disputandum. Non sunt enim particularia huius illiusve autoris placita: sed publica eorum omnium testimonia qui ab ignorantiæ Papisticæ tenebris liberati, suam fidem professi sunt: & iis verbis professi, quibus vti solent. Nam quæ causa erat, vt si quid in vocibus desiderarent, dissimularent potius, quam in rebus? Priuatas autem sententias si iuuat inquirere; quis tandem finis futurus est?

X. Et tamen ipsa illa, quæ recitantur non tantum ex Caluino, quem paulo pudentius tractarunt Sophistæ, sed etiam ex Zuinglio, ac Melanchthone, calumniam redolent ore pleno. Primum enim, non potuit aut Bellarminus aut quisquam alius negare, vti illos ipsos, eo ipso vocabulo, tam frequenter, tam familiariter, quam ipsum. Demus ergo initio disputationis nonnihil in alteram partem esse testatos? quid tum? An propterea concludi debuit, ab iisdem reiici? Et non potius ab initio velle aliter fuisse constitutum. Et si res fuisset in integro, aliud aliquid ipsos inquisituros: sed quando ita accidisset, noluisse innouare: Et hæc calumniæ iusta causa erat? Et non debuit potius tum libertas tolerari, tum modestia laudari? Et quid tandem permitti cuiquam libertatis poterit, si ne in vocabulis quidem potest? Quis crimini vertit Hieronymo, quod ἐπὶ τὸ πλατύτερον suum sensum sit testatus, aduersus Græcorum Theologorum consensum?

XI. Et vero, vt de Melanchthone incipiam dicere, quæ causa fuit Bellarmino repetendi primas editiones locorum Communium, ab annis vicesimo primo & secundo? Quas ego quidem, nec vidi vnquam, neque inquirere putaui operæ pretium Certe habuit sophista ad manum postremam anni quadragesimi quinti; in qua titulus disertus. *De Sacramentis*, non *de signis.* Et in ipsa statim initio: *Sacramentum, vt nunc quidem in Ecclesia loquimur, vocatur ceremonia in Euangelio instituta.* Audis vsurpatum nomen: audis additam vsurpandi causam; morem Ecclesiæ: & hunc ipsum morem repræsentatum in prima persona: non enim, vt alij loquuntur: sed vt loquimur. Fac initiis suis nonnihil addubitasse: ac hic sibi certe testatus est satisfacere Ecclesiæ consuetudinem: quæ quidem pro ratione esse potuit; esse debuit in vocabulis. O calumniatores, qui non patiuntur quenquam mutare sententiam! Quid si nos eodem modo tuas negligamus Recognitio-

gnitiones Bellarmine : & quæcunque emendas, non patiamur emendata?

XII. In Zuinglio comperta Iesuitæ nequitia, truncantis Sancti viri sententiam. Non ille: non enim ille votum expressit absolutum, vt ne admissum vnquam id nominis esset; etiam si Bellarmino testimonij socius adsit Polygranus: sed certa hypothesi limitatum. Habe verba totidem, *Vocem istam Sacramentum magnopere cupiam Germanis nunquam fuisse receptam, nisi germane esset accepta. Cum enim hanc vocem Sacramentum audiunt, iam aliquid magnum sanctumq; intelligunt, quod vi sua conscientiam à peccato liberet.* Humanitatis expertem te esse oportet, Iesuita, qui neglecta hypothesi, vel potius limitatione, *nisi germanè esset accepta*, præcisum votum exprimis, *magnopere cupiam nunquam fuisse receptam.* Perinde ac si quis rotunde diceret à Christo dictum, *Transeat calix iste.* Sic tu olim Caluino votum affinxisti, calumniator, vt esset extinctum Trinitatis nomen: semper tui similis, sed viro bono dissimilis.

XIII. Germanè acceptam vocem dicebat, puram ab abusu: abusum autem repetebat non ab ipsis initiis, sed à postremis temporibus, cum Papistæ detorserunt in eam notionem, quam expressit statim; quæ conciperet rem aliquam, quæ vi sua conscientiam liberaret à peccato: quem quidem tetrum obominandumque abusum Papistæ vocant opus operatum; vt postea suo loco imus visum. Hunc si tollas (& sustulit ipse apud suos: sustulerunt alij viri sancti, quorum laboribus benedixit Deus) nihil erat quod Zuinglio doleret. Atque in eam spem intentus ipse, ead. tota disput. Sacramenta subinde ingeminat: Et, *Sacramenta*, inquit, *duo omnino reliquit nobis Christus, Baptismum, & Cœnam Dominicam.*

XIV. Sed Caluinum improbare? Immane mendacium. Disputabat aduersum eos, qui Sacramentorum energiam eleuaturi, argumentum ducerent à nomine; nominisque vsu apud autores Latinos. *Sacramentum, inquiunt, cum multas habeat apud probatos autores significationes, vnam tantum habet, qua signis conuenit: nempe qua solenne illud iuramentum significat, quod miles Imperatori præstat, quum militia initiatur.* Hinc illi concludi volebant in Sacramentis esse nihil præter externam fidei professionem. Huic impostura Caluinus id opponit, quod Bellarminus descripsit impostor. Veteres scilicet neglecto illo bonorum autorum vsu, nouam significationem suo commodo affinxisse. Bene sibi consuluit Sophista, qui hoc Anabaptistarum argumentum neglexit. Vidissemus, quanto solidius refelliisset. Sed Caluini, quodnam quæso peccatum est?

XV. Primum nego sequi; si dixit veteres nouam significationem affinxisse, ideo hunc vsum eius significationis improbasse. Alioquin, improbauerit Polygranus, fidei, caritatis, iustitiæ nomina. Ille enim; *Longe aliud est*, inquid, *quod Philosophi fidem, aut virtutem, iustitiam, aut caritatem appellant, quam quod Scriptura Sacra. Philosophia laruas indicat externas: Scriptura vero Spiritum aduocat.* Prorsus similiter, quamuis mutatis vocibus.

XVI. Secundo, dico idem Caluino dictum, quod Papistis dictum: Et dictum ab illo mollius longè: longe ab istis durius. Polygranum audi. *Sacris literis nihil curæ est, quid Philosophi, siue Grammatici Sacramentum vocent.* Nihil inquit, curæ est: at Caluinus, minime respexisse. Sed Eckii zelum attende. *Valeant ista gentilia, inepta, & impia.* Quid in Caluino simile? Et Eckium tamen, & Polygranum tamen non accusauit Bellarminus, quasi vocabuli vsum improbarent. Cur tam varie? *Hypocrita eiice prius trabem de oculo tuo: & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.*

XVII. Denique vere dixit: Negari enim non potest apud exoticos autores, nunquam legi Sacramentum ea notione, quæ solennis fuit Ecclesiæ Latinæ. Etsi enim à sacro recte repetatur originatio: tamen non est verum quicquid sacrum sit, id Sacramentum appellatum, aut apud exoticos, aut apud Ecclesiasticos: sicut etsi fides dicta sit, quia fiat quod dicitur: tamen fides, neque Ciceroni, neque Catholicis tam late patet, quam effectio eorum quæ dicta sunt. Itaque non sequitur, si apud omnes eadem sit Etymologia, eandem etiam vsus esse rationem. Vt prorsus imperite insulseque exclamatum sit ab Eckio. *Errorem suum agnoscant Neochristiani, videntes etiam apud Ethnicos Sacramentum nullum fuisse, nisi vbi sanctum, aut, vt ipsi putabant, diuinum quid esse videretur.*

XVIII. Manifestum ex Varronis quarto de lingua Latina, proprium fuisse litibus, atque adeo forense. *Qui petebat, & qui inficiabatur, de aliis rebus vterque quingentos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item certo aliquo legitimo numero assium. Qui iudicio vicerat, suum Sacramentum à sacro auferebat, victi ad ærarium redibat.* Vnde Festo, *Sacramentum, as significat, quod pœnæ nomine penditur.* Et vetus formula, *Sacramento contendere.* Hæc, vt apparet, prima fuit antiquissimaque notio. Successit; an accessit potius? alia. In Pauli Diaconi Festo. *Sacramentum dicitur, quod iusiurandi sacratione interposita geritur.* Sed peculiare tamen videtur militiæ: vnde Glossæ veteres, Sacramentum, ὅρκος στρατικός. Et Isidorus Orig. 9. c. 3. *Sacramentum, in quo post electionem iurat vnusquisque miles se non recedere à militia, nisi post completa stipendia.* Suetonius Cæsare. *Sanxit ne quis ciuis maior annis viginti, minorve quadraginta, qui Sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset.* Idem Tiberio c. 36. *Iudæorum iuuentutem per speciem Sacramenti in prouincias grauioris cœli distribuit.*

XIX. Hic ille vsus est, ad quem respexisse veteres negat Caluinus: nempe vt inde tota vis æstimaretur vocabuli. Imo tota vis æstimaretur rerum eo vocabulo significatarum, quod volebant ij quos oppugnabat, quique in Sacramentis Ecclesiæ nihil admittebant præter obligationem nostri, iurantium in fidem Christianam. Quo sensu Tertullianus olim ad Martyras capit. 3. *Vocati sumus ad militiam Dei; jam tunc cum in Sacramenti verba respondimus.* Et Hieronymus ad Heliodorum. *Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus in Sacramenti verba iurasti.*

XX. Et sane hic vsus in Ecclesia nullus est, sed in paucorum duntaxat stylo; qui à puritatis Latinæ temporibus minus remoti, nondum didicerant Latinè loqui. Nam qui paulo post eos increbruit Sacramentum dixit, sensu vix vicino; vt est apud Isidorum, Origen. 6. capit. 19. *In aliqua celebratione cum res gesta ita fit, vt aliquid significare intelligatur, quod sancte accipiendum sit.* Quanquam ne iste quidem perpetuus, qui signa describit: quandoquidem id etiam complectatur, quod μυστήριον dixere Græci, quod quidem absque vllis signis esse potest, cum scilicet res est arcanæ cognitionis, nec omnibus obuiæ, sed paucis expositæ: siue, vt Suares ait, *res est aliqua diuina, hominibus occulta, eorumque cognitionem superans, vt Sacramentum idem sit, quod sacrum secretum.* Quæ notio; neque quicquam supponit depositum in pœnam, qui primus vsus fuit: neque adeo iusiurandum postulat, qui secundus.

XXI. Et vero Bellarminus ipse, non tantum Ecclesiasticum vsum disparauit ab Exoterico: sed illum ipsum tripliciter distinxit: primum ceremonias, quibus homines sacri initientur: secundum, arcanum & secretum: tertium signum externum rei arcanæ latentisque. Itaque eiusdem vocis omnino quinque significata enumerat: quorum illa tria, quæ illi postrema, ne ipse quidem ausus dicere, aut eadem esse, cum primis duobus, aut aliquando occurrere apud eos autores, à quibus primis deuenit ad nos Latinæ loquutionis proprietas.

XXII. Quare vere Caluinus dixit Si vere, quid Bellarminus habet, quod calumnietur? Nec tantum vere: sed & necessario dixit: vt eorum retunderet garrulam subtilitatem, qui Ecclesiastica dogmata metiebantur ex Varronis, Festive grammaticationibus: atque inde Sacramentis vim suam denegabant. Vtrumque sophistæ dissimulatum nequiter; vt falleret calumniando: vt fallendo calumniaretur.

Caput II.

De vi atque vsu nominis Sacramenti.

I. Calumnia sic confutatur. Sed ab eius calumniæ occasione disputatur, & bene vsurpatum, & porro vsurpandum, retinendumque vocabulum. Otiose; & ἐκ περιουσίας. Nam, etsi non defuerint, qui in proprietate vocabuli, nonnihil desiderarint, vt Zuinglius, & Lutherus ipse: tamen nemo detrectauit vti: quo satisfactum oportuit viro bono.

II. Pugnare obseruabamus à Scripturæ autoritate, à Patrum vsu, & omnium linguarum. In quibus qui posterior nominatur vsus, jampridem celebris, solus persuasit omnibus ἀνοήτοις, hanc causam, ex se satis alioquin infirmam. Nam in vsu vocabulorum, si quæ ratio adferri potest, eam oportet esse à proprietate: id est, ab vsu priore: à quo non recedatur. Nam quia vocabulorum proprietas tota sit ἐκ συνθήκης; si in vsum alium deflectas ab eo, qui prior vocabulum occupauit, tum necesse est à proprietate recedere: ideoque nullam inde causam habere noui vsus, vt necessario, vel iste repudiandus sit, vel à nouo aliquo vsu arcessendus; sic qui νόμιμον hodie, qui σοφιστὴν nominant in partem malam, non solent etymologiam pro argumento obiicere: sed vsui veteri, qui erat in bonam, vsum recentiorem opponere. Et eo satisfaciunt; quia *hunc penes arbitrium est, & lex & norma loquendi.*

III. Cæterum autem in vsu isto Ecclesiæ fuisse discessum à proprietate vocis, id est, priore eius vsu, do testem Papistam Horantium locor. Catholic. lib. 7. cap. 1. *Sicut necessitate coacti Christus ipse, atque Sancti Apostoli, & ipsa Ecclesia multis nominibus vsa est, per solam accommodationem, non iuxta ipsarum vocum germanam proprietatem, vt in omnibus fidei, fidelis, Spiritus Sancti, hypostasis, persona, & aliis similibus: & sicut quædam nomina sacratiora habita sunt à nostris maioribus, quam quæ in alienam linguam transferrentur, vt de Allelu-ja & Amen, Diuus Augustinus summa consideratione obseruat: ita profecto huic voci vsu venit.* Addo Suarem: *Fuit autem*, inquit, *necessarium Theologis ad explicanda propria nostræ fidei mysteria, propriis etiam ac specialibus vocibus ea exprimere, ac significare: & ideo sicut in aliis mysteriis incarnationis, aut Trinitatis, nouas voces adinuenerunt: ita hic non communem & analogam vocem adaptarunt, & accommodarunt.* Sed & Contarenum. *Apud Theologos posteriores immutata fuit huius nominis ratio: ac appellarunt Sacramentum, signum illud sensibile, sub quo latet arcanum spirituale: arcanum vero id quod latet, appellauere rem Sacramenti.*

IV. Hæc nobis horum ingenua confessio, hæc ratio satisfacit. Sed illa ratio ab autoritate Scripturæ, qua prima, qua prolixiore, qua præcipua nititur Bellarminus: eam nos admittere non possumus: neque permittere, vt non vapulet: ne cuiquam posthac esse queat offendiculo. Hanc explicaturus ille, ante omnia necesse habuit suos disparare Catholicos à reliquis. Apud illos facile probari ex cap. ad Ephesios 5. vbi teste Concilio Tridentino (admodum graui autore) sessione vicesima quarta, Sacramentum proprie dictum matrimonium appelletur: vnde manifestum consectarium, vsurpari in Scripturis Sacramentum, non solum in genere; sed etiam in specie, vt significat res illas septem, quæ proprie à Papistis sic solent vocari.

V. Apud alios autem probari posse idem nomen, vt est genericum & commune tum illis septem rebus, tum aliis, id est, vt significat signum rei sacræ & arcanæ.

VI. Atqui Lutherus, Caluinus, Zuinglius, Melanchthon, quid Papistis persuaderi posset non erant solliciti: quibus sciebant omnia iampridem probata, quæ in abusum etiam longe turpissimum deuenissent. Enimvero magnum est, iis persuaderi posse leuiculum vnius vocula peccatum, quibus tot alij, tantique potuerunt errores in articulis fidei imponi. Itaque non fuit de nihilo, quod sibi non sperauit hoc ipsum felicitas successurum, nisi Scripturis addito Concilij Tridentini spectro: qua tanquam Gorgone obiecta etiam suorum animos percelleret: quos nouit assuetos plus tam moueri hoc μορμολυκείῳ, quam Scripturæ autoritate.

VII. Videat tamen quid dicat: quantumve sibi polliceatur de suis, quibus persuasum Matrimonium proprie Sacramentum. Moneo esse qui reclament. Erasmum: qui ad eum locum 5. ad Ephesios. *Μυστήριον, id est, mysterium. Id nolui eos nescire, qui ex hoc loco faciunt matrimonium vnum ex Sacramentis septem. Non quod de hoc sit dubitandum.* Caietanum. *Non habes ex hoc loco, prudens lector, à Paulo coniugium esse Sacramentum. Non enim dicit Sacramentum sed mysterium.* Vasquen disput. 128. in 3. Thom. cap. 1. *Quod vero recentiores contendunt ex illo ad Ephesios quinto deducere nomen Sacramenti, vt significet non solum signum rei occultæ in vniuersum, sed etiam speciatim res illas septem, quas nos Sacramenta Ecclesiæ vocamus, mihi non probatur.* Dominicum Soto in 4. Sententiar. dist 1. quæst. 1. artic. 1. *Tertia demum significatio huius vocis est, qua significat sensibilia signa gratiæ. In qua vtique significatione non modo apud Ethnicos non reperitur, verum neque in Sacra Scriptura nominantur Sacramenta.* Iansenium concordiæ cap. 96. *Sa-*

tie est

tu est in Scripturarum autoritate fundatum, quod matrimonium sit Sacramentum, secundum eam acceptionem vocabuli, Sacramentum, qua dicimus Baptismum & Eucharistiam esse Sacramenta: quanquam secundum eam non accipiatur, cum dicit Paulus de coniugio loquens Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia, vbi simpliciter nomen Sacramenti pro mysterio accipitur, cum Græce μυστήριον. Viden? vt non omnes tibi consentiant Bellarmine? Et quidem de Erasmo forte Caietanoq; minus mirum; qui & Concilium Tridentinum præcesserunt; Et alias suspecti fuere nimiæ eruditionis: sed de Vasque, quid excipias? Nam is & vixit post id conciliabulum, & fuit æque tecum Iesuita. Neque puto, aut Soto, aut Iansenius; merito vllo suo debuerunt esse suspecti.

VIII. Et sane, cum constet, ipso teste te, Sacramenti nomen sumi non raro generice, pro quocunque aut arcano, aut signo arcani sacri: facile vident omnes (te vno fortasse excepto) prius constituendum, vtrum sit eo Paulus vsus generice, an specifice: alioquin in certam conclusionem esse; non nobis tantum, sed etiam Papistis. Non enim si quis hominem appellet Bellarminum, ideo significabit homo specifice Iesuitam. Nisi forte Papistis subueniat obedientia cæca. Sed hos mittamus.

IX. Alteros potius videamus. Nam hoc opus, hic labor est: hoc sibi debuit operæpretium Iesuita proponere oculos: non iuratos in verba sua διὰ φιλονεικίαν: sed τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Atqui hoc operæpretium Bellarmino desperatum: id, inquam, probari posse quod est in quæstione. Non enim disputatur, possitne aliqua omnino significatio dari, secundum quam Sacramentum dici queat de Baptismo & Cœna Domini: aut etiam de Confirmatione, Pœnitentia, Matrimonio, Ordine, Vnctione, similibusque rebus: sed vtrum proprie, & vt ille loquitur, non generice; sed specifice. Ratio quærendi, quia & nos duo tantum numeramus, & Papistæ septem. Hæc, inquam, dicimus non tantum esse Sacramenta: sed præter ea nulla esse. De nobis clarum: & postea disputabitur. Papistarum sensum habes à Thoma, qui p.3.q.60.art.1. vtrosque oppugnat, & qui pauciora dicerent, & qui plura. Imbi autem Vasques: *Fides Catholica vtrunque vitat extremum: & primo docet septem esse à Christo homine instituta Sacramenta.* Tum aliquanto post. *Secundo fides Catholica docet, non esse plura Sacramenta, quam hæc septem.* Catechesis Tridentina neque plura, neque pauciora vult numerari. Imo ipsum Concilium session.7. Canone 1. *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut vel plura, vel pauciora quam septem, aut etiam aliquod horum septem non esse vere & proprie Sacramentum, anathema sit.*

X. Præterea Zuinglium audiuimus sui scrupuli rationem reddere, quod audito Sacramento, omnes aliquid magnum sanctumq; conciperent, quod vi sua conscientiam à peccato liberaret. At Horantij hæc totidem sunt verba: illo eod. c.1. libr.7. locor. Catholic. *Hoc nostræ religionis mysterium singularem habet vocem, quo aliquid magnum sanctumque omnes intelligamus; quod videlicet nostram conscientiam à peccato liberet, cum vocem hanc scilicet Sacramentum audimus.*

XI. Quæ cum ita sint, tum oportet aut Papistas; aut in Papistis ipsum Bellarminum, strenue nugari, aut probare Sacramenti nomen specifice dici, specifice dicendum; ita vt hoc τόδε τι significet, neque latius pateat, neque arctius cogatur. Quod si nequeat, cur contendit? cur pugnat? cur non herbam porrigit? An vinci quidem potest, sed vinci non vult videri pertinacia? Disputanti denique Bellarmino de generico illo vsu, idem ego quod olim dicebat Imperator militibus tergum vertentibus, Quid agitis milites? Vnde itis, hostes sunt. Quo itis, non sunt.

XII. Sed vt vt sit, probat ex Scripturis? Ex Scripturis, inquam? Monstrum audaciæ. Qui enim potest, qui ipse fateatur in Scripturis non esse Sacramenti nomen? *Sunt*, inquit, cap. 7. *duo notanda: Primo quidem Scripturas Sacras non Latinè, sed vel Hebraicè, vel Græcè à Prophetis & Apostolis scriptas fuisse: proinde non esse demonstrandam ex Scripturis vocem Latinam Sacramentum.* Quid disertius? Et post tam diserta verba, quid opus subtilitate? Nam ne erres, & vt tibi reuocem in memoriam, quod tam facile tu tibi permittis obliuisci; de hac ipsa Latina voce, quæstio est. Potin-es dare aliquem è nostris? Age, potin-es dare aliquem omnino, qui περὶ τοῦ μυστηρίου litem mouerit? O Bellarmine, iterum dico: Hic, vnde fugis, hostes sunt: illic non sunt, quo fugis.

XIII. Sed Græcè, μυστήριον, illi respondet. Post videro diligentius. Sed nunc quomodo? Adæquatene, an vero late? Nam si adæquate, nonnihil promotum esset: si, inquam, adæquate, vt τὸ μυστήριον neque plura, neque pauciora complecteretur, quam hæc signa de quibus instituta disputatio est. Sed hoc tu nunquam dicturus es, Bellarmine, quantumcunque audax sis, qui mos est: imo quæ pene natura est Iesuitarum. Sed si late; quid promoues? An somniantibus es similis potius, qui cum se putant intensissime currere, tum locum mutant minime?

XIV. Scio Latinum interpretem, μυστήριον Latine reddidisse Sacramentum: sed propterea, has siue duas res, siue septem, nuncupandas specifice Sacramenta, nego. Nec inquiro, vtrum τὸ μυστήριον dicatur specifice de iisdem rebus: quod post videro: Exemplo tantum faciliori Bellarminum docebo, quanta sit vsus incogitantia: atq; adeo ipse mihi suggeret exemplum: vt si non capiat, tum secure possimus quauis caute duriorem accusare. Vult ille Hebræis מלואים esse Sacramenta. Atqui apud Latinum interpretem, ei voci Hebraicæ respondet Latina Consecratio. Leuit. 8. הם לריח ניחח מלאים: *consecrationis oblatio in odorem suauitatis.* Et post מאיל המלאים; *de ariete consecrationis*: & sic semper. An igitur mihi probes, Bellarmine, quia sic vox latine respondeat Hebrææ, qua tu dicis Sacramenta olim significata, ideo è Scripturis constare, Consecrationis vocem vsurpandam, retinendam, & quidem specifice, In hac controuersia? Si non audes: agnosce in te simili, tuum errorem.

CAP. III.

De Sacramenti nominibus Hebræis.

I. VIcimus primum statim congressum. Sed vlterius tamen iuuat experiri, quam dextre Scripturis vtantur Sophistæ. Incipiam ab Hebræis: pergam ad Græca: in Latinis desinam: sicut & Bellarminus; mihi solus in hoc scammate aduersarius: nam reliquis modestiores vires erant, quam vt tam alto mari sese committerent.

II. Bellarminus ergo ex altissimæ credo Mosaicæ sapientiæ penetralibus, tria delegit nomina, quibus Hebræi sua solerent Sacramenta significare. Primum omnibus ceremoniis generale: חקה vel חקים: Ex 12. & 28. Exodi, Alterum מלוא מלואים מלואה, Exodi 28. Tertium רז vel רזא ex 2. Danielis. Chaldæum tamen, magis quam Hebræum.

III. Veruntamen in primo labascit constantia. Agnoscit enim non tam ceremonias ipsas significari, quam legem ceremonialem. Sed debuit potius indefinite legem dicere. Nam originatio nihil habet peculiare ceremoniis, magis quam commune omnibus præceptis. Est enim primaria verbi significatio, Scribere. Ezechiel. 4. *Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, & pone eum coram te,* וחקות עליה, *& describes super eo vrbem Ierusalem.* Kimchi post descriptos varios scripturæ locos in Radice: כלם ענין כתיבה: *Omnia significant scripturam.*

IV. Sed vsus, vt fit, propagauit latius. Kimchi: האדם שיש לו עם חברו ומה שראוי ליקח ממנו נקרא חק ולפי שנתן ליכתב משפט. *Et quia datur describendum ius quod quisq; habet cum vicino; atque id quod æquum est vt ab eo accipiat, appellatum est* חק. Vnde Prouerbiorum octauo יחוקקו צדק ורזנים, *Et principes scribent;* id est statuent, *iustitiam.* Inde ergo nomen חוק designauit quodcunque statutum: nempe vel legem, vel habens vim legis: imo etiam peculiare mandatum. Redditur autem varie: Græce, δικαίωμα, πρόσταγμα, νόμιμον, νόμος, & aliter. Latine, ceremoniæ, Genes. 26. præceptũ, Exodi 15. Lex, Genes. 47. denique, iustificationes, sed in Psalmis duntaxat: nempe ex Græco: cuius nusquam putidior affectatio est.

V. Sed longe vltra ceremonias proferri doceant hi loci Psalm. 2. אספרה אל חק יהוה διαγγέλλων τὸ πρόσταγμα Κυρίου, *Prædicans præceptum eius.* Quodnam præceptum? An ceremoniale? Imo Bellarminus, *Hæc autem ordinatio mea in Regem, constat ex decreto Dei, quod ego prædicaturus sum. Quod enim habemus in nostra vulgata editione, prædicans præceptum eius: & in textu Hebraico, Enarrabo decretum eius, intelligitur de decreto, quo Deus statuit Christi regnum in totum orbem propagandum.* Psal. 148. חק נתן ולא יעבור, Πρόσταγμα ἔθετο, καὶ οὐ παρελεύσεται, *Præceptum posuit, & non præteribit,* Bellarminus, *Ipse mandauit rei non existenti, vt existeret, & mox obediens cœpit existere, quæ antea nihil erat. Statuit ea, in æternum, & in seculum seculi: id est, constituit vt semper maneant; & non ad morem inferiorum corporum oriantur, & occidant. Præceptum posuit. id est, decretum de hac re fecit Deus; & non præteribit; id est, & hoc decretum non præteribit, non abibit in auras.* Psalm. 50. מה לך לספר חקי ἵνα τί σὺ διηγῇ τὰ δικαιώματά μου; *Quare tu enarras iustitias meas?* Bellarminus, *id est, quare profiteris te scire legem meam, vt enarres præcepta mea, in quibus omnis iustitia continetur.* Sexcenta possum colligere: sed ista mihi sunto authentica interprete Bellarmino contra Bellarminum.

VI. Quid ergo veniebat in mentem, vt tam late patentis vocabuli meminerit in disputatione de Sacramentis: imo in disp. de nomine Sacramentorum? Aut, quo iudicio ei dictum esse hoc vnum de tribus nominibus, quibus sua Sacramenta Iudæi nominarent? Atque profecto quartum potuit משפטים quod etiam plerumq; illi additur. Et quintum מצות: Et sextum, עדות: Et quid non? Denique Etis ipsum nomen erit pertinens ad Etymon Sacramenti. Sed vt absoluam vno verbo: nullus vnquam interpretum, חקים reddidit Sacramenta: ne mysteria quidem.

VII. Alterum nomen מלוא, siue מלואה, siue מלואים: quod, inquit, consecrationem, siue initiationem sonat. Exodi 29. & Leuit. 8. vbi agitur de consecratione Sacerdotis. Deducitur autem à מלא, implere, perficere: quia qui Sacramentum suscipit, perficeret, vt sit idoneus ad sacram functionem peragendum.

VIII. Imo singularia מלוא & מלואה huc non pertinent: neque habent quicquam vicinum isti significationi: sed semper plenitudinem designant; Et Græcè redduntur πλήρωμα, vel πλήρωσις. Itaque Bellarminus inconsideratius cæteris admiscuit.

IX. Solum plurale מלואים, in Editione Græca expressum fuit per τελείωσιν, & Latina per consecrationem, idq; non nisi Exodi 29. & Leuit. 7. atque 8. neque alias vsquam. Ab Hebræis tamen putatur esse, non nomen genericum, sed species quædam sacrificij Certe Kimchi in ea radice ושלמים אחים הם בלשון ומלואים. *Milluim & Selamim fratres sunt in lingua*; id est, vicinæ significationis.

X. Sed Rabbinos mittamus. Quid hoc tamen pertinet ad nomen Sacramenti? Sacramentum à sacrando. Ita esto sane Sed enim מלא verbum, vnde id nominis deductum, cum raro consecrare est, siue τελειοῦν: tum nunquam vsurpatum pro consecranda alia re vlla præter hominem: & quidem vocatum peculiariter ad publicum aliquod in Ecclesia ministerium. Dicam amplius: numquam eo solo verbo significari cõsecrationem: sed integra phrasi; quæ ad verbum sonat *Implere manum alicuius.* Exodi 29. ומלאת יד אהרן. *Et implebis manum Aaronis.* Græcè & τελειώσεις τὰς χεῖρας Ἀαρών. Hieronymus. *Postquam initiaueris manus eorum.* Leuit. 16. ואשר ימלא את ידו: ὃν ἂν τελειώσωσι τὰς χεῖρας αὐτοῦ: Hieronymus *& cuius manus initiatæ sunt.* Neque vnquam aliter in hac significatione. Quæ phrasis profecto vsurpari non potest de vlla re inanimata. Quam procul quæso à Sacramenti veriloquio?

XI. Nam hoc non dicitur a consecrando homine, sed re inanima: Est enim dictum passiue, vt iuramentum, testamentum, fundamentum, purgamentum, atramentum. Tum autem, cum in vsu sit consecratio, ea tamen nunquam dicitur hominum accedentium, sed ipsorum Sacramentorum, puta aquæ, panis, calicis. Vnde Pauli phrasis prioris ad Cor. 10. *Calix Benedictionis*, non quo benedicimur, sed *cui benedicimus.*

XII. Denique nego מלואים vnquam occurrere pro Circuncisione, aut Pascha, aut omnino aliis vllis ritibus, ceremoniisve, præter illam, quam dixi Sacerdotum consecrationem. Itaque hic sine dubio abusus est Bellarminus Iesuitico imperio; quod sibi id genus arrogat hominum, tum in res, tum in verba, vt pro arbitrio statuant, destituant, vertant, inuertant omnia. Modestius pro Sacramento, ordinem dixisset.

XIII. Tertium nomen superest רזא: hoc ille vult significari non solum rem secretam Esaiæ 24. sed etiam signum rei secretæ: quod probat ex Danielis secundo: non negans tamen etiam eo loco significare rem secretam.

XIV. Imo in Esaia ambiguum, an significet rem secretam: & propius verisimili, vt non significet: quamuis ita reddiderit Hieronymus, post Chaldæum paraphrasten. Nam ipsi Iudæi interpretes abeunt in diuersa: Iarchi interpretatur ex analogia Chaldaica: item Kimchi, addita patris sui authoritate. Sed Abben Ezra, Rabbinorum doctissimus, non recedit ab etymologia Hebraica. Et videtur huic textus fauere. Nam Propheta lamentatur ac deplorat suam sortem. Vnde statim, *Væ mihi.*

XV. Notum autem ex aliis omnibus locis, quæcunque sunt eius originis voces Hebrææ, maciem significare oppositam pinguedini. Esaiæ 17. ירזה ומשמן בשרו: *Et pinguedo carnis eius emarcescet.* Septuaginta recesserunt: καὶ τὰ πίονα τῆς δόξης αὐτοῦ σεισθήσεται; *pinguia gloriæ eius commouebuntur,* siue, *excutientur.* Ezech. 34. ושפטת בין־שה בריה ובין־שה רזה. Διακρινῶ ἀνὰ μέσον προβάτου ἀσθενοῦς καὶ ἰσχυροῦ. *Iudicio inter pecus pingue & macilentum.* Numer. 13. ומה הארץ השמנה היא אם־רזה. Καὶ τίς ἡ γῆ, εἰ καλή ἐστιν ἢ πονηρά. *Ipsa terra bona an mala.*

XVI. Ab ea prima significatione progressum ad metaphoricam: Sophon. 2. כי רזה את כל־אלהי הארץ: *Attenuabit omnes Deos terræ,* Græcè, ἐξολοθρεύσει πάντας τοὺς θεοὺς τῶν ἐθνῶν τῆς γῆς. *Perdet omnes Deos gentium terræ.*

XVII. Veruntamen in Daniele, Linguaque Chaldaica, nemo dubitat secretum significari. Itaque Septuaginta transtulerunt in μυστήριον: Latinus interpres partim mysterium dixit, partim Sacramentum. Quid ad Bellarminum? Nimirum, inquit, signum rei secretæ. Signum autem? Vnde? Nam ex textu ipso non habet. Ex vsu linguæ habet rem ipsam secretam potius: quod potuit ab Elia doceri in Meturgemam. Ezech. 28. כל־סתום *omne absconditum.* Iosue 2. חרש, *clam:* Iudic 9. בתרמה, *dolose.* Prima Samuel. 18. & Ruth 6. בלט, *clanculum.* Psal. 90. בסתר *in abscondito.* Genes. 49. בסודם *in arcanum eorum.* His omnibus locis paraphrasis Chaldaica vsurpat רז. Et Elias diserte, בלם לשון סוד. *Omnibus significatio secreti.*

XVIII. Nec Danielis mens aliena. Postulabatur enim ab eo & somnium, & somnij interpretatio: vtrumque tam arcanum, vt nomini hominum esset cognitum: ne regi quidem ipsi somniatori. Nec vero habes רזא dictum vllo loco peculiariter de statua: sed de tota quæstione obscura sibi proposita. *Socijs suis indicauit negotium; vt quærerent misericordiam à facie Dei cœli super Sacramento isto. Tunc Danieli mysterium per visionem noctis reuelatum est.* Et post, *Mysterium quod interrogat Rex, sapientes nequeunt indicare regi.* Respondens nimirum, cum interrogatus esset de indicando tum somnio, tum interpretatione.

XIX. Tum autem Daniel ipse rationem nominis reddens, non signa, signive rationem profert, sed secreti, arcanique. *Ipse reuelat profunda & abscondita: & nouit in tenebris constituta.* Qua ratione Lyranus contentus fuit. *Super Sacramento;* id est, *secreto sacro:* non dixit signo secreti sacri. *Mysterium,* id est, *occultum quod rex interrogat.* Neque curiosior Emanuel Sa, qui, *Sacramento,* id est, *arcano.* Itaque רזא dicitur statua (si tamen statua) non quod significaret aliquid ipsa: similiter interpretatio statuæ, non quatenus significabatur: sed vtrumque, quatenus erat absconditum, & ignorabatur omnibus hominibus. Quę ratio nulla ratione congruere potest Sacramentis, quatenus signa sunt. Sunt enim ipsa in aperto: & quidem, vt paulo post constabit, sensibus exposita.

XX. Sed Sacramentis tamen conuenire non negem, quatenus significari potest ea voce res ipsa, quam, vt alias videbimus, alteram partem faciunt Sacramenti, quum opponunt signum & rem significatam. Et sic recte Hellopœus, *Μυστήριον porro idem est quod Chaldæis* רז *iuxta interpretationem τῶν ἑβδομήκοντα, aut Hebræis* סוד. Sed enim adæquate Sacramentum designari, nulla fert ratio.

Cap. IV.

De Sacramenti nomine Græco.

I. Bellarmino nihil accreuit ab Hebræis commodi. Quid à Græcis? Μυστήριον sibi sperauit propitium. Et hoc notat ἀπὸ τοῦ μύσους deriuari apud Clementem Protreptico; sed ad inuidiam potius quam ad veritatem. Alias, ἀπὸ τοῦ μύειν καὶ στόματος: alias, ἀπὸ τοῦ μύειν καὶ τηρεῖν: sed posse ἀπὸ τοῦ μύειν; vnde sit etiam μύστης.

II. Tripliciter ait significare: primo ceremoniam initiandi: secundo arcanum quodcumque, siue secretum: tertio signum quodcumque rei arcanæ, & latentis. Hoc demum sensu occurrere in scripturis, Daniel. 2. Apocal. 17. posterioris ad Thessalon. 2. ad Ephes. 5.

III. De etymo non est nostrum contendere: Et notum varie in hoc notationum campo luxuriosa lusisse ingenia: siue ita persuasa, siue solius acuminis ostentandi, vel etiam oblectationis captandæ causa. Et vero huius ipsius vocabuli originem Clemens ille, non ἀπὸ τοῦ μύσους repetit tantum inuidiosius quam verius: sed etiam ἀπὸ τοῦ μύθου καὶ θηρεύειν; ἀντιστοιχούντων τῶν γραμμάτων, paulum variatis literis; scilicet quasi μυθήρια, vel potius μυθοθήρια; non magis probabiliter, quam qui στόμα accersiuerunt: & qui τηρεῖν: quasi qui apud Latinos, testamentum à mente, aut candelabrum, à labro.

IV. Sed etymologia quæ simplicissima, eadem optima: simplicissima autem, quæ ab analogia communi recedit quam minimum. Itaque reliquis omnibus omissis: verum ac legitimum etymon illud est, quod Bellarminus protulit, sed non nisi vt possibile; ἀπὸ τοῦ μυεῖσθαι: quomodo ἀπὸ τοῦ λύεσθαι, λυτής, καὶ λυτήριον: ἀπὸ τοῦ ἁγιάζεσθαι, ἁγιαστής καὶ ἁγιαστήριον: & infinita similia. Est autem μυεῖσθαι, sacris institui, initiari, sacra edoceri. Et quia sacra olim efferre nefas erat, inde τὰ μυστήρια fuerunt, non tantum sacra ipsa, quæ tradebantur, sed etiam quæ silentio honorabantur: indeque latius, quæcunque recondita, neque in promptu.

V. Quare apud Bellarminum primæ duę significationes vere sunt annotatæ, & passim occurrunt. Etiam apud Christianos. Nam inde est illud Nazianzeni oratione 42. μηδὲ ἐκφορὰ τοῖς ἔξω τὰ πολλὰ τῶν ἡμετέρων μυστηρίων. *Ne ad exteros quidem magna nostrorum mysteriorum pars efferenda est.* Quasi cum Halicarnasseus scripsit lib. 1. ἐγὼ δὲ ὅσα μὲν ὁρᾶν ἅπασιν οὐ θέμις, οὔτε περὶ τῶν ὁρώντων ἀκούειν, οὐδ᾽ ἂν ἐπιγράφειν οἴομαι δεῖν. *Ego vero quæ videre non est fas omnibus, neq; audire ab his qui viderunt licet, ea nec scripto prodenda censeo.*

VI. Quanquam huiusmodi ratio præter Scripturam est. Nam illa etsi passim mysteria dicit, tamen non ea mente, vt nunquam efferantur. Contra enim præceptum manifestum, *Quæ audistis in aurem, prædicate super tecta.* Sed quia multis iam seculis, fuissent occultata, etsi deinceps propalanda. Ad Rom. 16. Τὸ εὐαγγέλιόν μου, καὶ τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου. *Euangelium meum, & præconium Iesu Christi, ex reuelatione mysterij, quod à temporibus secularibus tacitum fuit.* Ad Ephes. 6. *Vt mihi detur sermo ad apertionem oris mei cum libertate:* γνωρίσαι τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου. *vt notum faciam mysterium Euangelij.*

VII. Tertiam significationem, quæ ad signa transiit, fateor esse frequentissimam: sed apud Christianos additum oportuit: nam apud exteros nullam esse constat.

VIII. Quinetiam monendus Bellarminus, non propter ipsam signorum significandique rationem: argumento gemino. Vno; neminem Græcorum dari posse, qui μυστήρια dixerit esse σημεῖα: quomodo Latini omnes permiserunt sibi tandem dicere Sacramenta esse signa: Altero; quod nunquam inuenias dictum, exempli gratia, panem & calicem esse mysteria corporis & sanguinis Christi: quomodo Latini esse Sacramenta: sed tantum τύπους, ἀντίτυπα & similia. Ac ne Latini quidem facile ausi tam impotenter abuti Græco nomine: neque adeo vllum exemplum ostentare potuerunt Bellarminus, Gregorius de Valentia, Suares, Vasques, aut quisquam alius. Etsi non negem sæpe occurrere τὰ μυστήρια τοῦ σώματος καὶ αἵματος: sed alio sensu.

IX. In Scripturis, μυστήριον vsurpari, pro ipso rei sacræ signo profecto impostura est. De Daniele jam dictum, quod satis sit: tum autem neque Lyranus, neque prior Hieronymus, eo loco mysterium signum interpretantur, sed duntaxat secretum. Quinquam hoc argumentum non est à Scriptura, sed ab authoritate Septuaginta Interpretum, aut Latini: quibus ita visum Hebraicam vocem interpretari.

X. Sed in Apocalypsi, *In fronte eius scriptum mysterium.* Et rursus, *Ego dicam tibi mysterium* (Sacramentum Latinus interpres substituit) *mulieris.* Et hinc habemus, inquit Bellarminus, mulierem illam forma meretricia, fuisse quoddam mysterium, id est, signum rei latentis, nimirum Romani Imperij, Antichristive. Non enim res ipsa latens, sed quæ videbatur mulier, mysterium appellabatur.

XI. Nec acute, nec feliciter. Cui enim sperauit se persuasurum, quia dictum sit mysterium mulieris, ideo mulierem esse signũ? Quotidie legimus, audimus mysteria corporis, & sanguinis: an quia ipsum corpus, sanguis ipse signum est? Marci 4. τὸ μυστήριον τῆς βασιλείας. Ad Ephes. 1. τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Et 6. τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου. Ad Coloss. 2. τὸ μυστήριον τοῦ θεοῦ; 4. τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ. Post. ad Thessal. 2. τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας. Prior. ad Timoth. 3. τὸ μυστήριον τῆς πίστεως: Et, τῆς εὐσεβείας: multaq; alia. Scilicet persuasurus est Sophista, regnum cœlorum, voluntatem Dei, Euangelium, Deum, Christum, impietatem, fidem, pietatem, totidem signa dici. Quid stolidius?

XII. Non feliciter. Neminem enim potuit habere socium tam raræ subtilitatis. Rupertus, *Sacramentum hoc, id est secretum malum illius est, quod nunc ab oculis eius absconditum est, dum in purpura, & coccino, auroque, & lapidibus pretiosis, & margaritis nitet & fulget: neque nunc interim credere aut scire vult, quod mali quippiã sibi euenire possit.* Et paulo ante, *Et in fronte eius scriptum mysterium. Ergo vel ironice dictum: vel idcirco, quia omnem fornicationis actum, in quo meretrix ista gloriatur, ipsa natura vult esse mysterium,* id est, *secretum. Et licet meretricia procacitas prædicet, naturalis tamen pudor contendit fieri occultum.* Haimo, *Videndum quare ipsum nomen mysterium appelletur. Mysterium quippe occulta res esse dicitur, in qua aliud videtur & aliud intelligitur. Opera quippe Babylonis quibusdam sunt in fronte, quibusdam in mysterio. Simplicioribus quidem, qui ea peruidere, & intelligere non possunt, mysterium est, quia occulta sunt eis, quæ à multitudine reproborum gerantur interius; perfectioribus autem in fronte nomen suum ostendit, quia eius omnia opera facile cognoscunt. Et ideo nomen eius in fronte quidem est, sed tamen in mysterio scribitur; quia quibusdam in aperto ostenditur, quibusdam in mysterio clauditur.* Ansbertus, *Ne superstitio pallio simulationis obtecta falleret incautos, diuina misericordia ex titulo frontis fecit esse solicitos. Sed cur tam innumeros ipsa simulationis arte decipit, cum in fronte nomen Babylonis portet, id est confusionis? Nisi quia non omnibus datum est nosse mysterium eius, sicut nec omnibus datum est nosse mysterium regni cœlorum?* Lyranus, *Ego dicam tibi Sacramentum,* id est, *significationem occultam.*

XIII. Clara res. Sacramentum mulieris, sive mysterium, id quod de muliere sciendum erat. Quomodo Sacramentum regni cœlorum, id quod de eo cognoscendum. Et ideo mysterium, quia nondum sciebatur; & ita erat in occulto, erat secretum, quod nisi reuelando nemini poterat innotescere. Emmanuel Sa, *Sacramentum; Græcè mysterium, quasi dicat, quid significet;* nempe vt ne sit ipsa mulier mysterium, sed id quod per eam significabatur. Immane quam procul à Bellarmini proposito. Nam hoc modo, non tantum non est mysterium, nomen specificum Sacramenti: sed ne genus quidem proximum, scilicet, quatenus signa sunt: sed remotius; quatenus occulta (si occulta) & arcana. Imo non quatenus ipsa, ita sunt: sed quatenus illa quæ ab eis significatur: quæ ratio nominis erit accidentaria.

XIV. Posterioris ad Thessalon. 2. legimus τὸ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας. *Mysterium operatur* (passiue, quod durum; pro peragitur, vt Beza vertit longe melius) *iniquitatis.* Vocat autem Apostolus mysterium iniquitatis, (si quid vota valent Bellarmini) persequutiones Ecclesiæ primitiuę, quæ significabant persequutiones excitandas in nouissimis diebus ab Antichristo. Sic enim exponere Chrysostomum, Theophylactum, Ambrosium: omnes.

XV. Omnes, inquit, nimis quam immodeste. Excipiendus erat Theodoretus, qui hæreses intellexit, per quas Diabolus abducebat à veritate. Excipiendus autor Commentariorum, qui adscribuntur Hieronymo; & Sedulius, qui falsas doctrinas. Et quidem, non quod hæreses, falsave doctrina significarent quicquam: sed quod occulte viam pararent Antichristo. Nos etiam excipiendi. Et inter Papistas, Gagnæus nobiscum, qui ipsum Antichristum appellamus mysterium iniquitatis: & hoc mysterium ἐνεργεῖσθαι, cœpisse expleri, siue exerceri iam tum ab initiis Ecclesiæ. Excipiendus Caietanus, qui, *Nominat,* inquit, *integritatem iniquitatum, mysterium iniquitatis.* A quo non procul abit Sa, *Mysterium iniquitatis scilicet*

plenum:

plenum: quasi dicat, quæ hæretici, vt mysteria venditant, plane sunt nequitiæ. Quis omnes expositiones donec refutarit, non poterit securus concludere nominatum à Paulo mysterium pro signo, siue typo.

XVI. Amplius dico: eos ipsos qui Neronem putarunt à Paulo indicari, non putasse μυστήριον dici ἀντὶ τύπυ, ἢ σημείυ: sed pro arcano, & secreto, nondum reuelato. Neque à me dico, sed ab ipsis. A Chrysostomo, Καὶ καλῶς εἶπε τὸ μυστήριον, τυτέστιν, ὐ φανερῶς, ὡς ἐκεῖνος, ὐδὲ ἀπηρυθριασμένως. *Recte dixit mysterium: hoc est, non aperte, sicut ille, neque omni exuto pudore.* Et Chrysostomum cum audis, eadem opera Theophylactum audis; audis Oecumenium. Ab Anselmo, *Ac si dicatur: tunc Antichristus manifestus videbitur. Nam in cordibus iniquorum secreta sua iam nunc occultus operatur. Iam in malis & fictis, qui sunt in Ecclesia, operatur mysterium iniquitatis. Quod ideo dicitur mysterium, quia videtur occultum.* A Caietano, *Nominat*, inquit, *integritatem iniquitatum, mysterium iniquitatis, quoniam vere arcanum est, & soli Deo cognitum, quantum iniquitatis implendum est ad hoc, vt Romanum imperium de medio tollatur.*

XVII. Quid hoc autem dico? Paulum debui primum & potissimum sui interpretum dare. Is manifeste opponit τῷ μυστηρίῳ τὸ ἀποκαλύπτεσθαι: & quidẽ bis in breui periodo: εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν; *vt is retegatur suo tempore: iam enim peragitur mysterium iniquitatis: tantum qui nunc obstat, obstabit vsque dum è medio sublatus fuerit*, καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος: *& tunc retegetur impius ille.* Sic ad Romanos sexto, ἀποκάλυψιν dixit μυστηρίυ χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένυ: *reuelationem mysterij, quod à temporibus secularibus tacitum fuerat.*

XVIII. Mysterium ergo apud Apostolum nominatum, non à ratione signi, quæ nostra notio nunc est: sed à ratione arcani, secreti, absconditi: quæ nostra nunc esse nequit. Nam Sacramenta Christiana, nihil habent secreti: reuelata enim sunt, sciuntur, cognoscuntur, intelliguntur ab omnibus Christianis: denique retecta, reuelata sunt. Itaque quomodo Antichristus ille, quia mysterium dicebatur ab occultando, tandiu mysterium futurum erat, quandiu occultum: tum desiturum dici mysterium, quum apparuerit: ita Sacramenta nostra mysteria dici nequeunt hac notione.

XIX. Habet denique illud ad Ephesios quinto: & quidem efficacissimum, sic enim & sperat, & loquitur. Tribui enim mysterij nomen non Christo & Ecclesiæ; sed coniunctioni viri & fœminæ. Hoc probari, quia referatur ad id quod erat dictum, *Erunt duo in carne vna.* Item, quia periret ratio Apostoli: cui probandum, viris diligendas esse vxores: id autem sic; quia, *erunt duo in carne vna*; sit magnum Sacramentum in Christo, & in Ecclesia. Hoc vero si ad coniugium nihil attinet, quid quæso Paulus probat.

XX. Nihil superioribus firmius. Primum, si concederem mysterium dici illam ipsam coniunctionem maris & fœminæ, tamen non sequeretur, id quod est in quæstione. Nam Sacramentum non tantum oportet dici signum, sed etiam sensibile, hoc est, incurrens in sensus corporeos; vt postea constabit ex vtrinque concessis. Atqui ea vnio, nullum sensum afficit externum: cum tota sit in voluntate, id est, animorum consensu: vnde dictum, *Nuptias consensus, non concubitus facit.* Alioquin, non scortatio tantum esset matrimonium, indeque Sacramentum, sed etiam bestiarum coitus, in quo repetitur quicquid corporale est in coniugio. Quare nondum à Paulo mysterium eo sensu nuncupatum esset, quo vsurpatur in vsu vulgari Christianorum, quum, siue duo, siue septem Sacramenta dicuntur mysteria.

XXI. Sed enim, ipsam illam coniunctionem masculi & fœminæ mysterium dici, non tam facile Bellarminus auferet quam sperauit. Non enim permittent, vt ante monui, Erasmus, Caietanus, Vasques. Non permittet Paulus, omnium locupletissimus testis. Is, cum persuadere vellet viris amandas esse vxores; probauit, quia Christus amet suam Ecclesiam: tum concludens: *Propterea*, inquit, *derelinquit homo patrem ac matrem, & agglutinabitur vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Mysterium hoc magnum est: loquor autem de Christo & Ecclesia.* Hic primum: Ergo, inquam, vnitas Christi & Ecclesię signum esset potius vnitatis viri & mulieris. Nam hæc ab illa significatur, id est, concluditur: scilicet, sicut ab esu & potu concluditur incorporatio nostri cum Christo: non contra, ab incorporatione nostri cum Christo, aut significari, aut concludi solet esus potusve panis & vini.

XXII. Deinde illud, *Dico autem in Christo & Ecclesia*: correctio est Rhetorica, ambiguitati tollendæ. Re vera enim, si esset nihil dictum, quam, *mysterium hoc magnum est*; procliuis intellectus esset, ipsam illam vnitatem viri & vxoris dici mysterium. Sed quia duas vnitates proposuisset Apostolus, vnam illam viri & vxoris, alteram Christi & Ecclesiæ: ne anceps relatio: imo ne Papistarum ab hac ambiguitate fallacia, cuiquam imponeret, declarauit Paulus, quid haberet in mente: magnum se ergo mysterium dicere, vnitatem illam alteram Christi & Ecclesiæ. Neque aliter acceptum à Veteribus, quod suo loco sumus visuri.

XXIII. Verum, id mysterium (inquit Bellarminus) refertur ad illud, *erunt duo in carne vna.* Esto, inquam: sed id ipsum mysterium dicitur, non in viro & muliere: sed in Christo & Ecclesia: id est, non quatenus declarat virum & mulierem, vnum esse: sed Christum & Ecclesiam. Dicam clarius. Vtrumque dicimus, & manducari panem, & manducari carnem Christi: at illud non est mysterium, sed hoc: sic vtrumque dicendum, & virum vxoremque esse duos in carne vna: & Christum Ecclesiamque esse duos in carne vno. Illud nullum est mysterium: sed hoc denique à Paulo merito dicitur. Oecumenius ὅτι τῷ Χριστῷ ἐξὸν μένειν ἐπὶ τῆς ἰδίας δόξης, ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν ἐνανθρωπήσας, ἵνα προσκολληθῇ τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ ἐγένοντο οἱ δύο εἰς πνεῦμα ἕν. *Quia cum liceret Christo permanere in propria gloria, humiliauit se homo factus, vt agglutinaretur Ecclesiæ: & facti sunt duo in vnum Spiritum.* Anselmus, *Sacramentum hoc magnum est, de coniunctione Christi & Ecclesiæ.* Hoc si verum, ergo mysterium appellatum est res significata, non vero res significans. Quare non est mysterium signum, vt vult Bellarminus.

XXIV. Sed, si ad coniugium nihil pertinet, quid quæso, Paulus probat? Quid dicis, inquam? Illudne mysterij nomen: an illud potius, *Duo in carne vna*? Nam si hoc; quis negauit ad matrimonium pertinere? Sed tu tibi potius fingis monstra, quæ debelles. Otiose. Sin autem alterum: tum ego contra; si ad coniugium pertinet, quid quæso Paulus probat? Nam à signis, familiare est probare rem significatam; non contra; vt iam dixi, ab esu & potu concludi incorporationem nostri cum Christo; non vicissim ab hac incorporatione, esum & potum. Ratio magna: quia nihil demonstrandum per obscurius: signa autem oportet esse clariora rebus significatis: & hæc maxime, de quibus agimus: quandoquidem sensibilia sunt. Porro non erat Paulo propositum, demonstrare vnitatem Ecclesiæ & Christi, per vnionem viri & vxoris, per vnionem Christi & Ecclesiæ.

XXV. Verum, quid si hoc non pertinet ad probandum? Hoc, inquam, *mysterium hoc magnum est.* Et sane pertinet potius ad illustrandam probationem; in qua vnio illa Christi & Ecclesiæ significata erat per verba illa matrimonij. Vt sensus sit his verbis, quibus constat matrimonij natura, significari magnum mysterium, illud videlicet in Christo & Ecclesia; Sic enim Chrysostomus, ἀναγωγὴν interpretatur. Est autem aliud ἀναγωγή, aliud signum Sacramentale.

Capvt V.

De nomine Sacramenti Latino.

I. Nihil Hebraicè, nihil Græcè promouit Bellarminus. Plusne Latinè? Omnia, inquit, Sacramenti significata (& enumerata fuisse quinque meminimus) nostris Sacramentis conueniunt. Prima significatio, quæ Zuinglio placuit, quia per ea nos vere oppigneremus Deo. Secunda, quæ Caluino arrisit, quia eidem nos obstringamus ad obsequium; atque ille se nobis ad protectionem. Tertia, & quarta, quia sint Sacramenta nostra omnia sacra, & arcana, nec aliis facile prodenda. Quanquam has quatuor fatetur non esse proprias, sed communes aliis rebus plurimis. Quinta denique, quia Sacramentum sic ceremonia initians, consecransque hominem Deo: siue, quod fere idem est, signum rei Sacræ, sacrantis & initiantis hominem. Atque hanc esse propriissimam.

II. Ergo, inquam, ἐκ περιουσίας contra Zuinglium disputatur, & Caluinum. Nam ii nunquam negarunt aliquam esse significandi rationem secundum quam vsurpari possit Sacramenti vox non tantũ de duobus Baptismo, & Eucharistia: sed etiam reliquis apud Papistas huic additis catalogo, aut etiam aliis pluribus. Imo fatente Bellarmino primam Zuinglius agnouit, Caluinus saltem secundam. Vnde igitur tanti clamores? tanta accusationis ab initio vehementia: vt nunc tandem desineret in fœdam contradictionem? Nam hæc profecto contradictio est, Zuinglium, Caluinum improbare id vocabuli vsurpari: & Zuinglium, Caluinum, aliqua saltem ratione admittere.

III. Denique fatetur Bellarminus in quatuor primis, nihil sibi esse præsidii: quandoquidem negare nequeat longe patere vltra hæc, siue duo, siue septem capita: de quibus nunc disputatur, seclusis reliquis omnibus. Addimus, illud de non facile prodendis, non haberi ex vllis Scripturis: imo esse contra Scripturas, vt paulo ante fuit annotatum. Enimvero, si mysterji vox ea notione Scripturis probaretur; tum Christi incarnatio non esset appellanda mysterium: quæ tamen & mysterium dicitur, & magnum mysterium ab Apostolo: & prædicatum in mundo. Quod si in magno illo mysterio, absurda illa significatio est; in quo tamen multo magis videbatur admittenda: nam, si omnia mysteria silentium postulent, certe maxima maximum: sequitur multo minus vrgendam, aut omnino vllam eius habendam rationem in reliquis.

IV. Sed quinta saltem, inquit, est propriissima. Quomodo? Adæquatene; vt & omnia quæ in huius nominis censum veniunt, ob eam causam sic dicantur: & contra quæcunque sic dicuntur, sint eiusdem census? Nam ea ratio eorum nominum, quæ propriissima sunt, vt omnibus, solis, & semper conueniant. Atqui hoc alienissimum à vero.

V. Nam primo, ea nulla est vocabuli aut etymologia, aut vis: sed aduentitia quædam, longeque petita ratiocinatio. Clarius dico. Non quia Sacramentum significaret signum, ideo dictum de his rebus est: sed contra, quia dictum de his rebus, ideo definitum est signum: etiam si propter aliam causam initio dici cœptum sit. Quomodo non quia Eucharistiæ nomen Sacramentum significet corporis & sanguinis, ideo nostra hæc ceremonia, appellata est Eucharistia; sed potius quia hæc ipsa ceremonia appellata est Eucharistia; & est Sacramentum corporis & sanguinis: ideo Eucharistia jam passim definitur Sacramentum corporis & sanguinis Christi. Neque quisquam sanus dixerit propterea bene appellari Eucharistiam, quia sit eiusmodi Sacramentum. Distat enim ratio rei, à ratione nominis: & ea ratio rei est: alia autem quædam nominis.

VI. Secundo, quid sibi non permittat ille, qui pro eodem sumat, ceremoniam initiantem, consecrantemque; & signum rei consecrantis, initiantisque? Nam si ceremonia ipsa initiat, sacratque: ergo ceremonia est res sacrans, atque initians. Itaque si Sacramentum est signum rei sacrantis, initiantis: erit Sacramentum non ipsa ceremonia, sed signum ceremoniæ: quod ego quidem hactenus audieram nunquam: Rursus, si ipsa res per signum significata, ea est quæ sacrat, initiatque; & Sacramentum propterea dicitur à sacrando: hæ autem res sensibiles propterea Sacramentum, quia signa sint sacrantis rei: ergo Sacramenti nomen signis conueniet figurate, non autem proprie; & vt genus dicitur de sua specie, aut species de suis indiuiduis: quod ego rursus nunquam audieram.

VII. Tertio. Si Sacramenta dicantur: eo quod initient, consecrentque: & eo quo Sacramenta sunt, etiam signa sint: ergo eas res oportet iis initiari consecrarique, quarum illa signa sunt. Quid ergo? Suntne Sacramenta signa hominum, qui iis initiantur, consecrantur? An vero initiant, & consecrant ea, quorum signa sunt, puta corpus & sanguinem Christi? Viderit Bellarminus.

VIII. Quare hoc tandem confectum est, nullo argumento hactenus probatum esse, ipsum hoc Sacramenti nomen, aut ab initio debuisse transferri in eum vsum, quem nunc habet ita peculiarem, vt ei videatur natum: aut etiam deinceps necessario retinendum: peccareve quicquam in fidem Christianam, inque pietatem, qui libere de eo suam sententiam pronnntient: quod Zuinglius fecit: fecit Melanchthon: Caluinus fecit: aut denique

eos non impie peccare contra charitatem, qui pios viros hoc nomine tam grauibus calumniis onerent huius libertatis causa.

Cap. VI.

De definiendo Sacramento.

I. HActenus de Sacramenti nomine: deinceps de re ipsa. In qua prolixissima materia? adeo vt nullum sit Religionis caput, in quo sese magis exercuerit Sophistice: non tantum, vt oppositas suæ superstitioni sententias oppugnaret: sed etiam, vt intra seipsam multa inquireret superflua: ex media philosophia repetita; ideoque liberæ & inspectionis, & definitionis.

II. Sacramenta, non tantum numero multiplicantur: sed etiam specie, aut quasi specie distinguuntur in Vetera, & Noua. Nam, etsi hæc nomina desumpta sint à tempore, tamen in rebus ipsis longe plus habent discriminis, quam vt mera circunstantia sit. Illa sunt quæ ante Christum instituta fuere: Hæc vero quæ post eius aduentum Christianis solis tradita. Papistæ tamen in inquirenda Sacramenti definitione, veterã negligunt, solis nouis intenti; imo, si qua definitio vniuoce complectatur vtraque: hoc vnum argumentum legitimum existimatur ei reiiciendæ: sic enim apud Bellarminum, Augustini definitio summouetur, eo quod Sacrificia sit complexa. Quod certe factum non oportuit. Nam, etsi vetera desierunt jampridem: tamen Theologum necesse est ea quotidie manibus terere: itaque etiam cognitissima habere. Denique par stupiditas est, ac si quis primos homines illos omnes jampridem nullos, nolit in homine definiendo vllo aut loco esse aut numero.

III. Sed enim definitione Sacramenti, postremi, recentissimique Theologi magnis conatibus inquisierunt: qui Veteribus labor fuit vel perfunctorius, vel superfluus. Nam ab iis definitionem nullam habemus nisi ab Augustino: atque hanc ipsam minime gentium accuratam. Causam fuisse reor: quod nondum Sacramentum esset certo constitutum tanquam proprium huic generi, multo minus speciei nomen: etsi interdum nonnihil obseruari queat, quod accedat. Nam erat alioquin Dialecticæ non imperitus Augustinus, nec indiligens tractator: imo interdum huiusmodi minutiarum affectator. Itaque ego certe non dubito, si tam distinctum illi separatumque nomen fuisset, quam fuit ex quo tyrannidem suam obtinuere Scholastici; accuratiorem ipsum etiam definitionem fuisse posteris relicturum.

IV. Scripsit igitur Augustinus, 10. de Ciuitate Dei cap. 5. *Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum est.* Item Epist. 5. *Signa, quum ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Hinc Scholastici collegerunt, vt videre est apud Bellarminum, & Gregorium de Valentia, & Suarem, & alios, definitionem, *Sacramentum rei sacræ signum*: quam aliter expresserunt, *Inuisibilis gratia visibilis forma.*

V. Sed hanc definitionem negant hodie omnes Papistæ verbis esse exactam, nisi productis in eas notiones, quas pro arbitrio libuit affingere: & varie, prout se quisque putat arte valere, vel certe occupatum gerit animum præiudiciis. Bellarminus, *Hæ definitiones, si accipiantur vt verba sonant, imperfectæ sunt: tamen si accipiantur, vt sonant secundum sensum & intentionem Ecclesiæ, & Doctorum, bonæ sunt, & legitimæ.* Gregorius de Valentia; *Fatendum est hanc definitionem, non propter solam natiuam vim verborum, ex quibus illa constat, bonam, atque exactam esse: sed potius propter significationem ad quam intelligentia, & interpretatio Doctorum iam accommodauit ea verba.* Quomodo autem accommodauit? *Siquidem*, inquit Bellarminus, *per signum intelligunt, signum sensibile, institutum, practicum, rei signatæ similitudinem gerens. Per rem sacram intelligunt gratiam iustificantem.*

VI. Verum Catholicis iampridem pro nihilo est, quod autoritate sua definiunt Doctores Papistici, siue eorum Ecclesia. Sed hic, vt omnia taceam reliqua, quorum prolixior disputatio est; tamen constat eam accommodationem, vt loquitur Valentianus, siue intentionem, vt maluit Bellarminus, esse præter Augustini mentem. qui longe vltra Christiana Sacramenta, Sacramenti produxit & nomen, & rem: atque adeo hanc ipsam definitionem voluit esse communem Sacrificiis externis, quæ nulla sunt Christiana: quæ tamen obiectio fuit Bellarmini contra eam definitionem: *Non recte faciunt*, inquit, *qui pro hac definitione defendenda nimium altercantur: præsertim cum Sanctus Augustinus de Sacramento loquatur tam ampla significatione, vt etiam sacrificium comprehendat.*

VII. Post Augustinum, & longo quidem interuallo, ac tum maxime, cum vna cum rebus mutata fuit vocabuli significatio, Theologorum operas valde occupauit hic definiendi Sacramenti labor. Successus cuique fuit, pro animi conceptu. Vnde factum, vt in tanto sententiarum æstu, nulla possit definitio tanquam certa, fixaque & rata, constitui. Itaque omnibus omissis, tam iis, quæ Catholicorum sunt, quod à Papistis non approbentur: quam, quæ à Papistis concinnatæ, quod à Catholicis admitti nequeant; certum est disputare de re ipsa: vt singulis decursis capitibus tum concessis, tum controuersis, & pro fidei necessitate confirmatis, infirmatisve, secure possit definitio conflari.

VIII. Quos in eo versatos exercitio legimus, hi fuere. Caluinus Instit. lib. 4. c. 14. Melanchthon in Locis Commun. titulo de Sacramentis. Musculus in Locis, tit. de Sacramentalibus Signis in genere. Henricus Bullingerus Decad. 5. serm. 6. Theodorus Beza Quæst. & Responsion. parte altera. Petrus Martyr. Locorum Communium classis 4. c. 7. siue in 4. caput ad Romanos. Zacharias Vrsinus in Thesibus de Sacramentis, & in vera doctrina de Sacra Cœna, c. 1. 6. Martinus Chemnitius Examinis part. 2. Valentinus Hellopœus Zikzai libri de Sacramentis & tota re Sacramentaria tract. 1. Polanus in Syntagmate Theologico lib. 6. c. 49. & duobus proximis.

IX. Papistæ. Ioannes Gropperus in Enchiridio Colonienſi tit. de Sacramentis. Catechesis Concilij Tridentini ad Parochos titulo de Sacramentis. Lindanus Panopliæ lib. 4 c. 5. Dominicus Soto in 4. Sententiar. distinct. 1. q. 1. Franciscus Horantius Locor. Catholicor. lib. 7. c. 1. & 2. Bellarminus tom. 3. controu. 1. Ioannes Eckius de Sacramentis hom. 1. 2. 4. & 5. Gregorius de Valentia in Thomam, tom. 3. disp. 3. gener. quæst. 1. Vasques in 3. Thomæ disput. 128. & 129. item 130. & 31. & aliis aliquot. Suares de Sacramentis disput. 1. & seqq. Contarenus de Sacramentis lib. 1.

Cap. VII.

De Sacramentis ante peccatum.

I. QVandoquidem nulla nobis præ oculis esse potest definitione, qua vtqueamus tanquam fundamento sequentium controuersiarum necesse est, vel inductione vti, vel hypothesi communi; qui mos fuit omnium philosophorum. Imo omnium, qui vnquam amarunt in disputando non aerem verberare. Nam & cum habentur singula indiuidua, non est difficile Synthetica methodo deuenire ad vniuersales conceptus: &, quæ ex principiis communibus deducuntur conclusiones, vehementis sunt efficacitatis, nec facilem ἔνστασιν admittunt.

II. Sunt quidem nobis iam distincta Sacramenta in ea quæ ante Christum, & quæ post Christum. Sed ante Christum fuit geminum tempus; vnum ante peccatum, quem statum appellant innocentiæ, cui alterum tempus successit: atque hoc ipsum geminum; vnum quod appellant legis naturæ, alterum fœderis antiqui. Quæritur de statu innocentiæ; vtrum Sacramenta habuerit.

III. Habuisse, Caluinus posuit pro certo: *Sacramenti nomen*, inquit §. 18. *omnia generaliter signa complectitur, quæ vnquam hominibus mandauit Deus, vt certiores, securosque de promissionem suarum veritate redderet. Ea vero in rebus naturalibus nonnunquam extare voluit, nonnunquam in miraculis exhibuit. Prioris generis exempla sunt, vt cum Adæ & Heuæ arborem vitæ in arvhabonem immortalitatis dedit. Et cum cœlestem arcum Noe & eius posteritati in monumentum statuit, posthac se diluuio non dissipaturum terram.* Polanus, vir doctus, τῶν ὑπερβολῶν affectator nimius. Sacramenta distribuit, vt sint alia fœderis spiritualis; alia corporalis: isthæc ad confirmandam promissionem corporalem; vt Iridem, Vellus Gedeonis, Vmbram sciotherici regressam, & si qua similia. Illa ad obsignandam promissionem vitæ æternæ: hæc, alia fœderis operum, alia gratiæ. Illa in statu primæuæ integritatis; nempe vtramque arborem Vitæ, & Scientiæ.

IV. Ego, etsi non probem tam late proferri Sacramenti nomen, vt omnia complectatur signa à Deo data hominibus: ne pertinentia quidem ad res diuinas, quod Augustinus visus dicere: tamen non video, quid esse potuerint arbores illæ, nisi Sacramenta fuerint. Neque enim ipsas propter seipsas constitutas crediderim: ac si hominem sua possent natura perficere; id est, vel immortalitatem dare, vel scientia. & quidem tanta, mentem illustrare. Nam si arbores: ergo infra non homines tantum, vtpote rationis prorsus expertes: sed etiam animalia, quia ne sensuum quidem capaces. Quod si neque propter se, neque ex sua natura: certe & propter aliud, & ex institutione. Quid ergo alienum habuerunt à natura Sacramentorum? Nam certe tum immortalitas, tum scientia, & hæc maxime in eo statu, non potuerunt non pertinere ad animæ, imo totius hominis beatitatem, quæ etsi nomine, nominisq; ratione differat à salute quam nunc dicimus, tamen re differre non potuit. Mitto alias Sacramentorum proprietates, quæ nondum sunt constitutæ. Certe Augustinus nobis præiit; 8. de Genesi ad lit. c. 4. *Erat ergo & lignum vitæ quomodo Petra Christus: nec sine mysteriis rerum spiritualium corporaliter præsentatis, voluit hominem Deus in paradiso viuere. Erat ei erge in lignis cæteris alimentum, in illo autem Sacramentum.*

V. Quid hic Papistæ? De iis arboribus, nihil illi quidem, quod viderim, quodq; huc referri queat. Sed de statu innocentiæ dupliciter disputant: primum de eo, qui fuit ab Adamo condito; ad Adamum lapsum. postea de eo qui futurus fuisset si is nunquam lapsus fuisset. Et Thomas quidem p. 3. q. 61. art. 2. *Dicendum*, inquit, *quid in statu innocentiæ ante peccatum Sacramenta necessaria non fuerunt.* Breuiter, vt solet, & ἰμφυκῶς.

VI. Sed in iis paucis verbis acutiores posteri, & quibus vel in scirpo nodus deprehenditur, geminam ambiguitatem explicarunt: priorem necessitatis; quo nimirum sensu dicta sit. Et consenserunt, dici, *non pro necessario simpliciter*, verba sunt Vasquis, *sed pro necessario congruentia tantum.* Vnde sequitur doctoris Angelici (sic enim Thomam indigetant) hanc fuisse mentem, vt negaret congruere statui innocentiæ institut onem Sacramentorum.

VII. Altera ambiguitas, quo sensu status innocentiæ nominatus fuerit. Et abeunt in diuersa, vt videre est apud Suarem, & Vasquen in eum locum. Nam Caietanus interpretatur præcise de statu qui fuit actu ante peccatum: at Dominicus à Soto, non de hoc tantum, sed etiam de eo qui futurus erat, si non cecidisset Adam. Nec ipsis Iesuitis non abitum in partes. Nam Caietani sententiam tuetur Vasques: Suares vero alterum sensum pronuntiat sine dubio, & simpliciorem, & veriorem.

VIII. Nobis primo ridiculum videtur inquirere in eum statum, qui neque futurus sit, neque vero etiam vnquam fuerit: Itaque laudabilius Thomam continuisse sese in terminis illis simplicioribus. Quanquam obtinere non potuit, suam admittamus sententiam. Nam, qui existimamus vtramque arborem fuisse Sacramentum, dare non possumus, aut fuisse ei statui Sacramentorum institutionem non congruam; aut omnino nullam fuisse: quo ipso præiudicatur in alterum etiam illum statum imaginarium: si quid cui quam sano vacaret in eum inquirere. Apud quos autem ad factum constet, necesse est oppositas rationes esse nugatorias; quod res ipsa docebit in enumeratione.

IX. Sed prius Vasques amouendus, negans indefinite quæstionem intelligendam, vtrum aliqua omnino Sacramenta futura essent: sed contractius, vtrum hæc essent futura, quæ nunc hodie sunt in Ecclesia Christiana. Quod commentum; quis sine cachinno audire queat? Nam neque cuiquam præterea venit in mentem: & argumenta quibus Thomas pugnauit, eiusque sequaces, vniuersaliter omnia Sacramenta oppugnant; aut certe nulla oppugnant. Tum autem, quid profuerit excluisse Sacramenta Noui, potius quam Veteris Testamenti, vt hæc exempli gratia nominem? Enimvero, si hoc illi pertinaciter sedet animo, fruitor sane suo iudicio: nos in re ipsa ne sperato aduersarios prolixe concessuros, non posito peccato, non fuisse futuram necessariam eandem salutis œconomiam:

quod

quod vel cæcus palpet. Sed omisso Vasque, non tam facile veniam daturi sumus reliquis, qui vniuersaliter omnem excludunt rationem Sacramentorũ.

X. Thomas sic argumentabatur Medicina nõ est necessaria nisi ægroto. At Sacramenta sunt quędam spirituales medicinę; quæ adhibentur contra vulnera peccati. Ergo non fuerunt necessaria ante peccatum. Pergit. Ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per aliquid corporale, quod fit in Sacramentis. Et ideo in statu innocentię homo non indigebat Sacramentis.

XI. Sed vtrumque argumentum facile dissoluitur. Ægroti enim alij potentia, alij actu. Hi qui reapse morbosi cuiusmodi in hoc argumento omnes homines post peccatum ingressum in mundum. Illi vero, quibus natura inest in morbum inclinans, siue in quorum natura principium est morbi, siue propinquum, siue remotum. Iis, qui neutro modo ęgroti sunt, concedimus, nec medico opus esse; nec medicina. Sed iis solis opus esse, qui actu ægrotant, constanter negamus. Imo dicimus medicinam aliam esse quæ pellat morbos inductos; aliam quę pręueniat, impediatque inducendos. Illam igitur iis necessariam, qui ægrotent, & quidem solis; sed hanc iis non incongruam, imo necessariam, qui potentia.

XII. Porro Adamum ante peccatum, nõ ægrotasse, concedimus; quia hoc, actum dicit, non potentiam, sed ęgrotum fuisse potentia, ipse docuit euentus. Nam qui reapse incidit in peccatum, profecto negari nõ potest habuisse principium, saltem remotum, huius morbi. Et sane habuit arbitrium liberum, a quo nemo non fatetur ortum esse morbum. Rectum illud quidẽ, nec vllo infectum peccato, sed mutabile, quod sufficit. Nec spero negaturos eos, qui disputent, Imo asserant ab ipsa creatione esse rebellionem carnis in homine. Qui quidẽ iam actus est, nẽpe potentia propinqua. Quod si potuit homo positus in statu innocentię, fieri nocens, i. e. incidere in morbũ, cur nõ fuerit ei necessaria, id est, congrua medicina, quę præseruationi prospiceret?

XIII. Sacramenta fateor posse in medicinis numerari, quanquam nulla sit necessitas nominis. Et ea quidem, quę post Adamum lapsum instituta, omnia ad curam pertinere morbi iam actu grassantis. Sed nulla institui posse alia, quis iussit? Vnde Thomas didicit? aut dicenti, si dicat, cur nos oportet inexplorato assentire; aut assentari potius?

XIV. Sed in eo statu, superiora nullo modo pendebant ab inferioribus. Pendebant? Quo sensu? An, vt sensibus nullis opus haberet intellectus Adami ad suos vllos motus? An vero, vt ne obediret ratio affectibus inferioribus, in consultando de rebus sibi ab iis sensibus propositis? Hoc posterius esto sane. Nam, etsi videntur, ne sensus quidem externi nõ functi suo officio, vt res, quales essent, tales repræsentarent; vt eis tuto posset mens acquiescere, (atque adeo in ipsis peccati principiis, videatur non à sensibus externis delusa; non enim falsum, fructum arboris fuisse pulchrum visu, sed indulsisse ratiocinationibus suis nimium,) tamen res ipsa docet perfectionem humanę naturæ in eo esse, vt ratio imperet inferioribus omnibus potentiis, atque etiam motibus, nec verum est, non creatam humanam naturam in sui perfectione. Verum non esse congrua, nõ esse vtilia Sacramenta, etiam tum, cum non subiiciantur superiora inferioribus, nondum demonstrauit Thomas, aut pro Thoma quisquam. Imo non satis est non subiici, quin opus est insuper ne in posterum subiiciantur, huic autem rei possunt vtilia esse Sacramenta: nam & aduersarii ipsi, non alio titulo in Sacramentorum numerum suam inferciunt confirmationem. Et sine dubio, sic vtilis erat vtraque arbor, quandoquidem à Deo instituta, & his instituta verbis, saltem altera: *Quandocunque comederis ex ea, morte morieris*: quæ verba manifesto in futurum consulunt, & quidem sic, vt ne induceretur morbus, qui nondũ esset.

XV. Quod si nullo modo opus habuisset externis sensibus intellectus: fateter inutilia fore Sacramenta: quæ nulla sunt, nisi moueant sensus externos. Sed Adamo: sed homini ante peccatum nulli vsui fuisse sensus externos, aperte falsum. Nam saltẽ auditus fuit vsui, cum alloqueretur eum Deus; ipse etiam responderet. Visum etiam, quis neget, qui legerit deductas ad eũ fuisse cunctas animãtes, לראות מה-יקרא-לו Genes. 2. vt videret, quomodo nuncupaturus esset: & Euam primulum creatam, fuisse ei ex visu cognitam: tum autem vidisse Euam, pulchram esse, & oculis desiderabilem arborem; Genes. 3. Quod si esitatum est aliquid, profecto etiam gustus fuit aliquis vsus, Quod si auditus, visus, gustus, non fuerunt stupidi; cur reliqui? At si sensibus mens vtebatur, mouebatur Adami, cur inutilia fuissent Sacramenta, aut incongrua?

XVI. Sic Thomas. Suares concedit non fuisse non congruens statui innocentiæ Sacramenta institui: sed vlla instituta fuisse incertum pronuntiat: quia neque reuelatum sit à Scriptura, neq; traditione acceptum. Tantummodo verisimiliter negari, duplici argumento, tum quia nusquam mentio vlla institutorum: tum quia breuissimum fuerit tempus eius innocentiæ: vt vix potuerit locus esse Sacramentorum vsui: & Deus sciret instantẽ lapsum.

XVII. Mollius iste quidem, quam Thomas, & qui Thomam sequuti. Nos si de facto constaret nullum esse institutum; aut etiam non constaret vllum esse institutum, non anquireremus vtrum conueniret institui: cum in rebus tum omnibus, otiosæ; tum sacris, suspectæ sint, & periculosæ videantur omnes curiosæ quæstiones; quibus tum vsus nullus, tũ finis propositus, sapere supra quam scriptum sit. Sed, qui vtriusque arboris institutionem legimus, neq; aliter possumus concipere, quam iuxta generalẽ Sacramentorum doctrinã, non cunctamur dicere Sacramenta fuisse Adamo cõmendata.

XVIII. Atque ita prior Suaris ratio refellitur. Non potest enim nulla mentio esse Sacramentorum, si vtraque arbor Sacramentum. Nisi forte in nomine lusus sit. Sed hic, cui bono? Sic enim nullum concludi posset institutum in Nouo Testamento; nullum in Veteri? cum in neutro vllum sit nomen Sacramenti. Sed sufficit res ipsa. Sicut, etsi nusquam dicta sint duo testamenta; tamen, quia aliud, & aliud, duo sint: & in Scripturis legamus testamentum aliud, & aliud, certo concludimus in Scripturis esse duo testamẽta.

XIX. Altera ratio à breuitate temporis, est etiam nihili. Concedimus sane tempus fuisse breuissimum: concedimus sciuisse Deum impendentem casum: sed non fuisse aut institutum, aut instituendum vllum Sacramentum, negamus. Etenim valet ea ratio in vtraque arbore, etiam si constaret non fuisse Sacramenta. Nam quantulum id tempus fuit, vt experimento constaret vis vtriusque, aut si non vtriusque, saltem alterius ad æternam vitam? Et tamen constat institutio: & quidem à Deo. An quicquam sit inutiliter à Deo?

XX. Hactenus refutatus esto Suares. Cæterum Archangelus Rubeus in opere Sacramentorum, distinct. prima, statim initio, oppositam Thomæ sententiam ex diametro propugnat: & in statu innocentiæ, vtrouis sensu sumpto, fuisse reapse Sacramentum, prolixa disputatione conficit, instans vestigiis sui Hugonis. Atque id Sacramentum indicat Matrimonium Papisticę. Sed hoc suo loco.

CAP. VIII.

De Sacramentis in lege naturæ.

I. De lege naturæ altera quæstio est, vtrum scilicet aliqua fuerint Sacramenta ab Adami lapsu, ad institutam vsque Circuncisionem. Caluinum audiuimus indicantem Arcum cœlestem, rem naturalem, pro Sacramento institutam.

II. Cui ego quidem nolim temere contradictum. Sed admoneo tamen latissima ei opus esse significatio: illa, inquam, quæ Augustino fuit, cum hotauit signa, quoties ad res diuinas pertinerent, appellari Sacramenta. Quia negare nemo potest, arcum fuisse signum: nemo item in rem sacram, rem diuinam fuisse, ad quam referretur. Nam vtrumque constat Geneseos nono: *Hoc est signum fœderis; quod ego constituo inter me & vos.* Certe באות signum est: & ברית fœdus Dei; res diuina: Tum autem institutio non ab humana autoritate: Deus enim is erat; qui se constituere diceret. Denique eadem illa phrasis vsurpatur Genes. 17. והיה לאות ברית ביני וביניכם, *Et erit in signum fœderis inter me & vos.*

III. Sed dicam libere; paulo alienius videri, si minus à Sacramenti nomine, saltem ab instituto nostro. Nam hoc genus signi institutum est, primo; non in partem vllam religionis; aut vllam ceremoniam: sed tantum in μνημόσυνον promissionis. Cuiusmodi nulla Sacramenta dari possunt. Nam etiã in paradiso, vtraque arbor ceremoniam habebat, & vsum, altera edendi, altera abstinendi. Præterea, nunquam fuit peculiare Ecclesiæ, sed commune omnibus hominibus. Tertio, promissio addita, non est de re aliqua, quæ ad religionem proprie pertineat: sed tantum oblique; sicut Paulus dicit, pietati propositas esse promissiones tum præsentis, tum futuræ vitæ.

IV. Tutius sacrificia putem posse in hunc censum venire; quibus vsum constat Abelem, post etiam Noachum, & Melchisedecum, & Iobum: Nam etsi horum nullo diserto loco legamus institutionem à Deo; tamen non videtur dubitandi locus, fuisse à Deo instituente. Fuere enim solennes ceremoniæ: ac fortasse solæ tum temporis Fuisse autem legitimam summam religionis exercendæ ab institutione mere humana; reclamat, tum status innocentiæ, tum deinceps in quocunque statu legitima forma cultus diuini: Nam etsi nõ negem ab hominibus nonnullas esse institutas ceremonias, tamen res ipsa clamat fuisse potius appendices cultus sacri; & longe abfuisse à summa. Et vero quid obstat, quominus hic argumentum valeat, quo vsus Bellarminus in disputatione de Confirmatione, c. 2. Quemadmodum etiam hic in terris, cum famulus aliquid agit, quod non potest nisi iussu Domini, & non est stultus, omnes intelligunt eum habere mandatum, etiam si non dicat: sic concludendum confirmationem vsitatam ab Apostolis fuisse institutam à Deo?

V. Non fuisse autem nudas ceremonias cultus diuini, sed habuisse rationem significandi; primum ab Augustino habemus, qui asserit sacrificia externa, esse signa internorum. Deinde consumptio ipsa rerum oblatarum: & nominatim cędes animalium; videtur περὶ proclamare, idipsum, quod obseruatur in sacrificiis legis Mosaicæ, videlicet propitiationem peccatorum: quam & historia Iobi diserte notat.

VI. Papistæ ne hic quidem affectatæ subtilitatis, id est, inanis curiositatis sunt obliti. Non enim quæsierunt vtrum ex verbo Dei constet aliqua fuisse: imo negant omnes: nam sacrificia non alio referunt, quam ad cultum religionis: sed verisimilitudines alias atque alias sectantur. Itaque etiam valde variant.

VII. Greg de Valentia punct. 2. q. 1. *Dico*, inquit, *post peccatum pro omnibus temporibus, atque etiam populis Gentilium fuisse aliqua Sacramenta propriè, primo quoniam vel omnes, vel præcipuæ rationes, pro conuenientia Sacramentorum, pertinent etiam ad illud tempus, & illos populos. Secundo, quoniam constat illo tempore legis naturæ, & in illis aliis populis fuisse Sacerdotes, vt Melchisedec, & Iob, qui sacrificabat assidue pro peccatis filiorum. Apostolus autem generatim affirmat, omnẽ Pontificem seu Sacerdotem constitui, vt offerat sacrificia pro peccatis.* In semel & paucis res tota huic Iesuitæ definita est perspicue.

VIII. Alij longe cautius, & quasi inter spinas: distinguunt Sacramentum in remedium peccati originalis infantium, à reliquis Sacramẽtis, & Vasques in art 3. q. 61. *De signo instituto pro paruulis non est omnium concors sententia. Scotus & Durandus asserunt ad iustificandos paruulos ante legem scriptam, & circuncisionem, non fuisse satis fidem parentum, & adultorum, sed etiam fuisse necessarium signum aliquod, sine quo fides illis non prodesset. Et iuxta horum opinionem necessario fatendum est, eo tempore fuisse proprie Sacramentum aliquod à Deo institutum. Communis tamen & vera opinio est, fidem solam, sine alio signo exteriori, satis fuisse ad iustificandos paruulos, tametsi credibile sit, parentes aliqua signa pro applicatione sua fidei ex deuotionis tantum affectu, absque vlla institutione, & necessitate, adhibuisse* Huic autem sententiæ confirmandæ, quæstionem dicauit integram 165. in Thomæ 3.

IX. At contra, Suares sect. 3. disp. 4. *Dicendum est in lege naturæ fuisse quoddam Sacramentum ad iustificationem paruulorum, & remedium originalis peccati institutum, quamuis ex diuina institutione non fuerit determinata ceremonia, seu actio sensibilis ad significandum imposita, sed ex hominum arbitrio ad certum actionis modum definiretur.* Viden', vt contradicat Vasquis? Sed vide inconstantiam. Sacramentũ aliquod institutũ est à Deo: ceremonia nulla determinata à Deo. Quis capiat? Sacramentũ institui, & ceremoniam non determinari? Æque dixerit, loquutũ esse Deum, & tamen vocem nullã protulisse. Nam æque Sacramenti genus est ceremonia, & vox loquutionis.

X. In reliquis Sacramentis par inconstantia. *Diuisi sunt*, inquit Suares sectione quarta, *D. Thomæ discipuli. Cano enim docet fuisse varia Sacramenta in lege naturæ. Aliorum vero opinio est, in ea lege nullum fuisse Sacramentũ*

proprie dictum, præter illud; videlicet contra peccatum originis. *Dico ergo, quod in statu legis naturæ, communi & ordinaria lege, non fuerunt aliquæ ceremoniæ, quæ haberent propriam rationem Sacramentorum, præter illud quod fuit in remedium paruulorum.* Et aliquanto post, *Dico tertio, ex singulari Dei beneficio, & reuelatione, interdũ fuisse in lege naturæ in aliqua familia vel gente, vsum alicuius Sacramenti proprie dicti, præter illud quod commune erat omnibus in remedium originalis peccati.* Hoc autem declarat ita dictum propter sacrificium Melchisedec, quod ausus negare non est fuisse Sacramentũ.

XI. At Vasques; *Recentiores aliqui Theologiæ professores*, inquit, *non solum concedunt ante legem scriptam fuisse illud Sacramentum à Deo institutum pro paruulis, sed etiam ex singulari Dei beneficio in aliqua familia fuisse aliquod aliud Sacramentum, quamuis id de nulla alia familia asserere audeãt, nisi de familia Melchisedec, cuius sacrificium ex pane & vino, dicunt fuisse vere & proprie Sacramentum, & non latiori solum significatione.* Et paulo post recitatas eorum rationes: *Ego tamen valde miror viros doctos his rationibus conuictos fuisse, vt hoc assererent.*

XII. Tum refutat: Nec absurde, quanquam melior illa sit sententia Sed nimirum ita accidit, vt Sophistæ peruertant, etiam quæ non male dicunt. Enimuero sacrificium Melchisedeci, esse Sacramentum, asserentibus causa fuit, quod significaret Eucharistiæ Sacramentum. Quæ omnino nulla causa est, tum quod sit in se falsa; vt suo loco sumus σὺν θεῷ disputaturi, tum quia, si vera esset, non valeret. Non enim Sacramentorum typos, necesse est esse Sacramenta; vt patet in Manna & aqua ex petra, & Arca Noe. Vasques tamen refutationis causam expressit æque futilem; vt in vtroque mira vis appareat cerebri vitiati. Si sacrificium Melchisedec, Sacramentum esset, quia significauit aliquo modo gratiam Eucharistiæ, ergo matrimonium Adami, Sacramentum esset, quo significabatur mysterium incarnationis. Atqui non est simile. Nam matrimonium Adami, etsi significauit incarnationem, tamen non significauit Sacramentum incarnationis, id est matrimonium Christianorum, cum contra sacrificium Melchisedec dicatur significasse Sacramentum Eucharistiæ.

XIII. Sed componunto Sophistæ, si possunt, absque nobis sua diffidia. Et nobis nostræ res sunto cordi. Disputat ergo Suares non fuisse vlla propria Sacramenta, præter illud, quod sibi finxit in remedium peccati originalis in infantibus. Pugnat duobus argumentis, tum sacrificia eius temporis, negat Sacramenta fuisse. Singula percurramus. Prius ergo argumentum sic habet. Omne proprie dictum Sacramentum gratiam significat, aut præsentem, aut futurã. At nullæ ceremoniæ, præter illud Sacramẽtum in gratiã paruulorum, significabant gratiam. Ergo nullæ ceremonię tunc erant Sacramenta.

XIV. Respondeo, concedi maiorem, sed negari minorem. Nam sacrificia, vt antea notauimus, significabant remissionem peccatorum, quæ nullo modo negari potest esse gratia. Exprimitur autem in sacrificiis Iobi sacrificantis pro peccatis filiorum suorum. Sed & in aliis: Nam sacrificia Abelis dicuntur accepta fuisse Deo; quod non potuit esse absque remissis peccata. Et de sacrificio Noe, diserte dictum Genes. 8. *Et odoratus est Iehoua odorẽ quietis.* Qua eadem phrasi Moses vtitur in sacrificiis suis, quæ constat fuisse Sacramenta, vt post dicam. Et quandoquidẽ Sacramenta dici volunt à sacrando; nominatim in sacrificiis, quæ Exod. 29. iubentur fieri in consecrandis filiis Aaronis: *Et adolebis totum hædum super altari, oblationem Iehouæ, odorem quietis.* Vbi Lyranus, *Maxime quia tales oblationes & victimæ, erant quædam figuræ, & protestationes Christi immolandi pro salute mundi.* Pererius in illum ex Genesi locum, *Dicebatur fumus adipũ, seu odor qui cum fumo ascendebat, odor quietis, quod faceret Deum quietum ab indignatione, & placatũ offerenti. Significat igitur indignationem diuinam, per quam diluuio destructus fuerat orbis terrarũ, sacrificio Noe fuisse mitigatã placatã, &, vt ita loquar, quietatã.*

XV. Minorem tamen, probat gemina ratiocinatione. Prior ita est. Specialis promissio gratiæ, in aliquo opere præter meritum operantis, per se loquendo, erat præter statutũ & perfectionem illius temporis, & ideo solum propter extremam necessitatẽ paruulorum facta est illi operi, seu remedio, quod ad tollendum originale peccatum est institutum, de aliis vero, neque est necessitas, neq; fundamentum ad id asserendum. Tum vero significatio futuræ gratiæ, non poterat esse nisi ex institutione diuina: nam debet practice continere, & exhibere diuinam promissionem. Nulla autem legitur huiusmodi institutio, neque vlla est sufficiens vt asseratur, neque est consentanea illi statui, quia non habebat positiuas leges & ceremonias.

XVI. Quid ergo, inquam? in eo tempore nullane hominũ distinctio? vt neminem posterorũ Adami Deus exciperet à sorte cõmuni, & omnes permitterentur legi naturæ, neq; vllo peculiari auxilio iuuaret? Imo distinctum est genus humanum in filios Dei, & filios hominum: Genes. 6. filios nempe Dei, qui eius cultui legitimo insisterent, vt disputat in eum locum Pererius. Hos vero Dei filios, nulla potitos Dei communione, quis dicat; cum & Adamo audit reuelatã futuram redemptionem generis humani, & Enochum ambulasse cum Deo: & Noe, postea etiam Abrahamo, tam familiaria fuisse colloquia diuina?

XVII. Chrysostomus hom. 1. in Matth. Τῷ Νῶε καὶ τῷ Ἀβραὰμ, καὶ τοῖς ἐκγόνοις τοῖς ἐκείνου. καὶ τῷ Ἰὼβ, καὶ τῷ Μωϋσεῖ οὐ διὰ γραμμάτων διελέγετο. ἀλλ' αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ, καθαρὰν εὑρίσκων αὐτῶν τὴν διάνοιαν. *Noe, Abrahæ, huiusq; posteris, & Iobo, sed & Mosi, non per literas colloquutus est Deus, sed ipse per se; cum inueniret eorum puram mentem.* Theophylactus initio in Matthæum, Οἱ μὲν πρὸ τοῦ νόμου ἐκεῖνοι θεῖοι ἄνδρες, οὐ διὰ γραμμάτων καὶ βιβλίων ἐδιδάσκοντο. ἀλλὰ καθαρὰν ἔχοντες τὴν διάνοιαν, τῇ τοῦ παναγίου πνεύματος ἐφωτίζοντο ἐλλάμψει, καὶ οὕτω τὰ τοῦ θεοῦ ἐγίνωσκον θελήματα, αὐτοῦ ἐκείνου ὁμιλοῦντος στόματι πρὸς στόμα. Τοιοῦτος ἦν Νῶε, ὁ Ἰὼβ, ὁ Μωϋσῆς. *Qui ante legem fuere viri, non per literas, librosq; docebantur, sed puram mentem gerentes, Sancti Spiritus lumine illustrabantur, & sic Dei voluntatem cognoscebant, ipso Deo colloquente cum eis ore ad os. Talis erat Noe, Abraham, Iob, Mosis*

XVIII. Itaque absurdum est, in eo tempore, quod vocatur legis naturæ, nihil præter eiusdem legis, naturæve vim agnoscere. Quis nescit fidem non inde esse? & fidem tamen in eodem illo tempore laudat Apostolus ad Heb. 11. in Abel, Enocho, Noe. Et solam vim legis naturæ, quisquam vrgeat? Næ Iesuitæ nesciunt quæ sit œconomia salutis, & quicunque legem ita dixerunt. Nam per eam salus nunquam cuiquam constitit. Quia sine fide sit impossibile placere Deo. Et quanquam tempora legis naturæ, nunquam scriptura nominarit, tamen si cõmode distincta sunt à reliquis; eo sensu oportuit factum, vt non omnes omnino permitterentur sibi, suæque naturæ viribus, sed quod longe maxima pars: pauculis quibusdam exceptis, quibus sese Deus familiarem exhiberet.

XIX. Hinc manifesta est sophismatis absurditas. Gratiæ, inquit, significatio erat præter eius temporis statum. Recte, inquam; sed eatenus, quatenus maxima pars hominum legi naturæ permittebatur. Sed eorum si habeas rationẽ, quos peculiari priuilegio Deus excipiebat, manifesto falsum, alioquin ne fidem quidem quisquam habuisset, quæ multo magis est præter eius temporis statum, quam vlla Sacramenta, quæ fidei causa sunt instituta.

XX. Quid? quod ipse fatetur Sophista, Sacramentum aliquod institutum in gratiam infantum? Certe, ne hoc quidem oportuit, si omnia Sacramenta sunt præter statum eius temporis, & nihil admittendum, quod fuerit præter statum eius temporis. Sed enim, inquit, peculiaris necessitas vrgebat. At hoc falsum. Nam Sacramentorum nulla necessitas, nisi ex institutione diuina: siue, vt ipsi loquuntur Sophistæ, ex congruentia. Et, vt Vasques disputat, infantibus sufficiebat fides parentum: Et nos censemus, de eo tacendum nobis; quandoquidem verbum Dei tacuerit.

XXI. Sed dato tamen fuisse aliquod: & fuisse necessarium, necessitate congruentiæ, cur non de aliis Sacramentis idem dicimus? Aut cur contradicenti Suari concedamus, & nihil nisi præfracte contradicenti? Non enim rationibus probat: sed tantum effatur, *De aliis vero neque est necessitas, neque fundamentum ad id asserendum.* Quasi θεός τις ἀπὸ μηχανῆς. At nos fundamentum dicimus fidem, quæ in statu peccati, indiget tum aliis, tum his auxiliis: vnde & necessitas est.

XXII. Concedimus gratiæ significationem pendere ex institutione diuina, sed nullam tum fuisse institutionem diuinam, persuaderi non possumus. Et contra habemus firmissimum argumentum. Quæcunque ceremoniæ significant gratiam, eas oportet esse institutas à Deo; at Sacrificiorum tempore, & legis naturæ, Ceremoniæ significabant gratiam, Ergo Sacrificiorum ceremoniæ eiusdem temporis, erant institutæ à Deo. Maior in confesso, minor antea explicata. Ergo conclusio certa.

XXIII. Sed nulla legitur huiusmodi diuina institutio. Magnum, inquam, argumentum apud nos, qui à nobis quicquam faciendum Deo negamus, nisi quod scriptum. Sed meminisse debuit Suares: non esse in eorum gratiam, Scripturas conditas, qui ea Sacrificia vsurparunt: sed nostri qui non vsurpamus Itaque non pertinere, hanc eius institutionis recitationem (quæ non potest nisi historiæ rationem habere) ad eas res quæ necessario debent esse scriptæ. Præterea, non ea tantum è scripturis constare censentur; quæ totidem literis leguntur, & syllabis, sed illa etiam, quæ è scriptis eruuntur. At hoc eruitur è scriptis, necessario illo syllogismo, quem exhibuimus.

XXIV. Instat Si Deus instituisset eiusmodi Sacramenta, instituisset in particulari, definiendo proprios ritus illorum, alioqui non posset fieri commode repræsentatio cum debita proportione, & analogia.

XXV. Imo, tu ipse, Suares, concessisti Sacramenti illius pro infantibus, non fuisse ceremonias institutas à Deo in particulari: & tamen ipsum institutum. Cur tam varie? Non est, inquit, eadem ratio, propter eius necessitatem. Imo, inquam, est eadem ratio, quia necessitas non est ipsa institutio; si forte, causa institutionis. At tu hîc non de causa disputas: sed de institutione. Constat autem eo exemplo, si tu tamen vere diceres, aliquam institutionem Sacramenti legitimam esse, id est à Deo, cuius tamen ceremonias in particulari Deus non instituerit.

XXVI. Sed nos primum negamus aliam vllam necessitatem in infantibus esse, quam in adultis. Deinde asserimus has ipsas ceremonias in particulari fuisse à Deo institutas, contra quam tu sentias.

Venio ad alterum argumentum. Sacramenta non erant necessaria in eo statu ad cultum Dei, neque ad aliquem alium finem; qui ex necessitate aliqua morali, sit coniunctus cum lege naturæ. Ergo non fuerunt. Patet consequentia. Quia in eo statu illa tantum fuere, quæ sunt aliquo modo de lege naturæ, seu quæ vel ex parte Dei, vel ex parte hominis habent necessitatem aliquam, propter quam ex naturali ratione fide illustrata dictentur, vel eligantur. Antecedens probatur; quia cum triplex sit necessitas Sacramentorum; remedium peccati, sanctificatio colentium Deum, fidei professio, nulla harum competit ei statui. Non prima, quia peccata actualia per propriam dispositionem remitti poterant. Non secunda, quia huiusmodi sanctificatio est, vel per gratiam, quæ supra imperfectionem eius status, vel externa & legalis, & hæc non necessaria; quia sufficiebat illa, quæ fit per externos actus pœnitentiæ, religionis, & aliarum virtutum, tum autem, si fuisset necessaria, illa satis fuisset, quæ per Sacramentum infantium. Ex tertia autem sola, non possunt colligi propria ac perfecta Sacramenta, quia potest fieri multis aliis modis.

XXVII. Sed hæc non sunt præcedentibus dissimilia. Primum conceditur sane consequentia; etsi turpissime probetur. Neque enim verum in eo statu, ea tantum fuisse, quæ sunt de lege naturæ Nos enim contrarium docuimus, & ipse cogitur concedere, cum loquitur de naturali ratione fide illustrata. Nam fides non est ex vi legis naturæ. Cur non autem, sicut fides, sic & alia nonnulla esse potuerunt supra captum eius status? Qua de re dictum.

XXVIII. Ast antecedens negamus, quia positum, necessitatem haud aliam hîc esse quam congruentiæ, at hanc eandem dicimus fuisse, quam in lege Mosis, & post in Euangelio; ex parte Dei instituentis, & miserentis suorum, ex parte etiam hominum maiorem, quia in pari infirmitate naturę, minora erant reliqua adiumenta. Vt omnino absurdi sint, qui negent huiusmodi fuisse vllam necessitatem. Et vero si fuit aliqua necessitas, id est, congruentia firmandi fœderis initi cum Noe super diluuio; cur nulla esset firmandi fœderis cum Adamo de venturo Messia?

XXIX. Et remedii contra peccatum, potuit quisquam necessitatem negare, qui sciuerit Iobum sacrificasse pro peccatis filiorum? Sed poterant remitti per propriam dispositionem. Ridicule, inquam. Primum; si hinc potuerunt, cur non postea in Lege Mosaica, cur non etiam nunc in Euangelio? Atque adeo non contradicunt Papistæ. Sed si potue-

runt; &

runt; & fuit tamen non incongruum inſtitui. Sacramentalia remedia, quid habet Suares, quo ſuam conſequentiam ſtabiliat, non debuiſſe inſtitui hæc, quia erant alia? Enimuero ſi verum eſſet per propriam diſpoſitionem poſſe deleri peccata, tamen falſum eſſet, non eſſe neceſſaria Sacramenta. Ratio manifeſta: quia, ne hæc quidem propria diſpoſitio poſſet delere, niſi pro fundo haberet promiſſionem diuinam. Nam conſentiunt etiam Papiſtæ, nullum poſſe eſſe meritum, niſi ex pacto. Atqui huic pacto confirmando, neceſſaria erant Sacramenta. Denique negamus vnquam vllo ſtatu, ſiue naturæ, ſiue legis, ſiue Euangelii, potuiſſe vlla peccata, ſiue originalia, ſiue actualia deleri, per propriam diſpoſitionem: quod in Iuſtificationis controuerſia confectum eſt.

XXX. In ſanctificatione non ineptia eſt tantum, ſed etiam blaſphemia. Nam quid illud eſt, ſanctificationem per gratiam, fuiſſe ſupra imperfectionem eius ſtatus? Aut ego nihil aſſequor, aut id ſignificat, non debuiſſe quenquam omni illo tempore ſanctificari per gratiam. Et hoc patiatur quiſquam Theologus? Abelem, Enochum, Noachum ſanctos fuiſſe, abſque vlla Dei gratia? Quorſum ergo illud ad Galat. 3. *Concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus*? Ad Rom. 11. *Concluſit Deus omnes in contumacia, vt omnium miſereretur*? De ſanctificatione legali, tacemus.

XXXI. Profeſſionem fidei poſſe aliis multis fieri modis præter Sacramenta: nemo negat. Sed hoc ad rem nihil. Quæritur enim, & ita propoſuerat ſophiſta: vtrum hæc cauſa nihil pertineat ad ſtatum illum; vel potius ad fideles, qui in eius ſtatus tempore. Itaque ludificatur; quum negat hoc ſolum ſufficere ad colligenda Sacramenta. Id enim ſignificat, non eſſe verum, Quæcunque inſtituta ſunt profitendæ fidei, ea eſſe Sacramenta: quod neque in lege Moſis, neque adeo in Euangelio, quiſquam fuit tam ſtupide Theologus, vt diceret. Sed videndum erat, vtrum ſicut in lege, & Euangelio, ſic ante legem ea aliqua eſſe potuerit cauſa inſtituendorum Sacramentorum. Quæ certe aut nulla vnquam fuit, aut tunc temporis eſſe potuit, eſſe debuit.

XXXII. Hactenus vtrumque argumentum. De Sacrificiis quomodo philoſophatur? Obiectionem ita concipit. In lege naturæ fuerunt vera & propria ſacrificia: cur ergo non admittimus fuiſſe etiam plura Sacramenta vera & propria? Reſpondet, non eſſe eandem rationem: cum de ratione ſacrificii ſit ſolum ſignificatio moralis interioris cultus diuini: quam habere queat ex hominum impoſitione abſque Dei inſtitutione ſpeciali: at Sacramentum proprie conſtituatur per ſignificationem myſticam gratiæ ſanctificantis, quam non poteſt habere certam, & infallibilem, niſi ex diuina inſtitutione.

XXXIII. Sed hanc ille obiectionem, ſiue à ſe habuerit, ſiue ab aliquo oppoſitam acceperit; otioſæ diſputationis fuit: quomodo Sophiſtæ plerumque ludunt, ſiue ipſi ſibi laruas opponant; ſiue diſputantes ex ſuis principiis, ad placitum poſitis, obiiciant aliis ſtramineа argumenta. Quis larvas, quod ve ſtramen nullo labore conficiant. At nos ab iiſdem ſacrificiis longe potentius argumentamur. Omnia ſacrificia quæ ab hominibus in remiſſionem peccatorum offeruntur, ſunt Sacramenta: At in lege illa naturæ fuere ſacrificia in remiſſionem peccatorum: Ergo in eadem lege naturæ, fuere Sacramenta vere & proprie dicta.

XXXIV. In reſponſione negamus ſolam ſignificationem cultus interioris, eſſe rationem ſacrificij: ſed duntaxat eorum, quæ non fiunt in remiſſionem peccatorum; puta Euchariſtica: ſi tamen hæc ipſa dici poſſunt nullam habere rationem remiſſionis, quod nunc quidem perinde eſto. Sed hæc profecto remiſſio, longe abit altius, quam nuda profeſſio fidei. Itaque non potuit ſola humana inſtitutione conſtare. Quanquam, ne profeſſio quidem fidei: Nam attendendum non tantum quid velit qui profitetur; ſed etiam, quid acceptum ſit ei, apud quem oportet profeſſionem fieri. Alioquin, omnium Idololatrarum profeſſiones eſſent legitimæ: ſaltem eorum, qui non illa craſſa laborant, quæ Deos falſos oggerit, ſed altera ſubtiliori, quæ vero Deo cultus inſtituit arbitrarios.

CAP. IX.

De Sacramentis Teſtamenti Veteris & Noui.

I. SVpereſt de Sacramentis dicere legis Moſaicæ, & Euangelij, quorum ſi eſt, hac ſaltem parte, negotium. Nam ea conſtat eſſe, vnde celebris diſtinctio, tum inter Catholicos, tum inter omnes Papiſtas: vt Sacramenta alia ſint Veteris, alia Noui Teſtamenti. Caluinus ſectione 20. *Sacramenta diuerſa fuerunt pro varia temporum ratione, ſecundum diſpenſationem, qua Domino viſum eſt, his aut illis modis, ſeſe hominibus exhibere. Abrahæ enim & eius poſteris mandata eſt circunciſio: cui poſtea purificationes, & ſacrificia, aliique ritus, ex lege Moſaica addita ſunt. Hæc Iudæorum fuerunt Sacramenta ad Chriſti vſque aduentum: quo, abrogatis illis, Sacramenta duo inſtituta, quibus nunc Chriſtiana Eccleſia vtitur.* Catechiſmus Tridentinus. *Atque hæc de Sacramenti nomine dicta ſint: quod quidem veteris etiam legis Sacramentis conuenit.*

II. Sed vt in eo conſentiant Papiſtæ: tamen rationem nominis non omnes eandem conſtituunt. Nam alij vtraque tam Veteris, quam Noui diſputant vniuoce dici: alij æquiuoce. Gregorius de Valentia puncto ſecundo quæſtionis primæ. *Sacramenta Veteris Legis communiter à præcipuis doctoribus exiſtimantur vera & proprie dicta Sacramenta fuiſſe: & proinde conuenire in genere Sacramenti cum Sacramentis Noua Legis.* Et videtur Catechiſmus ad Parochos conſentire. Nam quod jam ſæpe recitauimus conuenire ratione nominis tam Veteris quam Noui Teſtamenti Sacramentis; ea concluſio eſt præcedentium, in quibus fuit & hæc definitio, *Latini doctores ſigna quædam ſenſibus ſubiecta, quæ gratiam, quam efficiunt, ſimul etiam declarant, ac veluti ante oculos ponunt, Sacramenta commode appellari poſſe exiſtimarunt.* Denique Bellarmini propoſitio tertia eſt cap. 12. *Sacramentum eſt genus vniuocum ad Sacramenta legis veteris & noua: proinde Sacramenta vetera erant ſimpliciter & abſolute Sacramenta.*

III. Nec Vaſques ab ea ſententia recedit: ſed recentiores quoſdam traducit. cap. 5. diſp. 128. qui exiſtimantes de ratione Sacramenti eſſe, vt ſit, non ſolum ſignum, ſed etiam cauſa rei ſacræ ſanctificantis homines: aſſeruerunt Vetera & Noua non vniuoce, ſed analogice nuncupari Sacramenta; Quos ille ſic refutat: vt neget hanc cauſam eſſe de Sacramenti neceſſitate.

IV. At nos: ſimilem efficientiam agnoſcimus in vtriſque tum Veteribus, tum Nouis, quod attinet ad ipſam Sacramenti rationem: quæ controuerſia eſt ſuo loco diſputanda. Neque diſtinguimus ſanctificationem aliam legis, aliam gratiæ: ſed hanc communem. Nam profecto remiſſio peccatorum, non poteſt dici legalis ſanctificatio: & huius tamen gratia inſtituta fuiſſe Sacramenta Vetera, non eſt obſcurum, ſaltem Circunciſionem, & Sacrificia pro peccatis.

V. Atque hactenus decurſæ ſunto nobis omnes Eccleſiæ ætates: & conſtitutum: nunquam defuiſſe Sacramenta, diuinæ bonitati, & miſericordiæ teſtificandæ in homines, quibus neceſſaria fuere auxilia fidei, vt acquieſcerent promiſſionibus diuinis de certa ſalute, ſiue obtinenda, ſiue conſeruanda. Fuiſſe igitur in ſtatu innocentiæ vtramque arborem Vitæ, qua veſcendum: Scientiæ, à qua abſtinendum eſſet. In lege naturæ (ſic enim vocant, etſi valde ἀκύρως) ſaltem Sacrificia: In Lege Moſaica, Circunciſionem, Agnum Paſchalem, Sacrificia, & forte alia. In Euangelio ſaltem duo, Baptiſmum, & Cœnam Domini: nam de pluribus ſuo loco controuerſia erit. Proderit hæc deſignatio ad inductionem, quæ ſub inde neceſſaria erit conſtituendæ Sacramenti naturæ, definiendiſque ſequentibus controuerſiis.

CAP. X.

De proprietatibus Sacramenti, quia ceremonia eſt.

I. VEnio ad hypotheſin communem; enumeraturus ea capita, quæ in re Sacramentaria ſunt vtrinque in confeſſo, cum apud Catholicos, tum apud Papiſtas. Neque enim permiſit Deus, vt in tanto diſſenſionum æſtu, omnia æque reuocarentur in dubium; ne omnis in æternum præcideretur ſpes conſenſionis: cuius affulgebit lux ſaltem tantilla, quandiu erunt, non infima capita communibus animis poſita.

II. Primum omnium conſtat in Ceremoniarum albo eſſe Sacramenta, id eſt in externis ritibus, iiſque ſtatis, & ſolennibus. Bellarminus diſertus: poſtremo tamen loco conſtituens quod ego primo, cap. 9. *Octauum*, inquit, *ac poſtremum* (in iis ſcilicet quæ requiruntur ad Sacramentum conſtituendum) *eſt, vt ſit ceremonia religionis ſtata ac ſolemnis.* Nec nos non libenter agnoſcimus. Et ſane vt admoneret nemo, ſola inductio ſufficiebat. Nam quæcunque obſeruauimus Sacramenta, ſiue ante peccatum, ſiue poſtea; ea tam certò conſtat rebus externis, vt negari nequeat. Ita Caluinus negat Sacramenta conſtare ſimplicibus ſignis; ſed ceremoniis: *aut, ſi mauis*, inquit, *ſigna quæ hic dantur ceremoniæ ſunt.*

III. Ab iſto capite certa nobis deducitur conſequentia; Sacramenta non eſſe eſſentiam religionis; ſed appendices tantum. Nam religio propria ſua natura interna eſt. Etenim virtutibus accenſenda: quæ omnes animum ſubiectum ſuum habent. Et vero toto illa animi affectu fertur in Deum: quidem affectus; etſi oſtendat ſe in vſu rerum externarum, tamen per ſe ipſum diſtinguitur ab iis omnibus. Deinde; religio per ſe bona eſt, nec in abuſus verti poteſt: at Sacramentis malos male abuti, & conſentiunt omnes, & certa eſt experientia.

IV. Verum, quum ceremoniarum aliæ momentaneæ ſint, aliæ perpetuæ, Bellarminus addidit. *Quia iuxta Auguſtinum: ſine Sacramentis religio eſſe non poteſt* (quanquam hoc Auguſtinus nunquam dixit) *proinde tamdiu durare debent Sacramenta, quandiu religio durat.* Sed diſtinctius Gregorius de Valentia. *Neque etiam Sacramentum eſt ſignum inſtitutum à Deo, vt ſemel, vel ad tempus ſignificet: ſed vt ſignificet & vſurpetur tamdiu, quamdiu dura tura ſit ea religio ad cuius vſum & ornamentum inſtituitur.*

V. Et hoc nos quidem non agnoſcimus ab vlla eſſe ratione nominis neceſſe: Et tamen non admittimus inuiti: qui meminimus non indefinite de omnibus agi quæ poſſunt vnius ambitu nominis contineri: Sed peculiariter de quibuſdam κατ' ἐξοχὴν dictis Sacramentis, maxime in religione Chriſtiana. Et conſentimus, non Bellarmino dicenti nullam religionem eſſe poſſe, ſed Auguſtino contra Fauſtum lib. 19. cap. 11. *In nullum nomen religionis ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſent, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.*

VI. Confirmamur inductione. Nam vtriuſque Arboris inſtitutio viguit, quandiu ipſe ſtatus innocentiæ: Sacrificia inde à peccato ad Chriſtum: Circunciſio, Paſchaque ab Abrahamo & Moſe. Denique Baptiſmus & Euchariſtia, quæ a Chriſto ad extremum ſeculi diem ſcimus duratura: quam ob cauſam dictum Paulo priori ad Corinthios vndecimo, *Quotieſcunque manducaueritis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*: quod appoſite Bellarminus annotauit. Nos addimus ex Matth. 28. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos ſeruare omnia, quæ mandaui vobis: & ecce, ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationẽ ſeculi. Amen.*

VII. Sed enim ceremoniæ, ſiue ritus externi, alias tantum conſiſtunt in exhibenda Deo debita ſeruitute, proteſtandoque affectu animi in eius obſequium pio, promptoque. Cuiuſmodi ceremoniæ ſunt in precando, genuum flexus, manuum eleuatio, ciborum abſtinentia, lacrymarum effuſio: &, ſi quæ ſunt ſimilia: quæ partim exiguntur à Deo, partim præſtantur ab hominibus motu proprio, & abundantia interni affectus.

VIII. Alias autem conſcenduntaltius, & pertinent ad teſtandam Dei erga homines voluntatem beneficam. Sic Vellus Gedeonis, quâ humidum, quâ ſiccum, teſtabatur veram eſſe & efficacem promiſſionem præcedentem, de auxilio diuino ad liberandum, Iſraelem. Vnde Gedeonis poſtulatio Iudic. 6. *Si aluas per manum meam Iſraelem, quemadmodum loquutus es, ecce ego ſtatuam vellus lanæ in area*: & quæ ſequũtur. Sic 2. Reg. 20 regreſſio vmbræ in ſcioterio Achab; Ezechiam certum fecit prorogatæ vitæ: Nam, *Quod ſignum erit mihi*, aiebat, *quod ſanaturus ſit Iehoua me?*

IX. In Sacramentis agnoſcunt ſane Catholici priorem illum finem: neque dubitant in iis celebrandis, obſeruandiſque, fideles omnes profiteri ſuam pietatem. Quod adeo experimẽto compertũ in arbore Scientiæ.

Nam

Nam cum eius esus peccatum fuerit, profecto quamdiu abstinuerunt eius fructu οἱ πρωτόπλαστοι, eo ipso obsequium suum & impleuerunt, & testati sunt. Postea Sacrificiis manifestata fuit Abelis, & Caini conscientia.

X. Hinc factum post peccatum, vt alius vsus accesserit, nempe discrimen fidelium ab infidelibus, quod esse nullum poterat in Arboribus quandoquidem in statu innocentiæ nulli infideles, eo autem statu pereunte, simul earum desiit vsus arborum. Itaque Catechismus ad Parochos, quartam causam agnoscit institutorum Sacramentorum, *vt nota quadam, & symbola essent, quibus fideles internoscerentur. Cum præsertim nullus hominum cœtus queat, vt etiam à D. Augustino traditum est, siue vera, siue falsa religionis nomine, quasi in vnum corpus coagmentari, nisi aliquo visibilium signorum fœdere coniungantur. Vtrumque igitur præstant noua legis Sacramenta, qua & Christiana fidei cultores ab infidelibus distinguunt, & ipsos fideles, sancto quodam vinculo inter se connectunt.*

XI. Neque sane alia causa profitetur Caluinus Sacramenta esse nostræ erga Deum pietatis testificationem, id est, in iis nos pietatem erga Deum nostram, tam coram Deo & Angelis, quàm apud homines testari. Et rursus *A nobis, sunt professionis nota, quibus palam in Dei nomen iuramus, fidem illi vicissim nostra obstringentes.* Quomodo scilicet olim Nazianzenus de Baptismo dixit, orat. 40. εἰ γὰρ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, συνθήκας πρὸς θεὸν δευτέρου βίου, καὶ πολιτείας καθαρωτέρας ὑποληπτέον τὴν τοῦ βαπτίσματος δύναμιν. *Vt compendio dicam, nihil aliud esse vim & facultatem Baptismi existimare debemus, quam secunda vita, ac purioris viuendi rationis pactum cum Deo initum.* Et de Eucharistia Iustinus, Apologia 2. ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία· ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστι, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν. *Is cibus apud nos Eucharistia dicitur, cuius nemini licet esse participi, nisi qui crediderit vera esse qua à nobis docentur.* Imo Apostolus ipse Corinthios à communione Idolorum reuocat hinc argumento sumpto, prior. 10. *Non potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum, non potestis mensa Domini participes esse & mensa dæmoniorum.*

XII. Veruntamen hunc aut solum, aut præcipuum esse finem Sacramentorum, non possumus admittere. Itaq; Anabaptistas, æque cum Bellarmino improbamus, quos etiã ante se à Caluino refutatos sciuit, quibus Sacramenta nihil sunt, quam signa instituta ad discernendum populũ Christianũ à Iudæis, & Paganis, vt Romanis olim toga erat signũ quo discernebãtur à Græcis palliatis: Et colores vestiũ diuersa monachorũ distinguũt genera.

XIII. Quid ergo? Nempe finem illum alterum præcipuum esse credimus, qui pertinet ad contestandam Dei in homines beneuolentiam. Inde Caluinus definiens: *Videtur*, inquit, *mihi hac simplex & propria fore definitio, si diximus, externum esse symbolum, quo beneuolentia erga nos sua promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostra imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo & Angelis, quam apud homines testamur. Licet etiam maiore compendio aliter definire, vt vocetur diuina erga nos gratia testimonium externo signo confirmatum, cum mutua nostra erga ipsum pietatis testificatione.* Porro, vt videas eum finem ab eo haberi præcipuum, in catechismo sic definit. *Quid est Sacramentum? Externa diuina erga nos beneuolentia testificatio, qua visibili signo spirituales gratias figurat, ad obsignandas cordibus nostris Dei promissiones, quo earum veritas melius confirmetur.*

XIV. Nec dissentiunt Papistæ. Etsi enim Caluini definitionem Bellarminus impugnet, tamen alias causas præfert, de quibus suo disputandum loco. Sed interea rem ipsam hanc in integro esse colligo ex eo, quod admittat vulgatam definitionem. *Inuisibilis gratia visibilis forma.* Præterea Catechismus Tridentinus explicans *Signum rei sacra*, rem hanc sacram intelligi docet, gratiam Dei, quæ nos sanctos efficiat, ac omnium diuinarum habitu exornet.

XV. Ab hoc autem primario fine, vtrinque in confesso est Sacramenta esse signa. Nam etsi queat id aliquo modo dici, propter illum alterum; non est inde tamen repetita ratio, propter quam Augustinus definiret *Sacrum signum*; decimi de Ciuit. Dei c. 5. aut Epistola 5. diceret. *Nimis longum est conuenienter disputare de varietate signorum, qua cum ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Aut apud Græcos, solennes sint voces, τύπος, ἀντίτυπα, σύμβολα, apud Latinos, *signum, figura.*

XVI. Esse igitur signa, nostri tenent. Nam Caluinus symboli vocem vsurpauit, nec improbauit illas ex Augustino definitiones, *Rei sacra, visibile signum, inuisibilis gratia visibilem formam.* Et post notatos varios vsus vocis, *Hinc factum est*, inquit, *vt ad signa illa, qua augustam sublimium ac spiritualium rerum repræsentationem haberent, deduceretur.* Hellopœus: *Sacramentum, quod nos quærimus, ad signa & figuras refertur. Omnibus enim Sacramentis hoc commune est, vt sint signa & sigilla rerum diuinarum.* Nec vero esse posse in obscuro aut ambiguo sententiam nosttam patiuntur tam multę, tam animosæ iam pridem, siue calumnię, siue disputationes: nam aduersariis iam pridem eo ipso facti sumus importuni.

XVII. Sed & ipsi Papistæ profitentur idem. Catechismus Tridentinus; *Latini doctores, signa quadam sensibus subiecta, qua gratiam quam efficiunt, simul etiam declarant, ac veluti ante oculos ponunt, Sacramenta commode appellari posse existimarunt.* Et post, *Qua cum ita se habeant, Sacramentum ad hoc rerum genus, qua significandi causa instituta sunt, referri perspicuum est.* Iterum, *Sed ex Scripturis etiam aperte colligitur, Sacramentum inter signa numerandum esse. Apostolus enim de Circuncisione, veteris legis Sacramento, qua Abraham patri omnium credentium data erat, ita ad Romanos scribit: Et signum accepit Circuncisionis, signaculum iustitia fidei.* Itaque Bellarminus in iis quæ ad Sacramentum nouæ legis constituendum necessario requiruntur, primo loco numerat, vt sit signum. Nec reliqui dissentiunt, vt ne omnes nominem.

XVIII. Ab hac ratione, perpetua oppositio, signi & rei significatæ: vt solent relationis termini inter se opponi. Nam omnia signa sunt in Relatis: Signa ergo sunt ipsa illa, quæ non propter se proponuntur: Et res intelliguntur eæ ipsæ, quarum gratia signa exhibentur, vt in paradiso, arbores ipsæ signa erant; res autem, Vita, & Scientia. Postmodum hostiæ in sacrificiis, signa: remissio peccatorum, res. In Eucharistia, panis & vinum, signa: & corpus & sanguis Christi, res. Sic in reliquis omnibus. Nempe, vt cum primum audimus Sacramentum, ne propositis rebus hæreamus; sed statim inquiramus, cuiusnam rei Sacramenta, siue signa sint; vt eam in rem toto feramur affectu: vtpote cuius causa sint instituta Sacramenta. Quam ob causam notauit Augustinus, eam demum miserabilem esse seruitutem, signa pro rebus accipere.

XIX. Estque ab huius occasione relationis homonymia, quam commode putauit Beza distinguendam, & post eum Hellopœus; vt Sacramentum dicatur, alias peculiariter ipsum signum, & quidem relatiue oppositum rei significatæ: alias vero, quiddam quasi compositum ex vtroque. Quæ posterior notio, tum maxime in vsu, cum de vnaquaque Sacramentorum specie agitur, puta Baptismo, Eucharistia, quæ singula Sacramenta dicuntur; cum tamen latius significent, quam cum dicitur panis Sacramentum corporis. Nam certe Irenæus lib. 4. c. 34. Eucharistiam dixit constare duabus rebus, terrena & cœlesti: cum tamen ipsum signum constet esse rem vnam duntaxat, atque eam terrenam. Hoc igitur sensu Sacramentum duas quasi partes habet; quarum altera est Sacramentum, altera notione, id est, signũ, altera autem, res significata. In quẽ vsum tanto facilior transitus quãto certius est, relata simul esse: Et vno posito, sublatove, alterũ poni tollive.

XX. Vtrique suas assignauit definitiones Beza, non inutiles notatu; quamuis nonnulla contineant capita postmodum disputanda: quod moneo, vt ne quis me putet ex eo præscribere hoc iam loco velle futuro labori. Priori ergo. *Sacramentum est signum visibile diuinitus Ecclesia institutum, cuius vsu Christus eum suis beneficiis ad vitam æternam spectantibus ita significatur conuenienti quadam analogia, vt etiam re ipsa in credentium animis obsignetur.* Alteri. *Est actio quadam sacra diuinitus Ecclesia ad finem vsque seculi demandata, in qua Deus congrua quadam signorum, & rerum significatarum analogia, partim rerum præteritarum memoriam in nobis fouet, partim res cœlestes in adiuncto institutionis verbo declaratas, velutque oculis nostris repræsentatas nostris animis offert: per fidem spiritualiter obsignandas: qua denique filiorũ Dei à mundo separatio, mutuaq; eorundẽ inter se societas sancitur.*

CAP. XI.

De proprietatibus Sacramentorum qua signa sunt.

I. Signorum longe maxima seges est, itaque interest attendi, quem in ordinem Sacramenta referenda sint. Primum, alia Naturalia sunt, alia Instituta. Nam quamuis tertium genus addat Beza, Mirabilium, tamen mihi videtur non necessarium. Quicquid enim est miraculi, id pertinet ad rei existentiam; non autem ad significandi rationem: vt Ionæ salus miraculum fuit, & serpentis in deserto vis curandi, sed neutrobi tamen miraculosa significandi ratio.

II. At nos, cum Naturalia dicimus, & Instituta, non ipsam rei existentiam, aut existendi causam vllam consideramus, sed causam potius significandi. Naturalia ergo sunt, quæ à se ipsis suaque natura habent vim significandi aliquid; vt fumus indiciũ est ignis latentis, & pallor morbi, & lachrymæ doloris. Sic Matth. 16. *Quando serum est diei, dicitis serenitas erit, rubet enim cœlum, & mane, hodie erit tempestas, rubet enim cœlum triste.* Instituta vero, quæ significandi vim habent præter suam naturam ex peculiari institutione, vt hedera suspensa, vinum venale portendit: Et annulus hodie matrimonio dicatus est. Sic Iridem Deus instituit, certam tesseram nunquam redituri diluuij. De vtroque signorum genere plura Augustinus habet, de doctrina Christiana lib. 2. c. 1 & 2.

III. In vtro genere Sacramenta sint, nulla dissensio est. Beza Quæst. 10. *Augustinus hac in re vestigia sequutus, dico alia esse naturalia, sicuti fumus est incendii signum: alia prodigiosa, & cum miraculo coniuncta, cuiusmodi fore in Sole & Luna, & Stellis docet Dominus, alia denique ex voluntate & instituto, vel hominum, vt ramus appensus, est vini venalis signum, vel Dei; vt Iris in cœlo apparens est signum mundum nunquam diluuio periturum. Ad quam vero speciem refers Sacramenta? Nempe cum neque naturalia signa sint, neque miraculosa, ad postremam classem, id est, ad voluntaria referuntur; instituto videlicet & voluntate Dei constituta.* Nec à suo præceptore recedit Hellopœus, *Quum Sacramenta signa sint, nec naturalia, nec miraculosa, sequitur voluntaria esse, hoc est, ex institutione arbitrii valentia.*

IV. Contarenus examinans Hugonis definitionem. *Quoniam Sacramenta vim habent ex institutione Christi, ideo adiunxit, Institutione significans. Nam naturalis illa similitudo non significaret gratiam Dei dari per rem sensibilem, nisi à Christo ita fuisset institutum.* Bellarminus in necessario requisitis ad constituendum Sacramentum, tertio loco constituit, *vt hoc signum sit voluntarium, siue datum, non naturale. Quadam enim signa*, inquit, *sunt naturalia, qua non pendent ex noua institutione, sed ex natura sua significant, vt est fumus signum incendij, & odor signum rei odorata præsentis, & aurora signum vicini solis: alia signa sunt ex arbitrio instituentis, vt nomina & verba omnia, vexilla militum, & omnia insignia familiarum. Porro Sacramenta signa esse posterioris generis docet Augustinus, libri secundi de doctrina Christiana capite tertio, & libri tertii capito nono. Neque vllus contradicit.*

V. Et sane res est perspicua. Nam quæcunque naturaliter significant, ea & omnia, & semper significant, vt exempli gratia, qui fumum videt, ex eo ipso statim ignem concludit, vbicunq; tandem viderit, aut quandocunque: & Saluator illud de cœlo rubente non aliter referebat, quam axioma perpetuũ. At contra, signa voluntaria neq; semper signa sunt, neq; vbicunq;, aut quomodocunque. Sic qui fumus interdiu hostẽ significat aduentantem; nõ noctu æque: & etsi noctu interdum ignis, eandẽ vim habeat: at non semper: nam apud Papistas saltem in solstitio æstiuo, superstitionem potius significat.

VI. At in Sacramentis, eædem res non semper significant. Non omnia, inquam, Sacrificia, non omnis circuncisio remissionem peccatorum; ne omnis quidem Baptismus. Nam offerebant Sacrificia etiam Ethnici: tum Agareni, Turcique circunciduntur, & virgines Lacenæ lauabant in Eurota: sed & Turcis frequentissima baptismata. Ne Christiani quidem quoties cœnant, toties mortem Domini annuntiãt. Ideo circumspecte Paulus prior. ad Cor. 11. non, quoties panem ederitis, & poculum biberitis: sed, *Quotiescunque*, inquit, *ederitis* τὸν ἄρτον τοῦτον, *panem hunc*: καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο *& poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis.* Et in ipsa institutione, nõ infinite panis est corpus Christi, poculũ est sanguis Christi, sed determinate, i. e. hic panis *est corpus meũ.* & *hoc poculũ est nouũ illud fœdus in sãguine meo.*

VII. Rursus, quæ naturaliter significant, eadem pro sui quantitate; significant, vt maior fumus, maius incendium, maiorem morbum maior pallor, aurora, quo clarior, hoc propinquiorẽ solem testatur, & odor, quãto vehe-

vehementior tanto corpus vicinius. At in Sacramentis quantitas signi neque auget neque minuit rem, quæ significatur. Vnde hodie, cum exiguum aquæ adhibeatur Baptismo, tam bene remissio peccatorum obsignatur, quam olim cum toto fluuio, totum corpus immergebatur. Et de Eucharistia non plus habet, qui multum sumit, quam qui exiguum.

VIII Iam quæ signa instituuntur, vel ab homine sunt, vel à Deo Sed Sacramenta non nisi à Deo. Sic Beza, cum diuideret in naturalia, miraculosa, voluntaria: & hæc in instituta ab homine, & à Deo; postremo ordini Sacramenta adscribebat: *instituto videlicet ac voluntate Dei constituta.* Petrus Martyr c.7. *Efficiens causa Sacramentorum nulla constitui potest*, (nempe quatenus Sacramenta sunt: nam quatenus res naturales, habent etiam causas naturales) *nisi aut Deus, aut Dominus noster Iesus Christus, qui etiam verus est Deus: oportetque vt ex Sacris de illis habeamus euidens testimonium.* Hellopœus, postquam posuit Sacramenta esse instituta, *Verum*, inquit, *quum hoc quoque genus bimembre sit, nempe humana institutionis, vt hedera suspensa vini venalis signum est: Et diuina: ad hoc postremum Sacramenta pertinent: Nullius enim creaturæ ea est autoritas, vt pro suo arbitrio Sacramenta instituere possit*

IX. Papistæ, etsi alias soleant traditionibus Ecclesiæ haud multo minus deferre, quam ipsi Deo: tamen hac quidem in parte satisfaciunt Catholicis. Catechismus Tridentinus. *Vt explicatius, quid Sacramentum sit declaretur, docendum erit, esse rem sensibus subiectam, quæ ex Dei institutione sanctitatis & iustitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet.* Gregor. de Valentia, quæst. 1. punct. 1. *Constat sine controuersia, Sacramentum non esse signum naturale: sed datum & institutum à Deo. Non enim ea est naturalis proprietas Sacramenti cum re quam significat, vt sine Dei addita institutione, faceret rem eam in cognitionem venire.* Vasques, cap. 4. disputationis centesimæ vicesimæ octauæ. *Præterea ad rationem signi, quod dicitur esse de ratione Sacramenti, non pauci Theologi antiqui, & recentiores merito censent pertinere diuinam institutionem; ita vt Sacramentum non modo sit signum rei sacræ: sicut in suis definitionibus Magister, Sanctus Thomas, & Isidorus solum expresserunt: sed etiam à Deo institutum: id quod Hugo de S. Victore, & Catechismus Pii quinti in definitionibus à se traditis expresse notarunt. Idem omnino addiderunt Sotus, Gabriel, Ricardus, Durandus. Porro autem hanc conditionem necessariam esse ad rationem Sacramenti, nulli hactenus dubium fuit.* Denique Eckius Ho. 2. *Vnica diuina voluntas sufficiens nobis est causa Sacramentum.*

X. Id patet inductione & ratione. Nam Christiana Sacramenta, Legaliaque, & quæ pertinebant ad statum innocentiæ, habent omnia suam certam à Deo institutionem, diserteque testatam in Scripturis. De solis Sacrificiis apud primos homines visitatis post peccatum, nihil Scriptura testatur, nisi grata Deo fuisse: sed hoc ipsum satis est, præter reliquorum omnium analogiam; vt conclusio fiat certa, fuisse à Deo instituta, non minus quam reliqua.

XI. Ratio autem non potest esse obscura. Cum eiusdem sit promittere & tradere, cuius dare. Nam certe, nullius esse potest creaturæ, nedum hominis, dare gratiam: vnde neque promittere, aut tradere. At Sacramentorum institutio, promissionis est, & traditionis. Quare nullius hominis, nullius creaturæ. Sic nimirum sponsi solius est, annulum sponsæ dare, vt sit matrimonij arra. Sic regis solius, vt diplomata concedere, sic diplomatis sigilla addere.

XII. Ab his axiomatis, duo consectaria sunt. Vnum, in omni Sacramento considerandam necessario, tum rem quæ assumitur in signum, tum Institutionem: quæ duo pridem vsus obtinuit appellari, Verbum & Elementum. Sic enim Augustino iam occupatum tractatu in Ioannem 80. *Accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum:* sæpe repetitum apud Scholasticos, omnesque deinceps Papistas. In Catechismo Tridentino, *Duo sunt ex quibus quodlibet Sacramentum conficitur: quorum alterum materiæ rationem habet, atque Elementum dicitur: alterum formæ vim: & Verbum communi vocabulo appellatur.*

XIII. Thomas non incommoda ratione illustrat part. 3. quæst. 61. artic. 6. *Ad perfectionem significationis Sacramentalis necesse fuit, vt significatio rerum sensibilium, per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest, & ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium propter suam frigiditatem. Sed cum dicitur ego te baptizo, manifestatur, quod aqua vtimur in Baptismo ad significandum emundationem spiritualem.* Sed potest diduci latius: & altius repeti. Nam primum, possunt res quæque vsurpari, vel propter se, vel propter aliud Et quæ propter aliud: possunt varios respectus habere: vt exempli gratia fermentum, modo regnum cœlorum designat, modo humanas traditiones. Quare in aqua vsurpanda, non tantum potest ambiguum esse, non modo quorsum vsurpetur, ad refrigerationem, an ad ablutionem: sed etiam vtrum propter se, an propter aliud. Quam ambiguitatem Verbum tollit: proinde necessarium.

XIV. Contarenus paulo aliter, *Quoniam Sacramenta institutione significant, & sanctificatione continent gratiam, oportuit signum Sacramenti duplex esse: alterum in quo esset præcipua & prima vis significandi; cuiusmodi sunt verba: alterum in quo esset naturalis similitudo repræsentans. Huius ordinis sunt res aliæ natura constantes, in quibus apparet similitudo, natura referens id, quod inuisibiliter fit interius: Verba vero præcipuam habent vim significandi. Constat ergo vnumquodque Sacramentum ex rebus & verbis: nec verba sine rebus perficere queunt Sacramenta.*

XV. Porro elementum vsurpatum fuit, non quo sensu Physici quatuor dixerunt elementa, corpore simplicia, ex quibus reliqua omnia componantur: sed alio latiore, amplioreque: pro quacunque re corporea, & naturali; siue vt loquebatur Contarenus, quæ natura constet: separanda puto, à mere artificiosis: quarum subsistentia nulla est propria. Sic circumcisionis elementum præputium: Paschatis agnus: sacrificij hircus, seu vitulus: Baptismi aqua: Cœnæ panis, & vinum.

XVI. Alterum consectarium: hæc elementa, non nude vt res sunt quædam, sed certis circunstantiis adhibitis, fieri Sacramenta. Exempli gratia: non tantum panis non significat corpus Christi ex sua natura; sed neque quidem, quocunque modo. Itaque Paulus dicebat primæ ad Corinthios decimo, *Calix benedictionis cui benedicimus. Panis, quem frangimus.* Imo Christus, *Accipite, edite: bibite ex hoc omnes.* Et in Baptismo, vox ipsa baptizandi denotat aquam fieri Baptismum: non si bibatur; sed si ad lotionem adhibeatur. In statu innocentiæ, arbor altera fiebat arbor vitæ, non si fereretur, aut detonderetur; sed si eius fructus comederetur: altera fiebat arbor scientiæ; si contra fructus eius non decerperetur: Et in Sacrificiis pecudes Sacramenta fuerunt, non si venderentur in foro, aut pastum agerentur; aut signarentur: aut aratro adhiberentur, sed si cæderentur.

XVII. Itaque Hellopœus scripsit, *signum appellari id omne quod in Sacramentis sensibus percipitur. Est autem*, inquit, *illud duplex: nempe elementa, & actio, seu ceremonia congruens ad institutionem diuinam. Vtraque enim praposita sunt, non vt pascant oculos, sed vt res alias spirituales que adumbrent, & significent.* Exempli gratia, *Signa elementa sunt in Eucharistia panis & vinum: signa ceremonialia, consecratio, fractio panis, prabitio panis & poculi, perceptio, esus & pastus.*

XVIII. Atque huc pertinet id quod Gregorius de Valentia scripsit, punct. 1. quæst 1. *Addendum est illud præterea, quod recte annotauit Melchior Canus, & Vuillelmus Alanus, scilicet rem sacram in proposito intelligi debere, eam quæ sanctificat hominem suscipientem recte ipsum Sacramentum, quod talis rei sacræ est signum. Ita vt intelligere debeamus esse signum rei sanctificantis practicum: quoniam significat, rem quæ in ipsa praxi & vsu talis signi sanctificat: siue per ipsam praxin, & vsum huiusmodi signi conferatur homini ea res sanctificans, siue conferatur solum à Deo, in ipsa tamen praxi & vsu signi.*

XIX. Sed signorum varietatem repetamus. Eorum quædam τυπικὰ sunt, quædam αὐθεντικά. Illa quæ intellectui aliquid intimant immediate, id est, quatenus ea ipsa mente sese primo obiiciunt: cuiusmodi imagines illæ sunt, quas quisque mente concipiens sibi res quascunque repræsentat meditanti. In quo genere collocari possunt ea signa, quæ olim fuere in rerum natura; sed esse tandem desiere: in memoria tamen conseruata, pro signis habentur: vt Matth. 12. *Signum non dabitur ei, nisi signum illud Ionæ Prophetæ.* Prioris ad Corinthios decimo, *Hæc autem typi nostri fuerunt: vt ne concupiscamus res malas sicut illi concupierunt.* Et iterum, *Hæc omnia typice eueniebant eis, scripta sunt autem ad nostri admonitionem.* Eodem pertinere putem allegorias omne genus: nam etsi in earum fundamentum sit res aliqua sensibilis: tamen non vt sensibilis, sed vt animo cogitari potest: vnde non raro ficti casus sunt: vt illud de virginibus prudentibus, & stultis: Item de variis talentis traditis variis seruis: item de operariis in vineam, & aliæ magno numero.

XX. Quæ autem αὐθεντικά, ea sic intellectum mouent, vt tamen primo sensus, quorum est res præsentes percipere, tum secundo quasi conatu, intellectum. Huius generis exempla sunt innumera. Iosuę 4. duodecim lapides, signa sunt siccati Iordanis, *Vt sit signum inter vos: Et quando interrogauerint vos filii vestri cras, dicentes; Quid sibi volunt isti lapides? Respondebitis eis, Defecerunt aqua Iordanis ante arcam fœderis Domini.* Secundo, funiculus coccineus statuitur conseruandæ domui Rachab. Primi Samuel. 14. *Cum apparuerimus eis, si taliter loquuti fuerint ad nos. Manete donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, ne ascendamus ad eos. Si autem dixerint, Ascendite ad nos: ascendamus ad eos: quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum.* Prioris Reg. 13. *Dedit que in illa die signum dicens, Hoc erit signum, quod loquutus est Dominus. Ecce altare scindetur, & effundetur cinis, qui in eo est.* Lucæ 2. *Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & iacentem in præsepi.* Marci decimoquarto, *Dederat eis, iste qui eum prodebat, commune signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, is est, comprehendite eum.*

XXI. Quæritur ergo, quonam in ordine collocanda sint Sacramenta. Respondetur vtrinque, in posteriore. Caluinus in definitione posuit, *Externum symbolum, siue signum.* Et post, *Ita se captui nostro pro immensa sua indulgentia attemperat misericors Dominus, vt quando animales sumus, qui humi semper adrepentes, & in carne hærentes, nihil spirituale cogitamus, ac ne concipimus quidem, Elementis etiam istis terrenis nos ad se deducere non grauetur, atque in ipsa carne proponere bonorum spiritualium speculum.* Et iterum, *Sacramenta igitur exercitia sunt, quæ certiorem verbi Dei fidem nobis faciunt. Et quia carnales sumus, sub rebus carnalibus exhibentur: vt ita pro tarditatis nostræ captu nos erudiant: Et perinde ac pueros pædagogi manu ducant.* Vrsinus thesi 29. *Signa sunt res corporales, id est, actiones membrorum corporis, & res expositæ sensibus.*

XXII. Remundus Sebeidem lib. de creaturis, agens de Sacramentis, *Quia bene esse, quod homo debet recipere à Christo est inuisibile, scilicet ipsa gratia, qua est bene esse, & est inuisibilis, quoniam est res spiritualis sicut anima. Et propter hoc Christus ordinauit aliquas res corporales sensibiles & visibiles, per quas, & in quibus homo recipit adiutorium & bene esse seu gratiam suam ab eo.* Et de Pœnitentia, *In omni Sacramento inuisibile manifestatur & repræsentatur per visibile.* Contarenus, *Communis quædam animi conceptio semper fuit, Sacramenta ea esse, quibus spirituale quodpiam arcanum sub re sensibili contineretur.* Et post aliquanto, *Oportuit igitur homini, qui ex sensibus ad intellectualia peruenit, & cui contigit salus per hominem Christum, constantem ex corpore humano & sensibili, sanctificationem & expiationem adhibere quibusdam rebus sensibilibus, sub quibus lateret hæc sanctificatio, & gratia, quæ spiritualiter à Deo per Christum sanctificatur. Oportebat enim accessum sensibilem & corporeum hominis sanctificandi esse ad res illas corporeas, quo testatum faceret, se fide accedere ad suscipiendam sanctificationem & gratiam.* Et iterum, *Cum organum diuinitatis fuerit humanum corpus sensibile, quod agendo & patiendo, vt organum diuinitatis operatum est salutem nostram: vtique rationi consentaneum omnibus videri potest, alia quoque organa disiunctiora, inquam Sacramenta, esse in rebus sensibilibus constituta. Ex parte vero hominis per ea sanctificandi, nulli dubium, quin maxime debeant Sacramenta esse in rebus sensibilibus constituta.* Eadem sententia: eademque ratiocinatio est in Catechismo ad Parochos. *Natura ita comparatum videmus, vt ad earum rerum notitiam, quæ mente atque intelligentia comprehensa sunt, nisi per ea, quæ aliquo sensu percipiuntur, nemini adspirare liceat. Vt igitur quæ occulta Dei virtute efficiuntur, facilius intelligere possemus, idem summus rerũ omniũ artifex sapientissime fecit, vt eã ipsam virtutẽ, aliquib. signis, quæ sub sensum cadũt pro sua in nos benignitate declararet.* Idẽ Thomæ sensus, part. 3. q. 60 art. 4.

XXIII. Sed & veterum: ne quis recens putet inuentum: Nazianzenus oratione quadragesima. Διττῶν ὄντων ἡμῶν, σὺ ψυχῆς λέγω καὶ σώματος, καὶ τῆς μὲν ὁρατῆς, τῆς δὲ νοερᾶς φύσεως, διττὴ καὶ ἡ καθαρσις, ἡ μὲν ὕδατος καὶ πνεύματος, τῆ μὲν

τῦ μὲν θεωρητῶς τι κ̀ συναπτικῶς λαμβανομένε, τῦ δ' ἀσωμάτως κ̀ ἀθεωρήτως συντρέχοντος. *Quandoquidem duabus partibus, hoc est, animo & corpore constamus, quarum altera in aspectum cadit, altera oculorum sensum fugit: duabus quoque rebus constat Baptismus, aqua scilicet & Spiritu: illa visibili, & corporeo modo accepta, hac vero incorporeo & inconspicabili concurrente.* Similiter Chrysostomus Homilia in Matth. 83. ἐδὲν αἰσθητὸν παρέδωκεν ἡμῖν ὁ χειστὸς. ἀλλ' αἰσθητοῖς μὲν πράγμασι, πάντα δὲ νοητά. ἕτω γὸ κ̀ ἐν τῷ βαπτίσματι, δι' αἰσθητῦ μὲν πράγματος γίνεται τῦ ὕδατος τὸ δῶρον, νοητὸν δὲ τὸ ἀποτελέμενον, ἡ γέννησις κ̀ ἡ ἀναγέννησις, ἤτοι ἀνακαίνισις. εἰ μὲν γὰρ ἀσώματος εἶ, γυμνὰ ἄν αὐτὰ σοι τὰ ἀσώματα παρέδωκε δῶρα. ἐπεὶ δὲ σώματι συμπέπλεκται ἡ ψυχὴ, ἐν αἰσθητοῖς τὰ νοητά σοι παραδίδωσι. *Nihil sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus quidem sensibilibus: omnia vero quæ tradidit, insensibilia sunt. Sic & in Baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud conceditur: quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet ac renouatio, intelligibile quiddam est. Nam si tu incorporeus esses, nude ipsa incorporea tradidisset tibi: quoniam vero corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.*

XXIV. Hæc cum ita sint, obseruarunt tamen Bellarminus & Vasques, non defuisse scholasticos, qui subtilitatis, vt solent, affectantes gloriam, assererent adeo non esse hanc sensibilitatem de definitione Sacramenti, vt possit Deus, si velit, instituere mere spiritualia. Quasi nimirum dicerent potuisse in Vtopia condi homines auribus asininis, pedibus vitulinis. Vasques mollius respondet, si de Sacramentis sit sermo, quatenus signa sunt rei sanctificantis, siue homines, siue angelos, posse dari: sed nunc agi de Sacramentis, quæ data sint hominibus. Quasi subtilissime diceret, si agatur de homine, continente sub se bruta æque ac homines, potuisse concedi aures asininas, pedes vitulinos. Sed magis mascule Bellarminus, *Fallitur Ockam: quia illa oratio mentalis*, (Et hæc in exemplum mentalis Sacramenti proferebatur;) *haberet quidem effectum Sacramenti; sed Sacramentum non esset. Sacramentum enim intrinsece, & essentialiter est ceremonia religionis: ceremonia autem est actus externus.*

XXV. Signorum significatio, alias est tantum κατὰ τὴν θέσιν, alias κατὰ τὴν ἀναλογίαν. Θέσιν appello, solum institutionis placitum, quod vnum sit pro omni ratione, siue causa relationis, vt hæ nimirum sic positæ res, sic significent. Quod genus signorum frequentissimum; sed tantum Institutorum. Iris nullo alio fundamento nunquam reducendum vniuersale diluuium significat. Funiculus purpureus, familiæ Rachab soli salutem pollicebatur; tantummodo quia sic erat conuentum. Sic in Grammatica tum plerique literarum characteres, tum vocabulorum etiam soni, ita sunt, vt cur hoc, illudve significent, ratio nulla prorsus reddi queat, præter consuetudinem, quæ ipsa pro variis locis varia fuit: quo magis scias arbitrariam esse. Vnde enim dicamus factum vt primam vocalem sic pingant Latini, at Hebræi aliter; Et rursus aliter Arabes: imo cur sic singuli? Vnde factum vt lapidem Latini: λίθον Græci: אבן Hebræi dixerint?

XXVI. Ἀναλογίαν dico in iis, à quorum proprietate aliqua ratio deduci potest significandi. Quæ perpetua in naturalibus: sed alias causalitatis, alias similitudinis; & fortasse aliter: sed ita frequentissime. Priore modo ab effectis causæ significantur: & viciſſim à causis effecta. Sic Vlyssem Sophocles induxit Αἴαντος κυνηγετῦντα, κ̀ μετρέμενον ἴχνη νεοχάραχθ' ὅπως ἴδῃ εἴτ' ἔνδον, εἴτ' ἐκ ἔνδον, obseruantem Aiacis vestigia, vt sciret intus ne esset an non. Neque alia causa esse potest, cur miracula perpetuo σημεῖα & τεκμήρια appellentur: aut Paulus dixerit ad Rom. 1. inuisibilia Dei ex rebus conditis intelligi: nisi quod ab effectis solemus causas vestigare. At contra, Genes. 1. Sol & Luna non dicuntur futura לאותת in signa; nisi quod suo motu efficiant temporum, fortasse etiam naturalium rerum varietates: neque Astrologi iis longius productis abutuntur in præsagia quæcunque, nisi propter influxum in inferiora.

XXVII. Analogia similitudinis, cum rei significatæ proprietates quædam inueniuntur similes quibusdam proprietatibus insitis signo. In quo ordine principem locum obtinent imagines, ac statuæ: vnde hominis signū, est lignum, cuius partes omnes externæ symmetriam referunt corporis humani per membra singula: sic cœlos repræsentauit Archimedes in Sphæra. Huc pertinent omne genus parabolæ, allegoriæ, exempla.

XXVIII. Sed quædam signa sunt in quæ vtraque concurrit tum θέσεως tum ἀναλογίας, saltem similitudinis ratio. Ea nimirum quorum similitudo latior laxiorque, quam vt particulariter dicatur hoc illudve designare; atq; adeo à se non habent ἀκρίβειαν, sed tantum παχυμερῆ repræsentationem. In Grammaticis, etsi in quarta vocali plenitudinem soni, plenitudo circuli: Et in tertia exilitatem soni, exilitas lineæ, vtcunque adumbret; tamen nunquā cuiquam eæ venirent in mentem vocales ex iis solis characteribus, nisi accederet institutio. In vocabulis, etsi ἄνθρωπος Græce sit ab eleuatione oculorum, quæ homini propria est, tamen nisi vsus accederet, nunquam ea vox hominem cuiquam animo induceret. Et frustra τὸν θεὸν moneres dictum, siue ἀπὸ τῦ θεάσθαι τὰ πάντα; siue ἀπὸ τῦ θεῖν διὰ πάντων: nunquam quisquam conciperet vniuersi creatorem. Etsi אדם originem primam insinuet hominis, quæ sane aliqua similitudo est, tamen vt animal rationale diceret, accedere oportuit consensum omnium Hebræorum. Huc pictores deuenerunt, quoties persona fuit pingenda non ἐξ αὐτοψίας; sed ex relatu, siue historia. Sic quæ figura indeterminate hominem refert ex lineamentis; huic si addant Cometen, si leonis exuuium cum claua, si Cerberum, si Tridentem cum Tritone; si fulgur cum Aquila, dicent factum Diuum Cæsarem, Herculem, Plutonem, Neptunum, Iouem. In Papistica idololatria; stipitibus ad compita prout se festa dant additæ geminæ claues, aut ensis Helueticus, aut crux obliqua, aut craticula, vnum eundemque stipitem distinguet in Petrum, in Paulum, in Andream, in Laurentium. Cui artificio simile artificium est ἀλληγορυμένων, qui vnum eundemque scripturæ locum transformant in mille ideas varie variis acquisitis similitudinum lusibus.

XXIX. Sed vt ad Sacramenta veniam; tertii huius ordinis esse, manifestum. Nam θέσιν habemus ex Institutione de qua iam dictum, quod satis sit. Similitudinis testem habemus locupletissimum Augustinum Epist. 23. *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.* Cui tanquam oraculo acquieuerunt omnes Theologi. Beza non putauit definiendum, nisi addita congrua quadam signorum & rerum significatarum analogia. Et *Analogiā*, inquit, *quid vocas? Conuenientiam signi cum re significata, vt ablutionis per aquam, cum ablutione per sanguinem: & alimenti huius vitæ cum æternæ vitæ alimento*

XXX. Neque sunt ab hac veritate alieni Papistæ. Durandus quæst. 1. in prim. 4. *Non omne elementum est materia cuiuslibet Sacramenti: sed illud quod ex natura sua habet aliquam similitudinem cum effectu Sacramenti.* Contarenus, *Res ergo sensibilis est Sacramentum, quæ natura constat, & habeat oportet ex insitis à natura similitudinem quandam cum re, quæ spiritualiter agitur: ideo addit Hugo, similitudine repræsentans.* Altenstag disertius, requiri, *quod sit res sensibilis habens naturalem similitudinem ad gratiam siue effectum Dei gratuitum. Naturalem inquam similitudinem, non per participationem eiusdem qualitatis: sic enim sensibilia non sunt similia spiritualibus: sed similitudinem illam, quæ est proportionatorum, vt sicut se habet hoc ad illud, ita hoc ad istud. Exempli causa, vt se habet aqua ad diluendum maculas corporales, ita se habet gratia ad abluendas maculas spirituales. Et hæc similitudo est bene corporalium ad res spirituales.*

XXXI. Bellarminus, *Quartum est*, nempe necessarium constituendo Sacramento, *vt hoc signum habeat cum re, quam significat analogiam, & similitudinem aliquam.* Et aliquanto post, *Vnde Sanctus Augustinus, si Sacramenta, quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Et Græci Patres passim Sacramenta vocant ἀντίτυπα: quod vocabulum significat rem ita similem alteri, vt cum illa quasi certare videatur de forma: vt si depicta imago ita probe, & quasi ad viuum rem exprimat, vt non imago, sed res ipsa videatur.*

XXXII. Hactenus Bellarminus: inconsideratius tamen paulo philosophatus de nomine ἀντιτύπε: tum contra experientiam, tum aduersus seipsum. Sane Paulus ad Hebr. 9. dixit ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν τὰ χειροποίητα ἅγια: quæ tamen certasse cum cœlestibus, cui poterit quisquam persuadere? Et vero ἡ σκία vmbra, non potest censeri tam curate facta imago. At c. 10. eiusdem Epist. *Lex vmbram obtinens futurorum bonorum.* Et c. 8. οἵτινες ὑποδείγματι κ̀ σκιᾷ λατρεύοντες: *Qui exemplari & vmbræ deseruiunt rerum cœlestium.* Nec puto arcæ Noe tam similem esse Baptismum Christi, vt non plurimum interesse videri posset: cum tamen Petrus hunc illius ἀντίτυπον pronunciauerit.

XXXIII. Tum autem Bellarminus ipse tertium istud genus signorum describebat, *habentium aliquam analogiam cum re, sed tam indeterminatam & confusam, vt magis apta sint ad significandum, quam actu significent, nisi determinentur ab aliquo: quomodo imago hominis non facta ad alicuius particularis hominis similitudinem, neminem in particulari significat, & tamē quamlibet significare potest, si determinetur adscripto nomine alicuius, aut addito vestimento, aut aliquo signo particularis hominis. Huius tertii generis sunt omnia Sacramenta: nam nec per se significant actu, nisi determinentur: & tamen apta sunt significare si determinentur.* Hæc ille: quæ quomodo conueniant cum superioribus, videre non possum. Nam profecto illa indeterminata & confusa, & in potentia potius quam in actu significatio, non videtur quadrare illi imagini, tam probe depictæ ad viuum, vt res ipsa videatur. Nisi forte sic philosophari voluerit, vt interim τῶν ἀντιτύπων nomine Sacramenta ostenderet, non nisi ὑπερβολικῶς, ac vehemente καταχρήσει nuncupata. Id ipse viderit. Nobis non licet esse tam sophistis.

XXXIV. Abiit aliquantum ad læuam Suares: negans hanc analogiam esse necessariam, *Priores definitiones*, inquit *paulo sunt longiores, quam expediat, & particulas continent, vel obscuras, vel non omnino necessarias: qualis est illa, quod Sacramentum significare debet ex similitudine: quæ omnibus quidem Sacramentis conuenit, quæ de facto instituta sunt: & quamuis non sit simpliciter necessaria, tamen ex quadam congruitate, & sapienti institutione, semper obseruatur.* Quod quidem ille audacius paulo: non tantum contra Bellarminum, qui dixit necessarium esse: sed & contra Augustinum: qui negauit fore alias Sacramentum.

XXXV. Enimuero quod necessarium esse negat, & tamen in omnibus reperiri, quid sibi vult? Nam profecto qui συνθετικῶς naturam rerum inuestigant, ii necesse habent ab experimento singulorum, vniuersalia, id est, necessaria axiomata colligere. Experimentum autem singulorum, inductio est. Sic quicunque homines dicuntur & sunt, inueniuntur compositi ex corpore & anima rationali, factum vt necessaria sit dicta compositio.] Sic τὸ γελαστικὸν, atque alia. At quia non omnia animalia comperta sunt aut ratione prædita, aut γελαστικά: inde negatum ad naturam animalis, siue rationem esse necessariam, siue risum. Quia tamen quibusdam animalibus omnibus ratio inest, aliis vero nulla: factum vt animalia distinguantur in species, quibus nomina homo, brutum. Notum est enim, non ab axiomatis rerum pendere naturam: sed contra rerum natura axiomata colligi. Cum ergo fateatur Suares, quæcunque possunt Sacramenta numerari à Deo instituta, iis inesse hanc de qua loquimur similitudinem, cur negauit esse necessariam? Pateret, si nostrum esset pro arbitrio rerum naturas agere, ferre. Sed si rerum cōtemplatio hæret necessario naturæ, quæ iam sit, & ita sit: nostroque subiicitur experimento: profecto fieri non potest vt vir prudens, si quæcunque notari possunt indiuidua, in iis obseruauit aliquid absque vlla exceptione, hoc ipsum non dicat necessarium. Atque adeo si quis neget, hunc omnis eruditorum cohors dicet ἀεροβατεῖν, κ̀ τραγελάφυς διώκειν, id est, vere sophistam agere, captantem τὰ μὴ ὄντα. Res enim definienda quæque prout est, & non prout non est.

XXXVI. Nam ad nomen quod attinet, ridicula occasio est. Quia notum cunctis, aut nulla, aut pauca nomina totam complecti rei naturam: saltem quæ imponantur ex vi aliqua etymologiæ. Nam reliqua, quæ ex nuda impositione, vt fateor continere vniuersam naturam: sic nego vllum sufficere argumentum siue ad confirmandam, siue ad infirmandam definitionem. Exempli gratia. Quancunque tu lapidis definitionem daturus es, siue propriam, siue alienam, ad eam lapidis ipsum vocabulum erit alba linea: quum ipsum per se nihil significet: sic domus: sic pecus: sic bos: sic equus: sic innumera. Reliqua parti tantum definitionis conuenire satis est: Et ita sunt vt plurimum: quin sæpe, ne parti quidem: neq; enim desumi quicquam vetat ab accidente. אדם hominem designat à materia corporis, non ab anima: ἄνθρωπος, & Homo, à nulla re essentiali: nam ἄνω τρέπειν τὰς ὦπας: item τὸ ὁμῦ διάγειν accidentia sunt. Itaque in definiendo homine, vix habita horum nominum ratio. Ad eandem rationem, Sacramentum etsi à sacrando sit, non à significando; tamen signum est, nec potest non significare.

CAP. XII.

CAP. XII.

De Sacramentis quantum ad rem significatam attinet.

I. DIximus in Sacramentis perpetuam esse relationem signi, reique significatæ; & rem significatam esse gratiam diuinam. Nunc plenius inquirendum, & quænam sit hæc gratia; & quæ relationis ad eam natura.

II. Gratiam diuinam Bellarminus, atque alij earum partium, triplicem distinguunt: nempe Gratiam iustificantem præsentem; passionem Christi præteritam: vitam æternam futuram. Præcipue tamen gratiam iustificantem significari, quia scilicet Sacramenta legis nouæ, id efficiant, quod significent.

III. Nobis, etsi in re ipsa haud multum sit discriminis, tamen alia docendi ratio est: & ea quidem, nisi nos fallimur, tum iudicioſior, tum facilior. Nam hæc Bellarmini, non est generalis omnibus Sacramentis, sed accommodata specialiter iis, quæ sunt Noui Testamenti: nam & ille præ se fert; & res testatur ipsa, non tantum illa efficacia, rei præsentis, quam nullam possunt admittere in Sacramentis veteribus; & de qua suo loco controuersia erit, sed etiam passionis Christi circunstantia. Non potuerunt enim Sacramenta vetera eam significare præteritam, quæ multis post seculis erat futura.

IV. Et significarunt nihilominus. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 10. cap. 20. *Huius veri sacrificia multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum ob hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multum commendaretur.* Idem contra Faustum lib. 9. cap. 6. & alias sæpe. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. *In sacrificiis carnalium victimarum, quæ ipsa sibi sancta Trinitas, quæ vnus est Deus Noui & Veteris Testamenti, à patribus nostris præcipiebat offerri, illius sacrificii significabatur gratissimum munus, quod pro nobis ipsum solus Dei Filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus* Rursus Augustinus Epistola 5. *Breuiter dici potest, alius Sacramentus prænuntiari Christum cum venturus esset, alius cum venisset annuntiari oportuisse, sicut modo nos idipsum loquentes diuersitas rerum compulit etiam verba mutua.*

V. Sed huius tamen obseruationis defectus, quisquis est, excusari facile potuit; etiam à nobis, qui quanquam aduersarios profiteamur sophistarum, tamen non vsque adeo indulgemus nostris affectibus, vt non videamus, superfluum esse animose contendere de iis Sacramentis, quæ sunt antiquata. Et quanquam Theologos ne hanc quidem oporteat partem non cognitam habere; tamen esset Ecclesiæ Christianę tolleranda conditio, si nihil peccatum esset grauius.

VI. Secunda non placet, iustificationem præcipue significari; si non dicatur distinctius. Nam significationis varij gradus esse possunt: quorum alij propinquiores, remotiores alij. Exempli gratia: characteres in scribendo significant & sonum vocis, & rem aliquam, sed illum propinquius, hanc remotius. Nimirum, quia per se sunt σημεῖα τῶν ἐν τῇ φωνῇ Sed quia τὰ ἐν τῇ φωνῇ sunt etiam σημεῖα τῶν ἐν τῇ ψυχῇ, ideo τὰ ἐν τῇ γραφῇ σημεῖα ἐστὶ τῶν ἐν τῇ φωνῇ: sed remotius, quia primo & per se illorum: Astrologis constellationes quædam signa inundationum: qui pluuiarum, à quibus inundationes. Physiologis insomnia quędam quorundam morborum, quia κατὰ ῥοὰς, à quibus morbi. Nautis ignes gemini salutem denuntiant, quia σημεῖον, à qua salus.

VII. Cum igitur significatio alia proxima sit & immediata, alia remotior: si hanc dicas; tum vero significari iustificationem concedimus: nempe per Christi passionem, quæ eius causa existit Sed præcipue significari, videtur taceri potuisse commodius. Nam in omnibus rebus fines remotissimi, sunt maxime præcipui, quia primi sunt in intentione: & eorum causa sunt omnes medij. Atqui non tantum passio Christi significatur propter iustificationem, sed etiam iustificatio propter vitam æternam. Itaque hæc potius videretur dicenda potissimum significari.

VIII. Nam quod ille dicit de efficacia, ridiculum est, *Sacramenta*, inquit, *noua legis efficiunt quod significant: at non efficiunt passionem Christi, nec vitam beatam, sed solam iustificationem:* Miram incogitantiã? Nam cur conclusit præcipue significari iustificationem? Debuit distertius, solam significari: nihil, inquam, significari præter eam. Sic enim legitima syllogismi forma postulat. Quicquid significant Sacramenta, hoc ipsum efficiunt At non efficiunt Christi passionem; non vitam æternam: Ergo ne significant quidem Quod si hæc conclusio est à vero remota; ergo maiorem oportuit emendatam, vt diceret, quædam significari, quæ tamen non efficiantur, & ea effici duntaxat, quæ præcipue significentur Sed hoc Bellarminus omisit, siue incogitantior, siue diffidentior, quod mihi creditu facilius.

IX. Præterea à Sacramentis non effici vitam æternam, negamus considerate dictum. Debuerunt enim distinguere rationes efficiendi variæ. Nam efficiuntur quędam vt media; quædam vt finis. Illa quidem in præsens, sed hic in futurum. Exempli causa: Medicamentum efficit purgationem; efficit etiam sanitatem, sed hanc per illam, & purgationem efficacia præsenti, sanitatem remotius, ideo nec præsentem, simili ratione Sacramenta, quæ & ipsa quasi medicamenta sunt quædam, testibus aduersariis, nihil obstat, quominus dicamus efficere etiam vitam æternam, quanuis ea in futurum exspectetur, videlicet, quia efficiant iustificationem, quæ est propter eam.

X. Quod si significationem dicas propinquam; tum confidenter dicam præcipue passionem Christi significari. Nam si gradus esse possunt propinquitatis; dubium esse non potest, quin ille sit præcipuus, qui proximus. Quare si primum significetur passio, & per passionem iustificatio, & per iustificationem vita, omnino necesse est passionem præcipue significari. Quomodo sine dubio medicamenta præcipue operantur purgationem.

XI. Præterea id præcipue significari dicendum; quod semper. Atqui passio Christi semper significatur, at non reliqua: nam iustificationem non semper, ipsa docet hypothesis Bellarmini. Non enim semper efficitur, saltem si recipiens ponat obicem, quod si non efficiat, ergo non significat, si Bellarminus non male vidit. At passio Christi semper significatur, quia ex institutione, & similitudine, quarum neutra pendet ab accipiente.

XII. Ad hæc, significatio non potest aut dici aut intelligi, nisi ratione signorum Signa autem sunt elementa, resque sensibiles. Itaque significatio referri debet ad res sensibiles. At hæc non possunt præcipue, id est, proxime significare iustificationem. Ratio est, quia ex communi consensu significatio est per similitudinem, similitudo autem in proportione. Exempli gratia, sicut aqua lauans corpus absterget maculas, ita id quod per aquam significatur aufert peccata. Atqui iustificatio est ipsa ablatio peccatorum, ideoque postremus proportionis terminus; qui respondet secundo, id est, abstersioni macularum, non potest igitur respondere primo, id est aquæ. Multo melius passio Christi, quæ non est ipsa ablatio peccati, sed id per quod fit. Vnde nos solemus dicere, rem quæ per aquam significatur esse sanguinem Christi, quia dictum primæ Ioannis primo, *Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato.* Vt similis analogia sit in Baptismo, quæ in Eucharistia. Nam hic; quemadmodum panis & vinum alunt corpora in hanc vitam, sic caro & sanguis Christi animas nostras in æternam. Vnde panis & vinum signa sunt, non primo & immediate vitæ æternæ, sed carnis & sanguinis Christi.

XIII. Fateor tamen ista magis pertinere ad modum docendi, quam ad rei veritatem. Itaque non repugnamus, quominus & hîc consensus sit vtrinque, in Sacramentis significari passionem Christi præteritam, iustificationem nostri præsentem, vitam æternam futuram. Et protestamur nihil habere commune, cum eo genere hæreticorum nostri temporis, quos Suares sectione secunda disputationis primę accusat, Sacramenta negantes esse signa nostrę sanctificationis

XIV. At Bellarminus, vt dixi, videtur in hoc sermone nullam rationem habere veterum Sacramentorum; sed tantum nouorum, quod nobis probari non potest Quid nobis dico? Ne Suari quidem, ex professo disputanti eadem illa sectione, tria hęc axiomata. Primum, *Quanuis non sit de ratione Sacramenti, vt conferat interiorem animi sanctitatem, tamen ex parte materiæ, seu rei impositæ ad significandum, de ratione illius esse, vt sit ceremonia instituta ad conferendam homini aliquam sanctitatem.* Secundum, *De ratione Sacramenti esse, vt conferat aliquam sanctificationem saltem imperfectam.* Tertium, *De ratione Sacramenti esse, vt conferendo sanctitatem aliquam, significet veram animæ sanctitatem.* Hæc Suares, omnia de vtroque Sacramentorum genere & quidem vniuoce, nobis sane non aduersantibus. Atque ea esto relatio ipsa, primum caput hîc nobis propositum.

XV. Alterum caput est de relationis natura, in qua præter significationem, consideratur etiam efficientia; vt quæstio sit, an signa Sacramentalia significent duntaxat, id est, nihil nisi significent, an etiam aliquid efficiant Et Papistæ quidem pronuntiant efficere quod significant, sicut mox audiuimus à Bellarmino, tum etiam à Suare, conferre aliquam sanctificationem. Denique omnes in Sacramentis Noui Testamenti, illam vrgent efficaciam, quam appellant operis operati, de qua paulo post disputandum erit.

XVI. At Catholici, primum etiam ipsi absurdum putant, nullam maiorem efficaciam Sacramentis adscribi, quam vulgaribus, & quotidianis signis: puta effigiei Cæsaris, quam intuentes etiam hodie, non possumus non induci in cogitationem eius, qui Romanam Democratiam mutauit in Monarchiam: nam hęc ratio est tantum significandi. Itaque Confessionis Gallicæ hic articulus est tricesimus quintus. *Credimus adiuncta esse verbo Sacramenta, amplioris confirmationis causa, gratiæ Dei nimirum pignora & tesseras, quibus infirmæ & rudi fidei nostræ subueniatur. Fatemur etiam talia esse signa hæc exteriora, vt Deus per illa, Sancti sui Spiritus virtute, operetur, ne quicquam ibi frustra nobis significetur. Arbitramur tamen omnem illorum substantiam & veritatem esse in Christo Iesu, à quo si separentur, nihil sint, quam inanes vmbræ & fumi.*

XVII. Ex his patet præter significationem illam hudam, in Sacramentis agnosci geminam efficaciam; nempe pignorum & instrumentorum. Vnde Beza tria signorum distinxit genera, in altera parte Quæstionum & Responsionum, vt alia sint duntaxat μνημονευτικὰ, præteritarum rerum monimenta, alia σημαντικὰ, rem præsentem, futuramve designantia, alia denique ita instituta, vt præterquam quod aliquid præteritum in memoriam reuocent, testentur etiam id cui significando adhibentur vere & re ipsa dari. Tum respondet in hoc tertio esse Sacramenta.

XVIII. Dicimus ergo Sacramenta esse, non tantum signa, sed etiam tum pignora; tum instrumenta. Et pignora sunt ipsa quidem genus quoddam signorum, sed longe potentissimum, quia significent rem, in quam ius sit ei cui id signum datur. Sic funiculus coccineus, & signum erat salutis, & arrhabo, quia certam reddebat Rahab futuram ipsi salutem, cum tota vrbs Iericho diriperetur Inde Paulus Circunciſionem appellatur σφραγῖδα signaculum, sigillum iustitiæ fidei. Eadem ratione Genes. 17. dicitur signum fœderis.

XIX. Et tamen, quia quidam arrhabones siue pignora: nihil agunt peculiariter; nisi afficiunt mentem, tum dantis, tum accipientis, addimus Sacramenta esse instrumenta, per quæ id fiat, quod tanquam signo designatur; & tanquam arrhabone pigneratur, id est firmatur; sicut (aiebat Beza) Christus dum insufflabat in Apostolos, flatu illo significabat Spiritum Sanctum, quem eadem opera dabat. Et Bellarminus capite quarto agnoscit Caluinum in Antidoto Concilii session. 7. canone 4. affirmare Sacramenta esse causas gratiæ conferendę instrumentales

XX. Effici autem concedimus sanctificationem, sed hanc geminam, externam alias, alias internam. Illam quam Suares maluit legalem appellare, quæ pertinet ad externam vocationem in Ecclesiam; quomodo Paulus dicebat ramos, id est, omnes sui temporis Iudæos, esse sanctos, quod eorum truncus, id est Abraham sanctus fuisset, ad Romanos vndecimo, & filios fidelium sanctos, prioris ad Corinthios septimo. Hanc sanctitatem concedimus semper conferri per Sacramenta: nimirum quia vtrinque in confesso est, esse tesseras professionis Christianæ; vnde sequitur, quicunque Sacramentorum sit particeps, hunc pertinere ad eum populum qui profitetur religionem veram.

XXI. Internam sanctificationem esse credimus efficaciam Spiritus Sancti in animam accipientis Sacramentum: à qua efficacia sit etiam arcana mutatio intellectus & voluntatis. Cuius respectu rursus agnoscimus Sa-

crameta esse instrumenta quædam: non tamen sic, vt nunquam non agant: nam & ipsi Papistæ admittunt posse impediri: non etiam, vt non sit tota à Spiritu Sancto, sed vt non frustra adhibeantur exterius Sacramenta. Qua in re fatemur nobis non bene conuenire cum Papistis omnibus: quod postmodum sumus disputaturi: sed interea consensus est, esse instrumenta; per quæ nos Deus iustificet: quæ verba sunt Bellarmini, c. 1. lib. 2.

CAP. XIII.

De celebratione Sacramentorum.

I. His expeditis, quæ Sacramentum constituunt: non omittenda celebratio est: quæ illi hæret, ex eo quod in ceremoniis sit. Habent enim id omnes ceremoniæ, vt celebrentur: alioquin nullæ sint. Huius celebrationis hoc axioma est vniuersale, vt sit secundum institutionem primam. Sed deinceps distincte consideranda persona: tum etiam res agendæ.

II. In Sacramentorum celebratione personæ duum sunt generum: alia agens, alia recipiens: quarum perpetuam esse relationem vtrinque constat. Agens ea est, quæ sustinet personam instituentis Sacramentum, vt id & conficiat, & conferat: & quia hæc nihil agit suo nomine, sed alieno, hinc factum vt vsus obtinuerit appellari Ministrum Sacramenti. Duo sunt consensus capita.

III. Prius: legitimum & ordinarium Sacramentorum ministrum; non esse quemcunque hominem, ne Christianum quidem: sed inter Christianos, si quis sit legitime ad id vocatus, & publico in eam rem fungatur munere. Consensus testem habeo Bellarminum, citantem ex Caluini Antidoto ad canonem decimum sessionis septimæ, *Nemo sanus Christianos omnes in verbi Sacramentorumque administratione pares facit: non solum quia decenter & ordine geri omnia in Ecclesia decet; sed etiam quod singulari Christi mandato ad eam rem ordinantur ministri. Itaque*, addit Bellarminus, *cum Caluino nulla nobis hoc loco controuersia est.* Quanquam in Baptismo nonnihil rixæ agnoscat: quod in alium locum differre malit; & nos cum eo.

IV. Alterum axioma? Non pendere vim & efficaciam à pietate, fide, aut sinceritate ministri, quominus plenum & integrum suum effectum producat Sacramentum in persona recipiente. Quæ olim maxima quæstio fuit Catholicos inter & Donatistas: imò etiam inter ipsos Catholicos prius, saltem Cypriani æuo. Sed controuersia, inquit Bellarminus, de hac re nulla, aut pene nulla hoc tempore esse videtur. Certe Caluinus cap. 15. lib. 4. Instit. ita scripsit de Baptismo. *Porro si verum est, quod constituimus Sacramentum, non ex eius manu æstimandum esse à quo administratur, sed velut ex ipsa Dei manu, à quo haud dubie profectum est: inde colligere licet nihil illi afferri, vel auferri eius dignitate per cuius manum traditur. Ac perinde atque inter homines si qua missa epistola fuerit: modo satis & manus & signum agnoscatur, minime refert quis aut qualis tabellarius fuerit: ita nobis sufficere debet, manum & signum Domini nostri in Sacramentis suis agnoscere, à quocunque tandem tabellario ferantur.*

V. Personam recipientem eam appello cui Sacramentum administratur. Qua in parte, non video controuersiam esse. Olim ingesta fuit mortuis in os Eucharistia: nunc certum apud omnes nullis administranda vlla Sacramenta nisi viuentibus. Baptismum infantibus communicandum negant Anabaptistæ: sed omnem ætatem esse capacem tuentur Catholici, & cum iis Papistæ. Eucharistia vna cum Baptismo infantibus olim distributam, constat à quibusdam, etiam Catholicis. Et multo tempore ita fuisse factitatum, etiam Augustino non improbatum: sed præter rationem factum, consenserunt Catholicis Papistæ.

VI. Restant res agendæ. Vbi quæritur, vtrum aliqua sit adeo præcisa agendi forma, vt nihil prorsus mutare liceat. Sed res distinguuntur in substantiales, & accidentales. In substantialibus dicunt Catholici prorsus hærendum Institutioni primæ, tum quia in religionem nihil admittendum contra verbum Dei: tum, quia eius solius sit instituere Sacramenta, cuius dare significatam per Sacramenta gratiam. Institutio autem nulla sit, si quæ substantialia sunt, permittantur arbitrio cuiusque. Nec Papistæ dissentiunt. Nam apud Bellarminum hæ sunt propositiones disertæ, *Res certæ, & determinatæ ab ipso Deo in Sacramentis esse debent. Non solum res, sed etiam verba in Sacramentis nouæ legis à Deo determinata sunt, vt non liceat quicquam immutare.*

VII. Accidentia autem distinguimus alia expressa in Institutione, alia minime. Si quæ sunt primi ordinis, vt si forte in Eucharistia fractio panis, & distributio calicis: ea etiam negamus arbitrio cuiusquam permissa: vt mutentur, omittantur ve. Nolimus tamen eodem hæc peccata gradu censeri cum essentialibus. Nam si non comedatur panis, negamus vllum esse Eucharistiæ Sacramentum: sed si non frangatur, non propterea nullum. Sic si nullum aqua tinguat, negamus esse Baptismum: at immersionem, eamque vel trinam, in medijs habemus.

VIII. In posteriotis ordinis accidentibus, magnam agnoscimus Eccl. siæ libertatem, vt sibi ipsa prouideat. Sed ex hoc axiomate, prior. ad Corinth. 14. *Omnia decenter & ordine fiant.* Nimirum vt ne cuiuis liceat proprio suo motu, & priuato quicquam immutare: sed communi consensu constitutus ordo teneatur in singulis Eccl. siis. Quasi tamen omnes, aut certe quamplurimas censemus, vel posse, vel debere vtiliter in eundem ordinem conspirare. Quod si non fiat, nihilominus pacem colendam. Ita enim factum pridem; cum aliæ essent Ecclesiarum Orientalium, & Occidentalium, pro variis linguis, liturgiæ, imo etiam pro variis locis: quarum nonnullæ etiam hodie supersunt.

CAP. XIV.

Quomodo signa sunt sensibilia.

I. Hactenus capita fuere consensus. Deinceps crebriores controuersiæ. Primo de rebus & verbis. Tum de administratione. Tertio de Efficacia. Quarto de comparatione Veterum & Nouorum. Quinto de numero Nouorum. Dictum, Sacramenta constare rebus, & verbis: vtrunque quomodo intelligendum, videamus. Et primo, quia res diximus esse signa sensibilia: sunt autem varij sensus, quæritur ad quos sint referenda.

II. Papistis hodiernis persuaserunt Papistæ Scholastici, sensibilia dici signa, etiam quæ visum non afficiant, sed auditum tantum. Id colligas ex Bellarmino, cap. 9. 14. & 18. Ex Suaris disp. 1. sect. 3. Ex Vasque disp. 128. sect. 4. In eo hoc momentum est; quod reliqui sensus, nempe olfactus, gustus, tactus, concurrere cum visu possunt: nam eadem sacrificia videbantur comburi, & in comburendo nares afficiebant: Eadem Manna & visibiliter comedebatur, & interim palato sapiebat. Denique quæ tanguntur eadem videntur. At quæ auditum afficiunt, alterius sunt cuiusdam generis. Nam sonus, in quo genere verba sunt, nullo modo mouet alios sensus: certe videri non potest: non gustari: non olfieri. Quare quibus persuasum est quædam signa Sacramentalia esse verba; iisdem simul certum eadem esse inuisibilia.

III. At contra Catholici arcte tenent accurateque defendunt, omnia signa Sacramentalia, sic esse sensibilia; vt sint etiam visibilia: nullum autem inuisibile, ac proinde neque audibile. Reliquos sensus varie vsurpari. Aliquando olfactum: nam in Sacrificiis non negligebatur nidor; vnde רֵיחַ in historia Noe; & aliàs. Interdum gustum, vt in Paschate, & Cœna Domini. Nonnunquam tactum, vt in Circuncisione & Baptismo.

IV. Suæ assertionis habent argumenta Papistæ nulla. Prorsus inquam; nulla: non ab autoritate Veterum: non à ratione. Quid ergo? Proferunt exempla. Quæ quidem potentissima foret demonstratio; si nihil in exemplis controuersum. Sed hoc maximum peccatum est eorum; quod quæ illi sumunt exempla, fictitia sunt. Nominant enim Pœnitentiam; Matrimonium nominant; quæ & verbis tantum constare ponunt; & esse Sacramenta deierant. Quorum posterius constantes negant Catholici: & nos suo loco disputaturi sumus. Itaque facilis nunc refutatio est: & vno verbo. Ἑνὸς δόντος ἀπίπτει πᾶς ὁ συμβαίνει. Vno posito absurdo, multa sequi necesse est. Profecto si æque vicissent Ockam, cum dixit posse dari Sacramenta νοητά; ac vicit Lombardus, qui primus omnium septem dixit: tum æque commenti essent subtiles Scholastici, nouam sensibilium notionem, quæ non excluderet τὰ νοητά.

V. At nos habemus tum veterum Theologorum testimonia: tum etiam rationum pondera. Veteres Theologi cum inquirerent in Sacramentorum naturam: tum signa dixerunt non αἰσθητὰ duntaxat, & sensibilia, quo generali nomine abuti Papistæ posse, sed etiam ὁρατὰ, visibilia, longe a ctius Nazianzenus oratio. 40. quem locum cap præced. annotauimus. *Quandoquidem dualis partibus, hoc est animo & corpore: quarum altera in aspectum cadit, altera oculorum sensum fugit: duabus quoque rebus constat Baptismus, aqua scilicet & Spiritu: illa visibili & corporeo modo accepta: hac vero incorporea & inconspicabili concurrente.* Vbi fateor quidem agi de Baptismo, non de omnibus Sacramentis. Sed nihilo infirmius argumentum est, quia ratio petita à compositione hominis, est generalis. Cyprianus serm. de Baptismo Christi, *Verborum solemnitas, & sacri inuocatio nominis, & signa Apostolicis institutionibus, & Sacerdotum in ministeriis attributa visibile celebrant Sacramentum.*

VI. Damascenus in Thesauro lib. 4. c. 5. Τὰ γὰρ ὁρατὰ συμβολὰ τῶν νοητῶν. *Nam visibilia intelligibilium signa sunt.* Augustinus 19. contra Faust. cap. 11. *In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Et iterum cap. 16. *Quid sunt aliud quæque corporalia Sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia: sacrosancta quidem, verum mutabilia, & temporalia?* In Ioannem tract. 80. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum.* De catechizandis rudibus cap. 28. *De Sacramento sane quod accepit, cum ei bene commendatam fuerit, signacula quidem rerum diuinarum esse visibilia: sed res ipsas inuisibiles in eo honorari: nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in vsu quolibet: dicendum etiam quid significet, & sermo ille quem audiuit, quid in illo condatur, cuius res illa similitudinem gerit.* In Leuiticum quæst. 87. *Moyses* sanctificabat *visibilibus Sacramentis per ministerium suum: Dominus autem inuisibili gratia per Spiritum Sanctum, vbi est totius fructus etiam visibilium Sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratia, visibilia Sacramenta quid prosunt? Merito autem quæritur vtrum etiam ista inuisibilis sanctificatio sine visibilibus Sacramentis, quibus visibiliter homo sanctificatur, pariter nihil prosit: quod vtique absurdum est.* Et post, *Colligitur inuisibilem sanctificationem quibusdam affuisse, atque profuisse sine visibilibus Sacramentis: visibilem vero sanctificationem, quæ fieret per visibilia Sacramenta, sine ista inuisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo Sacramentum visibile contemnendum est.*

VII. Ex eiusdem Augustini libro quodam de corpore Christi; Lombardus recitat, *Sacramentum est per quod sub tegumento rerum visibilium diuina virtus secretius salutem operatur.* Quod Cortesius apud Altenstag suis verbis exprimens, *Sacramentum est*, inquit, *in quo sub operculo rerum spectabilium, à diuinitate incolumitas nostra iuuatur.* Lombardi ipsius definitio est, *Inuisibilis gratiæ visibilis forma.* Et Cortesio referente, apud eundem Altenstag. *Magister Sacramentum inaspectabilis gratiæ aspectabilem formam esse voluit.*

VIII. Addo Papistas. Stephanus Eduensis initio tractatus de Sacramento altaris, *Dei Filius, expleta dispensatione à Patre sibi credita, volens nobis relinquere omnia saluti necessaria, visibili materia ordinauit, & fieri præcepit inuisibilia Sacramenta. Quomodo enim posset homo intelligere dona spiritualia, nisi aliquo visibili moueretur ad ea percipienda?* Recentior Edmundus Augerius Iesuita Catechismi cap. 4. sectio 1. Μυστήριον ἢ σύμβολον; Τὸ σύμβολόν τι ἱερὸν ῥᾴδιον ὄψει ἢ καταληπτόν. *Quid vero Sacramentum vocas? Signum quod sit sacrum, & oculis subiectum.*

IX. Hæc tamen veterum testimonia, facili conatu summoturos se speraruut aduersarij. Nam Bellarminus capite decimo quarto; Visibile distinguit, vel pro qualibet re sensibili: vel pro re quæ sensu videndi percipiatur. Nam capite præcedenti, *Visibili*, inquiebat, *ad omnia sensibilia, & sensus ipse videndi vsitate ad omnem sensum transfertur. Vt enim docet Augustinus, libri decimi Confessionum capite tricesimo quinto, recte dicimus, Vide quomodo luceat, quomodo oleat, quomodo sapiat, quã sit durum, quã bene sonet, non tamen contra dicimus, audi quomodo luceat, gusta quomodo splẽdeat, olfac quã niteat, palpa quæ fulgeat.* Admittit ergo Bellarm. Sacramenta

dici

dici signa visibilia, priori notione, id est, quatenus videre est pro quolibet sensu ast altera, negat. Atque addit in Scriptura non haberi, Sacramentum non esse nisi rem visibilem & palpabilem.

X. Sed contra certissimum, signa Sacramentalia, dici visibilia, quia sint obiecta visus, qui sensus est oculorum, non aurium. Argumentum, præter alia statim subiicienda; ab Augustini phrasi, *Quasi verba visibilia*: Et, *tanquam visibile verbum*. Tum enim comparantur signa verbis: vnde perspicua absurditas. Nam ineptum esset visibile verbum, pro sensibili: nulla enim improprietas esset, quæ molliretur per particulam, quasi, vel tanquam. Nam omne verbum re vera est sensibile; nimirum quia audibile. Itaque visibile oportet intelligi proprie, ex sensu oculorum. Est enim Augustini mens Sacramenta constare Elemento & Verbo: & esse vtriusque finem, significare; neque aliam ob causam tum vsurpari, ideo posse permutari vocabula: & quemadmodum verba, signa dicuntur: sic etiam signa posse verba: hoc tamen discrimine: vt illa audibilia sint signa: hæc vero verba visibilia.

XI. Et vero in eum sensum eadem phrasis Augustino vsurpatur, secundi de doctrina Christiana capite tertio: *Histriones*, inquit, *omnium membrorum motibus dant signa quædam scientibus, & cum oculis eorum, quasi fabulantur. Et vexilla, draconesque militares per oculos insinuant voluntates ducum. Et sunt hæc omnia quasi quædam verba visibilia.* Viden' quo sensu verba visibilia dixerit Augustinus? nempe ea quæ afficiant non aures, quod proprium est, & perpetuum, imo essentiale iis verbis, quæ proprie verba sunt; sed oculos?

XII. Præterea, valde interest non perfunctorie oppositionem obseruari. In Nazianzeno hinc θεωρητικῶς καὶ σωματικῶς: illinc ἀσωμάτως καὶ ἀθεωρήτως. In Augustno, *Signacula visibilia res ipsas inuisibiles.* Atque si visibilia dicas pro sensibilibus, id est, etiam audibilibus absurda oppositio est. Nam & audibilia sunt etiam ἀθεώρητα: Et τὰ ἀθεώρητα nihil vetat esse audibilia. Quare si τὰ ἀθεώρητα dicantur propter oculos: etiam τὰ θεωρητὰ oportebit. Eandem oppositionem habes apud Biel in quartum Sententiarum, distinctionis primę quæstione secunda. *Sacramentorum non est tantum causa vulnerati curatio, sed etiam hominis eruditio: vt scilicet ex visibilibus signis homo ducatur ad notitiam effectus gratiæ inuisibilis.*

XIII. Concedimus Augustino, videndi verbum transferri non raro ad reliquos sensus. Sed hoc quorsum? Non enim de videndi verbo nunc vlla quæstio est. At neque Augustinus, neque vllus omnino hominum, exceptis sophistis scho[illegible]is, dixit τὰ ὁρατὰ visibilia, tam late patere, quam verbum ipsum vid[illegible]. Nunquam quisquam dixit visibilem esse vllum odorem, vllum saporem, vllam duritiem, vllum sonum. Nemo, inquam: non Græcus, non Latinus. Denique Augustinus ipse, non est ausus dicere verba visibilia, sed quasi verba visibilia. At signa Sacramentalia, ὁρατὰ dixerunt visibilia Latini: nemo vnquam, quasi visibilia.

XIV. Quid corporalia? Suntne ex eo rerum genere visibilium, quæ solo auditu percipi queant dici? Atqui Sacramenta corporalia vocari, vulgatum. Augustinus de Verbis Domini, sermone vndecimo. *Proinde corporalia Sacramenta, quæ portant, & celebrant etiam segregati ab vnitate corporis Christi, formam possunt exhibere pietatis.* In Psalmum centesimum quadragesimum tertium, *Nostis multis Sacramentis visibilibus & corporalibus oneratum esse populum primum.* Apud Gratianum causa 1. quæst. 1. *Multi secularium*, Gregorius, *Ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum diuina virtus secretius salutem eorundem Sacramentorum operatur.* Hugo de Sancto Victore apud Ioannem de Turrecremata in caput *corporalia*, causa 1 q. 1. *Sacramentū est corporale, vel materiale elementum extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans.*

XV. Non habet Scriptura. Imo facile negotium. Haberi in Scriptura dicitur aliquid, vel sono, vel sensu. Et inde quædam sono & sensu simul, quædam sensu tantum, non sono. Illorum exempla sunt multa nec dubia: Deum esse omnipotentem: Filium Dei, esse filium hominis. In hoc instituto: Circumcisionem esse signum fœderis diuini: Baptismum dari in remissionem peccatorum, & similia. Horum vero etiam non pauci: Trinitatis personas esse ὁμοουσίους: Spiritum Sanctum esse Deum: Circumcisionem institutam in remissionem peccati. Denique ipsi Papistæ quoties libet aduersum nos ita disputant, Purgatorium esse in Scripturis: in Scripturis septem Sacramenta: in Scripturis merita operum: in Scripturis Transubstantiationem; & reliqua.

XVI. Sono ergo consentimus in Scripturis nusquam haberi, Sacramenta non esse nisi rem visibilem. Amplius dicimus, nusquam haberi; Sacramentum esse rem sensibilem: Imo altius, nusquam haberi, esse vlla Sacramenta. Nam hoc nominis, vt diximus, neque est à Scriptura, sed ab interprete Latino: & ab hoc ipso nunquam pro hoc signorum genere: sed alia quadam longe remota notione. Aut igitur concedito Bellarminus, nulla esse visibilia, nulla sensibilia; nulla omnino Sacramenta: aut si hæc non scripta eodem sono, concedat tamen importune negari: ne putato solide à se refutari, hoc, quod nos de visibilibus signis dicimus.

XVII. At nos contendimus hoc ipsum sensu, id est, reapse contineri in Scripturis: nempe eodem argumento freti, quo freti veteres, putarunt omnia Sacramenta esse sensibilia: quo Papistæ, cum pronuntiarunt septem esse. Ea inductio est. Viderunt Veteres, cum irent per singula, nullum esse signum Sacramentale vnquam à Deo institutum, non mouens sensus externos: Inde definitum non sine Scriptura, signa Sacramentalia esse sensibilia: quia sic solent appellari quæcumque sensus afficiunt externos. Papistæ cum legerunt Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Matrimonium, Ordinem, Vnctionem, tum digitis suis comparantes singula singulis, pronuntiarunt esse septem: eo tantum falsi, quod Sacramenta dixerunt. Cur non nos similiter, cum imus per singula Sacramenta, quæ vere Sacramenta sunt, & obseruamus omnia oculis obiecta; securi dicamus, omnia Sacramenta esse visibilia? Non enim magis, puto, sensibilia dicuntur, quæ sensus afficiunt: aut septem, quę tres sunt & quatuor vnitates: quam visibilia, quæ vt sui sunt exposita.

XVIII. His Patrum testimoniis addimus rationes; quibus conficitur non posse, salua generali doctrina Sacramentorum, quæ ex vtrinque confessis est capite præcedenti constituta Sacramentalia signa esse obiectum auditus, id est, Verba.

XIX. Prima ratio. Omne signum sacramentale constat rebus, tanquam materia, & verbis, tanquam forma. At nullum obiectum auditus constat rebus & verbis. Ergo nullum obiectum auditus est signum sacramentale. Hoc argumento vsus est Archangelus Rubeus in 4. distinct. 8. quærens pro quo supponat Sacramenti nomen in Eucharistia, *Neque pro verbis supponit*, inquit, *cum verba non sint Sacramentum, sed eis, vti constat, conficiatur Sacramentum: Accedendo enim verbum ad elementum, fit Sacramentum.* Maior posita est capite præcedenti. Minor patet per se. Nam omne obiectum auditus, (in hac quidem materia,) Verbum est. Quare, si quod sacramentale signum esset obiectum auditus; omnino sequeretur constare ex Verbis, & Verbis: qua ἀδολεσχία, quid potest ineptius dici, cogitari? Quam ineptiam si cupiant effugere: ergo falsum erit omnia signa constare rebus & verbis: sed quædam tantum verbis.

XX. Bellarminus capite decimo tertio respondet, Verba quoque elementa dici posse; quatenus materiæ locum habent: *id enim*, inquit, *elementum dicimus, cum de Sacramentis agimus, quod est ex se indeterminatum, & per certa verba, quasi per formam determinatur.*

XXI. Nimirum hoc illud est, quod subinde conqueri cogimur. Sophistas sibi imaginarium regnum constituisse; vt putent licere, non tantum suis vti vocabulis suo arbitrio factis, sed etiam communis iampridem iuris facta, torquere in quoscunque volent vsus: vt nemo quicquam audiat; nemo quicquam interpretetur, nisi legibus ab ipsis positis. Hinc ista prætoria edicta. Visibilia sunto audibilia. Verba elementa sunto. Elementum esto, quicquid ex se indeterminatum. Sed ab istis impotentibus tyrannis, quibus voluntas est pro ratione, iampridem esse nos liberos Deus voluit, volens consultum nostræ saluti. Dicimus, inquit, elementum ita esse. O vel tenue saltem antiquitatis Catholicæ vestigium! Posse tis non rideri tanquam αὐλῶνας κατιόντες. Sed Sophistis, μάχεσθαι κελεύεις; quibus neque autoritas est nisi sua: nec ratio, aut vera, aut verisimilis, aut sana, aut sophistica. Tantum, *Dicimus*, Digni sane homines, quorum edicta pro lege sint in Ecclesia.

XXII. Atqui Sebastianus Michaelis, capite decimo quarto responsionis secundæ, ita scripsit, *Si Sacramentum nullam habeat essentiam, aut subsistentiam, non est Sacramentum: cum requirat materiam & formam, nempe elementum, & verbum.* Satis euidenter in nostram causam, & contra Bellarminum. Etenim verba hoc modo dici non possunt elementa; quoniam subsistentiam habeant nullam: sunt enim in accidentibus: quorum nulla subsistentia, sed inexistentia.

XXIII. Quid? quod se sponte prodit absurditas? Elementum, quicquid ex se indeterminatum? Poteram negare: quia ex ipsa positione patet, elementa distingui à verbis: itaque non quicquid indeterminatum est; si verba possunt indeterminata esse: sed quicquid distinctum à verbis, est indeterminatum, id elementum intelligi oportuit.

XXIV. Sed esto tamen. Atqui hinc sequitur nulla verba posse elementa dici, sacramentalia. Nam indeterminatio illa non aliter intelligenda, quam significationis: sic enim positum capite præcedenti. Itaque oporteret quædam verba dari, quæ non hoc ipsum aliquid significarent; cui significando adhibentur. Vt panis in Eucharistia ita indeterminatus est, vt non significet corpus Christi; etsi aptus sit significare. Sic, inquam, oporteret in Pœnitentia, in Matrimonio dari aliqua verba. Experiantur Sophistæ, vt & conatum rideamus, & audaciæ dicamus male.

XXV. Instandum est. Capite enim præcedenti ponebat Bellarminus, non simpliciter indeterminata signa; sed insuper, ex se apta significare, id ipsum cui significando postea determinantur. Nunc ergo id erit industriæ Iesuiticæ, vt in Pœnitentia, in Matrimonio, ostendant verba quædam, quæ antequam fiant Sacramentum, apta sint significare aliquid præter Pœnitentiam, & Matrimonium.

XXVI. Secunda ratio. Omnia signa sacramentalia accidens significant: At nulla verba per accidens significant: Ergo nulla verba sunt signa sacramentalia. Maior patet ex capite præcedenti, vbi nominatim Bellarminus confessus est, huiusmodi signa esse indeterminata ad suam significationem: & determinari per institutionem. Exempla etiam confirmant: nam panis & vinum sua natura nihil significant: sed sunt duntaxat panis & vinum. Itaque habent præter suam naturam, vt significent corpus & sanguinem Christi. Hoc voluit Augustinus cum diceret, *non sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in vsu quolibet.* Distinxit enim alium vsum rei, ab hoc vsu significandi.

XXVII. Minor autem patet ex natura verborum; quæ tota in significando. Augustinus primi de doctrina Christiana capite secundo, *Sunt alia signa, quorum omnis vsus in significando est: sicuti sunt verba. Nemo enim vtitur verbis, nisi aliquid significandi gratia.* Enimuero ipsa verba etsi non sint naturalia; sed instituta: tamen vere potui dicere eorum naturam esse in significando: quia videlicet non habent aliam.

XXVIII. Habent quidem etiam, fateor, verba accidentariam quandam significationem per quam aliud dicuntur significare, quam prima sua institutione: qui vsus est in transsumptis. Sed hoc alienum à re nostra. Nam tum non est hæc secundaria significatio ipsorum verborum: sed est rerum per verba significatarum. Sic Nuptiæ nominantur pro gaudio cœlesti per metaphoram: & fermentum, pro peruersa doctrina: non quod in ipsis nominibus nuptiarum quicquam sit aptum huic significationi: sed quia rerum per eas significatarum aliqua similitudo cum gaudio cœlesti, & peruersa doctrina. Nos vero nunc non rerum significationem attendimus, sed verborum seorsim à rebus. Tum autem hæc ita transsumpta significatio nullis aliis verbis indiget: quibus formentur siue determinentur illa prima: sed ipsa se determinant. At Sacramentalia signa indigent verbis determinantibus.

XXIX. Tertia ratio. Signa sacramentalia significant ex institutione diuina: at nulla verba significant ex institutione diuina: Ergo nulla verba sunt signa sacramentalia. Maior itidem posita est ex communi consensu: & significabatur ab Augustino negante speciem benedictione sanctificatam, sic habendam esse, vt in vsu quolibet. Vnde etiam dicuntur mutationem accipere; quod alias explicandum erit.

XXX. Minor patet: quia nulla verba sunt, quibus vsus sit Deus apud

homines, non humana, & ex institutione, vsuve humano significantia: & significantia eas ipsas res. Atque adeo non poterunt ipsi aduersarii, quantumvis Sophistæ, quantumuis audaces, vlla exempla proferre.

XXXI. Altenstag docet particulam illam, *ex Institutione diuina*, addi definitioni Sacramentorum, vt excludantur signa pure naturalia: & *aqua*, inquit, *benedicta, quæ non est Sacramentum: quia non à Deo, sed ab Ecclesia instituta*. Certe si Sacramenta non sunt, quę ab Ecclesia instituta, multo minus verba, quæ ne ab Ecclesia quidem, sed à mere humana consuetudine.

XXXII. Quarta ratio. Si verba essent sacramentalia signa: ergo vel qua sonant, vel qua signant. At vtrumque falsum. Ergo non sunt signa sacramentalia. Probatur assumpti pars posterior. Omnia signa sacramentalia, sunt sensibilia: At verba quatenus signant non sunt sensibilia: Ergo neque signa sacramentalia. Maior constat ex antepositis. Minor non est obscura: quia significatio non sensum afficit, sed mentem. Augustinus Dialect. c. 5 *Signum est, quod seipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit.* Et cap. 1. lib. 2 de doctrina, *Signum est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire.*

XXXIII. Probatur pars altera. Sacramentalia signa significant per similitudinem cum re significata: At verba qua sonant nullam habent similitudinem cum re significata. Ergo non sunt signa sacramentalia. Maior est vtrinque concessa capite præcedenti. Et illustratur apud Gabrielem Biel in 4 q. 1. dist. 1. *Ad hoc quod aliquid sit Sacramentum, tria requiruntur. Primum, quod sit res sensibilis habens naturalem similitudinem ad gratiam siue effectum Dei gratuitum, quam vel quem repræsentat. Naturalem similitudinem dico, non per participationem eiusdem qualitatis: sic enim corporalia seu sensibilia non sunt similia spiritualibus: cum nulla eadem qualitas secundum speciem insit vtrisque: sed similitudinem per proportionabilitatem: quæ est similitudo proportionatorum, vt sicut se habet hoc ad illud ita hoc ad illud: exempli causa: sicut se habet aqua ad diluendas maculas corporales, ita se habet gratia ad abluendas maculas spirituales.*

XXXIV. Minor patet; quia nulla potest eiusmodi dari naturalis analogia verborum vllorum ad rem significandam in Sacramentis. Etenim in verbis gemina duntaxat proprietas, sonus & sensus. A sono nihil ego quidem video quod desumi queat, quacunque ratione. A sensu quid? Nisi fortasse, sicut hæc verba aliquid significant; ita alia quædam gratiam. Sed hoc quam ridiculum? Etenim non gratia esset res significata per ea verba; sed alia illa, quæ gratiam significarent: quomodo in analogia, quam, exempli gratia, Biel habuit, non spirituales maculæ significantur ab aqua, sed gratia. Quod si hinc discedas, quo ibis? An forte, sicut hæc verba significant aliquid, ita gratia quid aliud? Atqui gratia non adhibetur ad significandum.

XXXV. Concludo quæstionem, mutuo sumptis Panigarollæ verbis ex lectione 10. *Signa in Sacramentis semper esse sensilia: atque vti forma horum signorum semper audiri potest, quoniam semper verba sunt: ita eorum omnium materia semper est visibilis, quia semper est vel res, vel actio, qua etiam extrinsecus conspici possit.*

CAP. XV.

Calumnia de verbo Consecratorio & Concionatorio.

I. HActenus de elemento: nunc de verbo, à quo illud dicitur fieri Sacramentum. Hoc, cuiusmodi sit, disputatur à Bellarmino cap. 14. 19. & 20. item à Suare sectio. 3. disput. 2. Lorinus breuiter in 10. Actorum, versum 37.

II. Quærunt vtrum id verbum sit Concionatorium, an vero Consecratorium. & illud negant; hoc affirmant. Suares, *Secundo sequitur in Sacramentis noua legis non esse simpliciter necessarium verbum concionatorium, sed consecratorium.* Contra vero nos inducunt; negantes consecratorium, affirmantes concionatorium.

III. Sed hic lusus verborum quid sit, Bellarminus explicabit: recitans ex Caluini Instit. lib. 4. cap. 14. sectio. 4. hunc locum, *Hoc est quod vulgo dicunt constare Sacramentum verbo, & externo signo. Verbum enim intelligere debemus, non quod sine sensu & fide insusurratum, solo strepitu velut magica incantatione consecrandi elementi vim habeat: sed quod prædicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit: Quod ergo sub Papa tyrannide factitatum est, non caruit ingenti mysteriorum profanatione: putant enim satis esse, si sacerdos populo sine intelligentia obstupente, consecrationis formam demurmuret.* Et infra, *Ergo cum de verbo sacramentali fieri mentionem audimus, promissionem intelligamus, quæ clara voce à ministro prædicata plebem eo manu ducat, quo signum tendit ac nos dirigit.* Hæc quidem ex Caluino sunt ἀκέφαλα. Sed fabulam adornatam curiosus oportuit: quia Sophistis inde non commoda satis nugandi occasio.

IV. Primum ergo obseruari iubet, aliter nos sentire de Baptismo, aliter de Eucharistia. In illo duo verborum genera requirere, primo Concionale, quo proponatur à Ministro, expliceturque promissio diuina: deinde dum aspergitur aqua, vt dicatur, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Sed in ista duntaxat vnum, nimirum instructionis; cum recitatur primum institutio, deinde explicatur; ac demum distribuitur panis & vinum.

V. Cæterum, Verbum sacramentale esse concionem, dupliciter dici: vel vt concio sit pars essentialis; vt sine ea non sit Sacramentum: vel tantum requiratur, vt Sacramentum fructuose percipiatur. Hîc autem Caluinum perplexe loqui. Interdum vt de re distincta à Sacramento; vt quum dicit, Sacramenta esse appendicem verbi. Sed sæpius tamen, vt de parte essentiali: sic enim, Sacramentum constare duabus rebus, signo & verbo. Et vero si verbum concionale non esset de essentia; nullum omnino futurum: quandoquidem nullum admittat aliud. Et addit Caluini verba ex cap. 5. ad Ephes. *Apparet nullam in Papatu legitimam esse signorum obseruationem: nam verbum quidem se habere iactât, sed quod sit incantationis vice: quia illud linguâ incognita demurmurant: & ita, quasi mortuo elemento potius, quam hominibus destinatum foret. Nulla mysterii explicatio ad populum, qua sola facit vt mortuum elementum excipiat esse Sacramentum.*

VI. Hactenus nugatus Bellarminus. Vbi primum, quid illud est, nos aliter & sentire & loqui de Baptismo, quam de Eucharistia? Vnde illi sumptum? A quo nostrorum dictum? Aut si à nemine: quo iure sumit ille sibi, vt nobis non sua tantum tribuat verba; sed etiam sua rerum somnia adscribat? Enim vero nos eodem modo & loquimur, & sentimus de vtroque Sacramento; Papistisq; Sophistis relinquimus, vt totidem fere naturas Sacramentorum distinguant, quot habuerunt Sacramentorum nomina. Neque enim illis eadem ratio Baptismi & Eucharistiæ: cum ille in vsu tantum sit; ista etiam extra vsum: non eadem illorum, & Pœnitentiæ Matrimoniique: cum illa signa habeant visibilia, hæc vero nulla: vt alia mittam.

VII. Sed calumniam possunt ipsi loci ex Caluino descripti potentissime refutare. Etenim prior ex Institutione vniuersalis est omnibus Sacramentis, non peculiaris Eucharistiæ: sicut & hoc ex Bezæ summa de re sacramentaria, *Qua est causa formalis Sacramentorum? Ordinatio Dei ipsius verbo comprehensa, & ab ipsius Ministro explicata secundum eius mandatum: non autem pronuntiatio ipsa illorum verborum, neque vlla vis in vocabulis latens.* Alter autem Caluini locus ex ad Ephesios nominatim de Baptismo agit. Quid manifestius? Nam si idem docemus de omnibus Sacramentis, ergo non aliter de Baptismo quam de Eucharistia.

VIII. De nostra autem Sacramentorũ celebratione, quam puerile nugamentum? in Baptismo, inquit, primo institutionẽ recitant; tum adhibent formulam illam solennem: Ergo agnoscunt duo genera verborum in Baptismo. In Eucharistia vero recitant institutionem & explicant; tum in distributione nulla verborum concepta formula vtuntur: ergo vnum tantum genus verborũ admittunt. Atqui prior consequentia est inepta. Non enim illæ duo sunt verborum genera, sed vnum idemq; repetitum, & quidem nullo discrimine, præter solam applicationẽ. Nam in Institutione generaliter Sacramentum ordinatur; quod postea sigillatim singulis dispensetur. Quæ differentia, si quæ est, tantum est accidentaria, vt quum Christus dixit generaliter, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur*, Marci 16. non id aliud verbum est, quam quod Petrus dixit, Act. 2. *Resipiscite, & baptizetur vnusquisque vestrũm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum*: quamuis illic indefinitum sit; hîc vero determinatũ certis personis, certoq; tempori.

IX. Præterea, quid illud est. Verbum cõcionatorium, verbum consecratoriũ? Nam nos quidem nunquã ita distinximus, imo ridemus distinguentes, quasi non possit & concionatorium esse consecratorium, & cõsecratorium esse concionatorium. Itaque audito semel Bellarminus, & aliquando definito nugari. Agnoscimus esse quædã verba consecratoria, per quæ scilicet Elementa fiant Sacramenta, sed eadem consecratoria dicimus esse concionatoria. Distinctius loquar; illa ipsa verba, *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; quę iamiam ille disparabat à verbis Institutionis, vt duo genera nobis verborum imputaret: ea, inquam ipsa, sunt concionatoria: Denique inter Consecratorium & Concionatorium ita distinguimus, si quid distinguendum; vt omne Consecratorium sit Concionatorium: at non omne Concionatorium itidem Consecratorium.

X. Quid igitur illi veniebat in mentem, cum quæreret, vt cum concio sit essentialis, an non? Aut concionem potius quid appellat? cur mutat verbũ Concionatorium in concionem? Nam nos quidem solemus concionẽ appellare, pastoris orationem, explicantis applicantisque locum aliquem ex Scripturis. Hanc cur suspicaretur essentialẽ diei Sacramentis, nihil est prorsus causæ. Nam ea est eiusmodi plerumque, vt de Baptismo peculiariter nihil agat: de Cœna etiam, duntaxat nihil, nisi seriam adhortationem ad eius vsum legitimum. Fateor præire concionem vtrique Sacramento: sed id nos scimus fieri non propter essentiam Sacramenti: sed propter ordinem Ecclesiæ: in quo seruare dignitatem Sacramentorum satagimus, adhibita totius plebis adstantis reuerentia, vt neque mercenaria sit Baptismi administratio, neque Eucharistia mutetur in priuatas Missas, quem vtrumque abusum merito culpamus in Papatu.

XI. Mitte ergo concionem, à qua prorsus distinctæ sunt liturgiæ; in quibus vere continetur verbum illud consecratorium simul & concionatorium, proprie pertinens ad Sacramenta, quod nos quidem tam essentiale statuimus, vt sine eo nulla omnino esse, aut esse posse Sacramenta certissimi simus.

XII. Enimuero, quod ait Caluinus, Sacramentum esse quasi appendicẽ verbi: quid habet illis contrarium? Nam id verbum, vniuersaliter comprehendit promissiones præeuntes Sacramentis; illas, inquam, de salute gratuita; illas de iustificatione, & sanctificatione, quę proponuntur etiam sine Sacramentis vllis: sed postmodum confirmantur Sacramentis: tùm verbum istud consecratorium, peculiariter id sit verbum, quo instituitur, atque vt ita dicam, formatur Sacramentũ. Loquutus erat Caluinus admodũ diserte, ne quis allucinãdi occasionẽ haberet. Sed Iesuitæ nolunt nõ posse calumniari.

XIII. Omittamus calumnias: rem ipsam videamus. Negat Caluinus verbum Sacramentale, id est, id vnde dicitur Sacramentum constare signo & verbo, ita intelligendum, vt in Papatu. Et eadem opera explicat quomodo in Papatu soleat sumi, his articulis. Primo, quod sit mortuo elemento destinatum potius quam hominibus. Secundo, quod sine sensu & fide demurmuretur. Tertio, quod solo strepitu veluti magica incantatione consecrandi elementi vim habeat. Qui articuli desumpti ab ipsa aduersariorum & doctrina & praxi; nusquam à Bellarmino calumniæ accusantur. Iis reiectis, Caluinus tandem ponit verbum Sacramentale esse *promissionem, quæ clara voce à ministro prædicata, plebem eo manu ducat, quo signum tendit ac nos dirigit.* Et quia hinc distinguendi occasio fuit Consecratorium, & Concionatorium; in aperto iam est, per Consecratorium id significari, quod vim nullam habeat in hominum mentes; sed in ipsa elementa: Concionatorium contra, quod in eas mentes vim suam exerens, qui vsus est naturalis verborum omnium; non nisi inde vim habet in elementa.

XIV. Hoc sensu poteramus sua vocabula Sophistæ permittere: nam etsi in alienum deriuentur, tamen definitionibus suis explicantur. Sed nos nihilominus, tum quia homonymias vitari censemus oportere: tum quia permittendum non putemus aduersario, vt pro arbitrio vocabulis abutatur in calumniam nostri; quasi negaremus vllam vim esse verbis sacramentalibus elementa consecrandi, verbi alia substituemus, eaque magis accedentia ad stylum Caluini, à quo status quæstionis est accersitus. Pro consecratorio, demurmuratum dicemus: pro Concionatorio, prædicatum;

dicatum; id est, alta claraque voce populo intimatum, ita vt possit ab omnibus intelligi, aut sonus, aut sensus saltem.

X V. Porro tres Bellarminus propositiones numerat, ad quas reuocet hoc quicquid est controuersiæ. Primam, *Non solum in Baptismo, sed etiam in cæteris Sacramentis requiri verba in ipsa celebratione mysterii.* Secundam, *Non requiri verbum concionale ad essentiam vllius Sacramenti.* Tertiam, *Requiri ad essentiam Sacramenti certam formam verborum, quæ non tam instruat circunstantes, quam consecret & sanctificet elementum.* Quarum posteriores duas agnoscimus disputandas. Sed priorem ostendimus esse à malitiosa calumnia. Nos enim contra credere nullum Sacramentum posse legitime celebrari, absque verbis consecrationis, id est Institutionis. Itaque hic labor nobis superfluus est; Bellarmino etiam ridiculus.

CAP. XVI.

De verbo Sacramentali prædicato.

I. DE secunda igitur & tertia agamus propositione, quæ statuit, non requiri verbum concionale, id est prædicatum, siue instruens, ad essentiam vllius Sacramenti, cum tamen nos contra dicamus, nullum Sacramentum constare posse absque verbo prædicato, id est, quod ij intelligant, quibus Sacramentum administrandum sit. Nostra affirmantium hæc sunt argumenta.

II. Primum à natura verborum. Omne verbum significans aliquid publice, est prædicatum: At omnia verba Sacramentalia significant aliquid publice, ergo sunt prædicata. Probatur minor, quia omne verbum id habet proprium, vt significet, teste Augustino 1. de doctrina Christ. c. 2. *Sunt autem alia signa, quorum omnis vsus in significando est, sicuti sunt verba. Nemo enim vtitur verbis nisi aliquid significandi gratia.* Omnes vsus, inquit: ergo, inquam, non significantium verborum, nullus vsus. Nemo vtitur: ergo ne Deus quidem. Augustino consentit Philosophi definitio, ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ, τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. *Quæ in voce sunt, signa sunt affectionum in mente.* Tum de verbis Eucharisticis Euthymius lib. 6. & in 22. Leuit. *Sermo est, qui prolatus ab ipso Christo super dominicum mysterium. Ipse enim liberat nos ab ignorantia, remouetque nos additus, carnale quippiam & terrenum de sanctis arbitrari, sed diuine ea & spiritualiter accipi sancit.*

III. Maior autem non est difficilis. Nam ex ipso statu quæstionis, opponuntur verbum prædicatum, siue vt Sophistæ maluerunt, concionatorium, & verbum incognitum, siue demurmuratum absque sensu & fide. Quomodo ergo nullum verbum potest esse sine sensu, id est, significatione, sic neque vllum verbum potest esse non prædicatum. Præterea, nullum incognitum significat, at omne non prædicatum, est incognitum: Ergo nullum non prædicatum significat: Atqui omne verbum Sacramentale significat: Ergo nullum verbum Sacramentale est non prædicatum, siue non concionatorium.

IV. Secundum. Nullum signum institutum consistere potest absque verbo prædicato: At omne Sacramentum est signum institutum: Ergo nullum Sacramentum consistere potest absque verbo prædicato. Minor assumitur ex vtrinque confessis c. 11.

V. Maior patet; quia, ex confessis in eodem capite, signa instituta sunt ex se indeterminata ad significandum, determinantur autem per verba, quibus instituuntur. At verba non intellecta, nihil determinant: Cum igitur verba sacramentalia determinent, & verba nihil significantia, nihil determinent: Ergo non possunt verba Sacramentalia esse non intellecta, id est non prædicata.

VI. Idipsum confirmatur inductione. Nam Sacramenta in Paradiso instituta, habuerunt verba non susurrata, aut sine sensu demurmurata, sed πρὸς prædicata Adamo & Euæ, vt ex arbore Vitæ comederent, ab arbore Scientiæ abstinerent. Quæ verba ab illis intellecta fuisse patet ex eo, quod Eua obiecerit ea serpenti tentanti. Longe post, Abrahamus, non tantum iussus est circuncidi, sed eadem opera audiit fore signum fœderis. Sic Paschatis vim Moses audiit à Deo, & tradidit populo suo. Sic in Nouo Testamento habemus institutionem Baptismi, & Eucharistiæ. Et, vt à Sacramentis transeam ad alia signa instituta, Noe audiuit à Domino claram, perspicuam determinationem Iridis ad significandum fœdus tum recens constitutum à Deo. Et lapides duodecim in Iordane; & altare postea ædificatum à parte Israelitarum; tumulus ille inter Iacobum & Labanum; habuerunt verba non demurmurata sed clara, & perspicua: nec potest vllum omnino exemplum dari signi alicuius instituti per verba ignorata ei, in cuius gratiam instituebatur.

VII. Tertium: Omne verbum in Scriptura, est verbum prædicatum, non demurmuratum. At verbum Sacramentale, est in Scriptura, ergo verbum Sacramentale est prædicatum, non demurmuratum. Patet minor, tum de Sacramentis veteribus, tum de nouis. Maior autem facilis. Quia omne verbum omnibus propositum, est verbum prædicatum; non vero sine sensu demurmuratum: At omne verbum in Scripturis propositum, est omnibus propositum; quod peculiari controuersia est olim disputatum: Ergo omne verbum in Scripturis, est prædicatum.

VIII. Quartum. Omne verbum ab Apostolis auditum à Christo, est verbum prædicatum: At verbum Sacramentale est ab Apostolis auditum à Christo: Ergo idem prædicatum. Minor per se est in confesso; Maior probatur, Matth. 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditum, prædicate supra domos.* Inde Paulus 1. ad Corinth. 11. Verbum Sacramentale Eucharistiæ recitaturus, præfatur, *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Quomodo postea cap. 15. *Tradidi vobis in primis quod & acceperam*, cum resurrectionis verbum intimaturus esset, & perspicue traditurus, siue prędicaturus. Vnde facilis conclusio. Quemadmodum resurrectionis verbum, sic traditum ab Apostolo, non fuit demurmuratum sine sensu, & incantationis in morem, sic neque verbum Sacramentale Eucharistiæ.

IX. Quintum. Habemus in Baptismo peculiariter mandatum Christi c. 28. Matthæi. *Profecti docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti: docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis.* Vbi manifestum est, adultos instruendos vt baptizentur: atqui id fieri nequit per verbum demurmuratum sine sensu: sed verbum prædicatum.

X. Bellarminus respondet, iuberi quidem vt instructio præcedat baptismum: sed non præscribi concionem tanquam partem essentialem Sacramenti: imo distingui potius, teste Hieronymo ad eum locum, *Ordo præcipuus*, inquit, *iussit Apostolis, vt primum docerent omnes gentes: deinde fidei intingerent Sacramento: & post fidem, ac Baptisma, quæ essent obseruanda præciperent.*

XI. Sed ego insto. Et concedo distingui instructionem, ab ipso actu baptizandi; qui sequi debet. Sed addo, verbum Sacramenti, esse partem eius instructionis. Atque ita verbum additum aquæ in actu baptizandi esse verbum prædicatum, non demurmuratum. Porro esse partem instructionis, & præcedere actum, probo exemplo Petri, Act. 2. vbi hæc distinctio manifeste exprimitur, *Petrus ait ad eos; Resipiscite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus Sancti.* Hæc expositio est, explicatio est, prædicatio est verbi Sacramentalis in Baptismo. Postea sequitur actus baptizandi. *Qui ergo libenter exceperunt sermonem eius, baptizati sunt.* Nimirum non eodem momento, cum dicebat Petrus, *baptizetur vnusquisque vestrum*: sed postquam dixisset; & ex dictis persuasi essent adstantes baptizari.

XII. Sextum. Omne verbum cui creditur, est prædicatum: At verbum Sacramentale, est verbum cui creditur: Est igitur verbum prędicatum. Probatur maior. Nam in quocunque verbo, duo sunt tantum, sonus, & sensus. At sonus non creditur: nam credere pertinet ad intellectum, vt est alias assertum; non contradicentibus Papistis, sed auditur; id est, aures solas ferit: Ergo sensus solus creditur: si creditur, ergo intelligitur: si intelligitur, ergo oportet esse non demurmuratum, sed prædicatum. Tum autem manifestum est Pauli axioma 10. ad Rom. *Quomodo credent ei de quo non audierint? quomodo ergo audient absque prædicante?* Et post, *Ergo fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei.* Cum ergo audiri non possit absque prædicante: nec credi nisi audiatur, ergo credi non potest absque prædicante: Quare verbum cui creditur; idem oportet esse prædicatum.

XIII. Minor probatur ex Augustino in Ioannem tract. 80. *Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum; etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam & hoc vtique dixerat, quando pedes discipulis lauit: Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet: Sed est mundus totus. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat; nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei quod prædicamus; ait Apostolus: quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim credimus ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde in Actibus Apostolorum legimus: fide mundans corda eorum. Et in Epistola sua beatus Petrus, Sic & vos, inquit, baptisma saluos facit: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus: quo sine dubio, vt mundare possit, consecratur & baptismus.*

XIV. Laudabilis locus, & dignus attenta consideratione. Primum; Quæstio est, quomodo elementum fiat Sacramentum. Et fieri Sacramentum explicatur statim; eam habere vim, vt corpus tangat, & cor abluat: hic enim finis est propter quem Sacramentum fit. Respondetur autem fieri Sacramentum, accedente verbo. Et ab hoc verbo eam rem esse, non quia dicitur, id est demurmuratur; sed quia creditur, id est prædicato & intellecto fides adhibetur. Vnde subiicitur; *Hoc est verbum, quod prædicamus:* quod quanquam à Paulo dictum, non peculiariter de institutione vllius Sacramenti: sed generaliter de Verbo Dei in Ecclesia prædicato: tamen applicatur ab Augustino de verbo Sacramentali. Vnde in fine, *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quo sine dubio consecratur & Baptismus:* nempe vt definiat, non aliam esse naturam verbi Sacramentalis, quam totius verbi fidei. Clarius: omne verbum fidei prædicatur: at verbum Sacramentale est verbum fidei: Ergo verbum Sacramentale prædicatur.

XV. In hoc loco expediendo vehementer sudat Bellarminus: & prolixe disputat: sed partim aduersus Caluinum: partim aduersus suos, quibus non tantum putauit esse subtilitatis acumen, vt nobis obiicientibus satisfacerent. Viderit ille sane quid cum suis sit acturus: dum nobis res potius nostra erit cordi.

XVI. Caluinum supponit contendere totum hunc locum de concione intelligendum. Hoc ipsum impugnat argumentis quinque. Primo: quia Augustinus: *detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua?* At detracto verbo concionis, aqua Baptismi non est pura aqua; sed Sacramentalis: hoc probat; quia apud Papistas nulla fiat concio: & tamen baptismus sit verus. Secundo: quia Augustinus ait, *accedit verbum ad elementum*: atqui concio non accedit, sed præcedit. Tertio: quia fatetur Augustinus ipsam aquam habere vim mundandi: sed non ex se, verum à verbo. At concio nihil aquæ tribuit; quia tota refertur ad instruendos auditores. Quarto; quia dicat Augustinus hoc verbo consecrari baptismum: qui tamen alibi doceat verbum, quo baptismus consecretur, esse inuocationem, *In nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti*, tertij contra Donatistas cap. 15. Postremo, quia dicat Augustinus, ea aqua mundari infantem, quanuis nondum valentem credere. At verbum concionale nihil prosit, nisi actu credatur.

XVII. At hæc nulla Caluini refutatio est, verum impostura. Nam concionem Caluinus nusquam nominauit, sed verbum prædicatum, declaratumque vt antea monuimus. Itaque obiectiones sunt inutiles. Nam apud Papistas verbum est prædicatum ipsum illud Sacramentale, quod celebrando baptismo debet adhiberi: Ignoto quidem illud idiomate, sed peccato sacerdotum. Interea tamen prædicatum, quia alias explicari solitum, vt non sit prorsus incognitum. Tum autem iis tandem cognitum, quibus sit vtile. Nam apud hæreticos notum est, ita verum esse baptismum, vt tamen non sit vtile, nisi quando transitur ad Catholicam, vbi docetur, quid illud sit verbum, vt fiat prædicatum, quod hominum malitia demurmurabat.

XVIII. Falsum est itidem in secunda obiectione hoc verbum præcedere, reuera enim accedit, quia tum prædicatur, & publicatur, cum ipsa solennitas impletur Sacramenti. Quanquam si maxime concionem diceremus;

ceremus; negaremus tamen præcedere elementum: sed tantum elementi applicationem: sicut in Eucharistia: in qua appatet, ne Christum quidem singulis portionibus distribuendis addidisse verba illa solemnia: sed semel, & vel in prima distributione, vel etiam ante hanc. Quia scilicet legamus Lucæ 22. *Accipite hoc, & partimini inter vos.*

XIX. In tertio, negatur, si concio, (id est, verbum concionatorium; siue prædicatum, vt nos loquimur,) tota sit in instruendis auditoribus, ideo nihil conferre aquæ. Imo potius ideo instruere auditores, vt aliquid conferat aquæ: quam sane Augustinus dixit habere vim à verbo, *faciente*, inquit, *non quia dicitur, sed quia creditur.*

XX. Quartum vero, quorsum? an vt ipsum sibi contradicere euincat Augustinum? An vt inuocationem Trinitatis doceat esse verbum Sacramentale? Prius absurdum: non enim non conueniunt inuocatio Trinitatis & verbum prædicatum: quasi omnem inuocationem oporteat esse obscure demurmuratam, & non prædicatam, non explicatam auditoribus. Alterum inutile: Nemo enim negat hac inuocatione baptismum consecrari: sed hoc constat ex Augustino hanc inuocationem esse verbum prædicatum: constat, inquam, hanc inuocationem dare vim aquæ, non quia dicatur, sed quia credatur.

XXI. In quinto: quid est, actu credi? An ab eo cui profit, an ab Ecclesia? Nam hoc conceditur: & diserte affirmatur ab Augustino: mundari infantem, quia Ecclesia credat verbum Sacramentale. Nempe quia infans fidem non habet, ideo baptizatur in fide Ecclesiæ, ad quam idem pertinet. Itaque obiectio hoc sensu nihil est; An ab ipso cui prodesse debet? Negatur semper actu credi oportere. Nam hoc, inquam, verbum dans vim aquæ ad purgandum, actu non creditur ab infante, qui tamen purgatur, non creditur ab hypocritis, quibus tamen non inutile esse patet, quia non repetatur. Nempe quia causæ morales plurimæ effectum suum produnt, etiam cum nondum sunt actu: sed tantum potentia. At quæ neque est actu, neque potentia, nullum potest effectum producere: vnde necesse est verba Sacramentalia esse prædicata. Nam quæ sunt absque sensu demurmurata, neque actu neque potentia creduntur: vt Paulus, *Quomodo credent, si non audierint? Quomodo audient absque prædicante?*

XXII. Sed enim, quam ille igitur Augustino mentem affingat, audiamus: & admiremur Sophisticen. *Dico*, inquit, *Augustinum hoc loco non semper loqui de eodem verbo: sed nunc de Sacramentali, nunc de concionali.* Quando igitur ait, *Vnde tanta vis aquæ, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur*, tum loquitur tantum de verbo Sacramentali: quod quidem vim mundandi habet, non quia est simpliciter sonus transiens, id est, mera res naturalis, sed in quantum in eo est virtus manens, id est, continet inuocationem Trinitatis: Et quia creditur, id est, quia est obiectum fidei: nec enim illud, quia creditur, potest significare; quia creditur actu: alias sequeretur infantem baptizatum à Turca, quia nullum eliceret fidei actum, vere baptizatum non esse: quod est falsum. Quando verò ait, *Fide mundant corda eorum*: Item, *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*; *quod si confitearis*; loquitur de verbo extra Sacramentum. Prolixiorem hanc disputationem ita contraxit breuiator Bellarmini Baptistæ Desbois.

XXIII. Ast ego primum dico, etiam si non loqueretur semper de eodem verbo: tamen sufficere, quod agnoscit Bellarminus, hæc verba, *vnde tanta vis aquæ*, & quæ sequuntur, esse tantum de verbo Sacramentali. Nam etiam Caluinus hæc sola describebat: etsi nos plenius simus prosequuti. Ex iis ergo constat hoc verbum Sacramentale efficax esse, non quia dicitur, siue vt Bellarminus explicat, est aër percussus; sed quatenus est obiectum fidei, ac proinde intellectus, vt paulo ante notauimus. Nam eo ipso nostrum dogma necessario stabilitur.

XXIV. Quomodo autem credatur actu, iam explicatum est. Exemplum de Turca, prout descriptum à Baptista, alieniissimum est à veritate. Nullum enim Sacramentum administrari potest à Turca. Atque adeo aliis verbis erat à Bellarmino propositum, *Si per impossibile*, aiebat, *tota periret Ecclesia, & tamen Turca quispiam, qui nosset res nostras, infantem baptizaret, eum intentione faciendi quod Christus instituit, & Ecclesia faciebat, certe ille esset baptizatus.* Quæ forma penitus nugatoria est; supponens id futurum, quod tamen fateatur esse impossibile. Quasi quis iam latageret prouidere cibum hippocentauris & tragelaphis, si vnquam vlli futuri essent. Certe si per impossibile Sophistæ nulli essent, longe melius ageretur cum Ecclesia. Cæterum de Ministro Baptismi suo loco disputatum imus.

XXV. Secundo, dico Augustinum in ea disquisitione semper loqui de eodem verbo. sed, vt solet specialis doctrina illustrari, confirmarique, à generali. Quomodo si quis de hominis natura disputans, ascendat ad naturam animalis. Omnino enim Augustinus probat verbum Sacramentale mundare; quia nimirum sit verbum Dei: Scriptura autem doceat verbum Dei mundare: Quod quia noluit assequi Bellarminus, ideo nonnullos finxit sibi obiicientes perpetuam æquiuocationem: cuius ne vmbra quidem vlla esse potest; nisi apud eos, qui siue ignorantia, siue industria, reliquis imputant somnia sua.

XXVI. Vnum breuiator omisit; quod nos non debemus. Non est fides, quæ dat virtutem mundandi elemento: non enim ideo aqua habet vim mundandi, quia ego credo, sed quia est Sacramentum à Deo institutum. Item alterum. Non negari ab Augustino, verbum ipsum, vt dicitur, & vt est res sensibilis, habere virtutem. Nam si aqua ipso habet virtutem mundandi, quanto magis verbum vt sensibile? sed negari virtutem illam esse à verbo, vt est res sensibilis. Itaque totum Sacramentum habet virtutem: sed habet à verbo, vt verbum est res spiritualis, & sola fide cognoscibilis.

XXVII. Ad primum respondeo: concedi fidem non dare vim elemento: neque id Augustinum dixisse: aut quenquam nostrum dicere. Nam quis negat hanc vim esse ab institutione? & hanc institutionem esse Dei penitus, & solius? Sed esse dixit Augustinus & nos asserimus, aquæ à verbo, non quia auditur, sed quia creditur. Nimirum, vt fides constituatur, non causa efficiens vim in aqua mundandi: nam id verbo diserte tribuitur: sed vt sit causa, sine qua verbum non facit eam virtutem: nimirum, quia causa moralis agit in intellectum & voluntatem: aqua autem non potest in intellectum, multo minus in voluntatem quicquam agere non sibi naturale; nisi mediante verbo: quo persuadetur & intellectus & voluntas.

XXVIII. In altero manifestam impostaram esse dico: cum ponitur, quod est contra Augustini verba. Non negatur, inquit, verbum ipsum habere vim, quatenus est sensibile. Quid ergo? estne verbum sensibile, aliter quam audibile? Quod si non est, profecto si vim habet, quatenus sensibile, habet quatenus auditur. Atqui hoc est, quod Augustinus negat, *Facienre*, inquit, *non quia auditur.* Itaque illud, *Si aqua ipsa habet virtutem emundandi, quanto magu verbum, vt sensibile?* si audisset Augustinus, sibilis excepisset; vt profectum ab homine mentis emotæ. Nam dicendum erat, si aqua, quanto magis verbum. Vel, si aqua, quia sentitur, quanto magis verbum quia sentitur. Et non inepta conclusio esset: quia per quod quid tale est, ipsum est magis tale. Sed Sophista neutrum dixit: & dixit, si aqua, quanto magis verbum sensibile, id est, quatenus sentitur: quod est ineptum.

CAP. XVII.

Contra verbum Sacramentale prædicatum Argumenta Suarii.

I. SVares & Bellarminus contra disputant. Primum argumentum sic concipitur à Suare. Verbum concionatorium, vel est necessarium ad conficienda Sacramenta; vel non est. Si prius; ergo nullum verbum esset necessarium: Nam si necessarium aliquod; ergo vel concionatorium, vel consecratorium. At non consecratorium: nam ab aduersariis prorsus reiicitur. Si ergo non concionatorium, sequitur nullum. At si concionatorium dicant necessarium: ostendant vbi Christus id instituerit, aut præceperit. Nobis enim, inquit, traditum non est; neque etiam in Scriptura legimus. sed potius contrarium.

II. Huius argumenti posteriorem partem Bellarminus vrget; à Scripturis negatiue. Et confirmat; quia Ioannis tertio, *Nisi quis renatus fuerit.* Et 4. cum Dominus baptizaret pet discipulos: Et Marci vltimo, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum:* sic 1. Petri 3; *Vos saluos facit Baptisma.* His, inquam, locis, nulla mentio verbi, nedum concionis.

III. Sed Suarez adeo est inepte argumentatus; vt ostenderit se argumentandi leges ignorare. Quis enim à disparatis ita est vnquam argumentatus, vt disparationis omnes partes tolleret? Quæ potest inde conclusio elici? Necessarium est verbum concionale, aut non est. At neque est, neque non est. Ergo quid? perficiant noui ex Iaponia Logici, quibus credo Aristoteles organum nunquam composuit; suo tempore non cognitis. Imo doceant, quomodo idem neque sit necessarium, neque non sit. Ex illo scilicet principio, in singulis alterutrum necesse, vel esse, vel non esse. Tam sunt mirabilia Iesuitarum ingenia. An nouum genus est miraculorum: quod non stupidos reddat auditores, sed à stupidis autoribus fiat? Mitto calumniam de consecratorio reiecto: neque enim iterato refutari digna.

IV. Magis Theologo digna pars illa de autoritate Scripturæ. Sane si nusquam locorum tradiderit illa quicquam de verbo, quod illi concionatorium dicunt; nos prædicatum malumus: in nobis nulla mora est quominus triumphantes Papistæ in capitolium albis equis inuehantur. Etsi poteramus æquo iure in eadem scriptura quærere verbum demurmuratum: nisi nollent aduersarij eodem iure nos vti in se: quo illi nunc volunt in nos. Vtrumque est; nos qui demurmuratum, decantatum, incantatum nullum verbum volumus: quia nullum in Scriptura comperimus; eosdem eodem iure ne prædicatum quidem velle æquum est, si itidem nullum in Scriptura.

V. Sed quid mentis Bellarmino concludenti. Nullum est vno, altero, tertio, quarto loco, ergo nusquam? Næ Arrius similiter; non est τὸ ὁμοούσιον, vno, altero, tertio, quarto loco, ergo nusquam. Nam quis nescit potuisse itidem deligere, non quos opportuit, sed quos libuit? Sic memini puer videre pueros ludicrè quæri vbi vis gentium, potius quam vbi essent. Quid denique si nos vrgeamus, iisdem illis locis nullum esse verbum consecratorium? Ergone tolleret concludentes, nusquam esse? & se speret ille tutorem fore aduersum nos? Scilicet nos lolio victitamus: illi datum non nisi pascier ambrosia.

VI. Duo, inquit, tantum loca sunt, vbi fit mentio verborum, At Ephesios 5: *Mundauit eam lauacro aquæ in verbo*, Matthæi vltimo, *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Sed prior debet per posteriorem explicari. Et ita fit apud Chrysostomum, Theodoretum. Theophylactum, Anselmum, alios: excepto vno Hieronymo, qui non literaliter expositit, sed tropologice. In posteriore, negat concionem nominari tanquam partem essentialem Sacramenti: sed institutionem adultorum præcedentem Baptismum.

VII. Nos negamus his solis locis constare verbum Sacramentis adhibendum. Nam quotquot loci sunt in quibus instituuntur, aut institutа recitantur Sacramenta, ij omnes huc pertinent: quia nulla institutio aut est, aut fuit vnquam absque verbo, & quidem prædicato; vt docuimus superiori capite.

VIII Consentimus locum ex ad Ephesios intelligendum per alterum ex Matthæo: nec negamus verbum esse inuocationem illam Trinitatis: sed esse hanc inuocationem Trinitatis, verbum demurmuratum negamus: dicimus esse potius prædicatum, explicatum, denique si velint, concionatorium: ita enim probatum superiori capite.

IX. Secundum argumentum Suaris. Si concio est necessaria, ergo vel propter eum qui suscipit Sacramentum; vel propter circunstantes, vel propter conferentem. At hæc falsa. Ergo concio non est necessaria. Non propter suscipientem: nam is sæpe non est capax; vt infantes, & phrenetici: sæpe non indiget; quia est sufficienter instructus & dispositus. Non propter circunstantes: tum propter easdem rationes, tum quia adsunt per accidens. Non propter conferentem: quia aliud est baptizare, aliud euangelizare, prioris ad Corinthios primo: vbi Anselmus notauit, non quicunq; idoneus est ad Sacramentum administrandum, esse etiam ad docendum.

X. Huius argumenti postremam partē Bellarminus adsumpsit; & ita formauit

manit. Si ita esset, non distinguerentur officia concionandi & baptizandi. Quicunque enim concionaretur; hoc ipso baptizaret: quandoquidem ministraret formam Baptismi: & contra, qui baptizaret concionaretur, cum Baptismus formaliter nihil aliud sit nisi concio. At contradicit huic sententiæ Beatus Paulus 1. prior. ad Corint. vbi notat Ambrosio adscriptus Commentarius, minus esse baptizare, quam concionari: eo quod qui baptizat, solum pronuntiet solennia quædam verba, & aquam infundat: quod facillimum est.

XI. Respondeo ad argumentum negari assumptum. Et concionem, id est, verbum præditatum esse Sacramento necessarium, propter suscipientem, propter adstantes, propter conferentem. Nimirum neque ille susciperet Sacramentum: neque ista adstarent Sacramento: neque hic denique conferret Sacramentum: quandoquidem ablato verbo prædicato, clementum nullum esse potest Sacramentum.

XII. At suscipiens plerunq; non est capax. Respondeo, capacitatem dici, vel actu præsenti, vel facultate in futurum. Concedo non semper esse capacem actu; id est, eodem momento, quo suscipit Sacramentum, non capere, quid circa se agatur, aut dicatur. Sed dico neminem admittendum ad Sacramentum vllum, qui saltem altero modo non sit capax. Atque hoc genus capacitatis efficit vt necessarium sit verbum; & verbum prædicatum; nemo omnino capax esse poterit vnquam. Non enim intelligi potest, quod vel non dictum; vel ita dictum, vt in solo murmure consistat: nam solum murmur nihil significat.

XIII. At plerunque suscipiens adeo est eruditus, & præparatus, vt non egeat verbo. Sed hoc negamus. Non enim propterea necessarium verbum, vt tantum eruditat, sed vt instituat Sacramentum. Nec vnquam instituit, nisi prædicatum; id est, vel erudiens actu, vel potens erudire etiam aliquanto post. Quare etiam qui eruditissimi sunt, opus habent hoc verbo, quum suscipiunt Sacramentum: quia absque eo Sacramentum nullum susciperent. Atque ita semper factum in Ecclesia vera. Nam hæc prius erudiebat diligentissime Catechumenos: post admittebat ad Sacramenta: non nuda signa, sed vestita suis suis illis verbis, quæ jam edocti fuerant dum essent in Catechumenis.

XIV. Adstantes sunt per accidens. Fortasse; inquam: sed nego sequi: si adsint per accidens, ideo non necessarium iis verbum prædicatum. Quia adstantes intelligimus, non fabulę, sed Sacramento: atqui si nullum sit verbum, nemo neq; per se, neq; per accidens adstare potest Sacramento: & nullum est neque esse potest. Quanquam Eucharistiæ saltem nemo adesse debet per accidens; si legitimus ille Canon apud Gratianum de Consecratione, distinctione secunda, *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.* Tum autem Paulus in priore ad Corinthios negat vtendum sermone incognito, tum alias ob causas, tum propter superuenientes infideles: qui tamen negari non possunt adesse per accidens.

XV. Superest minister Sacramenti. Si aliud est, inquit Suares, euangelizare, aliud baptizare: ergo propter ministrum non est necessarium verbum prædicatum. Ast ego consequentiam nego. Quid enim obstat quominus sint eiusdem vnius rei partes suis differentiis disparata? Et si possunt vnum aliquid componere quæ inter se disparata, cur qui eam rem vsurpat, non possit partes vsurpare nisi cessent disparari? Hoc Suares oblitus est docere: quasi sola sua autoritate speraret futurum, vt nemo hisceret contra.

XVI. Nec laudabilius Bellarminus. Si est, inquit, necessarium verbum prædicatum, ergo non distinguerentur officia concionandi, & baptizandi. Æque, inquam, absurda consequentia. Imo quia vtrumque necessarium, & baptizare, id est, aqua intingere, & prędicare verbum Sacramentale: ergo ambo distincta sunt inter se: nam si indistincta: non essent duo necessaria, sed vnum tantum. Adeo inconsiderate Bellarminus argumentatur.

XVII. Sed enim, inquit, quicunque concionaretur, eo ipso baptizaret. Et hoc falsum, inquam. Atqui ministraret formam Baptismi. Iterum falsum. Nam, vt dixi, non reciprocantur baptizare & concionari: baptizare, inquam, id est formam Baptismi prædicare. Nam verbum forma est Baptismi, non absolute, sed tum cum accedit aquæ. Potest autem vsurpari alias, & cum nulla aqua est: exempli gratia, qui autor est Catechismi Tridentini, tum cum doctrinam explicat Baptismi; prædicat ille quidem verbum Baptismi: sed non baptizat tamen. Ne Bellarminus quidem tum baptizabat quenquam, quum capite tertio de Sacramento Baptismi, formam ipsam recitaret. Denique, etsi necessaria sit aqua ad celebrationem Baptismi, tamen non est quæcunque lotio idem cum Baptismo: sed lotio cum iis verbis; cur non æque verum: etsi necessarium sit verbum; tamen non quemcunque vsum verbi esse Sacramentum: sed verbum cum eo elemento.

XVIII. Tertium Suaris argumentum. Interrogo: quid sit necessario docendum, vt Sacramentum conficiatur; nunquid tota doctrina fidei, an aliquod certum mysterium, aut fortasse institutio illius Sacramenti, quod tradendum est? At non primum: quia sic hæreticus prædicans falsam doctrinam, non conficeret Sacramentum. Non secundum; quia nihil eo absurdius: tum autem oportet certa verborum formula, Sacramentum confici. Tertium nescio quo fato oblitus sit refutare. Credo aliud egisse, cum hoc ageret.

XIX. Respondeo, non esse necessarium, tum cum conficitur vnum Sacramentum, vniuersam teneri fidei doctrinam: omnia explicari symboli capita. Sed aliquod caput esse necessarium. Neque nos ille exterreat absurditate ficta: Pueris ista sunt mouendis appositа terriculamenta, quæ viri constantes ridenti. Verum, inquit, certis verbis oportet concipi formam Sacramenti. Fateor, certam esse debere formam cuiusque Sacramenti. Sed quid tum? An propterea non sufficiet vnum verbi mysterium explicatum ad formam Sacramenti? Nemini sanò videbitur. Quærin' quod sit illud mysterium? Breuiter respondeo; hæc ipsa forma Sacramenti:

Hanc, inquam semper oportet prædicari, vt conficiatur
Sacramentum: prædicari, inquam, non
demurmurari.

CAP. XVIII.

Contra verbum Sacramentale prædicatum Argumenta Bellarmini.

I. HActenus Suaris: deinceps argumenta erunt propria Bellarmini. Primum, si forma Baptismi esset concio, varia essent baptismata, pro varietate concionum. Ratio consequentiæ: quia non omnes eodem modo concionantur. At vnum baptisma est, sicut vnus Deus: & vnus Dominus; ad Ephes. 4.

II. Respondeo negari consequentiam. Nec vero eius ratio vlla est, quia non omnes eodem modo concionentur, sed est potius repetitio consequentis: vel absurda petitio principij. Est enim idem, varietas concionum, & non eodem omnes modo concionari. Porro, varietas vel essentiam attingit verbi Sacramentalis, vel accidentia. Quam distinctionem ipsi coguntur admittere aduersarij: & fateri solam essentialem mutationem vitiare Sacramenta; vt si quis baptizaret in nomine Patris solius Dei. Accidentariam vero minime: vt cum variis linguis pronuntiantur verba Sacramentalia; Hebraicè, Græcè, Latinè: vel cum Græcus dicit, *baptizetur*: Latinus autem, *Ego baptizo te.* Cum ergo non sit omnis prædicandi varietas, essentialis: constat non propterea multiplicari baptismata, si quæ sit concionandi diuersitas.

III. Secundum. Si forma Baptismi esset concio, falsum baptismum haberent hæretici: Ratio consequentiæ. Quia non potest esse vera prædicatio hæreticorum. At Ecclesia approbat Baptisma quorumlibet hæreticorum, modo detur verbis præscriptis; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: etsi addant peruersissimam concionem & explicationem. Teste Augustino c. 15. tertij de Baptismo.

IV. Respondeo, argumentum esse simile præcedenti. Itaque negari consequentiam. Et rationem consequentiæ additam, rursus ineptam esse principij petitionem. Porro, non omnem doctrinam hæreticorum esse falsam: sed certa quædam capita vera. Posse ergo in aliis capitibus errare hæreticos, qui tamen formam Sacramenti retineant integram. Imo possunt etiam formam ipsam Sacramenti vitiare praua sua intelligentia, siue expositione: vt tamen verum sit Sacramentum: nimirum, quia is errore interpretantis sit; quia non obstat, quominus forma ipsa sana sit: nimirum, quia recte intelligitur à percipiente: aut intelligi possit. Cuius rei ratio est, quia Sacramento vim addit verbum, non quia dicitur, sed quia creditur. Itaque quicquid ille putet dicere, qui Sacramenta confert, tamen Sacramentalia verba non aliter significant, quam instituit autor Sacramentorum. Qui ergo sic credit, id est, intelligit quomodo Christus instituit, is habet veram formam Baptismi: quantumuis decrrante eo qui confert.

V. Tertium. Baptismus apud Papistas datur absque vlla concione. Et tamen non iubentur rebaptizari Papistæ. Quomodo ista cohærent; vt concio sit forma Baptismi, & tamen sine concione verus Baptismus dari possit?

VI. Imo apud Papistas non datur Baptismus absque vlla concione. Habent enim Papistæ verbum Sacramentale, sine quo non baptizant. Et verbum quidem murmuratum: sed vitio conferentis: potest enim explicari: ita enim significat, vt est institutum: & re vera ab iisdem explicatur, qua in Concionibus, qua in Catechismis, qua in Controuersiis: quæ varia sunt prędicandi genera, vnde sarciri potest defectus murmurãtis. Quare nihil est necesse iterari apud eos acceptum Baptisma.

VII. Quartum. Si forma Baptismi esset concio, infantes non essent baptizandi. Non enim fieri debet concio, vbi non est, qui audiat, & intelligat. At pueri non intelligunt sermonem, nec attendunt, aut attendere possunt. Igitur non est illis concio facienda. Quare nec baptizari debent aut possunt.

VIII. Negatur consequentia: si concio sumatur pro verbo prædicato, vt sumus protestati. Nullam autem concionem fieri debere, vbi non sit qui audiat; nego simpliciter concedendum: sed tantum vbi nemo sit qui audire possit. Quædam enim conciones fiunt ad institutionem præsentem: quædam ad futuram. At verba incognita neutri institutioni sunt apta: itaque eorum nullus vsus esse potest in Ecclesia, nedum ad Sacramentorum celebrationem: sed verba prædicata, contra, & præsentem ædificationem habent, si sit qui attendat, & percipiat; vt quum adulti baptizantur: & futuram, si sint qui attendere & percipere apti nati sint, vt infantes.

IX. Deinde; falsum non esse qui audiat, & intelligat. Nam Ecclesia audit, & intelligit. Et Augustinus dixit, mundari infantes verbo Sacramentali, quoniam Ecclesia credit. Nimirum quia baptizantur in fide aliena; qui in sua non possunt.

X. Bellarminus instat. Si verbi prædicatio est de essentia baptismi non minus quam aqua, certe debet percipi non minus quam aqua: alioqui non modo inutile, sed etiam nullum erit Sacramentum. Quod si aqua aspergeretur à Ministro, infantem vero non contingeret, nemo diceret illum esse baptizatum. Ergo si concio fiat, & non percipiatur ab infante, non potest dici esse baptizatus.

XI. Imo, inquam, non valet consequentia: propter rerum dissimilitudinem. Nam aqua præter præsentem tactum corporis nullam vim habet. Ast verbum, & auditum habet, & institutionem. Et auditus quidem præsens est: sed notentur Augustini verba, *Non quia dicitur* (& dictio pertinet ad auditum) *sed quia creditur.* Institutio autem non tantum præsens est, sed etiam futura. Quum autem virtus sit verbi Sacramentalis institutio, nihil mirum adhiberi verbum non inutiliter, etiam si præsens non sit institutio, sicut nonnulla vtiliter à Christo discipuli audierunt, quæ tamen aliquanto post intellexerunt. Nec mirum inutiliter adhiberi aquam, sine præsenti tactu: quandoquidem eius proprietas sit, vt corpus tangat: id est, vsus nullus nisi præsens.

XII. Quintum. Verba à Domino præscripta in Baptismo, non habent formam institutionis, sed inuocationis, & benedictionis. Non enim dictum. Docete omnes gentes nomen Patris, Filij, Spiritus Sancti: sed, *baptizantes eos in nomine Patris:* Quæ verba respiciunt actum baptizandi,

non actum docendi: proinde sonant inuocationem Trinitatis super aquæ aspersionem, non declarationem mysterij ad auditores. Et probatur ex collatione aliorum locorum. Marci vltimo, *In nomine meo dæmonia eiicient.* Actorum 3. *In nomine Iesu Christi, surge, & ambula.* Matthæi 7. *Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus?* & alibi passim. Deinde; si verba ista ad institutionem pertinerent, valde imperfecta essent: non enim solum instrui debent de Trinitate qui baptizantur, sed etiam de incarnatione, & passione Domini, & præcipue de promissione gratiæ, ob Christi meritum. Quarum rerum nulla in his verbis mentio.

XIII. Imo absurde disparantur institutio, & inuocatio, benedictioque. Nihil enim obstat quominus vnum idemque verbum vtramque vim habeat. Quia nulla inuocatio, nulla benedictio solo murmure debet constare. Vnde prioris ad Corinth. 14. *Si precer lingua, spiritus meus precatur, sed intelligentia mea est infructuosa. Quid est igitur? Precabor spiritu: sed precabor etiam intelligentia.* Certe si preces habere possunt intelligentiam, ergo & institutionem. Nam hæc nihil est, quam intelligentia communicata.

XIV. Sed verba Baptismi actum baptizandi respiciunt, non actum docendi. Hoc, inquam, rursus inepte: respiciunt enim vtrumque: nimirum actum baptizandi, docendo: & actum docendi, baptizando. Scilicet, vt simul constet & adhiberi lauacrum aquæ: & in quem finem. Nam absque hoc esset, nihil aliud posset quisquam factum dicere, quam quod vulgo solet: vt 1. Regum 22. *Et lauerunt currum eius in piscina Samariæ.* Aut Matthæi 6. *Faciem tuam laua.* Neque interesset inter Nahamani lauacrum, 2. Regum 5. & Eunuchi, Actor. 8. Cum igitur verba Baptismi significent, quid agatur: ergo non tantum agunt, sed etiam instruunt contra quam Bellarminus sperauit nobis persuasum iri.

XV. Sed aliis locis sonant inuocationem, non institutionem. Falsum, inquam: omnibus enim locis institutionem sonant. Et in iis ipsis quos Bellarminus selegit. Certe in primum Franciscus Lucas sic habet, *Id est, inuocato nomine meo, & virtute potestateque mea: vide Matthæi septimo, versu vicesimo secundo.* Hoc autem ita citato loco, sic notauerat, *Hic in primis pro Christi Domini autoritate & legatione accipiendum videtur nominatissima illa & celeberrima, qua in Ecclesia Catholica, iisque qui ab ea ad publica munia deputantur, fulget.* Carthusianus in illa Marci, *id est, in mea potestate, & per inuocationem nominis mei.* Nec aliter Gorranus, nec etiam Emmanuel Sa. Eadem ratio verborum ex Actor. 3. Lyranus, *in nomine Iesu Christi: id est, in virtute eius.* Emmanuel Sa, *Nomine, id est, virtute.* Glossa interlinearis, *Gratus seruus non se, sed Dominum glorificat; vt credatur in eum cui resistebant.*

XVI. His igitur locis, hæc phrasis, *in nomine*, non tantum inuocatio est diuini auxilij; sed etiam concio, qua faciendis miraculis adstantes erudiebantur fieri non humana virtute, sed diuina. Et sane, cum certum sit nulla miracula ab Apostolis edita, non in nomine Christi, tamen certum est edita, nonnulla absque inuocatione; vt quæ narrantur facta ex vmbra Petri, Actorum quinto: & sudariis Pauli, Actor. 19.

XVII. Quid nunc obstat, quominus in Baptismo etiam simul inuocatio sit & concio? Nam sane Carthusianus in postremum Matthæi sic innuit, *Baptizantes eos, id est, regenerantes ex aqua & Spiritu Sancto: lauantes lauacro in verbo vitæ, videlicet in nomine inuocato, & in virtute Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et Ferus in eundem locum, *Conferatur Baptismus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt sciamus, non sacerdotem tantum illic operari, sed potius ipsam sanctam Trinitatem: idemque esse & eiusdem valoris ab homine baptizari, ac si Deus ipse nos baptizaret.* Anselmus, *In nomine, id est, in confessione Trinitatis.* Zacharias Chrysopolitanus; *In professione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizate; vt quorum est vna Deitas, vna sit largitio.*

XVIII. Sed hæc imperfecta institutio. Nimirum, inquam, Baptismatum doctrina sic nominatur ad Hebr. 6. *pertinens ad initia Christianæ religionis,* inquit Iustinianus. Fateor ergo institutionem, quæ habetur in verbis Sacramentalibus esse valde imperfectam. Sed inepte dico inde concludi, non esse institutionem. Et quam mihi dabunt, quæso, concionem, quæ contineat omnia capita religionis Christianæ? Debere autem in Sacramentis administrandis omnia tradi; negamus. Nam etiam Catechumenis omnia tradebantur, non in administrando Baptismo, sed prius. Vnde Hieronymi dictum in Matthæi vlt. *Non potest fieri, vt corpus Baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem.*

XIX. Sextum. Verba quæ dicuntur in mysterio Eucharistiæ, ab Apostolo dicuntur verba benedictionis: quod certe non institutionem, sed consecrationem sonat Prioris ad Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?*

XX. Nihil noui: sed vt prius inepte benedictio opponitur institutioni: cum tamen nihil benedicatur nisi instruendo eum cuius gratia fiat benedictio.

XXI. Postremus labor est à Conciliis & Patribus. Ab illis; quia Niceno Concilio iubentur rebaptizari Paulianistæ: Laodiceno Cataphryges. At contra, Arelatensi primo prohibentur Ariani: quia illi nec credebant Trinitatem, nec baptizabant cum eius inuocatione. Ast Ariani licet ea non crederent; tamen eius nomine Baptismum celebrabant. Patres autem aliquot inducuntur, qui inuocatione, consecrationeque perfici dicunt Sacramentum, & verbis cœlestibus.

XXII. Sed hæc iam ante confecta sunt: nec iterum repetenda. Paulinianorum, & Cataphrygum forma Baptismi, neque re neque verbis eadem fuit cum Christiana. Itaque non tantum idem sonus non audiebatur: sed ne quidem res eadem poterat significari: propterea non conficiebatur Sacramentum. Et id quidem non propter vitiosum sonum; sed propter vitiosam fidem. Vnde constat necessaria, verbum sacramentale debere esse significans, & instruens. Nam si tantum oporteret esse sonans; quodcunque verbum perinde esset. Quia nullum errorem aut contineret, aut docceret. De inuocatione & consecratione; non est quod addam plura.

CAP. XIX.

De intentione Ministri.

I. IN celebratione Sacramenti disputant serio Papistæ de intentione Ministri. Iodocus Rauestein Tiletanus Apologiæ Tridentinæ parte altera ad 11. canonem sessionis 6. Dominicus Soto in 4. Sententiarum, distinct. 1. quæst. 5. art. 8. Bellarminus libr. 1. cap. 27. & 28. Gregorius de Valentia disputat. 3. quæst. 5. punct. 2. Vasques in 3. Thomæ, disput. 138. Suares de Sacramentis, disput. 13. sect. 2 In oppositum Chemnitius examinis part. 2. ad Canonem 11. session. 7. Ioannes Scharpius in cursu Theologico de Sacramentis.

II. Sententiam suam repetunt Papistæ ex Eugenij IV. decretis ad Armenos: in quibus hæc legas, *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Cuius Eugenij vestigiis insistens Tridentinum Conciliabulum, canonem edidit 11. de Sacramentis, sessione septima, *Si quis dixerit in Ministris dum Sacramentum conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, Anathema sit.*

III. Sunt ista quidem paucissima verba: sed illa eadem perplexissima: adeo vtiis explicandis vehementer sudetur: vt fieri amat in adinuentionibus humanis, quæ vix vnquam omnibus eodem modo placent: sed aliis aliter, atque aliter: siue nouis paraphrasibus explicentur: siue violentis distinctionibus castigentur: siue miris denique artibus vertantur, inuertantur. Quo in studio, vel maxima laus fuit Sophistarum è Schola, immaniter abutentium & suo nimio otio, & aliorum patientia: imo impotenter illudentium Ecclesiæ, in qua sibi non erudiendæ plebis partes, sed imperandi conscientiis sperarunt impositas. Et vero siue ille Eugenius, siue hoc Concilium Tridentinum, de industria sunt ita generaliter loquuti, vt nihil certi definiendo, suam permitterent his nugacibus libertatem commentandi, disputandi, magno denique conatu nihil agendi. Nam etsi non ignorarent in hac ipsa definitione miras ambiguitates esse, varie assertas negatasve, tamen nihil earum definire sunt ausi. Magna scilicet religionis laude.

IV. Eugenius tamen ille concilio isto fuit hoc vno saltem diligentior, quod explicuit, quomodo requiri putauerit intentionem Sacerdotis: nempe vt absque ea non possit confici id Sacramentum, quod tamen sperabatur conficiendum; imo putabatur peragi. Adeo, vt quicquid tum solenniter gerebatur, hunc vnum ob defectum, in meras abeat præstigias, siue somniationes; in quibus, quum multa fiant, & multo conatu, tamen nihil fit denique.

V. Sed Tridentinus feruor, adeo fuit intentus Anathematum furoribus, vt quam rem habebat præ manibus negligentius tractarit. Quid enim? Tantum definiit, in ministris requiri intentionem. Ingens scilicet operæ pretium: dignum tanto cœtu, tam magnifica pompa: dignum iis quorum arbitrium esset in vniuersam Christianitatem summum. Atqui possunt quædam in Ministro requiri, quæ tamen ad essentiam, perfectionemve Sacramenti non pertineant. Quis enim ea saltem neget requiri, quæ absque peccato abesse non possunt, & quidem mortali: vt sophistis loqui mos est? Exempli gratia, Voculam dico illam *enim.* Quia Papistis iampridem certum peccare mortaliter Sacerdotem, qui in celebrando dixerit, *Hoc est corpus meum.* Quid? quod etiam Sacras vestes, (ita appellant) omitti nolunt? Ergo hæ in Ministro requiruntur. Quid? vitam quidem probam: aut conscientiam sanam negabuntne Tridentini requiri? Vnde patet nimis fuisse in definiendo somnolentos bonos illos paterculos: nec plene, aut distincte suam fidem expressisse.

VI. Mirum, non fuisse hanc ansam multiplicandi Scholasticas quæstiones! Hactenus enim, qui se professi sunt arcanorum Tridentinorum interpretes idoneos, suppleuerunt ex Eugenio, quod Tridentini defuit: nec aliter hoc anathematis oraculum explicarunt, quam de intentione absolute necessaria; non in Ministro tantum, sed in Sacramento, videlicet conficiendo, perficiendoque. Summa est, in Ecclesia Papistica; Baptismum, Eucharistiamque nullam esse, sed meras agi duntaxat nugas, nisi succurrat intentio.

VII. Sed hoc iam quid est nominis? Omissa definitio ab Eugenio, à Tridentinis omissa. In Scholis diligentius inquisita, gemino capite: cuius obiecti: cuius gradus.

VIII. Obiectum definitur, *Facere id quod facit Ecclesia.* Sed inde, crux gemina. Quænam Ecclesia: & quid faciat. Nam Ecclesia Catholica, vel hæretica. Estne ergo intendendum id quod Ecclesia Catholica facit? Videbuntur ergo rebaptizandi, qui baptizati apud hæreticos? Itaque Bellarminus definit perinde esse, *Quid si quis intendat facere, quod facit aliqua Ecclesia particularis, & falsa: & intendat non facere, quod facit Ecclesia Romana? Respondeo id etiam sufficere.* Non satis considerate. Nulli enim essent hæretici rebaptizandi: contra quam de Paulianistis sancitum Nicæni Concilij canone penultimo Sed & Thomas art. 10. quæst. 64. part. 2. Ecclesiæ intentionem rectam dicit esse: & ministrum conformantem se huic intentioni, perficere Sacramentum.

IX. In eo quod facit Ecclesia, varius distinctionum lusus. Primo, distractus est effectus à fine: vt scilicet aliud sit id quod facit Ecclesia, & finis propter quem id facit. Post, effectus consideratus materialiter vel formaliter. Materialiter in nuda aspersione aquæ, nudaque pronuntiatione verborum. Formaliter, cum ita aspergitur aqua, & pronuntiantur verba, vt simul intendatur Sacramentum.

X. Fuere igitur, teste Suare, qui dicerent ad perficiendum Sacramentum, requiri quidem voluntatem faciendi actiones illas externas lauandi & proferendi verba: negarent tamen præter hanc voluntatem esse necessariam intentionem faciendi Sacramentum. Etsi minister velit debita verba proferre super debita materia, etiam si decipiendi, vel illudendi causa faciat, futurum validum Sacramentum. Et habuerunt iam olim exemplum Athanasij, à qu

à quo puero per luſum baptizatos quoſdam Alexander Epiſcopus cenſuit legitime baptizatos; recitante Sozomeno lib. 2. cap. 16. & Rufino cap. 14. libr. 1. hiſtoriæ. Quod ſignum eſt, inquit Suares, fuiſſe iudicatum à Patribus, ad veritatem Baptiſmi, nihil aliud eſſe neceſſarium, præter externam ablutionem & formam.

XI. Sed hoc negant hodie ſufficere: Suares, *Dicendum eſt ad faciendum Sacramentum non ſufficere externam effectionem ceremoniæ ſenſibilis, nec voluntatem efficiendi illam actionem, quaſi materialem; ſed requiri intentionem faciendi Sacramentum.* Bellarminus, *Neque tamen volumus à Concilio definitum, id quod vult Catharinus, & quod Kemnitius vellet, nimirum, vt ſolum intendat Miniſter facere actum externum, quem Eccleſia facit.*

XII. Eſto ſane. Sed ſi non ſufficit actus ille externus, id eſt, materialiter: videbatur alterum membrum neceſſarium, nempe vt eſſet in intentione formaliter. Aſſeruntne? Exiliter & circunciſe. Vaſques, *Veratamen, & me quidem iudice catholica ſententia in prædictis Conciliis expreſſe definita eſt, talem intentionem interiorem Miniſtri ad Sacramenti veritatem neceſſariam eſſe, vt ipſe velit rebus & verbis facere id, quod facit Eccleſia, non ſolum, vt dici ſolet, materialiter, ſed etiam aliquo modo formaliter.* Viden? non formaliter: ſed aliquo modo formaliter? Hoc poſtea explicat, multis modis hanc non formalem, ſed aliquo modo formalem intentionem haberi. Si quis vtatur iis rebus, iiſque verbis, eodem modo quo Eccleſia vniuerſalis, ſciens ipſe quid hæc ſit. Si eodem modo, quo vidit aliquam Eccleſiam vti, aut aliquem Parochum. Si tanquam ceremoniis religioſis, quibus aliquem, & aliquos nouit vti ſolitos. Denique, *Qui omnino ignoraret*, inquit, *res & verba Sacramentorum, apud vllam nationem, aut perſonam eſſe pro ceremonia religionis, etiamſi eadem verba proferret, & res adhiberet, quia hoc tantum ſimpliciter facere didiciſſet ex alio fine, nullum prorſus conficeret Sacramentum.*

XIII. De fine Sacramenti, Chemnitium Bellarminus accuſat calumniæ, quaſi negarent Papiſtæ ratum eſſe Sacramentum, niſi miniſter intendat non ſolum actum, ſed etiam finem Sacramenti; id eſt, illud propter quod Sacramentum eſt inſtitutum. Atque id tam confidenter, tam rotunde pronuntiat eſſe mendacium, quam ſi non tantum Concilium Tridentinum, ſed ne vllus quidem Papiſtici gregis ſophiſta finem nominaſſet. Quem nec ipſe dignatur vel verbo indicare. Atqui Gregorius de Valentia, *Quarto, neceſſarium eſſe dicimus, vt hæc intentio pertineat & referatur aliqua ratione, non modo ad ipſam operationem Sacramentalem externam, ſed etiam ad effectum, ſeu finem illius. Hanc conditionem eſſe prorſus neceſſariam, recte inter cæteros animaduertit Scotus in quartum, diſtinctione prima, quæſtione quinta, articulo octauo.* Non ergo merum mendacium erat Chemnitij? Viderint alii, quid ſit Bellarmini.

XIV. Sed certe recurrit morbus. Non formaliter paulo ante, ſed aiebant aliquo modo formaliter. Sic nunc non ſimpliciter referatur: ſed aliqua ratione referatur. Adeo ſuper ſpinis gradiuntur. Sed illud, aliqua ratione, quid eſt? Apud Vaſquen lego, *Vt neceſſaria ſit hæc intentio, non expreſſa circa effectum Sacramenti, ſed implicita ſaltem.* Ain tu implicitam? Quomodo? Nimirum vt contineatur in alia quadam intentione, vt velit aliquis tingere quomodo vidit Parochum neſcio quem tingentem. Nam is, quanquam neſciat, quid ſit Sacramentum, aut quorſum: tamen quia vult facere id, quod videt Parochum facientem, habet implicitam intentionem eiuſdem rei, quam Parochus habebat, fortaſſe, explicitam. Quod ſi ne Parochus quidem explicitam habuerit; tum mira ſeries implicabitur implicatarum intentionum, in infinitum, vnde explicandi ſe non ſit futurus facilis labor.

XV. Sed effectum finemve Sacramenti diſtinguunt propinquum, & remotum. Illum, characteris impreſſionem, ſiue Chriſtianum facere. Hunc juſtificationem. De remoto facile negotium. Negant enim omnes neceſſe eſſe eo ferri intentionem. Non ſic ad propinquum: ſed turbant adeo vt cum aliquid videantur voluiſſe dicere, nihil tamen dicant. Vaſques, *Scotus dixit neceſſarium eſſe intentionem proximi finis Sacramenti non autem remoti, videlicet iuſtificationis: finem vero proximum dicit eſſe fieri Chriſtianum.* Magnum verborum vides motum. Sed rerum quantum? Attende Vaſquen, *Hoc vt verum ſit, intelligi debet, ſicut ex mente Gabrielis ſupra explicuimus. Nam in ea intentione adminiſtrandi Baptiſmum, non tantum vt res naturalis eſt, ſed vt eſt ceremonia quædam religioſa, includitur alia, faciendi nimirum hominem Chriſtianum, & iuſtificandi eum. Intentio autem faciendi Chriſtianum non neceſſario debet eſſe expreſſa, ſed ſatis eſt, eam virtute contineri in alia, quam diximus.* Suaren attende, *In rigore intentio effectus Sacramentalis propria, & vt diſtinguitur ab intentione Sacramenti, non eſt neceſſaria ad perfectionem Sacramenti, imo neque ad eius effectum.* Et paulo poſt. *Per Sacramentalem effectum, non eſt neceſſarium intelligere gratiam vel characterem, ſed ipſum eſſe Sacramenti, quod eſt effectus Miniſtri. Itaque intendere Sacramentalem effectum, nihil aliud eſt, quam intendere conſtitutionem Sacramenti, actione ipſius Miniſtri perficiendam.* O præſtigias. Sacramentum oportet intendi formaliter: ſed aliqua ratione tamen ſatis eſt: nimirum intentione implicita; hoc eſt, quæ contineatur in alia aliqua intentione. Poſt, intentio finis Sacramenti neceſſaria eſt; at non finis remoti, ſed propinqui. Nunc intentio finis Sacramenti, eſt Sacramenti ipſius. ὦ ἵλεω ἐςὶ σοφιςαὶ σοφιςικώτατοι! Quorſum tot ambages? Aut cur diſtingui oportuit finem remotum, à fine propinquo? Si omnia redeunt in ipſum eſſe Sacramenti: id eſt in actum illum formaliter, de quo iam erat tam caute tractatum? Næ ergo non intelligo, quomodo non poſſit remotus finis æque intendi, cum propinquo, in ipſa intentione Sacramenti: per intentionis illud genus, quam implicitam dicitis. Sed nimis nihil viderentur eſſe nugæ, ſi breuiter, ſi perſpicue, ſi non perplexe, ſi non per ambages dicerentur.

XVI. De obiecto ſic docent: & tamen negant ludicrum Baptiſmum eſſe Sacramentum, id eſt Hiſtrionem repræſentantem in ſcena Parochum, baptizare. Quod mihi profecto ſubit mirari. Nam illi quid deeſt quæſo, quominus intentionem habeat, quæ deſcripta eſt: Nam intendit facere, quod Parochus facit; id eſt, non tantum materialiter ablutionem vſurpat, & verba: ſed etiam aliquomodo formaliter; nempe vt ceremoniam ſacram. Ne intentionem quidem non habet proximi finis, ſaltem finis aliquo modo: nempe implicitam: quia videlicet hoc continetur virtualiter in intentione Parochi: Bellarminus, *qui intendit facere*, inquit, *externum actum, ſed non ſerio, is non intendit facere, quod facit Eccleſia, ſed tantum ſimulare.* Imo, inquam, intendere ſerio, nuſquam dictum in tam prolixa diſputatione. Cur hunc demum? Deinde; Quid eſt ſerio intendere? Nam audieram aliquo modo intendere, & implicite intendere: & quid non? In quibus, quid ſerij eſſe poteſt? Denique, cur intendit tantum ſimulare? Nam profecto reapſe abluit, reapſe verba recitat; quæ nulla ſimulatio eſt. Reapſe etiam intendit facere, quod Parochus facit, ideoque quod Eccleſia.

XVII. Sed hactenus obiectum. De gradibus intentionis non indulgentior diſputatio fuit. Diſtinguebatur olim in Habitualem, & Actualem: & ſtatuebatur ſufficere Habitualis. Neque Thomas vlterius inquirebat. Verba articuli 8. quæſt. 64. part. 3. *Licet ille qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti.*

XVIII. Sed Scotus, ne fruſtra ſubtilitatis laudem affectaret, addidit tertiam, quam virtualem dixit; quæſt. 6. in diſtinct. 6. quarti Et obtinuit: neque enim facile patitur Eccleſia Romana perire, ſi quid in hunc modum nugarum inductum eſt. Scotus ſic diſputabat, *Ille dicitur actualiter intendere, qui habet actum elicitum reſpectu eius quod intendit: ille autem dicitur habitualiter intendere, qui habet habitum inclinantem ipſum ad talem actum. Sed aliquis eſt, minus perfecte intendens, quam primo modo: & perfectius, quam ſecundo modo. Ergo eſt medium inter iſta duo membra. Aſſumptum probatur: quod ſi aliquis intendit in principio Miſſæ celebrare Miſſam, ſi poſtea eſt diſtractus, non habet actualem intentionem, quando eſt diſtractus: patet, quum non intelligat tunc illud in actu: nec habet tantum intentionem habitualem: quod talem habet dormiens. Habet ergo ſe medio modo.* Acclamauit tota ſchola. Et Bellarminus nunc, *Non requiritur*, inquit, *neceſſario actualis intentio, nec ſufficit habitualis, ſed virtualis requiritur, & ſufficit; quamuis ſit danda opera, vt actualis habeatur.* Et ſtatim definitionibus ſeparat; ferme ad verbum deſumptis è Scoto.

XIX. In quo quis merito reprehendat ἀμεθοδίαν. Non enim verum eſt, eam quam virtualem dicunt eſſe inter habitualem, & actualem; ſed verum potius pertinere ad habitualem. Quia inter actum & habitum, nihil dari poſſit medium. Fateor habitualem intentionem eſſe poſſe in dormiente: ſed nego propterea hanc intentionem eſſe aliam, ab ea, quam virtualem dicunt: atque adeo nullum Scotus, nullum Bellarminus, nullum quiſquam alius diſcrimen aſſignauit. Aſt ego doceo hanc virtualem quam dicunt, eſſe poſſe etiam in dormiente. Nimirum in eo qui proficiſcatur ad Sanctum Iacobum; (hoc enim illi vtuntur exemplo) & fatigatus labore, ſomnum capiat ad reparandas vires itineri perficiendo. Denique poterat minus inepte; habitualem diſtinguere in dormitiuam; (hoc mihi nunc liceat vti nomine, quando mira ſubtilitas dormientem aſſumit in argumentum) & virtualem: actum demum dicere, virtualem eſſe mediam inter dormitiuam & actualem. Sed illi ſic agunt, quaſi dicerent mulierem mediam eſſe inter hominem & pecudem: cum tamen ſit homo etiam ipſa.

XX. Ex his omnibus theſis tandem colligitur explicandæ Papiſticæ ſententiæ. Ad perfectionem Sacramenti neceſſariam eſſe Miniſtri aliquam intentionem: non illam actualem, quæ hoc agat, ſed aliam virtualem, quæ etſi tunc temporis diuagetur in campos Vtopicos, tamen paulo ante cogitauerit de actu externo materialiter, & aliquo modo formaliter, id eſt, quadam ratione feratur ad finem & effectum Sacramenti, nempe implicite, ſaltem in alia quadam intentione. Hæc arcana ſunt tam operoſæ ſubtilitatis: hic ſcopus tam ſcrupuloſæ diligentiæ.

XXI. Ad noſtram venio ſententiam longe faciliorem, & abſque vllis mæandris. Quia ſcilicet nobis certum, non indulgere vanæ curioſitati: ſed hærere verbo diuinæ inſtitutionis: & quicquid aliunde ſophiſtæ ingerant pro ridiculo habere, & indigno, in quo piorum conſcientias occupemus. Vnde factum, vt ſolus Chemnitius hanc rem fuſius tractauerit, quo examinis ſui inſtituto ſatisfaceret. Caluinus obiter, atque vno fere verbo, dixit ſuper Canone 11. ſeſſionis 7. Tridentinæ, *Ego Sacroſanctæ Chriſti inſtitutione tantum defero, vt ſi Epicurus quiſpiam intus totam actionem ſubſannans, mihi Cœnam ex Chriſti mandato, & ſecundum regulam ab eo datam, rituque legitimo adminiſtret, non dubitem panem & calicem illius manu porrecta, vera mihi eſſe corporis & ſanguinis Chriſti pignora.* Primum nota, ſupponi actum externum conformem inſtitutioni Chriſti; quem etiam Papiſtæ neceſſario ponunt. Huic autem actui opponi Miniſtri intentionem internam: de qua ſcilicet homines neque debeant, neque etiam poſſint iudicare. Vnde ſequitur, reliquis omnibus ſuppoſitis legitimis, quæri vtrum in Sacramento aliquo adminiſtrando, ſi nihil deſit reliquorum, ſola intentio Miniſtri ſuo defectu obſtet perfectioni Sacramenti. De hac igitur ſecuros eſſe iubemus fideles accedentes ad Sacramentum: & ſuam potius inquirere. Nam etſi horrendi ſceleris rei ſibi ſint, qui externo actui ſubducunt ſuum animi ſenſum: tamen non poſſe accedentium fraudari pietatem, in quam nulla vis cuiuſquam ſit alterius hominis.

XXII. Nam quod vnicum poteſt ſcrupulum facere, Baptiſma infantium, quorum nullus eſt tum temporis pietatis ſenſus; ſic ſtatuimus nos quidem, pro eorum intentione, intentionem ſubſtitui parentum deferentium ad Sacramentum. Sic enim dici infantes baptizari, in fide parentum, non in ſua: & ſic pro eis ſolitos parentes reſpondere. Quia videlicet eorum ſit pro iis ſatisfacere, quorum ſunt in poteſtate: vt taceam diſertam promiſſionem, *Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.* Et vt ſint ipſi etiam offerentes non alieni ab Epicuro, tamen diuinam ordinationem potiorem eſſe, quocunque hominum vitio.

XXIII. Huius noſtræ ſententiæ, quod fundamentum eſſe dicunt Vaſques, & alij, nimirum, Sacramenta non eſſe cauſas gratiæ: merum commentum eſt. Nam etſi perſuaſiſſimum habeamus quicquid eſt externi ritus in Sacramentis, nihil per ſe agere in animam, ſiue ad ſalutem, ſiue ad damnationem: tamen hæc nulla noſtra ratio eſt ad hanc diiudicandam cauſam. Enimvero quæſtio eſt, vtrum ſit ea, quæcunque tandem deſcribatur intentio, neceſſaria Sacramento perficiendo. Atqui ſi verum Sacramento non eſſe cauſas gratiæ; aliud erit prorſus quærere perfectionem Sacramentorum, aliud gratiæ effectionem: & poterit Sacramentum eſſe perfectum, etſi non efficiatur gratia: eſſe rurſus imperfectum, etſi illa non efficiatur. Scilicet ſophiſtæ ſibi furfuraceos comminiſcuntur hoſtes; de quibus facile triumphent. Sed ſtatu poſito, videamus quam potenter diſputent.

Cap. XX.

Argumenta Papistica.

I. PRimum aduersariis argumentum apud Thomam. Quæcunque præter intentionem fiunt, sunt casualia: Ast operatio Sacramentorum, non est casualis: Ergo Sacramenta requirunt intentionem Ministri. Hoc argumentum nescio quam ob causam à recentibus nostris sophistis pro neglecto fit habitum.

II. Mirus stupor Angelici doctoris: qui non viderit in seipsum redire hoc quicquid toli est: Dic enim. Nulla operatio Sacramentorum est casualis: At justificatio est operatio Sacramentorum: Ergo iustificatio non est casualis. Perge, Quicquid præter intentionem fit, id est casuale: At iustificatio in Sacramentis, non est casualis: Ergo quid? Non vides Thoma, quid sequatur? an admonendus es? Ergo iustificatio in Sacramentis requirit intentionem Ministri. Atqui hoc ipsum non hodie tantum tui maximi admiratores negant, distinguentes finem remotum à fine propinquo: sed tu ipse præiuisti, art 8. q. 64. Quid ergo? Nempe huc res redit, vt vel concedas aliquam operationem Sacramentorum esse casualem, vel neges aut iustificationem esse operationem Sacramentorum: aut certè quæ fiunt præter intentionem esse casualia. Quæ tu tamen omnia posuisti tanquam vera. Rursus hæreticorum Baptismum ratum esse concedunt Papistæ: Ast inter hæreticos aliqui negant Baptismum quicquam conferre iustificationi. Ergo illi, cum baptizant, nullam habent in intentione iustificationem. Hæc igitur accidit præter eorum intentionem. Ergone casualiter?

III. Sed nodus est facilis. Nihil est casuale absolute, sed tantum relate ad hanc illamve causam. Sic possunt remiges nihil aliud habere in animo, quam remos agitare: qui autem sedet ad clauum cursum moderatur. Itaque quod huc dirigatur cursus potius quam illuc, potest remigibus esse fortuitum: at non sedenti ad clauum. Quare in syllogismo vitium est, quo plus concluditur quam fuit propositum: nam intentio Ministri non fuit in antecedente: sed duntaxat intentio: quæ potest esse vel Ministri, vel suscipientis, vel offerentis: potest denique esse instituentis. Nondum autem probatum est, si fiat præter intentionem Ministri, esse fortuitum propterea.

IV. Neque verò fortuitum dici potest, id quod euenit secundum intentionem sui agentis. In Sacramentorum autem effectibus, quæ in anima fiunt, agens est Deus: non autem Minister. Vnde Baptistes dicebat, se baptizare aqua, Christum autem Spiritu. Et in Canone Missæ Latinæ sic oratur, *Quam oblationem, tu Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij Domini Dei nostri Iesu Christi.* Adde, ne id quidem fortuitum dici posse, quod fit in anima sumentis, secundum intentionem ipsius sumentis. Cum ergo concurrunt & efficientis & patientis intentiones; absurdum est fortuitum id dicere propter defectum eius, qui neque agit quicquam, nec patitur.

V. Secundum argumentum, ab eodem est Thoma, non neglectum à Bellarmino. Sed apud Thomam dilutius. Quando aliquid se habet ad multa, id per aliquid determinandum ad vnum; si hoc effici debeat. Ea verò quæ in Sacramentis aguntur, possunt diuersimode agi: nam ablutio, exempli gratia, ad munditiam, sanitatemque corporis, ad ludum, & multa alia. Ergo ea oportet determinari ad Sacramentalem effectum per intentionem abluentis. Quam intentionem significant verba, Ego te baptizo in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

VI. Sic Thomas: sed peccans primo vt in præcedenti, plura concludens, quam erant proposita. In antecedente enim duntaxat dictum, determinari debere: In conclusione autem; determinari per intentionem Ministri. Deinde falsò sumit, illa verba, *Ego te baptizo*, significare intentionem Ministri: cum significent potius operationem externam, quæ descripta est ab ipsis Papistis, tum applicatione elementi, tum nuncupatione verborum formalium. Nam profecto hæc verba sonant actum præsentem: non ergo intentionem siue habitualem Thomæ; siue virtualem Scoti: quarum neutra actus est.

VII. Bellarminus ergo sic maluit. Sicut certa forma verborum requiritur necessario, vt determinetur in differentia materiæ: ita requiritur aliquid quo determinetur indifferentia formæ. Nam illa verba, Ego te baptizo, & similia, possunt habere varias significationes: Nihil autem fingi potest, quo determinetur hæc indifferentia formæ, nisi intentio Ministri, qui illa verba profert, & cuius est tota actio.

VIII. Imo indifferentiam formæ quis vnquam audiuit. Quod portentum id est in rerum natura? Nam hactenus fuit persuasum, per formam vnum quodque esse id quod est: quod fieri nullo modo potest; si nihil ipsa sit determinatum. Nunc, nisi propitium sit numen, habebimus à Iesuitis formarum formas, & quæ formantur ab illis: ludicro; sed iucundo spectaculo. Sed in hoc ipso argumento, Augustini solenne est apopthegma, & posteris Theologis probatissimum. Si accedat verbum ad elementum, fieri Sacramentum. Nos autem disputamus de efficiendo Sacramento. Nonne consentient, ab eo determinari Sacramentum à quo fit Sacramentum? Si ergo fit à verbis, etiam determinatur à verbis. Et proinde ipsa oportet verba esse determinata. Quare nego hæc verba? *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, esse indeterminata. Et sane aliter Thomas sensit. Nam cum intentione Ministri determinari diceret res alioquin indeterminatas: tum vero addidit eam intentionem significari his verbis. Quod certe fieri nequit, si hæc verba non sint determinata.

IX. Sed baptizo, inquit, varia significat, lauare sordes, refrigerare, sanare: ita est inquam: sed, id baptizandi verbum, non est forma Sacramenti: verum tota oratio. At hæc oratio, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, nunquam significant sordes eluere corporis, aut refrigerare, aut sanare; aut quicquam aliud præter hanc vnam Sacramenti administrationem. Nisi forte in viuos redeat ille, qui niuem nigram malebat appellare.

X. Tertia ratio. Nullus actus voluntarius, & prorsus humanus, est sine intentione relata ad effectum eius quod agitur: At administratio Sacramenti est actus voluntarius & prorsus humanus: Ergo administratio Sacramenti non est sine intentione relata ad effectum. Sumpsi ex Gregorio de Valentia: qui etsi partes non tam artificiosè distinguat, tamen Bellarmino & Suare visus est clarior. Minorem prolixè probant; à præcepto: iussi enim sunt Ministri celebrare Sacramenta: at non iubentur, nisi quatenus id arbitrio & voluntate humana facere possunt.

XI. Respondeo, prolixè concedi minorem. Sed maiorem non esse vniuersaliter veram. Nam agentes sunt in duplici discrimine: alij præcipui, alij instrumentales. Qui præcipui sunt, in iis concedi potest. Sed hi nihil ad disputationem nostram. Constat enim in Sacramentis administrandis, non esse hominem vllum præcipuam causam: atque adeo Ministros appellari. Opponi autem præcipuam causam, & ministrantem, quis tandem ignorat? Qui verò instrumentales sunt agentes, in iis potest esse voluntarius prorsusque humanus actus; sine intentione relata ad finem eius quod agitur. Sic humanus erat & voluntarius actus Caiaphæ, cum dixit expedire vt vnus homo moreretur Nam profecto loqui, actus est & humanus & voluntarius. Et tamen Caiaphas ne cogitabat quidem se ambigua loqui: nedum putauit se loqui de redemptione generis humani. Sic Deus per Absalomi incestum, actum vere humanum & voluntarium, vltus est adulterium Dauidis: quod tamen ne per somnum quidem veniebat in mentem Absalomo. Quid multa colligo? Ipsi Papistæ non negant per Sacramenta effici iustificationem, etsi de iustificatione ne cogitauit quidem vnquam Minister: quem tamen nunc volunt & voluntarium & prorsus humanum opus operari.

XII. Sed huic solutioni ijt obuiam Bellarminus. Tribus modis posse hominem esse instrumentum alicuius agentis: primo secundum sola membra, vt si vtatur eius manu ad aliquid capiendum: secundo, per membra, & potentias sensitiuas; vt si jubeat legere literas: tertio, per membra, per sensus, per rationem: vt cum à rege constituuntur iudices, qui nomine eius ius dicant. In primis & secundis non requiri intentionem: sed in tertiis. In tertiis esse Ministros, probat: quia Matthæi 24. *Quis est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Nam fidelitas & prudentia, significant arbitrium faciendi & non faciendi. Ad Roman. 12. *Qui præest, in solicitudine.* Ad Hebr. 13. *Obedite præpositis.* Sunt ergo præpositi. Denique non determinauit Christus peculiares actiones: sed ait, Ioan 20. *cui remiseretis peccata, remittuntur eis*: adeo vt permissum sit eorum voluntati, soluere & ligare. Porrò; hoc tertium genus instrumentorum, cum fit per voluntatem & intentionem; si hæc tollatur, desinunt esse instrumenta.

XIII. In his varia peccata sunt. Primum tria genera fiunt instrumentorum humanorum, quæ re vera non sunt. Nam illud primum, cum adhibetur manus hominis absque sensibus, ad capiendum, vbi est? aut à quo vsu? Nam ipsum capere in manu, non est nisi à sensu: nisi forte vnum dicis, quem prorsus inuitum vis maior adhibet: quo sensu hominem non puto instrumentum dici posse.

XIV. Secundum peccatum: quod in agendo per sensus, separatur voluntas à sensibus. In patiendo fieri potest: & fit quotidie; vt inuiti audiamus; inuiti videamus: sed in agendo, non putem exemplum dari posse. Itaque nec illud quod selectum legendi, aptum est. Nam legere literas omnino nolentem impossibile est. Est enim is actus rationis, imò & ratiocinationis. Et actus, non elicitus, sed imperatus. Non potest autem intellectus procedere ad vllum actum imperatum sine voluntate. Porrò instrumentum non potest esse in patiendo, sed in agendo: sed hæc tamen peccata, primum, inquam, illud; & hoc secundum, fateor ad hanc controuersiam exigui esse momenti. Nam omnino siue hæc genera sint, siue non sint, fatendum est Ministros Sacramentorum, in iis esse instrumentis, quæ voluntaria sint. Sed moneo apud Chrysostomum, Homil 85. in Ioannem, poni in iis, quæ membra duntaxat conferant, *Pater & Filius, & Spiritus Sanctus omnia dispensat: ὁ δὲ ἱερεὺς τὴν ἑαυτοῦ δεξιὰν γλῶτταν, καὶ τὴν ἑαυτοῦ παρέχει χεῖρα. At Sacerdos suam commendat linguam, suam confert manum.*

XV. Tertium ergo peccatum in eo est, quod instrumenta infinite nominantur; quæ debuerunt contractius. Nullum enim instrumentum est nisi huius, illiusve actionis. Et cum actiones sint aliæ aliis subordinatæ; non est necesse, quod instrumentum est actionis subordinatæ, idem agere in eam cui alia subordinetur. Exempli gratia; subordinatur in agricultura aratio sationi; satio messi. Non est tamen necesse idem esse messis instrumentum, quod sationis: aut sationis, quod arationis. Sic in Ecclesia. Actio externa, est aliquid subordinatum fini Sacramentorum: & potest quod instrumentum erit eius actionis, non esse instrumentum eius finis: nisi quatenus ipsa actio refertur ad eum finem: quomodo arator instrumentum est sationis, instrumentum messis, etiam si in satione, in messe, proprie nihil efficiat.

XVI. Quartum peccatum: quod voluntatem, & intentionem nominet indefinite. Enimvero quancunque voluntatem fatemur esse etiam intentionem: aut certe, si quid subtilioris discriminis sit admittendum: at nullam voluntatem esse absque intentione. Sed vt voluntas, ita intentio varia, prout fertur in varia obiecta. At nos non disputamus indefinite, vtrum in Ministro aliqua debeat esse voluntas; aliqua intentio: sed vtrum hæc intentio, hæc voluntas quæ feratur in finem actionis externæ: & quidem ita debeat adesse, vt si absit, nullum queat esse Sacramentum. At nos dicimus prout instrumenta sunt, sic dicendam esse intentionem. Aratorem oportet habere voluntatem, intentionemque arandi: non itidem serendi, aut metendi. Et vere arare, etsi arandi sibi finem proponat alium, puta, lucrum proprium.

XVII. Fatemur ergo, quæ instrumenta sunt potissimum per voluntatem & intentionem; si tollatur intentio & voluntas, non futura instrumenta. Sed intentionem voluntatemque hanc definimus ex proprio obiecto, cuius gratia, instrumenta sunt. Sic iudicem non esse iudicem, non esse instrumentum regis, si nullam habeat voluntatem iuris dicendi. Nimirum, quia hoc ipsum ius dicere, est illi opus impositum. Sed ab hac intentione, ad intentionem finis, non legitima consequentia est. Sic in hac vniuersali ἀξίᾳ, qui pecunia multa, magistratus gradum sibi compararunt, etsi proprium in iure dicendo: tamen eo ipso quod ius dicunt, instrumenta sunt regia: quamuis rex non ob lucrum illorum magistratus constituerit. Itaq;, etsi

etsi Sacramentorum verus finis sit iustificatio, vt olim Circuncisionis, teste Apostolo: tamen aduersarij fatentur, non esse necessariam Ministro iustificationis intentionem, & nos assentimus: nimirum, quia non iustificationis, sed Sacramenti iustificationis ei sint partes commissæ. Itaque dummodo illas peragat, hæ non possunt non in tuto esse; si cætera omnia adsint.

XVIII. Suares aliter distinxit. Duobus modis intelligi posse negotium aliquod fieri per nuntium, vel ministrum: primo, quando minister tantum est nuntius referens alterius voluntatem: secundo, quando potestas datur huiusmodi Ministro, vt ipse vice alterius, suo tamen iudicio & arbitrio, negotium tractet & transigat, seu perficiat. Illo modo non requiri voluntatem, seu intentionem internuntij; sed solum quasi materialiter concurrere: sed posteriori, omnino requiri. Ministros autem Sacramentorum non esse prioris generis, sed posterioris.

XIX. Sed Suares perit principium. Nam esse Ministros Sacramentorum secundi illius generis negat ipsa thesis: nisi forte sic intelligas, vt eorum sit arbitrium, tradantne, an non tradant Sacramentum, quod nos sane non negemus. Sed quid id ad quæstionem hanc nostram? Supponimus enim Sacramentum celebrari, nimirum, quantum ad vsurpationem attinet tum materiæ tum formæ. Itaque intelligendum esset, sic factos Ministros Sacramentorum; vt permissum esset eorum arbitrio, vtrum sint, an non sint Sacramenta, etiam tum cum celebrantur, vel potius, cum celebrata sunt. Quod nullus sophista probaturus est vnquam. In administranda republica munus est, quod appellant Cancellarij: cuius arbitrium est, addatne, an non addat sigillum regium oblatis literis: sed nemo tamen ab eo pendere dixit, vtrum addita sigilla efficiant ratas literas, an secus: nam id pendet potius ab autoritate regis instituentis: cuius iam interest, non frustra fieri, quod fit eius & nomine & mandato.

XX. Quarta ratio est apud Gregorium de Valentia. Vt Sacramentum sit ratum, necesse omnino est operationem Sacramentalem à Deo institutam, non tantum materialiter, sed prorsus formaliter, secundum illam rationem peculiarem qua diuinitus est instituta, differtque à simili operatione non Sacramentali, cadere in intentionem Ministri. Sed nisi Ministri intentio aliquo modo feratur ad effectum seu finem Sacramenti, non ita operatio Sacramentalis in illam cadet. Ergo. Maiorem confirmat; quia nullum sit Baptismum, si quis intendat tantum lauare, etiam prolatis verbis formæ. Probat minorem. Quia ratio peculiaris, secundum quam est operatio instituta, quaque differt, à simili operatione non Sacramentali, in hoc plane consistit, quod ex institutione diuina ordinatur & valet ad significandum & efficiendum spiritualem in anima effectum. Hic autem ordo & respectus Sacramentalis operationis ad talem effectum, non potest cadere in intentionem Ministri, quin aliquo etiam modo, in eam cadat ille effectus.

XXI. Non materialiter, inquit, sed prorsus formaliter. Quid hoc est? Non enim frustra puto, non dictum formaliter: sed disertius, prorsus formaliter: An igitur, vt comprehendatur quicquid cadit in formam Sacramenti secundum eius institutionem? Esto. Sed hoc posito; miret equidem, si queat quisquã sanus illud concoquere, Nisi Ministri intentio aliquo modo feratur ad effectum seu finem Sacramenti: non posse illud prorsus formaliter consistere. Hoc enim ponit, posse prorsus formaliter id cadere in intentionem Ministri; quod in eam intentionem aliquo modo tantum cadat secundum rationem institutionis. Atqui formalitas si putatur ab hac institutione: profecto non poterit prorsus formaliter cadere in intentionem, nisi quicquid eius institutionis est, cadat in intentionem: aut me quicquid est rationis fallit. Quid ergo? Nempe alterutrum necesse, vel totam formalitatem, non æquare rationem peculiarem, qua diuinitus institutum est Sacramentum, differtque à simili operatione non Sacramentali. Vel non esse omnino necesse operationem Sacramentalem prorsus formaliter cadere in intentionem Ministri. Vtrumuis sufficit ad refutationem argumenti: sed nos formalitatem non possumus aliunde sumere, quam ab institutione. Itaque alterum potius persuasimus esse falsum. Et vero consentiunt aduersarij: qui etsi doceant effectum siue finem Sacramenti, esse iustificationem: tamen Sacramentum volunt perfici, quanquam iustificatio nullo modo veniat in intentionem Ministri.

XXII. Sed negamus etiam maiorem, siue formaliter dicas, siue prorsus formaliter: repetita scilicet hac formalitate ex ratione finis: & dicimus posse esse Baptismum integrum: etiamsi Minister actualem intentionem habeat directe oppositam fini Sacramentorum. Et hanc maiorem tamen ille ponit tanquam extra controuersiam. Quare? Quia, inquit, omnes etiam sectarij iudicarent, non esse ratum Baptismum, si quis tantum intenderet alterum lauare, atque etiam dicere verba formæ, illo duntaxat modo, quo potuisset id fieri, si nunquam institutum fuisset Sacramentum.

XXIII. In quibus verbis. quos sectarios nominet mea non interest. Ego me certe Catholicum profiteor. Sed primum illa absurda est hypothesis, quę supponit, quæ nunquam facta sunt, nunquam futura, cuiusmodi hæc est. si quis lauaret, prolatis iis verbis, eo modo ac si nunquam Sacramentum esset institutum. Potuit certe plenius, eo modo dicere, quo pronuntiari poterant, si nunquam vllus homo creatus fuisset. Nos etsi scimus solemne hunc sophistis morem esse: tamen non amamus nodum in scirpo.

XXIV. Deinde hoc ipsum negamus; nullum esse ratum Baptismum, si eiusmodi ponatur intentio. Duo enim obseruamus, primo intentionem intelligendam Ministri ipsius: secundo intentionem internam, quam notauimus in statu quæstionis. Pronuntiamus ergo: Aliquando ratum esse Baptismum, cum Minister intendit sic lauare. Nimirum, si & nequitiam Ministri supponat perperam agentis, quod tamen vsurpet ex officio: & intentionem rectam accipientis Sacramentum. Tunc vero concedimus esse demum, non tam irritum, quam nullum, si neque ex officio Minister vsurpet, & accipientis nulla adsit intentio: vt cum Lacones in Eurota labant. Quare ni nium sibi de nobis pollicitus est Gregorius.

XXV. Quinta ratio Bellarmini est. Nulla verba practica vim habent efficiendi, sine intentione eius à quo proferuntur. At Verba Sacramentalia sunt verba practica. Ergo non habent vim efficiendi sine intentione eius à quo proferuntur. Probat maiorem; quia cum verba per se & naturaliter non sint operatiua, necesse est, vt tunc solum sint efficacia, cum ab eo dicuntur qui habet potestatem. Itaque Imperia regum, & Iudicum, sunt efficacia; non imperia priuatorum. Sed verba speculatiua, quia totam efficaciam suam habent in significando, à quocunque dicantur, eandem vim habent. Probatur rursus experientia: quia si rex sine intentione, vt somniando, iubeat aliquem occidi, imperium non solet mandari exsequutioni, quia non constat an velit, licet possit iubere.

XXVI. Respondeo, efficaciam dici vel significandi id quod efficitur: vel efficiendi id quod significatur: si à priore efficacia. practica dicas, negatur maior. Nam re vera, quædam verba sic practica, habent vim suam, etiam præter intentionem eius à quo dicuntur. Nimirum, quia distinguendæ sunt personæ. Dicit aliquis à se, vt Imperator: dicit alius ab alio, vt interpres. Si dicat Imperator ipse: tum fatemur necessariam esse intentionem. Sed, si dicat interpres, negamus: & negat ipse Bellarminus, qui agnoscit iisdem verbis eandem significandi vim esse, à quocunque dicantur, etiam à psitaco, vel ab asina Balaam.

XXVII. At si alteram dicas efficientiam, nimirum efficiendi quod significatur, Assumptio negatur. Et ratio negandi, quod nulla omnino verba sint sic effectiua, siue practica. Docuit Augustinus; qui verba nominauit in iis signis, quæ tantum signa sunt: adeo vt iis nemo vtatur nisi ad significandum. Diserta verba; cap. 2. lib. 1. de doct. ina Christ. *Sunt & alia signa quorum omnis vsus in significando est, sicuti sunt verba: nemo enim vtitur verbis, nisi aliquid significandi gratia.* Itaque impostura est, non distinctio verborum in speculatiua, & practica: nunquam nata, nunquam audita, nisi ex quo veritas religionis mutata in superstitionis præstigias.

XXVIII. Et vero, quæ Imperia regum, exempla practicorum indicata sunt, quo iudicio sunt selecta? Nam illa profecto non efficiunt ipsa, id quod significant: sed tantum significant, quod efficiendum sit. Itaque sunt speculatiua: si speculatiua recte dicantur à significatione. Quare etiam dicta cum intentione eius penes quem est autoritas, aliquando tamen carent effectu. Sic in 1. Samuel. cap. 15. etsi imperauerit Deus Sauli, *Percute Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum, atque lactantem, bouem, & ouem, camelum & asinum:* tamen, *Pepercit Saul & omnis populus, Agag & opimis gregibus ouium, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & vniuersis, quæ pulcra erant, nec voluerunt disperdere ea.*

XXIX. Propterea falsum est hæc ipsa imperia, à quocunque dicantur, exigere dicentis intentionem: sed tantum, cum dicuntur ab eo cuius prima est imperandi autoritas: nam si ab instrumento, quo is vtitur, tum nihil est necesse instrumenti intentionem accedere. Nonne enim defetri solent ab instrumentis, quorum nulla esse potest intentio? Testis Lacedæmoniorum σκυβάλη: testes quotidianæ Regum literæ: quæ prorsus inanimatæ, imperia referunt. Nunc autem verba Sacramentalia non ab eo dicuntur, cui ius est primum imperandi, nimirum Deo; sed ab eo cui instrumenti natura est. Itaque etiamsi practica verba essent, tamen vim suam habere possent, nulla addita intentione Ministri.

XXX. Sexta ratio Suaris est, sed nomine congruentiæ cuiusdam, non vero necessitatis. Quia Sacramentum sit ceremonia sacra: pertinet in primis ad eius reuerentiam, vt non fiat ioco, sed ex animo; nec casu, sed ex intentione.

XXXI. Ita est sane, inquam: absit enim, vt quisquam pius aliter sentiat. Sed cum requiri intentionem dicunt aduersarij, necessitatem dicunt, non congruentiam: & talem necessitatem, vt absente ea intentione, non tantum non pro suo merito tractetur Sacramentum, sed omnino nullum sit. At qui nos simili argumento dicimus congruum esse in intentionem venire, quicquid est de ratione Sacramenti: quomodo non dubitem, & primum Apostolos, & post omnes fideles pastores, cum baptizarunt; non tantum spiritualiter, aut virtualiter; sed etiam actualiter cogitasse de iustificatione per Baptismum impartienda. Sic Act 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Et 22. *Baptizare, & ablue peccata tua.* Nec dubitamus nos similiter deb. re omnes: & qui non faciant, tantundem peccare. Verum longe aliud est de officio Ministri agere, aliud de efficacia Baptismi disputare: Nos in hoc sumus.

XXXII. Septima ratio Bellarmini est à tribus absurdis. Primo, si parens filium duceret ad balnea, & mergendo diceret *In nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, inuocans Deum, vt bene cederet lotio, tunc verus Baptismus esset. Secundo, si in mensa legeret Sacerdos, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*; iam totus panis, & totum vinum esset consecratum. Tertio, si quis ancillæ diceret, *Accipio te in meam*, intelligens ancillam: & ancilla responderet, *Accipio te in meum*, scilicet herum: tum esset verum coniugium. Hæc omnia ponit ita futura: si non sit necessaria intentio.

XXXIII. Respondeo, nullam hanc esse consequentiam: neque vlla vel verisimili coniectura fulciri. Enimvero supposuimus in statu quæstionis externum actum legitimum; vt in ambiguo esset sola interna Ministri intentio. Ast in his absurdis, nullus est externus actus legitimus. In primo & postremo, nullus Minister, sed priuatus homo, priuatam actionem exercens, absque vllo mandato, imperiove Dei. Quo quid ridiculum magis? In tertio etiam neque Minister, neque qui Ministri locum vllum teneat: sed tantum eæ personæ quæ Sacramentum acciperent, si tamen Matrimonium esset Sacramentum. In secundo Sacerdotem audio nominatum: sed Sacerdotis video nihil præter nomen. Nam quid Sacerdos ad mensam? Non enim illam quam Paulus appellat mensam Domini: sed vulgarem, & quotidianam conuiuiorum, in quam ne quidem, si omnem intentionem conferat, tamen Sacramentum conficiat. Enimvero Paulus de similibus Sacerdotibus mensariis, *Non est Dominicam Cœnam edere*: quanquam etiam intentionem adferrent. Et dicat quisquam in eo Sacramentum esse sine intentione; vbi nullum est, ne quidem cum intentione?

XXXIV. Octauam rationem Bellarminus & Valentianus exhibent ab Augustini autoritate, qui libr. 7. de Baptismo contra Donatistas c. 53. dixit eos habere Baptismum, qui absque sua simulatione, illum & cum aliqua fide, verbis Euangelicis consecratum accipiunt. Hic satis indicari, aliam aliquam intentionem requiri, præter eam quæ pertineat tantum ad ipsum actum. Quomodo? Quia hanc significauit Augustinus, quum dixit, *Verbis Euangelicis consecratum*; intelligens voluntarie, non autem ab inuito aut dormiente. Cum igitur præter huiusmodi consecrationem, aliquam etiam fidem requirat, peculiarem aliam intentionem intelligit, quia

verbum

verbum fidei in hac materia tum ab Augustino, tum ab aliis Patribus vsurpetur pro intentione necessaria, vt à Cypriano, sermone de Cœna Domini. *Ex quo Christus dixit, Hæc est caro mea; & hic meus est sanguis: quotiescunque his verbis, & hac fide idem fit, Sacramentum & holocaustum est.*

XXXV. Respondeo, manifeste sophistas auditoribus illudere; abusos ambiguitate verborum. Quid enim concludunt? Nempe in celebratione Sacramenti necessariam esse aliam intentionem, quam facti solius. Atqui nostra fuit quæstio, non de intentione ἀδιορίστως, sed de intentione Ministri conferentis Sacramentum. Et hanc non concludunt. Dico igitur si eorum omnium, quorum partes sunt in Sacramento, nulla sit alia intentio quam facti, irritum esse Sacramentum. Sed si Ministri nulla sit, nego sequi omnino nullam esse. Nimirum quia accedentium ad Sacramentum adesse potest intentio, quantumcunque ille vel contrarium intendat.

XXXVI. Fidem esse intentionem; nolim equidem negare. Nam illa saltem absque ista esse non potest. Sed bis peccant sophistæ, primum quod nudam intentionem existiment: quæ in hac materia non tantum distinguitur, sed etiam separatur à fide: sic enim ab ipsis Papistis conceditur ad perfectionem Sacramenti non requiri fidem Ministri: cum tamen intentionem contendant necessariam. At non ita nudam intentionem fuisse Augustino in mente, patet, quod addat, eam fidem, si destituatur charitate, non prodesse, ex Paulo, *Si habeam fidem vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Vbi profecto fides longe est aliquid vltra nudam intentionem.

XXXVII. Secundo peccant, cum ἀδιορίστως intentionem substituunt pro fide. Cum tamen Augustinus fidem non dicat Ministri, sed ipsius accipientis Sacramentum à Ministro. Verba diserta, *Nequaquam dubitarem habere eos Baptismum, qui vbicunque, & à quibuscunque illud verbis Euangelicis consecratum sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent.* Audin' loqui de accipientibus? accipientium, inquam, simulatione, accipientium fide? Et statim post. *Vbi autem neque societas vlla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet; sed totum ludicre, & mimice, & ioculariter ageretur.* Quid superest, vt fiat fraus manifesta improbe mutantium contextum verborum, & confundentium, quæ distinxerat Augustinus? Non enim huic dictum, *& cum aliqua fide Verbis Euangelicis consecratum*, vt mentitur Valentinianus. Sed dixit, *Verbis Euangelicis consecratum, & cum aliqua fide acceptum.* Enimvero, qui negamus internam necessariam esse Ministri intentionem: tamen Augustino constantiores asserimus, nulla accedente accipientis fide, siue malis intentione, nullum esse Sacramentum perfectum: neque censemus aliam vllam expectandam reuelationem, præter dominicam institutionem.

Cap. XXI.

Argumenta Catholicorum.

I. NObis non potest esse non breuior disputatio: haud temere assuetis quæstiones agitare tantum curiosas: cuiusmodi hæc sane est: non non necessaria, nisi quantum humani pruritus ingenij sibi ipsi non potest satisfacere, aut vllos limites præscribere modestiæ.

II. Prima ratio est. Nullum personale peccatum Sacerdotis, obstaculum est efficaciæ Sacramentorum, alioquin rite celebratorum. At defectus hic interioris intentionis, peccatum est personale Sacerdotis: Ergo idem defectus non potest obstare efficaciæ Sacramenti alioquin rite celebrati. Maior in promptum: ex antiquis Catholicorum disputationibus aduersus Cyprianum & reliquos, quibus persuasum erat iterandum Baptisma acceptum apud hæreticos. Certe Valentiniani verba hæc sunt, *Docere Augustinum, quod nulla vitia Ministri obstent, quominus Sacramentum sit validum.* Nam quod addit, *modo tamen Minister adhibeat necessariam intentionem*: id vero somnium est sophistæ, non vllum Augustini dictum.

III. Esse autem defectum illum, personalem, per se puto manifestum; siue ex destinata malitia, siue ex obrepente negligentia. Quomodo in aliis partibus ministerij sæpe peccant plurimi, ne omnes dicam. Sic Paulus, negat interesse, siue ficte, siue ex animo prædicetur Euangelium, dum tamen prædicetur. Nempe indicans peccata ista non esse imputanda ipsi Euangelio, quia sint personalia: id est, non ex defectu doctrinæ prædicatæ: supponitur enim prædicata esse legitima: sed circa eam. Quomodo hic præsupponimus dari Baptismum rite: sed circa id quo rite datur, peccari à Ministro, abducente animum ab officio suo.

IV. Denique hanc eandem ratiocinationem habes apud Bellarminum cap. 26. primi de Sacramentis, etsi ad aliam occasionem, *Minister Sacramentorum operatur virtute, & autoritate diuina. Deus autem non aufert à Ministro datam ei potestatem, ob eius peccatum, aut infidelitatem. Ergo.* Quæ certe aut pro nobis nunc valet, aut pro iis partibus non valet, quas Bellarminus tunc tuetur, & recte. Et probat minorem: sic enim appellat; quia autoritas conferendi Sacramenta, non sit gratia gratum faciens, sed gratis data: itaq; non pugnet cum improbitate vitæ, vt simul cum ea esse non possit, *Constat enim*, inquit, *eiusmodi gratias in peccatoribus esse posse, vt patet de Caipha, qui prophetauit, cum tamen esset pessimus*: addo, nec vllam intentionem haberet prophetandi.

V. Secundum argumentum: Si penderet ab intentione Ministri efficacia Baptismi: ergo ipse Minister haberet in se potestatem Baptismi: At non habet hanc potestatem: Ergo neque ab eius intentione pendet illa efficacia. Assumptum manifestum Lombardus cap. 2. distinct. 6. libr. 4. hinc probat Sacramentum Baptismi à bonis, & à malis æque dari, *Quia ministerium tantum habet, non potestatem Baptismi. Quod nouit Ioannes cum vidit columbam descendentem super Christum. Vnde Augustinus. Quid nouerat Ioannes Baptista? Dominum. Quid non nouerat? Potestatem Dominici Baptismi in nullum hominem à Domino transituram: ministerium plane transiturum: potestatem à Domino in neminem: sed ministeriam in bonos & malos.* Chrysostomus Homil. 5. & 80. in Ioannem, ἃ ἐγκεχείρισται ὁ ἱερεύς, θεοῦ μόνου ἐστὶ δωρεῖσθαι, καὶ ὅπουπερ ἂν ἡ ἀνθρωπίνη φθάσῃ φιλοσοφία ἐλάττων τῆς χάριτος ταύτης φαίνεται. *Quicquid concreditum habet Sacerdos, solius Dei donum est: & vbicunque prior occupauerit humana philosophia, inuenitur infra gratiam.* Paulo post. Καὶ τί λέγω τοὺς ἱερεῖς; οὐ τε ἄγγελος ἐργάσασθαι τι δύναται εἰς τὰ δεδομένα παρὰ θεοῦ: ἀλλὰ πατὴρ καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα πάντα οἰκονομεῖ. ὁ δὲ ἱερεὺς τὴν ἑαυτοῦ δανείζει γλῶτταν, καὶ τὴν ἑαυτοῦ παρέχει χεῖρα. *Quid Sacerdotes dico? Ne Angelus quidem, quicquam in his quæ data sunt à Deo, efficere potest: sed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omnia dispensat. Sacerdos & linguam, & manum præbet.*

VI. Consequentia autem non est difficilis. Nam potestas intelligitur, non dispensandi externa signa; hoc enim ministerium est, quod ab Augustino distinguitur à potestate Baptismi: sed dispensatio potius rei per ea signa repræsentatæ, quæ certe non tantum in eo est, vt secundum plus minusve conferatur: sed etiam, vt vel conferatur, vel non. Imo, illa ipsa causa aduersus illos hæreticos desinebat in hanc ipsam, quam habemus disputandam cum Papistis. Qui enim à Ministro sancto dispensatum Baptismum sanctum esse dicebant; & contra, non aliter concipiebant, quam ab vtrisque dari quidem externa signa, sed rem signorum à sanctis solis non ab oppositis. Itaque potestas Baptismi, apud Augustinum, non potest aliud esse, quam conferendi rem vna cum signis, aut negandi.

VII. Tertium argumentum. Si penderet efficacia Baptismi ab interna Ministri intentione, ergo nemo Christianus certus esse posset se esse baptizatum. At absurdissimum posterius: ergo falsum prius. Consequentia patet: quia nemo potest esse certus de ea intentione: quandoquidem nemini cognitum est cor Ministri: cuius scrutatio soli Deo est reseruata. De consequentis absurditate, quorsum disputem? Nam profecto Baptismum instituit Deus, vt sit nobis σφραγὶς τῆς δικαιοσύνης, saltem æquo jure cum circuncisione; quæ ei fuit ἀντίτυπος. Quomodo autem poterit obsignare, si ipsum sit incertum? Imo, quia consentimus vtrinque signa esse efficacia.

VIII. Simile incommodum in altero Sacramento. Sed præsentius, & indignius apud Papistas, propter addiram adorationem. Etenim si nullum sit Sacramentum, manifestissima idololatria futura est, quia adorabitur id, quod nec Deus erit, nec habebit, quicquam diuini. Adde necessitatem, quam dicunt, viatici in articulo mortis.

IX. Respondent aduersarij, geminam esse certitudinem, aliam moralem, aliam infallibilem, sic enim Bellarminus appellat, & Gregorius de Valentia; Metaphysicam Suares appellauit. De Morali negant consequentiam. Nam, inquit, Bellarminus, cum habere intentionem sit facillimum, nulla est causa dubitandi, an Minister habuerit intentionem, nisi aliquo signo exteriori id prodat. De Metaphysica, negant assumptum: quia, inquit, Suares, ad pacandas conscientias sufficit certitudo moralis. Bellarminus addit, cogi etiam nos huic acquiescere: nempe quia baptizemur adhuc infantes, itaque nos baptizatos esse oporteat parentibus credi, qui tamen ipsi decipere queant.

X. Sed nos actum externum distinguimus, ab interna secretaque efficacia Sacramenti. Deinde certitudinem dicimus à notitia metiendam: hanc autem esse Diuinam, vel Moralem. Diuinam, quæ fit ex reuelatione diuina: Moralem vero, quæ fit argumentis humanis: sed huius esse gradus varios: & præcipue aliam esse coniecturalem; aliam indubitatam. Illam, quæ nititur solis coniecturis in vtramque partem disputandis; vtpote, quæ non magis in vnam partem inclinent quam in aliam. Hanc vero, quæ in vnam partem fertur duntaxat: vt quæ sensu nititur experientiaque: neque enim sensus & experientia possunt esse rei non existentis.

XI. His positis, facile dissipatur aduersariorum solutio. Dico igitur in Sacramentis distingui externum actum, ab arcana efficacia. Et istius notitiam oportere esse diuinam. Propterea enim institutionem esse, & prædicari omnibus: quæ nimirum & Verbum Dei reuelans eius voluntatem: vnde certus fit quisque his adhibitis ritibus externis, hos sequi effectus internos. Accedere etiam peculiarem efficaciam Spiritus, animum cuiusque fidelis persuadentis; vt fides & generetur, & foueatur. Hæc tamen certitudo ad hanc rem nostram non pertinet.

XII. Itaque concedo facti externi, de quo nunc proprie quæstio nulla est, certitudinem moralem sufficere. Sed hanc nego à coniecturali notitia esse, quia scilicet coniecturæ sunt in vtramque partem disputabiles. Quare opus esse illa altera notitia, quæ certa sit, & nixa argumentis moraliter certis. Nam oportet effecti interioris certitudinem esse diuinam: at hæc nulla potest esse, nisi posito eius fundamento, nimirum, actione externa: nam sicut nulla esse potest lux solis: non posito sole; nullus calor ignis, non posito igne: sic neque vllus effectus Baptismi, non posito Baptismo: vnde conficitur, si dubium sit Baptismum, nullam esse posse diuinam certitudinem effectus Baptismi.

XIII. Iam vero hæc doctrina de necessitate intentionis, hoc fundamentum pessundat: quia reuocat in dubium vtrum Baptismus vllus sit: quandoquidem ex professo supponat non esse semper Baptismum, etiam cum omnia externa legitime concurrunt. Quare nulla hæc dici potest certitudo moralis: cum ipsa porrigat argumentum in oppositam partem.

XIV. Non est autem similis illa instantia, à baptizatis infantibus. Nam etsi non possint à se ipsis scire adulti se baptizatos: tamen sciunt ea notitia morali, quæ certa dicitur: quia in rebus singularibus, testes etiam Dei mandato admittuntur in argumenta, quibus secure niti possit intellectus noster. Vnde etiam in capitalibus iudiciis statutum est à Deo, reum damnari, vel duobus conuictum testibus. Et in ipso salutis negotio, non aliter Christus acceptus est mundo, quam per testimonium hominum. Enimvero testimonium, argumentum est ab experientia; non ipsius quidem baptizati; sed testium ipsorum.

XV. Sed hi testes, aiunt, possunt decipere. Ita est, inquam: sed si decipiunt, tum factum ipsum reuocant in dubium, hoc est, vtrum sit baptizatus: quo casu nemini dubium est nullam haberi posse certitudinem siue moralem dicas, siue Metaphysicam: quia vt dixi nullus est effectus Baptismi, si nullus Baptismus: nullus autem certe Baptismus, si nullus actus externus. Itaque longe hoc est dissimile, & alienum à re nostra.

XVI. Facile haberi posse intentionem fateor: nec vero quisquam litem de ea mouisset, si tacuisset importuna scholasticorum garrulitas. Sed vt vertatur in dubium, hæc effecit insolentia. Et tanto quidem scrupulo potentiori, quanto certius, nullo vnquam argumento morali de ea intentione

possset

posse constare quicquam certi. Vnde necesse fuit ipsos Papistas in determinanda quæstione, tam late producere intentionis notionem, vt iam vix vlles sit motus exterior circa externas Sacramentorum ceremonias, vt intentio dici non queat: atque adeo dormientis, etsi nominatim excipiant. Docent enim sic interpretandam vt in viatore eunte Hierosolymam; cui eum in tam longo itinere crebro accidat, vt Hierosolymæ ei ne in mentem quidem veniant, tamen habere dicatur intentionem eundi Hierosolymam, quod eam ob causam ei ab initio susceptum sit iter: quod profecto negari non potest in dormientibus.

XVII. Sed hactenus tamen de Baptismo responsum duntaxat. Quid ergo περὶ τῆς ἀρτολαγείας? Neminem vidi, qui animum animaduertit. Et tamen res est non exigui momenti, *Non sum dignus*, aiunt, *vt intres sub tectum meum?* Sic tu quasi certus adesse Christum: qui ipse tibi fingis hypotheses in oppositum? Saltem imitarentur seipsos, *Si es baptizatus*, inquiunt, *Ego te non baptizo, sed si non es baptizatus ego te baptizo.* Cur non in hoc negotio. Si tu Christe non ades, tibi non dico: sin ades, tibi dico; Sed ridiculi sunt idolatriæ: quibus perinde est, sciant, an nesciant suum creatorem adesse: imo adsitne, an absit.

LIBER SECVNDVS.

De

SACRAMENTIS IN GENERE.

Caput Primum.

DE EFFICACIA SACRAMENTORVM PAPISTARVM OPINIONES.

VOCAT nos ordo ad Quæstionem de Efficacia Sacramentorum. In qua tamen agunt Papistæ de iis quæ pertinent ad Nouum Testamentum, & de Veteribus separato capite: quos & nobis certum sequi. In illis agunt tum in genere de efficacia: tum peculiariter de impressione characteris. In priori capite legimus Lindanum Panopliæ libr. 4. initio; Petrum Auratum Parad. 83. Fabricum Leodium, & Ioannem Cochlæum, Ioann. Hofmeisterum in art. Confessionis Augustanæ 13. Alph. Viruesium Philippica 12. Iod. Tiletanum Defensionis Tridentinæ parte altera, quum agit de efficacia & vsu Sacramentorum, Rossensem ad artic. 1 Lutheri, Tapperum in Explicatione art. 1. Louaniensis, Klingium Locorum lib. 4. cap. 1. quatuor. Horantium Locorum Catholic. lib. 7. cap. 2. Dominicum Soto in 4. distinct. 1 quæst. 3 Archangelum Rubeum dist. 1. in 4. Sentent. Thom. Bozium de signis Ecclesiæ libri primi capite vndecimo. Bellarminum de Sacramentis lib. 2. capitibus decem primis. Gregor. de Valentia in Thomam, p. 3. disp. 3. q 3. Suaren de Sacramentis disp. 7. 8. & 9. Vasquen in 3 Thomæ, disp. 131.

II. Legimus & Catholicos, Caluinum Institutionis lib. 4. c 14. Melanchthonem Apologiæ cap. de numero & vsu Sacramentorum. Martyrem Locorum Communium classis 4. cap. 7. Vrsinum veræ doctrinæ de Sacra Cœna cap. 1. Chemnitium Examinis p. 2. ad canones Tridentinos 5. 6. 7. & 8. sess. 7. Sadeelem contra Burdegalenses art. 9. Andream Rinetum in Summa controuersiarum tract. 3. q. 1. Ioan. Scharpium in cursu Theologico de Sacramentis.

III. Diximus alias, vtrinque concedi Sacramenta in signis, non illis vulgaribus, quæ præter exilem nudamque significationem habent nihil: cuiusmodi imagines nobis sunt Cæsarum, Sybillarum: & quæcunque olim in foro Romano. Sed efficacibus. Et efficaciam hanc in eo esse, vt gratia spiritualis, quam significari nemo negat; etiam reapse exhibeatur. Ita opus est: quandoquidem signis externis addita promissio: & hæc quidem diuina. Non posse autem promissio vera, & maxime diuina, non esse efficax. Itaque cum Baptismi promissio, remissionem peccatorum contineat; Eucharistia, communionem corporis & sanguinis Dominici; non potest fieri, vt in Baptismo, in Eucharistia, si modo vsurpentur secundum institutionem, non sit remissio peccatorum, non sit communio corporis & sanguinis Dominici.

IV. Sed hoc cuiusmodi sit efficaciæ genus, longa contentio est. Synodus Tridentina sic definiit anathematismis tribus, nempe 6 7. 8. sess. 7. *Si quis dixerit, Sacramenta Nouæ Legis, non continere gratiam quam significant: aut gratiam ipsam non ponentibus obicem, non conferre, quasi signa tantum externa sint accepta per fidem gratiæ, vel iustitiæ: & notæ quædam professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant; sed aliquando & aliquibus, anathema sit, Si quis dixerit, per ipsa Nouæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam assequendam sufficere, anathema sit.*

V. Audistis Tridentinorum Deorum bruta fulmina. Summa est, Sacramenta Nouæ Legis continere gratiam: dare gratiam: dare semper: dare omnibus non ponentibus obicem: dare ex opere operato. Laconice: vt par fuit tanto fastui. Chemnitius quæstus est, hac tanta breuitate artificiose occultatam immanem rerum molem, imo sententiarum varias pugnas, quibus sese mutuo conficiant Scholastici: quas non fuerit aut otium, aut libido Concilij componere: vnde sic libranda fuerint verba, vt nulla pars sibi præiudicatum fuisse conqueri posset. Quæ prudenti & pridem vsui fuit, cum animosissime Dominicani Franciscanique contenderent de conceptione Virginis: & nunc nuper in famosissima disputatione Dominicanorum Iesuitarumque: olim etiam Monothelitis prohibentibus aut vnam aut duas voluntates dici. Tam molles in suos videlicet, quam in alienos crudeles. Sed nos inquiramus, quid hoc sit mysterij, ne quid nobis imponat. Inquiramus autem tanto diligentius, quanto vehementius de Luthero, Caluinoq; conqueruntur, quasi aliorsum detorserint bonorum virorum verba.

VI. Sacramenta continere gratiam nunquam olim dictum. Itaque Thomas p. 3. q. 62. art. 3. non potuit altius arcessere, quam ab Hugone de S. Victore. Sed tum Thomas, tum Archangelus Rubeus paulo plenius, & Dominicus Soto, esse in alio distingunt, vel vt in causa vniuoca; vel vt in causa instrumentali: vel vt in signo. Ex quibus modis duos tantum posteriore nunc admittendos: primum vero reiiciendum; eo quod non sit in Sacramento gratia secundum vllam formam propriam & permanentem proportionatam ad talem effectum. Quæ explicatio, qua pertinet ad signum, nihil habet, quo reprehendi queat. Quo ad instrumentum vero; necessario differenda, donec audiuerimus, quid de eo aut sentiant Papistæ, aut teneant Catholici.

VII. Conferri gratiam ex opere operato, phrasin esse nouam & à solis autoribus Scholasticis in confesso est. Nam Tapperus fatetur eum sermonem à Patribus non vsurpatum. Et diserte Soto. *Aiunt Sacramenta noua legis ex opere operato gratiam conferre: quod quidem verbum non modo in Sacra Scriptura non extat, verum neque apud antiquos patres reperitur. Quare etsi D. Thomas illius meminerit, quoniam tunc forte illud idioma serpere incipiebat, non tamen quasi ex sua opinione: sed ait, ipsum Sacramentum à quibusdam opus operatum, hic vero in summa illud non vsurpat: est enim verbum barbarum.* Scholastici autem Vasques asserit esse concessum noua vocabula, nouosque loquendi modos inuenire. Quanquam Bellarminus negat vllam nouitatem esse, nisi quod contra regulam Grammaticæ. *operatum* passiue accipiatur. quod tamen ipsum excusat, exemplo illo. 13. ad Hebræos, *Promeretur Deus*: & autoritate Augustini, qui, *Melius est*, inquit, *vt nos reprehendant Grammatici, quam vt non intelligant populi.* Satis acute: nisi nullam nouitatem esse mendaciter diceret: & Grammaticum peccatum frustra excusaret, quod nemo accusarat: nam etsi datum sit: tamen Theologi nostri meminerunt, Aquilarum non esse captare muscas: Quid? quod non bene excusat? Nam sunto sane contemnendæ Grammaticorum leges in gratiam populi: at certe hoc phraseos monstrum, nunquam inductum est in gratiam populi: sed eorum potius, qui tam alte populum dedignantur, vt porcis istis nolint sua mysteria communicare. Itaque nullus populus est in vniuersa Christianitate, qui magis norit illud opus operatum, quam illud hæreticorum Abraxas, aut Hacamot, aut Caulaucan, Saulausan; & similia.

VIII. Quid? quod ne ipsis quidem doctoribus admodum expedita significatio? Certe Vasques, *Scholastici nostri*, inquit, *vtuntur hoc modo loquendi, quem apud neminem ex antiquis inueni explicatum.* Et paulo post, *Quare autem hic modus iustificandi Sacramentorum dicatur ex opere operato, nullus explicat prater recentiores aliquos* Denique, *Et hic est legitimus sensus horum verborum, & vera origo huius modi loquendi, quem hactenus fortasse non inuenies exacte explicatum.* Nempe veteribus sophistis negligentior cura fuit: nouissimis religiosior diligentia. Sed potuitne verisimile videri, nihil nouitatis fuisse, vt pronuntiauit Bellarminus, quando quidem paucis, ante hos nostros diebus factum, vt horum verborum mysteria exacte explicarentur? Et in medio quidem æstu disputationum, non tantū Catholicorum aduersum Papistas: sed etiam in Papistis Sophistarum inter se? Non enim omnium idē sensus. Solent autem in conflictationibus, terminorum explicationes, in quibus aliquid momenti: non in commune constitui, sed à quibusq; in sua præiudicia raptari. Et sic verisimile Vasquen inclinasse ad suum sensum: vel hac coniectura, quod suæ expositionis capita nulla vllo fulciuerit testimonio cuiusquam.

IX. Distinguunt opus operatum, & opus operantis. Opus operatum definiebat Altenstaig, *opus vel signum exterius exhibitum, quod fit ad significandum aliquid, & valet ex institutione & pacto.* Hofmeisterus, *Nihil aliud est opus operatum, nisi veritas verborum Christi: & huius infallibilis promissio, adeoque eiusdem nunquam violanda ordinatio.* Bellarminus, *Est sola illa actio externa, qua Sacramentum dicitur.* Ast opus operantis hodie dupliciter dicunt, nempe tum Ministri conferentis Sacramentum: tum personæ accipientis: sic enim diserte Gregorius de Valentia p. 1. *Non existere*, inquit, *ex nullo opere, vel bono motu hominis operantis, dum vel administrat, vel suscipit Sacramentum.* Vasques etiam, *Ex opere operantis, hoc est, ex opere ipsius qui iustificatur.* Et post, *Non iustificant ratione meriti operis Ministri, qui Sacramentum confert* Bellarminus item, *Non ex merito agentis, vel suscipientis* Et sic recentiores. Prolixius Altenstaig, *Conferunt gratiam ex opere operato, quia ad consequendam gratiam per ea non requiritur secundum Scotum motus bonus interior de congruo sufficiens ad gratiæ infusionem: sed sufficit, quod suscipiens ea non ponat obicem infidelitatis contrariæ voluntati, aut consensus in mortale peccatum commissum, vel committendum.* Idem docet de Orbellis in 4. dist. 1. quæst. 3 §. 7.

X. Sed opus operantis videntur paulo vetustiores contractius intellexisse, duntaxat Ministri. Altenstaig, *Opus operans est motus ipsius agentis interior.*

rior. Et sic Innocentius tertius, qui antiquissimus eorum, qui obseruantur vsi his phrasibus, lib. 4 mysterior. Missę c. 5. *Quamuis igitur opus operans aliquando sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum.* Vnde Vasques, *Non dicitur opus operatum respectu recipientis Sacramentum, quasi ipse illud non efficiat: sed operatum ab alio in se recipiat: sed respectu eius, qui ministrat Sacramentum, dicitur & opus operatum, & opus operantis.* Neque vero possunt recentiores Papistæ, vllum proferre Scholasticum, à quo suam habeant explicationem, quę videlicet complectatur vtrunque & & Ministrum, & suscipientem. Imo Hosius confessionis c. 89. *Opus operans appellare placuit, siue Sacerdotu actionem, quod Antisiodorensi visum est: siue Sacerdotem ipsum sacris operantem: opus autem operatum, rem immolatum.* Vnde mihi argumentum eius quod iam dixi, recentiores sophistas, veterum sophistarum verba interpolare, in suum vsum. Quod hic illis per me sane licet.

XI. Verum, quid ergo significat conferri gratiam ex opere operato, non ex opere operantis? Olim, inquã, definitionem veterum Catholicorum, aduersum Donatistas, & Nouatianos. Nam & mens erat Innocentij, *Non ergo Sacerdotis iniquitas effectum impedit Sacramenti, sicut nec infirmitas medici virtutem medicinæ corrumpit. Quamuis igitur opus operans aliquando sit immundum semper tamen opus operatum est mundum.* Sed & post eum Hosius, loco iam ante notato, *Quid igitur docent cum scribunt Missam ex opere operato valere? Quod aliud, quam non esse personam aut actionem Sacerdotis attendam, verum ipsam, qua præsens est in altari, rem immolatã, ipsum verũ corpus Christi, quod pro nobis traditũ est ipsum verum sanguinẽ Christi qui pro nobis fusus est in remissionem peccatorum nostrorũ? Huius.n.corporis pro nobis traditi, huius sanguinis pro nobis effusi virtute, non autẽ merito Sacerdotis, aut actione fieri, vt cum Deo reconciliationẽ, peccatorum remissionem, & ea qua petimus omnia consequamur.* Itẽ Andr. Fabricius Leodius in 13. art Confessionis Augustanæ. *Agnoscunt Catholici in Sacramentorũ vsu duas actiones concurrere; alteram externam, quã materia præsente Minister foris sensus exhibet: alteram vero intimam, quã Deus occulta vi concurrente secundum eius institutionem, hominis externo ministerio, præcipue perficit & exsequitur. Posteriorem hanc actionem Ecclesiastici doctores, loquutione scholis vsitata, vocant opus operatum, hoc est, opus eiusmodi, quod non tam respicit externam illam functionẽ Ministri, quam institutionem Christi, occultioremq; illam vim, quam Deus aquæ, oleo, pani, cæterisq; rebus, quarum in Sacramentis vsus est, præstat & adhibet. Priorẽ vero Ministri actionẽ vocant opus operantis, hoc est tale, in quo non tam habetur ratio Christi institutionis, virtutisq; diuinæ, qua occulta ratione circa Sacramenta operatur, q̃ qualitatum Ministri exterius suam operam accommodantis.*

XII. Sed recentioribus, excludit non tantum Sacerdotis dignitatem, verum etiam omne suscipientis meritum. Vnde Viruesius. *Hæc opinio eatenus est ab Ecclesia suscepta, quatenus, cum docet, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, omne meritum suscipientis excludit ab efficientia Sacramenti. Ita.n.intelligit non vna Theologorum secta sed vniuersus ordo gratiam Sacramentalem (siue prima sit, qua renouamur, & iustificamur: siue alia, qua prouehimur atq; perficimur) non dari nobis propter merita nostra, sed propter pactum Dei, quod per Christum pepigit cum Ecclesia, & in eiusmodi fœdere atq; pactione dicunt esse sitam Sacramenti vim ad iustificandum, non in meritis suscipientis.* Bellarminus, *Id quod actiue, & proxime, atq; instrumentaliter efficit gratiam iustificationis, sola actio illa externa, qua Sacramentum dicitur: & hæc vocatur opus operatum: ita vt idem sit, Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis, à Deo ad hoc instituta, non ex merito agentis, vel suscipientis.* Greg. de Valentia, *Significant ipsa Sacramenta per se, quatenus sunt operationes quædam ad eum finem diuinitus institutæ, & quatenus ita exercentur, conferre instrumentaliter gratiam. Atque hoc quidem modo loquendi Doctores vsi sunt vt plenius duas res indicarent, qua vtiliter in proposito notari possunt. Vna est, virtutem Sacramentorum ad efficiendam gratiam non existere in vllo opere, vel bono motu hominis operantis, dum vel administrat vel suscipit Sacramentum: sed in ipso Sacramenti opere operato, id est, exercito (vsurpant enim illam vocem passiue) contineri ex institutione diuina. Altera res est, discrimen esse cum gratia huiusmodi confertur extra Sacramentum, & cum confertur in Sacramento.*

XIII. Hactenus isti: admodum plausibiliter: vnde Chemnitius ausus dicere, si ita se res haberet, nihil superfuturum controuersiæ. Nam profecto vtrunque dogma est Catholicum: tum non pendere effecta Sacramentorum à probitate celebrantis: tum nullum adferri meritum à suscipiente: quod nos etiam constanter docemus: non hic tantum: sed in aliis etiam capitibus, quorum est Sophistis magis importuna disputatio. Quid igitur? Saltemne in isto nihil est, quo dissentiant à Catholicis Papistæ? Imo plurimum. Neque enim de nihilo est, quod tã seuere, tum Lutherus, tum Caluinus hanc ipsam ob causam Papistas damnarunt: quos, vt calumniæ possent accusare, sophistæ fundamentum dissimularunt assertionis: quod nobis effodiendum nunc, ne quem tam astuta dissimulatio decipiat.

XIV. Lombardus primus dixit, Sacramentum proprie dici, *quod ita signum est gratiæ Dei, & inuisibilis gratiæ forma, vt ipsius imaginem gerat, & causa existat.* Hinc origo disputandi, quodnam genus cauſæ Sacramentis assignandum. Et disputatum magnis animis, vehementi conatu, itumque in partes, quæ nondum potuerunt coalescere; vt aliquid tandem certi definiretur. Vt nec tantum oportuerit sophistas refutare veteres hæreticos Messalianos, quos Damascenus negare dicit Baptismo animi sordes expiari: sed etiam seipsos mutuis vulneribus conficere. Vnde Vasques, *cum Catholicus*, inquit, *infertus disputabitur.*

XV. Quo loco fraus venit obseruanda eorum, qui cum in vicini oculo festucam perspicacissimi sint videre; in suis trabem mire dissimulatum eunt. Negat Bellarminus controuersiam de modo quo Sacramenta sint causæ, ad fidem pertinere: sufficere enim, esse aliquam in iis virtutem occultam spiritualem: quomodo in miraculis Christi non requirebatur, vt homines qui curandi essent, scirent, in quo genere causę simbria eius sanaret: sed satis erat, vt scirent, & crederent tactum illis simbriæ adferre sanitatem. Cui Vasques accedit. *Ad fidem Catholicam*, inquit, *contra hæreticos solum pertinet, Sacramenta esse causas instrumentarias gratiæ: de modo autem instrumenti controuersia esse potest salua fide inter Catholicos: neq; enim oportet, vt fides, quæ docet Sacramenta esse instrumenta ad productionẽ gratiæ, definiat etiam, quod genus instrumenti illis conueniat.* Nempe hoc genus hominum fidem meritur sui præiudicij decempeda, non vllo certiore canone. Itaque si quid nondum habent apud se constitutum satis, id negant esse de fide: ne videantur inter fidem contendere. quicquid autem nobiscum discrepantiæ est, non potest esse tam exiguum, vt non grauissimo hæreseos nomine veniat in anathema. Esto sane. Nobis enim facile est ab temerariis istis iudicibus prouocare ad Dei tribunal, cui nostra sinceritas est cognita.

XVI. Veruntamen hoc quicquid est controuersiæ in hunc modum recentiores sophistæ dissignare conati sunt. Vt causa sit alia propria, siue vera; alia per accidens, siue sine qua non. Rursus principalis, vel Instrumentaria: Tertio Physica, vel Moralis: Sacramenta omnes asserere esse vere causas; nõ autem per accidens: non principales, sed instrumentarias. Vt Vasques queritur calumniam factam à Caluino, *Præsens controuersia non est*, inquit, *an Sacramẽta sint causæ primariæ gratiæ, vt falso supponit Caluinus. Quis enim vnquam Catholicorum in controuersiam reuocauit, an Sacramenta sint causa primaria, seu principalis? Semper namque inter Theologos controuersia solum fuit, an Sacramenta sint causa instrumentaria gratiæ, & qua ratione.*

XVII. Sed calumniam Caluini traducens suam ipse prodit stupiditatem? Nam Caluinus de principali causa nihil prorsus: ne in ipsis quidem illis verbis, quæ descripta ex §. 17. *Tantum hic quæritur, propriane, & intrinseca, vt loquuntur, virtute operetur Deus an exterius symbolis resignet vices suas.* Enimvero sensus est à Papistis doceri Deum agere, per Sacramentis inditam vim quandã, ac proinde iis inhærentem. Vnde necessariũ, quia Sacramenta Deo intrinseca non sint: agere per vim aliquam sibi extrinsecam, quã tamen, quia manantem aiunt à Deo, non à natura ipsa signorum; ideo Caluinus vsus est ea phrasi, *an externis symbolis resignet vices suas*: quomodo scilicet agit in Republica moderanda Princeps, per inferiores magistratus: qui à se nullam autoritatem habent, sed tantum à rege acceptam, tamen translatam in eos, adeo vt vere iam sit facta extrinseca regi; qui ob eam causam dicitur resignasse partes suas inferioribus illis. At Catholicis contra; agere quidẽ Deum per Sacramenta, tanquam instrumenta: sed vi tamen sibi semper interna & intrinseca, neque à se exeunte in Sacramenta: Qui verus est, & legitimus status huius controuersiæ, vt paulo post constabit.

XVIII. Verum, sunto sane Papistis Sacramenta, Causę instrumentariq. Cuius ergo generis? Physicæne, an morales? Discessio facta est. Nam Suares disp. 9. sect. 1. disputat potuisse à Deo institui physicas: & secunda, de facto institutas, *Secunda*, inquit, *sententia principalis est* (nam oppositam priori loco positam impugnauit,) *Sacramenta esse causas gratiæ, quia per veram actionem physicam concurrunt ad sanctificandos homines.* Quod axioma tripliciter exponi notat: primo, quia efficiant dispositionem aliquam ad gratiam, non vero immediate attingant gratiam ipsam, quam solus Deus efficiat. Secundo, quia efficiant non gratiam ipsam, sed vnionẽ gratiæ cum anima; quo vtroque modo reprobato; *Tertius*, inquit; *modus proprie ac rigorose explicandi hanc sententiam est, Sacramenta efficere gratiam, quia ipsamet actio physica per quam gratia fit, & educitur de potentia obedientiali animæ, vere ac realiter, & physice pendet ab ipsis Sacramentis. Hæc sententia est iam communis in schola D. Thomæ: Et mihi videtur valde consentanea dignitati nostrorum Sacramentorum, & loquutionibus Scripturæ, Conciliorum & Sanctorum, & facillime defendi posse, & ideo non esse ab ea discendendum.* Nec alia mens Bellarmino, cum id quod actiue, proxime instrumentaliter efficiat gratiam iustificationis, dixit esse solam actionem externam.

XIX. Consonat Greg. de Valentia; aliquanto tamen mollius, *Est*, inquit, *nobis defendenda sexta sententia, nempe Sacramenta esse veras causas qualitatis gratiæ non principales, sed instrumentales: hoc ipso videlicet, quod Deus illis vtitur ad productionem illius effectus, qui est gratia, tametsi supra naturam seu efficacitatem naturalem illorum. Quo fit, vt censeri is nobis possint instrumenta gratiæ quasi physica, id est, quæ ad productionem gratiæ præuio quodam modo conferant, hoc ipso, quod sic exercentur, & vsurpantur ad eam rem diuinitus: sed tamen supernaturalia, non naturalia instrumenta sunt, quia scilicet non aliquid præuium & antecedens vi sua præstent, quod sit ex natura rei proportionatum cum effectu principali, qui est gratia: sed aliquid tamen præuium & antecedens efficiunt, ad quod supernaturaliter ex institutione diuina sequitur effectus principalis, qui est gratia.* Vasques ipsammet actionem physicam per quam gratia fit, vere, realiter pendere dicebat à Sacramentis. Valentianus duntaxat aliquid præuium ad quod sequatur gratia.

XX. Hæc illi. Sed alij negando, inquit, Suares Sacramenta esse causas physicas gratiæ, docent esse causas morales. Et in his suum nomẽ profitetur Iesuita Vasques, qui c. 3. & 7. disp. 132. proximam serio confutat: postea c. 5. *Confutatis iam aliorum opinionibus, earumq; infirmatis, atq; conuulsis fundamentis, nihil aliud reliquum esse videtur, quam vt dicamus Sacramenta noua legis esse instrumenta Dei ad gratiam producendam; non quidem physica, sed moralia.* Porro explicant, quid hoc genus sit instrumenti, impetratorium appellat; & illustrat exemplo miraculorum factorum ab Apostolis, per preces, siue contactum. Has enim preces, hunc contactum fuisse instrumenta: at non physica; quæ producerẽt ipsa sanitatem corporum, sed moralia quibus ea sanitas impetraretur à Deo. Adde, & humanam Christi naturam, quæ Deitati seruiebat, nec tamen ipsa efficiebat physice. Hanc sententiam censet non recentem esse, neq; popularem, sed perantiquam & grauissimorum Doctorum: imo antiquorum omnium Scholasticorum. Illam alteram de instrumento physico paucis ante se annis inualuisse apud scholas Hispanicas: verum cum qui eam profiterentur in magna varietate essent, multiplicesq; nec parum difficiles modos philosophandi, ad superandas illius difficultates indies excogitarent, factum esse, vt parum firma stabilisque permanserit, paulatimque obsoleuerit.

XXI. Hactenus τρόπον παιδείας recensui recentium Papistarum. Sed scholasticos inuenio simplicius in hoc argumento versatos, thesin proposuisse, vtrum Sacramentorum efficacia, esset à vi quadam eis inhærente, an potius assistente. Paludanus in 4. dist. 1. quæst 1. *Primo quæritur, vtrum Sacramenta non legis causent gratiam dispositiue per virtutem inhærentem.* Durandus, quæst. 4. *Quæritur de efficacia Sacramentorum noua legis, vtrum in eis sit aliqua virtus inhærens causatiua gratiæ, characteris seu ornatus, vel cuiuscunque dispositionis ad gratiam.* De Rubione, quæstione prima, *Quæro vtrum in Sacramentis sit virtus aliqua supernaturalis creata vltra virtutem increatam diuinam eis omnibus assistentem ad effectus ipsorum causaliter operandum.* Fateor tamen non omnes exprimere inhærentem: vt Scotum quæstione 5. *Quæritur vtrum possibile sit in aliquo Sacramento esse aliquam*

aliquam virtutem supernaturalem: & quosdam alios similiter. Sed nihil mutatur tamen; nam virtutem inesse Sacramentis; pro eodem sumptum, quod alij dicere, Sacramentis inhærere.

XXII. Hac igitur thesi posita, absque tam multis distinctionum mæandris; in partes itum est: vt inhærentem gratiam affirmarent alij. Affirmauit Thomas, art. 4. q. 62. p. 3. *Ponendo quod Sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere quod in Sacramento sit quædam virtus instrumentalis gratia ad inducendum Sacramentalem effectum.* Et in his partibus sunt, quicunque loquebantur de instrumento physico: quanquam Vasques existimauit Thomæ aliam mentem esse, & magis ad instrumentum morale. Hanc vim Panigarolla lectionis 10. p. 1. illustrat festiua comparatione, qua Sacramentum simul & signum docet, & causam, *Fingite*, inquit, *animis habere me ferrum ignitum & candens: dicereque, cum primum hoc ferrum in aquam coniecero, ô vos, qui prope non adestis, sed procul rem spectatis, scitote à me tunc calefieri aquam. Certe hoc modo ferrum & signum est, quoniam illus significat aquam calefieri: & similitudinem habet, quia color igneus, candensq; simile est calori, quem conceptura sunt aqua: præterea, efficit: quoniam in se continet, & agit idipsum, q significat & cui simile est. Huius generis Sacramenta sunt.*

XXIII. Pars altera vim inhærentem negat: assistentem ponit. Greg. de Valentia p. 1. q. 3. *Secunda sententia est multorum Catholicorum: Sacramenta nempe gratiam conferre, non quia ipsa producant illo modo illam: sed quia ipsis adhibitis Deus ex pacto & promissione quadam gratiam producat & conferat. Quare quidam ex his vocant Sacramenta causas tantum sine quibus non. Et declarant rem exemplo. Si quis oblato denario plumbeo accipiat ex mandato & ordinatione Principis rem aliquam, qua multo plus valeat, diceremus, denarium plumbeum, rem eiusmodi contulisse illi homini; non quia ipse fuerit causa, cur illa res exhiberetur, sed quia ipso denario oblato, exhibita certo est propter mandatum Principis.* Ab ista sunt Bonauentura, Scotus, Durandus, Ockam, Gabriel, Ricardus, teste eodem Valentino: addo Alliacum, de Rubione, Biel, Petrum de Aquila, Nicolaum de Orbellis.

XXIV. Quid multa? Non tantum de Rubione, *Dicitur*, inquit, *communius & (vt credo) verius, quod nulla est in Sacramentis virtus, nisi tantummodo increata.* Sed etiam Henricus Octauus rex Angliæ in assertione septem Sacramentorum, comparans has sententias, *Ego*, inquit, *vt nescio, vtra via sit verior, ita neutram audeo plane contemnere. Nam & illa ipsa via, cui nunc pauciores assentiunt, non omnino videtur absurda, quod aqua ipsa per verbum occultam habeat animæ purgandæ potentiam.* Vide quantam mutationem fecerit Theologia Papistica a paucis annis: vt quæ tempore huius Regis apud paucos valebat sententia: eadem nunc sit potentior facta. Sed audi Dominicum à Soto, Epilogo operis in 4. Sententiarum, *Omnes fere Theologi, præter Sanctum Thomam, opinati sunt,* Sacramentum *non esse causam, sed solum certa signa.*

XXV. Veruntamen in vtraque sententia recentiores obseruarunt variatum fuisse; cum alij, tum vero diligentius cæteris Vasques, octo enumerans opinionum capita, omnia sibi improbata; & eo digesta ordine, vt initio facto ab iis qui minimum Sacramentis tribuunt, in iis desinat qui plurimum. Primo loco eos esse, qui gratiam contineri, tanquam medicinam pyxide. Secundo, qui Sacramenta conferre gratiam non ratione sui, sed orationem additarum, siue à Ministro, siue ab Ecclesia: Tertio, qui causas, siue conditiones, sine quibus non conferat gratiam Deus. Quarto, qui peculiarem assistẽtiam Dei; atque ideo operationem; quasi cum Deitas coniuncta humanitati operabatur miracula. Quinto; qui non gratiam, sed proximam dispositionem causari ab assistentia diuina propter verbum & promissionem. Sexto, qui Physice, produci qualitatem quandam præuiam, siue is ornatus quidam sit, siue character. Septimo, qui Sacramentum non attingere prõxime productionem gratiæ, sed tantum efficere, vt homo recipiens sit gratus Deo: ex quo sequi, Deum concreare ipsam gratiam: id est, Sacramenta efficere, vt gratia illa quam tunc creet Deus, vniatur recipienti Sacramentum. Octauo denique, qui ipsam gratiam physice produci à Sacramentis. His omnibus improbatis tandem nona sententia est, Sacramenta esse instrumenta moralia producendæ gratiæ.

XXVI. Hæc varietas obseruanda fuit; ex qua constat, primo ludere inter se Papistas in capitibus fidei; neque tendere in eundem finem; sed singulis suas placere somniationes. Secundo, dum inter se ludunt, tyrannice aliis velle dominari; quibus neque sentire, neque vero etiam loqui fas sit; nisi ex eorum præscripto. Nam quantacunque illa sit diuersitas, tamen negatur pertinere ad fidem, aut propterea vllum errare: cum contra in nos nulla satis sint anathemata. Tertio, recentem esse Scholasticorum curiositatem: qui non contenti simplicitate veterum Christianorum, dum nollent sibi nihil esse non exacte cognitum, non subtiliter definitum, miris ambagibus, tum seipsos implicarunt, tum aliis imposuerunt.

CAP. II.

Sententia Catholicorum.

I. CAtholicis contra propositum, neque recentis quicquam commenti admittere, neque adeo; quantum fieri potest, recedere à veteri verborum simplicitate. Itaque primum, quicunque Sacramenta dixerunt nihil efficere, siue ij Messaliani fuere, siue Armeni, siue Anabaptistæ, siue alio quocunque nomine; cum iis profitemur nihil habere commune: & sane ita sunt verba Confessionis Gallicæ art. 45. *Credimus adiuncta esse verbo Sacramenta, amplioris confirmationis causa, nimirum vt sint gratiæ diuinæ pignora, & tesseræ, quibus infirmæ & rudi fidei nostræ subueniantur. Fatemur enim talia esse signa hæc exteriora, vt Deus per illa, Sancti sui Spiritus virtute, operetur, ne quicquam ibi frustra nobis significetur. Arbitramur tamen omnem illorum substantiam, & veritatem esse in Christo Iesu, à quo si separentur; nihil sint quã inanes vmbræ & fumi.* Et 38. *Credimus, sicut antea dictum est, tam in Cœna, quam in Baptismo, Deum nobis reipsa, id est, vere & efficaciter donare quicquid ibi Sacramentaliter figurat, ac proinde cum signis coniungimus veram possessionem ac fruitionem eius rei, qua ibi nobis offertur.*

II. Hæc, breuiter dicta, necesse est paulo plenius explicari. Nam Papistæ,

vt sunt in calumniam procliues, etiam bona verba rapiunt in deterius: imo bonis verbis fidem nolunt adhiberi. Inde enim Bellarmino, Gregorio de Valentia, Vasquidictum, Sectarios huius temporis (sic enim solent Catholicos designare) verbis magnifice videri de efficacia Sacramentorum dicere; & concedere per ipsa offerri exhiberique gratiam: imo esse causas gratiæ instrumentales: sed negare tamen, secundum vllam veram rationem causæ, conferre gratiam.

III. Primum ergo docemus Sacramenta esse partem externi ministerij gratiæ, quo Deus vti voluit ad prmouendam salutem humanam. Ideo diserte in confessione dictum, *adiuncta esse verbo Sacramenta.* Et vero res ipsa contestatur: Sacramenta demandata esse hominibus peragenda. At hominũ nullas esse in salutis negotio, nisi ministerij partes, ne Papistæ quidẽ dicant.

IV. Sed enim in vniuerso ministerio distinguimus vsum legitimum ab illegitimo, metiendumque, tum à personis, tum à rebus externis: personas esse alias ministrantes, alias recipientes. Res enim posse & alias vsurpari: & aliter. Porrò Sacramentorum efficaciam, quamcunque tandem dicas metiendam ex vsu legitimo: adeo vt non tantum ea signa, siue ritus adhibeantur, qui instituti sunt, sed etiam sic administrentur, vt instituti: neque aliter recipiantur. Sed quia tum de signis dictum, tum de ministrantis partibus; quod satis; nunc ratio habenda excipientium: quos distingui in fideles & infideles: siue bonos & malos, manifestum est.

V. Dicimus ergo semper efficacia esse Sacramenta; imo vniuersum Euangelij ministerium sed aliter in infidelibus; in fidelibus autem aliter. Nam vt de Euangelio dictum, esse aliis odorem vitæ: aliis vero odorem mortis: sic de Eucharistia, non tantum, *Poculum benedictionis cui benedicimus, communio sanguinis Christi est: panis quem frangimus communio corporis Christi est:* sed etiam, *Quisquis ederit panem hunc, & biberit hoc poculum Domini indigne, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini. Nam qui edit, & bibit indigne, damnationem sibi ipsi edit & bibit:* Effectum ergo, vt totius ministerij, sic Sacramenti esse, infidelium quidem damnationem, sed fidelium salutem.

VI Damnationem tamen ab abusu: salutem ab vsu legitimo. Et quia abusus semper est præter, vel etiam contra cuiusque rei naturam: ideoque non solent abusus effecta imputari rei ipsi: Propterea facile agnosci vsus proprie Sacramentorum vsum, esse salutarem, proinde dare gratiam: vnde Paulo dictum, *poculum cui benedicimus esse communionem corporis:* & Christus ipse, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.* & alibi: ad Romanos sexto, *quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, sepulti sumus vna cum eo:* & ad Gal. 3. *Quicunq; in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quapropter in hac controuersia, nihil absurdi est constitui gratiam Sacramenti effectum.

VII. Sed contrahenda tamen Thesis: vt non sit infinita: Sacramenta efficere gratiam, tantum in fidelibus. Quod ex parte agnouerunt Papistæ: cum addiderunt, non ponentibus obicem: id est, sic enim interpretantur, non habentibus actualem voluntatem oppositam Sacramento: vt; si quis apud se statuat, nolle baptizari: vel inter baptizandum, nolle credere in Deum Patrem, Filium, Spiritum Sanctum: vel nolle peccato mortali renuntiare. Tunc enim fatentur nullam effici gratiam. Imo recentiores negant se per opus operatum negare necessitatem boni motus, siue fidei in recipiente adulto: cum tamen paulo vetustiores scholastici nonnulli, non dubitarint asserere nullum requiri bonum motum, sed tantum nullum obicem: quod Caluinus vehementer improbauit.

VIII. Docent ergo Catholici in Sacramentorum perceptione effici gratiam infidelibus: atque hactenus Sacramenta dicenda efficacia. Neque inuiti audiunt à Gregorio de Valentia, *Dubitari non debet, quin per aliquem tandem modum, quicunque ille sit, Sacramenta omnino sint causa conferentes gratiam.* Et sane Caluini verba hæc sunt, §. 17. *Præstat igitur vere Deus, quicquid signis promittit ac figurat: nec effectu suo carent signa, vt verax & fidelis probetur eorum autor.*

IX Sed & docent hanc, quæcunq; tandem sit, efficaciam esse non principalem: verum instrumẽtalem. Nam principem locum assignari quis putet, nisi qui Deum prorsus ignoret? Itaque Caluinus, *Fixum maneat,* inquit, *non esse alias Sacramentorum, quam verbi Dei partes.* Et Confessio Gallica, *Deus per illa Sancti sui Spiritus virtute operatur.* Certe non potest agnosci Deus operari per Sacramenta: si negentur Sacramenta esse Dei instrumenta.

X. Sed enim in iis profitemur nostrum nomen: qui negent vllam esse ipsis Sacramentis, id est, signis vim inditam, siue inhærentem, quæ vel in gratiam agat, vel in qualitatem vllam animæ: siue ornatum dicas, siue characterem, siue quicquam simile. Itaq; adsistentem vim diuinam libenter agnoscimus: Caluinus, *Spiritus Sanctus (quem non omnibus promiscue Sacramenta adeuehunt, sed quem Dominus peculiariter suis confert) is est, qui Dei gratias secum affert: qui dat Sacramentis in nobis locum, qui efficit vt fructificent. Quanquã autem Deum ipsum præsentissima Spiritus sui virtute, sua institutioni adesse non inficiamur, ne infructuosa sit & inanis, quam ordinauit, Sacramentorum administratio: interiorem tamen Spiritus gratiam, vt ab externo ministerio distincta est, seorsum reputandam, & cogitandam asserimus. Præstat igitur vere Deus, quicquid signis promittit ac figurat: nec effectu suo carent signa, vt verax & fidelis probetur eorum autor. Tantum hic quæritur, propriane, & intrinseca, vt loquuntur, virtute operetur Deus, an externis symbolis resignet suas vices. Nos vero contendimus, quacunque adhibeat organa, primaria eius operationi nihil decedere.*

XI. Quare cum iis sentimus: qui genus illud physicorum instrumentorum penitus respuunt: & moralia malumus: quanquã libenter abstinemus vocabulorum nouitate. Sed tamen, quia id arrisit nonnullis Papistarum: ne nos quidem, qui optaremus quam minimum esse discidiorum, præcise velimus abhorrere. Nam, & res ipsa non est difficilis: si modo velint aduersarij considerare, benignitatem diuinæ maiestatis, accommodantis se captui nostro: vt, quia inter homines, non tantum ad imperitos docendos, frequentissimus sit vsus verborũ: sed etiã ad certitudinem vehementius ingenerandam, variorum signorum verbis additorum: ita voluerit in reb. salutis, quarum non tantum natura sumus imperiti: sed ẽr vehementibus incredulitatis tentationibus obnoxij, vtrumque instrumentorum genus adhibere. *Non dissimili ratione* (inquit Beza, in Confessione, art. 30. c. 4.) *si libeat incomprehensam Dei bonitatem humanis quibusdam similitudinibus adumbrare, hunc morem videmus in plerisq; Iudicum tribunalibus obtinere, vt cum rei cuiuspiam vel dominium, vel possessionẽ alicui attribuerint; quasdam præterea ceremonias*

adhibeant, quibus ille in possessionem mittatur. Ita etiam in ciuilibus contractibus, quamuis publicus tabellio testium nomina adscripserit, & ipse instrumento subscripserit: solet tamen ciuitatis aut principis sigillum apponi, vt prorsus validum & authenticum instrumentum habeatur.

XII. Quæ ratio physica nullo modo dici potest: sed prorsus Ethica: nam ea pars est ciuilis prudentiæ: & efficaciam suam vniuersam debet voluntati, à qua sic institutum, obseruatumque. Sicut ergo sigillum principis vere est, non otiosum sed efficax; nulla tamen sibi indita virtute. sed autoritate duntaxat principis quasi comitante: sic Sacramenta, quę in signis, & signaculis esse negare nullus potest, vel circuncisionis exemplo: etsi nulla in rebus externis vi insita agant in animas hominum, aut in gratiam, quæ in iis quæritur: tamen non desinunt esse instrumenta efficacia, nempe tanquam σημεῖα, καὶ ἀφορισμοί. Denique Bellarminus. Hanc aliter instrumenta moralia definiebat c. 19. secundi de Sacramentis, de potentia characteris Confirmationis, *Notandum*, inquit, *istam potentiam non videri physicam, sed moralem. Non enim character attingit effectum, sed tantum operari dicitur, quia vbicunq; est character, Deus ex pacto adest, & concurrit ad effectum supernaturalem producendum.*

XIII. Sic docentes Catholici, & Sacramentorum dignitatem, inquit Caluinus, præclare commendant, & vsum aperte indicant, & vtilitatem abunde prædicant, & modum in iis omnibus optimum retinent; vt neq; deferatur illis quicquam quod non oporteat, neque rursus quod illis conuenit detrahatur. Nam peccari alias in alterutrum extremũ obseruant. Detrahunt Sacramentis; qui nihil nisi thesseras dicunt professionis, quod antea nobis improbatum. Neque illi qui causas dicunt per accidens, scopum attingunt. Nam causæ per accidens, vel fortuitæ sunt, vel sine quibus non. Fortuitæ, quibus alius finis cum esset propositus, tamen alius obtigit effectus: vt cum qui fodit vineam, thesaurum inuenit: & qui hostem feriebat occisurus, vomicam aperiens sanauit. At Sacramenta in hoc ipsum instituta sunt: propterea n. dicuntur signa gratiæ: vt circuncisio signũ fœderis. σφραγὶς δικαιοσύνης: Baptismus lauacrum regenerationis: Eucharistia communio corporis & sanguinis Christi. Quę omnia indicant proprium finem Sacramentorum; Neque enim quisquam definiuit, aut vulnus hostile, instrumentum sanitatis: aut fossionem, inueniendi thesauri; nimirum, quia etsi aliquando ita contingat, tamen non ex sui institutione.

XIV. Caussa autem, sine qua non, vel assistit tantum, vel remouet impedimenta. Assistit, quæ hæret causæ agenti, subiectove in quod illa agit: vt lux igni vrenti: vt vas pharmaco: ratio ægroto sanando. Remouet impedimenta; vt lectus, fatigationem noxiam recuperandæ sanitati: sic medicina, vincendo hosti; quia morbum pellit, quo vires corporis minuebantur: Sic ille Sallnatorem fatebatur causam esse Tarenti recepti: quia *si ille non amisisset*, inquiebat, *ego non recepissem.* At Sacramenta in his non esse, rursus eodem docetur argumento: quia cum docetur, quid sint huiusmodi omnia, nunquam exprimitur hoc efficacitatis genus. Nemo vnquam lucem definiuit ex vstione cuiusquam rei: nemo vas vllum, aut lectulum, ex curatione; aut medicinam ex victoria. Cum tamen Sacramenta, vt dixi, omnia definiantur ex gratia. Deinde omnes causæ, sine quibus non: imo omnes causæ per accidens alios habent proprios fines, alia effecta: at Sacramentis præter gratiam nullus finis, nullum effectum est. Denique Sacramenta non remouere impedimentum; ipsa testatur aduersariorum confessio, quæ vult obicem aliunde remoueri: sic enim docent Sacramenta prodesse ex opere operato, nisi ponatur obex.

XV. Itaque obseruanda Papistarum aduersum nos nequitia: cum nos & negant quicquam efficacitatis agnoscere in Sacramentis: & in hæreticis numerant. Cum tamen suos, qui causas per accidens, vel sine quibus non tantum prædicant; numerent inter Catholicos: qui tamen multo minus Sacramentis deferant quam nos. Hæc illis conscientia est.

XVI. Sed his distinctis omnibus tandem controuersiæ status fit perspicuus. Primus enim concessum vtrinque, Sacramenta esse efficacia: Secũdo, eorum vim esse instrumentalem: Tertio, efficaciam dici ratione gratiæ diuinæ, quæ conferatur recipientibus signa. Quare, quęstio hęc superest duntaxat de modo efficaciæ. Sic enim instrumenta sunt: vt alia insitam virtutem habeant: alia minime. Et quæ insitam, vel à natura; vel ab arte. A natura, velut helleborum purgat cerebrum; & eo Medicus sic vtitur: panis alit corpus: & sic nos Deus alit pane. Ab arte, vt ferro artifex addidit aciem, vnde facta securis vtilis secando: & lignis formã, vnde nauis vehendis mercibus. Quædam autem nullam vim habent sibi inhærentem: vt ramus Elisæi educendi securim ex aqua: vt sceptrum Assueri admittendæ ad eum Esterę: vt virga Mosis, secando mari rubro: Et quidem in confesso est Sacramentis nullam esse à natura sua vim inditam. Quare vnum supereſt denique, vt quæratur vtrum Sacramenta sint in iis instrumentis, quæ nullam insitam vim habent: an vero in iis, quæ habent insitam ex arte: nimirum, vt æque animabus ingenerent gratiam diuinam: ne in aqua calorem, ferrum illud ignitum Panigarolię. In illis esse Catholici dicant: negent hodie Papistæ: In istis contra Papistæ dicant, Catholici negent.

CAP. III.

Argumenta Papistica ex Nouo Testamento.

I. PRimum Papistis argumentum ex Matth. 3. Marc. 1 Luc. 3. Ioann. 1. *Ego*, inquit Baptistes, *baptizo vos aqua, ille vos baptizabit Spiritu Sancto.* His verbis, inquit Bellarminus, non est dubium, tantum discrimen inter efficaciam baptismi Ioannis, & baptismi Christi, quantum inter aquam & Spiritum. At baptismus Ioannis efficax erat ad alendam fidem, non minus, quam baptismus Christi: quia erat in eo externa ablutio, & verbum promissionis: nam prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, & simul fidem Mediatoris, vt crederent in eum qui venturus erat.

II. Respondeo, primo falsum esse comparari baptismum, baptismo: sed tantum personam personæ: qua de re tamen plenius agendum erit in loco communi de Baptismo. Itaque ad ea quæ in hanc partem Bellarminus disputat contra Caluinum, supersedeo quicquam dicere. Obseruo tamen, tam procul abfuisse Caluinum, vt ex eo loco quicquam concluderet aduersus efficaciam Sacramentorum, vt contra, notationibus in eum ipsum, hæc adscripserit, *Scriptura quidem interdum hominibus improprie assignat, quod hic vni Christo vendicat Ioannes, & negat in homines competere: sed tunc non expendit, quid per se & seorsim habeat homo: sed simpliciter docet, qua sit vis & vtilitas signorum, & quomodo Deus Spiritu suo per illa operetur.*

III. Secundo igitur, vt interea concedamus, quod imaginantur aduersarij, longum esse discrimen inter baptismum Ioannis & Christi; tantispedum contra disputatum sit: respondeo, vafre subtractum fuisse conclusionem argumenti: Ergo baptismus Christi efficit gratiam ex opere operato siue per qualitatem inhærentem: quam nego ex præmissis educi posse. Concedamus, si placet, baptismum Ioannis non tantum esse alium à Baptismo Christi: sed etiam minus dignum: tamen non sequitur efficaciam aut non fuisse intrinsecam baptismo Ioannis, aut intrinsecam baptismo Christi. Atque adeo Papistæ ipsi docebunt. Nam cum omnium Sacramentorum Noui Testamenti asserant esse vim intrinsecam; tamen Tridentinus Canon disertus est 3. sessionis 6. *Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Cur non ergo potuit baptismus Christi dignior esse illo Ioannis, vt tamen aut neuter, aut vterque haberet inhærentem efficaciam?

IV. Atqui efficax erat ad alendam fidem, non minus quam baptismus Christi. Recte, inquam, assertum: sed nobis, qui itidem asserimus eundem fuisse baptismum Christi. Sed hoc negantibus, falso illud assertum. Cur enim, quando omnibus in confesso, posse plus minusve fidem ali? Alitur enim, prout natura fert intellectus & voluntatis: quam vtramque diximus sedem eius esse. Itaque, quo plus illustratur intellectus, mouetur que voluntas; hoc magis fides ipsa alitur. At Sacramenta Christi multo magis & illustrare, & mouere quis neget? Et potuit per Christum cum promissio fieri certior, tum fides Mediatoris clarius, potentiusque annuntiari.

V. Secundum argumentum: Marci vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* Hic tribuitur Baptismo vis saluandi. At non saluat, nisi iustificando, & abluendo sordes peccatorum.

VI. Respondeo bis peccari. Primum magis sumi, quam demonstrari, iis verbis tribui Baptismo vim saluandi. Nam id certe phrasis ipsa non docet: sed tantum quid iis futurum sit, qui baptizabuntur: quod tamen abunde potest accidere: vt cum Geneseos decimo septimo habes, *Incircunciſus exscindetur è populo suo*: vbi manifestum, significari quid futurum sit incircuncisio: sed nemo tamen tam delirus inuentus, qui docuerit præputio tribui vim vllam exscindendi. Similiter Ester quarto, *Ad quem extenderit rex virgam suam auream, is viuet.* Exodi duodecimo, *quæcunque domus signata erat sanguine agni, præteribat eam Angelus destructor.* Quid plura? Meminerit Sophista, à suis Catholicis, qui Sacramenta dicunt causas, sine quibus non, adferri exemplum eius qui prolato plumbeo nummo multum auri pondus accipiat. Quare sumit Bellarminus, quod aduersus Anabaptistas inutiliter concluderet.

VII. Nos tamen aliunde docti vim Sacramentorum libentes concedimus his verbis eam vim significari: non quod ea sit eius phraseos natura: nam teste Soto (*Exrigore verborum solum affirmatur in Baptismo conferri gratiam*) sed quia ex institutione Sacramentorum explicanda veniat. Quare secundum peccatum notamus, dissimulatam quæstionem: Non fuerat enim vis Baptismi concludenda: sed vis intrinseca, & inhærens signis: deniq; operatio physica. Nam hæc illa est Helena: quam si non retinent, frustra pugnet. Atqui non obtinet. Nam si phrasis nullam vim necessario concludat: multo minus inhærentem?

VIII. Deinde, non dictum duntaxat, *Quicunque baptizatus fuerit*: sed etiam, *Quicunque crediderit*: Quare eadem conclusio erit de fide, ac de Sacramento: nimirum, fidei vim tribui saluandi. Quid ergo? Vimne inhærentem, intrinsecam, agentem in ipsam salutem? Nihil minus: nam nobis quidem iudicibus: nihil est præter causam instrumentalem ad recipiendum. Ne Papistis quidem, præter causam moralem, & disponentem ad iustificationem. Itaque non significauit Christus futurum; ne fides efficiat ipsa ipsam aut salutem, aut iustificationem. Atqui eadem phrasis est de Baptismo. Inutilier ergo sophisticatus est Iesuita.

IX. Tertium argumentum. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hic locus apertè facit Baptismum aquæ, causam nouæ natiuitatis: id enim significat præpositio. *Ex*, vt patet in omnibus similibus loquutionibus Atque hoc argumento oppressum Caluinum, vt negaret agi de Baptismo; notat Vasques: sed & Bellarminus hic eius solutionem exagitat.

X. Atqui de Caluino mentiuntur: qui de hoc loco nusquam disputauit ad istam quæstionem; sed partim contra Anabaptistas negantes pueros baptizandos: vt in Instit. lib. 4. sect. 25. cap. 16. partim contra Baptismi necessitatem; vt commentariis. teste Stapletono, qui Antidotis in eum locum, nihil aliud disputat: cui quæstioni & nos peculiarem locum debemus. Rursus mentiuntur, cum dicunt coactum huc deuenire. Nam ille, etsi testetur sibi potius videri non agi de Baptismo proprie: tamen in vtramque partem soluit: quem Beza sequutus est: & Piscator. Ac sane tum Caluinus, tum omnes Catholici Baptismi efficaciam agnoscunt, vt antea demonstratum.

XI. Quid ergo? Nempe reuocanda in memoriam controuersia. Non vtrum Sacramentum sit aliquomodo causa gratiæ: sed vtrum physica, & per vim inhærentem. Aſt hanc nulla hæc verba concludunt, sed illam duntaxat. Gregor. de Valentia, hoc ipso vtens argumento, *Obseruandum est regenerationem per gratiam vtrique communiter, scilicet Spiritui Sancto & Sacramento, vno & eodem modo, quod quidem attinet ad communem notionem & proprietatem causæ, ascribi: tametsi differentia sit, quod attinet ad peculiarem modum efficiendi.* Sufficit. Nam inde sequitur, non posse concludi, quod est in quæstione: nimirum quia non definitur, quod genus efficaciæ tribuendum sit Sacramento, moralisne, an physicę, inhærentisne, an assistentis: non enim aliter sonant verba, & aliter: cum vnica sit eademque phrasis.

XII. Itaque qui commentati sunt in hæc verba, prouide distinxerunt vim aquæ, vim que Spiritus. Villagudus, *Summa est. Renascentia, siue Baptismus necessarius est ad salutem: qui rite exhibitus, est exhibitio remissionis peccatorum, beneficentiæ Dei recipientis nos in filios, consecratio hominis in gregem*

gem Christi, cooptio in eorum numerum qui Spiritu Dei donati, peccatis cum Domino vere moriuntur, & iustitiæ viuunt: eoque vere mundantur, saluantur, regenerantur, & renouantur, non per externam illam ablutionem, & positionem sordium in carne; sed per spiritum Dei viuificantem, & fouentem nos, nostroq; spiritui testificantem de Dei erga nos beneuolentia. Gorranus, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, supple, Baptismi exterius abluente, & Spiritu Sancto, id est, gratia Spiritus Sancti interius mundante.* Carthusianus, *Nisi quis renatus fuerit, id est, spiritualiter regeneratus in fonte Baptismatis, ex aqua, quæ est materiale elementum corpus lauans, & dispositiue regenerans: & Spiritu Sancto, qui est inuisibilis actor intus mentem purificans, & efficienter regenerans gratiã influendo, quæ est res Sacramenti, & causa formalis intrinseca huius regenerationis.* Lyranus, *Quasi dicat, illa generatio, de qua dixi, sic est intelligenda, inquantũ aqua lauat exterius, & Spiritus Sanctus interius.* Thomas, Cathena, *Cum autem ex duobus homo consistat, ex corpore videlicet & anima; duplicem habet & huiusmodi modum generationis: Aqua enim quæ visibilis est, ad emundationẽ corporis intelligitur: Spiritus vero inuisibiliter concurrens, ad emundationem inuisibilis animæ innuitur.* Et Commentariis, *Oportet eo modo dona spiritualia hominibus conferri, vt ea cognoscant. Naturalis autem modus huius cognitionis est: vt spiritualia per sensibilia cognoscat. Oportuit ergo ad hoc, quod intelligamus id quod spirituale est in hac regeneratione, quod esset in ea aliquid sensibile & materiale, scilicet aqua; per quod intelligamus, quod sicut aqua lauat & purgat corporaliter exterius: ita & per Baptismum* (legendo puto Spiritum) *homo lauatur & purgatur interius spiritualiter.*

XIII. Hi omnes manifesti sunt in nostrã sententiam: qui aquæ vim nullam exprimunt nisi externam, & in corpore: quæ sane non est gratia illa Sacramenti, de qua disputatur nunc: & Spiritui soli tribuunt regenerationem internam, quę est illa noua natiuitas, quam Bellarminus dicebat. Itaque Iansenius c. 20. Concordiæ, hunc ipsum tractans locum, *Signa talia sunt instituta, quæ non solum gratiam hanc significarent; sed etiam conferrent, cooperante scilicet in eis Spiritu Dei. Vt autem sic sint efficacia signa, cum non habeant ex sua natura, habent ex beneplacito instituentis Christi: quemadmodum more solenni annulus, aut purpura missa à principe, signum est efficax inaugurandi aliquem, alicui magistratui, aut autoritati: non quidem ex aliqua vi, quã habeat in ipsis symbolis ex illorum natura; sed ex voluntate principis qui eã ad hoc instituit.*

XIV. Quartem argumentum; ex 2. Actorum, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum.* Et 22. *Baptizare & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.* In his locis tribuitur Baptismo remissio peccatorum.

XV. Eadem ratio cum præcedentibus. Primo, non necessarium, tribui Baptismo remissionem peccatorum. Secundo, multo minus vim inhærentem. Etenim posteriore etiam legis, *Exsurge, & baptizare, & ablue peccata tua*: Vbi tria sunt, quorum primum resecuit Bellarminus. Quid ergo? An quemadmodum interpretatur, *Baptizare & ablue peccata*, tribui Baptismo remissionem peccatorum: sic dicet, τῇ ἀναστάσει tribui Baptismum, & remissionem; siue vim baptizandi, & remittendi: Certe similium similia sunt consequentia: & hic phrases non diuersæ. Quod si absurdum, τῇ ἀναστάσει eam vim tribuere: certe non necessarium Baptismo.

XVI. In altero loco non est obscuri quicquam: *In remissionem peccatorum.* Et sane: sed Marc 1. Baptismus Ioannis similiter dicitur, βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *Baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Et tamen negant omnes Papistæ baptismo Ioannis fuisse vllam vim remissionis peccatorum.

XVII. Itaque optime Caluinus, in hunc locum, *Quia Baptismus sigillum est, quo hoc beneficiũ nobis confirmat, adeoq; arrha & pignus adoptionis nostræ, merito dari nobis in remissionem peccatorum dicitur. Nam quia fide percipimus Christi dona: fidei autẽ confirmandæ & augendæ Baptismus adminiculum est; illi, tanquam inferiori medio, remissio peccatorum, quæ fidei est effectus annectitur.* Sic inquam, Caluinus. Et cur non ex vera perpetuaque natura Baptismi hæc interpretaretur verba: quæ Papistæ sua freti audacia torquent alio?

XVIII. Hanc expositionem Bellarminus & peruertit recitando, & infirmare conatur refutando: Dicere Caluinum, baptizari in remissionem peccatorũ, seu abluere peccata baptismo, nihil esse aliud, nisi accipere testimonium, siue sigillum acceptæ iustificationis, idque ad fidem roborandam & confirmandam. Atqui, inquam, suo marte expressit Bellarminus, quod Caluini verbis debuit potius. Nam hæc quæ substituit, prona sunt in calumniã: quasi in Batismo rem omnem tolleret, relictis nudis (vt calumniari solent) signis. Quæ tamen Caluini sententia nunquam fuit. Quanquam potest etiã non falsus sensus esse, nimirum, vt loquuntur Scholæ, reduplicatiue; baptizari in remissionem, nihil aliud esse, quàm sigillum & arrhabonem accipere remissionis: scilicet, quatenus is Baptismus est, id est, externa ceremonia, corporale signaculum, visibile signum. Nam & qui paulo ante citati autores, haud aliud dicunt; quum distinguunt ablutionem corporis assignatam aquæ; ab regeneratione animæ, quæ propria sit spiritui: nisi quod signaculi, signive nomen non habent.

XIX. Sed disputat, Sacramenta non posse esse sigilla; vel certe falsa sigilla esse, cum non sciat Minister, an ille cui applicat sigillum diuinum, sit vere iustificatus. Item, nouum esse tropum, abluere peccata, id est, accipere sigillum iustificationis acceptæ. Inauditum quippe esse, actionem significatam, poni ad significandum signum: & futurum poni, ad significandum præteritum.

XX. Atqui, vt de priori prius dicam, Paulus Circuncisionem pronuntiat fuisse signum & sigillum iustificationis per fidem, ad Roman. 4. Quid ergo? Sciebantne omnes ij qui circuncidebant infantes, hos esse vere iustificatos? Scilicet Iacob, cum circuncideret Simeonem, & Leui, norat iustificatos, quos postea appellauit, *Vasa iniquitatis*, Gen. 49. Ergo nobis potius certum, efficaciam Sacramenti non pendere ex eo, quod sciat, ignoretve Minister: sed, vt sæpe diximus, ab institutione diuina.

XXI. Nouum & inauditum tropum, cur dixit sanus; qui meminit (nisi consulto oblitus) Sacramenta propter similitudinem, dici idipsum quod significant: Atqui Augustinus epist. 23. *Sæpe ita loquimur, vt pascha propinquante dicamus, crastinam vel perendinam Domini passionem.* Quid? passio Domini quid erat? signumne, an actio: & quidem præterita? Sed quo sensu? *Cum ille*, inquit, *ante tam multos annos passus sit?* Audin, actionem multis annis elapsis, pro ea quę postero die erat agenda? Et inauditum Bellarminus persuadebit tropum? Persuadebit longe vehementius Augustinus, vsitatissimum. *Sæpe ita loquimur.* Et post, *Vt dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed reuolutione temporis similis eius: & dicatur illo die fieri, propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed iam olim factum est.*

XXII. Quintum argumentum. Act. 8. *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur S. Sanctus.* Poster. ad Timoth. 1. *vt resuscites gratiã, quæ est in te per impositionem manuũ mearum.* Quibus locis apertissime impositio manuum asseritur causa gratiæ. Probat, à particula *per*.

XXIII. Impositionem manuum asseri causam gratiæ; negamus. Nihil est enim quod cogat: causam, inquam: cuiusmodi illa est, quæ in disputationem venit. Argumentum à propositione *per*, nullius est momenti. Nam hęc quamcunq; instrumentalem causam denotat: etiam moralẽ: vt cum Bernardus dicebat serm. 1. in Cœna Domini, *Inuestitur Canonicus per librum; Abbas per baculum, Episcopus per baculum, & annulum simul.* Et tibi eandem phrasin, eandem particulam. Et tamen quis nescit nullam esse baculo, annulo, librove vim inhærentem? Quid? quod eodem loco Lucas, vbi dixit per manuum impositionem conferri Spiritum, dixit etiam; putasse Simonem Spiritus donum, διὰ τῶν χρημάτων κτᾶσθαι, *acquiri per pecunias?* Et vero id tritus, quotidianusque sermo habet: etsi verum sit pecunias esse instrumentũ mere morale, in quo nulla sit virtus agendi in rem acquirendam. Amplius dico: Cap 16. ὅραμα διὰ τῆς νυκτὸς ὤφθη: *Visio per noctem ostensa est.* Per noctem, inquit, cum tamen in nocte nulla causa esset: sed tantũ temporis circunstantia: longe minor, quàm instrumenti moralis. Ad Rom 7. peccatum dicitur διὰ τῆς ἐντολῆς ἀποκτεῖναι, *per mandatum occidisse*: Et tamen tanquam occasione inde accepta, ἀφορμὴν λαβοῦσα διὰ τῆς ἐντολῆς. Ad Eph. 2. *Concilians vtrosq; per crucem.* Et tamen crux ipsa reconciliationem non operatur. Multa colligi similia possunt. Vnum addo prior. ad Timoth. 2. σωθήσεται διὰ τῆς τεκνογονίας, *seruabitur per generationem filiorum.* Ergone generatio apertissime asseritur causa gratiæ? Desinant tandem aliquando Sophistæ, φλυαρεῖν.

XXIV. Sextum argumentum: prior. ad Cor. 10. *Vnum corpus multi sumus; omnes qui de vno pane participamus.* Hic participare de vno pane, ponitur pro caussa vnius corporis. Quomodo autem sumus vnum corpus, quia de vno pane participamus, nisi quia panis ille alit & auget vitam huius corporis? Nam in rebus corporalibus, quia idem cibus alit omnia membra eiusdem corporis, ideo rectissime probamus, aliqua membra esse membra eiusdem corporis, si ab eo cibi alantur. Quare si tollas à Sacramento altaris veram causalitatem gratiæ, non poterit probari, quod simus vnum corpus, quia eandem Eucharistiam participamus.

XXV. Respondeo, falsum participationem vnius panis, poni causam vnius corporis. Sufficit enim, argumentum esse vnius corporis: hoc est, vnde probetur vnum esse corpus. Et sic Iustinianus, *Græci Codices habent* οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν: *hoc est, omnes enim ex vno pane participamus, vt planius ratio & causa connexionis explicetur.* Atqui non est necesse vt ratio, causaque connexionis, sit eadẽ causa efficiens connexum: alioqui nulla esset demonstratio à posteriori. Et quidẽ comparatio addita hoc probat. Nam sine dubio in rebus corporalibus rectissime probamus membra esse eiusdem corporis, quia omnia idem cibus alat. Sed falsum est nihilominus eundem cibum efficere eam vnitatem: oportet enim prius esse vnius corporis membra; quam eodem cibo ali. Itaque Caietanus ad hunc locum, *Quod corpus Christi verum communicetur multitudini credentium, ratio affertur ex vnitate mystici corporis Christi, dicendo, quoniam multi sumus vnus panis, vnum corpus. Ita q vnitas inter se fidelium, est ratio quod commune sit per Sacramentum Eucharistiæ verum Christi corpus. Et vere sic est: quia solis illis qui sunt vnum in caritate, communicatur spiritualiter corpus Christi verum.* Quid ergo? Nempe manifeste sophisticum est; concludi causam vnius corporis vnum panem; ex eo quod vnum corpus sint, qui vnum panem participant: quã tamen sophistica consequentia nititur Bellarminus.

XXVI. Illustratur solutio autoritate interpretum: qui in hoc loco non causari, sed significari dicunt vnitatem externo symbolo; per analogiam similitudinis: non vero per efficientiam causæ. Chrysostomus, τί γάρ ἐστιν ὁ ἄρτος; σῶμα Χριστοῦ. τί δὲ γίνονται οἱ μεταλαμβάνοντες; σῶμα Χριστοῦ, οὐχὶ σώματα πολλά, ἀλλὰ σῶμα ἕν. καθάπερ γὰρ ὁ ἄρτος ἐκ πολλῶν συγκείμενος κόκκων ἥνωται, ὡς μηδαμοῦ φαίνεσθαι τοὺς κόκκους, ἀλλ' εἶναι μὲν αὐτούς, ἄδηλον δὲ αὐτῶν εἶναι τὴν διαφορὰν τῇ συναφείᾳ: οὕτω καὶ ἀλλήλοις, καὶ τῷ Χριστῷ συναπτόμεθα. *Quid enim est panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt, qui sumunt: Corpus Christi. Non corpora multa, sed corpus vnum. Sicut enim panis ex multis granis compositus vnitur, adeo vt nusquam grana appareant: sed sint quidem ipsa; eorum autem non conspicua differentia propter compactionem: sic tum alij aliis, tum Christo compingimur.* Augustinus, citante Thoma hunc locum, *Accipite, quia vnus panis, & vnum corpus Ecclesia Christi dicitur, pro eo quod sicut vnus panis ex multis granis, & vnum corpus ex multis membris componitur: sic Ecclesia Christi ex multis fidelibus capite copulatis connectitur.* Apud Bedam idem, *Sic & vinum in multis racemis fuit, & modo vnum est: vnum est in suauitate calicis post pressuram torcularis. Et vos post illa ieiunia, post labores, post humilitatem, post contritionem cordis, iam in nomine Christi, tanquam ad calicem Domini venistis.* Viden in externis elementis, nihil præter nudam significationem; nudam, inquam, analogiam vnitatis? Scilicet acutius Iesuitæ vident; etiam quæ nusquam sunt.

XXVII. Quamobrem illud denique prorsus falsum: si tollas à Sacramento causalitatem gratiæ; non posse probari vnum corpus, quia eandem Eucharistiam participemus. Nam sufficit in eo Sacramento, signum esse vnionis: à signo enim, maxime diuino, efficacissima ducuntur argumenta: vt patet ex ipso Paulo, qui eodem illo capite à variis signis argumentatur: in quibus tamen negant Papistæ vllam fuisse causalitatem gratiæ.

XXVIII. Septimum argumentum simile præcedenti: prior. ad Corint. 12. *Omnes nos in vno spiritu, in vnum corpus baptizari sumus.* Vbi Paulus probat, nos esse vnum corpus, quia per Baptismum accepimus vnum spiritum: quod argumentum nihil efficit, si Baptismus non confert spiritum.

XXIX. Omnia, fateor, similia, parem vbique vanitatem. Non enim quæritur, vtrum Baptismus conferat spiritum: sed quomodo. Hic autem Paulus duntaxat hoc vnum asserit, baptizari nos in vnum spiritum: sed, vi insita signis externis dari spiritum, nusquam dixit. Secundo, ty-

rannis est sophistica; negare vim argumenti: nam re vera optimum est; etiam ab instrumento morali; vt paulo ante dictum.

XXX. Octauum argumentum. Ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam suam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Vbi apertissime dicimur mundari, saluari lauacro aquæ, & per lauacrum: vtrumque autem causam instrumentalem significat.

XXXI. Ita esto, inquam: sed vtrum causam physicam? an potius moralem? vtrum vim insitam? an potius assistentem? Importunum est, eidem luto semper herere: absurdum est de causa præsente tandiu nihil dicere. Atqui nobis nostra sententia in his locis videtur euidens. Non enim simpliciter dictum, quod Bellarminus solum annotat, nos lauacro aquæ saluari: sed quod nos omissum non patimur, Deum saluare, mundare lauacro; nempe vt Deum operantem agnoscamus; virtute sua assistente ei lauacro ad hunc eff ctum. Et sic Caluin"s exponebat.

XXXII. Bellarminus instat Hoc modo per accidens iustificationem coniungi Baptismo; itaque non magis proprie, mundari & saluari per Baptismum, quam per quamlibet aliam actionem quæ tunc fiat.

XXXIII. Per accidens Baptismo? Minime gentium. Nam, quæ destinato consilio fiunt, nunquam dicuntur per accidens. Atqui Baptismus destinato fit & in eum finem, non tantum ab homine ministro: sed maxime à Deo institutore; qui sanciuit sic lauari suos. In rebus humanis sigilla regia non confirmant diplomata per accidens: quia sic instituta. Non annulus matrimonium stringit: non baculus inuestit. Etsi nullis insit vis vlla intrinseca & inhærens: nimirum quia in eos ipsos fines instituta, vsurpata. Nisi forte Bellarminus ipse tantum tribuat ad suæ dignitatis collationem, volatui muscæ; si quæ tum musca volauit, quantum sanguineo suo galero.

XXXIV. Nonum argumentum. 1. Pet. 3. *Nos similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Hinc habetur; primum, nos saluos fieri Baptismo: deinde, saluos fieri simili quodam modo, quo olim tempore Noe pauci quidum salui facti sunt per aquam. Atqui aqua illa vere & efficienter saluauit illos qui erant in arca, videlicet arcam in sublime tollens. Denique distare baptismata Iudæorum, & nostrum: quod illa tollerent carnis sordes, nostrum purificet conscientiam: sicut igitur illa vere tollebant sordes carnis, non tantum significando, sed etiam efficiendo: ita nostrum vere lauat conscientiam, non tantum significando, sed etiam efficiendo.

XXXV. Saluari Baptismo, οὐδεὶς φθόνος. Sed inhærente efficacia, negamus: Et non concludi hoc argumento, iudicabit Vasques: qui quanquam ex professo physicam Sacramentorum vim impugnet, tamen hoc ipso vsus est argumento aduersum eos, quos credidit omnem efficaciam negare: Nempe ergo Anabaptistas, si libet, feriri agnoscant: nos, quo iure? Nisi & qui moralia dicunt instrumenta, damnari velint: quanquam protestati sint hanc controuersiam salua fide Catholica disputari posse.

XXXVI. Sed saluari Baptismo, simili modo, quo olim per aquam, somnium Iesuiticum est, dupliciter peccans. Primo, quod non sit necessarium. Nam in similitudinibus, ac proinde typis omnibus; notum est quaternos terminos comparari; non etiam terminorum rationem. Exempli gratia: Psalmo 45 Epithalamium est Christi & Ecclesiæ in typo Salomonis & filiæ Pharaonis. Similitudo est, sicut Salomon assumpsit sibi filiam Pharaonis; sic sibi Christus Ecclesiam. An similis vtrinque vnionis modus? Rursus: vt filia Pharaonis genuit reges, sic Ecclesia Apostolos: an quia similis vtrinque generatio? Minime gentium. Nunc ergo sicut aqua diluuij seruauit familiam Noe; sic Baptismus Christianos: Esto sane: ac similem vtrinque modum ij concludunt, quibus omnia perinde sunt; vera & falsa: absurda & verisimilia. Nec tam procul recedendum erat. Nam in ipsis singulis Sacramentis sua signa sunt, quorum in confesso est esse similitudinem cum re significata. Nimirum in Baptismo; vt aqua abluit sordes corporis: ita sanguis Christi peccata animæ: vt panis & vinum alimenta sunt corporum; sic caro & sanguis Christi alimenta mentium.

XXXVII. Alterum peccatum. Etsi indefinite dicatur similis quidam modus; tamen vnus aliquis concluditur. Quod argumentum est à genere posito, ad speciem ponendam: quasi diceret, aliquod animal aptum est bello: Ergo lepus, siue ceruus. Non negem sane aliquem modum similem: etsi non conficiatur isto argumento. Dicamus ergo si placet, aquam diluuij saluos fecisse efficaciter: & aquam Baptismi saluos facere efficaciter. Tamen ridiculum est; aqua diluuij saluos fecit physice: ergo physice etiam aqua Baptismi. Alioquin, quid obstaret; quominus eadem licentia quis dicat; aquam diluuij propria naturalique sua vi saluos fecisse, non vlla institutione: nam talem puto fuisse vim eleuandi arcam: Et inde concludat aquam Baptismi similiter propria sua naturalique vi saluos facere? Atqui hoc nemo, opinor, ferre potest: certe non audent Papistæ.

XXXVIII. Quid? quod Petrus monuit diserte? *Non*, inquit, *carnis depositio sordium: sed conscientiæ bonæ interrogatio.* Qua ἐπανορθώσει videtur veritus, ne quis ex eo quod erat dictum, *Saluos facit Baptisma*; deerrandi in somnia Papistica sumeret occasionem; & intelligerent ipsam illam actionem externam, quæ proprie Baptisma est, saluos facere. Itaque monuit; non se Baptisma nominare, quatenus significat externam lotionem, qua sordes carnis deponuntur: sed quatenus internam conscientiæ renouationem; quę scilicet significatur per externam ablutionem; atque adeo eius nomine insignitur, ex mutuo illo signorum significatorumque commercio.

XXXIX. Nam quod Bellarminus voluit comparari baptismum Christi, baptismis Iudaicis; ridiculum est. Nam, *Saluos facit nos*, aiebat Petrus, *Baptisma*. Quodnam? Enimvero magnum operæpretium erat monere non seruari Christianos baptismis Iudaicis. Quis enim vel suspicatus esset; qui ne vsurpari quidem prorsus probe nosset? Itaque Oecumenius σώζει νῦν βάπτισμα· οὐ σαρκὸς ῥύπου ὂν ἀπόθεσις. *Seruat nunc Baptisma; non quod sit depositio sordium carnis.* Caietanus, *Explicat Baptisma: Baptisma enim ablutionem sonat. Et dicit, quod non est sermo de ablutione, quæ est depositio sordium carnis, hoc est, quæ mundat corpus: sed de ablutione cuius effectus est inquisitio conscientiæ.*

CAP. IV.

Argumenta Papistarum ex Veteri Testamento.

I. A Veteri Testamento Bellarminus Vaticinia colligit & figuras. Hæc vaticina Baptismi. Esaiæ 1. *Lauamini & mundi estote*: Interpretantur Hieronymus, Cyrillus, Commentariis in eum locum: Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 1. Theodoretus in Psalmum 50. Basilius oratione de Baptismo, Ezechiel 36 *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouum.* Hieronymus, Theodoretus, in ipsum locum. Cyprianus Epist. 70. & 76. Michææ septimo, *De Baptismi gratia vaticinatur, Proiicies in profundum maris omnia peccata nostra.* Sic enim notauit Hieronymus Epistola 83. cui accedunt Rupertus in eum locum: & Augustinus in Psalmum 113. Zachariæ 13. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Hieronymus & Rupertus.

II. Figuræ sequuntur Baptismi octo: Prima Geneseos 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: testibus Tertulliano libro de Baptismo: Hieronymo Epistola 83. ad Oceanum. Secunda, Geneseos 17. Institutio Circuncisionis, teste Paulo, secundo ad Colossenses. Tertia, Exodi 14. submersio Ægyptiorum: teste Paulo prioris ad Corinthios 10: Cypriano Epistola 76. Augustino in Ioannem tractatu 11. & 13. Hieronymo Epistola 83. Quarta, Numerorum 19. aqua lustrationis; Augustino super Numeros quæstione 33. Quinta, Iosue 4. transitus Iordanis, Ambrosio in Lucæ 4. Sexta, posterioris Regum 5 sanatio Nahaman, Ambrosio in 4. Lucæ, & 2. de Sacramentis 4. Septima, Probatica piscina Ioannis 4. Tertulliano, de Baptismo, Ambrosio 1. de Spiritu Sancto cap. 7. Chrysostomo in Ioannem. Octaua, Ioannis 9. aqua Siloe, Ambrosio Epistola 75. Augustino tractatu in Ioannem 44. Additur nona figura Eucharistiæ, Exodi decimo sexto, & decimo septimo, Manna è cœlo, & aqua ex petra, Paulo prioris ad Corinth. 10.

III. In his omnibus hanc argumenti vim obseruant. Primum in Vaticiniis efficaciam prædici: in figuris eandem notari: quia res typicæ realiter agerent & non figurate. Secundo, cum tam sæpe Scriptura loquatur de Sacramentis, tamen ne semel quidem dicere eorum vim consistere in excitanda, vel alenda fide: sed semper in purgandis peccatis, in anima mundanda. Quis autem credat finem immediatum & præcipuum nunquam in Scriptura haberi, & inculcari tam sæpe finem mediatum? Tertio, si liceat negare Sacramenta vere & immediate sanctificare, quod tamen Scripturę doceant: eadem ratione neg ri posse fidem iustificare: nam nihil Scripturas fidei tribuere, quod non etiam Sacramentis.

IV. Respondeo, non inquisiturum me sigillatim, quam recte hæc omnia vaticinia, omnesve figuræ referantur ad Baptismum. Etsi durum sit pro vaticiniis figurisve sumere, quæcunque quis vel sic nominauerit, vel luxuriando alluserit: cum tamen ab instituto diuino & vaticinia oporteat esse & figuras: instituti autem diuini nemo sit idoneus testis præter Spiritum Dei: cuius tamen de plerisque numeratis capitibus nullum profertur testimonium; sed humanum duntaxat laudatur: & quidem eorum hominum, qui μὴ κατ' εὐθυωρίαν, ἀλλ' ἀνακλῶντες ὥσπερ ἐμφάσεις ἑτέρων ἐν ἑτέροις θεωρεῖν, vt loquitur Plutarchus Conuiualium Problematum secundi septimo, consueti, Scripturas plerunque παρεκβιάζον. A cuius facilitatis occasione præscriptum pridem, argumenta allegorica esse non satis digna Theologicis disputationibus.

V. Veruntamen omissa illa singulorum capitum disquisitione, potest breuius res tota circunscribi. Distinguam ergo duas classes: in prima, vt sit comparatio veterum & nouorum: sed hanc geminam: vnam quaternorum terminorum. Et sic figuram aquarum in Creatione Bellarminus expressit ipse, his verbis, *Vt aqua initio mundi à Spiritu Sancto vitalem quandam vim accepit vt animalia procrearet: sic & Baptismus à Spiritu Sancto vim accepit procreandi nouos homines.* Quod tamen à seipso habuit, non ab vllo veterum. De diluuio, manifesta mens est Petri: & Guilladui interpretatio, *Seruati sunt temporaliter super aquam, qui in Arca erant: seruantur spiritualiter in Ecclesia qui aquis Baptismi feruntur.* Sed & transitum maris rubri haud aliter Bellarminus exposuit: *Sicut mare rubrum vere demersit Ægyptios, liberauit Israelitas: ita Baptismus vere delet peccata, & saluat animas.*

VI. Eodem pertinet aqua lustrationis, cui explicandæ Augustinus hoc substernit fundamentum, tanquam vniuersale Sacramentis veteribus, *Eadē sunt*, inquit, *in veteri & nouo: ibi obumbrata, hic reuelata: ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solum Sacramenta diuersa sunt; verum etiam promissa ibi videntur temporalia proponi, quibus spirituale præmium occulte significetur: hic autem manifestissime spiritualia promittuntur & æterna.* Vnde quatuor emergunt termini: quorum duo in Sacramentis diuersis: reliqui in promissionibus temporalibus & spiritualibus. Eadem ratione Nahamanis purgationem Ambrosius, *Populus ille ante leprosus, populus ille ante maculosus, prius quam mystico baptizaretur in flumine, idem post Sacramenta Baptismatis maculis corporis & mentis ablutus, iam non lepra, sed immaculata virgo cœpit esse sine ruga.* Nec aliter piscinam Tertullianus probaticam, *Figura ista medicinæ corporalis, spiritualem medicinam canebat, ea forma, qua semper carnalia in figura spiritalium antecedunt.*

VII. Atqui iam dictum, in huiusmodi comparationibus non considerari modum agendi, quasi vtrinque communem, siue eundem: sed duntaxat terminorum analogiam, certo quodam capite limitatam. Alioquin, quid obstet, quominus dicat quis Sacramentis efficaciam inesse prorsus naturalem? Nam, opinor, arcam extulerunt aquæ, & Ægyptios demersit mare, secundum id quod habuerunt non arte acquisitum, sed insitum à propria natura. Quare cum dicunt Sophistæ: Illæ figuræ operatæ sunt suos effectus insita sibi efficacia: Ergo & Sacramenta: neganda est consequentia: cuius ne probabilem quidem coniecturam habuerunt Sophistæ quam exponerent. At nos obiicimus Chrysostomum homilia Ioannem. 35. cum explicat illam à Siloe figuram, quam ab eo mutuati sunt Sophistæ, Ἀγγελος κατέβαινεν ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ καὶ ἰαματικὴν ἐνετίθει δύναμιν, ἵνα μάθωσιν ἰουδαῖοι

ἐκδέξωνται ὅτι πολλῷ μᾶλλον ὁ τῶν ἀγγέλων δεσπότης πάντα τὰ νοσήματα τῆς ψυχῆς ἰᾶσθαι δύναται, *Angelus descendens turbabat aquam, & imponebat sanandi virtutem, vt discerent Iudæi multo magis angelorum Dominum omnes animæ morbos posse sanare.* En tibi Dominum sanare, quod nos asserimus: Et idipsum eodē assertum argumento, quo aduersarij abutebantur aduersum nos.

VIII. Altera comparationis ratio, ternorum est duntaxat terminorum: cuiusmodi illa Mannæ & riui ex Petra Nam etsi verum sit, & refecisse vere, recreasseque corpora Israelitarum, quę ratio comparandi quatuor esset terminorum; tamen ea nulla fuit Paulo comparandi causa: sed longe alia: nimirum quod ii typi essent eiusdem gratiæ; cuius etiam nostra sunt Sacramenta: qua de re quia latius disputandum proxima controuersia, nūc duo testes sufficiant. Augustinus apud Bedam in hunc locum, *Hic est panis, qui de cœlo descendit. Hunc panem significauit manna: hunc panem significauit altare Dei: Sacramenta illa fuerunt: in signis diuersa sunt, in re quæ significatur paria sunt. Apostolum audi. Et omnes eandem escam spiritalem manducauerunt. Spiritalem vtique eandem: nam corporalem alteram: quia illi manna, nos aliud: spiritalem vero quam & nos.* Iustinianus Iesuita in paraphrasi, *Illud manna cœlitus missum, quod præter externam speciem, quam præ se ferebat, cibum vere cœlestem ac diuinum significabat, quem nos Christi beneficio percipimus.*

IX. Ad eundem ordinem refero & illam comparationem 2. ad Colossenses quæ Baptismi, Circuncisionisque æquat effecta, *In quo circuncisi estis circuncisione quæ fit sine manibus, corpore peccati carnis exuto in circuncisione Christi; consepulti cum eo per Baptismum.* Nam qui circuncisos Christianos dicit, sicut & qui baptizatos olim Iudæos, necessario Baptismi circuncisionisque nomen abstrahit à signis. Et cum nequeant Sacramenta nominari nisi vel pro signis, vel pro re significata: illum eundem oportet à signis recedentem, dicere de re significata, quæ eadem effectus est. Itaque Caietanus notauit Apostolum significare Circuncisionem impleri in Christianis per Christum in Baptismo. Pauli mens est igitur, tum in Circuncisione, tum in Baptismo deponi corpus peccatorum.

X. Hæc cum ita sint; dico nihil ineptius ad rem propositam fingi potuisse isto ordine figurarum. Nihil enim aliud inferri posse, quam; vt vetera Sacramenta gratiam conferebant, ita & noua gratiam conferre. Quod nos quidem prolixe dabimus in sequente controuersia: sed Papistis necesse erit, vel veteribus ἐνέργειαν insitam inhærentemque communicare, quod oderunt quouis cane peius & angue: vel nouis eandem denegare; quam nunc quæstionem esse voluerunt. Nobis, inquam, si nugari libeat, & cum illis concludere, à re ad modum rei; quandoquidem ex eorum hypothesi certum, Sacramenta vetera nullam habuisse efficaciam dandi gratiam; facile euicerimus. Noua; non tantum insitam nullam: sed disertius nullam habere gratiæ efficacitatem. Vnde, si non percipiunt Sophistæ sui argumenti absurdum, quid est, quod speret quisquam ab iis sani iudicii experimentum.

XI. Superest altera classis, ad quam Prophetiæ pertinent; in quibus nulla comparatio est veterum & nouorum: sed duntaxat descriptio efficaciæ gratiæ. Vnde verba illa Hieronymi, *De Baptismi gratia vaticinatur:* quæ nos itidem de reliquis vt de Michea, dici posse asserimus. Nam & Theodoretus in Psalmum quinquagesimum primum, de Esaia, *Sola Baptismatis gratia hanc purgationem efficere potest, & Deus omnium conditor, per vatem Esaiam, hanc daturum promisit. Nam cum dixisset, Lauamini, mundi estote, auferte mala à cordibus vestris, paulo post inquit, Si fuerint peccata vestra vt coccinum, vt niuem dealbabo.* Significanto igitur sane omnes illæ prophetiæ, remissionem peccatorum fieri in Baptismo. Atqui id longe est adhuc ab opere operato. Non enim definit, eam remissionem fieri ab elemento externo; aut vlla vi inhærente, & insita: sed tantum fieri. Baptismus autem nomen est totius Sacramenti, non duntaxat signi externi: & si alioquin desumptum ab externo signo. Imo, quia pars minor Sacramenti signum est; longe autem præcipua, res ipsa significata: nemini mirum est interdum per Baptismum intelligi gratiam Baptismi distinctam à signo: vnde Petro dictum, non depositio sordium carnis, sed conscientiæ bonæ interrogatio; quum explicaret, quo sensu Baptismus saluos faciat. Quod si is sensus legitimus erat, tum temporis cum in vsu esset Baptismus, quatenus etiam significat depositionem sordium corporis; quanto magis tam multis annis prius.

XII. Et confirmatur eo, quod eædem prophetiæ non omnes pertinebant ad id quod futurum erat in Nouo Testamento: sed quædam etiam ad id quod exigebatur ab iis, à quibus multis seculis abfuit Baptismi institutio. Nam quis credat ab Esaia dictum, *Lauamini, & mundi estote,* ea mente, vt ad eos peccatores nihil pertineret, qui tum erant. Et non potius, vt eos, quorum nequitiam tanta exaggerabat vehementia, ad pœnitentiam præsentem animaret? Itaque Glossa interlinearis, *Lauamini lacrymis pœnitentiæ: facite fructus dignos pœnitentiæ.* Lyranus, *Hic consequenter vera medela consulitur, scilicet per veram pœnitentiam & boni operationem. Et hoc est quod dicitur, lauamini à peccatorum maculis, lacrymis contritionis.* Cum igitur eos vellet Propheta lauari, qui tamen nunquam loti fuerunt aqua Baptismi: non potuit de efficacia loqui Baptismi, quatenus est per aquam: multo minus de efficacia inhærente aquæ: nam hæc quatenus inhærens, nihil ad eos attinuit.

XIII. Quid plura? Nego significari vllam aquæ inhærentem efficaciam: sed potius contra, non inhærentem. Ratio perspicua: quia etsi phrases sint ab aqua mutuatæ, tamen efficaciam sibi ipsi Deus reseruauit. Nunquam audis; aquam mundare, aquam dare cor nouum, aquam dealbare: sed audis semper Deum. Notauit iam Theodoretus in Esaia, postquam dictum, *Lauamini, & mundi estote,* additum, *vt niuem dealbabo.* hic in Ezechiele est, *Et dabo vobis cor nouum.* Michææ 7. *Proiicies peccata nostra.* Ergo, inquam, ea dealbandi, dandi, proiiciendi efficacia Dei est: per aquam quidem: sed tamen Dei, quod nos defendimus, agentis scilicet per aquam moraliter.

XIV. Sed mirantur Sophistæ finem immediatum & præcipuum nunquam haberi: inculcari tam sæpe mediatum. Imo ridicule finem immediatum, eundem præcipuum dicunt. Quod contra est. Quia finis præcipuus is est, quo præcipue tenditur: at præcipue tenditur ad finem vltimum. Sic præcipuus cibi finis, vita corporis: etsi mediatus: quia cibus non efficit ipse per se vitam; sed mediate, nimirum per instaurationem consistentiæ carnis. Sic lapidum pręcipuus finis, domus: etsi mediate per parietem. Medicinę pręcipuus finis, sanitas; etsi mediate per humorum peccantium auerruncationem.

XV. Hinc autem facilis absurdi solutio. Vere enim absurdum esset nusquam occurrere finem præcipuum. Sed finem vltimum, id est, præcipuum inculcari, omisso immediato, nihil absurdi habet: imo est in perpetuo vsu. Sic nunquam in Scriptura legas, Dauidem comparasse multa ligna ad tectum; aut lapides multos ad parietes construendos: sed legas comparasse ad domum Dei ædificandam. Deus dicitur Abrahamum eduxisse ex Vr Chaldæorum, vt proficisceretur in terram Canaam: neque vnquam dictum, vt iret in Charran: Et tamen hic erat finis immediatus. Infinita possunt exempla colligi similia. Itaque nihili argumentum est: quia potest hic finis immediatus esse; etsi nunquam nominatus; sed tantum finis ille mediatus.

XVI. Et tamen hunc immediatum finem nunquam designari, falsum est. Nam Circuncisio non tantum appellatur, signum fœderis, apud Mosen; sed etiam apud Paulum σφραγὶς τῆς δικαιοσύνης πίστεως. Atqui vtrumque hoc ipsum significat. Nam signa fœderis eum habent vsum, vt certam fidem faciant contracti fœderis: & fidem ethicam, si fœdus sit politicum; diuinam si diuinum. Quid est autem facere fidem, nisi & generare, & fouere? Sed iustitia fidei non potest esse sine fide: quare ne quidem eius σφραγὶς potest non esse σφραγὶς fidei. Denique certa est argumentatio. Quicquid mouet intellectum ad assentiendum veritati diuinæ, generat fouetque fidem. At Sacramenta mouent intellectum ad assentiendum veritati diuinæ. Ergo generant, fouentque fidem. Maior patet, quia fidei est assentire veritati diuinæ: testibus, tum Catholicis, qui fidem constituunt in intellectu, & voluntate: tum Papistis, qui tantum in intellectu. Minor etiam facilis probatu. Mouent enim intellectum, quia signa sunt: itaque significant: significationis vis tota pertinet ad intellectum. Mouent autem ad assentiendum; quia signa sunt veracia, non mendacia: Veritas autem quam significant, est diuina, non humana.

XVII. Rursus verentur, ne liceat negare fidem iustificare: si liceat negare Sacramenta immediate sanctificare: sed inepte timent. Primum, cur de Sacramentis dicunt immediate sanctificare, de fide autem tantum iustificare? Et non potius itidem immediate? An quia viderunt falsum, fidem immediate iustificare? Sic enim disputatum nobis, non ipsam operari in nobis iustificationem, sed apprehendere iustificationem in Christo. Atqui ridicula consequentia est, si Sacramenta non sanctificent immediate; ergo ne mediate quidem fidem: æque ac si quis diceret; si fides non principaliter efficiat iustificationem: ergo Sacramenta ne instrumentaliter quidem sanctificare.

XVIII. Neque verum omnia tribui Sacramentis, quæcunque fidei. Imo verum, negari Sacramentis, quæ de fide affirmantur. Quis enim nescit salutem negari aquæ apud Petrum? quæ tamen de fide semper asseritur. Negari Sacramentis dico, quatenus scilicet externa sunt & sensilia: ita enim significat depositio sordium carnis, Petro nominata: & nos hoc sensu de Sacramentis disputamus.

CAP. V.

Rationes Papisticæ.

I. SCripturis exhaustis, rationes addunt. Vnicam Vasques sperauit futuram satis: reliqui plures maluerunt. Illius ergo prima nobis esto. Cum verba Sacramentalia à Christo sint instituta, oportet vt veritatem habere possint: hanc autem non possent habere, si tantum excitarent fidem, & practica non essent, quæ efficere possent id quod significant. Ergo necessario dicendum est, efficacia esse remissionis peccatorum, quam significant, ac proinde etiam gratiæ, per quam fit remissio peccatorum. Hanc partibus confusam argumentationem sic distinguo. Sacramentalia verba efficiunt id quod significant. At significant gratiam. Ergo gratiam efficiunt. Probatur maior. Omnia verba practica, efficiunt id quod significant. At verba Sacramentalia sunt practica. Ergo efficiunt id quod significant. Probatur minor, qui non essent vera si non essent practica.

II. Respondeo; negari prioris syllogismi maiorem: Contra enim verum esse, nulla verba quicquam efficere, sed tantum significare, ea quę fiant: quandoquidem, teste Augustino, omnis eorum vsus sit in significando: quod alias meminimus dicere.

III. In altero syllogismo, primum, verba practica, κακοφωνίαν redolent scholasticam, cui nihil simile in tota antiquitate. Scio apud Ambrosium legi, verba Dei esse operatoria, capite quarto quarti de Sacramentis; & nono de iis qui initiantur. Verum, cur Sophistæ operatoria mutarunt in practica? Merito, opinor, qua diuersis rebus non solet, certe non debet idem nomen esse. Nihil minus erat in mente bono illi Patri, quam sonum exteriorem commendare: imo potius potentissimam Dei voluntatem verbo significatam: quod manifestissime docet exemplorum congeries, in quibus multa sunt absque vllo sono. Certe enim nullo verborum sono vsus Moses, vt aquam eliceret ex petra: nullo, vt aquis amaris mederetur, nullo Elisæus, vt ferrum educeret ex aquis. Nullo Christus, vt conciperetur in virgine. Et hęc tamen omnia collecta, vt probetur sermo Dei esse operatorius: absurde, si per sermonem, sonum intelligas aures ferientem. Sed qui Papistæ practica dicunt verba, ea intelligunt, quorum pronuntiationi inhærentem vim alligent, atque affigant: quod somnium nulli cogitatum Catholico.

IV. Sed esto tamen. permittamus ægrotantibus sua somnia. At nos certe minorem negamus: Nunquam concessuri verba Sacramentalia, sic esse practica: qui tamen Ambrosio libenter credimus esse operatoria. Sunt igitur, inquiet, non vera? Quamobrem quęso? aut quis iussit? An quia se putant Sophistæ, toties mentiri, quoties non magice loquuntur? Illi viderint. An sani homines longe aliter, quæcunque verba vere significant, eadem pro verissimis agnoscunt.

V. Præterea, sermonem dixit operatorium Ambrosius in alium finem, quam qui nunc est in controuersia: nimirum propter efficaciam in

symbola. Probabat enim sic fieri, vt qui panis est, sit corpus Christi: in quod non habet nos aduersarios. Et omnino ita oportet concedi ab iis, quibus iam est in confesso, Verbum esse formam Sacramenti. Verum quid ad rem hanc nostram, cum agitur de efficacia symbolorum in animas rationales? in gratiam, in iustificationem?

VI. Altera ratio esto Gregorij de Valentia. Certum est Sacramenta longe alio modo gratiam conferre, quam verbum Euangelij. Sed verbum Euangelij illo modo est causa gratiæ, nempe tanquam signum gratiam offerens. Ergo Sacramenta, non solum eo modo conferunt gratiam. Maior primo probatur, quia Scripturæ cum adscribunt verbo Euangelij salutem, declarant fieri significando, & proponendo consilium Dei: Ad Romanos primo, *In eo reuelatur iustitia Dei de fide in fidem.* At Sacramenta ipso modo dicendi declarant eadem conferre gratiam in primis tanquam instrumenta practica & non tantum significando. Ioannis tertio, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* Secundo probatur eadem maior: quia Scriptura post prædicatum & creditum verbum Euangelii, ad Sacramentorum vsum homines remittit, tanquam ad remedium quoddam acquirendæ gratiæ practicum, quod præterea vsurpari debeat. Actor. 2. post auditam concionem, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Octauo, credenti post concionem Eunucho dictum, *licet tibi baptizari.* Non sunt, inquit, remissi ad Sacramentum, vt doctrinam, promissionemque Euangelii tanquam per signum melius intelligerent. Est enim significatio & repræsentatio Sacramenti longe obscurior, quam verbi expressi. Ergo remissi tanquam ad instrumentum efficax & practicum.

VII. Respondeo, concedi alio modo gratiam conferri in Euangelio, & in Sacramento: concedi Euangelium esse causam gratiæ significando. Sed consequentiam, quæ inferat, ergo Sacramenta, non eo tantum modo, ineptissimam esse inimirum quia negata specie, neget genus: ac si diceret, non eo modo hominem esse creaturam, quo sit bos. At bouem esse animal: Ergo hominem non esse animal. Etenim significatio gemina est; altera per auditum, altera per visum: Verbum Euangelii ad auditum, Sacramenta ad visum pertinent. Itaque Sacramenta conferentia gratiam significando per visum, alio modo significant, quam Euangelium per auditum: & tamen vtraque conferunt significando: quomodo etsi homo cum ratione, bos sine ratione, tamen vterque animal est.

VIII. Atqui, inquit, Scripturæ docent, Euangelium significando, Sacramenta tanquam instrumenta practica. Illud concedo, inquam, hoc nego. Imo, inquit, ipse modus loquendi ita est. Imo, inquam, ipse modus loquendi, non est ita quod capite præcedenti demonstratum. Sed insuper, quando adsignauit Scriptura Euangelio solam significationem? Semperne, id est, omnibus singulisque locis? Minime atque adeo vnum tantum Sophista annotauit ad Rom. 1. Ergo ex vno hoc loco reliquos omnes Sophista censet interpretandos. Puta, cum legit, prioris ad Corinth. 1. *Placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes*: ne quis ei prædicationi affingat practicam energiam, obiiciet istud, *Iustitia Dei in eo reuelatur.* Esto sane.

IX. Hoc posito, geminam obseruo argumentationis Gregorianæ ineptiam. Primo enim similiter nobis argumentari licet: & illud, *renatus ex aqua*, interpretari ex aliis locis: Nempe quia ex ad Romanos quarto habemus in circuncisionis exemplo, Sacramenta esse σημεῖα τοῦ σφραγῖδας δικαιοσύνης: Et difertius ex Petro, Baptismum esse ἀντίτυπον arcæ; id est, alterum typum eiusdem rei, nimirum salutis. Quare quoties nobis eæ rationes loquendi obiicientur, quibus conflatus est Gregorius, toties opponemus intelligendas ex istis locis; in quo eadem vis erit, quæ in Gregorii subtilitate.

X. Altera absurditas. In Euangelio, inquit, reuelatur: Ergo tantum significatur. Atqui hæc consequentia est alienissima à veritate. Nam reuelare non tantum est significare, id est, per signa indicare: sed est etiam reapse exhibere. Lucæ decimo septimo, *Secundum hacerit qua die Filius hominis reuelabitur.* Ad Roman. 8. *Ad futuram gloriam qua reuelabitur in nobis.* Posterioris ad Colossenses 2. *Et reuelatus fuerit homo peccati.* Primæ Petri 5. *Eius, qua in futuro reuelanda est, gloria.* Quid est igitur, quominus in Euangelio dicamus reapse exhiberi iustitiam illam Dei? Quod Beza notauit, *Hoc ita intelligo, quasi Paulus non eo duntaxat nomine commendet Euangelium, quod in eo retegatur & spectandum proponatur, quod gentes quidem antea ignorabant, (fide nimirum quarendam esse eam iustitiam cuius vi à Deo salutem adipiscamur) patres autem Iudæi procul & vmbratectum intuebantur: sed etiam quod hanc iustificandi rationem ita proponat, vt nunc etiam re ipsa exhibeat: vt hoc modo constet Euangelium vere esse potentiam Dei ad salutem, id est, validum & efficax Dei instrumentum, quo vtitur seruandis per fidem hominibus.* Thomas, *Qua quidem iustitia reuelatur in Euangelio, in quantum per fidem Euangelii homines iustificantur.* Lombardus, *Hanc autem iustitiam Euangelium reuelat ipso effectu, scilicet dum dat fidem homini per quam iustificatur.* Sadoletus, *Hæc est bonitas, hæc Dei iustitia, qua in Euangelio reuelata est, omnis virtutis partes, æquitatem, sapientiam, humanitatem, liberalitatemque complectens, quam Euangelium nobis perfecit, totamque contulit ad salutem, & ad liberationem nostram.*

XI. Hi omnes, etsi iustitiam aliter atque aliter, tamen reuelare interpretantur, non de significatione nuda, sed de actuali & efficaci. Vnde necessario sequitur ipsum Euangelium esse instrumentum Dei efficax, siue vt loqui maluerunt Sophistæ, practicum iustitiæ & salutis. Quid igitur Valentiano superest, vt ab hoc loco euincat aliter efficere Sacramenta, aliter Euangelium?

XII. In altera confirmatione maioris, concedimus remitti homines ad Sacramenta, post prædicationem verbi. Sed remitti tanquam ad instrumenta practica, negamus. Nam etiam in ciuilibus negotiis post descripta diplomata remittuntur homines ad sigilla regia: quæ tamen non sunt instrumenta practica, magis quam diplomata ipsa. Et in Veteri Testamento Abraham post verbum auditum, *Ero Deus tuus, & seminis tui*, remittitur ad Sacramentum Circuncisionis; Genes. 17. atque adeo ad Roman. 4. post acceptam iustificationem fidei, declaratur accepisse Circuncisionem tanquam σφραγῖδα. Atqui Papistæ negant Circuncisionem fuisse instrumentum practicum. Inepta igitur consequentia est; si remittantur homines ad Sacramenta post verbum, ergo Sacramenta esse instrumenta practica.

XIII. Sed non remissi ad Sacramenta, vt doctrinam promissionemque Euangelii melius intelligerent. Fateor, inquam: neque enim τέλος in eum finem institutæ: vt melior sit intelligentia, sed vt certior fides, iis quorum interest. Genesees nono, pactum disertum, *Nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuii*: & statim, *Hoc signum fœderis quod do inter me & vos.* In ea verba Lyranus, *Licet iam assecurasset eos, de diluuio amplius non futuro, per verbum: hic amplius assecurat per sensibile signum.* Chrysostomus homilia vicesima octaua in Genesin, *Si sermo meus*, inquit, *non sufficit, ecce & signum do.* Peterius in eundem locum, *Voluit benignus & clemens Dominus se ad infirmitatem hominis demittens & accommodans, semel atque iterum idem eis promittere, & insuper firmare promissionem signo arcus cœlestis.* Quare si non remittantur homines ad Sacramenta tanquam ad maiorem intelligentiam, non est tamen consequens remitti tanquam ad instrumenta practica.

XIV. Hanc, à comparatione Sacrametorum & Verbi, rationem paulo aliter Bellarminus concipit; Habere se Sacramenta ad fidem, contra quam Verbum: Hoc enim illam præcedere, illa vero sequi. Vnde confici non eodem modo operari. Antecedens probari: quia fides sit ex auditu, ad Roman. 10. *Et verbum prædicetur infidelibus quibuscunque*: at Sacramenta saltem in adultis requirant fidem, nec rite conferantur nisi credentibus: vnde olim ordo catechumenorum.

XV. Haud absimilis præcedenti subtilitas, non concludens quod in thesi; nimirum, Sacramenta esse instrumenta practica. Non enim sequitur, vt dixi, etiam si non eodem modo operentur. Deinde, ne disputans quidem aduersus nos, qui concedimus varios modos operationis, scilicet propriæ: quarum vna afficit aures, auditum altera. Sed vtraque tamen desinens in communem, significandi: atque ita operandi in intellectu, quanquam per sensus diuersos.

XVI. Tertia ratio Bellarmini. Sacramenta recte adhibentur non intelligentibus: Ergo sunt signa practica vere iustificantia, non excitando fidem more concionis, sed immediate efficiendo sanctitatem. Probat antecedens, quia baptizentur infantes, surdi, amentes, dormientes.

XVII. Negatur consequentia, ab exemplo circuncisionis; quæ conferebatur etiam legitime non intelligentibus: & tamen significabat tantum, id est, non operabatur in anima sanctitatem immediate: sed duntaxat significando.

XVIII. Consequentiam tamen probat. Quia signa, verbaque theorica non adhibeantur nisi intelligentibus. Cum enim, inquit, non operentur nisi repræsentando aliquid menti, stultum esset ea signa adhibere, vbi non esset vsus mentis. At practica etiam in animis, imo ne sentientibus quidem. Sic Iosue 10. *Sol contra Gabaon ne moueatis, & Luna contra vallem Hialon.* Matth. 8. *Dominus imperauit mari, & ventis*: item Matth. 9. Lucæ 7. Ioann. 11. *mortuis*: vt & Petrus Actor. 9. Tabithæ. Moses percussit Petram; Exodi 17 Dominus immisit digitos in aurem muti & surdi, tetigitque linguam eius.

XIX. Cuius ergo generis fuere Sacramenta Veteris Testamenti? Nam practica esse non patiuntur, qui negant contulisse gratiam. Et tamen circuncisionem certum est applicatam infantibus octauo natiuitatis die, id est, non intelligentibus. An stulte potius institutum à Deo, vt eiusmodi infantibus applicaretur. Credo Iesuitis hanc conclusionem fore expeditiorem, quam vt sua retractent placita: sicut qui ne fame pereant, laqueo malunt.

XX. Porro intelligentes sunt, tum qui actu concipiunt mente rem propositam, tum qui potentia naturali capaces sunt concipiendi. Sed & signorum effecta, aliàs præsentia, aliàs futura. Et vtraque vel eius qui signum instituit, vel cui instituitur. Nam Sacramenta sunt signa fœderis: fœdera autem reciproca: itaque Sacramentorum effecta alia sunt homini promissa à Deo, alia ab homine debita Deo.

XXI. His positis, dico de effectis præsentibus à Deo in homines si fit sermo, tum non requiri hominem actu intelligentem; cui applicentur signa non tantum theoretica, sed etiam practica. Quid? quod etiam non capacibus applicari possunt? Sic enim docent ipsa Bellarmini exempla. Nam profecto Verba nulla signa sunt efficacia, vt paulo ante admonuimus: sed signa sunt duntaxat voluntatis eius à quo efficacia est in effectum. Dixit Iosue Soli, Lunæque ne mouerentur. Et consequutum est effectum: non ex ipsa verborum vi; quæ erant humana: non potest autem homo imperare Soli & Lunæ: sed ex præsenti potentia diuina. Autor de Mirabilibus Sacræ Scripturæ libri secundi capite quarto, *In quæ iussione non humani imperii auctoritate luminaria requiescunt; sed Domini imperantis vi, vt starent, iussui obediunt. Nihil enim propter iubentis hominis verbum Dei creatura faciunt: sed quod Dominus serui sui oratione obediens præcepit, hoc faciunt.* Quum igitur Sacramenta significent iustificationem, qui effectus est Dei in nobis sine nobis; nihil obstat, quominus etiam non intelligentibus applicetur infantibus; etiam si vere signum sit theoreticum, non practicum, id est agens vi aliqua sibi insita, inhærente ve.

XXII. Quod attinet ad effecta ad quæ homines obligantur: concedimus, si præsentia tantum intelligantur, non applicanda signa nisi actu intelligentibus; quæ res est manifesta: quia signa omnia, quâ signa sunt, ad intellectum pertinent. Intellectus autem præsentia non capiat, nisi actu: nam omnis præsentia actus est. Sed negamus eandem rationem esse effectorum futurorum. Nam ipsa verba læpe proponi solent, iis qui aliquanto post tempore sunt intellecturi. Exempli gratia; Prophetiæ de reditu ex captiuitate Babylonica, ita erant propositæ; vt longe post Daniel eas intellexerit: Lucæ 2. *Ipsi*, nempe parentes Domini, *non intellexerunt, quod ipsis loquutus erat.* Decimo octauo, *ipsi autem* discipuli, *nihil horum intellexerunt: erant que ista verba ipsis occulta, nec cognouerunt quæ dicebantur.* Viden' non intelligentibus actu, ea proposita esse signa? Nec verba duntaxat, sed etiam signa sensibilia, Marci 6. *Non intellexerunt de panibus: erat enim eorum cor excæcatum.* An stulte factum? Minime gentium: quia scilicet erant capaces intelligendi, futurumque erat, vt olim intelligerent, quod tunc temporis minime.

XXIII. Quid ergo mirum, si etiam Sacramenta applicentur iis qui etsi capaces intelligendi, tamen actu non intelligunt, tum cum applicantur? Nam consentiunt Papistæ, Sacramentorum posse effecta esse futura.

Suares

Suares enim disputat, sect. 3. dispu. 8 in 3. Thomæ, an Sacramenta *conferant gratiam postquam transacta sunt:* & determinat, *Non repugnare Sacramento noua legis, vt sic, habere effectum postquam transactum est, habendo scilicet effectum recedente fictione.* Et disp. 28. sect. 4. applicat nominatim Baptismo, à quo solo confirmatio sumebatur argumenti.

XXIV. Quarta ratio Valentiani. Scriptura & Patres ita de Sacramentorum nouæ legis efficacia vbique loquuntur, vt prorsus significent, ea esse instrumenta conferendæ gratiæ, non tantum Christi vt hominis, sed etiam Dei, in eo genere, quo Deus ipse est causa principalis eiusdem gratiæ. At si causæ tantum morales esse dicuntur, non poterit commode explicari quemadmodum sint instrumenta Dei. Ergo non id solum dici debet. Probat assumptum. Quia Christus, quâ Deus, non fuit causa moralis gratiæ: quandoquidem non sit hac ratione meritus, sed quâ homo.

XXV. In eodem genere causarum cum Deo Sacramenta? Proh Dei atque hominum fidem! quis tam alte stertit, vt tam absurde somniaret? Et tamen vide confidentiam: asserit, nec demonstrat: quasi omnes dicerent: aut omnes omnium seculorum audissent homines. Adeoilludunt nobis. At nos, quod tam temere ἀυθαδιάζεται, constanter negamus: eoque confidentius: quod iam Scripturas euicerimus in eam partem nullas esse, de Patribus paulo post loquuturi. Nec negamus soli: nobiscum negantij omnes Papistæ, qui instrumenta non nisi moralia dicunt esse Sacramenta: nec pauci, nec ordinis obscuri.

XXVI. Quinta ratio apud Bellarminum, sed prolixior apud Valentianum. Et quidem bis repetita eodem capite. Morali modo etiam Veteris Testamenti Sacramenta gratiam ferebant. Sed necesse est, præsertim post Concilium Florentinum fateri, Sacramenta nouæ legis alio modo præstantiori & veriori conferre gratiam: ergo non solum isto modo. Maiorem probat: quoniam Sacramenta vetera fuerint signa fœderis. Est autem hoc maxime proprie & intrinsecum signorum pacti & fœderis, vt moraliter moueant ad id præstandum, quod pacto promissum.

XXVII. Simile sophisma secundæ rationi; negati generis à negata specie. Similiter ergo respondeo, si aliter causent gratiam noua Sacramenta, quam Vetera: non tamen non causare moraliter. Nimirum quia nihil obstet quominus instrumentorum moralium varij sint ordines. Et vero omnia signa instrumenta sunt moralia. Et tamen alia simpliciter signa sunt, alia σφραγίσματα: & hæc alio modo efficacia sunt, quam illa. Sic in vsu politico diuersi generis instrumenta sunt subscriptio, & sigillum; & tamen vtrunque morale. Cur inter σφραγίδας non possit esse discrimen Nouorum & Veterum Sacramentorum? Docebit proxima controuersia.

XXVIII. Sexta ratio Bellarmini. Verba & signa Sacramentalia pendent ex diuina institutione, neque ab hominibus propria autoritate instituti potuerunt: ergo non sunt mera signa, vt verba concionis, sed signa practica, & vim habentia aliquid supernaturale efficiendi. Antecedens vtrinque conceditur. Probatur consequentia. Quia, si verba & signa Sacramentalia essent nuda signa ad excitandam mentem instituta, potuissent ab hominibus facillime institui, & eandem vim habuissent. Non enim refert ad nudam significationem, quis illa instituerit; modo repræsentent idem obiectum. Quid enim refert, quis posuerit signa in hospitiis? Et nunquid non eodem modo significant verba Hebraica à Deo scripta in tabulis, & verba Græca, vel Latina scripta ab hominibus? Nonne etiam modo eodem incitabant ad bellum tubæ, quas Deus fieri iusserat, Numeror. 10. & profanæ Ethnicorum?

XXIX. Respondeo, vtile forsitan argumentum futurum aduersus Anabaptistas, aut si qui sint alij; qui præter nudam & exilem significationem nullam in Sacramentis vim agnoscant; quod somnium testati sumus Catholicis abesse longo interuallo, qui σφραγίδας dicunt promissionum, & ideo signa efficacia. Hinc solutio facilis. Nam σφραγίδας eius est addere, cuius promittere. Sic annulus est arrha matrimonij contracti non quilibet, sed qui à sponso datur sponsæ. Et Papam credo non fuisse admissurum Bellarminum in Cardinalem, si rubrum galerum accepisset à Rege Hispaniæ. Quis neget tamen annulum, galerumque esse in instrumentis moralibus.

XXX. Nunc ergo, cum de promissionibus agitur diuinis, constanter negant Catholici, cuiquam creaturæ ius esse instituendorum Sacramentorum. Etiamsi nulla insit efficiendi facultas intrinseca. Patet, quia in Veteri Testamento solus Deus potuit instituere Sacramenta: quæ tamen aduersarij agnoscunt instrumenta non nisi moralia, id est destituta ista efficacia inhærente.

XXXI. Sed nihil interest, inquit, dum eodem modo significent. Negatur, inquam: Imo significandi variæ sunt rationes. Interdum ij sunt considerandi quibus signa instituuntur: interdum distinguenda significatio. Nam primum, pro variis personis mutatur autoritas instituendi signi. Nemo Hebræus potest instituere verba Latinis, aut Græcis. Inde enim est quod soni Hebræi aliis linguis vel nihil significent, vel longe aliter: & contra. Sic eadem oratio, lex erit vni populo, nempe ex autoritate sui regis; non erit alteri. Et Gallis aliter tympano signum, datur militare, aliter Germanis, aliter Heluetiis, aliter Italis. Similiter in ratione significandi; alias significatur res simpliciter, alias modus rei. Rem quidem significare cuique licet quocunque annulo: sed matrimonij contractum, non potest nisi sponsus: & quidem non annulo, sed annuli donatione. Fidem diplomatis non nisi Regis est sigillo munire; & quidem sic apposito. Infinita sunt huiusmodi exempla in quibus non significatio sola: sed autoritas etiam attenditur.

XXXII. In Sacramentis res perspicua. Primum enim instrumenta sunt simpliciter moralia, quatenus seruiunt, teste Augustino, colligendis hominibus in eandem religionem, instar Sacramenti militaris; vnde etiam nonnulli putant deductam rationem nominis. Atqui sicut, non quæcunque formula iurisiurandi, sed talis: nec apud quencunque professa: sed apud Imperatorem, Sacramentum est militare: sic neque in religione, quicunque actus iurandi, Sacramentum est religiosum: sed iurandi apud Deum; & quomodo Deus instituit: vnde Baptismi conceptum carmen, *In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Tum altera illa ratio repetenda, quam expressi vs; non enim simpliciter significantur res spirituales: sed promissiue. Itaque non nude repræsentandæ, sed in formam promissionis. Falsum est igitur perinde, esse quomodocunque instrumenta moralia significent.

XXXIII. Septima ratio Bellarmini. Sacramenta non solum pendent à Deo, in institutione, sed etiam in ipso vsu: ipse enim est, qui per Ministros suos baptizat, consecrat, absoluit. Ergo non sunt nuda signa ad excitandam fidem instituta, vt conciones: sed aliquid præterea efficiunt. Probatur consequentia. Nam vt verba & signa cætera solum significent & animum excitent repræsentando, nihil refert à quo procedant: siue enim dominus, siue seruus loquatur, idem semper verba eadem significant: nec magis excitat signum tubæ ad bellum, si tuba infletur ab Imperatore, quam à tubicine.

XXXIV. Negatur consequentia. Nam calumniam nudorum signorum corrigere oportet ex statu controuersiæ: ne sæpius eadem repetantur. Enimuero & instituit Deus Sacramenta tanquam instrumenta moralia: nec iis vtitur aliter, quam instituit: vt patet in Sacramentis veteribus. Exemplo Iridis, cui nemo vnquam tribuit internam inhærentemve efficaciâ impediendo diluuio. Imo Deus ipse dicerte, Genes. 9. *Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus cœli: & recordabor fœderis mei.* endebat ergo Iris à Deo, non in institutione duntaxat, sed etiam in vsu. nec tamen non erat in instrumentis moralibus.

XXXV. Ad probationem consequentiæ; nihil interesse ad excitandam fidem, à quo procedant: non est simpliciter concedendum. Etenim obseruanda institutio est. Multum enim interest ab vtro sigillum regium membranis adhibeatur, regione officiario, an priuato quopiam. Etsi enim sigilli vis nulla sit intestina, sed pendeat ab autoritate regia tam in vsu quam in institutione, tamen nulli priuato autoritas est applicandi id sigillum. In Veteri Testamento circuncidere poterat quicunque priuatus, & agnum paschalem immolare: sed non itidem sacrificia siue ἱλαστικὰ siue εὐχαριστικὰ: quæ oportebat deferri ad Sacerdotem: & efficaciam habere ab assistentia diuina. Cur non idem verum in Sacramentis Nouis?

XXXVI. Octaua ratio Bellarmini. Sacramenta non solum pendent à Deo, vt institutore, & principali agente, sed etiam à Christi passione & morte. Ergo non operantur Sacramenta solum repræsentando obiectum, sed vere efficiendo. Probatur consequentia, quia alioquin non eguissent Christi meritis, nec vllam eis virtutem Christus dedisset. Et sicut non recte diceretur concio manasse ex Christi latere, aut Christus dedisse concioni vllam virtutem ad significandum, quia id ex se habent verba: ita non recte diceremus Sacramenta prodisse ex Christi latere, vel Christum eis vim vllam indidisse.

XXXVII. Negatur consequentia. Ratio negandi, quia non gratia simpliciter repræsentatur, sed hæc gratia, quæ est per mortem Christi. Itaque oportet quocunque tandem modo efficacia sint, pendere à morte Christi: nam efficacia significat ipsam vim applicandi gratiam. Itaque si separentur a morte Christi, prorsus vim nullam habent efficiendi eam gratiam. Circuncisio, quia erat sigillum iustitiæ fidei, quæ nulla est nisi à morte Christi: non poterat ipsa esse vtilis absque morte Christi. Et serpens in deserto, quia significabat sanitatem animæ per Christi crucem: nullam poterat efficaciam habere nisi à cruce. Nam si Christus non fuisset crucifigendus, inanis, imo mendax significatio fuisset.

XXXVIII. Probatio consequentiæ æque ἀναγκαῖος. Nam omnino egent meritis Christi Sacramenta, vt merita Christi significent, siue id quod ex meritis iis consequitur. Itaque, qui maxime tuemur instrumenta moralia, iidem in liturgia Baptismi. *Vtrunque hoc* (nimirum caput nostræ regenerationis, cui Baptismus est consecratus.) *in Domino nostro Iesu Christo completum ac perfectum est: cuius mors & passio tantam vim habet, vt eam participantes, quasi sepulti peccato simus, vt carnis nostræ concupiscentiæ mortificentur atque exinanguantur.*

XXXIX. Sed non dicitur concio manasse à latere Christi. Ineptissime. Nam hoc quid pertinet ad efficaciam? Quanquam phrasis est non ex Scriptura, sed apud Patres allegoriis luxuriantes; vnde nullum veritati præiudicium esse debet: quia exilis allusio est ad aquam & sanguinem, ex vulneribus Christi. Sed vtcunque id sit; nihil prorsus ad modum pertinet, quo sint efficacia Sacramenta: sed ad ipsam institutionem eorum. Villagudus, *Vt illic quodammodo vitæ ostium, panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt.* Et post, *Prater naturam est, vt è corpore vulnerato fluat aqua: sed in his fide videmus benedictionis mysticæ ac sanctæ Baptismatis originem quandam atque primitias.* Denique, ante Bellarminum nemo erat hoc loco vsus, ad definiendum genus efficaciæ.

XL. Inepta est ergo comparatio: vt non dicitur concio manasse à Christi latere, sic neque Sacramenta. Nam quis nescit variarum rerum varias esse origines? Quanquam non origo proprie, sed figura. Toletus, *Duoque Sacramenta, Baptismus, quo corpus Ecclesiæ efficitur & mundatur: & Eucharistia, qua corpus formatum alitur, in aqua & sanguine repræsentantur. Ista duo sic doctores sacri interpretantur, vt per aquam Baptismus, per sanguinem Eucharistia significentur. Id affirmant Cyrillus, Chrysostomus, Cyprianus.* Salmero, tract 48. tomi 10. *Emisit sanguinem & aquam in signum duorum Sacramentorum, Baptismi in quo aqua tingimur, & Eucharistiæ, in qua sanguine potamur.* Maldonatus, in Matth. 27. *Diuino consilio, vt inde sanguis & aqua defluerent, humanæ salutis symbola,* factum est, *quemadmodum omnes veteres autores interpretantur. Nam & Christi sanguine redempti sumus, & aqua Baptismi, cum qua eius quodammodo miscetur sanguis, abluimur; & per sanguinem Eucharistiæ, qua alimur, per aquam Baptismus quo nascimur, duo præcipua salutis nostræ Sacramenta significantur.* Mitto alios. Enimuero magnum aliquod miraculum est scilicet, quod non sit idem typus tum prædicationis, tum Sacramentorum. Quasi omnium eadem esset analogia: & aqua manans è rupe, non tantum Baptismum, sed etiam Eucharistiam designare debuerit. Nugæ. Quare insanum est, quia non significata sit concio per sanguinem & aquam è latere Christi: sed Sacramenta: Ergo Sacramentum, non concionem, efficaciam suam ducere à morte Christi.

XLI. Nona ratio Bellarmini. Sacramenta instituta sunt, vt nos certos reddant remissionis peccatorum, & gratiæ Dei. Ergo non solum operantur obiectiue repræsentando, sed efficiendo reipsa, quod significant. Antecede

tecedens vtrinque conceditur. Probatur consequentia. Nam si Sacramenta solum operarentur significando, & excitando fidem, nullam adferrent certitudinem, Ratio; quia tunc penderet certitudo à nostra fide, non à Christi institutione.

XLII. Negatur consequentia. Nam circuncisio instituta erat in eundem finem: teste Paulo, qui non tantum σημεῖον dixit, sed etiam σφραγίδα iustitiæ fidei. Sigillorum autem est certos reddere, tantum significando, non etiam efficiendo. Similiter dictum antea; Iridem additam esse certificandi gratia: quæ tamen ipsa non poterat efficere, vt diluuium nullum esset. Posterioris Regum vicesimo, regressus Solis certum reddit Ezechiam restituendæ sanitatis; cum tamen ipsam non restitueret. Et omnino generalis doctrina est omnium signorum additorum promissionibus.

XLIII. In probatione rursus consequentia negatur. Adferunt enim Sacramenta magnam certitudinem, quia fidem excitant, & fouent. Nam quia fides ipsa est certitudo nostra, confidentium promissionibus diuinis, vt alias demonstratum; prorsus ridiculum est, si quis confiteatur excitari fidem, & neget adferri certitudinem. Est enim implicatio contradictionis manifestissima; vt si quis concederet à Sole causari visum, & tamen non effici lucem, per quam visus est: ab anima in corpore effici motum, & vitam minime.

XLIV. Sed certitudo, inquit, penderet à fide nostra. Quænam, inquam, certitudo? Significationisne ipsius, an nostra? Nostram enim pendere a fide, absurdissime dicas: quoniam ipsa fides penderet à seipsa: cum hæc certitudo sit ipsa fides.

XLV. Superest certitudo significationis. Ast hanc pendere à fide, cur dicant sophistæ? Sane enim ab institutione pendet; etiam si sine fide nulla sit. Cur dubitent, qui consentiunt nullam esse, si ponatur obex? Est autem hæc Papistarum doctrina; Sacramenta nihil efficere si ponatur obex: efficere autem, si non ponatur. Loquantur ergo clare, vt tandem aliquando intelligamus eorum mysteria: Pendetne efficacia Sacramentorum ab institutione, an non? Nam si nihilominus pendet ab institutione sola, quo nos argumento Bellarminus petit; cur non etiam si fide præsente agant, absente autem nihil agant? Non enim alia ratio est. At nos dicimus: efficaciam causarum, non pendere à causis, sine quibus non: id est, non propterea non esse vim suam instrumentis, quia impediri potest extrinsecis quibusdam circunstantis: vt non propterea non idonee doctor docet, quia discipulus est negligentior.

XLVI. Et sane, quandoquidem signa sunt fœderis; non alia debet esse Sacramentorum certitudo, quam fœderis ipsius. Exempli gratia; Fœdus erat initum cum Abrahamo in hæc verba, *Ero Deus tuus & seminis tui.* Ei fœderi additum signaculum circuncisionis, vt signaret eum, qui ad id fœdus pertineret. Quare si inanis promissio erat, necesse erat inane signum esse. Et contra, si illa certa, hoc efficax. Atqui promissio inanis erat, non à se, sed ab hominum nequitia. Vnde Paulus ad Rom. 9. Iudæorum fuisse dicit adoptionem, fœdus, & promissiones, & statim, *Fieri non potest vt exciderit sermo Dei. Non enim omnes qui ex Israel, sunt Israelitæ.* Et tertio, *Quid tum enim si quidam fuerunt increduli, num incredulitas eorum, fidem Dei inanem reddit? Absit. imo esto Deus verax, omnis autem homo mendax.* Quod si ab hominum nequitia erat inefficax, ergo non à se: sed à se potius efficax. Non igitur pendet ab humana fide promissionis efficacia: sic enim non esset à se efficax. Eadem ratio est Sacramentorum.

XLVII. Præsentius est exemplum Eucharistiæ: de quo sic Paulus 11. prioris ad Corinth. *Qui quis ederit panem hunc, ac biberit hoc poculum indigne, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini. Nam qui edit & bibit indigne, damnationem sibi ipsi edit & bibit.* Vnde constat indigne communicantibus Eucharistiam esse inefficacem. Nam opinor efficacia eius est communio corporis, & sanguinis Domini; vt patet tum ex institutione; tum ex cap. 10. eiusdem Epistolæ. Est igitur axioma: si digne quis edat & bibat; efficax erit Sacramentum: vt si indigne, inefficax. Quid ergo, pendetne hæc efficacia ab dignitate, indignitateve communicantis? Minime: nam Bellarminus in Luthero probauit Sacramenta non debere pendere à fide dantis, vel accipientis, sed à sola Dei institutione: nec opus est pluribus.

XLVIII. Decima ratio Bellarmini. Sacramenta non minus sunt efficacia, si dentur lingua incognita suscipienti, quam si cognita. Ergo non operantur more concionis, sed habent effectum suum præter fidei excitationem Consequentia patet; quia si operarentur more concionis, nihil efficerent nisi darentur lingua vulgari. Atqui efficacia esse etiam, cum lingua est incognita, probat, quia admittitur Baptisma Papisticum, quod semper datur lingua Latina.

XLIX. Respondeo, linguam incognitam vel eam esse, cuius sonus sit barbarus, vel cuius res significatæ non intelligantur. Fatemur interdum rata esse Sacramenta celebrata idiomate incognito secundum sonum: sed incognito secundum rem significatam, negamus. Nimirum rem intelligimus, ipsam vim institutionis; quæ ignorata, efficit vt nihil differat lotio Baptismi, à lotionibus Pharisæorum: nihil cœna Dominica, à cœna prophana. Sed lingua Latina non ita est incognita apud Papistas. Ratio est, quia apud Papistas explicatur natura Baptismi, tum in concionibus, tum in catechismis: adeo vt, etsi incognitus sit sonus murmuratorum verborum, tamen non sit incognitum, quid Baptismus fiet. Præterea, cum ad Catholicam à Papismo veniunt baptizati, tum plene discunt, quod antea ignorabant.

L. Negatur ergo consequentia. Nam concionis efficacia, est in cognitione rei. Itaque etsi sonus sit barbarus, si tamen res sit cognita, eodem modo efficacia erunt Sacramenta: non enim sonus quicquam confert ad efficaciam. Hinc patet ineptia confirmationis: est enim falsum nihil efficere, nisi dentur lingua vulgari: quia hæc sonus est. Denique si sciat baptizatus, Baptismum esse lauacrum regenerationis, efficax erit Baptismus; etiamsi singulas voces formæ non assequatur. Et efficax quidem in modum concionis.

LI. Vndecima ratio Bellarmini. Si Sacramenta operarentur excitando fidem, non esset vlla causa, cur adhiberentur hominibus doctis, qui legere possunt Scripturas: vel etiam imperitis qui audiunt conciones. Ratio consequentiæ. Quia multo melius excitat fidem Scriptura & concio quam Baptismus vel Eucharistia. Rursus. Quia imago Baptismi in tabula depicta posset idem facere: nam facit visibilem promissionem, & excitat fidem Tertio, etiam baptizato adstantibus eadem esse posset efficacia.

LII. Negatur consequentia. Quia sufficiens causa est, primum institutio, deinde confirmatio promissionis. Sic Abrahamus, etsi iam ante iustificatus, vt constat ex Paulo ad Roman. 5. tamen accepit signaculum iustificationis. Sic Centurio post acceptum Spiritum, accepit etiam Baptisma, Actor 10. Sic Ezechias post auditum verbum promissæ prolixioris vitæ, accepit tamen signum eius promissionis. Et Noe post promissum, nunquam futurum diluuium, Iridis signum constitutum. Asserentne Papistæ vtrique huic signo in solis gradibus, & Iride, fuisse internam efficaciam? Nam si negant, & tamen additum vident verbo promissionis; aut Deum accusent inconsiderationis: aut oportet concedant esse aliquam causam addendi signa verbis.

LIII. Sed verbum multo melius excitat fidem. Primo, quid tum, inquam? Non enim propterea institutio negligenda: itaque hæc legitima superesset causa. Deinde hoc ipsum negatur: quia enim fidei virtus est in certitudine: certe, quo maior certitudo erit, hoc melius fides excitabitur. Atqui arrhis, signaculis maior certitudo est, quam simplici promissioni, vt paulo ante dicebamus: quia in solo verbo nuda promissio est: at in signaculo amplius, scilicet, typus exhibitionis.

LIV. Tabula Baptismi idem posset. Portentum, inquam, assertionis: indignum dicerem Iesuita; si Iesuita indignum esse posset vllum imposturæ portentum. Nam primum, institutio contra est; quæ lotionem imperat: at lotionis pictura nulla lotio est: quemadmodum concionis pictura nulla concio. Secundo, lotio ita instituta est, vt ipse ille lauetur, in quo fides est excitanda: at nulla tabella lauat quenquam: id est, lotionem applicat: in quo vis magna est. Nam Sacramenta sunt accipienda: adeo vt aliis exhibita, non prosint aliis: vnde nec mater baptizatur pro infante, quem vtero gesta.

LV. Eadem solutio satisfacit etiam adstantibus Baptismo. Vt mirum sit adeo Iesuitas indulgere suo ingenio, vt ne absurdissima quidem quum obiiciunt, sperent sibi quenquam satisfacere posse. Sibine confidentes, an reliquos quoscunque habentes pro nihilo? An vtrunque?

LVI. Duodecimam rationem habemus ex Soto. Per Sacramenta Euangelica communicatur nobis virtus passionis Christi. Virtus autem passionis eius, nos membra Christi efficit. Ergo Sacramenta sunt vera causa gratiæ.

LVII. Respondeo, aliud proponi aliud concludi. Itaque negatur consequentia. Nam antecedens vtraque conceditur. Sane communicatur vis passionis Christi: sed tanquam per signa, & arrhabones, quod genus causæ morale est, non physicum. Esto igitur hæc vis, qualis describitur, nempe, vt membra simus Christi: certe eadem pertinebit ad moralem causam; non ad eam quam appellant physicam. Et vero legitima disputandi ratio, iubebat concludi, Ergo per Sacramenta afficimur membra Christi, quod nemo nostrum negasset: nam causa moralis, est causa. Sed Soto maluit fallere τὸ ἁπλῶς ὡς κατά τι, siue ab affirmato genere, ad affirmatam speciem.

LVIII. Decima tertia eiusdem. Hæc causalis est vera, quia homo baptizatur, virtute operis, fit Deo gratus, qui alia Sacramenta recipit fit gratior: Ergo Sacramenta sunt causa gratiæ. Tam vera enim est ista, Quia hic baptizatur, fit filius Dei, atque adeo ei dilectus, quam ista. Quia Philippus à Carolo genitus est, fit ei filius, à quo subinde diligitur. Quare sicut generatio carnalis est causa dilectionis paternæ, sic & Baptismus est causa diuinæ gratiæ.

LIX. En quo se audaciæ sophistica porrigat ἀναίδεια. Primum negatur, qui baptizetur, hunc fieri gratum Deo, ipsa virtute operis. Nam hæc est opinio Papistarum, cui nunc refellendæ laboramus. Secundo, negamus eum, qui alia Sacramenta recipiat, fieri gratiorem. Non enim hæc gratia, id est amor Dei, crescit per momenta, sed tantum eius à nobis acquiritur certitudo maior, quia confirmatior fides fit. Tertio, etsi verissima sit vtraque illa enunciatio, tamen non sequitur, vt carnalem generationem, sic Sacramentalem esse causam filiationis. Ratio manifesta, quia veritas enuntiationum consideratur in suo quæque genere. Potest enim comparari veritas rei, potest etiam veritas modi. Et enuntiationes esse veræ priori modo, quæ non sint posterioti. Patet in ipsa hac comparatione: nam Philippum ideo verum est esse filium Caroli, quia vniuersale axioma est, quicunque carnaliter genitus sit à Carolo, hunc esse eius filium. At Paulum baptizatum esse filium Dei, aliter verum est, quandoquidem falsum, quicunque baptizetur hunc esse filium Dei, ipsis confitentibus Papistis, non esse efficacem Baptismum, si ponatur obex. Itaque Paulum baptizatum esse Dei filium, ab alia causa verum esse oportet, ideoque aliter, quam à Baptismo, siue vt loquebatur Soto, à virtute operis, Non igitur eodem modo, quo illud alterum. Philippus est filius Caroli, quia hoc vere verum est ex virtute operis; id est, ex ipsa carnali generatione, quæ non potest esse aliter. Et tam absurdis, tam falsis præeuntibus, speret quisquam sequi posse legitimam conclusionem?

LX. Decima quarta eiusdem. Humanitas Christi fuit causa effectiua gratiæ, tanquam instrumentum coniunctum Deitati. Ergo sicut illa voce, *Lazare veni foras*, instrumentaliter illa suscitauit mortuum, & tactu digitorum sanauit oculos, & verbo illo, *Remittuntur tibi peccata tua*, remissionis gratiam paralytico largita est, ita per eandem humanitatem fuit nobis efficiens causa gratiæ. Ergo cum Sacramenta ab eadem passione effluxerint, ipsis ceu instrumentis separatis vtitur ad reddendos nos Deo gratos, nisi quod passio fuit causa vniuersalis gratiæ, quantum ad sufficientiam: Sacramentum vero, per quod nobis eadem applicatur, quantum ad efficaciam.

LXI. Ignoscat quantacunque est sophistarum turba, ego in hac argumentatione ingenue fateor, neque caput videre, neque pedes. Crediderim non fuisse sui compotem Dominicum, æstu nimio quodam disputationis raptum non in tertium illud cœlum, in quo perfecta ratio est, sed in Vtopicum aliquod, in quo neque pes neque caput satis suum officium faciat. Enimuero, quid illud est primum, vt voce suscitauit Lazarum, & digito cœcum, & voce remisit peccata, ita humanitas fuit nobis causa gratiæ: an vt hoc euincatur verum esse? Quis ergo negabat, vt necesse fuerit probare? An vero, vt ostendatur eandem esse vtrinque rationem, eandem, inquam, speciem

ſpeciem cauſæ? Abſurdum. Nam profecto vox alterius fuit generis: vtpote cum qua voce, quatenus vox fuit, nulla fuerit inhærens vis efficiendi, ſed tantum ſignificandi: vt ſæpe dictum. Itaque negatur humanitatem ita fuiſſe inſtrumentum, vt vocem.

LXII. Rurſus quid hoc? Humanitas Chriſti, fuit nobis efficiens cauſa gratiæ: ergo Sacramentis ceu inſtrumentis ſeparatis vtitur ad reddendos nos Deo gratos? Hoc inquam, quid portenti eſt? Quis nexum concipiat antecedentis & conſequentis? Proh Dei atque hominum fidem? adeon' impotenter deridiculo ſophiſtis eſſe, quantumcunque eſt hominum? Et tamē hoc quodcunque eſt audaciæ, temeritatis, impudentiæ, cui tandem bono? Scilicet tantæ molis erat concludere, Sacramentis vti tanquam inſtrumentis ſeparatis, ad reddendos nos gratos Deo! Quaſi hæc quæſtio vlla nunc eſſet: & non alia potius, quod genus eſſent inſtrumentorium, phyſicorumne an moralium.

LXIII. Decima quinta eiuſdem. Sicut dicimur lauari à peccatis noſtris in ſanguine Chriſti, Apocalypſ. 5. & 7. ac prioris ad Corinth. 1. ſic 5. ad Epheſ. legimus, *Mundans* Eccleſiam *lauacro aquæ in verbo*. Ergo ſicut Chriſtus ſanguine ſuo, tanquam inſtrumento coniuncto, ita Baptiſmo tanquam inſtrumento ſeparato facit nos Deo gratos: quod quidem ſimilitudinem potius naturalis inſtrumenti, quam cauſarum moralium gerit.

LXIV. Recurrit morbus: & eadem partium ἀναγλυφία. Nego enim ſequi, ſicut ſanguine tanquam coniuncto, ſic Baptiſmo tanquam ſeparato inſtrumento eſſe vſum Chriſtum. Deinde nego ad rem concludi: nemo enim negat Sacramenta eſſe inſtrumenta ſeparata: quæritur enim cuius generis; phyſicine an moralis. Imo, inquit, gerit ſimilitudinem quandam inſtrumenti naturalis. Nunquamne ergo ſophiſtæ hoc agent? Quærebatur, vtrum Sacramenta eſſent inſtrumenta naturalia: iſte diſputat habere ſimilitudinem naturalium. Egregiam vero laudem! quis negarat?

LXV. Enimuero omnia inſtrumenta moralia oportet ſimilitudinem quandam habere inſtrumentorum naturalium: alioquin nullo modo inſtrumenta eſſent: ſicut hominem oportet habere ſimilitudinem quandam bruti: quia vtrunque animal eſt. Quis enim negat hominem, quatenus animal eſt, habere ſimilitudinem aliquam bruti, quod ipſum æque animal eſt. Sed abſurda diſputatio eſt: habere ſimilitudinem naturalium, non moralium. Fallor: non eſt abſurda: nam moralia ſimilitudinem habere non poſſunt moralium: itaque reuoco, quod dictum: doque manus. Sed ſi habeant ſimilitudinem quandam naturalium, & non moralium: ideo non eſſe moralia, ſed naturalia, conſtanter nego.

LXVI. Decima ſexta eiuſdem. Gratia eſt cauſa gloriæ, non autem ex ſua ipſius natura, quatenus qualitas eſt, ſed ex inſtitutione diuina: neque vero tantum cauſa ſine qua non, ſed vere cauſa, vt cui que illam habenti Deus conferat gloriam: pari ergo modo & Sacramenta ſunt cauſa ſanctificandi hominem, quod fit per infuſionem eius gratiæ.

LXVII. Reſpondeo gratiam, vel proprie ſumi pro ipſa Dei bona in nos voluntate: vel metonymice, pro eius effectis in nobis, quæ aliàs χαρίσματα dici ſolent. Priori modo, concedo gratiam eſſe proprie & vere cauſam gloriæ: ſed nego pari modo Sacramenta eſſe cauſas ſanctificandi. Etenim non tantum illa non cauſat gloriam ſignificando; ſed ne quidem inſtrumentaliter: at iſta & ſignificando cauſant ſanctificationem, vt nos aſſerimus; & ſaltem inſtrumentaliter, vt Papiſtæ concedunt.

LXVIII. Altera autem notione, nego gratiam eſſe cauſam gloriæ propriam & veram: id eſt, phyſicam. Nam, vel eſt cauſa meritoria; niſi falſa Papiſtarum ſententia: vel eſt cauſa ſine qua, non: vt Catholici docent verè: contra quam Soto dixit. Atqui neuter modus pertinet ad cauſam phyſicam: quia nihil propriè confert ad gloriam ipſam efficiendam: niſi forte merita, tantum moraliter. Itaque neutro modo euinci poteſt Sacramenta eſſe phyſicam cauſam ſanctificationis.

LXIX. Sed ſanctificatio fit per infuſionem gratiæ. Ita eſt; per infuſionem inquam, gratiæ, quæ ſecundo loco eſt deſcripta: nam altera non infunditur. Veruntamen per illam ipſam infuſam gratiam fit ſanctificatio formaliter: quemadmodum albus fit paries formaliter per albedinem. Sed quid ad rem? Nam Sacramenta non infundunt gratiam phyſice: itaque ne ſanctificationem quidem efficere poſſunt phyſice.

LXX. Decima ſeptima eiuſdem. Sacramentum eſt cauſa gratiæ, veluti meritum eſt cauſa præmij, ſecundum Scotum: At meritum habet cauſalitatem reſpectu præmij. Ecquis enim neget operas mercenarij cauſam eſſe mercedis? Nam etſi ſoluens illam ſit proxima eius cauſa, nihilominus mouetur ab opere mercenarij, vt illam rependat.

LXXI. Reſpondeo: primum Scoti errores non eſſe imputandos veritati. Illum inconſiderate conceſſiſſe ſimiliter ſe habere Sacramenta ad gratiam; vt merita ad præmium, quod eſt abſurdum, quia merita agant in eum à quo rependitur merces, nempe obligando; id eſt, mouendo, vt loquitur. At Sacramenta abſurdum eſt agere in Deum proprie, quandoquidem creatura nihil omnino agere poſſit in creatorem. Enimuero quod habemus Geneſeos nono, *Apparebit arcus meus in nubibus cœli, & recordabor fœderis mei*; norunt omnes Theologi ἀνθρωποπαθῶς dictum, ideoque impropriè.

LXXII. Sed enim, etſi condonetur Scoto peccatum ſuum, tamen ſophiſtæ argumentum eſt inutile. Nam Scotus negabat meritum habere cauſalitatem actiuam præmij; id eſt quæ produceret ipſum præmium, quomodo Papiſtæ Sacramentis affingunt cauſalitatem actiuam ipſius gratiæ: & quidem immediatam. Itaque impoſtor eſt Soto, aſſerens meritum habere cauſalitatem reſpectu præmij. Nam omnis cauſalitas, reſpectu præmij, non eſt effectiua, non eſt immediate effectiua. Et ſanè, vt facile conceſſurus erat Scotus quod tam vehementer vrget Sotus, neminem negare operas mercenarij eſſe cauſam mercedis, tamen ſtupidos appellaturus erat Scotus, ſi quis Sotus dixiſſet operas mercenarij eſſe immediate effectiuas mercedis. Etenim mouere eum qui dat præmium, longe aliud eſt, quàm efficere præmium; quàm efficere phyſicè, quàm efficere immediate. Certe Dauid 1. Paralip. 28. mouit Salomonem ad ædificandum templum. Sic enim hortatus eſt, *Nunc ergo, quia elegit te Dominus vt ædificares domum ſanctuarii, confortare, & perfice.* An ipſe ædificauit phyſice? an immediate? Imo audi, *Deus autem dixit mihi, Non ædificabis domum nomini meo.*

LXXIII. Decima octaua eiuſdem. Verba Sacramentalia, Hoc eſt corpus meum, modo ineffabili ſunt cauſa inſtrumentalis tranſubſtantiationis. Probatur: quia ſunt, vt omnes fatentur verba practica, id quod ſignificant efficientia. Ergo eadem ratione Deus & dare potuit: & vere dedit Sacramentis vim organicam ſanctificandi hominem.

LXXIV. Primo, falſum eſt antecedens; & ſuo loco diſputandum, propria controuerſia. Deinde negatur conſequentia. Nam antecedens, loquitur de effectu verborum Sacramentalium, in ſigna, quibus adduntur: at ſanctificatio in conſequente ad effectum pertinet Sacramenti in communicantibus. Non poſſe autem ex illo concludi, iſtud manifeſtum ſit ab ipſo Euchariſtiæ exemplo. Nam quicquid id ſit, quod verba illa efficiant in pane & vino: tamen non efficere ſemper ſanctificationem in accipientes: quia fatentur Papiſtæ Sacramentum ſic tranſubſtantiatum ſumi ab impiis, ſumi à canibus. An ergo Sacramentum ex opere operato ſanctificat canes? ſanctificat impios? vtrumque abſurdum: nam ſanctificari impios, manentes impios; implicat contradictionem: ſanctificari canes carentes ratione quis dicat?

LXXV. Decima nona eiuſdem. Fac aliquot ſeculis contigiſſe amicitiam conglutinari inter homines & Deum abſque aliqua qualitate, vt fit inter homines: profecto nulla exiſteret difficultas in intelligendo, quomodo Sacramentum eſſet cauſa gratiæ. Igitur ſi poſtmodum inſtitueret, vt cuicunque amico infunderet illam qualitatem nihilominus intelligeretur eſſe cauſa eiuſdem gratiæ, & conſequutiue illius qualitatis.

LXXVI. Parum abfuit vt hoc quicquid eſt monſtroſi ſophiſmatis penitus abolerem, vere indignum, cui in ſeria diſputatione locus eſſet. Speraui tamen haud abſque vſu futurum, ſi proderet ingenium ſophiſtarum, quibus veritas propoſita eſt oppugnanda: & ita oppugnanda, vt nihil reliquum fiat audaciæ, temeritatis, impudentiæ; adeo nullum eis venit in mentem tam abſurdum ſomnium, quod ſe putent indignum.

LXXVII. Sed ponamus, inquit, amicitiam inter Deum & homines interceſſiſſe abſque vlla qualitate. Quam dicis qualitatem ſoph.ſta? præcedentemne an ſequentem amicitiam; id eſt cauſamne amandi, an effectum amoris? Nam ſi cauſam: quid rogas poni, quod neceſſe eſt & me profiteri, & te contendere; aut Scripturæ bellum indicere? Noſtin amatum fuiſſe Iacobum, antequam quicquam egiſſet boni? Noſtin id notatum ab Apoſtolo exempli gratia; & vt firmaret vniuerſalem doctrinam? Eſto igitur hoc poſitum; non tanquam liberaliter poſitum, ſed tanquam neceſſario confeſſum. Quid tum?

LXXVIII. Intelligitur, inquit, quomodo Sacramenta ſint cauſa gratiæ. Nihil minus, inquam. Etenim hic amor abſque vllis eſt Sacramentis, itidem præcedentibus. Nam Iacobus adhuc in vtero, ſic amatus: non in vtero circunciſus. Tum autem, cum circunciſus, non propterea circunciſio cauſa fuit gratiæ: nam ita diſputant ſophiſtæ, qui negant vetera Sacramenta fuiſſe cauſas gratiæ. Dico igitur contra Dominicum: etſi ante vllam qualitatem amicitia fuerit conglutinata, Deum inter & Iacobum, tamen non poteſt intelligi Circunciſionem fuiſſe cauſam gratiæ: cur non eadem difficultas in Baptiſmo?

LXXIX. Sin autem qualitatem ſubſequentem malit Dominicus; reſpondeo poni impoſſibile. Quia amor Dei non poteſt eſſe inefficax. non poteſt, inquam, hominem amatum relinquere in peccato. Primæ Ioanni 3. *Ad hoc patefactus eſt Filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli.* Et tamen hoc ipſum impoſſibile ponamus gratis: quid ergo? Nimirum intelligitur, quomodo Sacramenta ſint cauſa gratiæ. Itane? atque hoc potuit vir quiſquam ſomniare? At nos indignamur tam alte ſtertentibus, *Excitare qui dormis, & ſurge à mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus.*

LXXX. Supereſt ex Rubeo viceſima ratio. Omnis cauſa moralis mouet agentem: At Sacramenta non mouent Deum ad efficiendum gratiam: Ergo non ſunt cauſa moralis. Probatur minor. Nullum inſtrumentum mouet cauſam principem: At Sacramenta ſunt inſtrumenta: Ergo non mouent Deum. Formaui in eum modum: nam Rubeus informem reliquit.

LXXXI. Reſpondeo, negari maiorem prioris ſyllogiſmi. Nam cauſæ morales opponuntur cauſis phyſicis: itaque quot genera ſunt phyſicarum, totidem ſunt moralium. Quare non tantum principes cauſæ morales: ſed etiam quædam ſunt inſtrumentales. Atque vniuerſale eſt omnibus inſtrumentis, vt moueantur à cauſa principe, non autem moueant eam. Sic in contractibus ciuilibus, ſigilla ſunt cauſæ morales inſtrumentales: ſed & ipſæ membranæ quibus inſcripti contractus: ſic annulus cauſa moralis nuptiarum, ſic apud Bernardum annulus, & liber cauſa moralis inueſtiturarum. Sic alia multa, vt merito nihil ſit difficile, quum dicunt Catholici Sacramenta eſſe cauſas morales, etſi non moueant Deum. Quanquam etiam ἀνθρωποπαθῶς Scriptura hoc ipſum aſſerat. Nam Geneſ. 9. *Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus cœli, & recordabor fœderis mei quod pepigi vobiſcum.*

CAP. VI.

De Veterum Teſtimoniis.

I. VTperſunt veterum teſtimonia faſtuoſe diſtributa Bellarmino in Concilia Patreſque Græcos, & Latinos: vt ſolet tum maxime affectare magnificentiæ pompam, cum rei ſoliditate deſtituitur. Diſtribuam aliter, in rem intentior quam in faſtum. Quo inquam obiter moneo, nihil proferri niſi de Baptiſmo duntaxat, & Euchariſtia: vt mirum videri merito queat, ſi tam fuit perſuaſa olim theſis de vi omnium Sacramentorum, qui factum ſit vt de reliquis tantum ſit ſilentium. Et qui factum, vt qui apiſtæ vix conſentiunt omnia eſſe σφραγίδας; quo nomine Circunciſionem appellatam vident; omnibus tamen inhærentem ſignis efficaciam vindicent, quam tamen non niſi in vno Baptiſmo probare nunc Bellarminus aggreditur. Quod quanquam nobis faciat non inuitis, tamen notandum fuit, vt ac tam manifeſtam inconſtantiam diſſimulatum iremus.

II. Probat ergo primum, magnam eſſe vim Baptiſmi; multis deſcriptis locis: Concilium Nicenum apud Alfonſum Piſanum, addo & apud Piſanū meliorem teſtem Gelaziū Cyzicenū, *Baptiſma noſtrū non oculis corporis conſide-*

conſiderandum eſt,ſed mentis. Aquam vides,conſidera virtutem Dei in aquis abſconditam. Baſilius de Spiritu S.c.15. *Si quæ eſt in aqua gratia,non ex aquæ natura eſt,ſed ex præſentia Spiritus.* Tertullianus de Baptiſmo, *Primus liquor,quod viueret dedit* (ſic etiam legit Pamelius) *ne mirum ſit in Baptiſmo,ſi aquæ animare nouerunt.* Hieronymus ad Oceanum Epiſt 83. *Quantam vim habeat Baptiſma,& aqua in Chriſto ſanctificata gratiam,paulo poſt docebo.* Et paulo poſt, *Dies me deficiet:ſi cuncta quæ ad potentiam Baptiſmi pertinent, de Scripturis Sanctis voluero digerere.* Optatus lib. 5. *Baptiſma Chriſtianorum Trinitate confectum,confert gratiam.* Auguſtinus de Baptiſmo lib 4.cap.24. *Et ipſum per ſeipſum Sacramentum multum valebat.* Lib.19.contra Fauſtum c.11. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta ſacrilegos facit. Impie quippe contemnitur ſine qua non poteſt perfici pietas.*

III. Hanc vim Baptiſmi exſeri in remiſſionem peccatorum, regenerationem,renouationem,& cætera ſimilia Concilium Nicenum in διατυπώσει Baptiſmatis, *Deſcendit quidem is qui baptizatur, peccatis obnoxius & ſeruitutis corruptione detentus: aſcendit autem ab ea ſeruitute & peccatis liber, Filius Dei, & hæres, & cohæres Chriſti.* Concilium Conſtantinopolitanum, in Symbolo, *Credimus in vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Mileuitanum,c.2. *Paruuli qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt,ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur,quod generatione traxerunt.* Arauſicanum ſecundum, cap.25. *Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia,omnes baptizati, Chriſto adiuuante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent,poſſunt, & debent,ſi fideliter laborare voluerint,implere.*

IV. Græci.Iuſtinus Apologetico ad Antoninum, *Remiſſionem ante commiſſorum peccatorum conſequimur in aqua.* Clemens Pædagogi 1. c 6. *Multis modis vocatur hoc opus: gratia,illuminatio,perfectum, & lauacrum. Lauacrum quidem, per quod peccata abſtergimus: gratia autem, qua remittuntur pœnæ,quæ peccatis debentur: illuminatio autem per quam ſanctam illam & ſalutarem lucem intuemur:perfectum autem dicimus,cui nihil deeſt.* Origines Homilia 14.in Lucæ 2. *Mortuus in peccatis deſcendiſti, & aſcendis viuificatus in iuſtitia.* Iterum, *Et quia per Baptiſmi Sacramentum natiuitatis ſordes deponuntur,propterea baptizantur & paruuli.* Cyrillus Catecheſi 3. *Mortuus in peccatis deſcendiſti, & aſcendis viuificatus in iuſtitia.* Et in præfat. *Magnum eſt ſane propoſitum: hoc Baptiſma captiuitatis liberatio peccatorum remiſſio, animæ regeneratio,currus ad cœlū.* Gregorius Nyſſen.de Baptiſmo, *Baptiſma peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorū, renouationis, & regenerationis cauſa.* Chryſoſtomus Hom.39.in Geneſin, *Quod illic operatur Circumciſio in depoſitione carnis: id agit hic Baptiſmus in depoſitione peccatorum.* In Ioannem Hom.24. *Quod eſt matrix embryoni: hoc eſt fideli aqua. Si quidem in aqua fingitur & formatur.* Cyrillus in Ioannem lib.2.c.42. *Quemadmodum viribus ignis intentius aqua calefacta,non aliter vrit,quam ipſe ignis: ſic Spiritus Sancti operatione aqua, quâ baptizati corpus aſpergitur, reformatur ad diuinitatem & potentiam.* Theodoretus in 10.ad Hebr. *In lege vtebantur aſperſionibus, & corpus frequenter lauabant: qui autem ex Nouo Teſtamento vitam inſtituunt;per ſanctiſſimum Baptiſma animam expurgant, & à prioribus maculis liberam reddunt conſcientiam.* Præter hos; Theodoretus in Epitomis,c.de Baptiſmo. Damaſcenus lib.4.de fide c.10. Theophylactus in 3.& 5.Ioannis. Oecumenius in 10.ad Hebræos.

V. Latini. Tertullianus de Reſurrectione, *Caro abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima conſecretur: caro ſignatur, vt anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.* Cyprianus Epiſt.2. *Difficile ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi diuina indulgentia pollicebatur,vt quis renaſci denuo poſſet, vtque in nouam vitam lauacro aquæ ſalutaris animatus, quod prius fuerat deponeret,corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Qui poſſibilis,aiebam,eſt tanta conuerſio?* Mox. *Sed poſtquam vndæ genitalis auxilio ſuperioris æui labe deterſa in expiatum pectus ac purum, deſuper ſe lumen infudit: poſtquam cœlitus Spiritu hauſto,in nouum me hominem natiuitas ſecunda reparauit: mirum in modum protinus confirmare ſe dubia, &c* Idem Epiſt. 59. infantes iubet baptizandos, vt peccatorum remiſſionem obtineant. Lactantius lib.7.c.5. *Cum homo cœleſti lauacro purificatus exponit infantiam, cum omni labe vitæ prioris, & incremento diuini vigoris accepto, fit homo perfectus ac plenus.* Syluester Papa apud Nicephorum lib.7.c.33. *Hæc aqua diuina virtute per inuocationem Trinitatis concepta, ſicut extra corpus hominis abluit, ita animum intra à ſorde & inquinatione mundans, ſplendidiorem radiis ſolaribus effigit.* Ambroſius lib.2 de Pœnitentia, c. 2. *Impoſſibile videbatur vt peccatum ablueret aqua. Et Naaman Syrus lepram ſuam mundari per aquam poſſe non credidit: ſed quod impoſſibile erat, Deus fecit poſſibile eſſe, qui tantam nobis donauit gratiam.* Idem de Sacramentis lib.1. c. 4 & 5 Secundi .& 3. Tertij 1. De iis qui myſteriis initiantur 3.& 9. In Lucam 9.tertio. De Spiritu tertij 11. Auguſtinus in Ioann.tract 8. *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat,cor abluat?* Et poſt. *Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento,niſi adderetur in verbo.* Leo ſerm. 4.de Natali, *Omni homini renaſcenti aqua Baptiſmatis inſtar eſt vteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui repleuit & virginem; vt peccatum, quod ibi vacuauit ſacra conceptio, hic myſtica tollat ablutio.* Et ſerm. *Originem quam ſumpſit in vtero virginis poſuit in fonte Baptiſmatis: dedit aquæ,quod dedit matri. Virtus enim altiſſimi, & obumbratio Spiritus Sancti,quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem, eadem facit vt generet vnda credentem.* Gregorius lib. 9 Epiſt 39. *Qui dicit peccata in Baptiſmate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos* Proſper Epiſt. ad Demetriadem inter Epiſtolas Ambroſij, *Quamuis ad vnum concurrant omnes eiuſdem myſterii portiones, aliud tamē eſt quod viſibiliter agitur aliud quod inuiſibiliter celebratur. Nec idem eſt in Sacramento forma quod virtus: cum forma cum humani miniſterii* (ſic lege nō myſterij) *adhibeatur obſequio: virtus autem per diuini operis præſtetur effectum: ad cuius vtique potentiam referendum eſt, quod dum homo exterior abluitur, mutatur interior, & fit noua creatura de veteri, vaſa miſericordiæ feruntur, & in corpus Chriſti conuertitur caro peccati.*

VI. Hæc de Baptiſmo. De Euchariſtia pauca, & ex Latinis tantum. Tertulliano de Reſurrectione, *Caro corpore Chriſti, & ſanguine veſcatur, & anima de Deo ſaginetur.* Emiſſenus, ſiue alius, Homilia de Sacramento corporis Dominici, quæ habetur etiam tomo Hieronymi 9. *Vt ad nutum præcipientis Domini, repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum: ita parem potentiam in ſpiritualibus Sacramentis verbi præbet virtus, & rei ſeruit effectus.* Bernardus in Serm. de carne Domini, *Duo operatur in nobis Sacramentum Dominici corporis, vt videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrûm non tam ſæpe modo, non tam acerbe ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.*

VII. Hæc ille omnia. Sed quorſum? Nam probant illa quidem Sacramentorum efficaciam: eamque magnam, atque mirabilem. Sed hanc quis impugnabat noſtrum? Quod nos prolixius diſſeruimus capite ſecundo. Nempe igitur definitioi eſſe debuit diſputatio: vt inducerentur loci quibus hęc efficacia demonſtraretur eſſe phyſica potius quam moralis: & inſita potius quam adſita: ipſorum denique ſignorum, non ab adſiſtente vi diuina. Nam & nos ſuo loco facile probabimus moralem adſitamque ex adſiſtentia diuinæ virtutis. Et hic habemus ab aliquibus Bellarmini teſtibus diſerta in eam rem enunciata

VIII. Certe eadem διατυπώσει Concilium Nicenum; non tantum obſeruat ἐν τοῖς ὕδασι κεκρυμμένην τοῦ θεοῦ, *Virtutem Dei in aquis abſconditam:* ſed etiam probat ex illo Ioannis, *Ipſe baptizabit vos Spiritu Sancto & igne.* Gregorius Nyſſenus illa ipſa oratione in Baptiſmum Chriſti. ταύτην δὲ τὴν εὐεργεσίαν οὐ τὸ ὕδωρ χαρίζεται. ἦν γὰρ ἁπάσης τῆς κτίσεως ὑψηλότερον· ἀλλὰ θεοῦ πρόσταγμα, καὶ ἡ τοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησις, μυστικῶς ἐρχομένη πρὸς τὴν ἡμετέραν ἐλευθερίαν. ὕδωρ δὲ ὑπηρετεῖ πρὸς ἔνδειξιν τῆς καθάρσεως. *Hoc autem beneficium, nō aqua largitur* (*eſſet enim omni creatura ſublimior:*) *ſed Dei præceptum, & Spiritus, qui myſtice ad noſtram libertatem venit, aduentus. Aqua vero ſubſeruit ad indicationem purgationis.* Poſſum alia multa inducere. Sed commodius poſt paulo. Nunc ſatis eſt; vt doceam illam, quæcunque eſt, efficaciam Sacramentis tributam; non eſſe illam inhærentem elementis, inſtar phyſicorum inſtrumentorum: quam impugnatum imus.

IX. Verum enimuero vrget ſophiſta varie, variis notationibus. Has ſigillatim nūc excutiam; reuocatas ad duo capita, apta vitandis ταυτολογίαις. Primum eſto caput, quo probetur, in aqua eſſe eam vim. Probat ex Baſilio obiicientibus; ſi ideo Spiritus æqualis ſit Patri & Filio, quia in ipſo baptizemūr, futuram item aquam iis æqualem, quod in ipſa baptizemur; reſpondente in aqua gratiam eſſe non ex natura, ſed ex præſentia Spiritus: qui potius debuiſſet, aquam nihil facere.

X. Imo aquam nihil efficere, non debuit dici: ſed nō efficere ipſam gratiam. Atqui hoc Baſilius dixit: & dixit diſerte, cuius diſputationem totam Bellarminus diſſimulauit improbe. Primum ipſa quæ Bellarminus citat verba, nullam ſignificant aquæ efficientiam. εἴ τις ἐστὶν ἐν τῷ ὕδατι χάρις: *Si qua eſt in aqua gratia.* Atqui etiam in fidelibus gratia eſt, quam tamen patiuntur potius fideles, quam efficiunt. Quare etſi inſit aquæ gratia, non ſequitur effici ab ea.

XI. Deinde diſputatio tota declarat, efficientiam vniuerſam gratiæ aſſignari ſpiritui: at ſolam ſignificationem, aquæ: quæ prorſus noſtra ſententia eſt. Audi, Ὁ τὴν ζωὴν ἡμῖν οἰκονομῶν κύριος, τὴν τοῦ βαπτίσματος ἡμῖν ἔθετο διαθήκην, θανάτου τύπον καὶ ζωῆς περιέχουσαν· τὴν μὲν τοῦ θανάτου εἰκόνα τοῦ ὕδατος ἐκπληροῦντος. τὸν δὲ τῆς ζωῆς ἀῤῥαβῶνα παρεχομένου τοῦ πνεύματος. *Dominus, qui vitam nobis diſpenſauit, Baptiſmi nobis teſtamentum impoſuit, continens typum mortis & vitæ: aqua ſcilicet imaginem mortis implente: at vitæ pignus præbente ſpiritu.* Audin, aquæ aſſignatam figuram, ſpiritui exhibitionem? Pergit ὥστε σαφὲς ἡμῖν ἐν τούτου γέγονε τὸ ζητούμενον, διὰ τί τῷ πνεύματι τὸ ὕδωρ συμπαρελήφθη. ὅτι δύο σκοπῶν ἐν τῷ βαπτίσματι προκειμένων, καταργῆσαι μὲν τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας τοῦ μηκέτι αὐτὸ καρποφορεῖν τῷ θανάτῳ, ζῆν δὲ τῷ πνεύματι καὶ τὸν καρπὸν ἔχειν ἐν ἁγιασμῷ· τὸ μὲν ὕδωρ τοῦ θανάτου τὴν εἰκόνα παρέχει, ὥσπερ ἐν ταφῇ τὸ σῶμα παραδεχόμενον. τὸ δὲ πνεῦμα τὴν ζωοποιὸν ἐνίησι δύναμιν ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν ἁμαρτίαν νεκρότητος εἰς τὴν ἐξ ἀρχῆς ζωὴν τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἀνακαινίζον· τοῦτο οὖν ἐστὶ τὸ ἄνωθεν γεννηθῆναι ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος· ὡς τῆς μὲν νεκρώσεως ἐν τῷ ὕδατι τελουμένης, τῆς δὲ ζωῆς ἡμῶν ἐνεργουμένης διὰ τοῦ πνεύματος. ἐν τρισὶν οὖν ταῖς καταδύσεσι καὶ ἰσαρίθμοις ταῖς ἐπικλήσεσι, τὸ μέγα μυστήριον τοῦ βαπτίσματος τελειοῦται ἵνα καὶ ὁ τοῦ θανάτου τύπος ἐξεικονισθῇ, καὶ τῇ παραδόσει τῆς θεογνωσίας, τὰς ψυχὰς φωτισθῶσιν οἱ βαπτιζόμενοι. *Itaque hinc perſpicuum eſt id quod quæritur, quare vna cum ſpiritu aſſumatur aqua: nimirum, quum geminus ſit ſcopus Baptiſmati propoſitus, ſcilicet, vt deſtruatur corpus peccati, ne amplius fructificet morti, & viuere ſpiritui, fructumque obtinere in ſanctificatione: aqua quidem mortis imaginem exhibet, corpus admittens tanquam in ſepulturam, & ſpiritus, viuificam immittit vim, à mortalitate ſecundum peccatum, in priſtinam vitam animas noſtras reſtaurans. Hoc enim eſt ex alto naſci, ex aqua & ſpiritu, nempe mortificatione quidem in aqua celebrata, vita vero noſtra efficaciter præſtita per ſpiritum. Itaque in tribus merſionibus totidemque inuocationibus myſteriū Baptiſmi conficitur, vt & mortis typus figuretur; & tradita Dei cognitione baptizatorum mentes illuſtrentur.* Viden quam accurate, quam diligenter quā conſtanter diſparentur aqua & ſpiritus in Baptiſmo? quam diſtincte ſuum cuique aſſignetur? Aquæ nihil præter τύπον: Spiritui vero ſoli, quicquid eſt efficacitatis? quæ præſtatur gratia in ſpiritibus baptizatorum? Deus bone! hæc tam diſerta: hæc tam curioſe repetita, nunquam eſſe à Bellarmino notata: eſſe tam alte diſſimulata, quam ſi extarent nuſquam: nunquam fuiſſent dicta, ſcripta! Potuitne hoc artificium tam ſtupidum, non olere ſophiſtam?

XII. Nec aliter theologice philoſophatus Baſilio amiciſſimus Nazianzenus orat 49. Διττῶν δὲ ὄντων ἡμῶν, ἐκ ψυχῆς λέγω καὶ σώματος, καὶ τῆς μὲν ὁρατῆς, τῆς δὲ ἀοράτου φύσεως, διττὴ καὶ ἡ κάθαρσις, δι' ὕδατός τέ φημι, καὶ πνεύματος, τοῦ μὲν θεωρητικῶς τε καὶ σωματικῶς λαμβανομένου, τοῦ δὲ ἀσωμάτως καὶ ἀθεωρήτως συντρέχοντος. καὶ τοῦ μὲν τυπικοῦ, τοῦ δὲ ἀληθινοῦ καὶ τὰ βάθη καθαίροντος. *Quandoquidem duabus partibus, hoc eſt, animo & corpore conſtamus, quarum altera in aſpectum cadit, altera oculorum ſenſum fugit: duabus quoque rebus conſtat Baptiſmus, aqua ſcilicet & ſpiritu: illa viſibili & corporeo modo accepta, hoc vero incorporeo & inuiſibili concurrente, illa typica, hoc vero, & intimos animi ſines purgante* Quæ verba, etſi perſpicua ſint, ac per ſe facile nota: tamen audi Nicetæ paraphraſin, *Et quidem aqua purgationis figuram gerit. Purgatio enim quæ per aquam fit, eam, quæ per ſpiritum comparatur deſignat: vt enim corpus ab aqua, ſic anima à ſpiritu luſtratur: atque ita res in oculos cadens rei inuiſibilis ſignum eſt: at ſpiritus veram purgationem continet, nec ſuperficietenus corpora purgat, verum animam, ac penetralia ipſa expiat.* Sunt hæc facilia. Et poſt paulo recurrent.

XII.

XIII. In eadem aqua vim esse probat ex Nysseno nobis duobus argumentis Priore quod comparet aquam Baptismi virgæ Aaronis: quæ miracula faciebat efficienter. Altero, quod comparet semini, quod est causa hominis efficiens.

XIV. Imo, inquam, peruerse & hæc omnia. Nyssenus enim exserte docet aquam ipsam nihil operari. Quin altius, nihil operari res terrenas quarum exempla colligit: sed Deum ipsum. Vide, Μὴ καταφρονήσῃς τοῦ θείου λουτροῦ μηδὲ ὡς κοινὸν αὐτὸ ἐξευτελίσῃς διὰ τὴν χρῆσιν τοῦ ὕδατος, *Caue contemnas diuinum lauacrum: caue, parui facias, quasi promiscuum quid, propter vsum aquæ.* Grauiter. Sed quamobrem? Attende: τὸ γὰρ ἐνεργοῦν μέγα, καὶ ἀπ' ἐκείνου θαυμαστὰ γίνεται τὰ πληρούμενα, *Etenim id quod operatur, magnum est, & ab eo mira fiunt, quæ fiunt.* Viden? Ἐὰν μὴ ἐπιμύῃς; nisi ipse claudas oculos, distinguis aquam ab eo qui operatur? Obiiciebatur aqua, tanquam legitima contemptus causa: nec inficias it Nyssenus. Quid ergo? Opponit τὸ ἐνεργοῦν. Annon ad mentem Basilij fratris? Et ab isto esse θαυμαστὰ τὰ πληρούμενα. Ab eo, inquam, quod ἐνεργεῖ; id est in aqua efficientiam præstat: vt scilicet quanuis aqua adhibeatur, tamen aliud ab aqua sit τὸ ἐνεργοῦν.

XV Sed comparat virgæ Aaronis Quomodo, inquam? Anne, vt idem vtrinque genus efficientiæ statuat? Minime gentium. Sed vt thesim duntaxat probet, rebus vilibus magna effici. ὅπως (inquit, nam præcesserant alia exempla) ἐπὶ πολλὰ τῶν πραγμάτων φέρων τὸν νοῦν, εὐκαταφρόνητα μὲν ὄψει τὰ φαινόμενα, μεγάλα δὲ τὰ ἀπ' ἐκείνων πληρούμενα, *Atque ita ad multas res animum aduertens, contemnenda quidem videbis ea quæ apparent, magna vero quæ ab illis efficiuntur.* Est ergo thesis, vtrum quæ exilia sint, magna operentur: Inuertit Iesuita: quasi quæstio esset, vtrum quæ exigua sint, agant insita virtute. Longo discrimine. Nam ad illam thesin pertinebant varia efficientiæ genera. Atque adeo cur vnam virgam sophista delegit? Nam præcesserat aliud exemplum τοῦ θυσιαστηρίου, quod cum lapis sit κατὰ τὴν φύσιν κοινὸς natura communis; tamen fit mensa sancta, altare immaculatum, à solis sacerdotibus contrectandum. At hoc certe exemplum, non habet eiusdem illius generis efficaciam. Hæc variorum exemplorum congeries, argumento est perperam detorqueri mentem Nysseni.

XVI. Secundo; vnde habet Bellarminus Virgam Aaron fecisse miracula efficienter? Nusquam dixit Nyssenus: nec quisquam veterum quod sciam. Imo Nyssenus. Deum per virgam. Virga erat nuce ῥάβδος δὲ ὁ θεὸς ἠθέλησεν ἐπιτελέσαι δι' ἐκείνης τὰ ὑψηλὰ καὶ τοῦ λόγου κρείττονα θαύματα, μετεβάλλετο τὸ ξύλον εἰς ὄφιν. *At quum Deus voluit perficere per eam celsa illa & rationem superantia miracula, lignum vertitur in serpentem:* & quæ deinceps. Valde hæc perspicua. Nam etsi obiici possit Deum tanquam causam efficere per secundas, quibus imposuit vim inhærentem, tamen apparet Nyssenum eius non habuisse rationem: scilicet quia primo loco exemplum posuit in quo nihil virga effecerit, sed tantum passa sit. Vnde lux debet accedere aliis eiusdem verbis; quum dicit; *Contemnenda quidem videbis ea quæ apparent, magna vero quæ ab illis efficiuntur.* Nempe salua semper quæstione, quomodo ab eis efficiantur; an per vim inhærentem, an per adsistentem.

XVII. Comparat semini. Et semen causa efficiens hominis. Bis falsum inquam. Nam nec comparatur efficacia aquæ, efficaciæ seminis: sed hoc exemplo impugnatur aduersariorum pertinaciæ noua causa; quærentium rationem qua regeneret aqua, *Si mihi rursus dubitando, & ambigendo negotium exhibeat, continenter interrogans & sciscitans.* πῶς ὕδωρ ἀναγεννᾷ, καὶ ἡ ἐπ' ἐκείνῳ τελουμένη μυσταγωγία; *qua ratione aqua, quæque in ea peragitur mystagogia regeneret; dicam optimo iure ad eum, ostende mihi modum natiuitatis, quæ fit secundum carnem: & ego tibi vim regenerationis, quæ secundum animam fit, exponam.* Hæc Nyssenus: quæstionem quæstione retundens: & docens non esse mirum si lateat ratio regenerationis, cum lateat generationis: neque debere illam reuocari propterea in dubium: quando hæc certissima sit, etsi obscura. Quam ad rem nihil erat profecto necesse: vtrinque similem supponere energiam: sed duntaxat æqualem obscuritatem. Et vero vt videas; nota non subsisti in hoc seminis exemplo, sed produci longe lateque in omnes naturæ partes. Καὶ κατὰ πάσης κτίσεως οὕτως ὁ λόγος ἀσχολοῖτο. *Atque de omni creatura ita ratio progrediens in vnaquaque re exercebitur: qui cœlum? qui terram? qui mare? qui res singulares? Vbique enim ratio hominum ad inuentionem perplexa hæsitans,* πρὸς τὴν πῶς ταύτην καταφεύγει τὴν συλλαβήν, ὡς πρὸς καθέδραν οἱ τῷ βαδίζειν ἀδυνατοῦντες *ad hanc syllabam confugit, sicuti ad sellam qui ingredi & ambulare non possunt.* Audin? perinde adferri omnia rerum exempla? An ergo omnium credis similem esse eiusdemque generis efficientiam? Sed concludentem audi, *Et vt rem paucis absoluam:* πανταχοῦ ἡ τοῦ θεοῦ δύναμις καὶ ἐνέργεια ἀκατάληπτός ἐστι καὶ ἀτεχνολόγητος. ὑφιστῶσα μὲν εὐκόλως ἅπερ ἂν θέλῃ, τὴν δὲ λεπτομερῆ γνῶσιν τῆς ἐνεργείας ἡμῖν ἀποκρύψασα: *vbique diuina vis & efficacitas incomprehensibilis est, nullaque vel ratione vel arte explorari potest: creans quidem, atque producens facile quæcunque vult, subtilem vero cognitionem efficientiæ nos celans.*

XVIII. Sed comparat semini: & semen causa efficiens. Imo sic Nyssenus, *Dices fortasse quasi quandam rationem reddens,* σπέρμα αἴτιον ποιεῖ τὸν ἄνθρωπον. Sifanus vertit, *Semen causa hominis effectrix est:* & hoc puto abusum Bellarminum. Sed simplicius, *Seminis causa facit hominem. Audi igitur contra à nobis, quod aqua quæ benedicitur purgat & illuminat hominem.* Nihil tale, quale Bellarminus supponit. Nam τὸ ποιεῖν generale est omnibus causis: non efficienti tantum, sed etiam formæ, & materiæ. Et semen manifeste materia est; cuius ἐνέργεια est in patiendo tota. Ast aqua Baptismi, nullo modo materia, aut materiæ rationem habens in homine regenerando.

XIX. Rursus in aqua vim esse probat ex Cyrillo, qui sic dicat, aquam esse instrumentum Dei, vt calorem instrumentum ignis ad calefaciendum.

XX. Sed eadem Cyrilli sententia quæ iam præcedentium: regenerationem, quæ per Baptismum, esse à Spiritu Sancto, *Regenerationem,* inquit, *quæ per Spiritum Sanctum fit, nasci desuper Dominus appellauit.* Et post, *Nam cum non simplex, sed compositus ex corpore sensibili, & intellectuali anima homo sit, duplici quodam ad generationem indiget modo, qui duplicitate sua ad vtrumque possit accommodari: Spiritu enim Sancto, spiritus hominis, aqua vero corpus sanctificatur.* Certe hæc diserta discretio est. Regeneratio, siue sanctificatio Spiritus, id ipsum est effectum Baptismi, quod nunc inquirimus. At hæc non aquæ, sed Spiritui tribuitur: imo aquę suę seorsim partes assignantur, in corpore. Nonne is Catholicorum sensus?

XXI. Quid ergo? Nempe similitudo aquæ calefactæ, non ad aquam Baptismi pertinet seorsim, sed ad totum Baptismum, in quo non tantum aqua est, sed etiam Spiritus Sanctus: & hic vnitus aquæ Sacramentaliter: adeo vt hæc aqua, propter eam præsentiam comparari potuerit aquę calefactæ: & dici reformata ad diuinam virtutem. Breuiter, aqua aquam, calefactio cooperationem Spiritus designat. Nec sequitur, si vt aqua calefacta calefacit, ita aqua benedictione accepta sanctificat: ergo vt calor inhæret aquæ, sic sanctificationis efficacia. Quia non is scopus est disputationis Cyrilli.

XXII. Eandem vim probat ex Augustino, asserente Sacramentum non operari excitando fidem, sed vi sua efficiendo.

XXIII. Et tamen ea nulla sunt Augustini verba: sed duntaxat, Sacramentum ipsum per se plurimum valere. Quid autem sit Sacramentum per se, si quæras, habes discere tum ex præcedenti capite, vbi legas, *Quid autem valeat & quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio Sacramenti, sine qua tamen ille latro non fuit, quia non eius accipienda voluntas defuit, sed non accipienda necessitas affuit, difficile est dicere.* Tum ab istoc ipso, quum adhibentur exempla Abrahami iustificati ante circumcisionem, Cornelij ante Baptismum Spiritu ditati. Vnde constat Sacramentum per se dici, tum cum effectum præcessit ipsam celebrationem. Ergo, tum etiam credidit Augustinus, Sacramentum valere plurimum, etiam si non efficeret ipsam illam gratiam iustificationis. Quomodo ergo hinc sperare potuit Bellarminus se probaturum inhærentem illam signis vim? Nam longe hinc abit, sensus Augustini, qui in id redit, vt dicat Sacramentum ipsum per se plurimum posse, cum non efficit iustificationem: non enim efficit in eo qui iam ante iustificatus est

XXIV. Eodem pertinet ex Eusebio Emisseno, à vi Sacramenti Baptismatis, quæ repente hominem mutet ac renouet quoad animam, probari, non debere videri incredibile, si verba Sacramentalia mutent substantiam panis in carnem Christi. Vbi eadem vis est in consecratione respectu panis, & in Baptismo respectu animæ.

XXV. Sed primum mutari substantiam panis in carnem Christi, nullus dixit Emissenus, sed dixit; *visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, Christum verbo suo secreta potestate conuertere:* quorum verborum longe alia sententia est quam Bellarmini sed alias excutienda. Interea multipliciter peccatur. Primum, quod virtus Baptismi, non distinguitur à virtute inhærente aquæ: vbi tamen multum esse discrimen, iam ante monuimus: quia vis Baptismi, est vis Spiritus adsistentis aquæ, & efficientis in anima gratiam. De qua Spiritus virtute, nulla controuersia est: sed tantum de ea quam fingunt inhærentem aquæ. Deinde similem vim Baptismi in animam, & consecrationis in panem, falsum est ab Eusebio, aut proponi aut asseri. Sed tantum ab eadem potentia profectam vtramque: adeo vt si hanc in Baptismo credamus; ne illam quidem debeamus in dubium reuocare. Diximus autem aliud esse eandem thesim exemplis confirmare: aliud ipsa exempla inter se committere. Tertio, illam ipsam consecrationis efficaciam, ille Eusebius per fidem considerat: & efficacem dicit per fidem in ipsum panem. Non enim tantum habes, *Sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice:* sed etiam paulo post clarius exemplo mannę inducto, quæ vnicuique sapiebat iuxta percipientis desiderium, *Quæ cum ita sint,* inquit, *quod illic auiditas faciebat, hic fides faciat: & si in corpore cibus sapiebat, in pectore Deus credulitate proficiat: sicut legimus, Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Ideo quod ibi delectatio obtinebat in faucibus, hic benedictio operetur in sensibus.* Sed hæc consideratio erit alias plenior: nunc obiter, & tantum vt norit Bellarminus, quam inconsiderate abutatur veteribus nominibus. Nam profecto si similem efficacitatem dixit Eusebius: ergo illam Baptismi, per fidem, vt hanc Eucharistiæ. Sin dissimilem, ergo non habet quo nos vrgeat.

XXVI. Transeo ad alterum caput; quum probatur non esse in Sacramentis illam solam efficaciam, vt moueant fidem, siue excitent, siue generent. Sed hoc male. Nos etenim in Sacramentis geminam agnoscimus efficaciam, vtramque Dei: sed alteram sine nobis: alteram per nos. Illam in qua habemus nos mere passiue; vt cum promittitur gratia: imo exhibetur gratia illa reconciliationis: istam, in qua agit nos Deus, vt hanc accipiamus internis animorum motibus, & per fidem. Itaque absit, vt dicamus nullam in Sacramentis efficaciam esse, nisi excitandæ fidei: qui scimus illam alteram esse priorem, potentioremque. Et interdum sine ista; vt in infantibus. Vtramque tamen non inhærentem signis; sed moraliter assistentem. Itaque refutationis non magnus labor.

XXVII. In paruulis non potest Baptismus esse causa remissionis peccatorum excitando fidem. At Concilium Mileuitanum.

XXVIII. Imo nec Concilium Mileuitanum dixit, Baptismum esse causam remissionis peccatorum: sed dixit paruulos in remissionem peccatorum baptizari, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt: Quod æque verum si præsens spiritus efficacia remittat: ac si aquæ inhærens actiuitas. Præterea causari remissionem excitando fidem, nemo dixit nostrum. Nam profecto, neque ipsa fides causa est eius remissionis, vel in adultis, aut vllo vnquam homine. Quid iuuat ergo nugari?

XXIX Ad Concilium Arausicanum. Primo, à Deo prius fidem inspirari, vt Baptismi Sacramenta fideliter requiramus. Ergo in Baptismo non excitari fidem. Præterea; etsi fides iustificet à peccatis, tamen non dare gratiam bene operandi. At Baptismum dare gratiam bene operandi.

XXX. Imo in priori, consequentia aliena à vero. Nam primum, non omnes postulant Baptismum, sed quibusdam vltro offertur: quandoque insciis, vt infantibus: Quare non omnes habent fidem, antequam baptizentur: cur non possit in his saltem fides excitari per Baptismum? Deinde cur non possit illa ipsa fides, quæ iam habetur ab iis, qui postulant Baptismum, excitari per Baptismum? An iubet Iesuita, ea tantum excitari, quæ nondum sunt. & nulla, quæ iam sunt? An quid est igitur, quod illi precabantur adaugeri sibi fidem?

XXXI. In posteriori perfidia est. Nam ei Concilio non dictum, Baptismum dare gratiam bene operandi. Sed dictum, accipi per Baptismum gratiam. An tu sic descripseris efficientem causam? Non dixeris puto, per Deum. Nempe sic vsus obtinuit instrumenta designari: tanquam media, quæ adhibentur ab efficiente: Matthæi 13. *Dictum fuit per Prophetas.*

Marci sexto, *vt virtutes per manus eius edantur*. Ad Hebr. 1. *Deus loquutus est per Prophetas*. Itaque nihil obstat quominus intelligamus Concilium esse loquutum de accipienda gratia à Deo, per Sacramentum, tanquam instrumentum morale; vt contendunt Catholici.

XXXII. Et tamen fac diserte dictum Baptismum dare gratiam. At nos de aqua Baptismi disputamus: quæ, vt alias obseruatum, pars est duntaxat Baptismi: cui addita efficacitas Spiritus Sancti, complet Sacramentum, constans duabus rebus, re scilicet terrena, & re cœlesti. Itaque dicitur merito dare Baptismus, quod tamen non det aqua, sed assistens aquæ vis diuina, sicut audiuimus à Basilio τὸ μὲν νεκρόπως ἐν τῷ ὕδατι πλυνόμενον, τὸ δὲ ζωῆς ἡμῶν ἐπεργαζόμενον ἁγίου πνεύματος. In aqua mystice celebrari mortificationem, vitam vero nostram effici à Spiritu. Enimuero, hoc sensu, nos prolixe docemus dari per Baptismum: & si velis, dari à Baptismo gratiam bene operandi. Audi Confessionis Gallicæ artic. 36. *Baptismus, nobis testificanda nostra adoptioni datus: quoniam in eo inserimur Christi corpori; vt eius sanguine aluti: simul etiam ipsius Spiritu ad vitæ sanctimoniam renouemur.* Audi Confessionis Helueticæ capu. vicesimum, *Baptizari in nomine Christi, est inscribi, initiari, & recipi in fœdus, atque familiam, ideoque in hæreditatem filiorum Dei: imaam nunc nuncupari nomine Dei, id est, appellari filium Dei: purgari eam à sordibus peccatorum, & donari varia Dei gratia, ad vitam nouam & innocentem.*

XXXIII. Ad Gregorium Nyssenum. Negat aquam aliquid efficere; nisi recipiat vim quandam supernaturalem: at vt moueat obiectiue per modum signi, non requiritur vlla vis supernaturalis. Præterea, quæstio, quomodo possit aqua regenerare, nulla esset, si tantum obiectiue operaretur.

XXXIV. Imo præter quam vt diximus, agunt Sacramenta, non tantum obiectiue, sed etiam efficaciter, per assistentem vim Spiritus, fallit vtraque cõsequentia. Nam omnia signa agunt obiectiue: sed alia naturaliter, alia moraliter. Quæ naturaliter, ea ex se habent vim significandi naturalem, & in his Sacramenta nulla sunt. Quæ ergo moraliter, vim habent moralem, id est ab institutione, & humana quidem, vim humanam; vt quum inter se homines adhibent variis vsibus tesseras. At diuinam diuina, cuiusmodi Sacramenta sunt. Hæc autem diuina virtus, supernaturalis est, quia à nulla natura, sed immediate ab autore naturæ. Itaque falsum, non habere Sacramenta opus vlla vi supernaturali, vt moueant per modum signi obiectiue. Quod si hæc requiratur, tum quæstio non potest esse superflua.

XXXV. Ad Chrysostomum. Enumerat decem effectus Baptismi, Homilia ad Neophytos, & inter tot effectus non venit illi in mentem, vt poneret, excitare ad fidem. Ad Tertullianum, Enumerat varios effectus Sacramentorum, proinde non putat solum excitare fidem.

XXXVI. Posterius alienum est, quia ne nos quidem credimus in Sacramentis nihil aliud esse præter excitationem fidei, quantumuis fideiter nobis imponat Iesuita. Ille viderit. In altero, & ineptum est argumentum ab autoritate negatiua, & alioquin perspicuum ab vtroque effectus nominari non quoscunque, sed vltimos, & proprie effectus Sacramentorum. Nam alioquin excitatio illa fidei, ad illos tendit. Et modum agendi significat potius; & quidem in altera parte efficaciæ, quæ non Dei est immediata; sed per nos. Itaque nihil opus erat à Chrysostomo reliquis annumerari. Quanquam obiter moneo non esse Chrysostomi testimonium, sed alicuius Latini autoris: eruditi tamen, & pij; sed qui scripserit inclinata latinitate.

XXXVII. Ad Cyprianum. Si Sacramenta tantum obiectiue mouerent mentem ad credendum, non fuisset Cypriano vlla causa, vt difficulter crederet effectum Baptismi. Non enim est hic effectus magis difficilis, quam sit, quod verbum Dei prædicatum valeat ad excitandam fidem. Præterea: Baptismum dicit, repente & perniciter operari, & renouare hominem. Quod non diceret, si credere mentem solum obiectiue: nam tunc non repente nec ordinarie haberet suum effectum: alioqui enim ex eodem signo, vt etiam ex iisdem verbis, celerius aliqui mouentur, aliqui tardius, aliqui nunquam.

XXXVIII. Tantum obiectiue; perpetua & insana calumnia. Hanc tolle; reliqua sunt facilia. Et vere Goulartius ad hunc ipsum notauit locum, *Quæcunq; profert hac Epistola Cyprianus noster de S. Baptismi in electis Christi variis effectis, vt orthodoxe & ad fidei analogiam scriptum amplectimur.* Sed enim abit à Cypriani mente Bellarminus. Is enim miratur posse hominem regenerari: at non specialiter, posse regenerari per Baptismum. Diserta relege, *Difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar: quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renasci denuo posset: vtque in nouam vitam lauacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat deponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret.* In quibus difficultatis causam non fuisse ipsum Baptismum, disce ex obiectionibus statim subiectis, *Qui possibile est, aiebam, tanta conuersio? vt repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit vel vsurpatum diu senio vetustatis inoleuit? Alta hæc & profunda penitus radice sederunt.* Viden? vt quicquid est difficultatis, id petatur ab ipsa mutatione; non autem à mediis? Itaque negatur nullam fuisse dubitandi causam, si Baptismus agat obiectiue. Et quid tum, si non magis miraculosum quam in prædicatione? Nam in ipsa prædicatione, æque mirabilis hæc efficacitas est. Vnde Paulo dicitur Euangelium potentia Dei.

XXXIX. Baptismum repente & perniciter operari; altera impostura Cyprianus dixit, *vt repente & perniciter exuatur*. Vere, etiam si ipsum Baptisma non operaretur, certe etiam si aqua non operetur ipsa: sed accedens aquæ vis spiritus. Et demus tamen dicere totidem literis: at repente, & perniciter operari mouendo mentem, absurde negatur. Quis enim nescit, motibus intellectus nihil esse pernicius, aut magis subitum? Verum, inquit, alij tardius: alij etiam nunquam. Ita est, inquam: sed vicissim alij citius. Et hoc satis: non enim semper Cyprianus dixit: At, qui aliquando perniciter operatur: certe perniciter operatur.

XL. Rursus ad Cyprianum. Si Baptisma solum excitet fidem; & infantibus prodest, tantum, quia cum adoleuerint, recordabuntur: quorsum baptizantur infantes morituri? Et Epistola septuagesima ad Magnum. Si Diaboli virus in Baptismo extinguitur: Ergo non tantum obiectiue operantur Sacramenta.

XLI. Respondeo, nihil hic esse præter impudentem calumniam. Et enim tantum abest, vt doceamus, nihil agere Baptismum, nisi cum adoleuerint infantes: vt contra effectum Baptismi, quem Deus ipse per se præstet, sciamus præcedere ipsam celebrationem Baptismi. Itaque aut nunquam vllum futurum; aut tum esse reapse, quum celebratur: Vere, inquam, remitti peccata: vere adoptionem fieri: sed fieri moraliter vt explicuimus.

XLII. Ad Opratum. Si Baptismus repetitus detrimentum adfert: Ergo non operatur tantum obiectiue excitando fidem. Probatur consequentia. Nam eo modo vtiliter repeteretur.

XLIII. Nihil aduersum nos: qui sæpe testati sumus, aliter etiam quam obiectiue Baptismum esse efficacem. Et tamen consequentia est inutilis. Nam Sacramenta nihil efficiunt, aliter vsurpata, quam sunt instituta. Itaque baptismum futurum vtilem mouendæ fidei, si repetatur, dictum temere.

XLIV. Ad Augustinum. Si aliquando martyrium, aliquando fides, cum cordis conuersione supplet vicem baptismi. Ergo baptismus non iustificat excitando fidem, sed immediate applicando Christi merita, atque immediate iustificando. Item: Si baptismus plurimum prodest infantibus, etsi careant fide: Ergo non tantum excitando fidem. Tertio: Si Sacramenta prodessent tantum excitando fidem: ergo non inenarrabiliter valerent plurimum, sed vix aliquid valerent. Ratio huius consequentiæ; quia Concionem nemo dicat, valere inenarrabiliter; quoniam sæpissime nulli mouentur multis concionibus.

XLV. Respondeo, illud de pueris, sola niti calumnia de excitatione solius fidei: itaque satis à seipso infirmari. In reliquis negatur consequentia. In primo quidem, quatenus negatur fides excitari. Nam applicatii in baptismo merita Christi immediate, nemo negat: tantum non ab aqua per vim inhærentem, sed à Deo ex ordine instituto assistente signis, atque id efficiente, quod signa designant. Et vero, quæ ratio connectit extrema? Atqui ego potius dixerim, si fides cum cordis conuersione interdum supplet defectum baptismi: Ergo baptismus iustificat excitando fidem. Nimirum, quia eodem posito effectu, necesse est, aut verisimile saltem, eandem causam poni. Quanquã nos iustificare excitando fidem non dicimus: sed potius iustificando excitare fidem, quandoquidem fides non est causa præcedens, siue efficiens iustificationem; quod alias obseruatum nobis.

XLVI. In postremo; quid illud est; non valere inenarrabiliter plurimum, si prodessent tantum excitando fidem? Imo vix quicquam valere? Aut quis Euangelium negauit, & valere, & inenarrabiliter valere; cuius tamen effectus excitatio fidei: quandoquidem fides ex auditu? Aut quis fidem ipsam, tam nihili esse dixit; vt exiguum sit beneficium? Atqui, inquit, sæpe non excitatur multis concionibus. Fateor, inquam, sed & sæpe excitatur vnica concione; vt in Lydia purpuraria vt in Iudæis initio conuersis. Tum autem non tantum conciones interdum inutiles sunt, sed etiam Sacramenta non iustificant; ipsis iudicibus Papistis, saltem si quis ponat obicem, cuiusmodi infiniti sunt hypocritæ; qualis ille Simon erat, cui nulla pars erat huius negotij. Quid ergo? Nimirum bene diximus, effecta Sacramentorum non aliter expectanda, quam ex institutione; extra quam externa signorum administratio vim nullam habet. Hoc modo Sacramenta ipsa valent per se plurimum; etiamsi nulla adsit actu præsens fides, vt in infantibus, saltem electis.

XLVII. Ad Bernardum. Si vis Sacramenti operetur in nobis, vt non consentiamus peccatis, ergo non per solam excitationem fidei. Ratio consequentiæ; quia id per solam fidem non potest fieri.

XLVIII. Mitto calumniam de sola excitatione fidei: cæterum nego consequentiam. Nam vere fides minuit sensum peccatorum, tollit etiam consensum. Alioquin quomodo dictum ad Ephesios sexto; *Accipientes scutum fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere*? Nam ignita iacula, quæ censes esse? Iustinianus, *Videtur tacite indicare impuras præcipue cupiditates, quas dæmon suis artibus in animis hominum excitare, ac vehementius inflammare solet.* Extinguet hæc tela fides; & non minuet sensum peccatorum; non tollet assensum? Sed non fit per solam fidem, inquit. Quomodo inquam? An quia etiam aliquid aliud præter fidem, id ipsum efficiat? Quid tum, dum ipsa quæ excitatur fides efficiat? Nam profecto non sola scriptio docet, sed etiam gesticulatio: & tamen qui scribit docet, etiam si non gesticuletur. An vero, quia non fides ipsa solitaria, sed cum aliis quibusdam? Ita opus eos obiicere; qui solitariam fidem possunt sibi fingere. At nos fidem nullam nisi veram possumus in animum inducere; itaque aliis omnibus comitatam virtutibus Christianis: imo fontem harum omnium virtutum. Imo vide. Hæ ipsæ virtutes non possunt esse aliud, quam ipsa extinctio telorum ardentium, id est, τῶν ἀτόπων ἐπιθυμιῶν, inquit Chrysostomus, absurdarum cupiditatum. Quare si fides has virtutes efficiat, efficit ipsa diminutionem sensuum peccati; & consensus. Et sola, si sola. At sola efficit, quia hic solus fons est virtutum Christianarum. Quare si sola fides tollit sensum consensumque peccati; ergo Sacramenta, excitando solam fidem, hunc sensum minuunt, hunc consensum tollunt; contra quam ariolabatur Sophista.

CAP. VII.

Neque iustificationem, neque sanctificationem effici physice à Sacramentis.

I. NOs nunc contra disputamus. Si effecta Sacramentorum sint ab ipsis signis per inhærentem aliquam efficaciam: Ergo vel quæ fiunt in nobis sine nobis, vel quę in nobis fiunt per nos. At neutrum verum est in consequenti. Ergo etiam antecedẽs falsum. Patet necessitas consequentię, quia dari nequeant plura effectorum genera. Est enim immediata oppositio eorũ in quibus habemus nos mere passiue, & eorum in quibus nos ipsi acti à Deo agimus. Quandoquidem, quod tertium posset quis obtendere, vt agamus ipsi nos, nõ acti à Deo, nullũ esse potest; ipsis etiã consentientib. aduersariis.

II. Superest igitur assumptũ probandũ per partes. Et primũ, de priori effectorum

ctorum genere: adoptione, inquam, siue amore, & reconciolatione, & si qua alia sunt eiusmodi nomina; ratione potius diuersa, quàm re disparata. De his sic disputo. Nulla causa efficiens est posterior suo effecto: At Baptismus aquæ est posterior hoc genere effectorum: Ergo Baptismus aquæ non est efficiens causa huius generis effectorum. Maior necessaria est ex naturali luce. Etenim non existentiam nullæ sunt qualitates: itaque nulla efficacia: neque ergo operationes. At posteriora quę dicuntur ea tum non existunt, cum existunt ea quæ priora dicuntur. Vnde Christus Ioann. 8. dixit, *Antequam Abrham esset ego sum.* Atqui effecta sunt operationes suarum causarum. Non possunt igitur vlla effecta existere causarum nondum existentium. Causarum, inquam, euiusmodi nos causas in hac controuersia dicimus, nempe physicè agentium. Nam quæ moraliter causæ agunt; earum effecta aliqua esse ante ipsarum existentiam, nihil obstat. Nimirum, quia hæc effecta existentiam suam physicam obtinent ab alia causa physicè agente. Sic in humanis contractibus dos est morale effectum matrimonij: quę tamen ante ipsum existens matrimonium, constitui, imo numerari potest, in gratiam scilicet futuri matrimonij.

III. Nunc minor probatur itidem: ex ad Roman. 9. vbi testatur amatum fuisse Iacobum à Deo, antequàm natus esset, ac proinde antequam esset circuncisus, id est, vllum accepisset Sacramentum. Probatur iterum ex 5. *Commendat charitatem suam erga nos Deus; quod cum essemus adhuc peccatores Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine eius, seruabimur per eum ab ira: Etenim si cum essemus inimici, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius; multo magis postquam reconciliati fuimus, seruabimur in eius vita.* Habes nos per mortem Christi reconciliatos esse Deo: at ea mors præcessit omnia Sacramenta. Quare hæc reconciliatio præcedit omnia Sacramenta.

IV. Probatur eadem pars iterum. Si horum effectuum quæ fiunt sine nobis, Sacramenta sunt causæ physicæ: ergo ea oportet agere, vel in Deo, vel in nobis. At neutrum est verum: Ergo antecedens falsum. Consequentia necessaria est. Nam in iis effectis non potest considerari nisi Deus agens: & homo patiens. Itaque si in neutro illa agant quicquam; omnino nihil actura sunt.

V. Agere in Deo & quidem physicè; credo nemini non videri absurdum. Physicè, inquam, nam moraliter concedo posse dici, saltem ἀνθρωποπαθῶς, quomodo solet Deus de seipso nobiscum quasi balbutire. Sic legimus Genes. 9. *Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus cœli: & recordabor fœderis mei, quod pepigi vobiscum, & cum omni anima viuente.* Sed nec figurata locutio, ponit in re veritatem: nec hoc genus efficientiæ moralis probatur Papistis. Enimuero agere quicquam creatum posse in Deum, tam absurdum est, vt non putem disputandum. Non posset enim fieri, vt sibi non dissimilis esset; in quem tamen scimus non posse cadere, vel vmbram mutationis.

VI. Superest ergo vt agant in homine ipso. Quid ergo? Nempe vel ipsam gratiam, vel qualitatem pręuiam gratiæ. Vtrumque absurdum. Non enim ipsam gratiam. Illam, inquam, gratiam, quę in nobis fit sine nobis. Nam hęc nihil aliud est, quàm Dei amor in nos. Est autem Dei amor, voluntas Dei: at voluntatis Dei, pręter ipsum Deum nulla causa est, aut esse potest.

VII. Estne igitur qualitas aliqua pręuia gratiæ? Somniarunt aliqui Scholastici; vt obiter monuimus capite primo. Et finxerunt Sacramenta esse causam gratię, non quod illam attingant, id est, proxime efficiant; sed quod subiectum, videlicet hominem, disponant, producendo aliam aliqnam formam, siue characterem, siue ornatum, quem consequatur gratia. Forte an, quomodo aratio, non ipsa terræ mandat sementem; sed terram præparat ei excipiendæ: Et parentes animam infantis non creant, sed materiam corpoream idoneum reddunt animæ admittendæ. Verum hæc somniatio & plurimis olim displicuit, & refutatur hodie ab omnibus Papistis, puto, qui ipsam potius gratiam immediate effici volunt: quia ipsamet actio physica, per quam gratia fit, vere ac realiter & physicè pendeat ab ipsis Sacramentis: Sic enim ἐμφατικώτατα expressit Suares.

VIII. Et vero commentum absurdum est. Primo enim; qui factum vt tam sero cognitum fuerit inter Christianos vt postremissimi Theologorum Scholastici explicauerint: cum tamen iam olim & ab initio Sacramenta fuerint in vsu? Manifestum argumentum insanæ audaciæ: cui neutiquam propositum hærere statutis ab initio dogmatis fidei: sed cumulare quotidie, noua placita, vt ingenij laudem acquirant. At Catholicis fides nulla noua placere potest.

IX. Deinde gratia Dei non esset prima summaque causa nostræ salutis: quia haberet aliam priorem: nec aptaret ipsa hominem, sed aliunde aptatum admitteret, quod nullus dixit Theologus sanus, nedum docuit Scriptura. Quæ hoc potius, amatos esse à Deo etiam tum cum essemus impii. Atqui in impio, tum cum est impius, quæ potest esse ad gratiam præparatio?

X. Denique cum Sacramentorum natura nõ possit aliunde sumi, quam ab institutione singulorum: certe quicquid philosophandum est de Sacramentis, id debet congruere cum eadem illa institutione. Nam quia certum nullam in Scripturis inueniri doctrinam generaliter traditam de Sacramentis, omnino necesse fuit Theologos in ea inquirenda progredi ab inductione singulorum, nimirum, vt, quæ obseruantur omnibus inesse, ea tradantur tanquam vniuersalia. Hæc enim vnica ratio semper fuit instituendi quascunque scientias; quarum initium fuit necessario à sensibus, qui versantur duntaxat circa indiuidua. Si ergo Sacramenta gratiam ipsam non efficiant, sed duntaxat præparationem gratiæ: hoc ipsum oportebit de Baptismo dici: & Eucharistia: & æque de vtroque. Atqui quæcunque de iis legimus in Scripturis, ea nullam præparationem dicunt, sed ipsam gratiam: nempe in Baptismo remissionem peccatorum; in Eucharistia communionem corporis & sanguinis Christi. Sic Baptismus iubetur dari in remissionem peccatorum, Act. 2. imo diserte vicesimo secundo, *Baptizare, & ablue peccata tua.* Neque est veterum quisquam, qui aliter sit loquutus de Baptismo. De Eucharistia autem, nonne est disertum prioris ad Cor. 10. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?*

XI. Et in Eucharistia quidem res est tanto facilior, quanto certius, non admitti ad eam vllos non ratione vtentes: atque adeo, hos iuberi seipsos probare: quæ præparatio est. In quo gemina vis. Nam primo, inde sequeretur præparationem constitui præparationis; quæ est absurda multiplicatio. Deinde hęc ipsa præparatio fit per fidem; non autem per ipsam physicam vim Sacramenti: & quidem non ad effectum Sacramenti; sed ad ipsum Sacramentum. Tum autem quænam alia optari præparatio potuit, præsente iam fide? quam ipsam dicebant esse præparationem ad iustificationem; qui ægre ferebant soli fide deferri ipsam iustificationem.

XII. Sic fuit dilemmatis pars prior; nunc altera. Si physice efficitur à signis gratia Dei quæ fit in nobis non sine nobis: Ergo vel iustificationis sensus, vel Sanctificatio: At neutrum: Ergo Sacramenta non efficiunt in nobis physice hoc genus gratiæ. Valet consequentia, quia dari non potest tertium vllum membrum. Appello autem iustificationis Sensum; eum per quem actu nobis applicatur iustificatio illa, quæ proprie est extra nos, & in Deo: qui sensus non est nisi in adultis, & iudicio vtentibus. Sanctificationem vero notum est, significare actualem immutationem tum intellectus tum voluntatis, à falso in verum; à malo in bonum.

XIII. Nunc assumptum probandum per partes. Si Sacramenta physice efficiunt iustificationis actualem sensum: Ergo homo fide non iustificatur: At hoc falsum: Ergo illud. Argumentum erat Lutheri, & aliorum ab initio controuersiarum Papisticarum: itaque solenne disputantibus aduersum nos hanc quæstionem: imo multis vnicum, in quo explicando versarentur. Cõsequentia probatur ab ipsorum Papistarum nunc disputantium stylo: cum perpetuò opponant operationem Sacramentorum per fidem; eorundem operationi physicæ. Probatur assumptum, ex ea controuersia quæ suo loco disputata est, de iustificatione per solam fidem.

XIV. Respondent varie. Primum; Non dictum, iustificari ex sola fide: sed tantum ex fide. Ast hanc phrasin relinquere suum locum Sacramentis. Alioquin nullum fore vel Deo, vel Christi meritis.

XV. At contra, non tantum ex fide iustificationem esse; sed etiam ex sola fide, solidius disputatum est, quam vt nunc retractari possit; aut sola inficiatione infirmari. Deinde etiam si hoc concederetur; tamen dum constet fide iustificari, quicunque iustificetur; sufficit nobis: neque aduersarii reclamare possunt: qui, vt dixi, perpetuo opponunt Sacramenta agere per fidem, & agere physicè. Concedimus sane suum Sacramentis locum relinqui: sed negamus vllum Sacramentis physice operantibus. Nam quæ de Deo dicuntur, & Christi meritis, longe est alienum: quandoquidem vtrumque fides complectitur. Certe Paulus diserte, *Et qui credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua in iustitiam.* Vnde sequitur non diuellendum Deum à fide. Merita autem Christi, esse etiam obiectum fidei; manifestius est, quam vt moneri oportuerit. Itaque horum longe alia ratio est. Etenim, si necessaria consequentia est, quæ perpetuo Papistis in ore; per quam Sacramentorum efficacia physica, tollit efficaciam per fidem: Ergo hæc Sacramentorum non potest obiectum esse fidei: ideoque non potest par ratio esse.

XVI. Secundo respondent. Etsi his verbis Scriptura non dicat iustum ex Sacramentis viuere, tamen dicit aliis verbis. Nam, cum ait hominem per Baptismum regenerari, quid aliud dicit, nisi Baptismum dare vitam?

XVII. Imo non quæritur vtrum per Sacramenta detur vita: sed vtrum per Sacramenta physice, & absque fide: at hoc neque vsquam alibi Scriptura docet: & hæc verba contradicunt: quæ iustificationem sine fide constare negant.

XVIII. Tertio respondet Vasques. Cum tribuitur fidei iustificatio; solum sermonem esse de iustificatione adulti: Et tamen sic, non quasi formæ, siue perfectæ sufficientique dispositioni; sed tanquam initio, radici, & fundamento necessario. Recte igitur: quia nemo ad Sacramentum mouetur nisi ex fide.

XIX. Imo quo sensu fidei tribuenda sit iustificatio disputatum suo loco; & exsufflatum illud commentum non tantum formæ, sed etiam dispositionis. Porro de iustificatione adulti sola agi, omnino falsum: sed de applicatione eius in adultis: si quidem fides nulla fit in infantibus. Sed quid tum? Nam in ipsis adultis oportet inueniri hærentem istam efficientem, siquidem illa aliqua est propria Sacramentis: Et si nulla inueniatur, nullam esse: aut certe alterius naturæ esse ipsa adultis Sacramenta, quam in infantibus: quod nemo hactenus dixit Theologus.

XX. Non potest ergo is iustificationis sensus esse ab efficientia Sacramentorum Physica. An potius sanctificatio? Ne hæc quidem. Primo, quia Sanctificatio fit à Spiritu. Ad Romanos octauo, *Si spiritu actiones carnis mortificaueritis.* Ad Ephesios tertio, κραταιωθῆναι *confirmari per Spiritum in interiorem hominem.* Ad Titum tertio, *Seruauit nos per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti.* Primæ Petri 1. *In sanctificatione Spiritus.* Nam etsi hoc postremo loco ambigua sit sanctificatio Spiritus, actiuane pro Spiritu sanctificante: an passiua pro Spiritu sanctificato; tamen actiuam præfert Lorinus. In reliquis vero nihil est dubij. Itaque sanctificationis efficiens causa Spiritus Sanctus. Cur ergo aquæ tribuamus hanc prærogatiuam?

XXI. Secundo; purificatio cordis fit per fidem. Actorum decimo quinto, *Fide purificans corda eorum.* Oecumenius, ἀντὶ τῆς ἐν σαρκὶ περιτομῆς δέδοται ἡ ἐν πνεύματι περιτομὴ καθαρίζουσα τῇ πίστει τῇ εἰς Χριστὸν τὰ κρυπτά, *Circuncisionis in carne loco data est circuncisio in Spiritu, quæ purgat abscondita fide in Christum.* Enimuero axioma est notum, *Sine fide nihil posse Deo placere.* Atqui omne cor purificatum placet Deo: ea enim est causa purificandi: Quare necesse est nullum cor purificatum esse sine fide. Hinc manifesta ratio est. Omnino enim oportet purificationem in Baptismo, fieri per fidem, aut nullam fieri: quia alioquin consequens esset aliquam purificationem fieri absque fide. Quod si signa ipsa visibilia physice purificent corda, alterum necesse erit, nempe, vt vel Sacramentum purificet per fidem; vel fides per Sacramentum. Si hoc posterius; Ergo Sacramentum esset instrumentum ipsius fidei: quod ego nondum audiui dictum. Sin autem illud; ergo necesse est Sacramentum excitare fidem ante omnia: ac proinde non physice operari. Quod aduersarii nunc contra disputant.

XXII. Tertio. Nullum instrumentum physice agens, adhibetur ad effectum iam prius productum: At Sacramenta aliquando adhibentur ad sanctificationem prius productam; Ergo Sacramenta non sunt instrumenta physica sanctificationis. Propositio maior perspicua est, vt paulo prius: & confirmatur experientia: nemo enim medicina vtitur ad efficiendam sa-

nitatem, quæ iam corpori constat: vnde illud, *Sanis non est opus medico:* operarios in vineam conducit iam bene aptatam; aut in messem iam in horreo collectam. Et similia plurima.

XXIII. Minor autem probatur etiam ipsa facile. Quia consentiunt omnes adhiberi Sacramenta, etiam iis qui iam ante eorum vsum sanctificati sint. Atque adeo magnifice præscripsit Petrus Actorum decimo: Nam Cornelius Centurio baptizatur; qui tamen iam ante suum Baptismum describitur *δίσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν θεὸν, Pius & timens Deum*: Et hoc modo acceptus Deo: quia eius preces & eleemosynæ dicuntur ascendisse in Dei conspectum. Imo Petrus eo audito pronuntiauit, *In veritate comperio Deum non accipere personam: sed in quauis gente acceptum ei esse quemuis qui eum timeat, & operetur iustitiam.* Præterea; cum adhuc loqueretur Petrus, illapsus est Spiritus in omnes, qui audiebant: quo viso exclamauit, *Nunquid aquam prohibere potest, quominus baptizentur illi qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut & nos?* Quæ verba significant, ideo debuisse baptizari Cornelium, & qui erant cum eo, quia iam accepissent effectum Baptismi. Cornelium, & Augustinus super Leuiticum quæstione octogesima quarta, *Cornelius & qui cum eo erant, cum iam inuisibiliter infuso Sancto spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen: nec superflua iudicata est visibilis sanctificatio, quia inuisibilis iam præcesserat.* In Numeros quæstio. 33. *Cornelius audiens & credens, quod prædicauerat Petrus, ita mundatus est, vt ante visibilem Baptismum cum suis qui adorant, acciperet donum Spiritus sancti, veruntamen nec visibile Sacramentum contemni potuit, vt ablutus etiam extrinsecus lauaretur quodammodo vestimenta sua.*

XXIV. Quarto. Omne instrumentum physicè agens, & quidem immediate, semper operatur in præsenti. At Sacramenta, manifestum est, non semper in præsenti operari sanctificationem. Ergo Sacramenta non sunt instrumenta physica immediate operantia sanctificationem. Probatur maior ipso teste experimento. Nam duo sunt genera efficiendi: vnum immediatum, alterum remotius. Hoc, vt exempli gratia, medicamentum efficit sanitatem: sica mortem. Fieri sanè potest, vt neque medicamenti, neque sicæ præsens sit efficacia; in longum tempus videlicet dilata, & sanitate, & morte: quia nimirum neutrum efficit ea effecta, nisi per aliqua media, quæ prius oporteat impleri: nam medicina purgat humores peccantes; quo facto restituitur sanitas. Sica vulnus facit, hoc vulnere paulatim conficiuntur vires corporis, ac tum mors succedit. Sed quæ proxima est, & immediata efficacitas, eius nullum exemplum adferri potest, vllius effectus producti postquam cessauit ipsa causa. Sic securis impacta quia physicè secat, tum statim secat cum impingitur: nec hodie impacta, cras secabit. Nec tum statim secat cum impingitur: nec hodie impacta, cras secabit. Nec ignis postquam extinctus, rediget quicquam in cineres, sed eodem quo ardet momento. Sic Baptismus prodest ad salutem, & non operatur tane eodem momento, quia id non est effectum immediatum, oportet enim præcedere fidem, & omnes sanctificationis partes. Sed sanctificationem præsentem operari sanctificationem. Ergo Sacramenta non sunt instrumenta physica immediate operantia sanctificationem. Probatur maior ipso teste experimento. Nam duo sunt genera efficiendi: vnum immediatum, alterum remotius. Hoc, vt exempli gratia, medicamentum efficit sanitatem: sica mortem. Fieri sanè potest, vt neque medicamenti, neque sicæ præsens sit efficacia; in longum tempus videlicet dilata, & sanitate, & morte: quia nimirum neutrum efficit ea effecta, nisi per aliqua media, quæ prius oporteat impleri: nam medicina purgat humores peccantes; quo facto restituitur sanitas. Sica vulnus facit, hoc vulnere paulatim conficiuntur vires corporis, ac tum mors succedit. Sed quæ proxima est, & immediata efficacitas, eius nullum exemplum adferri potest, vllius effectus producti postquam cessauit ipsa causa. Sic securis impacta quia physicè secat, tum statim secat cum impingitur: nec hodie impacta, cras secabit. Nec ignis postquam extinctus, rediget quicquam in cineres, sed eodem quo ardet momento. Sic Baptismus prodest ad salutem, & non operatur tane eodem momento, quia id non est effectum immediatum, oportet enim præcedere fidem, & omnes sanctificationis partes. Sed sanctificationem effici à Baptismo docent immediate. Quare necesse est, vt vel in eodem momento quo celebratur, vel certe non physice.

XXV. At non efficere eodem momento, experientia testatur, vel ipsis Papistis. Primo enim, non in infantibus; quibus nullus est vsus rationis: cum tamen sanctificatio constat partim in intellectu; partim in voluntate. Quare in his sanctificationis efficacitatem oportet differri in id tempus, cum acquirent vsum liberi arbitrij. Rursus patet in hypocritis, & hæreticis, schismaticisque: quos tum præsenter sanctificati, nemo dixerit. Augustinus de Baptismo contra Donatistas, lib. 4. cap. 24 *In baptizatis infantibus præcedit regenerationis Sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conuersio, cuius mysterium præcessit in corpore.*

XXVI. Efficere tamen ipsum Sacramentum, postquam desiit esse, manifestum fit: saltem in Baptismo, cuius repetitio nulla, quæ tamen alias videretur necessaria. Ita enim fit in Physicis omnibus causis, vt eædem repetantur, quæ prius inutiles fuerant. Augustinus etiam docet de Nuptiis & Concupisc. cap. 39. *Non erit omnino aliquid, vel in carnali semine vitiosum, cum eadem regeneratione, quæ nunc fit per sacrum lauacrum, vsque in finem cuncta mala hominus purgante atque sanante, eadem caro per quam facta est anima carnalis, fiat etiam ipsa spiritualis: nullam legi mentis resistentem concupiscentiam habitura, nihil carnalis seminis emissura. Sic enim accipiendum est, quod ait idem Apostolus, Christus dilexit Ecclesiã, & semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid eiusmodi. Sic, inquam, accipiendum est, vt eodem lauacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur, non solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, non vt Baptisma quotiens peccatur, totiens repetatur, sed quia ipso quod semel datur, sit vt non solum antea, verumetiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Cui loco simulem habet Epist. 50. aliquanto ante finem.

XXVII. Porro hæc duo postrema argumenta, tertium quartumque, non tantum id euincunt, quod diximus, scilicet non esse instrumenta physica: sed etiam esse id genus instrumentorum, quod diximus morale, videlicet signum. Solent enim horum vsus esse promiscuus ad effecta tum præterita, tum futura: Quia, nimirum, significandi ratio tempus vtrumque complectitur. Sic lapides duodecim erecti in Iordane, Iosue 4. *Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cum transiret eum, idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum. vsque in æternum.* At arcus cœlestis proinde stabat in futurum, Genes. 8. Sic in rebus politicis, eadem sigilla confirmant tum pacta iam statuta, tum promissa in futurum. Vt nihil sit mirum eodem Sacramento Baptismi significari tum iam dimissa præterita peccata, tum dimittenda etiam futura. In quo vtroque cum non possit physica energia, necessario statuenda est moralis.

CAP. VIII.

De ablutione carnis; & interrogatione bonæ conscientiæ.

I. SIgna Sacramentorum efficerent id quod significant, vi aliqua sibi inhærente: Ergo in Baptismo ablutio sordium carnis, saluaret baptizatum: At hoc absurdum: Ergo & illud. Consequentia patet, quia in Baptismo signum externum est ablutio corporis: Nam constat Sacramenta non esse tantum elementa; sed ritus, hoc est, elementa certo quodam modo vsurpata, qui modus in Baptismo est ablutio corporis. Itaque aut ablutioni externæ hanc vim inesse oportet, aut omnino non inesse signo visibili.

II. Assumptum disertis verbis conceptum est primæ Petri 3. *In arca pauca, id est, octo animæ seruatæ sunt in aqua. Cui rei nunc correspondens exemplar Baptismus nos quoque seruat: non quo carnis sordes abiiciuntur: Sed stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi.* In quibus verbis gemina vis est. Prior cum negatur salus esse ab ablutione sordium: quod ipsum illud est in argumento positum. Altera, cum ea salus adscribitur interrogationi bonæ conscientiæ, quæ quidem opponitur externæ ablutioni.

III. Argumentum aduersarij dissimularunt, de hoc Petri loco multa dixerunt, quibus abunde testentur multa se satagere, sed nihil agere. Bellarminus & Vasques locum esse obscurum valde, ideoque varie explicari, nobis tamen non fauere, idque sigillatim expediunt. Sed obseruet pius Lector omitti illam partem, quæ est de sordibus carnis, quasi in ea nullum prorsus momentum esset, & tantum laboran in interrogatione bonæ conscientiæ. Atqui & hoc oportuit expensum, & illud non omissum, qui vtrumque ad rem. Certe Caluinus notabat, *Debemus*, aiebat, *in Baptismo agnoscere spirituale lauacrum, debemus illic testimonium remissionis peccatorum, & renouationis nostræ pignus amplecti, sic tamen relinquere & Christo, & Spiritui Sancto suum honorem, vt nulla pars salutis ad signum transferatur. Certe quum Petrus, facta Baptismi mentione, mox excipit, non esse depositionem sordium carnis; satis ostendit, Baptismum aliquibus esse duntaxat literalem, ideoque externum signum per se nihil valere.* Notabat Piscator, *Quomodo id præstet Baptismus, ibidem declaratur, nempe nõ vi externa illius ablutionis, qua corporis sordes deponuntur, sed vi Spiritus Sancti confirmantis in cordibus electorum fidem remissionis peccatorum parta per mortem Christi; & testata per eiusdem resurrectionem.* Itaque nullus erat ignorantiæ relictus locus, nullius etiam dissimulationis prætextus.

IV. Veruntamen quantumuis dissimulatum, quantumuis ignoratum: tamen nostrum est. Oecumenius, vt alias monuimus, *σῴζει νῦν βάπτισμα, ἡ σαρκὸς ῥύπου ἀπόθεσις. Seruat nunc Baptisma, quod non est sordium depositio.* Erasmus, *Non est sermo de ablutione, quæ est depositio sordium carnis, hoc est, quæ mundat corpus.* Guillaudus, *Ablutio illa externa aquæ Baptismatis, signũ est ablutionis internæ, & gratiæ collatæ per fidem in Christum, qui dedit Baptismo vim viuificam & virtutem expultricem quidem peccati, & vitæ collatricem. Propterea subiungit, Non carnis depositio sordium, id est, non intelligo, & non loquor de eo Baptismo, cuius effectus est, ablutio sordium externarum in corpore.*

V. Sed enim de interrogatione conscientiæ videamus quid noui potuerint philosophari; vt eam nobis eant ereptum. Tripliciter expositam hactenus: ita tamen, vt nullo nobis modo faueat. Primum igitur notant à Niceta in Nazianzeni orationem 40. Lyrano, Gagnæo, Ioanne à Louanio, Hesselio, Concilioque Colonienſi intelligi stipulationem quæ fiat conceptis verbis, interrogãte vno, altero respondente. Credis? Credo. Abrenuntias? Abrenuntio. Secundo, ab Oecumenio, pignus & arrhabonem vitæ æternæ (sic Vasques:) quia, qui de vita æterna desiderium conceperint, de illa interrogent, eam vbique exquirant; & cum audierint per Baptismum animas mundari, ad eam obtinendam statim ad Baptismum occurrere. At Bellarminus, pignus mauult bonæ conscientiæ, vt qui Deo inspirante conceperint bonũ desiderium, illi vitam immaculatam sectentur, reliqua cum Vasque. Tertio; quosdam recentiores, sic putantes Augustino visum, & Basilio, intelligere emundationem animæ, explicatam non propriis vocibus, neque per causam, sed per effectum, *μετωνυμικῶς*: quod ex munditia illa pax oriatur, & quies conscientiæ; & ita bonæ conscientiæ interrogatio, & responsio, apud Deum.

VI. Vasques primam negat sibi placere, etsi plausibilem & popularem, vno argumento, quia videlicet opponatur hęc interrogatio ablutioni corporali, itaque necesse sit illam esse ablutionem spiritualem, significatam tamen non propriis vocabulis, sed vel per causam, vel per effectum. Atqui illiusmodi stipulatio, neque causa fit, neque effectum emundationis spiritualis. Reliquas duas perinde habet. Bellarmino secundæ non videtur ad mentem Petri; qui longe amplius tribuat Baptismo, quam vt sit pignus bonæ conscientiæ. Negat etiam primam esse literalem, eodem argumento, quo primam Vasques improbauit. Itaque in tertiam proclivior est.

VII. Ast ego obseruo primum, vtrumque tam Bellarminum quam Vasquem lusisse pro arbitrio in Oecumanii corio. Cuius hæc sola verba sunt, *ἐπερώτημα δὲ, τυτέστιν ἀῤῥαβὼν, εἰσήγαγεν, ἀπόδειξις, Interrogatio, hoc est, arrhabo, pignus, demonstratio.* Quare quicquid illi de vita æterna, eiusque desiderio, de vita immaculata, de exquirentibus, & reliqua ad eam rem; nõ Oecumenij commentationes sunt, sed Iesuitarum somniationes, audacissime sibi omnia permittentium impune, quasi regnum obtinerent. Ego longe malim tacendo modestiam probare; quam temere diuinare, & pro tribus solis vocibus vocum plaustra conuehere.

VIII. Ego longe simplicior candidiorque putem tres istas expositiones verbis diuersas re pariare, atque omnes designare internam purgationem animæ, quæ non fiat externa illa elementi visibilis applicatione. Est enim tam perspicua, tam *εἰσηγὴς* oppositio in verbis Apostoli; vt neque non visam, neque non excussam possim in animum inducere. Hanc autem eum sensum omnino exigere, ne nostri quidem aduersarii reuocant in dubium.

IX. Quid ergo? Nempe rem ipsam ab Augustino verbis propriis exaggeratam; & à fide repetitam. Tract. 80. in Ioannem, *Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autẽ confessio fit ad salutem. Vnde in Actibus Apostolorũ legimus, Fide mundãs corda eorũ. Et in Epistola sua beatus Petrus, Sic & vos, inquit, Baptisma saluos facit: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est verbum fidei quod prædicamus: quo sine dubio, vt mundare possit; consecratur & Baptismus. Christus quippe nobiscum vitu, cum Patre agricola, dilexit Ecclesiam, & seipsum*

& seipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, & vide quid adiungat, Vt eam sanctificaret, inquit, mundãs eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei; vt per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam illum mundet infantem; quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum de quo Dominus ait, Iam vos mundi estis, propter verbum, quod locutus sum vobis. Breuius idipsum exsequitur serm. 30. de Verbis Domini, *Deinde, quid ostendit vobis? Quia & Baptismum quod semel adhibetur per fidem mundat. Fides autem intus est, non foris. Vnde dicitur & legitur in Actu Apostolorum, Fide mundans corda eorum. Et Apostolus Petrus in Epistola sua ita loquitur; Sic, inquit, & nobis dedit similitudinem de arca Noe, quomodo octo animæ saluæ factæ sunt per aquam: & adiunxit, Sic & vos simili forma Baptisma saluos faciet, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.*

X. Manifestum est conscientiæ bonæ interrogationem; non tantum sumi pro interna purgatione mentis: sed etiam modum purgationis exprimi, Verbum, & verbum fidei, id est, non quatenus dicitur, sed quatenus creditur. Vnde ne illud quidem omissum; Fide purgari corda. Itaque apparet Augustino hæc tria vnum esse, Verbum, Verbum fidei, Fidem: & promiscue dici, Verbo purgari, Verbo fidei purgari, Fide purgari. Denique non fluxum elementum purgare, nisi per verbum fidei; nisi per fidem.

XI. Basilius paulo aliter, & breuius, capite decimo quinto de Spiritu sancto; cum distingueret diligenter vim aquæ, & vim Spiritus, quod iam obseruauimus, tum εἴ τις ἐστιν ἐν τῷ ὕδατι χάρις, οὐκ ἐκ τῆς φύσεως ἐστὶ τοῦ ὕδατος, ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ πνεύματος παρουσίας· οὐ γάρ ἐστι τὸ βάπτισμα ῥύπου σαρκὸς ἀπόθεσις, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν, *Si qua est in aqua gratia; non est ab aqua natura, sed ex Spiritus præsentia, neque enim Baptisma est sordium carnis depositio, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Vides vim purgandi denegari aquæ, asseri Spiritui præsenti, & quidem argumento à verbis Petri. Quare necesse est interrogationem conscientiæ intelligi vim præsentis Spiritus. Nimirum ascendit Basilius altius quam Augustinus, hic enim in fide substitit, illic perrexit ad vsque causam fidei, nimirum, quia Spiritus mentem interius purget per fidem, vt vere possimus dicere à Basilio existimatum designari apud Petrum causam efficientem purgationis, per effectum proprium.

XII. Atque hæc tertia sententia est; cui Bellarminus acquiescit. Porro, quæ secunda est numerata; quæque etiam prima; vtramque puto magis vim verbi ἐπερώτημα exprimere, id est, rationem vestigare, quare eo vocabulo sit vsus Petrus. Et hanc probabiliter repetere ab ritibus celebrati Baptismi. In iis enim hic erat, vt ante aquæ adhibitionem interrogaretur baptizandus à Ministro; & ille responderet. Interrogaretur autem, responderetque ea quæ pertinebant ad internum conscientiæ sensum; & nominatim ad fidem. Itaque huius autores statim fidem exprimunt. Nicetas annotatione tertia in Nazianzeni orationem quadragesimam, *In quorum numero Baptismus quoque est: qui quidem vt Petri verbis vtar, non sordium carnis depositio est, sed conscientiæ bonæ interrogatio ad Deum. Interrogati enim in Baptismo, quomodo se habeat conscientia nostra erga Deum, & quam in eum fidem habeamus, respondemus nos ipsius partibus adiungi, atque vt vno verbo dicam, fidei symbola profitemur.* Lyranus in ipsum Petri locum, *Nam in baptizando quæritur, Credis in Deum: & respondet, Credo; per se, si est adultus: vel per patrinos, si est paruulus. Fides autem caritate formata facit conscientiam bonam in Deum tendentem.* Gagnæus, *Huiusmodi ergo ἐπερώτημα & stipulatio, qua se in Deum credere, & Satanæ nuntium remittere profitetur baptizandus, saluum eum facit.*

XIII. Oecumenium facile est in eandem partem interpretari. Cur non enim ἀρραβῶνα, ἐνέχυρον, ἀπόδειξιν intelligamus stipulationem illam? Nam etsi arrabo, pignusque, proprie soleant de rebus corporalibus dici, quæ traduntur faciendæ fidei causa: tamen nihil obstat, quominus metaphorice dicta intelligantur. Atque adeo necesse est, quia videlicet, nullum corporale pignus vnquam Baptismo adhibitum est. ἀπόδειξις autem ad verba manifeste pertinet. Atqui dum interroganti respondet baptizandus, iis baptizaturum facit certum suæ fidei, nempe per demonstrationem confessionis, siue stipulationis, quæ quidem arrabonis loco sit, & pignoris. Quare hanc expositionum multiplicationem, ego quidem censeo esse vel indiligentioris meditationis vitium; vel puerilis ἀκριβείας affectationem. Illi vidento.

XIV. Sed cur non sint à nobis hæ, si sic malis, tres expositiones? Nam hoc præcipue interest. Bellarminus, tantum, *Patet*, dixit: nulla adscripta causa, nulla saltem expressa coniectura. Bellarminum imitatur Vasques, in secunda, & tertia. Quæ confidentia fuit plene Iesuitica: multis facile exagitanda, si esset tanti.

XV. In prima, Vasques paulo modestior: *Non fauet*, inquit; *neque enim per interrogationes illas intelligitur sola fides: sed interrogationes illæ & responsiones illæ, quæ fiunt catechumenis ante Baptismum.*

XVI. Imo fauent, inquam, quia per interrogationes illas intelligitur sola fides. Quanquam fides nunc satis sit, vt non addas solam. Sed tamen solam fidem certe nominant, qui eius autores sententiæ: vt verba paulo ante recitata ipsa per se clamant. Quare si fides sit interrogatio conscientiæ: si externum elementum, sit absterfio sordium, si hæc absterfio sordium non seruet, si seruet interrogatio conscientiæ, tum sane non quicquid est, fuit, erit Sophistarum, queat efficere: vt non negemus vim aliquam inhærentem aquæ seruare baptizatum, quæ nunc controuersia est. Atque adeo nota Basilij verba ex capite duodecimo de Spiritu, Προάγει μὲν ὁμολογία πρὸς τὴν σωτηρίαν εἰσάγουσα, ἐπακολουθεῖ δὲ τὸ βάπτισμα, ἐπισφραγίζον ἡμῶν τὴν συγκατάθεσιν, *Præcedit confessio ad salutem inducens, consequitur Baptismus obsignans nostrum consensum.* Manifeste, salus adscribitur confessioni: Baptismo autem confessionis sigillum: Ergo, inquam, Baptismus non ipse agit in nobis salutem immediate proprietate quadam sibi inhærente, sed mediate per fidem, ac proinde aliena extrinsecaque vi.

Cap. IX.

De signis institutis & sigilli.

I. NVlla signa instituta promissionibus addita efficiunt rem significatam inhærente sibi efficacia: Ast omnia Sacramenta sunt signa instituta promissionibus addita: Ergo nulla Sacramenta operantur rem significatam inhærente sibi efficacia.

II. Maior probatur, primo; quia vt efficientia tota genere suo differt à significatione: ita non potest non esse diuersa ratio instituendi instrumenta efficientia, & significantia. Ac proinde, quatenus signa instituuntur, eatenus non instituuntur instrumenta efficientia. At Sacramenta sunt sua definitione intra ambitum signorum. Non habent igitur à sua institutione proprie efficientiam.

III. Secundo, probatur inductione: nam cum signa sint alia miraculosa, alia minime: tum vero, quæcunque in vtroque genere legimus, nulla sunt efficientia. In miraculosis sunt, Iudic. 6. ros in vellere: Gedeon ait, *Ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel.* Et post iterum, *Ne irascatur furor tuus cõtra me. Si adhuc semel tentauero signum quærens in vellere.* En tibi signum liberationis futuræ: nec efficiens liberationem: sed tantum agens in intellectum Gedeonis; vt sciret ita futurum. Post. Reg. 20. vmbra horologij Achas, nullam vim contulit ad sanitatem Ezechiæ, *Quod erat signum*, aiebat, *quia Dominus me sanabit?* Respondet Esaias, *Hoc erit signum à Domino, quod facturus sit Dominus sermonem quem loquutus est.*

IV. Quod si miraculosa non operentur rem promissam, quantumuis eius solius causa, siue postulata, siue donata: quanto minus non miraculosa? Sic Genes. 9. Iris signum fuit non futuri diluuij; non tamen id efficiens, sed tantum significans, *Hoc est signum fœderis quod do inter me & vos. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram:* Iosue secundo, *Detisque mihi verum signum, vt saluetis patrem meum, & matrem, & fratres, ac sorores meas, & omnia quæ illorum sunt.* Datumque est filum coccineum appendendum ad fenestram. Possunt, similia multa colligi.

V. Iam vero minor, etsi confirmata est consensu communi, prout annotatum fuit libro præcedente; tamen etiam probatur ex quarto ad Romanos: Omne sigillum est signum: omne Sacramentum est sigillum: Ergo omne Sacramentum est signum. Maior est certa, ex communi sensu: imo ex verbis Pauli; dicentis σημεῖον καὶ σφραγῖδα. Tum vero etiam minorem idem Paulus firmat in Circuncisione, *Et signum*, inquit, *accepit Circuncisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ in præputio.* Vbi phrasis ponderanda: quia illud signaculum, finem exprimit instituendæ Circuncisionis; ideoque etiam institutæ efficaciam: vnde Beza vertit, *quod obsignaret iustitiam fidei.* Sed & Iustinianus in paraphrasi, *Circuncisionem accepit pro signo, ac veluti sigillo, quo obsignaret iustitiam fidei.* En tibi Circuncisionem, quæ erat Sacramentum; etiam signum etiam signaculum.

VI. Et tamen Thomas annotat Paulum ostendere Circuncisionem fuisse non causam, sed signum iustitiæ: vnde confirmatur maior nostra. Quæ potuit etiam concipi de signaculo; vt totum argumentum ita sit. Nullum signaculum efficit id quod signat: At Sacramenta, sunt signacula gratiæ: Ergo nulla Sacramenta efficiunt ipsam gratiam.

VII. Etenim Paulum vsum Catholici credunt sigilli vocabulo mutuato ab humanis commerciis, in quibus est plurimus sigillorum vsus. Solent enim adhiberi pactis, id est, promissionibus: exempli gratia, regiis diplomatis; idque certitudinis causa: nempe, vt quæ verbis duntaxat sunt concepta nudis, hoc signo in oculos incurrente confirmentur. Quomodo valde illustratur vsus Sacramentorum: scilicet vt adhibeantur Verbo Dei promittenti salutem gratuitam: adeo vt promissiones, siue verbum, sint instar diplomatis, Sacramentum autem sigilli. Atque hic erat sensus Confessionis Gallicanæ, *Adiuncta esse Verbo Sacramenta amplioris significationis caussa.*

VIII. Aduersarij argumentum vel non viderunt, vel dissimularunt. Sed particulas tamen suggillarunt variis occasionibus, variis locis: quos, quam potero commodissime, nunc colligam. Primum ergo Bellarminus, cap. 14. lib. 1. *Octaua particula, quod Sacramentum obsignet instar sigilli promissionem gratiæ, ad excitandam & alendam fidem iustificantem, falsa est & diligenter refutanda.* Et præfatione in tertium tomum, *Comparatio*, inquit, *illaqua verbum diplomati, Sacramentum sigillo confertur, tam est inepta, vt nihil ineptius fingi queat: multoque rectius verbum Dei sigillum Sacramenti, quam Sacramentum verbi Dei sigillum dici posset.*

IX. Quomodo refutet statim visum imus: Nunc, quod negat, id agnoscit Greg. de Valentia, Tomi 4. disp. 3. q. 3. punct. 1. *Fatemur Sacramenta nouæ legis esse signa seu sigilla quodammodo promissionis diuinæ.* Et punct. 3. *Dupliciter intelligi potest Sacramenta illa vetera contulisse, siue exhibuisse gratiãt Vno modo improprie, quatenus fuerunt videlicet, velut pignora, aut etiam sigilla quædam, quibus est obsignata & firmata apud homines diuina promissio, cuius vi atque efficacia conferebatur etiam tunc gratia propter passionem Christi futuram. Vt si dicamus, verbi gratia, sigillũ principis contulisse, siue exhibuisse alicui præfecturam vrbis, aut aliud officium: quoniam literas & sententiam Principis obsignauit, virtute cuius officium eiusmodi est collatum.* Et tibi noua, en tibi vetera Sacramenta instar sigillorũ confirmantiũ diuinã promissionẽ.

X. Nec Gregorius solus. Nam habet eius sententiæ fundum Catechismũ Romanũ ad Parochos, *Quemadmodũ in Veteri Testamẽto Deus fecerat vt magni alicuius promissi constantiã signis testificaretur: ita etiã in noua lege Christus Saluator noster, cum nobis peccatorũ veniam, cœlestem gratiã, Spiritus sancti communicationẽ pollicitus est, quadã signa oculis, & sensibus subiecta instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum dubitare nunquam possemus.* Certe tunc habes Sacramenta testificari constantiã promissionũ diuinarũ: quibus tamen negabat Bellarminus addi. Habes etiam pignorum similitudinem aliquantum diuersam à sigillis: sed eodẽ nihilominus conspirantẽ; qui & nos libentissime vtimur.

XI. Verum, nobis instar est omnium diuina Scriptura; apud quam legimus, Circuncisionem esse signum fœderis diuini, Geneseos decimoseptimo: & σφραγῖδα, sigillum iustitiæ, ad Romanos quarto. Vnde id primum obtinemus: signi nomen alias late patens, cohiberi per sigillum: vt omne sigillum sit signum: at non omne signum itidem sigillum, σφραγίς. Nam hæc in iis signis est, quorum longe maior efficacia, quam vt nude simpliciterque significent. Cum tamen omne sigillum signum sit: ergo cuius signum est, eiusdem oportet esse sigillum. At Circumcisio signum fœderis: ergo etiam sigillum fœderis. Atqui fœdus est promissio Dei: est verbum Dei. Patet ex ipso loco, *Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuũ post te in generationibus tuis fœdere sempiterno; vt sim Deus tuus & seminis tui post te.* Quis neget hanc promissionem esse? ergo Circuncisio addita verbo Dei, addita fuit promissioni, pro signo & sigillo.

XII. Quid porro? Audiamus oppositam Bellarmini disputationem ex capite decimo quarto. Primum: Promissionem intelligi, vel eam quæ sit effectum Sacramenti, atque adeo eius institutionem, vt signi efficacis: vel aliquam præcedentem, quæ Sacramento velut sigillo obsignetur. Illam concedit, hanc negat; aliquot argumentis, quæ statim videro.

XIII. Nos fatemur intelligi promissionem re præcedentem ipsam institutionem Sacramenti: nempe quomodo fundamentum oportet esse prius fundato: & subiectum adiuncto. Sed addimus duo necessaria. Vnum posse hanc promissionem præcedentem eodem ipso concipi tempore, cum instituitur Sacramentum, eique additur: vt in Iride patet. Describit enim Moses, Deum simul promittentem nunquam deinceps fore diluuium; simul addentem promissionis huius signaculum. Nec in Circuncisione aliter: nam cum primum denunciauit Deus se pactum suum constituere cum Abrahamo, vt esset illi Deus, seminique eius, tum statim edixit Circuncisionem futuram eius pacti signum.

XIV. Alterum; in institutione concipi necessario ipsam illam præcedentem promissionem: videlicet, quia institutio Sacramenti nihil sit aliud quam applicatio elementi ad significandam illam promissionem. Neque enim Sacramenta esse possunt infinita: imo nulla signa: quandoquidem oportet signari vnum aliquid certum; & vt loquebãtur ipsi aduersarij, determinari ad aliquid certum. Atqui non determinarentur, nisi promissio repeteretur. Sic omnino oportuit promissionem de diluuio non futuro exprimi in instituenda Iride in signum. Et pactum illud diuinum, in Circuncisione. Sic Baptismus institutus in remissionem peccatorum: sic Eucharistia, in communionem corporis & sanguinis Christi.

XV. Prima Bellarmini obiectio. Promissio præcedens non inuenitur in omnibus Sacramentis. Ergo non omnia Sacramenta sigilla sunt promissionis præcedentis. Antecedens probat, quia in Baptismo non facile inueniatur huiusmodi promissio; & testem laudat omnium consensum. In Eucharistia, dari quidem eiusmodi promissionem: sed eius esse testificatiuam Eucharistiam, non inueniri.

XVI. A nobis negatur antecedens, tam in Baptismo, quam in Eucharistia. Enimuero: qui Baptismum sciat esse Sacramentum regenerationis, remissionisque peccatorum fierine potest vt neget Baptismo vllam præire promissionem? Nisi forte tam sit hospes in Theologia, vt nullo loco promissam dicat gratiam regenerationis, & remissionis. Quod monstro simile fuerit: cum totum Euangelium nihil sit aliud. Quin audi locum disertum ex Act. 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum; & accipietis donum Sancti spiritus. Vobis enim est promissio, & filiis vestris & omnibus qui procul sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster.* Non audis, baptizandos singulos, quoniam promissio ad eos pertinet? & negabis Baptismo vllam propositam promissionem?

XVII. In Eucharistia bene est, quod promissionem agnoscat præcedentem: vt compendium fiat argumentorum. Nam alioquin in promptu erat quicquid tum alibi legitur, tum Ioannis sexto de cõmunione cum Christo. Certe, si promissum est, fideles participes futuros corporis, & sanguinis Christi, & vt loquitur Cyrillus Hierosolymitanus, futuros σύσσωμοι καὶ σύναιμοι: Sit autem panis communio Christi: Calix communio Christi: non potest negari, Eucharistiæ substerni promissionem.

XVIII. Veruntamen negat signum esse confirmatiuum, sed commemoratiuum; quia dictum, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quasi vero non consenserint Sacramenta esse signa exhibentia id quod significent. Quid autem est exhibere promissiones præcedentes, nisi easdem re confirmare, quæ prius erant solis verbis conceptæ? Est enim ea sigillorum natura; vt quæ diplomata in membranis sunt, fiant efficacia, sortianturq; effectum plenum. Et Catechismus ad Parochos docuit à Deo instituta Sacramenta, vt promissi constantiam signis testificaretur: nec dubitare possemus in promissis fidelem futurum. Estne ea nulla confirmatio?

XIX. Nec vero opponuntur commemoratio, & confirmatio: imo hæc illam supponit necessario: neque enim confirmari potest, id cuius nulla memoria est. Et in Iridis institutione commemorationem audimus quidem expressam; sed cum confirmatione: *Recordabor*, inquit, *fœderis mei, quod pepigi vobiscum: & non erunt vltra aquæ diluuii.* Chrysostomus, οὐχ ἵνα αὐτὸς δεῖται ἀναμνήσεως, ἀλλ' ἵνα ἡμεῖς πρὸς ἐκεῖνο τὸ δοθὲν σημεῖον βλέποντες, μηδὲν ὑποπτεύωμεν χαλεπὸν, ἀλλ' εὐθέως εἰς ὑπόμνησιν ἐρχόμενοι τῆς τοῦ θεοῦ ἀληθείας θαῤῥῶμεν. *Non quod ipse opus habeat commemoratione: sed vt nos illud aspicientes datum signum, nihil duri suspicemur: sed confestim in memoriam inducti diuinæ veritatis confidamus.* Et paulo ante, οὐ πρὸς τὴν οἰκείαν φύσιν ἀφορῶν, ἀλλὰ πρὸς τὴν ἀσθένειαν τὴν ἡμετέραν, οὐκ ἀρκεῖται τῇ διὰ τῶν λόγων ὑποσχέσει, ἀλλὰ τὴν περὶ ἡμᾶς συγκατάβασιν ἐπιδεικνύμενος, καὶ σημεῖον παρέχει τὸ δυνάμενον παντὶ τῷ αἰῶνι συμπαρεκτεινόμενον τοῦ τοιούτου δέους ἀπαλλάσσειν τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος. *Non suam naturam spectans, sed nostram infirmitatem, non contentus est promissione, verbis concepta: sed demonstrans quomodo se nostræ infirmitati attemperet, etiam signum dat, quod in omne seculum perseuerans, possit tali metu humanum genus liberare.* En tibi commemorationem, en tibi simul confirmationem. Et quidem, εἰ ὁ λόγος μου, φησὶν, οὐκ ἀρκεῖ, ἰδοὺ καὶ σημεῖον δίδωμι, *Si sermo meus, inquit, non sufficit, ecce; & signum do.* Et iterum, σκόπει πῶς βουλόμενος εἰς πίστιν καὶ εἰς πληροφορίαν ἀγαγεῖν τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, πόσῃ τῇ ταπεινότητι τῶν λόγων κέχρηται, *Considera, quomodo volens humanam naturam ad fidem, & firmam credulitatem inducere, quanta verborum vsus sit humilitate: & videbo, quit, & recordabor testamenti mei*, ἢ ὄψις ἂν εἰς μνήμην αὐτὸν ἀγάγοι ταῦτα ὑποπτεύσωμεν. μὴ γένοιτο. ἀλλ' ἵνα ὅταν ἴδωμεν τὸ σημεῖον τοῦτο, θαῤῥῶμεν ἔχοντες τῇ τοῦ θεοῦ ἐπαγγελίᾳ, καὶ ὡς οὐχ οἷόν τε διαπεσεῖν τὰς τῆς ὑποσχέσεις. *Ergone visus ipsum in memoriam ducit? Non vt hoc suspicemur: Absit. Sed vt quando videmus signũ hoc, Dei promissioni confidamus, certi quod non sit possibile Dei promissiones intercidere.* Audin, & confirmationem & commemorationem? Addo Pereriũ lib. in Genesin 14. *Voluit benignus & clemens Dominus se ad infirmitatem hominis demittens & accommodans, semel atque iterum idem eis promittere: & insuper firmare promissionem suam signo Arcus cœlestis, cunctis mortalibus conspicuo, & vsque ad mundi occasum mansuro: scilicet, vt quoties homines illum aspicerent, diuini promissi memores omni dubitatione metuque posito, nunquã ad finem vsq; mundi venturum diluuium esse, persuasissimum, & certissimum haberent.* Quid ergo in mentem venire potuit Bellarmino, vt in Eucharistia confirmationem negaret argumento commemorationis?

XX. Altera obiectio. Omnia sigilla sunt notiora & efficaciora, eo cuius fidem faciunt: At Sacramenta non sunt notiora & efficaciora promissionibus: Ergo non sunt sigilla earum. Probat maiorem: tum quia frustra adhiberetur ignotius: tum quia ita sit vis sigilli: vt sit ipso diplomate notius & firmius. Probat minorem: primo, quia nihil fingi queat maius & efficacius ipso Dei verbo: secundo, quia facilius intelligatur, quod verbis, quam quod nutu significetur.

XXI. Respondeo primum: promissiones & Sacramenta comparari inter se, vt diuersos modos eiusdem rei proponendæ; alterum ad aures pertinens, alterum ad oculos: communi vtrisque existẽte subiecto; nempe gratia ipsa, quam fieri nostram oporteat credi. Fieri ergo nostram, dupliciter suaderi: primo, nuda promissione, deinde addito sigillo, siue arra. Itaque negari syllogismi maiorem. Nam cum dicitur probationes debere esse notiores; intelligendũ est, eo quod probatur: sicut re vera tum promissiones verbales, tum sigilla Sacramentorum notiora sunt eo quod quærimus, nempe gratiam esse nostram. Quæ enim sensibus concipiuntur, ea notiora sunt; ac proinde ad fidem faciendam efficaciora, quam quæ sola intellectus contemplatione.

XXII. Iam quæ multa concurrunt ad vnius eiusdemque rei fidem faciendam certiorem: hæc nihil necesse est alia aliis esse aut notiora, aut certiora. Sic testes secundos, tertiosve nihil necesse est, primis testibus esse veraciores: sed æque veraces: vt res fiat tanto certior quanto testatior: & in ore duorum triumve firmetur omne verbum. Sic teste Augustino vetera multa sacrificia fuerunt vnius Christi signa. De Ciuitate Dei lib. 10. cap. 20. *Huius veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum: cum ob hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multum commendaretur.* Bene; multum commendaretur; id est magis ac magis. Magis, inquam, per plura, quam per vnum, aut duo Nec tamen secundum primo, aut tertium secundo, aut quartum tertio necesse erat clarius esse, & cognitius.

XXIII. Ad hanc rationem audiuimus à Chrysostomo, *Si sermo meus non sufficit, ecce etiam signum do.* Magno ad hanc rem nostram pondere. Nam manifestum est, considerari diuersa argumenta faciendæ fidei de eadem re; nempe diluuio non futuro. Vnum in sermone, alterum in signo. Tum etiam prius non sufficere: ac proinde alterum: Ergo ambo sufficere, propterea eandem rem esse testatiorem, secundo addito. Deinde; secundum manifestum est non fuisse aut notius, aut efficacius primo: quomodo saltem Bellarminus ponit notius & efficacius: nam & verbum Dei erat, & tum etiam facilius diluuium non venturum verba significabant, quam Iris. Cur non eadem valeat in Sacramentis ratio?

XXIV. Secundo: etsi concedamus Sacramenta apposita ipsis promissionibus confirmandis: dico esse & notiora, & efficaciora fidei faciendæ, ipsa promissione, eodem modo quo sigilla regia sunt & notiora & efficaciora ipso diplomate. Nimirum, quia soleant apud nos esse cognitiora, certioraque, quæ in oculos cadunt, quam quæ auribus admouentur.

XXV. At nihil maius & efficacius verbo Dei. Ita esto, inquam, Sed nonne Sacramenta merito vocantur Verbum visibile? Quod si opposite Verbi vocem accipiat, inde sequeretur, nunquam confirmari debere verbum Dei. Sanumne est? Imo Pererius in nonum Geneseos, *Solet Deus promissa sua variis signis externis confirmare, quo scilicet eorum fidem ac spem altius in hominum animis defigat.* Nota promissa diuina confirmari signis. Nota nihil esse maius aut efficacius promissis diuinis. Hoc Bellarminus Iesuita: illud Iesuita Pererius asserit. Ergo, inquam, mentitur Bellarminus, qui aliquid maius, & efficacius confirmari neget posse.

XXVI. Veruntamen, maius quorsum? Non enim fuerat propositum, sed notius. Itaque abitur à quæstione. Efficacius autem, quo sensu? An quod potentius efficiat rem significatam? Atqui ne hoc quidem ad rem pertinet: nec nos negamus potentius effici à verbo Dei iustificationem, quam ab aqua, imo negamus ab aqua effici. Nec Bellarminus demonstrauit id quod potentius efficiat, non posse confirmari ab eo quod non agat. Imo Pererius agnouit confirmatum verbum Dei, quo efficitur vt ne diluuium iterandum sit, ab Iridis signo, à quo nulla in eam rem efficacia.

XXVII. Efficaciusne igitur ad fidem faciendam? Debuit, inquam, ita esse. Sed nos sumus obstaculo. Nostra, inquã, obstat infirmitas. Omnino debuit Ezechias, audito Propheta, Dei nomine promittente sibi restitutionem sanitatis, non dubitare, sed re tamen ostendit, sibi non prorsus exemptum omnem scrupulum, *Quod erit signum*, inquit, *quia Dominus me sanabit: & quia ascensurus sum die tertia templum Domini?* Post. Regum c. 20. Et in Exodo, Mosen tardiorem quam vt crederet soli verbo Dei, oportuit confirmari variis signis. Itaque Chrysostomo causa dicendi εἰ λόγος μου οὐκ ἀρκεῖ, *si non sufficit sermo meus.* Non sufficit? Quare? an proprio defectu? minime id quidem. Itaque addidit signum τὴν περὶ ἡμᾶς συγκατάβασιν ἐπιδεικνύμενος; *ostentans quomodo se infirmitati nostræ attemperet.* Et infirmitatem hanc explicans Pererius, *Quia videbat eorum animos præteritæ calamitatis horrore confusos, atque consternatos, non posse timorem penitus abiicere: & quoties cernerent densissimis nubibus obduci cœlum, & frequentiores solito maioresque de cœlo imbres ruere: in metu fore ne simile aliquod, eius quod iam experti fuerat, orbis exitium accideret: voluit benignus & clemens Dominus, se ad infirmitatem hominis demittens & accommodans, semel atque iterum idem eis promittere, & insuper firmare promissionem sua signa arcus cœlestis.*

XXVIII. Hanc autem rationem Catechismus ad Parochos notantes applicas Sacramentis: cum eorũ instituendorum causas enumerat: *Prima est* inquit,

inquit, *humani ingenij imbecillitas. Siquidem natura ita comparatum videmus, vt ad earum rerum notitiam, quæ mente, atque intelligentia comprehensæ sunt, nisi per ea, quæ aliquo sensu percipiuntur, nemini adspirare liceat. Vt igitur, quæ occulta Dei virtute efficiuntur, facilius intelligere possemus, idem summus rerum omnium artifex sapientissime fecit, vt eam ipsam virtutem, aliquibus signis, quæ sub sensum cadunt, pro sua in nos benignitate declararet.* Et post, *Altera vero causa est, quod animus noster haud facile commouetur ad ea, quæ nobis promittuntur credenda. Quare Deus à mundi exdi exordio quæ facere instituerat, verbis quidem frequentissime indicare consueuit: interdum vero, cum opus aliquod institueret, cuius magnitudo promissi fidem abrogare posset; alia etiam signa, quæ nonnunquam miraculi speciem haberent, verbis adiunxit.* Et paucis interpositis. *Quemadmodum igitur in Veteri Testamento Deus fecerat, vt magni alicuius promissi constantiam signis testificaretur: ita etiam in noua lege Christus Saluator noster, cum nobis peccatorum veniam, cœlestem gratiam, Spiritus Sancti communicationem pollicitus est, quædam signa oculis & sensibus subiecta instituit, quibus eum quasi pignoribus, obligatum haberemus.*

XXIX. Quid igitur sibi voluit Bellarminus? Scilicet egregium commentum est, facilius intelligi, quæ verbis, quam quæ nutibus repræsentenrur. Quasi hoc quæreretur, vtrum facilius intelligeretur: & non potius vtri plenior sit fides. Nam certe non semper fidei coniunctus intellectus verborum. Nam ille dux Samaritanus posterioris Regum septimo, sciebat ab Elizæo promitti magnam annonæ vilitatem: nec credebat. Et Lucæ 1. sibi Zacharias audiebat ab Angelo prolem masculam futuram; nec credidit? Quid plura? Ioannis 6. intellexerunt Capharnaitæ comedendam carnem Christi, nec crediderunt. Tam multa, tam magna intellectum mouent auditis verbis: quæ tamen fidem non obtinent. Quid ergo mirum, si verbis claris, manifestis, tamen opus sit confirmatione? Et sane Chrysostomus, *οἱ ὁ λόγοι μου οὐκ ἀρκεῖ.*

XXX. Tertia obiectio, Bellarmini. Si Sacramenta confirmant promissiones: ergo, vel quia doceant esse promissiones diuinas: vel quia magis credamus Sacramentis, quam promissionibus. At neutrum. Non hoc: quia scimus euidentissima ratione Deum non posse mentiri: proinde nihil esse certius eius promissionibus. Non illud, quia falsum, promissiones disci ex Sacramentis: cum contra potius Sacramenta discantur ex verbo Dei.

XXXI. Respondeo; primo, assumptum: quantum attinet ad secundam partem, facile negari à Pererio, & Catechismo Romano, describentibus tantam infirmitatem humanam, vt non facile moueatur animus ad ea credenda, quæ diuinitus promittantur: non posse penitus omnem timorem ebiicere.

XXXII. Secundo, negari consequentiam: quia dari possit tertium membrum: nempe, vt magis credamus vtrisque, videlicet promissionibus, simul & Sacramentis. Quomodo enim duo vincula dicuntur vno fortiora: & duo testes certiores solitario: sic procul dubio longe plus valent ad confirmationem fidei promissionis obligatio; & Sacramentorum pigneratio, quam alterutra seorsim. Nimirum, quia & intellectus per se mouetur in verbis; & per sensus in Sacramentis.

XXXIII. Quarta obiectio. Essentia & natura Sacramentorum non otest aliunde melius intelligi, quam ex verbis illius qui instituit. Sed in cripturis Sanctis, nusquam dicuntur Sacramenta testimonia promissio.am: sed vbique describuntur instrumenta iustificationis.

XXXIV. Respondeo concedi, eam propositionem, quæ pro maiore est. ec certe nobis aliter aut hic, aut in aliis controuersiis satisfieri posse, si deverbum Dei. Verum in Scripturis, nunquam dici Sacramenta testimonia omissionum, nimis confidenter esse ab eo sumptum, qui in præsentem ntrouersiam sit deductus; quæ hoc ipsum agat. Vocari etiam instrumen concedimus: sed quærimus cuiusmodi instrumenta. Nam etiam sigilla re genus quoddam instrumentorum esse, tum sensus communis docet: n testatus est Gregorius de V lentia.

XXXV. Fuerunt hæc illis argumenta. Sed & postea examinant. Belminus c.17. primi: & c.9 secundi Vasques cap 5. disp. 131. in 3. Thomæ. signis miraculosis, respondet Bellarminus non esse ad rem: quia enim racula ex se vim habeant, recte adhibere, ad probandum Deum esse qui misit: At Sacramenta nullam vim habere sine verbo.

XXXVI. Imo constat miracula adhiberi ad confirmandam fidem prossionis. Etenim Ezechias sic postulauit signum: non quo doceretur ım loqui: nusquam enim ei dictum: sed vt sciret se conualiturum, & nsurum in domum Domini. Itaque falsum est, vim suam habuisse absie verbo. Non enim quæritur vis efficiendi: sed hæc vis confirmandi. c igitur parte paria sunt miracula & Sacramenta. Denique, quod efficidi vim habeant, id illis est quatenus miracula sunt, non quatenus signa. At nos consideramus quatenus signa, in quo genere Sacramenta sunt. Quæ subtilitas inutilis est.

XXXVII. Ad signa non miraculosa respondet idem; data ad memom iuuandam, non ad fidem confirmandam. Differre autem signa commemoratiua, & confirmatiua. Quia illa possint oculis obiici, etiamsi tota rum efficacia pendeat à promissione: at ista, non posse omnino pendere romissione. Porro Baptismum & Eucharistiam esse commemoratiua.

XXXVIII. Imo distinctio friuola, vt iam ostensum. Nam Iris vtramq; buit vim: nempe vt nobis quotidie reuocet in mentẽ diuinam illam prossionem; & simul eiusdẽ confirmet fidem. Nam commemorationem Belninus concedit: at confirmationẽ & Chrysostomus olim expresserat; & er Pererius. Porro signa duplicis sunt generis: alia n. duntaxat in præsens pus data, & semel tantum vsurpata; vt illud Ezechiæ datum, & quæ sunt smodi tantum confirmatiua sunt; non ẽt commemoratiua, quia scilicet opus est commemorari, ea quæ tum primum promittuntur. Alia vero longi vsus; vt Iridis signum, & si qua alia: hæc vero necessario agnoscennt omnia commemoratiua: nimirum, quia semel duntaxat promissio quasi renouetur in dies. Hæc & commemoratiua sunt, & simul confirıua: quia scilicet illud ipsum commemorare, confirmare est, ad id enim memoratio fit.

XXXIX. Et sane commemoratio, est res quæ olim præterita, & cum fiensibus præsens, intellectui talis obiicitur, qualis erat, cum facta est. igitur promissiones tunc cum aures occuparent, fierent ad firmandam fidem, nimirum vt quibus eæ proponerentur, certi essent, se consequuturos promissionis effectum: necesse est, vt in commemoratione, sit ea ipsa vis: alioquin referretur ali.er promissio, quam prius erat. Quid est igitur causæ, quominus Sacramenta sint & commemoratiua & confirmatiua? Etenim quod vnum excipi poterat: non omnia confirmari quæ commemorentur; puta historias rerum quæ olim gestæ: nullum hic locum habere potest. Nam hæc historiarum commemoratio, non promissionum est. At hic promissiones sunt; rerum scilicet, non quæ olim gestæ; sed quæ iterum gerendæ; id est, singulis applicandæ, quibus ipsa Sacramenta applicantur.

XL. Verum ista leuiora erant. De Circuncisione longe diligentius negotium: à quo potentissimum nobis argumentum: quia constet fuisse Sacramentum: & quidem eadem Sacramenti definitione cum Nouis; de quibus propria nunc instituta disputatio, Vasques primo negat datam ad excitandam inanem fidem: sed vt esset signum fidelis populi.

XLI. Atqui de fide inani: meræ nugæ sunt: quam ille enim audiuit à nobis? Nos scilicet inani fidei confirmandæ dicamus instituta Sacramenta; qui inanem fidem dicimus potius exterminandam ex rerum natura? Qui Papistas accusamus grauiter, totam fidem frigidis intellectus contemplationibus definientes, eliminatam penitus toto voluntatis agro? Nimirum Vasquis intererat auertere quęstionem; & nobis calumniam struere. Verum neque illud nos passuri sumus: & huic Deus prouidebit.

XLII. Circumcisionem fuisse signum fidelis populi, nemo negat. Sed quid hoc ad rem? Nam & omnibus Sacramentis eadem ratio inest. Id notatum libro præcedenti ex consensu ipsorum Papistarum. Et nunc testem habemus Catechismum Romanum, *Quarta*, inquit, *etiam causa accedit, cur Sacramentorum institutio necessaria videri possit: vt scilicet notæ quædam, & symbola essent, quibus fideles internoscerentur.* Quid igitur? Censen legitime concludi; si fuerint signa fidelis populi: ergo nullam habere aliam naturæ rationem? ineptum. Etenim non tantum Paulus hanc ipsam Circuncisionem dixit *σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης*: sed etiam Catechismus ille ad Parochos secundam causam instituendorum Sacramentorum, vt promissi constantia signis testata fiat

XLIII. Vasques sic perfunctorie: Bellarminus longe curiosius. Primo, Quæ de sola Circuncisione dicuntur, non possunt recte trahi ad omnia Sacramenta. Recte enim argumentamur à genere ad speciem: non contra.

XLIV. De sola, inquit, Circuncisione. Atqui Catechismus ad Parochos, *Ex Scripturis etiam aperte colligitur, Sacramentum inter signa numerandum esse. Apostolus enim de Circuncisione, veteris legis Sacramento, quæ Abrahamo patri omnium credentium data erat, ita ad Romanos scribit: Et signum accepit Circuncisionis, signaculum iustitiæ.* Audin argumentum à specie ad genus, Bellarmine? Audin in hoc eodem sermone, in quo tibi displicuit? Nempe existimauit Catechismus, describi à Paulo Circuncisionem, iis proprietatibus signi, & sigilli, quæ non ipsi conueniant soli; sed communia sint cum reliquis Sacramentis. Quod & nos censemus.

XLV. Et vero, de signo res est manifesta: quandoquidem omnes Theologi fateantur, etiam Papistæ, omnia Sacramenta esse signa. Hoc ergo, inquam: saltem hoc, non dicitur de Circuncisione sola. An igitur sigillum? Ne id quidem. Argumentum. Quia sigillum additur ab Apostolo, in explicationem signi. Nimirum, quia signorum varia sint genera: inter quæ sigilla; & in sigillis Circuncisio. Itaque Theodoretus sigillum fidei, & signum fidei promiscue dixit; notione in eum locum, *Non est, inquit, Circuncisio iustitia, sed testimonium iustitiæ, & signaculum, & signum fidei.* Et Theophylactus, *Inquit igitur Circuncisionis signum pro signaculo accepisse, quo & obsignaret, & prædicaret suam ex fide iustificationem.* Oecumenius ex Photio, *Τὸ γὰρ σημεῖον τῆς περιτομῆς, φησί, σφραγίς ἐστιν, οἷον τεκμήριον τῆς πίστεως, τῆς ἐν ἀκροβυστίᾳ διὰ πίστεως δικαιοσύνης, Etenim signum circuncisionis, inquit, sigillum est; quasi dicat, signum & confirmatio, quæ erat in præputio per fidem.* Quod si sigillum est explicatio signi: & signum generale est omnibus Sacramentis: certe etiam sigillum est generale omnibus Sacramentis. Itaque autor operis imperfecti in Matthæum homilia quinta, *Baptismus signaculum fidei est.*

XLVI Secundo Bellarminus. Apostolus nullam fecit mentionem promissionis, aut pacti, cum loquitur de sigillo Circuncisionis. Vocat enim eam sigillum iustitiæ fidei; non sigillum promissionis & pacti. Et vocauit sigillum, vel secundum Origenem, quia obsignaret & clauderet justitiam fidei, quæ suo tempore patefacienda erat: vel secundum Chrysostomum, quia data Abrahamo in signum justitiæ, quam sibi acquisiuerat per fidem.

XLVII. Fateor non nominatam promissionem, aut pactum; si sonum attendas: sed si rem, falsum. Etenim Circuncisionem nominari sigillum, iam diximus; vt explicaretur, quomodo signum esset. At constat fuisse signum pacti, & promissionis: ex ipsa institutione: nam Deus ita diserte appellat Geneseos decimo septimo: Ergo cum ab Apostolo nominatum est sigillum; etiam re nominatum oportuit pactum, & promissionem. Deinde, ipsa justitia fideis pactum, promissionemque supponit: scilicet gratiam Dei. Etenim iust tia per fidem; à Paulo describitur im putata, & esse dicitur, non operantis, sed credentis. Atqui fides supponit necessario verbum Dei, cui innitatur.

XLVIII. Signaculum nominati, quod clauderet justitiam fidei tandem reuelandam, nugatus est olim Origenes, vt alias sæpe multa in interpretanda Scriptura effutiuit inconsiderate, & violenter detorsit. Etenim signaculi non is proprius vsus est, vt claudat, sed vt firmet: inde etiam claudat, sed per accidens: nempe qui sigilla violari nefas est. Itaque non ipsa claudunt; sed clausis apponuntur. Chrysostomus in Matthæum, homilia quinta, *ὅταν ἐγά τις ὀλίγα λαβὼν, καὶ εἰς βαλάντιον ἀποθῇ, καὶ σφραγῖδα ἐπιθῇ, Paucos plerunque nummos cum aliquis accipit, & in sacculo recondit, & sigillum imponit.* Sed accidentarium sumi effectum nulla vrgente causa, quis probet? Deinde, cui quæso claudit iustitiam circuncisio? Nam Abrahamo, negat Paulus, qui ei collatam dixit, id est, imputatam. Nec primus dixit: sed longe ante eum Moses: adeo vt oportuerit iam multis ante Christum seculis cognitum hoc justitiæ per fidem arcanum. Quomodo ergo clausum? Tum autem si sigillum quia signum, vt diximus: ergo signum à claudendo. Ergo signum fœderis claudebat fœdus? Ridiculum. Nam Iris clausisset itidem pactum de non futuro diluuio. Nempe ita est; multa Origenes nugabatur.

XLIX. Sigillum iustitiæ, quã sibi Abrahamus acquisiuisset, mentitur Bel-

larminus: non dixit Chryſoſtomus; non Theophylactus. Et,ſi dixiſſent, contra Paulum dixiſſent: qui imputatam docuit:non vero acquiſitam. Sed dixit Chryſoſtomus ſignaculum iuſtitiæ, quæ erat ante præputium: Et dixit doctus ab ipſo Apoſtolo. Verum Ieſuitarum audacia ſibi multa permittit contra fas & æquum.

L. Tertio Bellarminus. Fuiſſe priuilegium ſolius Abrahæ: nec poſſe transferri ad alios: quaſi circuncifio in quocunque eſſet, teſtificatio eſſet juſtitiæ illius, jam ante habitæ. Nam in reliquis fuiſſe duntaxat ſignum quod eſſent filij Abrahæ: at non ſigillum juſtitiæ fidei. Probat hiſce argumentis. Primo, quia Paulus, *Signaculum fidei*, inquit, *vt ſit pater omnium credentium*. Ergo non habent ſignaculum fidei omnes circuncifi:quia non ſunt omnes patres fidelium. Secundo, Paulus diſtinguit ſignum à ſigillo: cui? niſi vt indicaret circuncifionem ſemper & omnibus eſſe ſignum: ſed ſoli Abrahæ ſigillum iuſtitiæ? Tertio: Scriptura etſi ſæpiſſime loquatur de Circunciſione, nuſquam tamen vocat ſigillum, niſi hoc loco, vbi de Abrahamo agitur: quod eſt argumentum manifeſtum, ſoli illi fuiſſe ſigillum. Et tamen ad Rom. 3. quum quæreret, *Quæ vtilitas Circunciſionis*? & reſponderet, *Multum per omnem modum*, debuiſſet primo loco ponere hanc primariam vtilitatem; quod ſit ſigillum diuinæ promiſſionis:at huius ne meminit quidem.

LI. Priuilegium Abrahami nos in circunciſione fuiſſe concedimus, quod primus habuerit hoc ſigillum iuſtitiæ: ſed vtrum ſolus habuerit iuſtitiæ iam præcedentis, audax definitio eſt. Etenim, vt taceam iuſtitiam fidei eandem à Paulo deſcribi imputatam; & tantiſper inhærentem ſignificare permittam: tamen vehemens contra coniectura eſt circunciſio facta in deſerto, Ioſue quinto, multorum adultorum, qui nati poſt profectionem ex Ægypto, non fuerant circunciſi. Hos enim omnes fuiſſe impios, non video cui poſſit videri veriſimile.

LII. Sed ſoli Abrahamo fuiſſe ſignaculum iuſtitiæ; non patiuntur, quæ ſunt iam dicta: neque vllus dixerat hactenus Theologorum. Certe Catechiſmus Romanus ineptiſſime omnibus Sacramentis eadem verba applicaret. Gagnæus, *Vt Iudæis ſignum & figura eſſet puræ & caſtæ conuerſationis: non quod iuſtitiæ efficiens eſſet: ſed quod eius quæ per fidem eſt iuſtitiæ ſignum & ſignaculum eſſet, ſiue ſigillum* En tibi Iudæis ſignum & ſigillum. Sed idem longe prior Chryſoſtomus in Geneſim homil. 27. Περιτομὴν νομοθετεῖ, κατεδέξατο, οὐχ ὡς πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς σωτηρίαν συντελέσαι τι πάντως δυναμένης, ἀλλ' ἵνα ὥσπερ σημεῖον τι καὶ σφραγῖδα περιφέρωσι, δεῖγμα τῆς οἰκείας εὐγνωμοσύνης, οἱ τῶν Ἰουδαίων παῖδες. *Voluit circunciſionem pro lege ſtatui, non quod ad animæ ſalutem perficere hæc poſſet aliquid: ſed vt hoc gratitudinis indicium, quaſi ſignum & ſigillum circunferrent Iudæorum filij* Sed & Auguſtinus Epiſtola ducenteſima tertia, *Quod ſignaculum iuſtitiæ fidei, tantum illo tempore valuit, antequam Domini euacuaretur aduentu, vt infantem filium Moyſi Angelus præfocaſſet, niſi mater arrepto calculo circuncidiſſet puerum.* De Baptiſmo contra Donatiſtas libri quarti capite viceſimo quarto, *In Iſaac, qui octauo ſuæ natiuitatis die circunciſus eſt, præceſſit ſignaculum iuſtitiæ fidei: & quoniam patris fidem imitatus eſt in creſcente ipſa iuſtitia, cuius ſignaculum in infante præceſſerat.* Idem apud Lombardium quarti diſtinctione prima capite ſexto, *Ex quo inſtituta eſt circunciſio in populo Dei, quæ erat tunc ſignaculum iuſtitiæ fidei, ad purgationem valebat magnis & paruis, originalis, veteriſque peccati.* Semper ergo Circunciſio ſignaculum iuſtitiæ: non in ſolo Abrahamo.

LIII. Sed non fuerunt omnes patres fidelium. Fateor: Verum id non pertinet ad ſignaculum iuſtitiæ fidei: ſed ex iuſtitia ipſa. Patet; quia vtrunque dicitur, *vt ſit pater omnium credentium per præputium*: &, *vt ſit pater circunciſionis*. Nam profecto quod fuerit pater credentium in præputio, id non habuit ex circunciſione;ſed ex iuſtitia, cuius illa fuit ſignaculum. Lombardus, *Et ideo in tempore præputij habuit ex fide iuſtitiam, vt ipſe ſit, id eſt, vt oſtendatur eſſe pater, id eſt, fidei autor, exemplo omnium credentium.* Enimvero quomodo paternitas communis eſt, ita & eius paternitatis cauſa. Senſus eſt ergo, Abrahamum, qui iuſtificatus fuit per fidem tam in præputio, quam in circunciſione, patrem fuiſſe omnium fidelium; quorum alij in Præputio, alij in Circunciſione.

LIV. Diſtinguit ſignum à ſigillo. Poteſt ferri; vt diſtinguitur definitio à definito: ſiue explicatio ab explicato. Nam Lombardus, *Tale ſcilicet ſignum, quod ſit ſignaculum.* Thomas, *Primo proponit Circunciſionem eſſe ſignum: ſecundo oſtendit cuius rei ſit ſignum, dicens quod ſit ſignaculum iuſtitiæ fidei.* Gloſſa ordinaria, *Circunciſio exterior dicitur ſignum interioris: tale ſcilicet ſignum, quod ſit ſignaculum, habens ſimilitudinem ſignatæ rei.* Hoc cum ita ſit, tum vero rei nulla diſtractio eſt: ſed rationis tantum diſtinctio: itaque non ſequitur ſemper fuiſſe ſignum; non ſemper ſignaculum: Imo ſequitur contra; ſi ſemper ſignum, etiam ſemper ſignaculum: nimirum quia ſemper tale ſignum.

LV. Nunquam vocatur ſignaculum niſi cum de Abrahamo ſermo. O hominem ridiculum! Dic bona fide Bellarmine, vbi in Scripturis repertum tibi Circunciſionem ſignum dici? Habeſne vllum in Scripturis locum præter Geneſeos decimum ſeptimum; & alterum ad Romanos quarto? Atqui vtrobique agitur de Abrahamo. Dic ergo, ſodes, ſoli Abrahamo fuiſſe ſignum. An erubeſcis? Ergo nos patere cachinnis multis excipientes tuum iſtud argumentum manifeſtum.

LVI. Sed cum quæreret vtilitatem Circunciſionis, non nominauit, hoc ſigillum diuinæ promiſſionis? O demonſtrationem! O Ieſuiticæ Logicæ acumen! Dic Bellarmine; reſponditne ſignum fœderis? Quin tu igitur concludis, Circumciſionem nullum eſſe ſignum fœderis? Aut ſi hoc horreas; permitte & nos illud ridere.

LVII. Quarto & poſtremo Bellarminus: non eſſe eandem Baptiſmi, & Circunciſionis rationem. Probat: quia prioris ad Corinth. 7. *Circunciſio nihil eſt.* At de Baptiſmo, ad Tit 1. *Saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis.*

LVIII. Nimis ruſtice hoc quidem. Nam veteres contra aſſerunt: Lombardi hæc eſt definitio, *Fuit inter illa Sacramenta* Vetera, *Sacramentum quoddam ſcilicet Circunciſionis, idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc Baptiſmus præſtat.* Auguſtin. ipſe 2. contra literas Petiliani 72. c. *Certe antiquus populus Dei Circunciſionem pro Baptiſmo habebat.* De nuptiis & concupiſcentia c 11. *Ex quo inſtituta eſt Circunciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum iuſtitiæ fidei, ad ſignificationem purgationis valebat & paruulis originalis veteriſque peccati, ſicut & Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo eſt inſtitutus.* Cap. 24. quarti de Baptiſmo contra Donatiſtas, *Sicut in Abraham præceſſit fidei iuſtitia, & acceſſit Circunciſio ſignaculum iuſtitiæ fidei: ita in Cornelio præceſſit ſanctificatio ſpiritalis in dono Spiritus Sancti, & acceſſit Sacramentum regenerationis in lauacro Baptiſmi. Et ſicut in Iſaac qui octauo ſuæ natiuitatis die circunciſus eſt, præceſſit ſignaculum iuſtitiæ fidei, & quoniam patris fidem imitatus eſt, ſecuta eſt in creſcente ipſa iuſtitia, cuius ſignaculum in infante præceſſerat: ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis Sacramentum: & ſi Chriſtianam tenuerint pietatem, ſequitur etiam in corde conuerſio, cuius myſterium præceſſit in corpore.* Peluſiota Epiſt. 125. lib. 1. ἀντὶ βαπτίσματος τῇ περιτομῇ οἱ Ἰουδαῖοι ἐχρῶντο. *Iudæi Baptiſmi loco Circunciſione vtebantur.* Plurima ſunt eiuſmodi teſtimonia: ex quibus conſtat perſuaſum olim fuiſſe Chriſtianis non fuiſſe admodum diuerſam Circunciſionis rationem & Baptiſmi. Cur hodie mutatum? Et quidem in Papiſtarum gratiam: & quidem ad arbitrium Ieſuitarum.

LIX. Circunciſionem nihil eſſe, fatemur legi apud Paulum. Sed dictum de Circunciſione ſecundum inſtitutionem, ferre non poſſumus. Caluinus pro eo tempore intelligendum dixit, quo iam abrogata erat. Beza, ratione eius temporis habita, cum deſierat eſſe fidei Sacramentum. An mentiti? Imo Auguſtinus Epiſt. 203 *Signaculum fidei tantum illo tempore valuit, antequam Domini euacuaretur aduentu, vt infantem filium Moyſi Angelus præfocaſſet, niſi mater accepto calculo circuncidiſſet.*

LX. Itaque notantur dictum, *nihil eſt*: minime autem nihil fuit. Simile ad Galatas 5. *In Chriſto Ieſu, neque Circunciſio aliquid valet, neque Præputium.* Id eſt, *In Chriſto Ieſu atque eius diſciplina, quam profitemur*, inquit Iuſtinianus Paraphraſtes; poſt etiam annotans; *hoc eſt, in lege Chriſti.* Nam & Thomas præiuerat, *id eſt, in his qui ſunt in fide Chriſti.* Et Caietanus, *hoc eſt, in Chriſtianis.* At noſtrum argumentum inde erat, quid eſſet Circunciſio, quatenus Abrahamo mandata; & quandiu impoſita ſemini eius: nempe dum Meſſias venturus eſſet. Hoc enim præſente nemo nunc negat nullam Circunciſionem eſſe Sacramentum. Hoc argumentum nemo infirmabit, niſi qui dixerit Circunciſionem nihil vnquam fuiſſe, quod nondum auſus quiſquam ſanus Theologus.

CAP. X.

Apud veteres diſparari efficientiam Spiritus & elementi.

I. SI Sacramentorum elementa operantur phyſice gratiam: Ergo Deus non eſt ſola cauſa gratiæ: At hoc poſterius falſum: ergo illud prius abſurdum. Conſequentia eſt manifeſta per ſe. Aſſumptum autem probatur ex plurimis & perſpicuis Patrum veterum autoritatibus: apud quos hæc ſolennis fides fuit.

II. Cyprianus, ſiue quis alius eſt autor ſermonis de Baptiſmo Chriſti, *Remiſſio peccatorum, ſiue per Baptiſmum, ſiue per alia Sacramenta donetur, proprie Spiritus Sancti eſt; & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum ſolennitas, & ſacri inuocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis ſacerdotum miniſterijs attributa, viſibile celebrant Sacramentum: rem vero ipſam Spiritus Sanctus format & efficit: & conſecrationibus viſibilis inuiſibiliter manum totius bonitatis auctor apponit, & plenitudinem gratiæ vnctionis diuinæ pinguedo, ſanctificationibus officialibus infundit, & rem Sacramenti conſummat & perficit.* Et paulo poſt, *Proprie ſibi omnipotentia Dei retinet hunc effectum.* Gregorius Nyſſenus Oratione in Baptiſmum Chriſti. ὡς τὸ εὐθύτοκον παιδίον ἐλεύθερόν ἐστιν ἐγκλημάτων καὶ τιμωριῶν. οὕτως καὶ ὁ τῆς ἀναγεννήσεως παῖς οὐκ ἔχει περί τινος ἀπολογήσεται, βασιλικῇ δωρεᾷ τῶν εὐθυνῶν ἀφεθείς. ταύτην δὲ τὴν ἐνεργασίαν οὐ τὸ ὕδωρ χαρίζεται· ἦν γὰρ ἂν πάσης τῆς κτίσεως ὑψηλότερον. ἀλλὰ Θεοῦ πρόσταγμα καὶ ἡ τοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησις, μυστικῶς ἐρχομένη πρὸς τὴν ἡμετέραν ἐλευθερίαν· ὕδωρ γὰρ ὑπηρετεῖ πρὸς ἔνδειξιν τῆς καθάρσεως. ἐπειδὴ γὰρ εἰώθαμεν ῥύπῳ καὶ βορβόρῳ τὸ σῶμα καταβορβορωθὲν ὕδατι νίπτοντες καθαρὸν ἀποφαίνειν, διὰ τοῦτο καὶ ἐπὶ τῆς μυστικῆς πράξεως αὐτὸ προσλαμβάνομεν, τῷ αἰσθητῷ πράγματι τὴν ἀσώματον δηλοῦντες λαμπρότητα, *Vt modo natus puellus à criminibus & pœnis liber eſt, ita etiam regenerationis puer non habet, cuius nomine cauſſam dicat, vt cui regio dono remiſſæ ſint pœnæ. Hoc autem beneficium, non aqua largitur: eſt enim omni creatura ſublimius: ſed Dei præceptum, & Spiritus, qui myſtice ad noſtram libertatem venit, acceſſus. Aqua vero ſubſeruit ad oſtendendam purgationem Quoniam enim ſordibus & cœno fœdatum corpus aqua lauantes purum reddere ſolemus; propterea etiam in myſtica actione eam adhibemus, re ſub ſenſum cadente incorporeum ſplendorem ſignificantes.* Paulo poſt, Μὴ καταφρονήσῃς τοῦ θείου λουτροῦ, μηδὲ ὡς κοινὸν αὐτὸ ἐξευτελίσῃς, διὰ τὴν χρῆσιν τοῦ ὕδατος· τὸ γὰρ ἐνεργοῦν μέγα, καὶ ἀπ' ἐκείνου θαύματα γίνονται τὰ τελούμενα, *Ne contemnas diuinum lauacrum neque id tanquam comune propter vſum aquæ parui facias, Nam id quod operatur, magnum eſt, & ab illo miracula ſunt, quæ perficiuntur.*

III. Auguſtinus in Leuiticum quæſtione quarta & octogeſima, *Quomodo Moyſes ſanctificat & Dominus. Non enim Moyſes pro Domino, ſed Moyſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum: Dominus autem inuiſibili gratia per Spiritum Sanctum, vbi eſt totus fructus etiam viſibilium Sacramentorum.* Idem Epiſt. 23. *Vt poſſit regenerari per officium voluntatis alienæ, cum offertur conſecrandus, facit hoc vnus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Non enim ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel miniſtrantium fide: ſed, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Aqua igitur exhibens forinſecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ, ſoluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem in vno Chriſto.* In Epiſtolam Ioannis tractatu 6. *Aliud eſt aqua Sacramenti, aliud aqua quæ ſignificat Spiritum Dei. Aqua Sacramenti viſibilis eſt; aqua Spiritus inuiſibilis. Iſta abluit corpus & ſignificat quod ſit in anima: per illum Spiritum ipſa anima mundatur & ſaginatur.* Chryſoſt. in Matthæum Homilia quinquageſima prima. Πιστεύσατε τοίνυν ὅτι καὶ νῦν ἐκεῖνο τὸ δεῖπνόν ἐστιν, ἐν ᾧ αὐτὸς ἀνέκειτο· οὐδὲν γὰρ ἐκεῖνο τούτου διενήνοχεν· οὐδὲ γὰρ τοῦτο μὲν ἄνθρωπος ἐργάζεται. ἐκεῖνο δὲ αὐτός· ἀλλὰ καὶ τοῦτο κἀκεῖνο αὐτός. ὅταν τοίνυν τὸν ἱερέα ἐπιδιδόντα σοι ἴδῃς, μὴ τὸν ἱερέα νόμιζε

τον

τὸν τούτο πιστεύετε, ἀλλὰ τὴν τοῦ χριστοῦ χεῖρα εἶναι τὴν ἐκτεινομένην. ὥσπερ γὰρ ὅταν βαπτίζῃ, οὐκ αὐτός σε βαπτίζει, ἀλλ' ὁ θεός ἐστιν ὁ κατέχων σοῦ τὴν κεφαλὴν ἀοράτῳ δυνάμει, καὶ οὔτε ἄγγελος, οὔτε ἀρχάγγελος, οὔτ' ἄλλος τις τολμᾷ προσελθεῖν καὶ ἅψασθαι. οὕτω καὶ νῦν. *Credite igitur omnes quia etiam nunc illa cœna celebratur, in qua Christus ipse recumbebat. Nihil quippe interest inter illam, & hanc. Non enim hæc ab homine, illa ab ipso conficitur: sed hanc & illam ipse efficit. Quando igitur Sacerdotem tibi præbere videris, noli Sacerdotem arbitrari hoc facere; sed ipsam Christi manum porrigi. Nam quemadmodum cum baptizaris, non is est qui te baptizat; sed Deus is est qui tenet caput tuum inuisibili potentia. imo neque Angelus, neque Archangelus; neque alius quisquam audet accedere & attingere: Ita etiam nunc* Vrbanus IV. in Psalmum quinquagesimum, *Tu Deus omnipotens cognitor occultorum, occultissimam gratiam Spiritus Sancti tui latenter infundis tuis fidelibus, & etiam paruulis in Baptismo.*

IV. Confirmatur: quia suæ cuique partes assignantur distincte, nempe elemento, ac Spiritu superuenienti: vt illud agat in corpus: iste, in animam. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. ἐπεὶ γὰρ διπλοῦς ὁ ἄνθρωπος ἐκ ψυχῆς καὶ πνεύματος συγκείμενος, διπλοῦν καὶ τὸ καθάρσιον· τὸ μὲν ἀσώματον τῷ ἀσωμάτῳ, τὸ δὲ σωματικὸν τῷ σώματι: καὶ τὸ μὲν ὕδωρ καθαίρει τὸ σῶμα· τὸ δὲ πνεῦμα σφραγίζει τὴν ψυχὴν, ἵνα ἐρραντισμένοι τὴν καρδίαν, καὶ λελουμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ προσέλθωμεν τῷ θεῷ. μέλλων τοίνυν εἰς τὸ ὕδωρ καταβαίνειν, μὴ τῷ ψιλῷ τοῦ ὕδατος πρόσεχε· ἀλλὰ τῇ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐνεργείᾳ τὴν σωτηρίαν ἐκδέχου. *Cum enim duplex sit homo, ex anima & corpore compositus, duplex quoque purificatio: incorporea quidem incorporeo: corporea vero corpori. Et aqua sane mundat corpus, Spiritus autem signat animam: vt aspersi cor, & abluti corpus aqua munda accedamus ad Deum. Cum itaque is descensum in aquam ne nuda aqua attendito: verum Spiritus Sancti efficacia salutem excipito.* Idem Catechesi 17. quanquam hic locus vereor, vt de Baptismo loquatur: at alludit tamen. ὥσπερ γὰρ ὁ ἐνδύνων ἐν τοῖς ὕδασι, καὶ βαπτιζόμενος πανταχόθεν ὑπὸ τῶν ὑδάτων περιβάλλεται· οὕτω καὶ ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἐβαπτίσθησαν ὁλοτελῶς· ἀλλὰ τὸ μὲν ὕδωρ ἔξωθεν περιχεῖται, τὸ δὲ πνεῦμα καὶ τὴν ἔνδοθεν ψυχὴν βαπτίζει ἀπαραλείπτως, *Vt enim is qui mergitur in aquis, & baptizatur, vndique ab aquis circundatur: sic & illi* (Apostolus dicit) *à Spiritu baptizati sunt perfecte: sed aqua quidem exterius circundat. Spiritus autem interiorem animam abluit incomprehensibiliter.*

V. Nazianzenus oratione 40. Διττῶν δὲ ὄντων ἡμῶν, ἐκ ψυχῆς λέγω καὶ σώματος, καὶ τῆς μὲν ὁρατῆς, τῆς δὲ ἀοράτου φύσεως, διττὴ καὶ ἡ κάθαρσις, δι' ὕδατός τε, φημι, καὶ τοῦ πνεύματος, τοῦ μὲν θεωρητικῶς τε καὶ σωματικῶς λαμβανομένου, τοῦ δὲ ἀσωμάτως καὶ ἀθεωρήτως συντρέχοντος καὶ τοῦ μὲν τυπικοῦ, τοῦ δὲ ἀληθινοῦ καὶ τὰ βάθη καθαίροντος. *Quandoquidem autem duabus partibus, hoc est animo & corpore, constamus: quarum altera oculorum sensum fugit: gemina etiam purgatio est, per aquam scilicet, & per Spiritum; illam visibilem & corporeo modo acceptam hunc vero incorporeo & inuisibili concurrentem: illam typicam: hunc verum, & intima animi purgantem.* Huius loci paraphrasin habemus à Niceta, quam sic latinam fecit Billius, *Quandoquidem compositus ac non simplex homo est, idcirco duplici atque coniuncto cognata & similia medicamenta ad ipsius curationem attributa sunt: corpori, nimirum aspectabili, aqua sensibilis: animo autem inuisibili, Spiritus oculorum obtutum fugiens, qui per fidem vocatus ineffabili modo accedit.*

VI. Nec tantum subiectorum distinctio est: sed & rationis. Proxime Nazianzenus, ὕδωρ dixit τυπικὸν, at Spiritum ἀληθινόν. Id Nicetas interpretatur ad hunc modum, *Et quidem aqua purgationis figuram gerit. Purgatio enim, quæ per aquam fit, eam, quæ per Spiritum comparatur, designat: vt enim corpus ab aqua; sic anima à spiritu lustratur: atque ita res in oculos cadens rei inuisibilis signum est. At Spiritus, veram purgationem continet, nec superficie tenus corpora purgat, verum animam & penetralia ipsa expiat.* Est vero non dissimilis Basilio philosophia, 15. Spiritu Sancto: quem locum ante descriptum, necessario nunc repetimus. Ἓν οἴδαμεν τὸ σωτήριον βάπτισμα· ἐπειδὴ εἷς ἐστιν ὁ ὑπὲρ τοῦ κόσμου θάνατος, καὶ μία ἐκ νεκρῶν ἐξανάστασις· ὧν τύπος ἐστὶ τὸ βάπτισμα· τούτου χάριν ὁ τὴν ζωὴν ἡμῶν οἰκονομῶν κύριος, τὴν τοῦ βαπτίσματος ἡμῖν ἔθετο διαθήκην, θανάτου τύπον καὶ ζωῆς περιέχουσαν· τὴν μὲν τοῦ θανάτου εἰκόνα τοῦ ὕδατος ἐκπληροῦντος· τὸν δὲ τῆς ζωῆς ἀρραβῶνα παρεχομένου τοῦ πνεύματος· ὥστε σαφὲς ἡμῖν ἐντεῦθεν γέγονε τὸ ζητούμενον, διὰ τί τῷ πνεύματι τὸ ὕδωρ συμπαρελήφθη. ὅτι δύο σκοπῶν ἐν τῷ βαπτίσματι προκειμένων, καταργῆσαι μὲν τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας τοῦ μηκέτι αὐτὸ καρποφορεῖν τῷ θανάτῳ, ζῆν δὲ τῷ πνεύματι καὶ τὸν καρπὸν ἔχειν ἐν ἁγιασμῷ, τὸ μὲν ὕδωρ τοῦ θανάτου τὴν εἰκόνα παρέχει, ὥσπερ ἐν ταφῇ τὸ σῶμα παραδεχόμενον· τὸ δὲ πνεῦμα τὴν ζωοποιὸν ἐνίησι δύναμιν. ἀπὸ τῆς ἐκ τῆς ἁμαρτίας νεκρότητος εἰς τὴν ἐξ ἀρχῆς ζωὴν τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἀνακαινίζον· τοῦτο οὖν ἐστὶ τὸ ἄνωθεν γεννηθῆναι ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος. ὡς τῆς μὲν νεκρώσεως ἐν τῷ ὕδατι τελουμένης. τῆς δὲ ζωῆς ἡμῶν ἐνεργουμένης διὰ τοῦ πνεύματος; *Vnum nouimus salutare Baptisma: quandoquidem vna sit pro mundo mors, vnaque ex mortuis suscitatio; quorum typus est Baptisma. Propterea, qui vitam nostram dispensat Dominus, Baptismi disposuit nobis fœdus mortis typum & vitæ continens: implente scilicet aqua mortis imaginem: at Spiritu exhibente vitæ arrhabonem. Itaque manifestum fit hinc nobis id quod quærebatur; quare cum Spiritu assumpta sit aqua: quia cum duo sint fines Baptismo propositi, destruere corpus peccati, ne amplius fructificet morti; & viuere Spiritui, & fructum obtinere in sanctificatione; aqua quidem mortis imaginem exhibet, excipiens corpus tanquam in sepulcro; & Spiritus viuificam immittit, animas nostras à mortalitate, quæ est secundum peccatum, in pristinam vitam renouans. Hoc illud est, desuper nasci ex aqua & Spiritu; vtpote mortificatione in aqua repræsentata; vita autem nostra potenter effecta per Spiritum.*

VII. Strenue dissimularunt hæc ferme omnia Bellarminus, Gregorius de Valentia, Vasques; alij. Non ausus Suares, quasi nunquam visa, audita, prætermittere: nec valens tamen vim integram sustinere, delumbauit, tantum notans soli Deo totum tribui effectum interiorem. Et expediuit facile. Non negare efficientiam Sacramentorum: sed significare solum Deum, & Spiritum Sanctum esse principalem gratiæ autorem, à quo virtus Sacramentorum manet: Confirmat, Quia alias eandem efficientiam doceant.

VIII. Scilicet tanti est proprio arbitrio aduersariorum argumenta deartuare! Expeditissimum sine sophistis compendium: & tuti sunt, à vulneribus qui ad palum exercent. Enimvero, si nihil veteres, nisi dixissent Deo soli tribui effectum interiorem Sacramentorum; poterat non inutilis esse subtilitas: Cum enim legimus Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod prodit de ore Dei*: non tamen negamus aliquam esse panis efficientiam; & quidem inhærentem: esse denique instrumentum physicum Dei, agens immediate in corpus hominis. Verum, quod non aduertit, quod noluit aduertere sophista, longe hanc rem diligentius Patres sunt exsequuti, vt ne se quisquam indistinctione delusum quæri posset. Eius diligentiæ ne nos fugiant capita, oportet dissimulantibus obiectare.

IX. Obseruandum ergo non simpliciter negari Sacramentis, Sacramentorumve Ministris, omnem efficientiam; vt cum negatur nos solo pane viuere: & cum negat Paulus esse aliquid eum qui riget, aut plantet, prioris ad Corinthios 3. aut Psalmo 44. non gladio suo acquisiuisse terram Israelitas. Non sic, inquam, veteres his de rebus commentati sunt. Sed in eodem opere efficaciam Dei distinxerunt, & elementi, atque hominis: quæ distinctio disparatio est, vt neque Deo efficaciam Sacramenti; aut hominis: neque Sacramento aut homini efficaciam Dei quisquam adscribat. Sicut in ipso Christo olim dicebant vtramque formam agere quæ sua sunt; diuinam diuina; humanam humana. Et Paulus Spiritum dixit concupiscere aduersus carnem: at carnem aduersus Spiritum: aut mente seruiri legi Dei, carne autem legi peccati. Itaque, sicut nemo humana audet tribuere diuinæ formæ; humanæ diuina: nemo concupiscentiam aduersus Spiritum Spiritui; aut aduersus carnem carni: nemo seruitutem peccati menti, aut seruitutem legis carni: sic integra Patrum autoritate non licet efficientiam diuinam adhibere Sacramentis: aut Ministris & contra.

X. Distinguunt autem trifariam. Primo externum, & internum: sic diserte Cyprianus, *Verborum solennitas, & sacri inuocatio nominis; & signa Sacerdotum ministerijs attributa, visibile celebrant Sacramentum*, at *consecrationibus visibilibus inuisibiliter manum apponit autor.* Augustinus, *Moyses visibilibus Sacramentis, Dominus inuisibili gratia. Aqua exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ. & Spiritus agens intrinsecus beneficium gratiæ.* Quid obscuri esse potest? Interna efficientia Dei est; non Sacramentorum: At efficientia gratiæ est interna: Ergo efficientia gratiæ est Dei, non Sacramentorum. Quod si eadem Dei & Sacramenti: quid obstat, quominus visibilis operatio, quam Patres negant esse Dei: dicunt esse Sacramenti nec ministri: partim sit etiam ipsa Dei, partim hominis, Sacramentive?

XI. Secundo, corpus & animam: Agere in corpus diserte elementorum proprietas: ast in animam, Dei, *Aqua purgat corpus: Spiritus signat animam*; aiebat Cyrillus, *& aqua exterius effunditur, Spiritus intrinsecus animam baptizat.* Nicetas, *corpori aspectabili, aqua sensibilis: animo inuisibili Spiritus.* Atqui gratia non est corporis: sed est animæ. Quare gratia non est effectum aquæ. Quod tamen necesse est, si aqua sit instrumentum physicum.

XII. Tertio, signum & signatum. Aqua figuram gerit purgationis: eius, inquam, purgationis, quam Spiritus efficit: quia vt corpus ab aqua: sic anima à Spiritu. Sic exserte Nicetas. Nec valde aliter Basilius: aqua similitudinem exhibet sepulturæ: at Spiritus immittit viuificam virtutem. Atqui gratia, non est signum, non est id quod significat: sed est id quod fit in anima. Quare necesse est, fateri aquam Baptismi non pertingere ipsam gratiam, adeoque non efficere eam physice.

XIII. Alias tamen, inquit Suares, eandem efficientiam docuerunt. Vbi ergo? Sunt enim nobis examinata omnia testimonia, quæ recitata comperire potuimus: eaque nulla comperta sunt; quæ vim illam physicam assererent. Vasquis libet verba recensere ex capite quinto disputationis centesimæ tricesimæ secundæ in tertiam Thomæ; *Si aliqua de causa Sacramentis noua legis tribuenda esset instrumentaria efficacitas physica, nec sufficeret impetratoria & moralis, ea esset, vt ijs quæ Patres, & Scriptura de Sacramentis dicant, satisfaceremus: quare si ijs satisfieri recte potest, assignata solum Sacramentis efficacitate morali, immerito sane, & absque causa, pro defendenda efficacitate Sacramentorum, in tot tricas, quas supra vidimus Theologos nostros conijcientis. Porro illis omnibus, quæ Scriptura, & Patres dicunt plane satisfieri assignata Sacramentis solum efficacitate morali, probatur.*

XIV. Bellarmini longe aliud commentum, ad illud Augustini ex 84. q. in Leuitic. Audite. Hominem duobus modis ministrare Sacramenta; vno, faciendo quod potest ex naturali sua virtute: altero, applicando Sacramenta, vt instrumenta à Deo mota, & eleuata ad actionem supernaturalem faciendam. Priori verum, non iustificare hominem: & ita loquutum Augustinum. Posteriori, vere hominem iustificare, sed ea actione, qua Deum.

XV. Egregium nugatorem: nec ausum recitare Augustini verba. Nam, quæ spes fuisset tam absurdo commento? Itane? Augustinum dicere hominem quando agat id tantum quod potest ex naturali virtute: at non quando Sacramenta applicet, vt instrumenta à Deo mota? Hoc quisquam credat, qui Augustinum legerit? Repete, *Moyses visibilibus Sacramentis per ministerium suum: Dominus autem inuisibili gratia per Spiritum Sanctum.* Age Bellarmine, & sophisticen ostentato, vt persuadeas Moysem cum visibilia Sacramenta adhiberet per ministerium suum: non applicuisse Sacramenta, vt instrumenta à Deo mota. Imo probato Moysen sanctificasse cum Deo, non pro Deo visibilibus Sacramentis: qui tamen nihil ageret, nisi ex naturali sua virtute. Atqui ex sola hac naturali virtute potius, neque pro Deo, neque cum Deo sanctificabit. Augustinus tamen ponit Moysen sanctificasse.

Cap. XI.

Alii ex Patribus loti.

I. DElegerunt aliquos ex Augustino locos Bellarminus & Vasques à nobis obiectos quibus satisfacturos se sperarent: Hos nunc attendamus. Estoque primus ex tractatu in Ioannem 80. *Quare non ait, mundi estis propter Baptismum, quo loti estis: sed ait propter verbũ quod loquutus sum vobis? Nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbũ: & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementũ, & fit Sacramentum et ipsam tanquã* visibil-

visibile verbum. Nam & hoc vtique dixerat, quando pedes discipulis lauit. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, Non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus: quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde in Actibus Apostolorum legimus, fide mundans corda eorum. Et in Epistola sua beatus Petrus. Sic & vos, inquit, *Baptisma saluos facit: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus: quo sine dubio, vt mundare posset consecratur & Baptismus.*

II. Hactenus Augustinus: comparans, imo opponens Sacramentum & verbum. Et efficaciam Sacramenti totam assignans verbo: Verbo autem, non quatenus sonat exterius, sed quatenus creditur interius. Quæ causa appellandi verbum fidei. Itaque sensus est: efficaciam illam Sacramenti, non nisi à verbo credito: ac proinde per fidem. Quod ipsum patet; cum adduntur verba Pauli & Petri.

III. Respondent: eundem Augustinum Epist. 23. dicere, infantes dici fideles, & saluari, si moriantur post Baptismum: quia etsi non habeant fidem, tamen habeant fidei Sacramentum: atque hoc idem esse ac si diceret: Paruulos non saluat fides, sed fidei Sacramentum. Itaque illud, *Quia creditur*, non significare actum fidei, sed obiectum.

IV. Obiectum? Atqui mutanda erant verba, & dicendum, *quod creditur*: Cui enim alias persuasurum se sperat, nisi qui Latinè sciat prorsus nihil? Sed profecto, non permittendum Iesuitis, vt pro arbitrio vertant, inuertantque Veterum phrases: sic enim fieret vt nihil significarent, nisi quod commodum videretur recentibus istis magistris: quibus quis concesserit esse prætoribus? Constat autem ex contextu. Nam primum, opposita sunt, *Non quia dicitur, sed quia creditur*: At, *dicitur*, non significat obiectum, sed modum: ergo etiam *creditur*: modum designat, non obiectum. Deinde paulo post in infantibus, *Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem.* At, *Ecclesia credens* modum significat, non obiectum.

V. Præterea, obiectum, quodnam illud quæso? Resne per Sacramentum significata? At hęc à nobis qui constanter credimus Baptismi efficaciam esse prorsus à morte Christi credita. Quæ etsi significetur à Baptismo, tamen est necessario aliud à Baptismo: Imo aliud est à Baptismo; quia significatur à Baptismo: non enim possent idem esse signum, & res significata. Denique ipse loquitur Augustinus non obscure, *Hoc est*, inquit, *verbum fidei*. Illud nimirum, cuius aliud sonus, aliud virtus. Sed enim quodnam? *Si confessus fueris, quia Dominus est Iesus, & credideris, quia Deus illum suscitauit à mortuis.* Audin' Bellarmine, huius obiectum fidei? Hoc igitur verbum: non quia dicitur, sed hoc verbum, quia creditur, efficit, vt aqua corpus tangat, cor abluat.

VI. Atqui sine fide infantes saluari, per Baptismum dixit Augustinus. Dic fidem propriam, Bellarmine. Nam hoc ipso loco, & dixit per Ecclesiam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem mundari infantem, quamuis ipse non valeat corde credere, aut ore confiteri: addidit, *Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait, Iam vos mundi estis, propter verbum, quod loquutus sum vobis.* Vide ergo mentem Augustini. Seruat infantem Baptismus non credentem. Nimirum, quia sanctificat non credentem: sed sanctificat per verbum fidei. At cuius fidei? Ecclesiæ credentis. Nimirum, quia propria caret infans, subuenit ei aliena: eius Ecclesiæ quæ offert, benedicit, tingit. Atque ita conficitur totum id quod in Baptismo fit, fieri per verbum fidei.

VII. Denique, qnid obiiciuntur infantes? Profecto si baptizatum purget aqua sine fide, sua sibi hærente virtute: tam verum in adultis, quam in infantibus: neq; aliter persuasum Papistis. Et si falsum in adultis; profecto non verum in infantibus. At in adultis falsum, sic docente Augustino, *Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur?*

VIII. Ex quæst. Veter. & Noui Testam. q. 59. hæc habet, *Qui Baptismũ putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis: nec donum cœleste poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem immutari credat.*

IX. Respondentes agunt primo de authore; deinde ipsa de re. Negant Augustinum autorem: addunt hæreticum, multa docentem contra fidem, contraque Augustinum: mulierem non factam ad imaginem Dei: Melchisedec fuisse Spiritum Sanctum: Adam non habuisse Spiritum Sanctum,

X. Non defendo autorem: quem indignũ esse Augustini nomine, multis argumentis demonstrauit Erasmi censura. Duo tantum dico. Primum, qui Ioannem 20. negantem animas vllas visuras Deum ante resurrectionem, excusauit tum ita credidisse, cum liceret: licuisse autem quia nondum Ecclesia decreuisset: potuisse isti minus irasci. Nam quæ fuit Ecclesia, aut quando, quę definierit publica autoritate has quęstiones? Vbi decretum est? Sed Iesuitæ scilicet, non sunt ἐγκυκλίων τῶν. Alterum; in eius viri erroribus neminem vnquam annumerasse hunc locum: ne ipsos quidem Iesuitas. Denique esto viri autoritas, quantam esse oportet; de re dicamus potius.

XI. De re ergo Bellarminus aliter, aliter Vasques. Ille, loqui autorem de causa formali, non de efficiente iustificationis: atq; ita mutari hominem non per externam lotionem, sed per fidem; quæ cum perfecta fuerit, & viua, formaliter mundet & iustificet. Hanc fidem dari in Baptismo, *Aqua cernitur, sed qui non videtur Spiritus operatur, vt fides in ipso sit.* Sed Bellarminum ex professo & prolixe refutat Vasques: contendens agere non de formali, sed efficiente causa.

XII. Ast ego locum perficiam, cuius paucas lineas aduersarij delibarunt, nimis auariter. Iis ergo, quæ jam descripta sunt; ista subiiciuntur, *Aqua enim cernitur, sed qui non videtur Spiritus, operatur, vt fides in eo sit. Quia sicut sordes corporeas aqua; ita Spiritus animam abluit à peccatis: vt quomodo visibilia visibilibus: ita & spiritualibus prosit Spiritus: ac per hoc spiritualis ratio vertitur in Baptismo.* Hæc ille: manifeste iis se comitem addens, quos audiuimus capite præcedente, vniuersam Baptismi efficaciam assignantes Spiritui Sancto, detrahentes aquæ: quique elementi efficaciam non vltra corpus progredi docuere: animæ vero purgationem totam esse spiritualem. Quæ nostra penitus sententia est. Et hanc Bellarminus de industria dissimulauit; non candide.

XIII. Ego tamen illi assentio, potius quam Vasqui: mutationem fieri per fidem formaliter; id est inspirata fide per Spiritum; quia scimus, & in Baptismo non solam significari, non solam donari justificationem; sed etiam sanctificationem inchoari: quæ sine fide nulla esse queat. Sed vide Fides est formalis causa mutationis: at fidem non efficit aqua. At efficeret: si vim haberet sibi inhærentem efficiendi: si instrumentum esset physicum: Nonne ea nostra sententia est? Rursus: si mutationem illam faceret aqua: ergo aqua animam ablueret à peccatis: & corporalia prodessent spiritualibus. Contra quam autor dicat.

XIV. Vidit Vasques non vitari à Bellarmino vim argumenti nostri; itaque aliam reperiendam rimam. Quam igitur? Fidem sumi pro obiecto. Quo inquam? Verbo ipso consecrante: non quatenus est sonus materialis: sed quatenus continet in se mysterium fidei. Atqui id portentum est. Dixit enim is quisquis est autor, *Spiritus operatur vt fides in eo sit.* Quare hanc, quam ille fidem laudat, intellexit in eo, quem dixit immutari. Atqui fides quatenus significat id verbum, quo continetur mysterium, non est in eo qui mutatur. Rursus: sicut aqua sordes corporis; ita Spiritus abluit peccata. Quid hoc est; Nam diuersa tribuitur efficacia Spiritui & aquæ: at verbum illud, quo consecratur Sacramentum, si efficit elementum instrumentum physicum, profecto eandem illi efficientiam impertit, quæ est Spiritus: Itaque non dicendum, aquam operari in corpus at Spiritum in animam: sed aquam in corpus & animam: Spiritum duntaxat in animam. Quod nemo ausus dicere.

XV. Postremus Bernardus esto, in Serm. de Cœna Domini. Inde Bellarminus sibi obiicit, *Sicut inuestitur canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic diuisiones gratiarum, diuersis sunt traditæ Sacramentis.* Et soluit breuissime: non comparari Sacramenta cum libro, baculo, annulo, ratione efficientiæ: sed solum diuersitatis.

XVI. Sed Bernardum nos plenius loquentem inducimus. Neque enim dignus, cui obturetur os: *Sacramentum dicitur sacrum signum, siue sacrum secretum: Multa siquidem fiunt propter se tantum: alia vero propter alia designanda: & ipsa dicuntur signa, & sunt. Vt enim de vsualibus sumamus exemplum: datur annulus absolute propter annulũ, & nulla est significatio: datur ad inuestiendum de hæreditate aliqua; & signum est; ita vt iam dicere possit, qui accipit; annulus non valet quicquam, sed hæreditas est, quam quærebam. In hunc itaq; modum appropinquans passioni Dominus de gratia sua inuestire curauit suos, vt inuisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hæc, instituta sunt omnia Sacramenta, ad hæc Eucharistiæ participatio, ad hæc pedum ablutio, ad hæc denique ipse Baptismus initium Sacramentorum omnium; in quo complantamur similitudini mortis eius, vnde & trina mersio, tridui quod nunc celebrandum est, formam gerit. Sicut enim in exterioribus diuersa sunt signa, & vt cœpta immoremur exemplo, varia sunt inuestiturę, secundum ea de quibus inuestimur, verbi gratia, inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul; sicut, inquam, in huiusmodi rebus est, sic & diuisiones gratiarum diuersis sunt traditæ Sacramentis.*

XVII. Hæc ille. Nunc acumen Iesuiticum attendamus. Comparari Sacramenta ratione diuersitatis, at non efficientiæ. Manifestum mendacium. Bis enim comparatio fit apud Bernardum; primum in genere, cum consideratur ipsa Sacramentorum institutio, & natura, secundum quod Sacramenta sunt, id est signa. Iterum, cum de diuersitate agitur: & hunc locum solum sibi putauit describendum sophista, vt verisimilius falleret. Atqui, prior illa comparatio non potest diuersitatem denotare: neque enim hæc peti potest à genere. Itaque diserte, *At hæc instituta sunt omnia Sacramenta*: id est, hæc natura communis est omnibus Sacramentis, & singulis. Quænam autem natura? Nempe, vt signa sint talia, qualia ea quæ dicuntur inuestiturę. Hanc igitur partem manifestum est non pertinere ad diuersitatem.

XVIII. Quid alteram? Non negem sane ad diuersitatem pertinere: dictum enim est illud, *diuisiones gratiarum diuersis sunt traditæ Sacramentis.* Sed non comparate efficientiam; id vero dico inconsiderate effutitum. Vtrunque enim coniungendum. Videlicet, quia naturam communem retineri oporteat in singulis speciebus? Itaque, quomodo homo & brutum ita habent suas distinctas differentias, sed non amissa communi natura animalis, imo conseruata tota in vtroque: sic Sacramentorum singulorum suæ sunt propriæ materiæ, sui proprij fines: sed singulis tamen etiam illa signorum proprietas communis. Itaque sensus est; omnibus Sacramentis, quantumcunque, & quomodocunque varientur, hanc esse cõmunem efficientiam, qualis est in signis inuestiturę: sed singulis etiam suas differentias: & quomodo differunt liber, annulus, baculus, & materia & fine: sic differre Eucharistiam, lotionem pedum, Baptismum. Quare manifesta est impostura Bellarmini.

XIX. Notandum est vero. Primò explicari definitionem Sacramenti. At definitio continet naturam rei definitæ: & hæc natura, efficientiam: neque.n. aliunde peti potest. Secundo ad hanc efficientiam designandam, selecta esse signa inuestiturę, non signa simpliciter, & indefinite. Nempe quia non omnibus signis eadem efficientia est. Illa quidem omnibus communis; vt mentem afficiant similitudine rerum: sed non omnibus tamen, vt præter hanc mentis affectionem, inferant actuale aliquid respectu earum rerum. Consulto ergo nominatæ inuestiturę: in quibus hoc posterius efficientiæ genus est, & quidem præsentissimum. Nam Episcopo sic Episcopatus significatur per baculum, & annulum: vt statim atque eodem momento transferatur in eum ipsa Episcopatus dignitas, adeo vt exinde vere & dicatur, & sit Episcopus. Quæ tamen efficientia nullo modo physica est, sed duntaxat moralis; neque agit immediate in Episcopalem dignitatem.

XX. Itaque hic Bernardi locus plene planeque explicat Catholicorum de Sacramentorum efficacia sententiam. Esse videlicet instrumenta: sed longe alterius ordinis à physicis, nimirum moralia, quæ quidem efficientiam habeant realem respectu rei significatæ, sed non immediatam. Vno verbo, eiusdem generis instrumenta esse, cum signis inuestiturę. Itaque

neque agere physice, sed moraliter: neque immediate rem
significatam producere, quę ab eo producitur,
à quo sint instituta.

CAP. XII.

CAP. XII.

De Charactere Sacramentali.

I. HActenus de efficientia Sacramentorum in genere: proximum est vt de charactere disputemus: in quo multi sunt Papistæ. Thomas 3. partis quæstione 63. & in eâm Caietanus, Scotus, Biel, De Orbellis, de Aquila in 4. sententiarum distinctionem 6. at Paludanus, & Durandus in 4. De Rubione in 7. quæstionis 2. part. 2. Ioannes de Turrecremata in Canonem, *Quomodo*, de Consecratione, distinctione 4. Alphonsus de Castro aduersus hæreses lib. 4 cap. *Character*. Tiletanus 2. part. Defensionis Tridentinæ, Ioannes Arboreus, Theosophiæ lib. 3 cap. 28. Bellarminus lib 2. de Sacramentis cap. 18 & quatuor seqq Gregorius de Valentia in 3. Thomæ disputationis 3. quæst. 4. Dominicus de Soto in 4. sententiarum distinct. 1. quæst. 4 Vasques in 3. Thomæ disp. 134. Archangelus Rubeus in distinct. 4. quarti Sententiarum. Suares de Sacramentis disputatione 11. Petrus Cotonus Institut. Cathol. lib. 3. cap. 40.

II. Catholici mihi nulli cogniti præter Chemnitium Examinis Tridentini parte 2. ad Canonem 9. Tridentinæ sessionis 7. Andream Riuetum Catholici Orthodoxi tractatu 3. quæst. 6. Ioannem Scharpium in Cursu Theologico de Sacramentis in genere.

III. Concilij Tridentini Canon est 9. sessionis 7. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possint, anathema sit.* Hunc Canonem Caluinus in hunc castigauit modum, *Quod de charactere indelebili fabulantur, ex eadem prodijt officina,* scilicet ab indoctis Monachis, *nam veteribus hoc totum ignotum fuit: & magis consentaneum est incantationibus magicis, quam sanæ Euangelij doctrinæ. Eadem ergo facilitate repudiabitur, qua excogitatum fuit.*

IV. Accusat ergo Caluinus hoc quicquid est commenti, tanquam incogniti Scripturæ: sed & recens. In quo venit merito vapulanda Cotoni impudentia, qui hoc ipso eum loco dixit fateri, antiquitati fuisse cognitum. Sed habuit Caluinus conscios, ex ipsis Scholasticis. Durandus enim sic differte, *Omnes moderni*, inquit, *profitentur imprimi characterem in aliquibus Sacramentis: & nos loquentes vt plures, dicamus cum eis characterem nonnihil esse.* Caietanus etiam, *Sacramenta imprimere characterem ex Sacra Scriptura non habetur: sed ex Ecclesia autoritate, & non multum antiqua.* Sed & Scotus teste Soto, *tenuissimam opinionem ostendit se habere de charactere. Contendit enim probare, huiusce modi assertionem neque è Sacris literis, neque ex Sanctorum Patrum testimonijs colligi posse, neque vero per rationem naturalem. Et subiungit, quod cùm neque Magister sententiarum, neque Gratianus de Consecratione distinctione quarta, vbi sententias Patrum de Baptismo compilauit, de charactere mentionem fecerit, indicium est non esse effectum ita multum necessarium. Nihilominus propter solam Ecclesiæ autoritatem tutum non existimat ipsum negare.* Gabriel, *Conclusio prima: characterem esse ponendum eo modo quo definitus est nec ratio necessaria demonstrat: nec euidens autoritas probat.* Imo, de Rubione, *Conclusio prima est, quod non oportet ponere characterem modo prædicto sumptum imprimi alicui suscipienti aliquod Sacramentum.* Paulo post, *Tertia conclusio est: quod character ponitur inesse de facto ab Ecclesia. Hæc conclusio est vulgaris; licet non videatur multum certa: cum nec ad hoc esse expressa determinatio Ecclesiæ videatur.*

V. Vnde Tridentinarum laruarum ἀνατομὰν vt molissime dicam, obseruare est; non tantum definientium: sed etiam anathematismo sancientium; æque cum certissimis antiquissimisque articulis fidei: id, quod tamen ante id temporis, id est nudius tertius aut quartus, neque ratione constabat neque authoritate. Quasi fides Christiana, semper esset, vt loquuntur, in fieri: quotidie nouis articulis dotandâ. Quæ fuit Chemnitio iustissima querelæ occasio.

VI. Bellarminus hanc si non sanare, saltem incrustare plagam satagit; Durandum dubitasse de charactere, non an sit, sed quid sit: Scotum de ratione probandi characterem: Gabrielem, an Ecclesia definierit. Vnde concludit, nullam inter scholasticos fuisse quæstionem, nisi de modo probandi characterem.

VII. Verum, qui ipsos legerit autores, facile comperiet, etsi non reluctati sint aperte sunt temporis tyrannidi; tamen obliqua quadam elusione infirmasse: quomodo qui igni violento ligna subducit. Certe enim magna præscriptio est aduersum ea quæ docentur, quomodocunque doceantur, sed maxime in Ecclesia; quum neque ratione necessaria: neque autoritate siue diuina siue humana niti arguuntur. Et tamen minimum est quod doceri dicimus: qui anathematismos addi obseruamus; quod genus est extremæ in Ecclesia necessitatis. Verum, non hoc est vnicum immanissimæ tyrannidis effectum.

VIII. Sed enim, quid id sit mysterij potius inquiramus, ne præiudiciis solis agentes disputationem imperfectam relinquamus: Quanquam hic non labor nullus: propter varias, dissidentesque sententias; cuiusmodi alias obseruauimus solere accidere nouitiis commentis, quorum præ temporis breuitate, nondum est excocta, purgataque materia. Certe, vix est in huius natura characteris definienda certi quicquam constitutum; quod si huic attulerit, non alij displicuerit. Itaque caute Concilium Tridentinum, pro more domest cos morbos dissimulans, nihil nisi ἀόριστος characterem nominauit, vt ne eius prætextu nominis non multa nugari possent otiosa scholasticorum ergastula.

IX. Dubitatum olim primo, vtrum esset character idem cum gratia: & affirmabat Scotus: sed nunc consensum esse aliud. Gratia enim non nisi beneat charactere etiam male vti quemque posse. Gratiam deleri at characterem minime, ideoque in damnatis characterem: gratiam minime. Quare non tantum ratione distingui; sed etiam re separari, & sic Biel disputat.

X. Secundo inquisitum, quodnam genus entis, absolutumne an relatum. Relatum Sotus & Durandus credidit. Videtur etiam Rubeus, *Omnes*, inquit, *conueniunt in hoc, quod dicunt characterem importare relationem. Differunt autem in hoc, quod quidam ponunt istis relationibus non subesse aliquod accidens absolutum, sed immediate in anima fundari istas relationes: alij dicunt, quod fundantur huiusmodi relationes super qualitate.* Verum contra Bellarminus, secunda propositione, *Character*, inquit, *non est relatio, sed absoluta qualitas, ex qua tamen consurgit relatio similitudinis ad Christum, cui configuramur per characterem.*

XI. Tertio inquisitum, in quo tanquam subiecto consistat. Alij animæ substantiam indicarunt; à quibus est Bellarminus, *Character Sacramentalis*, inquit, *in sola animâ est, tanquam in subiecto.* Fauet Suares tanquam probabiliori. Verum alij facultates malunt animæ, Thomas artic. 4. *Character est quoddam signaculum, quo anima insignitur, ad suscipiendum vel alijs tradendum ea quæ sunt diuini cultus. Diuinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subiecto, in essentia animæ, sed in eius potentia.*

XII. Sed in qua tandem potentia, voluntatene an intellectu? Thomas intellectum dixit, eodem articulo, responsione ad tertium, *Character*, inquit, *ordinatur ad ea quæ sunt diuini cultus: qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet quod character sit in cognitiua potentia animæ, in qua est fides.* Et Thomæ hærent, Ioannes de Turrecremata, Caietanus, Soto, Vasques At contra, Scotus voluntatem designabat, quæstione tertia de charactere, quæ est 11. in 6. *Congruum est ponere characterem formaliter in voluntate.*

XIII. Postremo, quodnam sit qualitatis genus, adeo variatur, vt nullum sit factum reliquum. Sunt qui in primo consistant. Eam sententiam Valentianus tribuit Alexandro Halensi. Sed manifeste amplexus est Suares. Nam refutatis aliis omnibus, *Vltimo ergo dicendum existimo*, inquit, *characterem esse qualitatem primæ speciei, scilicet dispositionem siue habitum conuenientem ipsi animæ, ac formaliter perficientem illam.* Nota indistincte habitum nominari vel dispositionem: quasi perinde esset. At Ioannes de Turrecremata, quosdam refert elegisse medium inter vtrunque, vt in quantum est difficile mobilis, conueniret cum habitu; & cum dispositione, inquantum non est vltima perfectio. Tamen hanc primam qualitatis speciem refutant Ioannes de Turrecremata, & Valentianus, & Rubeus, & Soto; & alij.

XIV. Secundum asseruit Thomas, qui potentiam dixit: & hunc secuti Turrecremata, Caietanus, Soto, Rubeus. Sed Suares aduersus eam prolixe disputat, *Mihi*, inquit, *hæc sententia visa semper est difficillima, & ideo discurrendo per singulos characteres ostendam difficultatem eius.*

XV. Tertiam maluerunt nonnulli, *eo quod anima infert quandam mulcibrem passionem* (verba sunt Ioannis de Turrecremata referentis) *in quantum animam ornat, & decorat.* Refutantur à Thoma, à Turrecremata, à Rubeo.

XVI. Quartam amauit Marsilius, teste Valentiano, & Suare, nimirum vim faciens in vocabulo characteris, quo significatur figura, quam Aristoteles quarto loco numerat in qualitatibus. Refutant, Thomas, Turrecremata, Rubeus, Valentianus, Suares, alij.

XVII. At Suares Thomam non patitur in vllam harum sententiarum inclinasse, quin peculiarem assignat, & penitus suam; quam primo loco recenset, honorisve causa, an aliter, incertum, *Prima*, inquit, *sententia est, proprio & directe in nulla esse, sed solum reductiue. Ita sentit D Thomas hic articulo secundo, & probabile iudicat Richardus in quartum, distinctione quinta, articulo secundo, quæstione prima.* Hanc refutat idem Suares; negans negari posse, *quin character sit simpliciter & vniuoce qualitas. Quia est supernaturalis qualitas nobilior quam naturales qualitates, & altioris ordinis. Ergo si ad illas comparetur, & vniuoce & simpliciter qualitas maiori ratione, quam omnes illæ. Si vero comparetur ad alias qualitates supernaturales, non est cur dicenda sit qualitas secundum quid, & analogice.* Et paulo post, *Infero secundo, necessarium esse, vt character directe ac propriè constituatur sub aliquo genere subalterno, & in aliqua specie vltima qualitatis.*

XVIII. Hæc & alia non pauca blateraunt in suis gurgustiis Papistæ, non inter se æquiores, quam nobis: sed adeo nihilominus fastuosi Theologi, vt cum nihil habeant constituti, nihil liquidi, à se tamen vnis cuncta iubeant arcana Theologiæ postulari; quasi à talpis oculos mutuari, Deum immortalem! tantamne esse cuiquam amentiam; vt quam rem nesciat, aut vbi siet; aut quid siet, eius se rei præfidentissime iactet monstratorem?

XIX. At nos religiose instituti, longe aliis manibus tractandam Theologiam, quam seculares quascunque disciplinas, iidem negamus Theologis indulgendum vanæ curiositati: & longe consultius ignorari penitus, quam inquiri ea capita, quæ, vt refutari nequeant, tamen præter quæstiuncularum chaos nihil operæpretij. Qui igitur videmus neque in Scriptura characterem tradi; neque in Patribus commendari: neque ratione fulciri idonea; longe à nostris scholis exulare iubemus: ridemusque otiosos Theologastros in eo mustaceo laureas quæritantes.

XX. Denique, omnem Sacramentorum efficaciam esse ab eorum institutione: Ast hunc characterem non esse ab eorum institutione: Ergo nec esse Sacramentorum efficientiam. Maiorem esse perspicuam: quia neque ipsa Sacramenta quicquam sint nisi ab ea institutione: & apud ipsos Papistas diserte assertam. Certe apud Rubeum disputantem aduersus eos, qui tenent characterem; negant tamen ab initio, *Non enim*, inquit, *Ecclesia tribueret virtutem imprimendi characterem nonnullis Sacramentis, si à Christo non teneret sic eis tributum fuisse: cum Sacramenta, vt diximus, omnem suam virtutem, ex sua pariter institutione, quæ fuit à Christo, habeant.* Minorem autem non esse magis obscuram: nam neque aduersarios ab institutione vllum argumentum mutuari: & iampridem positum in institutione duas contineri duntaxat partes, signum, & rem significatam. At characterem neutrum esse; itaque ad institutionem non pertinere. Denique nulla vera ratio Sacramentorum potest consistere absque institutione: At vera ratio Sacramentorum potest sine charactere consistere, quod diserte dictum Bellarmino, initio capite vicesimi. Ergo character non est institutio Sacramenti.

Cap. XIII.

Argumenta Papistica ex Veteri ex Testamento.

I. PApistæ disputant à Scripturis, à ratione, à Patribus. A Scripturis primo: pallidi tamen, vt videtur, & parum suis artibus confidentes. Nam Bellarminus ante omnia necessarium existimauit protestari, neque tot inueniri, neque tam expressa testimonia, vt de gratia. Suares item admonuit Scripturæ locos per se non cogere, nisi supposita traditione Ecclesiæ, & veritate characteris: quasi diceret, tum tibi iis Scripturis probandum characterem, cum tibi persuasum prius fuerit iis locis characterem probari. Denique Rubeus, *Non oportet semper patentissima Scriptura loca afferre. Satis est enim, aliquando Scriptura testimonio secundum Sanctorum interpretationes vti.* Item Dominicus Soto art. 1. *Si oporteret semper patentissima Scriptura loca efferre, nihil Catholicus posset contra hæreticos proficere, quia rarissimè sunt tam euidentes. Satis est ergo testimonius secundum Sanctorum interpretamenta vti: quandoquidem, vt primo Ethicorum autor est Philosophus, non semper exigenda est demonstratio, sed vnumquodque prout rei natura, exigendam.* Hoc primum notato opus fuit in tanta temeritate. Cum non tantum definierunt esse de fide, quod totidem literis ponunt: sed etiam sanxerunt anathemate: quo altius iri non potest in disciplina Christiana.

II. Incipiam à Veteri Testamento cum Cotono: sed à Bellarmino desumam primum Vaticinia, deinde figuras Vaticinia duo. Illud ex Isaiæ 66. vbi loquens Dominus de vocatione gentium, *Omnes gentes*, inquit, *& linguæ venient, & videbunt gloriam meam, & ponam in eis signum.* Alterum ex Ezechiel. 9. *Signa Thau in frontibus gementium, & dolentium* Sed horum vaticiniorum posterius improbatur magno huic Iesuitæ: sed & minori Cotono: illi, quia de signo sit crucis inscripto frontibus: huic vero; quia sit peculiare Iudæis. Quo nobis licebit esse hac parte quietioribus; magno bonorum virorum beneficio; qui si pertinaciam intendissent seriò, magis multo maiores turbelas poterant excitare.

III. Sed alterũ quid? Nihil siniſtri Catonus suspicatus, contentus notare produci id signi ad omnes gentes: quasi ab eo antecedente, necessaria sit consequentia, nihil aliud esse, quam characterem hunc Sacramentalem, diuersum à gratia. Sed Bellarminus, *Quamuis*, inquit, *per hoc signum possit intelligi signum crucis, aut aliquid aliud: tamen nihil repugnat, si dicamus intelligi characterem.* Νυκταχῶς. Nam, quid si regerat nasutior aliquis: etsi tu dicas intelligi Sacramentali characterem; tamen nihil repugnat quominus per signum hoc, possit intelligi signum crucis, aut aliud aliquid. Nonne par pari retulerit? Posse enim non negat. Et tamen de signo crucis si intelligatur; jam in Ezech. 9. præscripsit ad hanc rem non posse aptari. Quid ergo supereſt, nisi vt se inconsiderate loquutos agnoscant sophistæ?

IV. Enimvero vide. Emmanuel Sa notauit, *Signum id est vexillum.* Peristi Bellarmine: peristi Cotone: neque enim pote est vexillum accommodari characteri Sacramentorum. Nam character singulis apponitur, vt suum sit cuique: at vexillum vnum omnibus proponitur: vnde tibi dictum inconsiderate, nihil repugnare, si dixeris intelligi characterem: quia obstabit nomen signi, nisi mentiatur Sa, pro vexillo esse: adeo male conspiratis Iesuitæ!

V. Deinde, vobis alias cum libet, tanto fastu iactantibus consensum antiquitatis; cur adeo nunc displicuit antiquitatis consensus, vt ab eo nulla cogente causa tam facile & ipsi recedatis; & nos velitis adducere? Nam causam neque vos vllam dicitis falsam, veram, probabilem, necessariam, sictam, pictam. At veteres omnes vos ipsi scitis signum crucis esse interpretatos: & quidem illud ipsum per Tau designatum Ezechiel. 9. nisi forte Hieronymum placet non in Patribus esse.

VI. Verum, inquit Bellarminus, videmus loqui de signo quodam spirituali interno: & oportet Scripturam exponere per Scripturam, cum fieri potest.

VII. Atqui, ô bone, nec nos negamus vllum signum esse spirituale internum; nec tu probas quicquid est huiusmodi esse characterem Sacramentalem: verum hoc sane differatur tantisper, dum ex professo de Paulo sumus acturi. Hoc nunc potius dicamus; neque te, neque quemquam docere posse Scripturam Esaiæ, per Scripturam illam Pauli exponi: non probas, inquam, de eodem signo Esaiam agere & Paulum. Ast ego probo non agere: quia Esaias agat de nouissimo aduentu Christi: at minime Paulus. Illud discе ex textu: discе ex Hieronymo: discе ex aliis. Nam hoc de Paulo, per se manifestum.

VIII. Venio ad figuras. Priorem Circuncisionem; fuit hęc figura Baptismi: at hæc non tantum præcidebat carnem in signum iustificationis: sed etiam relinquebat in carne velut cauterium, quo discernebantur Iudæi à non Iudaeis. Quod cauterium, si quid significat, certe significat characterem, quem in anima gerunt Christiani. Posteriorem Exodi 12. superliminaria & postes signata sanguine agni. Sed ne hæc quidem figura potuit locum obtinere, apud religiosissimum Iudæum: qui maluit in ea crucem concipere. Quo minus eam nobis molestam timere debeamus.

IX. Sed Circuncisio relinquebat velut cauterium. Satis improprie: tamen hoc vendito medicorum pueri. Certum est, relictum esse signum, quo discernerentur Iudæi à Gentibus. Quid ergo? Si quid significabat. Mane: quis ergo iussit aliquid significare? Doceto aliqua aut ratione, aut autoritate. Nam si non facis: non videris te perpetuo αἰνίζειν: & his diuinationibus velle alios cogere ad articulum tuum fidei amplectendum: & quidem sub anathemate?

X. Demus tamen aliquid significare. Quid ergo? Certe, inquis, significabat characterem quem in anima gerunt Christiani. Certene? Argumentum velim; autorem velim minus subleſtæ fidei. Quid enim tibi cordis sophista? Non enim agitur de charactere Christianorum in anima; sed de charactere Sacramentali. At tu huiusmodi characterem nondum vllum esse probasti: vt probes, hanc profers figuram; & tamen vis tibi subito concedi Paulo pudentius peteres principium.

XI. Denique concedunt omnes, omnia, imo singula Sacramenta esse tesseras, quibus distinguantur Christiani à non Christianis. Cur non ergo satis sit, si dicamus, Circuncisionis illo cauterio externo significatum, externo Baptismi ritu distinctum iri Christianos à non Christianis? Atqui hæc nihil ad characterem imprimerent; quod si quis diceret, nouum procul dubio Roma fulminaret anathematissimum; nam anathematum illi nondum exhausta Lemnos.

Cap. XIV.

Argumenta Papistarum ex Nouo Testamento.

I. TRanseo ad Nouum Testamentum; vnde celeberrimus ille, omnibusque laudatus locus ex poster. ad Corinth. 1. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christum, & qui vnxit nos, Deus: qui & signauit nos: & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hunc locum intelligunt nonnulli de confirmatione, in quibus Suares sect. 1. quod tamen improbatur Vasqui c. 1.

II. At hic locus infirmus est, teste Suare: non tantum quod in iis sit quos sectione prima dixit per se non cogere: sed etiam, quod commentario in articulum Thomæ 1. *Dixi*, inquit, *præductum testimonium esse probabile, quia optime & accommodatissime prædicto modo exponitur: non tamen est per se sufficiens ad conuincendum proteruum; quia multi Patres aliter intelligunt illum locum.* Nam quid ad nos, quod proteruos dicat? Quasi nesciamus ita solitos ab iis appellari, à quibus obtineri nequiuerint cæcam obedientiam.

III. Sed expedit tamen attendere artem sophistarum. Tres effectus poni dicunt regenerationis & iustificationis, quæ fiat in Baptismo. Vnum vnctionem, quæ fiat per gratiam gratum facientem. Secundum, signum siue obsignationem quandam, qua consecremur Deo, & deputemur ad eius cultum; Tertium, pignus Spiritus, id est testimonium bonæ conscientiæ, quod sequitur iustificationem, & sit quasi arrhabo futuræ gloriæ. Porro signum illud siue obsignationem, esse Sacramentalem characterem. Probatur, quia non possit intelligi Sacramentum externum, quo obsignentur promissiones; tum, quia obsignatio sit cordis, non corporis; sicut est vnctio interna, & testimonium internum: tum quia Paulus dicat nos obsignari, non promissiones; alioquin oporteret inungi promissiones. Sic Bellarminus; verum Suares aliter. Quatuor diuinos effectus distinguit; primum fidei; secundum charitatis & gratiæ; tertium pignus Spiritus; quartum ergo in iis verbis, *Qui & consignauit nos*, debere esse effectum distinctum à reliquis; nec posse melius interpretari, quam de charactere.

IV. Quid nos ad hæc? Primum re idem argumentum esse, quod est apud Thomam articul. 1. Sed hoc confidentius in pauca contraxisse, quod illi prudentius longis verborum inuolucris obtegere sint conati. Sic ergo Thomas. *Apostolus dicit, Qui vnxit nos Deus est; & qui signauit nos: & qui dedit pignus Spiritus in cordibus nostru. Sed nihil aliud importat character, quam quandam signationem. Ergo videtur quod Deus per Sacramenta nobis suum characterem imprimat.* O Logicorum delicias! O Peripati miracula! Affirmare in secunda figura. Sic, sic oportet arcana Papistica demonstrari.

V. Deinde ad rem. Suares, *Apparentior est aliorum expositio, qui dicunt illam consignationem fieri per gratiam sanctificantem, & indicant per illa tria: Qui vnxit, signauit, & dedit pignus Spiritus, eandem gratiam significari: illa enim vngimur, & in filios Dei signamur, & pignus est, arrhaque gloriæ futuræ.* Quare duo sunt in argumento, quæ sibi sumunt aduersarij pro arbitrio, non ratione. Vnum, siue tria, siue quatuor esse diuersa in verbis Pauli: alterum illud signauit, oportere esse diuersum à reliquis. Vnde fuere necesse est sophismatis huius ædificium.

VI. Præterea, mirum est nulli vnquam paulo vetustiori interpreti venisse in mentem hoc quicquid est characteris: quanquam alioquin in varia itum sit. En tibi Chrysostomus. *Τί δέ ἐστι χρίσας ὁ σφραγισάμενος, τὸ πνεῦμα δούς, δι' ἃ πάντα ἀμφότερα ἐποίουν, καὶ προφήτας, καὶ ἱερεῖς, καὶ βασιλέας ἐργαζόμενος, Quid autem est, qui vnxit & signauit? Hoc est, qui Spiritum dedit, per quem vtrunque horum effecit: nimirum simul & Prophetas, & sacerdotes, & reges efficiens* Theodoretus, *Ipse nobis firmam in Christum fidem donauit: ipse nos vnxit, & sanctissimi Spiritus signaculo dignos duxit; veluti quandam futurorum bonorum arram, hanc nobis gratiam largiens.* Oecumenius. *χρίει δὲ καὶ σφραγίζει ὁ πατὴρ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος· πάντα δέ, φησὶν, ἡμῖν χαρίσεται ἡ σφραγὶς αὕτη διὰ τοῦ παρακλήτου, Vngit, & signat Pater per Sanctum Spiritum: Hæc enim*, inquit, *nempe vnctio & signaculum, arra est paracleti.*

VII. Latini. Ambrosius, *Qui & signauit nos dando Spiritum suum nobis pignus, vt non ambigamus de promissis eius.* Sedulius, *Signauit, signo crucis in fronte.* Anselmus, *Id est discreuit nos ab infidelibus signo crucis, quod nostris frontibus imposuit.* Lombardus, *Qui signauit nos, id est, in libro vitæ scripsit: vel signauit nos, id est discreuit ab aliis signo crucis.* Thomas, *Et habemus duplicem certitudinem spei huius vnionis consequenda. Vna est per signum, alia per pignus. Per signũ eliidens, quia fidei. Vnde dicit signauit nos, signo fidei Christi. Item signum crucis. Ezechielis nono, signa thau, id est signum crucis. Et hoc per Spiritum sanctum. Ad Romanos octauo, Si quis Spiritum Christi non habet. Et ideo speciale & certum signum est vitæ æternæ consequendæ, configurari Christo. Vel signauit signo vitæ, per pignus vero maximũ; quia Spiritus Sancti. Et ideo dicit, Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Lyranus, *Signo crucis in Baptismo, & confirmatione.* Caietanus, *Sumitur signauit, pro obsignauit tanquam imprimendo sigillum. Et hoc ad firmitatis signum spectat. Apostolica gratia tum in virtute miraculorum, tum in dono linguarum, tum in imitatione charitatis & patientiæ Christi, velut sigillum erat in testimoniũ verorũ ministrorum Euangelij.* Guillaudus, *Pignus Spiritus, dicit dona Spiritus Sancti, quæ sunt arrhabo siue arra, quæ fidem facit totius promissi præstandi Metaphora ducta ab ijs qui instrumentum obsignant & annulis signatorijs fidem dant, & se obstringunt ad id quod obsignant.* Iustinianus Iesuita, *Possis etiam interpretari, obsignauit, hoc est, sigillo suo muniuit, vocationi sua efficaci, & quod caput est, æterna sua dilectione, & prædestinatione; deniq; ipso Spiritus Sancti munere; de quo idem Apostolus ad Ephesios, Signati estis Spiritu promissionis Sancto.*

VIII. Vide

VIII. Vide varietatem. Signaculum, alii crucem intelligunt: alii fidem, alij vocationem efficacem, alii miraculosa dona, alii Spiritum Sanctum, siue dona Spiritus. At hæc omnia aliena à Sacramentali charactere. De cruce præscripsit Bellarminus, & nobis laborem minuit. De fide, vocatione efficaci, miraculis, Spiritu Sancto inuictum argumentum, quod hæc nulla manent in damnatis post mortem, ac proinde, vel non imprimuntur per Sacramenta, vel non sunt indelebilia. Cum tamen indelebilem esse characterem tam certum sit sophistis, quam omnino imprimi. Præterea, neque fide, neque vocatione efficaci, neque Spiritu Sancto potest quisquam vti bene & male, qua tamen nota disparare solent characterem à gtatia.

IX. Quid ergo Bellarminus obtinuit, cum exclusit Sacramentum externum? Neque enim necessaria disparatio est: vt sit, aut character Sacramentalis, aut externum Sacramentum: vt vno sublato, ponatur alterum. Neque vero facile dixerim, quos ille aduersarios nominet, qui Sacramentum externum sint interpretati. Non nostros saltem. Nam Caluinus, *Confirmationi, inquit, vnctionem adiungit, & obsignationem, cum Spiritus qui est vnctio nostra, nos confirma; hocque modo obsignat cordibus nostris verbi Dei certitudinem. Quartum deinde ponit, datum nobis esse spiritum instar arræ. Nam vt Spiritus testimonium adoptionis reddendo, nobis sponsor est fidem promissionum stabiliendo, σφραγὶς & sigillum, ita merito arra dicitur: quia efficit, vt ratum sit vtrinque Dei pactum.* Piscator, *Hanc sententiam*, confirmat nos, *declarat expositione modi, admonens Deum confirmare fideles per suum Spiritum, quam suam sententiam illustrat triplici simili. Comparat enim Spiritum Sanctum primum oleo quo Deus fideles vnxerit, id est donis suis cœlestibus & salutaribus exornarit: vt sunt fides, spes charitas. Deinde confert Spirit. Sanctum sigillo quo Deus nos obsignarit, vt nimirum promissiones eius apud nos fixæ & ratæ sint, postremo comparat Spiritum Sanctum arræ. quæ similitudo eundem sensum habet cum proxima.*

X. Atque hactenus locus primus. Secundus est ex ad Ephes. 1. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis.* Hic Bellarminus: Græce est πιστεύσαντες, postquam credidistis. Ergo loquitur de Baptismate, quod datur post fidem, ac dicit in eo dari obsignationem virtute Spiritus Sancti. Nec dicendum agi de obsignatione promissionum ad excitandam fidem, quandoquidem detur post fidem.

XI. Imo Suares hunc ipsum locum numerat in iis qui non cogant, nisi supposita Ecclesiæ traditione. Deinde inepta argumentatio est. Quia Paulus loquatur de iis qui iam crediderant; ergo loqui de Baptismate, quod detur post fidem. Nam primo Baptismus pueris datur ante fidem. Deinde cur non de Eucharistia, quæ ipsa datur post fidem? Sic enim Iustinus Martyr Apolog. 2. ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, *Cuius nulli alii licet esse participi, nisi credenti vera esse quæ docentur à nobis.* Nimirum fallit vt prius, affirmatiua argutatio in secunda figura.

XII. Nec rursus necesse non dari ad excitandam fidem; quia detur post fidem. Non enim excitatur fides quæ non est sed quæ est, verum languida, sopitave: cuiusmodi est frequenter propter infirmitatem humanam, quæ adeo dicitur etiam incredulitas, vt Marc. 9. *Credo, Domine, succurre incredulitati meæ.*

XIII. Cæterum huius loci eadem ratio quæ præcedentis, nisi quod disertius exprimitur genus signaculi, Spiritus Sanctus: quod à nemine interpretum mutatum est. Quin etiam illustratur locus præcedens, in quo ita dictum erat, *signauit nos, & dedit arrhabonem Spiritus:* vt existimari potuerint duo esse diuersa signaculum, & arrhabo, cum hic manifeste pateat, vnum idemque esse: Et signati Christianos eo ipso Spiritu, qui sit arrhabo. Vnde Chrysostomus, *Signati fuerunt etiam Israelitæ, sed circumcisione, καθάπερ τὰ βοσκήματα, καὶ τὰ ἄλογα, sicut oues, & bruta: Nos quoque sumus signati, sed sicut filij, Spiritu.* Oecumenius, ἐσφραγίσθητε οἷόν τινα σφραγῖδα τὴν τοῦ πνεύματος ἐκομίσασθε δωρεὰν, *Quasi signaculum quoddam retulistis Spiritus donum.* Salmero, *Deus est ergo obsignans: homo, maxime quoad partem Spiritus attinet, obsignatus: & Spiritus Sanctus, est ipsum sigillum & signaculum, quo distinguimur à gentibus infidelibus, & filiis Satanæ,* Iam hoc satis. Nam, vt diximus, character hic indelebilis est etiam in igne æterno: at Spiritus Sanctus minime. Tum autem in igne æterno, quomodo distinguet fideles, à filiis Diaboli?

XIV. Sed insuper moneo hunc ipsum Spiritum varie intelligi. Iustinianus monuit in paraphrasi, *Tabularum instar obsignati estis Spiritu illo Sancto quondam promisso, siue dum aspectabili specie diuina Spiritus Sancti munera in vos effudit: siue dum fidei beneficio iustificatos suæ gratiæ præsidio iuuat ad hostes debellandos; vt appareat vos, quippe diuino Spiritu plenos, ad Dei populum pertinere.* Nimirum gemina interpretatio est: vt primum Spiritus sit iustificationis. Et huc propendet Thomas, *Quantum vero ad beneficium iustificationis dicit, signati estis.* Et Iustinianus ipse in explanatione, *Mihi persuadeo loqui Paulum de gratia iustificante, qua vere veluti diuino quodam indito, atque iniusto charactere obsignamur.* Secundo, is Spiritus qui missus in Apostolos signo addito visibili: qui sensus fuit Ambrosij, *Signum,* inquit, *habentes redemptionis atque hereditatis futuræ, Spiritum Sanctum datum post Baptismum.* Nec Primasius inde abiit valde, *Vno charactere signati, & hinc cognoscemini vnus esse grex: quia & vos similiter vt nos, virtutes per Spiritum Sanctum operamini, quæ virtutes arrha sunt futuræ hereditatis.*

XV. Ab vtroque hoc sensu manifesta argumenta. Character Sacramentalis non est iustificatio, sed præparatio ad iustificationem, at hic character Pauli est iustificatio. Rursus: Qui post Baptismum datur character, non est Sacramentalis, at hic character (si Ambrosio fides) datur post Baptismum. Viderint sophistæ quid inde concludendum, nos etiam omnibus tacentibus, facile conceperimus.

XVI. Tertius locus ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Hic Bellarminus per diem redemptionis intelligit, diem regenerationis per Baptismum. Et testes laudat Haimonem, Oecumenium. At Valentianus, notat etiam cum improbis Paulum loqui, vt apparet ex concione quam habet generatim ad omnes. Itaque de signaculo aliquo loqui differente à gratia, & testem laudat Haimonem.

XVII. Præclare: nisi Vasques intercederet, cuius verba en tibi, statim post hunc ipsum recitatum locum, *Vbi per diem redemptionis; intelligunt aliqui diem regenerationis Baptismi, & ita prædictum locum de charactere ipsius interpretantur. Verum quia Catholica veritas, quam proponimus, his testimoniis præcipue non nititur, sed traditioni, & hæc loca Patres & interpretes Scripturæ varie intelligunt; eorum examinatione supersedere decreui.* Satis pudenter, prout Iesuiticum est ingenium, fassus haud magni momenti locos esse, quos ex Scripturis deligunt reliqui etiam sui gregis sophistæ, quibus & ipsis crediderim similem sensum esse, verum magis perfrictam frontem, vt laborent aliis suadere, quod ipsi sibi nulli possunt, solus ferme Vasques publice agnouit; non posse videlicet è Scripturis demonstrari fabulam hanc characteris.

XVIII. Diem redemptionis, pro die Baptismi, scio explicatum ab Oecumenio, etsi Græce legerit εἰς ἡμέραν. Latinos minus mirum, qui legerunt, *in die.* Etsi videatur longe efficacius finis designari: qui fuerat 1. c. expressus in simili loco, *Signati Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis.* Veruntamen esto nunc sane dies Baptismi, ne nulla præsenti necessitate cogente superfluam contentionem instituamus: At nego sequi, idem hoc signaculum esse characterem illum Sacramentalem.

XIX. Argumentum vnum commune cum locis præcedentibus, sumptum à Spiritu Sancto. Alterum proprium huic, à verbo contristandi. *Nolite,* inquit Paulus, *contristare Spiritum.* Quam Phrasin ita explicant cum veteres, tum omnes Papistæ recentes, vt significet hunc Spiritum signaculi recedere. Ambrosius, *Cum eum contristatum dicit nostri causa, hoc significat, quia deserit nos.* Anselmus, *Nolite talia facere, quæ Spiritui sancto sic displiceant, vt recedat à vobis; quasi offensus ac contristatus.* Thomas, *Id est, Nolite eum fugare, vel expellere per peccatum.* Mitto alios. Vnde sequitur non esse indelebilem characterem, contra quam dicunt Papistæ. Nam Spiritus ipse est character. Ambrosius, *Ipse est enim Spiritus sanctus qui significat Filios Dei, manens in nobis.* Si manens significat, ergo abiens non significat.

XX. Sed videtur hoc mihi quidem durius, vt qui signati sint in diem redemptionis, ab iis Spiritus sanctus recedat, nisi forte secundum plus & minus. Ac sane nulla id necessitate verbi concluditur. Neque enim, quicunque contristatur, idem recedit. Est autem incommodum magnum, desultoria facere Dei dona: etiam, quæ maxima, & quæ Paulus dixit ἀμεταμέλητα. Itaque potius fuerit, sic intelligere, vt simpliciter indignum dixerit Paulus, atque etiam vt loquitur Chrysostomus φρικωδέστατον; ab iis Spiritum contristari, qui eo sint signati; etiam nulla recessus mentione illata. Nam etiam in eadem Epistola prohibentur Patres παροργίζειν irritare liberos, ipsum illud irritare sufficit quantumuis nullum addas recedendi metum. Itaque posterius argumentum agnosco non valere, nisi supposita Patrum interpretatione; à quibus alias discedere videri nolunt aduersarij.

XXI. Quod Valentianus concludit, differre hoc Spiritus signaculum à gratia, non video vnde confici queat. Nam, quod ait Paulum loqui etiam cum improbis, mentitur habere ex concione, contra potius, & initium & totus concionis contextus nihil sonat, nisi admissos in gratiam. Ad quos enim pertinet quæso, *Vocatio qua vocati estis? Vocati estis in vnam spem vocationis vestræ Vos non ita didicistis Christum. Sicut & Deus in Christo condonauit vobis* Hæc quis dixit vnquam non dico, Catholicus, sed vel Papista, de iis qui nunquam admissi in gratiam? Itaq; Valentianus nihil sani obseruauit.

XXII. Quartum locum Valentianus notauit ex 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam Dei, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* Hic duo iubet diligenter notari. Prius, *Gratia quæ est in te.* Nam τὸ *est*, significare aliquid in ordinatione illi datum durabili, quod etiam sit & maneat in his ministris, qui ab officio discedunt, & gratiam gratum facientem amittunt. Posterius quod formam præbeat hortandi ministros quoscunque deflectentes, vt iis quantumuis malis dicere possimus, *Noli negligere gratiam quæ est in te;* id est characterem.

XXIII. Magnus motus! Vehemens conatus! Sed magnum motum, vehementem conatum Iesuitanis Suares seuere compescuit, *De charactere ordinis nullum inuenio Scripturæ locum, in quo satis insinuetur. Nam illud, prioris ad Timotheum quarto, Noli negligere, & posterioris primo, vt resuscites gratiam. Hæc, inquam, loca sufficienter intelliguntur de gratia gratum faciente.* Sed & Bellarm. de Sacramento ordinis c. 2. ab hoc ipso loco probat ordinem esse Sacramentum, vel contractius, ordini conuenire definitionem Sacramenti. Atqui character non pertinet ad definitionem Sacramenti, alioquin omnia Sacramenti characterem imprimerent. Quid est ergo Valentiani conatus? Nugæ.

XXIV. Sed diligentius. Nam profecto gratiam Suares non bene dixit, gratum facientem. Quia Paulus χάρισμα nominauit; quo significatur potius, gratia gratis data, vt phrasin scholasticam retineamus: vt alias sæpe. Ad Rom. 12. *Habentes* χαρίσματα *donationis, secundum gratiam quæ data est nobis, differentes.* Prior. ad Cor. 7. *Vnusquisque proprium donum habet* ἴδιον τὸ χάρισμα. Primæ Petri 4. *vt quisque accepit donum.* Quanquam fateor interdum esse gratiam gratum facientem; vt ad Roman 5. οὕτω καὶ τὸ χάρισμα. *Ita etiam est, quod Deus gratificatur.* Sed hoc rarius, ac fortasse nusquam alibi. Certe hunc de quo agimus locum interpretantes, Caietanus, Salmero, & Iustinianus, donum reddunt.

XXV. Cuiusmodi autem donum Chrysostomus, τὴν διδασκαλίαν, φησὶν, *Doctrinam hic intelligi voluit.* Theodoretus, *Gratiam hic appellauit doctrinam.* Oecumenius, τουτέστι τῆς διδασκαλίας, ἢ τῆς ἐπισκοπῆς, *Hoc est doctrinæ siue Episcopatus:* χάριτι γὰρ θεοῦ τὸ ποιμένα εὑρεθῆναι τὸν νέον. *Gratia enim Dei erat, Episcopum constitutum fuisse iuuenem.* Anselmus, *Gratiam Episcopalis officij.* Lombardus, *Gratiam Episcopatus.* Thomas, *Per hoc intellige vel dignitatem Episcopalem, vel donum scientiæ, vel prophetiæ, vel miraculorum.* Caietanus. *Episcopalem gradum appellat donum datum.* Gagnæus, *Vel gratiam doctrinæ, quæ tibi data est per prophetiam, id est, sacrarum literarum cognitionem, vel gratiam Episcopalis officij, quæ tibi data est per prophetiam, id est, Spiritus sancti inspirationem.* Salmero, *Respondemus, quia Græce habetur* χάρισμα, *de dono & autoritate docendi, præsertim id accipiendum esse.* Iustinianus, *Græci interpretantur dicendi autoritatem, nec magnopere dissentit Ambrosius, qui eum ait datam gratiam negligere, qui exhortandi docendique munus omittit.*

XXVI. Summa; τὸ χάρισμα, vel esse doctrinam, scientiam, cognitionem: vel ipsum Episcopale munus: At neutrum est character Sacramentalis; non scientia: nam neque hæc in omnibus est, quibus impositæ manus: tum autem si character, esset in omnibus æqualis: quod manifeste falsum. Præterea acquiritur scientia, vel reuelatione, vel meditatione: at neutro modo character. Denique scientia non est indelebilis: quia potest amitti; tum forte aliter; tum certe per heresin. Non Episcopalis dignitas; quia disparatur character, à Sacramenti gratia: at hæc Episcopalis dignitas; est αὐτὸ τὸ ἔργον Sacramenti: si Sacramentum ordo; quod nondum disputo.

XXVII. Sed, inquit Valentianus, aliquid significatur durabile. Ergo character. Imo prius, durabile pro indelebili, perfide substituis. Nam illud potest huius vitæ terminos non excedere: ast indelebilis character nisi sit in mediis inferni flammis, autoribus vobis, nihil est. Deinde negatur consequentia. Primo, quia etiam scientia sit durabilis. Deinde, Quia character non tantum sit durabilis, sed etiam indelebilis. Sed durabile, inquit, vt maneat in iis qui ab officio recedunt. Vnde hoc? à quo autore? Deinde, quid tum? Nam potest, tum scientia manere, etiam cum negligitur; & Episcopalis autoritas.

XXVIII. At formam præscribit hortandi omnes deflectentes ab officio, vt dicere possimus cuicunque, *Noli negligere gratiam quæ est in te.* Imo hoc falsum: Nam Paulus eum hortatur, qui adhuc non tantum erat in officio; sed etiam fungebatur eo officio. Itaque forma erit hortandi; non Iscariotem, postquam Episcopatum eius acceperit alius, sed Timotheum. Etenim distinguendæ sunt personarum circumstantiæ. Quomodo aliter Paulus hortatur Corinthios ad charitatem exercendam, quam adhuc retinebant, aliter Ioannes Ephesinam Ecclesiam. Apocalypseos secundo; quæ amiserat primam charitatem. Itaque Paulus post ad Corinth. *Noui promptum animum vestrum.* At Ioannes, *Memor esto vnde excideris.* Similiter cum hortandus erat Timotheus; recte *noli negligere gratiam, quæ in te est.* Sed Apostatæ cuicunque exprobrandum, quod sua culpa amiserit.

CAPVT XV.

Papistarum ratiuncula.

I. TAlia erant è Scripturis Papistica deliria, nunc ratiuncularum nugæ. Cur non enim nugas dixero; quæ nihil concludant certum, aut necessarium? Præscripsit Biel, *Secunda conclusio*, inquit; *Per rationes persuasiuas, & Ecclesiæ autoritatem ostendi potest probabiliter ponendum esse characterem.* Audin rationes persuasiuas; non demonstrationes necessarias? Audin, ostendi probabiliter, non demonstratiue concludi? & hinc articulus fidei? & hinc anathematismi? Sed singula videamus.

II. Prima ratio esto Thomæ articul. 1. Quicunque ad aliquid certum deputatur, consueuit ad illud consignari: At homines per Sacramenta deputantur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei. Consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali characterе insigniantur. Probatur maior exemplo militum, qui adscribebantur ad militiam antiquitus.

III. Respondeo; primum ex propositione contingente, non esse certam conclusionem. Esse autem propositionem huius syllogismi contingentem patet, primo ex ipsa Thomæ confessione, qui consueuisse dicit, quo verbo nunquam significatur vniuersale axioma. Deinde exemplis in contrarium, nam ille ipse militum consignandorum mos, neque semper obtinuit, neque apud omnes. Etenim ante Imperatores Romæ constitutos, nullus erat, nullus inter Græcos. Et in ipsa Ecclesia Romana, minores ordines, etsi destinentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, tamen nullum characterem habent. Denique, omnibus Sacramentis destinantur homines ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, nec tamen per omnia Sacramenta Papistæ concedunt imprimi characterem; vt per Eucharistiam.

IV. Secundo: Concedatur sane vniuersum argumentum. Non enim concluditur id quod est in quæstione: quæ agit, non de quocunque characterе: sed de characterе, qui re differat à gratia Sacramenti, & sit indelebilis. At iam capite præcedenti, constat fideles ἰσοφωνίας consignatos esse, sed longe alio characteris genere. Paulus sane dixit consignatos Spiritu sancto, qui quidem non in Baptismo tantum datur; sed etiam in Eucharistia.

V. Ratio secunda apud Bellarminum. Deus cum diligit, diligendo facit bonum & pulchrum, infundendo gratiam, & cum vult sibi credi, in se sperari, se diligi, infundit habitum fidei, spei, caritatis. Igitur eodem modo credibile est, cum Deus aliquem deputat & consecrat, ad Sacramenta vel danda, vel recipienda, vel alia ministeria, quod id non faciat per simplicem deputationem, vt homines facere solent, sed infundendo certas qualitates quibus fiant apti & idonei ad talia officia; & ministeria. Tales autem qualitates vocamus, inquit, characteres.

VI. En tibi rursus idoneum fundamentum articuli fidei, idoneam causam anathematismi: *Credibile est.* Et quidem, addita temporis circunstantia. Scripsit Bellarminus post Concilium Tridentinum; cum sanctus esset articulus fidei, conceptus anathematismus. Condonate Rubioni, qui nullam causabatur præcessisse Ecclesiæ determinationem. At Bellarmino, cui summa credendi regula, autoritas Ecclesiæ, cui nulla autoritas Ecclesiæ; si nulla Tridentini Concilij: Bellarmino, vnquam, scribenti post vibrata Tridentina fulmina, quæ excusatio, vt etiamnum triste boet, *Credibile.*

VII. Ad rem. Concedo Deum non itidem frustra destinare, vt homines solent. Concedo infundere certas qualitates; quibus, qui destinantur, fiant idonei. Quid tum? Tales qualitates, inquit, vocamus characteres. Itane? Ac tu, si lubet, etiam nigrorem appellato niuis colorem, Quid enim obstat, quominus Sophista ludat, illudat? Aut quis iussit à Sophistæ ludentis, illudentis autoritate Theologiam pendere? At nos definitionem attendimus, nominis lusus omittimus. Atqui vos, Bellarmine, negatis Eucharistiæ vllum esse characterem. Negatisne igitur in Eucharistia ad nihil Christianum deputati. Negatisne Christiano in Eucharistia vllas infundi qualitates? Aut igitur desinite Eucharistiæ characterem negare, aut desinite, quascunque infusas qualitates, characteres nugari. Deinde, concedo Deum diligendo infundere gratiam, sed tu conaris probare etiam non diligendo infundere characterem. Cur vis tibi credam? nam certe, vt omnibus Per Sacramentum non infundit gratiam, sic negare possum omnibus imprimere characterem.

VIII. Tertiam rationem Biel sufficiet. Congruit Deum non instituisse Sacramenta vana; saltem pro tempore nouæ legis, quæ est perfecta. Ergo congruit quod semper Sacramenta habeant aliquem effectum in suscipiente: Sed non semper habent gratiam; vt patet in ficte accedentes. Ergo aliquem alium, qui est character.

IX. Ipse tamen Biel refutat, *Ista congruitas*, inquit, *locum habet in omnibus Sacramentis: quod omnia Sacramenta nouæ legis sunt perfecta, etiam quod secundum alios in omnibus Sacramentis iterabilibus imprimitur quidam ornatus, & non character, ita dici posset de Sacramentis iterabilibus, quod imprimerent ornatum & non characterem.* Sic ille. At cur non potius, vt Sacramenta iterabilia, sic neque iterabilia, imprimere characterem?

X. Sed nos amplius. Primo, aliud est Sacramenta vana instituisse; aliud, esse vana. Illud prius significat ea quæ ab ipsa sui institutione habent, vt sint vana, nulliusq; boni vsus. Hoc posterius; de iis dici potest, quæ tantum per accidens vana sunt; & quæ præter institutum frustrantur euentus. Priori modo concedo nulla esse Sacramenti instituta vana, imo non Sacramenta tantum, sed ne quidem, omnino quicquam in rerum natura, nedum in salutis œconomia. Sed negatur ex eo sequi, Sacramenta semper habere aliquem effectum. Nam instituta est à Deo prædicatio Euangelij, tamen sæpe vana; id est, absque vllo suo effectu. Et vana sunt omnia iterabilia Sacramenta; quoties in fictos inciderint.

XI. Altero autem modo, negatur antecedens, id est, nulla esse Sacramenta, vt per accidens possunt fieri vana. Imo contra; vana esse dicuntur, quæcunque frustrantur suo præcipuo proprioque effectu. At præcipuus propriusque Sacramentorum effectus, est gratia cui significandæ, efficiendæq; sunt instituta. Hanc autem gratiam nemo negat posse impediri. Quanto magis ergo secundarium, & quasi subsidiarium; id est, characterem?

XII. Denique, da nulla esse vana, da semper aliquem effectum producere, an propterea characterem? Nego. Nam character fingitur esse indelebilis. Atqui; vt non sit vanum Sacramentum, sufficit aliquod in præsens effectum produci, etsi non perpetuo manens. Sic Eucharistia non vana, sic reliqua, quæ appellant iterabilia Sacramenta.

XIII. Quartam rationem exhibet idem Biel, reliquis, si qua ei fides, magis rationabilem. Congruit, vt receptus in familiam Christi, vel certum statum familiæ Christi, distinguatur à non recepto, per aliquod intrinsecum permanens in eo, quod licet Christus posset distinguere sine tali intrinseco: tamen perfectior est distinctio in se & comparatione ad omnem Ecclesiam militantem, & triumphantem, si fiat per aliquam formam intrinsecam permanentem: quam si non sic fieret. Talis autem forma ponitur characterе.

XIV. Sic semper congruum audimus, nihil certum. At nos antecedens habemus tamen, non tanquam congruum, sed tanquam necessarium, & nunquam fallens. Omnes, inquam, domesticos Dei, alias, domesticos fidei; credimus certo suo characterе distingui, ab iis qui non sunt fidei. Cur enim negemus, ἰσοφωνίας, contra tam diserta Pauli testimonia? Itaque superstitiosos homines tam dilute loqui miramur, quin potius indignamur. Non enim merebantur diuina oracula reuocari in dubium; & pro necessariis dici congrua, dici verisimilia, denique proxima negandis. O scelus!

XV. Quid ergo? Nempe, vt in Bellarmino, sic nunc ridemus talem formam dici characterem. Quasi fidei articuli, præter soni corticem nihil habeant. At qui characterem quicunque definiunt, negant esse gratiam. Et gratia distinguit fideles ab infidelibus testantur Scripturæ, testantur Veteres. Et hæc nobis quidem idonea causa concedendi fideles omnes distingui ab infidelibus, nec tamen isto characterе. Certe Paulus dixit ἰσοφωνίας πνεύματι.

XVI. Quinta ratio erit à Bellarmino. Baptismus aliquid sacramentale confert, etiam si detur, & percipiatur sine fide: Eucharistia, nihil confert, Igitur aliquem sacramentalem effectum habet Baptismus, præter gratiam. Probatur antecedens: quia hæretici vere & proprie baptizantur, at qui sumit Eucharistiam sine fide, non vere communicat corpori Domini secundum Caluinum.

XVII. Respondeo: Primo, miram esse Sophisticen, quæ articulorum suæ fidei fundamenta ponat opposita suæ fidei. Nam in Eucharistia sine fide non communicari corpori Domini nos tenemus, Papistæ damnant. Quare ex Papistarum sententia datur in Eucharistia aliquid sacramentale etiam, cum sine fide accipitur. Ac proinde non eo differt à Baptismo. Ideoque vel nullum characterem Baptismus imprimit; vel characterem imprimit Eucharistia. Rursus, si quod non docemus, habet aliquid momenti; tum profecto baptismus nullum imprimit characterem, quoniam sine fide inutile esse æque credimus, atque Eucharistiam, id est, præter externam signi collationem, nihil efficere in anima.

XVII. Secundo, respondeo conferre aliquid sacramentale dici, vel externum, vel internum. Externum quid sacramentale conferri in baptismo conceditur, sed non conferri in Eucharistia, negatur. Neq; enim frustra Augustinus distinxit manducari carnē Christi in veritate & Sacramento tenus, addiditq; etiam impios manducare Sacramento tenus, de cōsecratione dist. 2. *Qui discordat à Christo non manducat carnem eius, nec bibit sanguinem, etsi tanta rei Sacramentum ad iudicium sua perditionis, quotidie accipit.*

XIX. Internum autem concedimus nihil conferri in Eucharistia. Sed conferri in Baptismo, negamus. At hæretici vere & proprie baptizantur. Non omnes quidem, quod nouit Bellarminus. Sed concedo tamen multos, verum externo baptismo, quemadmodum qui discordat à Christo manducat carnem Christi Sacramento tenus. At, inquit, non vere communicat corpori Domini, qui sine fide sumit Eucharistiam. Plane, inquam, sed hoc pertinet ad rem significatam & internam. Est autem comparatio hæc baptismi Eucharistiæque illegitima, quia sumitur Eucharistia cum re sua significata, at Baptismus non cum sua, sed cum characterе. Breuiter,

uiter, nobis perſuaſiſſimum, ſi omnia ſint legitima, in materia & in forma, tam vere infideles communicare Sacramento Euchariſtiæ; quam Sacramento baptiſmi: & tam vere priuari re baptiſmi, quam Euchariſtiæ.

XX. Sexta ratio rurſus Bellarmini, Baptiſmus ſemel rite collatus, non poteſt repeti: at Euchariſtia poteſt. Cuius diſcriminis nulla vera cauſa dari poteſt præter characterem. Igitur neceſſe eſt fateri imprimi in baptiſmo characterem. Minor probatur: ſic enim appellat eam partem, quæ aſſeruit nullam dari cauſſam præter characterem: quanquam ea nullam habeat minoris ſpeciem: atque adeo argumentum nullum ſyllogiſmi formati veſtigium. Sed minor probatur: quia ſi detur character, manifeſta cauſa eſt: propterea enim non repetitur Sacramentum, quia manet in ſuo effectu, qui ne quidem augeri poteſt: cum alia Sacramenta effectum habeant, vel non manentem, vel talem vt intendi queat.

XXI. Reſpondet Biel art. 2. q. 2. diſt. 6. *Secunda concluſio. Initerabilitatis Sacramentorum principalis ratio non eſt characteris impreſſio: ſed ſola diuina inſtitutio.* Tiletanus parte altera defenſionis Tridentinæ, cum agit de charactere, teſtatur baptiſmi Sacramentum nulla ratione iterandum doceri, *non ſolum propter impreſſionem characteris, verumetiam propter ſolidiſſima, & manifeſtiſſima Scripturarum fundamenta & teſtimonia.* Suares diſput. 22. in 3. Thomæ ſect. 2: *Aſſerre poſſumus rationes, quarum prima ſumenda eſt ex Chriſti inſtitutione: ab illa enim originem trahit, quod baptiſmus iterari non poſſit.* Idem diſp. 146. c. 3. *Hæc res ex ſola voluntate Dei & Chriſti inſtituentis Sacramentum, pendet, quod ita illud inſtituere voluerit, vt ſemel tantum fidelibus miniſtrari & prodeſſe poſſet.* Et ſane, nos ipſi, qui negamus characterem, tamen iterandum baptiſmum non concedimus. Negamus ergo Bellarmino ſuam minorem. Nam etſi poſito characteris ſomnio, rationis quædam plauſibilis ſit ſpecies: tamen nec ſequitur aliam cauſam nullam dari: & multo minus propterea ponendum eſſe characterem. Et vero Auguſtinus, qui contra Donatiſtas ſeſe tam conſtanter exercuit, tamen characteris huius ne per ſomnium quidem meminit.

XXII. Sed non eſſe inſtitutionem cauſſam veram diſputat contra Gabrielem & Chemnitium, magno ſcilicet argumento: Quia non ſine magna ratione Deus prohiberet rem tam vtilem repeti.

XXIII. Quaſi vero vtilitatis Sacramentorum alia vlla aut cauſſa eſſe queat præter inſtitutionem: à qua ſola habent quicquid poſſunt. Vt omnino neceſſe ſit inutilia eſſe, ſi vſurpentur præter inſtitutionem: ac proinde eum nugari; qui dixerit rem tam vtilem repeti poſſe; ſi ſit contra inſtitutum. Suares loco iam indicato, *Certum eſt propriam huius rei cauſam in Chriſti Domini voluntate, & inſtitutione eſſe poſitam. Nam, quæ ſunt de neceſſitate Sacramentorum, cum in ſola rei natura non habeant fundamentum, ex voluntate inſtituentis orta ſunt.* Deinde, quis neſcit Deo ipſi ſuam voluntatem eſſe ſummam operum rationem? multo magis homuncionibus?

XXIV. Hanc inſtitutionem didicimus ex Scripturis, eo quod in iis ne tenue quidem appareat iterati Baptiſmi veſtigium; At Catholicis ſcimus ſolenne non ſapere ſupra id quod ſcriptum ſit: Quomodo ergo didicimus tres eſſe duntaxat Trinitatis perſonas; & duas Chriſti naturas: & duo Teſtamenta: quia horum nec plurium Scriptura meminit: ſic debent æqui bonique conſulere aduerſarij, ſi iterationem Baptiſmi horreamus, quam nemo potuit in Scripturis inueniri. Quo poſito, non inuiti audimus Eccleſiæ autoritatem quam nemo poteſt negare eſſe magnam in iis rebus, quæ non ſunt contra Scripturam.

XXV. Hoc infirmat Bellarminus; concedens non eſſe ſcriptum, vt iteretur Baptiſmus: ſed viciſſim negans ſcriptum ne iteretur. Itaque vt Auguſtinus de Trinitate lib. 7. c. 4. *Dicimus in Deo tres perſonas, non quia Scriptura dixit, ſed quia non contradixit*: ſic poſſe rebaptizari, non quia Scriptura dicat, ſed quia non contradicat: ſit autem res bona, & vtiliſſima Baptiſmus.

XXVI. Verum, hæc non ſunt ſolida. Quæritur enim quid ſit agendum: & quidem in re, quæ nihil eſt, niſi ab inſtitutione Dei. Itaque niſi vſus ſui certum habeat fundamentum inſtituentis voluntatem; nihil poteſt habere ſoli. Et in iis rebus, quas Deus imperauit ad ſuum cultum; ſcitum eſt, nihil faciendum præter præſcriptum. Itaque, quod non prohibeatur iterari Baptiſmus; non tam legitima cauſa eſt iterandi, quam non iterandi, quod nuſquam iterandum ſignificetur.

XXVII. Auguſtini longe alia cauſa erat. Diſputabatur enim non de re, quæ ſupponebatur certa: ſed de loquendi modo; non vtrum credendus alius Pater, alius Filius, alius Spiritus: ſed vtrum dicendæ tres perſonæ; quam phraſin nuſquam vſurpat Scriptura. Recte igitur licere dici, quia Scriptura non contradicat. Vere enim nunquam prohibitum iis vocibus vti, quibus Scriptura non vtatur. Et diſertius; nunquam prohibitum aliter loqui, quam præiuerit Scriptura. Itaque vere dixit Auguſtinus, non contradicere Scripturam tres dici perſonas: At non vere Bellarminus, non contradicere Scripturam, iterum baptizari. Enimvero, quæ prohibuit in cultu Dei fieri, ea quæ non ſunt imperata; aut permiſſa: & nuſquam permittit, nedum imperet iterari Baptiſma: eadem certe contradicit iterari Baptiſma. Quo argumento ne Euchariſtia quidem eſſet iteranda, ſi nunquam diceret Scriptura, *Quotieſcunque ederitis panem hunc.*

XXVIII. Hac inſtitutione ſic ſuppoſita, fateor inquiri alias poſſe cauſas, per ſe & ſolas, non concludentes neceſſario. Cur non enim tuto etiam veriſimilitudines colligantur, quod alias periculosè fieret? Ne traditionem quidem Eccleſiæ contemnendam crediderimus; quantumlibet eius nos hoſtes aduerſarii traducant: quæ ſi ſola eſſet; profecto nobis iudicibus non ſufficeret pacandis in re non nullius momenti, conſcientiis. Recte Vaſques quæſt. 146. in 3. Thomæ, cap. 3. *Quamuis hæc res ex ſola voluntate Dei; & Chriſti inſtituentis Sacramentum pendeat, quod ita illud inſtituere voluerit, vt ſemel tantum fidelibus miniſtrari & prodeſſe poſſet: nihilominus cum hæc inſtitutio ſignificationi Sacramenti accommodata eſſe debeat, ex ipſa illius ſignificatione & natura non incongrua ratione ſententia Catholica confirmari poterit.* Quanquam Dominicus Soto artic. 8. quæſt. vnic. in 4. Sentent. neceſſitatem etiam prædicet, *Rationes iſtæ, quas D. Thomas adducit, non ſolum tanquam congruentes ſunt auſcultandæ, imo tanquam neceſſariæ iuxta naturam Sacramenti.*

XXIX. Notarunt varii varias: nec omnes eiuſdem momenti: adeo vt non ſit neceſſe à nobis omnes præſtari: nec eſt, quod ſe nobis ſperet nociturum Bellarminus, excurrens in earum refutationes. Fundamentum hoc nobis eſto. Si ratio ſignificandi non admittat iterationem; ergo neque ſignum iterari debet. Manifeſta conſequentia: quia ſignum nullum eſt Sacramentum, imo neque ſignum, niſi propter rationem ſignificandi; id eſt, analogiam: itaque hæc ſi deſtruatur, ipſam oportet Sacramenti naturam deſtrui. Rationem autem ſignificandi dico; non vero rem ſignificatam quia videlicet poſſit eadem res varie ſignificari: ſic nobis Chriſti ſanguis: in Euchariſtia, ratione potius; in Baptiſmo autem ratione lauacri. Sic poſita conſequentia, antecedens nobis triplicem rationem offert.

XXX. Prima ratio: Baptiſmus ſignificat gratiam, per rationem generationis ſpiritualis. Itaq; , ſi generatio hæc non repetitur, ne quidem debet vſus ſigni. Nimirũ, quia videretur ipſa generatio repeti: quod eſt abſurdum. Viſus eſt Thom. in 4 q. 66. *Baptiſmus*, inquit, *iterari non poteſt: primum quidem, quia Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio. Vnius autem non eſt niſi vna generatio: & ideo non poteſt baptiſmus iterari, ſicut carnalis generatio.* In quem locum Soto, *Natura ipſa generationis ſpiritualis, Chriſtianæque profeſſionis, ſecum intime adfert, vt non niſi ſemel fiat.*

XXXI. Bellarminus impugnat. Per fidem etiam regenerari hominem, & per verbum Dei. Et tamen fidei actus & conciones repeti. Deinde, generationem corporalem poſſe repeti, ſaltem ſupernaturaliter, vt in reſurrectione, quæ vocatur regeneratio, Matthæi decimo nono. Cum ergo Baptiſmus ſit generatio ſupernaturalis, quid prohibet repeti? Tertio: non eſſe eandem rationem regenerationis ſpiritalis & corporalis: quando quidem neque mortis: quæ eſt multiplex. Quarto: qui ſine fide baptizantur, re vera non regenerari; & tamen non rebaptizari: contra, qui regenerari per fidem, baptizari. Quinto: Ordinationem non eſſe generationem: & tamen non repeti.

XXXII. Nos contra. Ad primum; nec fidem regenerare per ſignificandi rationem: nec ſæpius regenerare; ſed ſemel duntaxat: deinceps autem regeneratum fouere. At Baptiſmum contra, habere ſignificandi rationem; non vero fouendi. Itaque comparationem eſſe diſſimilium.

XXXIII Ad ſecundum, rurſus diuerſa conferri. Nam corporalem generationem, vnam naturalem; alteram ſupernaturalem; oppoſi generationi tantum ſupernaturali. Atqui quomodo ſupponitur bis fieri diuerſa ratione corporalis; ſic oſtendendum foret bis fieri ſpititalem iterum diuerſo modo. Quis enim non rideat; vt bis naſci hominum animas, ſemel naturaliter, iterum ſupernaturaliter: ſic bis naſci hominum corpora; ſemel naturaliter, iterum ſupernaturaliter? In morboniam. Deinde generatio naturalis, & generatio ſupernaturalis, tota definitione diſparantur, vt non tantum numero, ſed etiam ſpecie differant; ideoque in regenerationis nomine homonymia eſt: vt vere negari poſſit bis generari homines. At regenerationem ſupernaturalem Bellarminus ſic vult repeti, vt tantum numero differat; ſpecie ſit eadem: quod eſt abſurdum.

XXXIV. Ad tertium. Negatur mors animæ eſſe multiplex: re vera enim vnica eſt; quomodo & corporis. Neque qui regenitus vere, vnquam moritur: quia certa eſt fidelium ſalus; & infallibilis; vt alias diſputatum.

XXXV. Ad quartum. Concedo, qui ſine fide baptizantur, re vera regenerari; nec rebaptizari. Concedo, iam regenitos baptizari. Sed nihil hoc contra allatam rationem. Quia videlicet, & qui non erat regeneratus, habebat tamen ſignum regenerationis: & qui erat regeneratus, non habebat ſignum. Itaque huic addendum: illi non iterandum.

XXXVI. Ad quintum. Primo, Ordinatio non eſt Sacramentum: ſecundo, nihil obſtat, quominus à diuerſis cauſis ſimilia ſint effecta. Itaque, non ſequitur, ſi ordinatio non iteretur, etſi non ſit regeneratio: ideo Baptiſmum non propterea non iterandum, quia ſit regenerationis Sacramentum. Quomodo, etſi Chriſtus ſit Filius Dei, & non per fidem: non ſequitur non eſſe nos Filios Dei per fidem: & Adam etſi homo ſit per creationem: non ſequitur, non eſſe Abelem hominem per generationem: etſi Octauius Imperator fuit per vſurpationem; non ſequitur Galbam non fuiſſe per electionem. Plurima ſunt huiuſmodi in omni rerum genere.

XXXVII. Altera ratio. Baptiſmus ſignificat gratiam per modum mortis. Itaque ſi mors non repetitur; neque ipſum etiam ſignum repetendum. Et hanc Thomas habet, *Secundo, quia in morte Chriſti baptizamur, per quam morimur peccato, & reſurgimus in nouitatem vitæ. Chriſtus autem ſemel tantum mortuus eſt: & ideo Baptiſmus iterari non debet.*

XXXVIII. Refutat Bellarminus; *Hæc non valet*, inquit; nam Euchariſtia etiam ſignificat mortem Chriſti, & tamen repeti poteſt: & ſacrificia Iudæorum ſignificabant omnia Chriſti mortem, & tamen frequentiſſime repetebantur.

XXXIX. Aſt ego ſolutionem mutuabor à Soto, refutante Scotum, cui hæc Thomæ ratio diſplicebat; quaſi inde petita, quod Baptiſmus virtutem habeat à paſſione Chriſti; *Thomas*, inquit, *non adfert hanc rationem; ſed quod per Baptiſmum commorimur peccato, conſepelimurque, & configuramur morienti Chriſto. Itaque ratio fundatur non in hoc quod Baptiſmus virtutem habet à paſſione Chriſti: ſed in ſimilitudine ad eandem mortem, qua reliquis Sacramentis non conuenit.*

XL. Inſtat Bellarminus. Vis argumenti ſumitur, vel ex eo quod Chriſti mors, quæ vna fuit, per Baptiſmum repræſentatur: vel quia nos nos ipſi morimur peccato. Si prius, ratio non concludit: quia, quod ſemel fit, ſæpius repræſentari poteſt Sin poſterius: ne ſic quidem ratio concludit: quia poteſt idem homo ſæpius commori Chriſto, ſi nimirum ſæpius peccet, & ſæpius eum pœniteat peccatorum.

XLI. Non opus eſt multis. Nam illud prius iam refutatum. Neque ſane dixit Scriptura Baptiſmo ſignificari mortem Chriſti à myſtica fidelium ſeparatam. Ad Rom. 6. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo? An ignoratis nos quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem eius eſſe baptizatos. Sepulti igitur ſumus vna cum eo per Baptiſmum in mortem.* Itaque alterum potius. Sed falſum, vt paulo prius, quotidie fideles commori Chriſto alia & alia morte, qui ſemel cum Chriſto crucifixi continua mortificatione peccati corpus deſtruunt. Itaque dixit Paulus, *Si mortui ſumus cum Chriſto, credimus fore vt etiam viuamus cum*

eo. Vt qui sciamus Christum excitatũ ex mortuis, non amplius mori, mortem ei non amplius dominari. Nam quod mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo. Itaque pœnitentia non est mortis iteratio, sed est fructus eius mortis; vel potius actus vitæ recuperatæ, & cum mortificatione coniunctæ.

XLII. Tertia ratio. Baptismus significat gratiam, per formam iniri fœderis, non caduci. At fœdus non caducum, semel tantum initur. Ergo & Baptismus semel tantum celebrandus. Vnde analogia est Baptismi, ac Circuncisionis. Hæc enim signum erat fœderis diuini cum singulis circuncisis initi, quod quia non renouabatur: ideo, nec circuncisionem oportebat iterari. Non sic sacrificia, etsi enim erant ipsa etiam signa fœderis, tamen non per formam ineundi, siue contrahendi, ideo nihil intererat, quominus repeterentur.

XLIII. Ille impugnat. Primo, Paulum negare ad Hebr. 6. posse hominem peccantem post Baptismum, redire ad pactum Baptismi. Sc enim dicere, *Impossibile est iterum renouari*, id est, eadem facilitate redire ad amorem Dei, vt quondam in Baptismo: proinde egere alio pacto Dei multo magis seuero. Secundo; cum eo qui sine fide baptizatur, nullum fieri pactum, quia pactum fit inter consentientes, itaque rebaptizari posse saltem eos qui sine fide essent baptizati. Tertio: Etiam verbum esse pactum. At hoc quotidie repeti. Quarto; Eucharistiam non minus continere pactum Dei, & tamen repeti. Quinto; Pactum Dei non esse perpetuum ei, qui fidem Deo frangat; vt promissio seruanda sit, qualemcunque se tandem præbeat, is cui promissio facta est.

XLIV. At nos locum ex 6. ad Hebr. alias exposuimus, & docuimus nihil necessario agere de Baptismo, sed de illuminatione, quæ significet euidentẽ notitiam veritatis; a qua nihilominus recedatur per apostasiam. Nunc addo primo, ineptam esse expositionem impossibilitatis, per maiorem difficultatem: quanquam id ad rem istam non pertineat. Deinde; *Iterum renouari*; non significare initum esse fœdus, quia aliud est renouatio, aliud fœdus. Illa sine fœdere fieri potest; nimirum, quomodo hoc sumitur loco, nempe pro illa mutatione, quæ apparet etiam in hypocritis, qui ad tempus duntaxat profitentur, cuiusmodi Simon fuit Magus, dictus credere, & tamen dictus non habere partem in tanto negotio. Quare non sequitur, si qui sunt huiusmodi, non possint renouari, ideo alios aliquos posse recipi in fœderis innouationem.

XLV. Ad secundum; eadem satisfactio repetenda, quæ ad quartum contra primam rationem: Nempe eum qui ficte accedit, etsi non habeat tunc fœdus ipsum perpetuum; tamen habere signum fœderis perpetui; propterea non repetendum, sed implendum.

XLVI. Ad tertium, & quartum; etiam prius responsum; & verbum, & Eucharistiam continere idem fœdus, sed alio modo: hoc est, non per modum ineundi, sed verbum quidem, per modum proponendi fœdus, prædicatione generali; quæ post applicari debeat singulis, cui rei seruit Baptismus. Eucharistia autem, per modum conferendi beneficia consequentia ex illo fœdere. Itaque longe diuersa comparari, pro indeque inutiliter.

XLVII. Ad quintum: Frangi Deo fidem, vel in totum, vel per partes. In vniuersum, vt qui à Deo acceptus vere erat in fœdus, ab eodem prorsus discedat, cuiusmodi nullum esse dicimus, tum enim Deus ipse deceptioni fingeretur obnoxius, nec certa esset salus eorum, qui vere essent Dei filij, quod est absurdissimum. Per partes autem; vt qui per initum fœdus tenentur nihil peccare, tamen peccent; atque ita contra fœdus faciunt. Huiusmodi multos scimus esse, sed cum iis initum fœdus non esse perpetuum, negamus. Imo contra habemus disertum Dei verbum, Psalm. 89. *Si dereliquerint filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, tunc visitabo virga præuaricationem eorum, & plagas iniquitatem eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eo, neque mentiar in veritatem meam, non prophanabo pactum meum, & quod egressum est de labiis meis non mutabo.* Sic Petrus postquam acceptus est in gratiam, abnegauit, nec tamen reiectus à fœdere, aut cum eo innouatum fœdus. Non dicimus teneri Deum præstare suum fœdus, quemcunque se tandem homo præbuerit, sed dicimus nunquam fore, vt quidquid fœdus sit admissus, talem se præbeat, vt à fœdere excludatur, non quod non sit hominis natura talis, sed quia Deus non possit aut mentiri, aut decipi: itaque nunquam sibi fœderatos adeo deserat, vt prorsus apostatent: &, si qui prorsus apostatent; ij nunquam fuerint Deo vere fœderati.

XLVIII. Sed redeamus tandem in gyrum. Septima ratio firmando characteri est a Soto; & distinctius à Gregorio de Valentia in hanc formam. Quod ab Apostolis tanquam certum de fide traditum Ecclesiæ est, id sine vlla dubitatione est ex fide certum: Sed assertio hæc characteris ab Apostolis est tradita Ecclesiæ tanquam certa de fide: Ergo certa est ex fide. Minor probatur. Primo, quia certissimum argumentum est traditionis Apostolicæ, si vniuersa Ecclesia aliquid sentiat ac teneat, teste Augustino 5. de Baptismo contra Donatistas, cap. 23. At characterem imprimi, vniuersa sentit & tenet Ecclesia. Secundo, vbicunque Ecclesia eam doctrinam tradit, eandem proponit, tanquam prorsus antiquam, quæ iam olim apud fideles autoritatem fidei obtinuerit. Neque credibile est, in ea re aliquid ab Ecclesia fingi. Quid enim poterat mouere vt fingeret? certe ex assertione characteris nullum commodum habet.

XLIX. Respondeo, concedi maiorem: sed negari minorem. In probatione distinguo vniuersam Ecclesiam; quatenus complectitur, vel omnes ætates Ecclesiæ Christianæ: vel in singulis ætatibus omnes particulares Ecclesias. Priori sensu, concedo argumentum sumi certum traditionis Apostolicæ, ab vniuersa Ecclesia, quo sensu etiam nominatur ab Augustino. Sed nego in hac re vllum esse tale Ecclesiæ vniuersæ testimonium. Et contra, inter ipsos Papistas fuisse Durandum, Caietanum, Scotum, De Rubione, qui dixerint recens esse commentum hoc, quicquid est characteris.

L. Quod si Ecclesiam vniuersam dicant vnius aut alterius seculi, aut paucorum, negatur inde peti certissimum testimonium traditionis Apostolicæ. Nam ipsi Papistæ haud pauca numerant dogmata de fide, quæ tamen definita sunt postremis tandem seculis. Exempli gratia, Canonem Scripturarum: Indulgentias, de Sanctorum beatitudine post mortem, atque alia; de quibus vide caput 13. libr. 2. Tom. 1. harum Controuersiarum.

LI. Atqui ea Ecclesia semper proponit, tanquam prorsus antiquum. Ilane, inquam, omnium ætatum Ecclesia? Audacter falsum. Potuitne enim tradere antiquum, quod ne tradiderit quidem? An igitur illa postremorum seculorum? Nego quicquam sequi. Nam eandem illam Ecclesiam mihi vide (si tamen hæc Ecclesia fuit, sed alterius hoc controuersiæ.) Canonem Scripturæ commendantem tanquam acceptum ab ipsis primordiis; quem tamen eius doctores fateri coguntur nondum constitutum Hieronymi tempore, vt alia multa exempla præteream. Nam, quod nullum inde commodum oriri causatur, friuolum est. Etenim superstitio suas etiam delicias affectat in otiosa curiositate, & acuminis laude. Neque aliam causam ostenderis multiplicatorum Æonum à Gnosticis; aut negatæ duplicis in Christo voluntatis a Monothelitis, vt mille alia taceam.

Cap. XVI.

De Patrum authoritatibus.

I. VEntum ad Patres. Primum, Areopagitam exhibent. Hunc Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 2. dicere, Baptismum formare hominem ad alia suscipienda Sacramenta: Hanc autem formam appellari characterem. Rursus, de eo qui baptizatur ita loqui, *Hunc diuina Maiestas in sui consortium intus admittit, eique lucem suam perinde ac signum aliquod tradit.* Cyrillum Hierosolymitanum præfatione catecheseon vocare Baptismum descriptum per effectus eius, signaculum sanctum, & indelebile. Catechesi 4. *Spiritus sanctus tempore Baptismi animam tuam obsignat*, Et 16. *Hic ad hodiernam vsque diem obsignat animas in Baptismo.*

II. Nazianzenum oratione in sanctum lauacrum, dicere Baptismum esse sigillum quo conseruentur fideles, & quo tanquam signo cognoscamur esse Dei possessio. Atque hic Nicetam Scholiasten, *Quemadmodum sigillum insuper, quoniam per eum consignati, cuiusnam Domini simus, cognoscimur atque ab insidiis tuti conseruamur. Quod enim sigillo aliquo notatum est, furum aggressioni minime patet.* Basilium exhortatione ad Baptismum, *Deus sub se militantibus dat tesseras.* Rursus, *Quomodo vendicabit te Angelus sibi, quomodo eripiet ex hostibus, si non agnouerit signaculum?* Item, *Thesaurus non obsignatus facile diripitur à furibus, ouis non signata citra periculum insidijs appetitur.* Denique Baptismum vocare sigillum inuiolabile.

III. Chrysostomum homil. 2. in Epist. ad Ephes. *Porro idem charactere Spiritus sancti nos insigniuit.* Et postea, *Signati sunt etiam Israelitæ, sed Circuncisionis nota, vt pecora, nos autem vt filij signati sumus Spiritu sancto.* Homil. 14. nos esse signatos vt gregem Dominicum. Epiphanium hæresi 8. Epicureor. *Circuncidit nos à peccatis, & obsignauit in nomen Dei.* Et hæresi 30. comparare signaculum Circumcisionis Iudæorum cum signaculo Baptismi nostri. Theodoretum in post. ad Corinth. 1. *Ipse nos vnxit, & Sanctissimi Spiritus signaculo dignos duxit, veluti quandam futurorum bonorum arrham hanc nobis gratiam largiens.*

IV. Ambrosium 1. de Spiritu sancto cap. 6. *Spiritu signamur, vt splendorem, vtque imaginem eius, & gratiam tenere possimus: quod est vtique spirituale signaculum.* De iis qui initiantur 7. *Repete, quia accepisti signaculum spiritale.* Augustinum 6. de Baptism. cap. 1. *Satis eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarij Concilij autoritate originalis consuetudo firmata est, & ouem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus depradatoribus suu foris acceperat, venientem ad Christiana vnitatis salutem ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere sanari: characterem tamen Dominicum in ea agnosci potius, quam improbari.* Et aliis plurimis locis; vt Epist. 23. 50. 204. Tract. 6. in Ioan. Libr. 2. contra Epist Parmeniani, cap. 13. Et 2. contra literas Petiliani cap. vlt. Et 1. contra Cresc on. c. 30. Et tract. 5. in Epistolam. Ioan.

V. Clementum Alexandrinum apud Eusebium libr. 3. cap. 17. *Vbi sigillo Domini, tanquam perfecta tutaque animi custodia obsignasset.* Damascenum Thesauri libr. 4 cap. 10. *Per Baptismum accipimus primitias Spiritus, & deinde signaculum, & tutelam, & sanctificationem.* Haimonem, Primasium, Anselmum, Theophylactum, Oecumenium in 1. & 4. ad Ephesios.

VI. Hæc mihi testimoniorum nomina collecta in vnum sunt ex Bellarmino, Gregorio de Valentia, Vasque, Cotono. Verum, in quem finem quæso? Nam illud Bellarmini, *hanc formam appellamus characterem*: illudendis natum lectoribus, iam ante monuimus: quos iniquum est solis nominibus, & quidem affectatis inhiantes, rem ipsam habere pro neglecta. Quin iustum potius, definitionem rei diligenter considerantes, & attendentes constanter, identidemque respectantes, nominum Sophisticam catachresin corrigere: atque hac arte legitima hiantes coruos deludere, quos & in Scripturis iam comperimus nudis signi, signaculi, σφραγίδος nominibus abusos: vt ne in Patribus futuros fideliores speret quisquam.

VII. Repetamus ergo ex statu quæstionis, quidnam sit Papistis character Sacramentalis. Primum quidem, qualitas aliqua diuersa à gratia: illa, inquam, gratia, cui significandæ conferendæque instituta Sacramenta, vt in Baptismo, non remissio peccatorum, non regeneratio: in ordine (demus nunc sane esse plura duobus Sacramentis) non ipsum ministerium: in Confirmatione, non ipsum illud animæ robur: sed in omnibus præparatio quædam ad eas gratias. Secundo, communis omnibus accipientibus Sacramentum, siue vere, siue ficte: id est, etiam iis, in quibus Sacramenta non efficiunt gratiam. Tertio, indelebilis; id est, tam tenax, vt ne in mediis quidem inferorum flammis æternis subiectum suum deserat: ac proinde tam communis seruandis, quam damnandis: imo damnatis quam seruatis. Quibus tribus cum non descripta tantum sit huius characteris natura, sed etiam definita: consequens est, vt cui characteri hæc tria non conuenient; is non sit character ille Sacramentalis; quem otiose commentas esse scholas conquerimur.

VIII. Nam alioquin, quis nos vnquam audiit negantes in Sacramentis si-

tis sigillum: Qui non tantum confessi sumus omnia Sacramenta esse professionis Christianæ signa: sed etiam Circuncisionem didicerimus fuisse σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης, ex Paulo: atque inde argumentum deduxerimus in omnia Sacramenta Ecclesiæ?

IX. Ad rem ipsam accessuri primum monemus, quantacunque fuerit in hoc argumento Papistarum diligentia, tamen nullum ab iis prolatum testimonium nisi de Baptismo: cum tamen characteris priuilegium æque vindicent confirmationi, Ordinibusque; quibus & Sacramenti nomen imponunt; negantque iterari posse. Vnde factum: diuinent lectores. Certe non solent Papistæ, præ nimia modestia, diuitias suas occultare. Quo loco libet ἐν παρόδῳ admonere locum illum Clementis Alexandrini, quem Cotonus recitauit ex Eusebii libr. 3. hist. cap. 17. mirum in modū falsatum esse interpretatione Christophorsoni; reddentis ad hunc modum, *Episcopus ille adolescentulum sibi concreditum in domum suam recipiens, educauit pro suo, in officio continuit, fouit humaniter: ad extremum Baptismi Sacramento illuminauit. Postea vero, vbi sigillo Domini, id est, Sacramento Confirmationis, tanquam perfecta tutaque eius animi custodia obsignasset, nonnihil de cura & obseruatione in eo instituendo remisit.* Vide fidem hominis. Nam Eusebius de confirmatione, οὐδὲ γρῦ, οὐδὲ μῦ: sed de Baptismo duntaxat, Ὁ δὲ πρεσβύτερος ἀναλαβὼν οἴκαδε τὸν παραδοθέντα νεανίσκον, ἔτρεφε, συνεῖχεν, ἔθαλπε, τὸ τελευταῖον ἐφώτισε. καὶ μετὰ τοῦτο ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας καὶ φυλακῆς, ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ κυρίου. Quæ sic oportuit reddita, *Presbyter hunc sibi traditum iuuenem assumpsit domum, aluit; continuit, fouit; denique baptizauit: ac deinceps remisit multam illam curam ac custodiam, vtpote imposita ei perfecta custodia, sigillo Domini.* Videlicet sigillum Domini ipsum intelligendum Baptisma: Vnde Rufinus, neglectis verbis sensum sic expresserat: *Ad vltimum etiam Baptismi gratiam tradit. Post hæc etiam velut confidens gratiæ, qua fuerat communitus, paulo indulgentius iuuenem habere cœpit.*

X. Bene: quod sibi Cotonus non est passus imponi à Christophorsono. Sed in Epiphanii hæresi 30. profecto Bellarminus & Valentianus ipsi sese ἐφενάκισαν. Ille notans signaculum Christi: iste signaculum Circuncisionis comparatum signaculo Baptismi. Vterque præter autoris mentem. Nam in priori nullus Baptismus est; sed signaculum crucis. Narratur enim historia cuiusdam mulieris famosæ, in balneo immodestius pulsatæ à quodam iuuene, ὑπὸ ἀκολασίας, ἡ δὲ, inquit, ἑαυτὴν ἐσφραγίσατο εἰς ὄνομα χριστοῦ, *Illa seipsam signauit in nomine Christi,* οἷα δὴ χριστιανὴ οὖσα, *vtpote Christiana.* An seipsam baptizasset & in balneo? & paulo post, cum conuersus esset iuuenis ad incantamenta, irrita notauit, διὰ γὰρ τῆς σφραγῖδος τοῦ χριστοῦ καὶ πίστεως ἐβοηθήθη ἡ γυνή, *quia signaculo Christi, & fide iuuaretur mulier.* Et paulo post, οὐκ ἴσχυσεν, ἔνθα ὄνομα χριστοῦ καὶ σφραγὶς σταυροῦ, φαρμακείας δύναμις, *Irrita est incantationis potentia, vbi nomen est Christi: & signaculum crucis.*

XI. Sic Bellarminus peccauit. Leuius Valentianus vsurpans postrema eius hæreseos: vbi fateor agi de Baptismo: sed tanquam signaculo corporis; non animæ. Comparauit enim Epiphanius Circuncisioni signanti vnam duntaxat corporis particulam; cum Baptisma totum corpus signet. Christus, inquit, venit δοὺς τὴν τελείαν περιτομὴν τῶν αὐτοῦ μυστηρίων, οὐκ ἐν ἑνὶ μέλει μόνῳ, ἀλλ᾽ ὅλον σῶμα σφραγίζας, *dans perfectam Circūcisionem suorum mysteriorum, non in vno membro solo sed totum corpus signans.* καὶ οὐκ ἐπιπροσθεῖ ἐν ἀγῶνι τῶν ἀνδρῶν μόνον κατὰ τὴν ἀσθένειαν τὴν σφραγῖδα παρέχων, ἀλλὰ λαῷ ὁλοτελεῖ διὰ τῆς σφραγῖδος τὲ συνδέων καὶ ἀγαθῆς διδασκαλίας τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ἀποκαλύπτων. *Neque per defectum vni ordini virorum duntaxat per impotentiam signaculum præbens, sed integro populo per signaculum, & mandata, bonamque disciplinam regnum cœlorum aperiens.* Atqui signari corpus Baptismo, neque negat quisquam nostrûm; neque nunc disputandum erat: nam characteris sui subiectum agnoscunt Papistæ animum.

XII. Sed & potest ex eo loco alter explicari cōmode ex heresi 8. quæ indicatur à Bellarmino, Valentiano, Vasque; ἡ περιτομὴ σαρκικὴ ὑπηρετήσασα χρόνῳ ἕως τῆς μεγάλης περιτομῆς, τουτέστι τοῦ βαπτίσματος τοῦ περιτέμνοντος ἡμᾶς ἀπὸ ἁμαρτημάτων, καὶ σφραγίσαντος ἡμᾶς εἰς ὄνομα θεοῦ. *Circuncisio carnalis inseruiuit tempori, ad magnam vsque circumcisionem, hoc est, Baptismum, qui circuncidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei.* Quid enim est, quominus intelligamus, vt in 30. ὅλον σῶμα σφραγίζας, καὶ περιτέμνων ἀπὸ ἁμαρτίας, *totum corpus signans, circumcidens peccato.*

XIII. Quid? quod Ambrosius & Chrysostomus, & Areopagita frustra citantur? Testem audi de primis duobus Vasquen Iesuitam, *Mitto,* inquit, *testimonia Chrysostomi & Ambrosij, quæ ab aliquibus afferri solent: eo quod nō satis accommodata mihi videantur.* De Areopagita paulo post. *Mitto alia aliqua testimonia Patrum pro charactere Baptismi, quæ, me iudice, parum habent momenti: inter quæ est quoddam ex Dionysio secundo capite, de cœlesti Hierarchia: quod licet Dominico Soto videatur efficacissimum, si conferatur cum Græco exemplari, mihi tamen non ita probatur.* Videlicet Bellarminum, Cotonum, alios, verborum titillauit strepitus; vt quum signaculum legerent statim exclamarent, se in faba quod pueri clamitant, reperisse. At Vasques rem potius attendendam putauit.

XIV. Addo inutilia esse, quæcunque sigillum dicunt, nec definiunt, describuntve. Sic Theodoretus, sic Chrysostomus, etsi signari nos dicant Spiritu, tamen de Baptismo nihil exprimunt. Accipi autem Spiritum sine Baptismo, nimirum & ante Baptismum, & post Baptismum, nemo est qui neget.

XV. Sed & Augustinus, quod sciam, sic characterem dixit, vt non designauerit Sacramenti vllum effectum; imo potius Sacramentum ipsum. Locos recense, Sexti de Baptismo c. 1. *Ouem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacib. deprædatoribus suis foris acceperat.* Epist. 23. *Quæ consecratio reum quidem facit hæreticum extra Domini gregem habentem Dominicum characterem.* Et 50. *Plus habet iuris quod in eis character agnoscitur.* Et 204. *Et vos oues Christi estis, Characterem Dominicum portatis in Sacramento quod accepistis.* In Ioan. tract. 6. *Non mutatur, sed agnoscitur: Character est regis mei: non ero sacrilegus: corrigo desertorem, non immuto characterē.* Secundi contra Petilian. vlt. *Destruimus perfidiam desertoris, non destruimus characterem Imperatoris.* Primi contra Crescon. 30. *Neque propterea immutandus vel improbandus est regius character in homine, si erroris sui veniam & militandi originem* (an ordinem potius) *à rege impetrauerit; quia eundem characterem, quo sibi satellites congregaret, desertor infixit: aut propterea signa mutanda sunt ouibus cum Dominico gregi sociantur, quia eis Dominicū signum fugitiuus seruus impressit.* Tract. 5. in Epist. Ioan. *Si non habet* caritatem, *characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur*

XVI. Sic Augustinus loquutus: nec vnquam aliter: vt baptismum ipsum characterem appellaret: nunquam autem baptismi effectum; & quidem diuersum à baptismi gratia. Sed & nota; hæc illi dicta disputanti contra Donatistas de iteratione baptismi, cum vellet negare, baptismum hæreticorum respuendum; negauit characterem non agnoscendum. Nonne patet idem fuisse characterem & baptismum? At hoc nostri negant Papistæ: & suam omnem subtilitatis laudem eiurarint potius, quam concesserint non disparari Sacramentum & characterem.

XVII. Nec Augustinus solus. Sed alij omnes. Certe Clemens ille apud Eusebium, nihil nisi baptisma voluit. Nihil aliud Cyrillus, Μέγα τὸ προκείμενον βάπτισμα: *Magnum est quod proponitur Baptisma: captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum,* σφραγὶς ἁγία, ἀκατάλυτος *signaculū sanctum, nec solubile* Nihil aliud Basilius, μὴ σφραγισθεὶς τῷ βαπτίσματι, *non signatus Baptismate.* Nazianzenus, qui inter varia Baptismi nomina sigillum numerat, Δῶρον καλοῦμεν, χάρισμα, βάπτισμα, χρῖσμα, φώτισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα, λουτρὸν παλιγγενεσίας, σφραγῖδα, *Donum vocamus gratiam, baptismum, vnctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lauacrum, sigillum.* Viden, ἰσοδυναμοῦν, *Baptismum, & sigillum?* Nihil aliud Epiphanius hæresi 30. ὅλον σῶμα σφραγίζας, *totū corpus signans.* Nihil Damascenus aliud, ἀρχὴ ἑτέρου βίου γίνεται ἡμῖν ἡ παλιγγενεσία, καὶ σφραγὶς, *Initium alterius vitæ fit nobis regeneratio, & signaculum.*

XVIII. Bellarminus negat apud Augustinum, & alios Patres, characterem posse esse externum symbolum. Et disputat primo, quia dicant esse in anima; non in corpore: esse spiritale; esse quandam consecrationem. Secundo, quod dicant inhærere, manere, esse indelebile: quod non conuenit externo symbolo. Tertio, si symbolum externum esset character, omnia Sacramenta imprimerent characterem. Cur ergo nullus Eucharistiam dixit?

XIX. Imo Bellarminus negat nugas suas: non solutionem nostram. Neque enim dictum nobis characterem esse externum symbolum: sed Sacramentum ipsum. Augustinus de Actis cum Emerito, *Ego quando venio ad fratrem meum, & colligo errantem fratrem meum, attendo fidem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Iste est character Imperatoris mei. De isto charactere militibus suis, vel potius comitibus suis, vt hunc imprimerent eis, quos congregabant castris eius, præcepit, dicens, Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et post, *Respondes, & dicis mihi, sed habeo Sacramentum. Habes agnosco: propter hoc te quæro. Magnam causam addidisti quare te diligentius quæram. Ouis enim de grege Domini mei, cum signo errasti. Ideo quæro magis, quia ipsum signum habes. Quare vnam Ecclesiam non possidemus? Vnum signum habemus, quare in vno ouili non sumus? Ideo te quæro, vt hoc Sacramentum sit tibi in salutis adiutorium.* Epist. 204. *Characterem Dominicum portatis in Sacramento quod accepistis.*

XX. Hinc apparent inutiles instantiæ. Nam Sacramentum integrum & in anima est; propter rem significatam, quæ corporis non est; & est tamen Sacramenti pars præcipua. Est etiam spiritualis procul dubio: non enim esset in animo. Et hærere, quis dubitet? Imo Augustinum audi, tract. 5. in Ioan. *Habes Baptisma? Habeo, dicit. Quandiu habeo dicit, inquis, non sum daturus. Et noli dare: hærere in me non potest: quia quod accepi, auferri à me non potest.* En tibi Baptisma auferri non posse. Ipsum, inquam, baptisma: non characterem baptismatis. Denique cur non omnia Sacramenta, sic characterem imprimant? Sunt enim omnia inter notas Christianitatis. Non dictum Patribus: fortasse, inquam: sed an negatum? Nam neque de Ordinibus dictum, neque de Confirmatione. Quanquam, negari etiam potest, quia peculiaris in eo baptismatis ratio. Nam character rationem habet initiationis; quæ in Eucharistia non est: sed tantum in baptismo.

XXI. Sed vrget indelebilem. Quasi vero non & nostra sit doctrina, gratiam Dei amitti non posse; esseq; ἀμεταμέλητον. Et hanc quidem fateor non omnibus conferri baptizatis: puta hypocritis: sed quid ad me? Præscriptum est enim attendendum esse vsum Sacramentorum, ex propria institutione, non abusum ex hominum nequitia. Est autem verum in baptismate legitime collato, legitime accepto, dari gratiam: & esse sigillum: Ergo si gratia amitti nequeat; sigillum cur non dixeris indelebile.

XXII. Quanquam Basilius σφραγῖδα dixit ἀνεπιχείρητον: signaculum cui manus inferri nequeant, recte Bellarmino inuiolabile: qua mente Cyrillo, ἀκατάλυτον. Videlicet, quia, vt notat Nicetas ad 40. oration. Nazianzeni, notat. 4. *Sigillum, quoniam per eum consignati, cuiusnam Domini simus, cognoscimur, atque ab insidiis tuti conseruamur. Quod enim sigillo aliquo notatum est, furum aggressioni minime patet.* Sed & Nazianzenus ipse, σφραγῖδα ὡς συντήρησιν, *Sigillum, quia conseruatio est.* Scilicet Diaboli proponuntur tanquam fures, rapientes dominicas oues: contra eorum nequitiam hæc tutela data. Itaque Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 1. ἐκεῖ τὴν σωτηριώδη δίδωσι σφραγῖδα τὴν θαυμασίαν, ἣν τρέμουσι δαίμονες, καὶ γινώσκουσιν ἄγγελοι. ἵνα οἱ μὲν φύγωσιν ἐλαυνόμενοι, οἱ δὲ περιέπωσιν ὡς οἰκεῖον, *Illic salutare sigillum imprimit illud admirandum, quod tremunt dæmones, & agnoscunt Angeli: ita vt illi quidem fugitent abacti: hi vero comitentur tanquam familiare.* Quæ omnia procul sunt à charactere Papistico. Nam hic certe si perseueret indelebilis mediis in gehēnæ flammis: quomodo dici potest ἀνεπιχείρητος? Quomodo non violatur à furibus? quomodo tandem timetur à dæmonibus?

XXIII. Quid? quod suum characterem promiscuum omnibus esse volunt Papistæ? Audiant ergo à suo Cyrillo; non tantū in præfatione Catecheseon, Simonē Magū baptizatū esse, non illuminatū: corpus lauisse aqua, cor autē non illustrauisse spiritu: quod illi eludant fortasse; sed etiā catechesi 1. ὥσπερ οἱ μέλλοντες στρατεύειν ἐξετάζουσι ἡλικίας καὶ τὰ σώματα τῶν στρατευομένων, οὕτω καὶ ὁ κύριος στρατολογῶν τὰς ψυχὰς, ἐρευνᾷ τὰς προαιρέσεις· κἂν μὲν ὑπόκρισιν ἔχῃ τις κρυπτομένην, ἀποβάλλει τὸν ἄνθρωπον, ὡς τῆς ἀληθοῦς στρατείας ἀνεπιτήδειον· εἰ δὲ ἄξιον καταλάβῃ, τούτῳ δίδωσιν ἑτοίμως τὴν χάριν· οὐ δίδωσι τὰ ἅγια τοῖς κυσίν, ἀλλ᾽ ὅπου βλέπει τὴν ἀγαθὴν συνείδησιν, ἐκεῖ τὴν σωτηριώδη δίδωσι σφραγῖδα τὴν θαυμασίαν, *Quemadmodum qui milites sunt conscripturi, & ætatem & corpora deligendorum ad pugnam diligenter excutiunt: sic & Dominus, delectum faciens animarum, vo-*

luntatem illarum ſerutatur, & ſi quis hypocriſin habeat occultatam, reiicit hominem, tanquam veræ militiæ non idoneum, ſi vero dignum inuenerit, huic libenter confert gratiam. Non dat ſancta canibus, ſed vbi videt bonam conſcientiam, illic ſalutare dat ſigillum illud admirandum. Audin, nec promiſcue gratiam, nec promiſcue ſigillum dari? At hoc ferre non poſſunt Papiſtæ. Nos poſſumus, qui etſi Baptiſmum promiſcue dari confitemur; tamen conſiderandum diximus ex vſu legitimo, indeque dicendum σφραγῖδα, ſignaculum.

XXIV. Vnus ſupereſt Areopagita; cuius hęc verba, Τὸν δ᾽ οὕτως ἀναγόμενον ἡ θεία μακαριότης εἰς τὴν ἑαυτῆς μετουσίαν εἰσδέχεται, καὶ τοῦ οἰκείου φωτὸς, ὥσπερ τινὸς αὐτῷ σημείου μεταδίδωσιν, ἔνθεον ἀποτελοῦσα, καὶ κοινωνὸν τῆς τῶν ἐνθέων ἀποκληρώσεως καὶ ἱερᾶς καταστάσεως· ὧν ἐστι σύμβολον ἱερὸν, ἡ τοῦ ἱεράρχου τῷ προσιόντι δωρουμένη σφραγὶς, καὶ τῶν ἱερέων ἡ σωτηριώδης ἀπογραφὴ τοῖς σωζομένοις αὐτὸν ἐγκαταλέγουσα, *Eum qui ita deducitur, beata diuinitas in communionem ſui recipit, eique lumen ſuum, quaſi ſignum tradit, dum diuino eum numine afflat, ſortiſque ac ordinis eorum qui diuino numini permoti ſunt, participem facit, quæ quidem omnia ſignificat ſignum Pontificis, quod dat venienti, Sacerdotumque ſalutaris illa deſcriptio, quæ & eum annumerat iis, qui ſalutem conſequuntur.* Hic ille locus, plenius tamen deſcriptus ex verſione Perionij.

XXV. In eo explicando laborarunt, Scotus, Durandus, Biel; negantes aptum characteri Papiſtico probando: Scotus, *Illæ autoritates,* Dionyſij & Damaſceni, *videntur tantum eſſe vocales, & non ad intentionem eorum.* Docent non ipſum Baptiſmum; ſed aliquid præcedens deſignari. Durandus ſic expreſſit, B. *Dionyſius, à quo prima traditio characteris nobis aduenit, videtur idem ſentire cum eo quod dictum eſt de charactere;* nimirum eſſe ſolam relationem rationis, per quam ex inſtitutione vel pactione diuina deputetur aliquis ad ſacras actiones: *Recitat enim quendam ritum qui obſeruabatur in primitiua Eccleſia, quando adulti baptizabantur, tunc enim accedenti ad Baptiſmum hierarcha, id eſt, Pontifex; & manum imponebat; & ſignabat eum ſigno crucis, & præcipiebat eum adſcribi inter nomina Chriſtianorum, vt de cætero cum aliis ad diuina admitteretur. Et iſte ritus exterior cum Baptiſmo erat characterizatio ſua; nec de alio charactere loquutus eſt Dionyſius.*

XXVI. Sic illi, quos nondum vidi à quoquam refutatos. Sed id pertinet ad iſta, *Quæ quidem omnia ſignificat ſignum Pontificis, quod dat venienti.* Græce, ὧν ἐστι σύμβολον ἱερὸν, ἡ τοῦ ἱεράρχου τῷ προσιόντι δωρουμένη σφραγίς: Vbi nomen σφραγῖδος toto hoc argumento celebre, quod tamen hic non pertinet ad Baptiſmum, ſed repetitur ex ſecunda parte capitis, in quo myſteriũ explicatur; cum rogatus Antiſtes vt per eum liceat θεοῦ καὶ τῶν θείων τυχεῖν, *Dei, diuinarumq; rerum fieri participẽ:* ἐπιτίθησιν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ τὴν χεῖρα καὶ σφραγισάμενος ἀπογράψασθαι κελεύει τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα καὶ τὸν ἀνάδοχον: *Imponit eius capiti manum, & ſignatum iubet Sacerdotes deſcribere, vna cum ſuſceptore.* Illud inquam, ſignatum, hic deſignatur per σφραγῖδα. Itaque σφραγὶς non potuit ſignificare internam illam qualitatem ſiue animæ impreſſam, ſiue facultatibus.

XXVII. Sed noſtri Sophiſtæ, hærent illis duntaxat vocabulis; *lucem ſuam perinde ac ſignum aliquod tradit.* Quæ & alio pertinent; & placuerunt, tum propter ſignum, cum character ſit ſignum, & propter lucem, quam internam eſſe oporteat. Sic enim interpretor Sophiſtarum mentem, quam tamen nuſquam inuenio ab eis expreſſam, ſed ſemper nude recitata verba. Verum attendere oportuit, dictum, maieſtatem diuinam, ad ſui ipſius participationem admittere, & propriam lucem impertiri, οἰκείου φωτὸς μεταδιδόναι. Sicut legimus apud Baſilium oratione illa toties laudata: Διὰ τὴν βαπτίσματος τῷ θεῷ οἰκειοῦται ὁ προσαγόμενος· καὶ φῶς καθαρὸν καὶ οὐράνιον ταῖς τῶν προσιόντων ψυχαῖς διὰ τῆς εἰς τὴν τριάδα πίστεως ἀναλάμπει. *Per Baptiſma admittitur à Deo tanquam proprius, is qui deducitur, lumenque purum ac cæleſte mentibus accedentium per fidem in Trinitatem affulget.* Vnde conſequens eſſet, characterem eſſe ipſam Deitatis participationem, luciſque diuinæ. Quod abſurdum in charactere indelebili; id eſt, deferendo ad inferos, medioſque gehennæ cruciatus; vbi quænam Dei eſſe poteſt participatio? At certe lux nulla; ipſis fatentibus Papiſtis, qui contra in eo ſtatu nihil niſi tenebras exteriores deſcribunt, & bene.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS.

De SACRAMENTIS VETERIS TESTAMENTI.

Caput Primum.

DE VI ET EFFICACIA SACRAMENTORVM.

DE Sacramentis pertinentibus ad Vetus Teſtamentum, deq; eorum efficacia diſputant animoſe Papiſtæ. Vetuſtiores Scholaſtici in 4. Sent. diſt. 1. Biel q. 3. de Palude 6. de Rubione 3. Durandus 5. de Orbellis 3. Item Thomas par 3, q. 62 art. 6. Recentiores. Lindanus Panopliæ lib. 4 c. 2. Tiletanus Defenſionis Tridentinæ p. 2. in Canonem 2. de Sacramentis. Polygranus in aſſertionibus, c. de aliis Sacramentis. Archangelus Rubeus in 1. diſt. 4 Lorichius in Fortalitio, c de Sacramentis, hæreſi 3. Horantius Locorum lib. 7. c. 2 Bellarminus de Sacramentis, lib. 2. c. 12. & ſeqq. Gre. de Valentia tomo 4. in Thomam, diſp. 3. q 3. p. 3. & q. 6. p. 1. Suares de Sacramentis, diſp. 6. ſect 2. & diſp. 10. Vaſques in 2. 2. diſpu. 183. & 184. Dominicus Soto in 4. Senten. diſt. 1. q 3. art. 6. & diſt. 2. q. 1. art 4. Cotonus Inſtitutionis lib. 3. c. 39. Bailius in Catechiſmo tract. 3. quæſt. 1.

[Cat. R. de sacr.]

II. Catholici: Petrus Martyr Locorum Communium claſſis 4. c. 7. para. 7. Caluinus Inſtitutionis lib 4. c. 14. ſect. 21. ac ſequen. VVolfang. Muſculus in Locis Communibus, de ſignis Sacramentalibus c. 8. Beza in Cyclope ad obiectionem 3. in 4. argum. Heshuſii, & parte 2. Quæſtionum & Reſponſionum, n. 69. & ſeqq. Polanus Syntagmatis lib. 6. c. 51. parte extrema. Valentinus Hellopœus de tota re Sacramentaria, tract. 1. c. 10. Ioan. Iacob. Grynæus Theſibus de vtriuſq; Teſtamenti Sacramentis. Andreas Riuetus Catholici Orthodoxi tract. 5. q. 1. Chemnitius Examinis part. 2. ad Canonem 2. ſeſſionis Tridentinæ 7.

III. Verba hæc ſunt Canonis Tridentini, *Si quis dixerit, ea ipſa nouæ legis Sacramenta, à Sacramentis antiquæ legis nõ differre, niſi quia ceremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi: anathema ſit.* Breuius, & obſcurius, inquit Bellarminus, ego etiam, ſtolidius. Nam quos damnat? forte Anabaptiſtas: commune odium Dei atq; hominũ, quorum tamen Tridentinis Prælatis minima cura fuit, quia Lutheri longe maior, & Caluini, & ſimilium, quos in hoc capite, vel ſolos inſectantur, quodcunque hodie Papiſtarum eſt diſputaturientium. Et tamen Lutheri, Caluini nihil damnatur hoc canone. Vt omnino neceſſe ſit fateri, vel ſtolidiſſime conceptum canonem, non attingentem ea quæ nunc damnantur à Papiſtis vel Papiſtas hodie furioſe damnare, quæ ne attingere quidem Concilium auſum ſit.

IV. Catholici docent conuenire Sacramenta vetera cum nouis, omnibus iis capitib. quæ ſunt de Sacramenti natura, ſed multis tamen differre; atque adeo tanto eis præcellere nouo; quanto Teſtament. ipſum Nouum, præſtet Veteri. In quo non habent quod nobis ſuccenſeant Papiſtæ, ij ſaltem, quib. perſuaſum συνωνύμως vtraq; dici Sacramenta, in quorum numero nihil cauſæ eſſe putem, quominus Tridentinos illos Patres ponamus, etſi nominatim de eo nihil decretum voluerint, eam forte ob cauſam, quam alias notauimus, vt neutri ſuorum Scholaſticor. parti præiudiciũ facerent, ne libere nugari liceret. Veruntamen in capitum enumeratione huius, ſiue conuenientiæ, ſiue differentiæ certum eſt à nobis Papiſtas diſcedere.

V. Enimuero Sacramenta conſiderantur vel in ſignis vel in rebus. In ſignis manifeſta tum diuerſitas eſt, tum etiam præcellentia. Notat Bellarmin. vtrinq; concedi; primum, alios ritus eſſe externos: quod docent ipſi ſenſus. Secundo olim plura fuiſſe, nunc pauciora Sacramenta, quanquã pauciorum numerum Papiſtæ conati ſint augere, & vix abſtinuerunt, quominus extenderent in infinitum, niſi quod nomine abſtinent, nam reapſe, plurima ſunt, quibus ex traditione haud diſſimilem vim tribuant. Tertio; nũc eſſe faciliora; olim duriora: quanquam in ſua Sacramentali pœnitentia, quanto faciliores ſint Papiſtæ non video, certe nunquam Iudæis laudata fuit carnificina Pontificiarum pœnitentiarum, ſiue ſatisfactionum. Quarto, nobiliora eſſe noua, ratione autoris, vtpote à Chriſto ipſo immediate inſtituta, cum vetera ita fuerint à Deo, vt tamen per Moſen, quæ prærogatiua eſt totius Noui Teſtamenti; quam vrget Paulus 1. ad Hebræos, & ſecundo. Quinto, Vetera illa fuiſſe ad tempus; id eſt, ad vſq; priorem aduentum Meſſiæ: at noua, perventura ad finem mundi, cum ſecundo Meſſias oſtenſurus eſt gloriã ſuam.

VI. Addit ſextum Bellarminus; de quo tamen non prorſus conuenit, quanquam ille aſſerat, fuiſſe vetera, nouorum figuras. Nos potius ἀντίτυπα: quo ſenſu Petr. arcam dixit eſſe Baptiſmi ἀντίτυπον: non quomodo apud Patres ſæpe audimus panem & vinum eſſe ἀντίτυπα corporis & ſanguinis Chriſti: id eſt, in eum finem inſtituta, vt ſint imagines rerum proxime ſignificatarum, ſed eo quod tũ arca, tum Baptiſm. eſſent eiuſdem rei ſigna; nimirum ſalutis per Chriſtum collatæ in Eccleſiam, qua ratione videlicet apud Græcos grammaticos ἀντίστοιχα ſunt elementa, quorum idem ſit ſonus; quanquam tempus diuerſum. Non credimus inſtitutam fuiſſe Circuncisionem vt ſignificaret Baptiſma noſtrum, quo ſenſu ſolent figuræ nominari, ſed vt eandem gratiam deſignaret cum Baptiſmo; id eſt, remiſſionem peccatorum. Itaque non putamus hoc vllũ caput eſſe; quo noua Sacramenta præſtent veteribus.

VII. Nunc, quũ Sacramenta conſideranda ſunt in altera ſui parte, i.e. rebus ſignificatis, diſtinguimus rem ipſam, à modo rei. Rem pronuntiamus vtrinq; eandem eſſe. Caluin. in Antidoto illius Canonis Tridentini, *Quando Sacramentorum vtriuſq; Teſtamenti idem eſt autor, eædem promiſſiones, eadem veritas, & idem in Chriſto complementum, merito dicimus, externis ſignis inter ſe differre, in illis autem rebus, quas cõmemoraui, vel ſummatim in re ipſa conuenire. Sunt enim doctrinæ appendices, atqui doctrinæ eadem ſubſtantia. Sequitur ergo, id quoq; in Sacramenta competere.* Idem in Inſtit. § 20. *In eundem, in quem nũc noſtra intendunt, ſcopum, & vetera illa ſpectarunt, vt ipſi vt ad Chriſtum dirigerent, & pene manu deducerent, aut ipſum potius, ceu imagines repræſentarent, ac cognoſcendum proferrent.* Summa eſt vtrorũq; Sacramentor. alteram illam partem, quæ ſolet nominari, Res Sacramentorum; haud aliam eſſe, quam Chriſtum ipſum, beneficiaque ab eo in homines ſaluandos deriuata.

VIII. Veruntamen modum rei differre. Primo enim vetera Chriſtũ promiſſum cum adhuc exſpectaretur, adumbraſſe: noua, iam præſtitum & exhibitum teſtari, quæ verba ſunt Caluini, eodem loco. Et ſect. 22. *Quin*

vberior

vberior etiam Spiritus gratia hic se proferat, si tempus cum tempore comparetur, non dubium est. Nam id ad regni Christi gloriam pertinet. Hinc iam geminum colligas priuilegium: quod vtrumque expressum in Antidoto, *Neque tamen interea negamus, quin vberior sub Christi regno percipiatur gratia. Atque ideo solemus duplicem notare differentiam: quòd Sacramenta nostra non procul Christum, tanquam absentem indicent, sed quasi digito ostendant exhibitum. Deinde, quòd pro ampliore reuelationis modo sit etiam gratiæ communicatio vberior.*

IX. Itaque planè mentitur Bailius; Caluinum lib. 4. Institut. c. 14. § 23. negare vllum esse discrimen inter Sacramenta vetera & noua. Magnum testimonium Iesuiticæ impudentiæ; quam nulla cohibeat propria religio; non etiam alienus aut metus aut pudor. Sed & Gregorius de Valentia calumniatur, qui nos contendere, per Sacramenta veteris legis, non secùs atque per nostra, fuisse collatam atque exhibitam gratiam hominibus: neque nostra magis quàm illa conferre.

X. Papistis ista discrimina non sufficiunt. Eugenius quartus in Synodo Florentina & Decreto de vnione Armenorum, sic scripsit, *Noua legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum à Sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Quæ verba admodum præcisa; latius exponuntur deinceps.

XI. Primùm, protestatur Bellarminus non esse hanc mentem, Veteres non habuisse gratiam Dei ex merito Christi: aut habuisse sine vllo organo, siue medio applicante Christi merita: sed tantum id discriminis esse in Sacramentis, quòd alia conferant, alia significauerint tantùm. Portò, potuisse Patres gratiam, etsi non per Sacramenta, tamen habere per fidem. Videtur ergo concedere Patribus sub lege eandem fuisse gratiam collatam, quæ sub Euangelio confertur: at non per Sacramenta vetera; sed duntaxat per fidem. In quo non est nulla difficultas.

XII. Etenim primò, sic legimus in Catechismo ad Parochos, *Ex iis, quæ de priori Sacramentorum effectu, gratia scilicet iustificante, demonstrata sunt, illud etiam planè constat, excellentiorem & præstantiorem vim Sacramentis nouæ legis inesse, quàm olim veteris legis Sacramenta habuerunt, quæ cum infirma essent, egenaq; elementa, inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis, non animæ. Quare, vt signa tantum earum rerum, quæ mysterijs nostris efficienda essent, instituta sunt.* Hæc verò duriora, quàm vt videantur posse Bellarmini verbis molliri. Nam profectò si ea gratia, quam vetera Sacramenta tantum significabant, erat efficienda nostris Sacramentis; ergo non efficiebatur tunc, quum non erant nostra Sacramenta. Si non efficiebatur; ergo neque cuiquam tribuebatur, neque per Sacramenta, neque per fidem. Nam vt dicas, efficiendam quidem nostris Sacramentis, sed tamen effectam fuisse olim aliter, durum est, aut certè periculosè ambiguum; & inconsideratè dictum.

XIII. Secundò, nondum exprimit Bellarminus, vtrùm hæc gratia, quâ fatemur collatam per fidem; nihil attinuerit ad Sacramenta; an contrà. Hoc est, vtrùm collata fuerit in Sacramentis acceptis, per fidem eius qui acciperet, an verò sic per fidem solam; vt ea quidem ratione Sacramenta essent merè per accidens, vt cum aranei, muscæque adsunt altari cum adoratur, tanquam mera accidentia & fortuita. Viderit Bellarminus.

XIV. Ast alij distinctius. En tibi Gregorium de Valentia, *Orthodoxi doctores constanter asseuerant Sacramenta nouæ legis differre maximè à Sacramentis veteris legis, secundùm efficaciam & virtutem: non ob eam rem solùm, quòd vberior in his, quàm in illis gratia conferatur: sed quòd gratia ipsa omnino per hæc nostra Sacramenta tanquam per causas tribuatur; cùm olim in lege veteri non propriè per Sacramenta, sed in vsu duntaxat Sacramentorum virtute fidei in Christum futurum, cuius illa Sacramenta protestationes erant, gratia tribueretur.* Sic ille: Sacramentis tantam vim saltem concedens, quanta erat olim coloribus in Circo; non quidem conferentibus ad victoriam, magis quàm Veneri donatæ à virgine pupæ: sed tamen vsurpatis ad eum vsum, vt iis vestiti aurigæ currerent, currendo forte fortuna vincerent.

XV. Denique Suares distinctissimè, & assumptis vsitatis Scholæ vocibus, *Dico primo, in illis Sacramentis veteris legis nullam fuisse datam gratiam ex opere operato. Dico secundo, homines iustos vtentes illis sacrificiis vel Sacramentis de condigno illis actibus meruisse coram Deo gratiæ augmentum.* Archangelus Rubeus, *Tertia sequitur opinio, quæ communis est, & vndequaque vera: quod iustificabant quoad opus operans per modum meriti, non quoad opus operatum per modum Sacramenti: cum essent tantum signa, & non causa gratiæ.*

XVI. Sic Sophistæ laborant in fingendo, refingendo statu quæstionis; an dissimulando potiùs? quasi cùm nictant oculi ad radios Solis. Enimuero neutrum à nobis conceditur, aut Sacramenta noua conferre gratiam ex opere operato, quod libro præced. confectum est: aut Sacramenta vetera contulisse ex opere operãtis, id est, ex merito condigno vsurpantis: nam meritũ condignum suo fuit loco exsibilatum, tom. 3. lib. 14. Nos sinceriùs memores Sacramenta olim à nobis designata signa efficacia, in suo vsu legitimo; ita vt non exiliter significent gratiam; sed exhibeant Sacramentali efficacia, quæ descripta libro præcedente: nunc addimus idem genus efficacitatis veteribus adfuisse, quod nunc nouis: id est, realiter fuisse Patribus in lege per Sacramenta exhibitam gratiam, ex ipsius institutionis vi: quæ nihil habeat aut operis operati, aut operis operantis: sed duntaxat assistentem diuinæ potestatis efficaciam: eodem prorsus modo, qui Sacramentis nouis est assignatus.

XVII. Cui nostræ assertioni, negatiuam opponimus illam longè minùs artificiosam non postremorum Sophistarum: vt Thomæ: cui quæstio ponitur. *Vtrum Sacramenta veteris legis gratiam causarent:* & negatur. Neque alitèr Durando, Bicli, Dominico Soto, aliis. A qua negatione illud est Caluini § 23. *Scholasticum illud dogma, quo tam longum discrimen inter veteris ac nouæ legis Sacramenta notatur, perinde ac si illa non aliud quam Dei gratiam adumbrarint, hæc verò præsentem conferant, penitus explodendum est.*

CAP. II.

De typis Baptismi & Eucharistiæ.

I. CAtholicæ sententiæ argumenta hæc erunt. Primum ex prior. ad Cor. 10. *Nolim vos ignorare fratres, Patres nostros omnes sub illa nube fuisse, & omnes per mare transisse, & omnes in Mose baptizatos esse nube & mari. Et omnes eandem escam spiritualem edisse. Et omnes eundem potum spiritualem bibisse. Bibebant enim ex sequente spirituali Petra: Petra verò erat Christus.* Hæc Paulus, duobus Noui Testamenti Sacramentis Baptismo, & Sanctæ Cœnæ, comparans typos veteres bis binos. Illi videlicet nubem, & mare; Isti verò manna, & aquam ex Petra, Comparationisque obiectum notans, participationem rei significatæ; vtrinque eiusdem. Breuiter, Israëlitas in mari & nube fuisse baptizatos, in manna & aqua ex rupe, edisse bibisseque eandem nobiscum escam, potumque spiritualem. Inde manifestum argumentum. Baptismus est Sacramentum remissionis peccatorum non tantum significandæ, sed etiam sacramentaliter conferendæ: At nubes & mare Israëlitis fuerunt Baptismus, Ergo nubes & mare, fuerunt Israëlitis Sacramentum remissionis peccatorum, non solùm significandæ, sed etiam conferendæ sacramentaliter. Eucharistia, est communio corporis & sanguinis Christi: At manna & aqua ex rupe, fuerunt Israëlitis Eucharistia: Ergo manna & aqua ex rupe fuerunt Israëlitis communio corporis & sanguinis Christi. Non potest ergo negari Sacramenta Veteribus fuisse, quod ad rem attinet, paria nouis.

II. Argumentum impugnat prolixè Bellarminus; & primùm generaliter, deinde per partes. Prius: Caluinum & Chemnitium secum apertissimè pugnare. Repugnantiæ duo esse capita. Vnum; hæc apud Iudæos fuisse Sacramenta, & quidem iustificantia. Quæ tamen ab iisdem negentur Sacramenta fuisse. Nam Caluinum quidem definisse, Sacramenta de quibus agatur, esse ceremonias ordinarias: non verò aliquid quod semel aut iterum sit factum. § 19. Chemnitium verò posuisse in definitione Sacramenti, vt sit ceremonia quæ duret, quandiu religio ipsa. Atqui constare tales non fuisse aquam de petra, & transitum maris: quæ nec ceremoniæ fuerint, nec nisi ad breue tempus.

III. Respondeo primùm, nihil hæc ad rem. Nam contradictio, quæcunque tandem est, non obstat, quominus ea sit mens Pauli. Præterea; non esse tantam contradictionem, vt non facilè concilianda esset; si scirent Iesuitæ cum bonis bene agere. Negatum esse Sacramenta, vllo sensu? Falsum. Nam agnoscit Caluinus Sacramenta alia ordinaria, alia extraordinaria. Ipse te locus docere poterat, quem citasti Bellarmine, ex § 19. *Verum, præsentis instituti est, de his Sacramentis peculiariter disserere, quæ Dominus ordinaria esse voluit in Ecclesia sua:* Nam hæc pendent à præced. §. *Sacramenti nomen, vt de eius ratione hactenus disseruimus, omnia generaliter signa complectitur, quæ vnquam hominibus mandauit Deus, vt certiores securosq; de promissionum suarum veritate redderet. Ea verò in rebus naturalibus nonnunquam extare voluit, nonnunquam in miraculis exhibuit* Ergo Caluinus ista à Paulo recensita, nunquam negauit esse Sacramenta: sed tantùm ab ordinariis segregauit. Portò, quis prohibuit ab extraordinariis legitimum fieri argumentum? Nam quæ vis illis erat, inerat, non quia extra ordinem erant; sed quia Sacramenta: quibus additum Verbum, non potest carere suo effectu.

IV. Alterum repugnantiæ caput. Caluinum hoc loco dicere, ita esse paria Sacramenta vetera nostris, vt nulla prærogatiuæ particula nostris relinquatur: & tamen § 22. nostra esse excellentiora, eo quòd vberiorem gratiam conferant.

V. At tu calumniaris, Sophista: & quidem apertè posita fronte. Caluinum recole, *Vt apta esset comparatio, oportuit ostendere nihil esse inæqualitatis inter nos & ipsos, in iis bonis quibus falsò gloriari nos vetabat. Ergo primùm in Sacramentis pares nobis facit: nec vllam prærogatiuæ particulam nobis relinquit, quæ animos ad spem impunitatis facere queat.* Viden, primò in bonis, dictum, id est in ipsa re? Potest autem discrimen nihilominus esse in modo rei. Deinde audin, nullam prærogatiuæ particulam, quæ animos ad impunitatem faciat? Id notat, si res fuisset impar, in promptu exceptionem fuisse futuram; periisse Israëlitas, non participes beneficiorum, quorum nobis Sacramenta sunt. At hæc exceptio nulla: si re parient Vetera & Noua. Potuit ergo ita loqui vir Sanctus, vtramen non obliuiscereturdiscriminis, quod notarat, haud multo antè in modo rei. Sed Bellarmino opus erat calumniari.

XI. Ad partes argumenti transeo, vnam Baptismi, alteram Eucharistiæ. Priorem intactam video: nec à quoquam attentatam, nedum infirmatam. Et sanè ea est rei euidentia, vt insanum se traducat, qui neget. Itaque consentiunt interpretes. Salmero; *Erat autem columna nubis, quæ Israelitas protegebat ab æstu Solis in deserto, & cursum eorum dirigebat simul: & columna ignis per noctem; quæ illis Baptismi, & confirmantis Spiritus Sancti instar fuerunt.* Quanquam hoc de columna ignis à seipso Iesuita addidit. Iustinianus in paraphrasi, *Eodemque ductu Mosis, nube illa ac mari veluti quodam typico Baptismo fuisse lustratos: nam aqua quidem Baptismi materiam: nubis verò columna Spiritum Sanctum indicabat: qui, dum corpus vnda abluitur, animam expiat.* In explanatione, *In ipso rubri maris transitu, veluti Baptismo expiati.* Caietanus, *Scribitur ibidem, quod per transito mari timuit populus Dominum, qui prius murmurauerat: & credidit Domino & Moysi seruo eius: & consequenter cecinerunt canticum Domino. Hoc est enim baptizatos, hoc est ablutos fuisse omnes in Moyse, consortante eos & in nube tuente eos, & in mari præbente se eis pro muro à dextris, & à sinistris, submergente autem Ægyptios. Ex his enim abluti sunt à diffidentia diuina protectionis.* Thomas, *Et omnes in Moyse, id est, in ducatu Moysi, baptizati sunt in nube & in mari, id est, per visa signa purgati ab ignorantia; vel à vitiis per fidem, scilicet submersis Ægyptiis, Exodi decimo quarto. Timuit populus Dominum, & crediderunt Domino, & seruo suo Moysi. Vel baptizati sunt, id est, signum Baptismi receperunt. Nam Baptismus constat ex aqua & Spiritu. Nubes autem symbolum erat Spiritus, mare verò aquæ, vt dicit Damascenus.* Anselmus, *Baptizati sunt in nube & in mari, quia submersis hostibus suis erepti sunt à morte, quod nobis præstat Baptismus: & purgati sunt à peccatis prioribus, vt vltra non imputarentur illis: & mundati ab ignorantia Dei, quæ premebat omnes gentes, vt idonei forent accipere diuinam legem. Baptizati sunt, signum*

Baptiſmi acceperunt, quod tantundem valuit eis credentibus, quantum valet nobis ipſe Baptiſmus. Auguſtinus in Ioann. tract. 45. *Mare rubrum ſignificat Baptiſmum. Moyſes ductor per mare rubrum ſignificat Chriſtum: populus tranſiens ſignificat fideles, mors Ægyptiorum ſignificat abolitionem peccatorum. In ſignis diuerſis eadem fides.*

VII. Nimirum vehementiſſima fuit nominum ἐναλλαγή. Patres baptizati fuerunt. Neceſſe, vel ſigni, vel ſignificationis gratia. At non ſigni: neque eadem ceremonia. Non verum, inquam, aut nube aut mari lota patrum corpora: quemadmodum noſtra, vnde Baptiſmo nomen. Ergo ſignificationis. Atqui hæc ſignorum Sacramentalium efficacia: hæc inquam, res Sacramentalis. Quis ergo neget à Paulo dici ſub aliis ſignis Sacramentalibus eaſdem res olim oblatas, quas poſtmodum in Euangelio? An minimè collatas? Multis concedo, quos negat Paulus placuiſſe Deo: ſed omnibus, nego: Atqui ne in Baptiſmo quidem omnibus, certum.

VIII. Supereſt pars altera: in qua negant manna & fluenta ex rupe comparari Euchariſtiæ, ſiue æquari: ſed populum populo, Iſraelem Eccleſiæ, vt ſenſus ſit omnes Iſraelitas ediſſe idem manna, bibiſſe eandem aquam: quomodo Chriſtianos eundem panem, idem poculum: non tamen omnes illos placuiſſe Deo. Hactenus ergo ſimilitudinem eſſe, quatenus idem cibus, idem potus fuit ſuis omnibus vtrinque in commune inſtitutus.

IX. Sed nos contrà, Pauli mentem ſic concipimus: Omnes Iſraelitas comediſſe eandem eſcam, bibiſſe eundem potum, in ſuis typis: quam edant, quem bibant Chriſtiani in ſuis Sacramentis. Et probamus neceſſariis argumentis: quorum hoc eſto primum, ſumptum à priori parte. Nam Paulus haud aliter Baptiſmum comparat nubi & mari: quàm Euchariſtiam mannæ, aquæque ex petra. Cùm igitur ſit oſtenſum in illa comparatione rem eandem ſignificatam eſſe fundamentum comparandi: neceſſe eſt, & in hac idem concedi. Hoc autem argumentum eſt aduerſariis diſſimulatum: an quia deſperatum?

X. Alterum. Eſus Chriſti, & potus Chriſti, res eſt Sacramenti Euchariſtiæ: At eſus mannæ, & potus aquæ fuit eſus & potus Chriſti: Ergo eſus mannæ, & potus aquæ: fuit res Euchariſtiæ. Maior non eſt dubia. Minor patet ex verbis Pauli: quæ diſertè dicunt *manna eſum ſpiritualem; potum ſpiritualem.* Et rationem addunt, *Bibebant enim ex ſequente ſpirituali Petra: Petra autem erat Chriſtus.* Fuit ergo cibus potúſque ſpiritualis; propter Chriſtum: quia ſcilicet in Sacramentis non attenditur, quid ſint, ſed quid ſignificent. Porrò Chriſtus, non aliter cibus potúſque quàm ſpiritualiter: ne in Cœna quidem.

XI. Bellarminus explicat Spiritualem cibum, potumque, non propter effectum, ſed propter cauſam & ſignificationem. Et tamen ſignificationem, nec verbulo quidem explicat: totus occupatus in cauſa. Non rectè, nam & nos ſignificationem admittimus, veramque cauſam dicimus, eius appellationis: eandem porrò eſſe effectum Sacramentorum: itaque idem eſſe, cibum, potumque dici ſpiritualem propter ſignificationem: & dici propter effectum.

XII. Sed cauſam ille ſic interpretatur: quia vtrumque productum erat per miraculum, opera Angelorum: teſtibus Chryſoſtomo, & Theophylacto. Atque inde Pſalm. 78 manna dici panem Angelorum: non quòd eo veſcerentur Angeli, ſed quia feciſſent. Præterea, ipſam aquam ſpiritualem vocari: ſed Petram, eius aquæ cauſſam. Huius totius interpretationis argumentum illi, ex Ioann. 6. *Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vnde manifeſtum, non fuiſſe manna panem ſpiritualem, quoad effectum, vt Euchariſtiam.

XIII. Aſt ego obſeruo primum omnium noſtram interpretationem nullo argumento impugnari: ſed aliam tantùm opponi, & confirmari. Cùm tamen illud etiam factum oportuerit: ſi ſolidè diſputatum vellet. Dico enim nihil obſtare quominus, quæ miraculoſa ſunt, ideoque ſpiritualia, propter cauſam: ſint etiam Sacramenta, & ſpiritualia propter effectum. Et ſic à quibuſdam Sacramenta diſtribui, in naturalia, & miraculoſa.

XIV. Deinde, dici hìc Paulo ſpiritualem cibum & potum propter cauſam, falſum eſt: dicuntur enim propter Chriſtum ſignificatum. Inde dictum, *Petra autem erat Chriſtus:* non, inquam, Chriſtum ex Petra riuum eduxiſſe: ſed ipſam Petram fuiſſe Chriſtum: quod neque aliter dici potuit, quàm ſpiritualiter: neque aliter intelligi, quàm per ſignificationem: qui effectus eſt omnium, ſignorum, typorum, Sacramentorum: Deinde ponderandum, dici cibum ſpiritualem, potum ſpiritualem: non verò manna ſpirituale, aquam ſpiritualem: quoniam re vera; manna quatenus manna, & aqua quatenus aqua, res erant corporales, quomodocunque factæ: ſpirituales autem dictæ duntaxat, quatenus talis cibus, talis potus, id eſt ſpiritualiter: prorſus, qua ratione noſtra ſunt Sacramenta ſpiritualia.

XV. Do teſtes. Chryſoſtomum. Καὶ τοῦτο μὲν τοῦ λουτροῦ σύμβολον. τὰ δὲ μετὰ ταῦτα τῆς ἱερᾶς τραπέζης. Καθάπερ γὰρ σὺ τὸ σῶμα ἐσθίεις τὸ δεσποτικόν, οὕτως ἐκεῖνοι τὸ μάννα. καὶ ὥσπερ σὺ τὸ αἷμα πίνεις, οὕτως ἐκεῖνοι τὸ ὕδωρ ἐκ πέτρας· εἰ γὰρ καὶ αἰσθητὰ ἦν τὰ γινόμενα, ἀλλὰ πνευματικῶς παρείχετο. οὐ κατὰ φύσεως ἀκολουθίαν ἀλλὰ κατὰ δωρεᾶς χάριν, καὶ μετὰ τοῦ σώματος καὶ τὴν ψυχὴν ἔτρεφεν εἰς πίστιν ἐνάγοντα, *Et id quidem eſt lauacri ſymbolum: quæ ſequuntur autem ſacræ menſæ. Quomodo enim tu comedis corpus Domini, ſic illi manna: & quomodo tu bibis ſanguinem, ſic illi aquam è petra. Nam etſi ſenſilia erant quæ fiebant, præbebantur tamen ſpiritualiter: non ex naturæ conſequentia, ſed ex doni gratia; & cum corpore animam quoque nutriebant, ad fidem inducentia.* Theophylactum, *Hæc Paulus ſpiritali quodam differit ſenſu. Nam etſi hæc ſenſibilia erant, haud tamen naturæ conſentanea, ſed Spiritus gratia gerebantur: quæ gratia cum corpore vnà & animas aleret, & ad fidem & credulitatem induceret.*

XVI. Auguſtinum in Pſalm. 77. *Omnes quidem eundem cibum ſpiritalem manducauerunt, & eundem potum ſpiritalem biberunt, id eſt, ſpirituale aliquid ſignificantem.* In Ioann. tract. 26. *Et adiungit: & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpiritali.* Oecumenius, Πνευματικὸν καλεῖ καὶ τὸ βρῶμα καὶ τὸ πόμα ὡς ἂν τοῦ πνεύματος ἄμφω διὰ τοῦ Μωσέως καὶ τὴν ἀπόρρητον αὐτοῦ παρέχοντος δύναμιν, *Spiritualem cibum & potum, vtpote quem vtrumque Spiritus per Moſen, præberet ſecundum ſuam arcanam virtutem.* Anſelmum, *Manna enim & aqua illa dicuntur nunc ſpiritualis cibus & potus: quia non mundi lege, ſed Dei virtute ſine elementorum commixtione ad tempus creati ſunt, habentes in ſe figuram corporis & ſanguinis Domini.* Quæ verba fermè totidem leguntur in Commentarijs Ambroſij, *Hæc dicit ſpiritalia: quia non mundi lege parata ſunt, ſed Dei virtute ſine elementorum commixtione ad tempus creata, habentia in ſe figuram futuri myſterij, quòd nunc ſumimus in commemorationem Chriſti Domini.* Salmeronem, *Dicitur etiam eſca & potus ſpiritalis, quia in ſymbolum & ſignificationem rerum ſpiritalium, quæ nobis exhibitæ ſunt in Nouo Teſtamento per Chriſtum data ſunt.* Sa, *Spiritualem, id eſt, ſpiritualis figuram.*

XVII. Sed Chryſoſtomus, inquit, & Theophylactus, ſpirituale dicunt, propter miraculum per Angelos. Minimè gentium, inquam. Atque adeò mirum Bellarmino hos delectos teſtes, in quibus ne ſyllaba quidem eo accedens. Potuit alios: quà recentes quà veteres. Veteres tamen vtramque explicationem exprimunt. Sic Ambroſium iam iam audiuimus & Anſelmum. Sedulius, *Ideo manna ſpiritualis cibus dicitur, quia ſpiritualiter per Angelos miniſtratum fuit: vt, Panem Angelorum manducauit homo: ſiue quia figurauit ſpiritualia, id eſt, corpus Chriſti: ſimiliter & potus dicitur ſpiritualis.* Haimo Halberſtatenſis, *Manna quod de cœlo, id eſt, de iſto aëre eis datum eſt, & aquam quæ de petra fluxit, dicit ſpiritalia eſſe: vel quia ſpiritaliter intelligenda ſunt: ſignificant enim corpus & ſanguinem Domini, quod modò conſecratur & percipitur in Eccleſia: vel quia non mundana lege, & conſuetudine parata ſunt, ſed virtute Dei ſine commixtione elementorum, aquæ videlicet & farinæ.* Lyranus, *Dicitur ſpiritualis, quia non virtute naturæ, ſed diuinæ potentiæ fuit data: & quia fuit figura Sacramenti Euchariſtiæ, quod ſpiritualiter nutrit.* Lombardus, *Dicit ſpiritualia, quia non natura, non mundi lege, ſed Dei virtute parata ſunt, ſine elementorum commixtione: habentia in ſe figuram futuri myſterij, quod nos ſumimus in memoriam Chriſti.* Neque aliter Salmero, *Vocat ſpiritalem eſcam & ſpiritalem potionem, cùm tamen eſſet temporalis & viſibilis, quia occulta & arcana Spiritus Sancti virtute data ſunt.* Et pòſt, *Dicitur etiam eſca & potus ſpiritalis, quia in ſymbolum, & ſignificationem rerum ſpiritualium, quæ nobis exhibitæ ſunt in Nouo Teſtamento per Chriſtum data ſunt.*

XVIII. Solus, quem viderim, diſtraxit Thomas, *Vocat autem eam ſpiritalem, cùm eſſet corporalis: ſed quia miraculosè fuit data.* Iuſtinianus, vtramque probat: ſed præfert miraculoſam, *Neque enim inficiandum eſt ſpiritualem eſcam vocari manna, propter ſignificationem. Simplicius tamen crediderim vocari ſpiritualem eſcam, & potum, quia diuina vi, neque ſine miraculo, vtrumque ſubitò populo fuerit exhibitum.* Quanquam in paraphraſi alteram ſolam exhibuiſſet, *Id eſt, illud manna cœlitus miſſum, quod præter externam ſpeciem, quam præferebat, cibum verè cœleſtem ac diuinum ſignificabat, quem nos Chriſti beneficio percipimus.*

XIX. Quid ergo? Nempe noſtra potior aſſertio eſt. Primò enim conſtat veram eſſe: cui omnes teſtimonium reddant: etiam, qui ex aduerſariorum grege. Nam quid tum, ſi vnus Thomas aut oblitus eſt; aut omiſit conſulto? Deinde; quia ſola vtuntur magni nominis Chryſoſtomus, Theophylactus, Auguſtinus, Oecumenius. Sed & Sa: omnes ſanè præponderantes vni Thomæ. Tertiò, quia non is vſus eſt, appellari ſpiritualia, quæcunque miraculoſa; eam ob cauſam, quòd miraculoſa. Quartò, quia nihil ad mentem Apoſtoli: cui cùm ad manum eſſent infinita miracula, æquè ſpiritualia; tamen hæc ſola delegerit; & quidem comparanda nouis Sacramentis. Vnde apparet miraculo nullam vim eſſe. Quandoquidem à nouis Sacramentis eadem concluſio deducatur, in quibus tamen nihil eſt miraculi. Denique Petram ſpiritualem Paulus explicat, quia eſſet Chriſtus: quo vel vnico argumento plenè conſtat, quid haberet in mente, cùm ſpiritualem diceret. Quid iuuat aliena anquirere? quid aliunde coniicere, cùm præſens demonſtratio eſt?

XX. Scio legi in Pſalmis *panem Angelorum* in editione Græca, & vulgata Latina. Cùm Hebraicè ſit אבירים fortuitum. Sed ita eſto tamen. At cur tam præcisè Bellarminus miniſterium Angelorum vrget? Atqui non eſt neceſſe: nam aliæ rationes multæ enumerantur à Lorino, tum ipſo illo loco, tum in 16. Sapient. Et tamen quorſum iſta? Neque enim conſtat eam rationem fuiſſe Paulo, vt vocaret ſpiritualem cibum: aut obſtat quominus hæc noſtra ratio ſit potior. Denique panis Angelorum non ſignificat cibum ſpiritualem.

XXI. Non ipſa vocatur aqua ſpiritualis: ſed Petra. At hoc mendacium eſt. Nam Paulus diſertè vtrumque; &, *Eundem potum ſpiritualem biberunt:* &, *ex ſequente ſpirituali petra.* Viden potum ſpiritualem? Atqui petra non erat potus: ſed aqua ex petra: Ergo aqua ſpiritualis. Oecumenius: πνευματικὸν καλεῖ τὸ βρῶμα καὶ τὸ πόμα, *Spiritualem vocat cibum, & potum.* Anſelmus, *Manna & aqua illa dicuntur nunc ſpiritualis cibus & potus.* Halberſtatenſis, *Mannam de cœlo, & aquam quæ de petra fluxit, dixit ſpiritualia eſſe.* Et verò, quod additum de Petra: eum habet finem, vt analogiam indicet. Nimirum ſic exiſſe de Petra aquam, vt de latere Chriſti percuſſo ſanguinem. Theodoretus, *Imitata eſt petra latus Domini: fluenta enim præter ſpem eis ſcaturierunt.*

XXII. Sed obiicit; Patres manna manducaſſe, & eſſe mortuos: Ergo non fuiſſe ſpiritualem eſcam, quoad effectum. Sed hæc conſequentia negatur. Nam mors Patrum, vel corporalis fuit, vel ſpiritualis. Si corporalis: manifeſtum eſt non valere argumentum; quia neque Sacramenta Noui Teſtamenti eſſent ſpiritualia: quæ non obſtant quin moriamur omnes: quod eſt abſurdum. Neque verò fuit vnquam datus ſpiritualis cibus, vt quenquam ab hac morte liberaret. Sin ſpiritualem mauis: atqui Paulus diſertè ait; Pleroſque non approbatos. Aliquos igitur. Atqui nunquam Sacramenta data vt omnes ſeruarentur: quare ne hæc quidem eſſent ſpiritualia. Chryſoſtomus, ἵνα δείξῃ, ὅτι ὥσπερ ἐκείνοις οὐκ ὤνησε τὸ τοσαύτης ἀπολαῦσαι δωρεᾶς, οὕτως οὐδὲ τούτους τὸ βαπτίσματος τυχεῖν, καὶ μυστηρίων πνευματικῶν ἀπολαῦσαι, εἰ μὴ μέλλοιεν ἄξιον τῆς χάριτος ἐπιδείκνυσθαι βίον, *Vt oſtendat, quòd ſicut illis non profuit quòd tantum donum ſint aſſequuti: ita nec his quòd conſequuti ſint Baptiſmum, & ſpiritualia perceperint myſteria; niſi ſint oſtenſuri vitam dignam gratia.* Similiter Oecumenius, Anſelmus, alij. Quomodo igitur non obſtat quo minùs ſpiritualia ſint quoad effectum Sacramenta noua, etſi communicantes Deus puniat: ſic neque vetera illa. Auguſtinus in Ioan. tract. 26. *Quare manducarunt. & mortui ſunt? Quia quod videbant, credebant, quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres veſtri, quia ſimiles eſtis illorum, & infidelium filiorum infideles patres. Nam quantum pertinet, fratres mei, ad*

mortem

mortem istam visibilem & corporalem, nunquid nos non morimur, qui manducamus panem de cœlo descendentem? Sic sunt mortui & illi, quemadmodum & nos sumus morituri, quantum attinet, vt dixi, ad mortem huius corporis visibilem atq; carnalem. Quantum autem pertinet ad illam mortem, de qua terret Dominus, quia mortui sunt patres istorum, manducauit manna & Aaron, manducauit manna & Moyses, manducauit manna & Phinees: manducauerunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui non sunt.

XXIII. Præterea Christus cum sic loquitur; manna comparat secum, non cum Eucharistiæ Sacramento. Ea ratio comparandi, necessariò manna considerat, quatenus est manna duntaxat: qua ratione nullam habet, aut habere potest spiritualem efficaciam: ideoque res est merè corporalis. Quomodo etiam in Sacramentis Christianis signa, si opponantur rebus suis, nihil sunt quàm res naturales & caducæ: sicut Origenes in Matth. 15. *Ille cibus, qui sanctificatur per verbum Dei, perq; obsecrationem, iuxta id quod habet materiale in ventrem abit.* Augustinus tract. 26. in Ioann. *Hic est ergo panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur: sed qui pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum.* Sensus est ergo: eos qui manna vsi erant in cibum, mortuos tamen fuisse, etiam morte æterna plerosque: at qui panem Christum ederint nulli omnino morituri sunt. Appositè prorsus ad mentem Iudæorum: qui tunc in manna nihil minus attendebant quàm Sacramentum, Sacramentique rationem: sed duntaxat cibum ventris. *Quod videbant*, aiebat Augustinus, *credebant, quod non videbant, non intelligebant.*

XXIV. Hæc mens fuit Caluini: quam Bellarminus calumniosè peruertit: quasi voluerit Christum dedisse cibum nihilo meliorem, quam re vera manna fuisset: sed tantum quàm fuisset secundum crassam Iudæorum opinionem: quæ verba nulla vnquam fuere Caluini: nunquam vllius cui quid esset in cerebro sani. Poterat parua mutatione verum dicere, non dedisse Christum meliorem cibum, quàm quem manna significarat. Sed maluit rei suæ seruire: astutè, non candidè.

XXV. Instat tamen contra solutionem. Eam Iudæorum opinionem, vel rectam fuisse, vel non. Si rectam: ergo nostram Eucharistiam longè esse meliorem, cùm sit cibus spiritualis. Si non rectam, ergo Dominum approbasse Iudæorum errorem, nec sincerè, imò neque verè loquutum. nempe quia asseruerit ipse, cibum illum fuisse corporalem tantum.

XXVI. Sed hæc est admodum hebes subtilitas. Erronea fuit Iudæorum opinio, non quod crederet manna esse cibum corporeum, quod sanè negari non potest, sed quòd tantùm corporeum, id est, absque vllo vsu spirituali. Itaque prius membrum nihil ad nos. In secundo, quodnam id monstri est: Christum æquè mentitum cum Iudæis? Dixisse, inquam, manna nihil fuisse nisi cibum corporeum? Solus fingere potuit Iesuita, sed non credere Christianus fortasse solus, sed nos certè Christiani. Itaque anathema dicimus Christum mendacibus connumerantes. Nunquam concessuri perinde esse si dicas, qui comederunt manna mortui sunt, & si, manna nihil habuit spirituale. Nam quia Sacramenta, vt verbis vtar Ambrosij, sunt quæ erant, & in aliud commutantur, habent ergo vtrunque, itaque cùm sunt cibus spiritualis, non desinunt esse cibus corporalis.

XXVII. Tertium argumentum, quo probamus comparari vetera Sacramenta nouis in rei identitate, est ab argumento Pauli, non profuisse Israëlitis typos suos illos, quominus darent pœnas, ergo neque Christianis sua Sacramenta. Quæ consequentia nulla est, ac proinde non digna Apostolo, nisi res eadem Sacramentalis vtrinque supponatur. Nimirum quia compararentur inæqualia, dissimiliaque, quasi diceres, quia nullus baccalaureus fit doctor, Ergo neque vllus qui doctoratus acceperit insignia. Sic nos argumentum explicamus, quanquam non improbemus formam conceptam à Bellarmino. Apostolum admonere Christianos, ne Sacramentis nimium confiderent, crederéntve sibi omnia salua propter Baptismum & Eucharistiam, nisi perseuerent in bonis operibus, idque prolato exemplo illo veterum.

XXVIII. Bellarminus negat scopum esse, non nimium confidendum Sacramentis, sed non abutendum. Probat, primùm, quia si ille fuisset, assumenda erant exempla Sacramentorum, puta Circuncisionis & Paschatis, non autem eorum, quæ etsi signa sunt, tamen non Sacramenta. Deinde; quia dehortetur ab Idolothytis.

XXIX. Eia verò, non nimium confidendum, sed non abutendum. Acutè. Quasi nimium confidere, esset vti Sacramentis. Atqui nobis persuasissimum varios esse abusus Sacramentorum, & inter omnes hunc vnum, cùm qui negligentes sunt in reliqua tota vita, Sacramentis tamen innituntur, tanquam gratiam conferentibus, quæcunque tandem reliqua sit vita. Atque hoc esse nimium confidere Sacramentis. Porrò Paulum non tractare thesin, vtrùm sit abutendum Sacramentis, sed hypothesin, vtrùm sic abutendum. Testes omnes appello interpretes. Chrysostomum paulo antè recitauimus. Oecumenius. *Ταῦτα δὲ φησι, πείθων, ὅτι ὥσπερ ἐκείνους οὐκ ὤνησε τὸ τοσούτων ἀπολαῦσαι δωρεῶν, ἐπειδὴ τὰ παρ' ἑαυτοῖς μὴ ἔσχον, οὕτω οὐδὲ ὑμᾶς ὠφελήσεται ἡ πίστις καὶ τὸ μυστηρίων ἀπολαῦσαι πνευματικῶν, εἰ μὴ καὶ ἀξίους ἑαυτοὺς παράσχητε τῆς θεοῦ χάριτος*, *Hæc dicit suasurus, sicut illis non profuit tantorum donorum fruitio, quia quæ à seipsis debebant, non conferrent, sic ne istis quidem vsui futuram fidem, spiritualiúmve Sacramentorum vsum, nisi seipsos præberent dignos diuina gratia.*

XXX. Sed isti desertiùs. Lombardus, *Hic exemplo Iudæorum, qui negligentia sua offenderunt, nos solicitos facit; ostendens antiquos per Sacramentorum veterum communicationem, pœnam non euasisse: quasi dicat volenti comprehendere; sic est agendum vt dixi: non enim Baptismus, & cætera Sacramenta sufficiunt, vt quidam putant, sicut nec Iudæis beneficia Dei valuerunt, cùm post peccarent.* Thomas, *Quasi dicat, sic agendum, vt monui. Non enim sufficiunt Sacramenta Ecclesiæ suscepta vobis postea peccantibus, sicut nec Iudæis Dei beneficia, quin postea punirentur.*

XXXI. Quid amplius? Vin tu ipsum audire Caluinum? Anselmum lege, *Hoc namq; exemplum de priori populo ideo proponit, vt in Christianorum populo nullus, in eo solo confidens quòd baptizatus est, & escam ac potum corporis & sanguinis Domini percepit, putet sibi Deum parcere, si peccauerit.* Salmeronem lege, *Tradit etiam Patrum exempla in otio & securitate degentium, in quibus Corinthios ab otio item, & securitate degentes sub Euangelio deterret, & quantum potest dehortatur, docetq; ne de solo Baptismo confidant, quasi propterea debeant impunè tolerari in suis peccatis.* Satin est tibi, Iesuita, testis Iesuita? Adde Gagnæum, *Admonet hoc capite Corinthios Paulus, ne de donis à Deo perceptis efferantur: futurum enim vt per elationem hanc, atque alia peccata, his donis excidant.*

XXXII. Sed erant assumenda Sacramenta, at hæc non sunt Sacramenta. Imò iam Lombardus appellauit Sacramenta vetera. Appellauit Augustinus; tract. 26. in Ioann. *Sacramenta illa fuerunt: in signis diuersa sunt, in re quæ significatur paria sunt.* Quid ergo obloqueris? Sed agam distinctiùs. Sacramenta diximus esse alia ordinaria, alia extra ordinem. Quænam ergo assumenda fuisse dicis? An ordinaria sola? Quis iusserat? Nam à te, ne nescias, nullam sibi Paulus præscribi patitur legem: nemo enim te illi prætorem dederat. Et ille existimauit sibi sufficere extraordinaria, quæ habent, quicquid est de natura Sacramentorum; etiam ordinariorum, excepta sola ordinis circunstantia, quæ eadem temporis est.

XXXIII. Dehortatur Paulus ab idololatria. Ita est sanè. Sed ego Dauus sum non Oedipus; vt tam subtilis argumentationis consequentiæ vim concipiam. *Redit*, inquis, *ad quæstionem de idolothytis, & probat non esse ea comedenda.* Planum hoc est, inquam: sed perge: *Quia nimis turpe sit à mensa Domini transire ad mensam dæmoniorum. Id enim est signum magnæ ingratitudinis in Christum, & magnæ irreuerentiæ erga Sacramenta ipsius.* Non puto. Sed noto posterius istud esse, nouumque argumentum, disparatumque ab hoc quod est præ manibus: quod ipsa textus series ostendit vel cæcis. Quanquam Thomas haud paulò aliter: duas totius capitis partes notans, *Primò*, inquit, *monet abstinere à perpetratione peccatorum similium: secundò specialiter à comestione idolis immolatorum.* Et hanc posteriorem inchoat ab iis verbis, *Propter quod charissimi fugite ab idolorum cultura:* ad quam partem illa pertinent de mensa Domini, & mensa dæmoniorum. Sed tu absolue pensum, *Ad hoc igitur ostendendum profert exempla Iudæorum.* Quódnam hoc inquam? An proximum de mensa Domini & dæmoniorum? Reclamo. Imò reclamat Thomas. Imò reclamat res ipsa. Nam hæc indignitas transeundi ab vna ad alteram, nouum est argumentum; & nullo alio probatum, sed pro manifestissimo positum. Tum autem pertinens ad cauenda idolothyta: cùm hoc nostrum pertineat ad thesin latiorem, de fugiendis peccatis. Sentin quanti sit laboris, Caluinum impugnare? coactus omnia peruertere; ima summis miscere; primis vltima præuertere: denique tuas somniationes ridendas obtrudere? Et quisquam tibi habeat fidem?

XXXIV. Præter hæc argumenta, testes adsunt. Primò Augustinus tract. in Ioan. 26 *Hic est panis qui de cœlo descendit. Hunc panem significauit manna; hunc panem significauit* (an potius significat? vt altare Eucharistiam designet) *altare Dei. Sacramenta illa fuerunt: in signis diuersa sunt, sed in re quæ significatur paria sunt. Apostolum audi. Nolo enim vos*, inquit, *ignorare fratres quia patres nostri omnes sub nube fuerunt & omnes mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducarunt; spiritalem vtique eandem. Nam corporalem alteram: quia illi manna, nos aliud: spiritalem verò, quam nos. Sed patres nostri, non patres illorum: quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Et adiungit. Et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spiritali. Quomodo enim eundem potum? Bibebant*, inquit, *de spiritali sequente petra: petra autem erat Christus.* Tract. 45. *Vt scias quòd vna sit fides, audi dicentem: Habentes eundem spiritum fidei, & nos credimus. Sic & alio loco. Nolo enim vos ignorare:* & post recitatum locum, *Mare rubrum significat Baptismum: Moyses ductor per mare rubrum, significat Christum: populus transiens significat fideles: mors Ægyptiorum significat abolitionem peccatorum. In signis diuersis eadem fides. Sic in signis diuersis, quomodo in verbis diuersis: quia verba sonos mutant per tempora, & vtique nihil aliud sunt verba, quàm signa: significando enim verba sunt. Tolle significationem verbo, strepitus inanis est. Significata sunt ergo omnia. Nunquid non eadem credebant, per quos hæc signa ministrabantur: per quos eadem quæ credimus prophetata prænunciabantur. Vtique credebant: sed illi ventura esse, nos autem venisse. Ideo & sic ait, Eundem potum spiritalem biberunt. Spiritalem eundem, nam corporalem non eundem. Quid enim illi bibebant? Bibebant enim de spiritali sequente petra: petra autem erat Christus. Videte ergo; fide manente signa variata. Ibi petra Christus: nobis Christus quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno Sacramento eiusdem Christi, biberunt aquam profluentem de petra: nos quid bibamus, norunt fideles. Si speciem visibilem intendas, aliud est: si intelligibilem significationem, eundem potum spiritalem biberunt.* In Psalm. 77. *Sacramentum regni cælorum velabatur in Veteri Testamento, quod plenitudine temporis reuelaretur in Nouo:* & recitato loco, *Idem itaque in mysterio cibus & potus illorum, qui noster: sed significatione idem, non specie: quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus est.*

XXXV. Anselmus in 10. prior. ad Cor. Augustinum imitatur, imò describit fermè, *Vel eandem escam corporis Christi, quam nos in pane manducamus, ipsi manducauerunt in manna, & eundem potum sanguinis Christi, quem nos ex calice bibimus, ipsi biberunt ex petra, & ideo spiritualem manducauerunt eandem, quam nos, corporalem verò alteram. Quia visibilem escam spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter satiarentur. Nam & nos accepimus visibilem cibum. Sed aliud est Sacramentum, aliud vis Sacramenti. Similiter potum spiritualem perceperunt eundem quem & nos, nam corporalem alium. Sed hunc spiritualem potum non vndecunq; bibebant, sed de spiritali petra, id est de Christo. Sicut enim cibus & potus ille fuit spiritualis, simili ratione fuit petra spiritualis, quæ potum manauit spiritualem.* Lombardus, *Et nos hodiè accipimus visibilem cibum, Sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Sacramenta illa fuerunt; Sacramenta sunt & nostra, & vtiq; eiusdem rei. Manna enim Christum significauit. Christus enim est panis qui de cœlo descendit, si quis manducauerit ex hoc panē, non morietur in æternum, sed quod pertinet ad veritatem Sacramenti, non ad visibile Sacramentum, qui manducat intus, non foris, qui manducat corde, non qui premit speciem, scilicet dente. Ideo Apostolus vigilanter, non simpliciter ait, manducauerunt eandem escam, sed addit spiritualem, quia spiritualē eandem manducauerunt, quam & nos. Et tamen aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, aliud tamen, quod idem significaret virtute spirituali. Et omnes biberunt potum, vtiq; corporalem & spiritualem, sed spiritualem eundem quem & nos, corporalem verò alteram, id est, aquam, quæ fuit signum sanguinis Christi,*

& idem

& idem credentibus effecit. Spiritualem ergo dicit potum, quem biberunt ipsi, & nos bibimus: quia idem illorum potus & noster significat. Ideoque idem spiritualis potus & cibus noster & illorum: quia idem in mysterio est cibus & potus illorum, qui noster: sed significatione idem, non specie: quia idem Christus illis in petra est figuratus, nobis in carne manifestus, & in altari sub specie panis significatus. In signis vtique diuersis, eadem est fides: sed illi venturum, nos venisse credimus. Ideo non simpliciter ait, eundem potum biberunt, sed addit spiritualem: spiritualem enim eundem biberunt, quem nos, corporalem non eundem. Quid enim biberunt? Bibebant autem de spirituali consequente eos petra. Spirituali, scilicet, qua Christum significabat; & fide idem fuit. Manete ergo in fide (lege, manente ergo fide) *videte signa variata. Ibi enim petra erat Christus: nobis quod in altari Dei ponitur, est Christus, si speciem visibilem attendas, aliud est: si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt.*

XXXVI. Bellarminus, fingens nullum sibi nominatum præter vnicum Augustinum, primò negat vnquam dicere Sacramenta nostra & vetera esse paria, quoad efficaciam: sed tantum quoad significationem, seu rem significatam. Probat, quia in Psalmum 73. dixerit nostra esse salubriora, & feliciora: lib. 19. contra Faustum c. 13. virtute maiora, vtilitate meliora. Deinde hanc ipsam sententiam contendit non esse necessariò sequendam.

XXXVII. Hoc posterius paulo pòst videro. Sed nunc, concedo paritatem constitutam in significatione: Verùm distinguo significationem dici vel pro ipsa re significata, vel pro modo significandi. Et addo paritatem assignandam rei, at non modo. Probatur facilè; primò quia sic solent in Sacramentis considerari hæc duo opposita, signum cui solet Sacramenti nomen propria ratione adsignari, & rem, nempe significatam. Porrò in Eucharistia rem significatam esse Christum, sub ratione esus & potus. At Augustinus, Anselmus, Lombardus, paritatem constituunt in hac re, in ipso, inquam Christo, sub ea forma. Diserta, *Insignis diuersa sunt sed in re qua significatur paria. Manna Christum significauit: hunc panem significat altare Dei.* Et alia plurima: quæ lector poterit reuocare in memoriam: neque enim res est difficilis.

XXXVIII. Porrò in eo ipso efficacia est: nimirum quia non sit nuda significatio, sed Sacramentalis; vt aliàs diximus; id est, ex sui institutione, non vana: sed tantum ex abusu: quomodo & nostrorum Sacramentorum vana est efficacia, itidem ac veterum. Sed in vsu legitimo, non potest negari efficaciam esse, cùm qui signa accipiunt, iidem rei significatæ fiunt participes. Atqui hoc ipsum habuerunt illa vetera Sacramenta. Patet: quia edere & bibere hanc communionem designent. Sic enim in Eucharistia notatur communio corporis & sanguinis Christi. At hæ phrases vtrinque communes, *Omnes eandem escam spiritalem manducarunt: corporalem alteram; spiritalem verò, quam nos. Eandem escam corporis Christi, quam nos in pane manducamus, ipsi manducauerunt in manna. Spiritualem eandem manducauerunt quam & nos.* Quid ergo iuuat tergiuersari? quid contra stimulos calces. Denique si tam longa efficaciæ differentia, cur essent vtrinque tam communes efficaciæ phrases?

XXXIX. Sed idem dixit Augustinus nostra esse salubriora, feliciora, virtute maiora; vtilitate meliora. Ita est, inquam: & rectè. Sed non tamen re imparia. Potest enim vtrumque consistere: vt & illa vetera fuerint re paria; & hæc noua, sint salubriora, feliciora, maiora, meliora. Nimirum quia etsi res eadem, tamen modus rei diuersus. Ipse Augustinus modum indicauit, *Sacramenta non eadem: quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem Sacramenta Noui Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Saluatorem.* Hic modus est. Quare? quia qui datur Seruator, & qui promittitur, re non differunt; sic Augustinus in illum Psalmum. Neque aliter contra Faustum, *Si antiqui iusti, qui Sacramentis illis intelligebant venturam pranuntiari reuelationem fidei, ex qua licèt adhuc operta & abscondita, munere tamen pietatis intellecta, etiam tunc ipsi viuebant: si ergo antiqui iusti pro illis nunciationis Sacramentis, & rerum nondum impletarum figuris, omnia dura & horrenda perpeti parati fuerunt, & plerique perpessi sunt: quanto magis nunc pro Baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, pro signo Christi, ad omnia perferenda paratior debet esse Christianus, cùm illi fuerint promissiones rerum complendarum; hæc sint indicia completarum?* Et paucis insertis, *Tunc ergo & occultus erat fides, nam eadem credebant, eademque sperabant omnes iusti & sancti, etiam temporum illorum, & promissiua erant illa omnia Sacramenta, omnisque ritus ille suorum, nunc autem reuelata est fides, in qua conclusus erat populus, quando sub lege custodiebatur, & quod fidelibus promittitur in iudicio; iam completum est in exemplo per eum qui legem & prophetas non venit soluere, sed adimplere.*

XL. Sic igitur Augustino nostra sunt Sacramenta potiora; non re, sed modo rei: prout nos etiam distinximus. Sed hæc ipsa Augustini sententia, quid est cur non solida videri potuerit Bellarmino? Hoc enim supererat vt tantum testem, non nobis iret ereptum duntaxat, sed etiam castigaret audaciæ. Audiamus argumenti monumentum. Si per escam spiritalem, intelligatur, spiritaliter intellecta: Ergo soli iusti manducassent: At hoc falsum. Consequentia patet, testeipso Augustino; consequens affirmante disertè. Assumptum probatur ex Paulo, *Patres nostri omnes eandem escam spiritalem manducarunt*: omnes, id est, tam iusti, quàm mali.

XLI. Respondeo; Primùm non escam spiritaliter intellectam, sed intelligendam, oportuisse dici. Nam Sacramentorum natura, vt diximus sæpiuscule, ab institutione ipsa repetenda, non ab hominum vsu abusúve. Itaque Augustinus dixit, *Si speciem visibilem intendas, aliud est, si intelligibilem significationem, eundem potum spiritalem biberunt.* Item, *Significatione idem, non specie.*

XLII. Secundò, negatur consequentia. Nam etsi spiritualis esca sic fuerit, id est spiritualiter intelligenda; tamen potuit à bonis & malis manducari; etsi ab illis secundùm institutum intellecta; ab istis per abusum non intellecta. Nimirum: quia res spiritalis, ipse erat Christus, nullis nisi bonis perceptus: sed propter Christum ipsa elementa spiritualia, nempe significatione: quia eius causa instituta; nec aliter vsurpanda. Sic rectè Paulus dixit omnes eandem escam spiritualem comedisse: nec Augustinus contradixit.

XLIII. Sic nobis denique ritè probatum est, Sacramenta Sacramentis comparari ex rei paritate. Sed Bellarminus oppugnat tribus argumentis. Primò: quod ea non essent Sacramenta Iudæorum. Atque hoc se probasse eo quòd non essent ceremoniæ durabiles. Verùm hoc confutatum est paulò antè, cùm suo loco obiiceretur.

XLIV. Secundò. Illa erant communia, inquit, etiam bestiis. Nam bestiæ biberunt aquam scaturientem ex petra: transieruntque mare rubrum: & canes gallinæque ac similia animantia domestica, manna in cibum sumpserunt. Atque id quidem non casu aliquo, aut cuiusquam malitia, quomodo etiam Eucharistiæ signa à bestiis possunt deuorari: sed ex instituto & voluntate Dei: Deus enim aquam eduxit, vt biberent homines, & iumenta.

XLV. Hoc verò vincere est denique: nisi nusquam spes victoriæ. Erant brutis communia: Ergóne non paria nostris. Negatur, ô bone, consequentia. Alioquin, ne nostra quidem Euangelicæ legis Sacramenta, rem habebunt spiritualem, quir, te ipso teste, brutis possunt esse communia. Et sanè nemo non videt posse aqua Baptismi lauari, vel saltem aspergi bruta, de Eucharistiæ pane, vobis ipsis Papistis infinita cautela est, & sæpe frustranea, ne à muribus, ne à canibus surreptus vestram corrumpat superstitionem. Sed casu, inquis, aut malitia. Imò natura, inquam, quia sic aqua, sic panis sunt à natura facta, vt iisdem vsibus seruiant tum hominibus tum brutis. Quam naturam, nemo neget ab institutione diuina.

XLVI. Sed nimirum ita res habet, Sacramenta, esse res naturales, id est, naturas quasdam per se, & seorsim ab aliis, verùm iis naturis vsum esse additum, præter suam primam naturam, à quo vsu spirituales sint. Ab hoc vsu ei naturæ coniuncto, fieri Sacramenta. Nullis itaque Sacramenta esse, nisi quibus is vsus competat. Exempli gratia, arcus cœlestis natura erat, sed postea iussus videri ab hominibus in signum nunquam futuri diluuii. Poterat sanè videri ab omnibus brutis, quibus oculorum inest acies. Omnibúsne igitur signum fœderis? Minimè verò, sed iis tantùm quibus & ipse arcus videri, & in memoriam venire poterat promissio. Prorsus ad eam formam omnia Sacramenta, etsi panis Eucharistiæ possit à quocunque bruto comedi, etiam sanctificatus, tamen nulli bruto Sacramentum est, quia nullum brutum potest eum comedere in commemorationem Christi. Sic in Baptismo cùm sæpe fiat, vt eius aquæ qua corpus abluendum erat, pars quædam in terram decidat, tamen terra non baptizatur. Et omnino horrendum est Papisticum dogma, tam vorari à canibus corpus ipsissimum Christi, quàm à fidelibus.

XLVII. Ad eum modum constanter negamus, etsi ex imperio diuino fuerint elementa mannæ, aquæ ex rupe, maris rubri, nubis, omnibus brutis communia, tamen etiam brutis fuisse Sacramenta, aut etiam esse potuisse, quia alius erat generalis vsus, alius peculiaris & sacer, & his solis hominibus proprius, imò solis fidelibus efficax.

XLVIII. Tertium Bellarmini argumentum. Nulla legitur promissio facta comedenti manna, aut bibenti aquam illam, aut transeunti per mare rubrum. Nostra autem Sacramenta, habent amplissimas promissiones.

XLIX. Rectè, inquam, non legitur. An ergo nulla fuit? Absurdum. Nam si nulla fuit, ergo præter vsum corporalem nihil in eis fuerit. Quod si ponatur, ergo non modò Sacramentorum, sed ne typorum quidem vlla ratio. Et Paulus arguendus mendacij. Quid? non potior erit Apostoli autoritas typos exponentis, vt concludamus additas fuisse signis externis promissiones, etsi alioquin nusquam lectas, quàm Sophistarum subtilitas, vt negauerint typos esse, quia nusquam legerint promissiones? At sanè ego, qui lego in Luca Simonem dictum βυρσέα Actorum nono; audacter dico, à Simone coria fuisse aptata; etsi hoc mihi Lucas nusquam dixerit. Et Melchisedecum credo sæpe sacrificasse; quia Pontificem audio, etsi sacrificium eius nullum legam. Et Damarin frequenter purpuram distraxisse, quia purpurariam audio.

CAP. III.

De Circuncisione.

I. SEcundum Catholicorum argumentum à Circuncisione, quam fuisse Veteribus sub lege proprij nominis Sacramentum, ne ipsi quidem inficias eunt aduersarij, vt restet quærendum, quænam fuerit eius efficacia.

II. Papistæ, pro solita subtilitate, affectatis distinctionibus, abierunt in varias sententias. Quæsiuerunt ergo vtrùm Circuncisio auferret culpam; siue efficax esset ad remissionem peccatorum, deinde vtrum conferret gratiam. De priore, Suares Disp. 5. art. 3. q. 65. sect. 1. *Secunda sententia est, Circuncisionem institutam fuisse, & datam populo Israelitico in remedium originalis peccati, ita vt remedium legis naturæ, quod de se indifferens erat quoad externam ceremoniam, determinatum fuerit ad ritum Circuncisionis, pro filio & posteris Abrahæ.* Et aliquanto pòst, *Sententiam hanc secuti sunt omnes Scholastici sine vlla opinionum diuersitate.* Soto in 4. dist. 2. q. 1. art. 4. *Conueniunt omnes in illum effectum, quòd in Circuncisione auferretur peccatum originale.* Inde Altenstaig, Circuncisionem definiuit, *Signaculum efficax curationis ab originali permanens in carne, institutum à Deo, determinans Israel à Gentibus.*

III. In altero capite, Durandus q. 7. in dist. 1. 4 *Sciendum est, quòd Magister videtur sentire in litera, quòd Circuncisio licèt culpam auferret, non tamen conferebat gratiam. Tamen in hoc non tenetur communiter.* Prolixiùs Soto ex Thoma, p. 3. q. 70. art. 4. *Dicebat prima opinio, quòd Circuncisio solùm auferebat peccatum, non autem conferebat gratiam. Et hæc videtur fuisse Magistri sententiarum in quarto circa finem primæ distinctionis. Est tamen opinio quæ vt erronea repudiatur, ob idque alij moderatiùs dixerunt, Circuncisionem contulisse gratiam quantùm ad effectum remissionis culpæ, non autem quoad effectus positiuos implendi mandata legis. Sed neque ista positio sustineri valet. Tertij igitur dixerunt, quòd in Circuncisione conferebatur gratia, quantùm ad illum effectum positiuum, qui est, facere amicum, dignumque vita æterna, non autem quantùm ad reprimendam concupiscentiam, quæ impedit impletionem mandatorum. Atque hanc opinionem tenuit D. Thomas, quia nondum rei punctum coniecerat, diligenter tamen considerando, eam postmodum opinionem meritissimò reiecit. His ergo refutatis erroribus ad quæstionem respondet* Thomas *tribus conclusionibus, veram constituendo differentiam inter Circuncisionem & Baptismum, non in re ipsa gratiæ, sed in modo illam conferendi. Prima conclusio-*

fluſio, in Circuncisione conferebatur gratia, quoad omnes eius effectus. Salmero libro primo in Epistolas Pauli, p.1. disp.8. constanter disputat Circuncisionem contulisse gratiam ex opere operato.

IV. Sic docebant olim Papistæ. At Bellarminus disputat, non tantùm contra nostros, vt Caluinum, sed etiam ex suis Catholicis, contra eos, qui assererent Circuncisionem iustificasse ex opere operato: vt appareat Iesuitarum ingeniũ; quorũ manus contra omnes. Vnde nunc disputandi necessitas.

V. Prima probatio ab ipsa institutione, repetita ex Genes. c. 17. *Et statuã pactum meum inter me & te, ac semen tuum post te in generationes eorum fœdere perpetuo, vt sim tibi in Deum, & semini tuo post te.* Iterum, *Hoc est autẽ pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semẽ tuum post te, vt circuncidatur vobis omnis masculus: & circuncidetis carnem præputij vestri, eritq; in signum fœderis inter me & vos. Et filius octo dierum circuncidetur vobis omnis masculus per generationes vestras.* Paulo pòst, *Et erit pactum meum in carne vestra in fœdus perpetuum. Incircuncisus autem masculus, qui non circuncisus fuerit carnem præputij sui, exscindetur anima illa de populis suis, fœdus meum irritum fecit.* Hactenus Moses institutionem describens Circuncisionis.

VI. Hinc geminum argumentum. Prius in hunc modum. Fœdus Dei cum Abrahamo & delebat peccatum, & conferebat gratiam: At Circuncisio erat fœdus Dei cum Abrahamo: Ergo Circuncisio & delebat peccatum, & conferebat gratiam. Assumptio manifesta ex ipsis institutionis verbis: in qua semel tantum appellatur signum fœderis: quæ propria est enunciatio in omnibus Sacramentis. sed bis réve dicitur pactum ipsum. Quam quidem in confesso est phrasin esse impropriam: sed tam vsitatam tamen, vt à propria non valde distet; nimirum cùm signis tribuitur nomen rei significatæ. Quæ res prolixiùs in vsum veniet in controversiis de Eucharistia.

VII. Superest maior. Ea facilè probatur, quia id fœdus describitur, vt Deus foret Deus Abrahami, & seminis eius: Omne fœdus, quo fiebat, vt Deus esset Deus Abrahami, & posterorum eius, delebat peccatum, & conferebat gratiam: At hoc fœdus tale erat: Ergo delebat peccatum, & conferebat gratiam. Assumptum patet, ex ipsis verbis Dei ad Mosen. Maior est manifesta: quia phrasis illa denotat amorem Dei. Nam alioquin Deus est omnium hominum Deus. Itaque Carthusianus eo loco sic explicat, *Quatenus ego qui sum omnium Deus iure creationis, & vniuersalis imperij, sim specialiter Deus tuus, & posterorum tuorum fidem tuam sequentium, per specialem prouisionem, pietatem, & gratiam mei circa te & illos, atque per fidem & cultum, quibus à te & illis colar & honorabor.* Chrysostomus in Genesin Homil. 39. πῶς ἡ δωρεὰ τῆς Ἀβραὰμ ἦν; ὥστε εἶναι τοῦ θεὸς, φησὶ, καὶ τοῦ σπέρματός σου μετὰ σὲ τοῦτο γάρ σοι ἔστω τὸ κεφάλαιον τῶν ἀγαθῶν, σοί τε καὶ τῷ σπέρματί σου, *Quæ virtus est testamenti? vt sim Deus tuus, inquit, & seminis tui post te. Hoc enim erit tibi, & semini tuo post te summa & caput bonorum.* Non potest autem tantus amor Dei, non inferre remissionem peccatorum: atque adeò ipse amor est gratia Dei.

VIII. Probatur idipsum ex verbis Christi Matth. 22. probantis resurrectionem ab hac solenni formula, *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Nempe ita vt non sint mortui, sed Deo viuant, quemadmodum addit Lucas c. 20. vt ostenderet æternæ vitæ promissionem eo fœdere contineri. Quod illustratur ex 2. ad Ephesios, vbi describitur Ethnicorum status, quantum ad religionem spectabat. *Eratis*, inquit, *absq; Christo, alieni à pactis promissionis, spem non habentes, & ἄθεοι, Dei expertes in mundo.* Manifestum est, alienos à repub. Israëlis, & extraneos promissionis, exponi per spem non habentes, & atheos.

IX. Obsistit Bellarminus. Iis fœderis verbis, neque vitam æternam promitti; neque remissionem peccatorum. Sed tantum, teste Chrysostomo, quandam peculiarem protectionem, qualis debetur populo peculiari. Et arguit primò fuisse eo modo Deum & bonorum, & malorum; modò essent de populo Israël. At si significaretur remissio peccatorum, non fuisset Deus nisi iustorum. Secundò. Hæc verba non tam sonant promissionem Dei, quàm obligationem populi. Idem enim esse, *Ero Deus tuus & seminis tui*, ac si dictum, *Non habebitis alium Deum quàm me.* Argumentis etiam nostris respondet. Christum nihil velle aliud, quàm Abrahamum, Isaacum, Iacobum esse: quia scilicet Deus non sit eorum, qui non sint. Probare enim contra Sadducæos, animas esse immortales. Paulum Gentes appellasse sine Deo, non quia carerent Circuncisione, sed vera fide, & notitia Dei.

X. Verùm nimis malignè beneficia Dei restringit, qui nihil nisi temporalem protectionem somniat. Nam certè Abrahamus primus in eo fœdere comprehenditur. Huic autem nihil nisi temporale promissum, quis credat? Imò negat Paulus, qui hanc Circuncisionem ei fuisse signaculum iustitiæ fidei denuntiat. Autor Sermonis de Circuncisione apud Cyprianum, *Hoc cùm octaua die iussum sit celebrari, & nomen Circuncisio aptari, intimatum est his qui digni sanctorum commercio censebantur, quòd eorum nomina scriberentur in cœlis, & æterna beatitudinis, quàm post vitæ huius septimanam octaua consequitur, hæredes fierent & consortes quicunque vitæ innocentia & cœlibatus sanctimonia sese Domino consecrassent.*

XI. Quid habet contra Chrysostomus? Protectionem sanè, audio, πολλὴν κηδεμονίαν, πολλὴν σωτηρίαν. Quis dixit vnquam nullam esse Dei curam, nullam prouidentiam circa eos quibus confert gratiam? Imò Chrysostomus ipse statim hoc fœdere contineri τὸ κεφάλαιον τῶν ἀγαθῶν, *summam & caput bonorum*, tum semini, tum verò ipsi Abrahamo. Atqui c. 15. Genes. se illi promittit futurum & clypeum & mercedem magnam. In quæ verba Pererius, *Cùm suprema merces hominis sit cœlestis beatitudo: ea verò consistat in clara & æterna Dei visione, ac fruitione, verè Deus ipse dicitur esse merces hominis.* Carthusianus, non tantum protectorem explicat, *contra hostes visibiles & inuisibiles, vt vel ad mortale peccatum induci non posset, vel si inductus fuerit, tamen finaliter non pereat.* Sed etiam, *Merces illa magna nimis, non potest esse temporale, aut exterius bonum dumtaxat, cum illud non sit sufficiens præmium operis virtuosi: sed beatifica Deitatis fruitio, quæ est incomparabile bonum, & quodammodo infinitum.* Quare si his quæ tractamus verbis verè putauit Chrysostomus contineri summam bonorum Abrahami, omnino necesse est, plus multo habuisse in animo, quàm tenuem illam populi protectionem, quam suggessit Bellarminus.

XII. Nam quòd Deum notas æquè futurum fuisse Deum bonorum & malorum; falsum esse docuit Paulus, quum negauit omnes natos ex Abrahamo fuisse filios Abrahami, ad Rom. 9. Deinde non videt acutissimus Sophista posse idem incommodum obiici Baptismo; cuius tamen efficaciam non negat comprehendere & remissionem peccatorum, & gratię collationẽ. Nam certè non omnium baptizatorum atq; Deus est: quod satis docet Paulus 10. prior. ad Cor. Certè, si non omnes baptizati non æquè placeant Deo: nec tamen Baptismi desinit effectus esse gratia: nihil obstat, quominus idem de Circuncisione verum sit, etiam si in circuncisis sint quidam, sint multi alieni à gratia Dei.

XIII. Verba fœderis continere obligationem populi, potiùs quàm promissionem Dei apertissimè falsum. Nam fœdus vtrumque comprehendit, & vt Deus sit Israëlitis Deus, & Israëlitæ sint populus Dei. Et ita solet nominari in Scripturis fœdus Dei; cùm Deus ipse, quasi obligat se hominibus. Sic Genes. 9. *Statuo pactum meum vobiscum, & cum omni semine vestro post vos.* Et tamen promittebatur futurum, ne exscinderetur omnis caro per diluuium. Neque hoc loco aliter acceptum ab iis, qui protectionem nominarunt: qui summam bonorum. Non ab ipso Deo Exodi 6. *Statui pactum meum cum eis, quòd darem eis terram Chanaan*, Non à Mose Deut. 4. *Non derelinquet te, nec disperdet te, neq; obliuiscetur pacti Patrum tuorum, de quo iurauit illis* Et 7. *Custodiet Iehoua Deus tuus tibi pactum, & misericordiam de qua iurauit patribus tuis.*

XIV. Tum autem, etsi propriè significarent obligationem populi, vt non haberet alium Deum: tamen hanc ipsam remissionem eo ipso complecterentur. Nam Basilius c. 1. lib. 1. de Baptismo, ὁ μὴ λαβὼν τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων, καὶ καθαρισθεὶς ἀπὸ τούτων ἐν τῷ αἵματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δεδεμένων ἢ τῷ ἀβασιλεῖ, καὶ κρατούμενον ὑπὸ τοῦ οἰκείου αὐτῷ ἁμαρτίας, ἀδυνάτως ἔχει ἐλευθερωθῆναι τῷ κυρίῳ, τῷ ἀπαγορεύσαντι ἀπὸ φασιν δεδωκέναι, ἐν τῷ εἰπεῖν, ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας. *Qui peccatorum remissionem nondum accepit, neq; dum ab illis per sanguinem Domini nostri Iesu Christi purgatus est, sed adhuc diabolo seruit, & ab inhabitante se peccato captiuus detinetur; prorsus neq; seruire Domino, qui illud constanti sententia asseruit dicens, Qui facit peccatum seruus est peccati.*

XV. Omnino verum est, Christo fuisse probandum, Abrahamum, Isaacum, Iacobum subsistere post mortem. Sed quo id argumento probet: hoc verò nos attendendum putamus. Nempe quòd eorum Deus, esset etiã mortuorum. Chrysostomus. οὐχὶ τῶν ὄντων, φησὶ, καὶ καθάπαξ ἀφανισθέντων, καὶ οὐκέτι ἀναστησομένων. ἃ γὰρ εἶπεν, ἤμην· ἀλλ', εἰμὶ, τῶν ὄντων καὶ τῶν ζώντων; *Non, inquit, non existentium, & eorum qui prorsus è medio sublati sunt, nec vnquam restituendi. Non enim dixit, eram: sed sum; eorum scilicet, qui sunt & viuunt.* Habet ergo Caluinus quod volebat: habemus nos quod quærimus: nempe fœdus illud, *Ero Deus tuus & seminis tui post te*: Id est fœdus Circuncisione sancitum, pertinere, non ad hanc vitam solam, sed vlterius etiam ad vitam cælestem. Ferum audi in eum locum, *Dei erga nos misericordiam & dignationem ostendit, qui non erubescit se Deum nostrum vocare. Et Deus quidem omnium est: sed tamen specialiter, Deum se nominat eorum, quibus benefacit, fouet, defendit, saluat, ac quasi curam eorum gerit.*

XVI. Paulum non propterea atheos dicere quòd carerent Circuncisione, quis dixerat, vt contradicendum putaret Bellarminus? An sic voluit, cum nihil haberet, tamen non tacere? At Caluinus hoc volebat, Gentes simul fuisse exsortes fœderis, & atheos. Atqui hoc significatur eorum ab æterna salute alienatio; ergo per oppositum, quòd Iudæi pacti participes, & Circuncisionis; non huius tantum vitæ spem fuisse, sed vltra eam.

XVII. Atque hactenus prius argumentum ab institutione: nunc alterum, à seuera addita comminatione, eum qui non fuerit circuncisus, abscindendum à populo Israëlitico. Hoc argumento neminem vsum obseruaui nostrorum. Sed placuit Augustino libri de Ciuitate 17. c. 27. Placuit & Bedæ, cuius verba descripsit Pererius commentariis in hunc locum. *Quod donum* scilicet remissionem peccatorum, *per huiusmodi Circuncisionem eo tempore ministrari, eidem gratia legisq; latori Deo complacuit. Qui enim nunc dicit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei; ipse tunc dicebat, Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Ea verò videtur mihi quidem non nihili: sed paulò aliter explicatum. Quod videro pòst oppositas Bellarmini rationes excussas. Refutat enim Augustinum Bellarminus: & quidem firmatum consensu, vt diximus, omnium Scholasticorum. Quod obseruandum; in eo qui se antiquitatis profitetur admiratorem, & traditionis constantissimum amatorem. Vnde coniicias facilè ingenium viri.

XVIII. Contendit ergo Bellarminus, ea verba, *Peribit anima illa*, intelligenda non de infantibus, sed adultis solis: & sensum esse, Masculus Hebræus qui noluit circuncidi, aut filium suum circuncidere, peribit de populo suo, quia inobediens fuerit præcepto à me dato de Circuncisione. Vnde non magis sequi; Circuncisionem iustificare, quàm quodcunque legis præceptum, cùm millies Deus minetur mortem non seruantibus præcepta: Augustinum verò deceptum ab interpretatione Græca; quæ legit, *Et incircuncisus masculus, cuius non circuncidetur caro præputij in die octauo, peribit anima illa de populo suo:* cùm tamen non sit pars illa, de octauo die, vel in Hebræo codice, vel in Chaldaica paraphrasi, vel in Latina editione.

XIX. At nos sanè fatemur in editione Græca fuisse illa paucula verba addita: quod non oportuit. Atque vtinam sophistis perpetuum hoc studium esset, retinendi puritatem textus primarij: quem illi, cùm libet, obstinatè oppugnant, certè postponunt interdum Græcæ: semper Latinæ editioni. Negamus tamen ex eo quicquam perire de vi argumenti. Non enim esse Scripturam luxandam; distrahendúmve eius contextum, vt scopas dissolutas. Certè manifestum est sanciri vsum Circuncisionis; qui vsus is erat propriè, vt celebraretur octauo die natiuitatis. Nam quæ in adultis fiebat, in Abrahamo, in Ismaele, in seruis, extraordinaria erat. Itaque oportuit hunc vsum, vtrumque sanè; sed certè præcipuè ordinarium, propriumque contineri in sanciendo. Nam quæ alioqui ratio legis esset?

XX. Ita sensit Suares sect. 1. disp. 5. art. 3. q. 61. *Secluſa etiam illa particula*, inquit, *verba Scripturæ indefinitæ sunt, & æquiualent vniuersali loquutioni: non ergo possunt liberè ad solos adultos coarctari.* Et paulo pòst, *Præterea proximè dictum erat, infans octo dierum circumcidetur in vobis, eritq; pactum meum in carne vestra in fœdus sempiternum*: statim verò subditur, *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit*: Ergo nisi sit magna æquiuocatio in verbis

verbis, idem masculus periturus dicitur, si non circuncidatur, qui præceptus erat circuncidi: Hic autem erat infans octo dierum: Ergo de illo, & non tantum de adulto sermo est in prædictis verbis. Scilicet egregiam legis rationem dabunt, qui dicant circumciditor omnis masculus, tum adultus, tum infans octo dierum: intereatque non circunciſus adultus: ad infantem verò nulla pars pœnæ pertineto. Quis sanus probet?

XXI. Pugnat tamen argumentis tribus sophista. Primo, ab iis verbis, *Quia pactum meum irritum fecit:* quæ etsi Augustinus exposuerit de pacto facto cum Adamo, tamen luce clarius est, debere exponi de facto cum Abrahamo; & hac ipsa Circuncisionis institutione. Hinc ille concludit peccatum actuale significari; non autem originale, in transgressione huius præcepti de Circuncisione, cuius soli adulti sunt capaces. Secundo, ab illis, *Peribit anima illa de populo suo*, significantibus, non mortem æternam, aut gehennam, sed pœnam al quam temporalem; siue mortem corporalem, siue quandam, quasi excommunicationem. Non enim dictum absolutè peribit: sed additum de populo suo: quæ pœna ponitur passim contra omnes, qui aliquam ceremoniam omisissent. Tertio, ex Exodi 4. cum Mosen Deus occidere voluit, quòd filium suum non circuncidisset. Vbi primò pœna est corporalis: secundò pertinens ad Patrem: alioquin quid profuisset filio tum circuncidi: si pœna pertineret ad non circunciſum octauo die? Præterea textus apertissimus est, *Cumq; esset in diuersorio Moses, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Quem eum? nisi Mosen? Rursus, sequitur, *Tulit ergo Sephora acutissimam petram, & circuncidit præputium filij sui.* Si illud, *voluit occidere eum*, de filio Mosis intelligeretur, dixisset Scriptura, circuncidit præputium eius, non filii sui. Denique dixit Sephora, *Sponsus sanguinum tu mihi es:* id est, iam te sponsum meum amissura eram, nisi te sanguine filij mei redemissem.

XXII. Sed hæc argumenta facile est soluere. Ad primum dico, non posse negari pactum intelligendum de hoc ipso Circuncisionis mandato: & in eo allucinatum esse Augustinum. Sed significari peccatum actuale, transgressi huius mandati, non itidem assentio, cuius soli adulti sint capaces. Dico potius ipsum defectum Circuncisionis designatum. Nimirum, quia hoc ipso, quòd non circuncisa sit caro præputij, violatum sit hoc pactum. Enimverò Hebraicè est את-בריתי הפר: quam phrasin concedo posse reddi *pactum meum irritum fecit*; vt est in editione Latina: & apud Pagninum, reliquosque. Sed nego esse necesse: posse enim reddi, *Pactum meum irritum factum est.* Norunt enim, quicunque Hebraicè norunt, solere sic crebrò. Atque adeò annotatum est ab ipso Bellarmino c. 4. part. 4. Hebrææ Grammaticæ; *non raro vsurpari tertiam personam verbi actiui in passiua significatione; vt Genes. 16. vocauit puteum, puteum, id est vocatus est puteus, puteus viuentu videntis.* Cui exemplo addi possunt alia plurima: nos quædam indicauimus 1. tomo, libr 13. c. 12.

XXIII. Hic autem dico esse necesse, alioquin hiulca futura oratione. Nam proximè: quid proximè dico? Imò in toto illo contextu ne verbum quidem de circuncidente; id est, eo qui præputium alteri, siue infanti siue adulto præcideret: sed semper passiuè de circunciso. Nam illud; *Et circuncidetis carnem præputij vestri*, nullum designat agentem: alioquin oportuisset quemque seipsum circuncidere: sed indefinitè significat legem Israëlitis impositam; vt inter eos esset in vsu Circuncisio. Proximè autem illud לא ימול את-בשר ערלתו אשר, probè redditum, *Cuius præputij caro circuncisa non fuerit:* non item apud Sanctem, aut Iunium, *qui non circunciderit.* Nam etsi fatear sic posse sumi ימול; tamen obseruandum, toto eo contextu capi passiuè: scilicet non à radice נמל; vnde est נ...לתם vt sit in coniugatione Kal: sed à מול, in coniugatione Niphal. Et filius octo dierum יומל לכם *circuncidetur vobis.* המול ימול *circumcidendo circumcidetur natus domi tuæ.*

XXIV. Turbauit fortasse phrasis מול את בש; quæ κ' λέξιν non potest reddi, *Circuncisa fuerit caro.* Sed nihil est difficultatis. Respondet enim phrasi Græcæ, quam & vsurparunt Septuaginta, ὃς ἂ περιτμηθήσεται τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτοῦ, *Qui non circuncidetur carnem præputij sui.* Vt alias Ezechiel. decimo נ...לא הבית את-ד *Et repleta est domus nube.* Primi Regum 7. וימל את-החכמה *Et repletus est sapientia.* Quibus locis eadem omnino phrasis, quæ nunc vsurpatur.

XXV. Iam quis desultorium hoc orationis genus probauerit? *Incircunciſus masculus qui non circuncisus fuerit carnem præputij sui, peribit anima illa de populo suo:* id est, non ipsa illa anima, de qua & proximè, & tota oratione sermo est, quamque oportuit circuncidi: sed alia quædam, quæ debuit circuncidere; quæ tamen neque proximè, neque toto contextu vsquam est? Et quidem contra vsum Mosis. Exod. 12. *Quicunque comederit fermentum, peribit anima illa de Israël.* Et 31. *Qui fecerit in eo opus, peribit anima illa de medio populi sui.* Leuitici decimo nono, *Quia sanctum Domini polluit: & peribit anima illa de populis suis.* Numer. 9. *Si quis mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis.* Et aliàs semper; vt anima illa, designet eum qui proximè descriptus.

XXVI. Peccatum actuale designari, non verò originale, non videtur rectè dici: quia vtrumque complectendum fuit: nam circuncidebantur etiam adulti. Sed hoc videlicet volebat Bellarminus, actuale peccatum sumi, pro eo quod admitteretur actu in omittenda Circuncisione: cuius peccati non essent capaces infantes. Verùm hoc iam satis refutatum. Imò ex eo, quòd non perueniret hoc peccatum ad infantes, concludendum erat; non intelligi peccatum actuale.

XXVII. Facilis sanè sensus: eum periturum, qui non sit circunciſus: quandoquidem pactum illud Circuncisionis factum sit irritum: nempe quo Deus admittebat singulos peccatores, siue tantùm originaliter, siue etiam actualiter in suum populum. Quantum quidem consequentia esse potest à signo ad rem significatam. Nam quid tum, si infantes non neglexerint huius modi pactum? Intelligant saltem Papistæ, qui infantes hodiernos, qui non magis in Baptismum consentire possunt, aut dissentire, quam olim Abrahamitæ in Circuncisionem; adeò seuerè arcent à spe salutis. Nam cur ita puniuntur: vt non similiter potuerint olim puniri Abrahamitæ? Nempe manifesta res est, omnes in damnatione infantes esse: huic damnationi remedium oppositum esse fœdus hac Circuncisione sancitum. Qui hanc Circuncisionem non admittat, eum damnari, eo quòd non habeat; siue suo, siue alieno vitio.

XXVIII. Transeo ad secundum argumentum Bellarmini, illud exterminari, significare non mortem æternam, sed temporalem, siue genus aliquod excommunicationis. Atqui primò, si genus quoddam excommunicationis: ergo non tantùm mortem corporalem, nisi insanum abutatur sophista vocabulo excommunicationis. Præterea etiam Rabbini interpretati sunt de morte æterna. Certè Aben Ezra ביאם מת הנער ולא נמול איזלו הלק לעולם הבא *Nam si moriatur puer, neq; circunciſus fuerit, non erit ei pars in futuro seculo.* Nec aliter iis intellectum, qui Circuncisionem audierunt remedium aduersus peccatum originis. Biel in 4. dist 1. q. 4 art. 2. *Vbicunq; in Scripturis ponitur hoc verbum, delebitur aut peribit de populo suo, denotatur interitus salutis, & mors æterna.*

XXIX. Non dici absolutè peribit, sed peribit de populo suo, quam habeat argumenti vim, dedignatus est indicare Bellarminus. Ego contrà, sic indicari mortem hanc æternam, persuasum habeo. Quia is populus non erat quilibet: sed is cuius se Deum pollicebatur omnipotens: & intra cuius terminos concludebatur hoc pactum. Quare sensus est, illum exterminandum, de populo suo, vt nulla pars esset eius populi, qui pertinebat ad Deum. Quomodo qui excommunicatur in Ecclesia Christiana, Christianis est tanquam Ethnicus, & Publicanus: non ita, vt nihil ad eum redeat incommodi, nisi vt corporaliter separetur, sed etiam, vt corporalem hanc separationem consequatur priuilegiorum omnium, quæ Ecclesiæ sunt propria, æterna priuatio.

XXX. Denuntiari eandem pœnam aliis alias ceremonias omittentibus, non est quòd quisquam neget. Verùm quid inde conficitur? Non enim docuit Bellarminus in iis ceremoniis omittendis, nullum esse peccatum aduersus Deum: ac proinde meritum æternæ damnationis. Nam quid tum, si mortis temporalis pœna esset addita? Atqui Paulus 1. ad Corinthios 10 etsi sciret, illud, cecidisse in deserto, mortem designare corporis, tamen dixit, eosdem non placuisse Deo. Concedo equidem, non omnes, qui temporaliter moriantur etiam in æternum puniri: sed id per accidens fieri manifestum: quia superueniens gratia condonet peccatum: sed profectò ea naturalis consequentia est, vt mors temporalis ostendat meritum ipsius peccati. Itaque Adamo denuntiatum, morte moriturum, id est rediturum in puluerem: etsi ea minima pars fuerit damnationis indictæ. Denique Paulus ad Roman. 6. peccati stipendia mortem dixit.

XXXI. In tertio argumento concedimus non puero, sed Mosi ipsi intentatam fuisse mortem: sed negamus quicquam sequi. Nam quid tum, si pater punitur negligens filij Circuncisionem? Quasi nunquam auditum, Si cæcus cæcum ducat, vtrumq; præcipitandum in foueam. Quasi nõ promptũ distingu re, & in infante fuisse defectum remedij contra peccatum originis: & in patre peccatum actuale neglecti eius remedij. Sed nihil profuisset filio tum circuncidi, si pœna pertinuisset ad non circunciſum octauo die. Et tamen profuit, inquam, patri, qui non circuncidit octaua die. Cur non poterat infanti? Nam æqua vtrinque vis argumenti. Præterea; quid tum si in vnum ex duobus reis voluerit Deus seueritatem suam exercere? Quanquam non exercere; sed ostentare potius. Ipse enim exitus fidem facit, non fuisse puniendi decretum, sed emendandi consilium. Vnde nihil iam mirum, & soli patri, & solas temporales ostentatas fuisse minas: quum nec earum capax esset infans: nec æternæ, sint vtiles emendationi.

XXXII. Breuiator Bellarmini Baptista solutionem suam addidit. Etiamsi per Circuncisionem esset liberatio à morte æterna: tamen duobus modis hanc liberationem dici: vno, per iustificationem à peccato mortali, nimirum per gratiæ infusionem: alio per præseruationem siue declinationem à peccato. Posteriore posse dici Circuncisionem liberasse à peccato, in quantum eius obseruatione homines euitarent peccatum inobedientiæ circa præceptum diuinum: priore autem non posse: & de isto controuersiam esse.

XXXIII. Sed nos instamus. Primò, Circuncisionem conferri solitam ante declinationem à peccato; vt patet in pueris: in quibus eam oportet habuisse suum effectum. Quare si liberauit à damnatione, necesse est concedi liberasse per iustificationem. Secundò, si liberasset à damnatione per modum declinationis à peccato: Ergo liberasset tanquam opus iustitiæ: At hoc falsum. Tum quia Apostolus testetur fuisse sigillum iustitiæ fidei, non operum: tum quia verè Iustinus dixit contra Tryphonem: εἰς σημεῖον μὲν δεδόμθη, ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοπραξίας ἔργον, *in signum data fuit opus iustitiæ.* Et negat eandem fuisse καθ' ἡμᾶς.

XXXIV. Atque hactenus prima nostra probatio: sequitur altera ex Paulo ad Rom 4. *Abraham signum accepit Circuncisionis, σφραγίδα, sigillum, signaculum iustitiæ fidei.* Facilis ratiocinatio. Omne diuinitus institutum signaculum iustitiæ fidei, est efficax: At Circuncisio fuit diuinitus institutum signaculum iustitiæ fidei: Ergo fuit efficax.

XXXV. In minori perspicua veritas. Nam primum nemo ambigit Circuncisionem esse à Deo institutam: cum non tantùm dicit Paulus ab Abrahamo acceptam: sed etiam apud Mosem Deus profiteatur se dare eam. Esse σημεῖον τῆς σφραγίδος Paulus diserte monet. Quare superest, vt consideremus, vtrum maior vera sit; omne signum, & signaculum diuinum esse efficax. Atqui id patet ex iam concessis & ex signi, imò signaculi natura. Etenim signum est, id quod aliquid significat: non autem quod nihil: & hæc significatio est signi efficacia. Quòd ergo signum adhibetur significandæ iustitiæ fidei; oportet ipsam iustitiam fidei significare: hæc si nulla esset, profectò nihil significaret.

XXXVI. Patet fortiùs à nomine σφραγίδος, signaculi: cuius solet vsus esse non ad significandum tantùm: sed ad confirmandum, & quidem authenticè. Salmero disp. 33. in hanc Epistolam, *Quod volumus testificari tanquam certum ac firmum, solemus signo aut nota aliqua obsignare. Nec ob aliud circunciſus est Abraham, quàm vt Circuncisionem deferret in signum, ac demonstrationem iustitiæ, quo signo, id quod oculis externus spectandum obijciebatur, intus per Spiritum Sanctum fieret, & stabiliretur, ne signa sint vana aut mendacia.* Gregorius de Valentia tom. 4. in Thomam disp. 3. q. 3. p. 1. *Intelligi potest Sacramenta illa vetera contulisse siue exhibuisse gratiam, quatenus fuerunt velut pignora, aut etiam sigilla quædam, quibus est obsignata & firmata apud homines diuina promissio, cuius vi atq; efficacia conferebatur ēt tunc gratia propter passionem Christi futuram: vt si dicamus, verbi gratia sigillũ principis contulisse siue exhibuisse alicui præfecturam vrbu, aut aliud officium: quoniã*

literas,

literas, & sententiam principis obsignauit, virtute cuius officium eiusmodi est collatum. Sed & Catechismus Tridentinus, *Quemadmodum in Veteri Testamento Deus fecerat, vt magni alicuius promissi constantiam signis testificaretur: ita etiam in noua lege Christus Saluator noster cùm nobis peccatorum veniam, cœlestem gratiam, Spiritus Sancti communicationem pollicitus est, quadam signa, oculis & sensibus subiecta instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum haberemus, atq; ita fidelem in promissis futurum dubitare nunquam possemus.*

XXXVII. Existis quis non videt totam hanc causam iudicari? Nam indicant primùm sic adhiberi à Deo signacula, vt ab hominibus; id est ad similem finem; firmandarum promissionum. Atqui promissionum firmitas ab euentu iudicatur. Si enim sit nihil, non possunt non frustratoriæ promissiones esse. Et si hæ frustratoriæ, profectò iis addita signacula non possunt non irrita esse. Quare si nullum fuit fœderis repræsentatum Israëlitis effectum; necesse est, Circuncisionis signum illusorium dicere. Atqui hoc indignum Deo, nunquam mentiente. Tum autem, sicut in Veteri Testamento, sic in Nouo: Ergo etiam contra, vt in Nouo, sic in veteri signa adhibita sunt firmandis promissionibus. Atqui in Nouo signa efficaciter firmant promissiones: Ergo etiam in Veteri.

XXXVIII. Tam plena, tam certa hæc demonstratio est: cui ego quidem nihil oppositum vidi apud vllum Papistam; exceptis iis, quæ libri præcedentis capite nono, examinata dedimus. Itaque transeo ad tertiam probationem: ductam ab autoritatibus Veterum in nostras partes disertis.

XXXIX. Augustini constans fuit ea sententia, & multis expressa locis. Tertij contra Iulianum c.18. postquam dixisset Isaacum conceptum in peccato, *Ad hoc*, inquit, *respondes si potes, cur ipse Isaac nisi Baptismatis Christi signo circumcisus die octauo fuisset, periisset anima eius de populo suo. Explica si potes, tanta pœna quo merito plecteretur, nisi ab hac illo Sacramento liberaretur?* Et paulo pòst, *Isaac quantùm ad propria peccata, etiam si ex adulteris nasceretur, innocens natus, quid meruerat, vt anima eius de populo suo periret, nisi Circuncisio subueniret?* De peccato originali, qui liber est contra Pelagium & Cælestium secundus; postquam c.30. asseruisset infantem damnandum non circumcisum: pòst capite proximo, *Vnde ergo*, inquit, *rectè infans illa perditione punitur, nisi quia pertinet ad massam perditionis, & iustè intelligitur ex Adam natus, antiqui debiti obligatione damnatus, nisi inde fuerit non secundùm debitum, sed secundùm gratiam liberatus? Quam gratiam, nisi gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum? Quem profecto inter Veterum Sacramenta, etiam ipsa præputij Circuncisio prophetauit.* De nuptiis & concupiscentia lib.2.c.11. *Tunc dissipauit Testamentum Dei, non de hac imperata Circuncisione, sed illud de ligni prohibitione, quando per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Et hoc in illo significabatur expiari Circuncisione octaui diei, hoc est Sacramento Mediatoris in carne venturi: quia per eundem fidem venturi in carne Christi, & morituri pro nobis, & tertio die; qui post septimum Sabbathi fuerat futurus octauus, resurrecturi, etiam iusti saluabantur antiqui. Traditus est enim propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ex quo enim instituta est Circuncisio in populo Dei, quòd erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ad significationem* (alij sanctificationem legunt) *purgationis valebat, & paruulis originalis, veteris q; peccati, sicut & Baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo est institutus.* De Baptismo lib.4.c.24. *Cur ergo ei præceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octauo die circuncideret, qui nondum poterat corde credere, vt ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum per seipsum Sacramentum multum valebat?*

XL. Autor Hypognostici lib.5. *Decidit etiam vt flos, fugitq; vt vmbra, nec permanet, atq; in iudicium coram Domino veniet iudicandus. Cui nisi Baptismi gratia per Christum subuenerit, disperiet de populo Christiano: sicut lex periturum dixit paruulum de populo Iudæorum, nisi die circumcisus fuisset octauo. Scriptum est enim, infans, qui octauo die circumcisus non fuerit, disperibit anima illa de populo suo. Dic igitur mihi: à quo facinore Circuncisio paruulos liberat? Aut quare incircuncisi de populo Dei anima peribat, si nihil vnde sanaretur, vel disperiret?* Et pòst, *Narrate ergo si potestis Dei iustitiam, cur disperdat innocentiam incircuncisam, quidve circuncidi iubet, si nulla donantur Circuncisione delicta.* Prosper ad Demetriadem, inter Epistolas Ambrosij 84. *Nec frustra scriptum est. Nemo mundus à sorde, nec infans cuius vnius diei vita est super terram. Et, quis poterit facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es? Propter quod sicut nunc manet in Ecclesia constitutio Saluatoris dicentis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum: ita sacratissimè erat in lege præcautum, vt natus puer nisi die circumcideretur octauo, exterminaretur anima eius de populo suo, nullum in hæreditate Israel habitura consortium.* Autor de Cardinalibus operibus Christi tractatu de Circuncisione, *Inquirenda est tanti mysterij ratio, quæ Abrahæ specialiter & semini eius tanto pondere mandata est, vt quisquis in illa gente huius signi careret differentia, Ethnicus, non Iudæus reputaretur, & à titulo filiorum Israel abraderetur proscriptus. Hoc cùm octauo die tussim sit celebrari, & nomen Circuncisio aptari, intimatum est his qui digni sanctorum consortio censebantur, quòd eorum nomina scriberentur in calis & æterna beatitudinis, quæ post vita huius septimanam octaua consequitur hæredes fierent, & consortes, quicunq; vita innocentia & cœlibatus sanctimonia sese Domino consecrassent.*

XLI. Gregorius Moral.4.c.3. *Quisquis regenerationis vnda non soluitur, reatus primi vinculis ligatus tenetur. Quod verò apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circuncisionis.* Et pòst. *Quid ergo quòd in vulua se mortuum fuisse desiderat, & potuisse se quiescere eiusdem mortis beneficiis sperat, dum constat, quòd nequaquam eum requies vitæ susciperet, si à reatu illum originalis culpæ nequaquam diuina cognitionis Sacramenta liberassent?* Bernardus serm.3. de Circuncisione Domini *Inuenta in eo Circuncisione, quam peccatoribus ipse prouiderat, ob purgationem vtiq; delictorum.* Epistola 77. *Quis nesciat & alia præter Baptismum contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus? Abrahæ quidem & semini eius, Circuncisionis Sacramentum in hoc ipsum diuinitus traditum est.* Serm.1 in Cœna Domini, *Quæ est gratia vnde per Baptismum inuestimur? Vtiq; purgatio delictorum. Huius quidem gratiæ Sacramentum prius erat Circuncisio, vt originalis rubiginem culpæ, quæ manauerat à parentibus primis, cultellus eraderet.* In Assumptione Mariæ serm.2. *Cùm & nunc in Baptismate sola hanc maculam lauet gratia, & sola eam raserit olim petra Circuncisionis.*

CAP. IV.

De Sacrificiis.

I. CAtholicorum argumentum tertium, est à sacrificiis veterum; quibus peccatorum expiationem Scriptura tribuit. Erant enim Iudæis instituta sacrificia, cùm pro peccatis, tùm pro personis varia: quibus addita disertè propitiationis promissio. Leuitici 4. de sacrificio pro synagoga, *Atq; ita expiabit eos Sacerdos, & remittetur eis.* Pro Principe, *Et ita expiabit illum Sacerdos à peccato eius, & remittetur ei.* Pro quolibet priuato, *Atq; ita expiabit eum Sacerdos à peccato suo quod peccauit, & remittetur ei.* Sic c.5. & aliàs sæpe.

II. Eodem sensu sacrificiis tribuitur odor quietis. Genes.8. quum sacrificasset Noë, *Odoratusq; est Iehoua odorem quietis:* siue vt vertit editio Latina, *odorem suauitatis:* Græca, ὀσμὴν εὐωδίας. Exodi 29. *Et incendes super altare in holocaustum, odorem suauissimum in conspectu Domini.* Leuit.1. *Adolebitq; ea Sacerdos super altare in holocaustum & suauem odorem Domino.* Et aliàs sæpe. Quam phrasin Chaldæus paraphrastes reddidit, *suscipere cum placito oblationem.* Pererius in illud Geneseos, *Significat indignationem diuinam, per quã diluuio destructus fuerat orbis terrarum, sacrificio Noe fuisse mitigatam, placatam, & vt ita dicam, quietatã.* Vatablus, *Quasi dicat, quo placatus fuit Deus.*

III. Deniq; Paulus ad Hebr.9. χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις, *Absque sanguinis effusione non fit remissio:* Cum sermo esset de Veterum sacrificiis. Itaq; Iustinianus in paraphrasi, *Omnia ferè in lege illa vetere sanguine lustrabantur, & absq; sanguinis effusione nulla prorsus expiatio rata erat.*

IV. Bellarminus excipit, Sacrificia vetera valuisse ad expiationem peccati, quoad pœnam temporalem, & quoad immunditiam legalem, non quoad culpam, & pœnam gehennæ: nisi quatenus signa quædam erant protestantia fidem in Christum. Id probari tribus argumentis. Primò, quia nulla sacrificia instituta nisi pro peccatis ignorantiæ, præsertim contra cæremonias legis, & circa damnum proximi in rebus externis, & pro periurio ex cupiditate habendi res alienas: non autem pro grauioribus. Quòd si sacrificia non expiarent omnia peccata, sed solùm quædam, sine dubio non expiabant quoad culpam; sed solùm quoad pœnam temporalem, vel immunditiam legalem. Nam Deus nunquam remittit vnum peccatum, quoad culpam, quin remittat omnia. Secundò, quia sacrificia non placebant Deo ex se, sed ex deuotione & obedientia offerentium. Vnde sequitur non valuisse ad expiationem peccati. Nam qui offerri iubebat, vel iustus erat, vel iniustus: si iustus, non egebat remissione peccatorum: si iniustus, nihil valebat eius sacrificium. Tertiò, Ezech.10. cùm de remissione peccatorum agitur, nusquam mentio sacrificiorum. Imò Prophetæ cæteri, & Paulus disertè docent, non posse sacrificiis expiari culpas animorum.

V. En tibi desultoriam Theologiam; Papisticam somniationem. Olim negant remissam culpam, pœnamve æternam; sed tantùm pœnam temporalem: hodie volunt retentam pœnam temporalem; remissam culpam, pœnamque æternam. Proh Dei atque hominum fidem, quis genius est Papistarum? tam sibi dissimilis? tam perplexam Theologiam docens: tam variè Scholasticos excarnificans? tam miseris modis Iesuitas exercens? At nos constantiùs: nunquam remissionem peccatorum nominari, vbi culpa retineatur; vbi pœna æterna exigatur. His autem locis disertè, remitti peccata. Imò disertius, ונסלח לו *& fiet ei propitiatio.*

VI. Atqui de expiata pœna temporali nullum vestigium in tota Scriptura. Quis autem Bellarmino permisit somniare pro arbitrio? Deinde plenissimè refutatur ab experientia: nunquam enim veterum quisquam, quantumvis Deo sacrificans morti fuit exemptus; aut temporalibus calamitatibus, teste Abrahamo, Iacobo, Iobo, aliis. Imò Propheta Psalmo 73. fœlicitatem corporalem impiorum; id est, vel non sacrificantium, vel indignè sacrificantium maiorem describit, quàm fidelium: quod contrà oportuit, si sacrificiorum expiatio non pertineret nisi ad pœnam temporalem.

VII. Nam de immunditia legali quid dicam? Primùm, nulla hæc fuit timenda Abeli, aut Noæ, aut Abrahamo, aut Iobo: quorum tempore nondum lata fuit lex ceremonialis, ad quam refertur quicquid hoc erat immunditiarum. Præterea periurium, læsio proximi, nunquam pertinuit ad hanc immunditiam. Denique generales phrases sunt, Leuit.4. *Anima quæ peccauerit per ignorantiam: & de vniuersis mandatis Domini, quæ præcepit vt non fierent, quippiam fecerit.* Item, *Si peccauerit Princeps, & fecerit vnum è pluribus per ignorantiam quod Domini lege prohibetur.* Item, *Quòd si peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ, vt faciat quicquam de his quæ Domini lege prohibentur, atq; delinquat.*

VIII. In primo argumento negatur consequentia. Nam quid tum si cæremonias Deus voluit pro peccatis distinctas esse? Certè non sequitur in iis non esse remissionem eorum peccatorum, quibus quæque assignatæ sunt: sed duntaxat non aliorum. Discant à seipsis Papistæ: qui & in Baptismo quicquam infantibus præter originale; & in reliquis Sacramentis, ipsum negant originale remitti. Concedamus sanè nunquam à Deo remitti vnius peccati culpam, quin etiam aliorum remittat: sed nihil obstare dicimus, quominus distinctæ sint peccatorum remittendorum cæremoniæ, pro arbitrio diuino. Deus enim non tam attendit quid faciat, quàm quid nos doceat, & quomodo: itaque accommodat sese captui nostro, qui distincta confusè non bene assequitur. Tum autem non semper omnium peccatorum simul rei sunt singuli: neque qui furatur, eodem ipso tempore fornicatur. Oportuit autem consuli conscientiis singulorum peccatorum reatu laborantibus.

IX. In secundo, concedo sacrificia non placuisse per se. Nam id commune omnibus cæremoniis tam nouis, quàm veteribus. Vnde Paulo dictum prior. ad Corinth 10. non placere Deo omnes baptizatos, aut participes Eucharistiæ: Imò cap.11. qui ederit panem, & biberit poculum indignè, sibi edere & bibere condemnationem. Et ipsi Papistæ docent Sacramenta non prodesse ponentibus obicem. Quid ergo mirum, si non promiscuè in omni-

bus efficacia erant olim ſacrificia? An propterea nunquam efficacia.

X. Mirandum Sophiſma. Qui offerebat, vel iuſtus vel iniuſtus. Ita eſt, inquam. Sed iuſtus vel abſolutè; vt nullum commiſerit peccatum: vel κατά τι, vt iuſti dicuntur in Eccleſia, etiam qui peccant: iam ſi iuſtus abſolutè, huic fateor non eſſe neceſſariam remiſſionem, vt Chriſto. Sed eiuſmodi nemo præter eum vnicum: & non tantùm remiſſione, ſed ne ſacrificio quidem indigebat. Atqui legis diſerta verba, *Expiabit eum Sacerdos à peccato eius.* Item, *à peccato ſuo, quod peccauit.* At ſi iniuſtus, ait, nihil valebat ſacrificium. Abſolutè, concedo: Sed κατά τι, nego. Quis enim ille quæſo, qui peccabat per ignorantiam: qui negabat proximo ſuo depoſitum? Atqui huius valebant ſacrificia: quia propitiabant. Denique ſimilia vide. Qui Euchariſtiæ communicat vel iuſtus vel iniuſtus: ſi iuſtus, non eget remiſſione peccatorum: ſi iniuſtus, non valet ei Euchariſtia: niſi ad condemnationem. Ergóne Euchariſtiæ nulla efficacia de remittendis peccatis?

XI. Ezechiel. 18. nulla mentio ſacrificiorum. Quid tum? Nam ne Circunciſionis quidem: quæ tamen non negatur efficax. Sed ſi non hîc: ergóne aliàs nuſquam? Imò: hoc ipſo in Leuitico. In promptu cauſa eſt. Apud Ezechielem de remiſſione ipſa peccatorum ſermo eſt: non de modo, non de mediis ſiue inſtrumentis. Itaque non tantùm ſacrificia tacentur vetera; ſed ne noua quidem Sacramenta commemorantur. Imò poſt. ad Cor. 5. diſerta aſſeueratio remiſſionis; de Baptiſmo autem nec verbum. Nihílne ergo Baptiſmus pertinet ad remiſſionem?

XII. Non poſſe culpas expiari per ſacrificia, verum, ſed ne pœnas quidem temporales; quas tamen eis prolixè Bellarminus permittit. Verùm, id pertinet ad comparationem ſignorum, reíque ſignificatæ: quomodo Petrus negauit Baptiſmum exteriorem ſaluare. Concedimus enim Bellarmino, non purgare, niſi quatenus ſunt ſigna quædam proteſtantia fidem in Chriſtum. Certè enim aliter Sacramenta non ſunt: nec purgant, niſi quatenus Sacramenta. Ne noſtra quidem aliter, & tamen efficacia.

CAP. V.

Aduerſariæ obiectiones ex Veteri Teſtamento.

I. BEllarminus obiicit primùm ex Veteri Teſtamento locos, quibus dicitur Deus noluiſſe ſacrificia. Pſalmo 40. *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti.* Pſal. 51. *Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem: vtiq; holocauſtis non delectaberis Sacrificium Dei ſpiritus contribulatus.* Eſaiæ 1. *Quo mihi multitudo victimarum veſtrarum? quis quæſiuit hæc de manibus veſtris?* Hierem. 11. *Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Amos 5 *Quòd ſi obtuleritis mihi holocauſta, & munera veſtra, non ſuſcipiam; & vota pinguium non reſpiciam.*

II. Si Deus ſacrificia noluit ad iuſtificandum Iudæos: Ergo nulla ſacrificia iuſtificabant: At verum prius: Ergo poſterius. Sic enim placuit formam concipere, non explicatam à Ieſuita. Antecedens probat: quia non ſignificauerit Scriptura, Deum ἁπλῶς nolle ſacrificia: cùm ea ſibi fieri iuſſerit: ſed κατά τι, nempe ad expiandum peccatum. Addit; Si autem ſacrificia non iuſtificabant, multo minùs aliæ ceremoniæ: quæ nullæ habent clariores promiſſiones de remiſſione peccatorum.

III. Aſt ego moneo ante omnia, locum ex Hieremia peruerſiſſimè eſſe Latinè expreſſum, וּבְשַׂר-קֹדֶשׁ יַעַבְרוּ מֵעָלַיִךְ כִּי-רָעָתֵכִי אָז תַּעֲלֹזִי. Vbi fateor nonnihil eſſe perplexitatis; ſed nihil tamen accedens ad vulgatam. Arias ad verbum, *Et caro ſanctuarij tranſibunt deſuper te: quia malitia tua tunc exultaſti.* Pagninus, *Et carnes ſanctitatis tranſeunt à te: quia malitia tua exultas.* Certè audax fuit primò neglectus particulæ כִּי; quæ ſemper inchoat nonum orationis membrum: vnde alterum peccatum, vt conſtrueretur יַעַבְרוּ cum רָעָתֵכִי quaſi dictum, *auferent malitias tuas.* Porrò phraſis Hebraica, *tranſibunt à te,* ſignificat, deſerent te, auferentur à te: nullæ ſupererunt tibi. Vnde Iunius, *Carnes ſanctæ perierunt abs te.* Intelligunt autem Pagninus & Munſterus mutata fuiſſe ſacrificia legitima, in idololatriam. Hoc verò, quid ad ſacrificiorum inutilitatem?

IV. Ad argumentum dico, Deum noluiſſe ſacrificia ad iuſtificandum Iudæos, dupliciter dici, vel abſolutè & vniuerſaliter; vt neq; vnquam, neque vllo modo voluerit Deus vtilia eſſe ad iuſtificationem: & hoc ſenſu conceditur conſequentia; ſed negatur aſſumptum: contrà enim probatum c. præced. Alias potuit dici κατά τι, vt noluerit ſacrificia quoſdam Iudæos iuſtificare, & ſic facta. Atque ita conceditur aſſumptum, ſed negatur conſequentia.

V. Et ratio negandi facilis: tum quia id κατά τι diſcedit ab inſtitutione; ſecundùm quam diſputatur nunc de Sacramentis. Et quia non de omnibus ſuſcipientibus agitur, ſed de quibuſdam tantùm. Atqui omnibus eſt Sacramentis commune, vt ſecundùm quid, inutilia ſint. Nam & Papiſtæ concedunt in ponentibus obicem nihil efficere. Et Paulus non de typis tantùm veteribus, ſed etiam de Sacramentis nouis, itidem docet prior. ad Cor. 10.

VI. Porrò ſacrificia dicuntur Deo κατά τι non accepta, duplici conſideratione, quæ vtraque ſemper valuit in omnibus Sacramentis. Prior eſt, ad quam pertinent illa duorum Pſalmorum teſtimonia: videlicet cùm ſigna pro rebus accipiuntur: adeò vt iis tanquam propriis, & neceſſariis iuſtificationis cauſis hæreatur. Significat ergo Pſalmiſtes in ipſis ſacrificiis, tanquam externis ritibus non conſiſtere veram iuſtificandi rationem. Atque adeò opponit comparationis alterum membrum, nempe obedientiam; quam Bellarminus non debuit omittere. In priore; *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures fodiſti mihi, holocauſtum & ſacrificium pro peccato non poſtulaſti, tum dixi: Ecce veni, in volumine libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus mi. Volui, & lex tua in medio viſcerum meorum eſt.* In altero. *Quoniam non vis ſacrificium, & dediſſem, holocauſtum non vis. Sacrificia Dei, ſpiritus contritus, cor contritum & confractum, Deus, non deſpicies.*

VII. Itaque Ianſenius in paraphraſi, *Sacrificium pacificorum, & oblationem libaminum non per ſe, nec magnopere requiris. Holocauſtum & hoſtiam pro peccato non magnopere poſtulaſti, nec per ſe hæc tibi grata ſunt.* Et in altero Pſalmo, *Si pro expiatione peccatorum meorum, à me exegiſſes ſacrificium aliquod externum, obtuliſſem ſanè illud, verùm, holocauſtis non per ſe delectaris, nec adeo tibi placent, vt per ea peccata apud te purgentur, & dimittantur.* Genebrardus *Quæ omnia Deus noluit, id eſt, accepta non habuit, neque probauit per ſe, ſiue ratione illarum rerum ſed duntaxat, quatenus fiebant ex obedientia erga ſe, & fide in venturum Mediatorem.*

VIII. Quanquam res teſtibus non eget. Nam Chriſtus Matth. 9. & 12. propoſuit axioma vniuerſale, *Miſericordiam volo, non ſacrificium:* non ſignificans tamen nihil eſſe ſacrificia: ſed poſthabenda miſericordiæ. Maldonatus, *Non negat ſe ſacrificium velle, cum ipſe inſtituerit, ſibique iuſſerit offerri: ſed dicit ſe miſericordiam malle, quam ſacrificium; id eſt, ſacrificium internum, quam externum. Et ſi alterutrum defuturum eſt, malle externũ, quod in carnalibus hoſtiis, quam internum, quod in corde conſiſtit deeſſe ſacrificium.* Franciſcus Lucas, *Non reprobat locus ſacrificia, ſed præfert illis, ac proinde & aliis rebus omnibus externis, miſericordiam.*

IX. Altera conſideratio eſt ab abuſu: nimirum cum qui offerunt ſacrificia, ipſi dant interim operam impietati. Et huc pertinent illi ex Prophetis loci. Certe Eſaias inuehitur *in gentem peccatricem, populum grauem iniquitate, ſemen malorum, filios corruptores.* His igitur dicit, *Quo mihi multitudo victimarum:* Sed nota, *veſtrarum:* Vt paulo poſt, *Calendas veſtras, & ſolennitates veſtras odio habuit anima mea.* Vbi non tantum ceremoniæ deſignantur, ſed etiam perſonæ. Optime Baſilius, *Inter ea quæ à Principibus audiri debent, & conſeruari à populo, eſt & hoc, quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum?* θυσία ἀσεβῶν βδέλυγμα παρὰ κυρίῳ, *Siquidẽ victima impiorum, abominatio apud Dominum.* πῶς δὲ διὰ θυσιῶν τῶν ἐν πλήθει προσαγομένων ἄνευ ἀξιολόγου μετανοίας ἐλπίζετε εὑρήσειν τινὰ ἀπολύτρωσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν, *Qua, quæſo, fiducia, nixi, per victimas, quas quidem numeroſe offertis, ſperatis vos aſſequuturos vllam redemptionem animarum veſtrarum, ſine condigna ac rationabili pœnitentia? Non enim in ſanguine animalium, non item mactationibus pecorum aræ impoſitis: ſed corde contrito propitiatur Deus. Victima enim Deo non ingrata ſpiritus eſt contribulatus.* Τὸ αὐτὸ καὶ πρὸς τοὺς ἐν δαπάναις ἀφειδεῖς, μὴ μεταγινώσκοντας δὲ διὰ τῶν ἔργων, ἁρμόσει λέγειν, *Iſtud autem ipſum conueniet in eos qui ad inſumendas expenſas profuſiores quidem ſunt, non autem ipſos iniquè geſtorum pœnitet.*

X. Eadem ratio Amoſi. Itaque Dauid Kimchi, כיון שמעשיהם רעים האל יתב מאס אותם הקרבנות, *Deus benedictus reſpuit eas oblationes propterea quod opera eorum mala eſſent.* Et manifeſtum eſt ex contextu. Nam vniuerſa prophetia eſt aduerſus Iſraelem poſt inſtitutam idololatriam.

XI. Manifeſta iam ſolutio eſt. Nam ex primis duobus locis conficitur hoc argumentum. Quæcunq; Sacramenta efficacia ſunt: ea placent Deo propter ſeipſa: At ſacrificia vetera, non placebant Deo ipſa propter ſe: Ergo non erant efficacia. In quo ſyllogiſmo vera eſt minor; ſed maior falſa: Nam ne noua quidem Sacramenta placent Deo ipſa propter ſe. A reliquis duobus ita argumentandum. Nulla Sacramenta efficacia diſplicent Deo propter abuſum: At Sacramenta vetera diſplicuerunt Deo, propter abuſum: Ergo non fuerunt efficacia. Vbi rurſus minor vera: maior falſa. Nam ipſa noua diſplicent Deo propter abuſum: & ſic ſemper perſuaſum Chriſtianis, Baptiſmum non prodeſſe extra Eccleſiam ſumptum.

CAP. VI.

Argumenta Papiſtarum ex Nouo Teſtamento, & Ratione.

I. A Veteri Teſtamento tranſit Bellarminus ad Nouum: Primumq; inde locum ſelegit ex 3 ad Rom. *Quid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas Circumciſionis? Multum quidem per omnem modum. Primum, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Hinc concludit. Iudæi circuncisi vno duntaxat præſtabant Gentibus, quod habuerint legem Dei & oracula Ergo Circunciſio non iuſtificabat. Conſequentiam firmat: quia ſi iuſtificaſſet: ergo Iudæi præſtitiſſent etiam iuſtitia. Antecedens probat: quia illud; *Primum,* non ſit ordinis, ſed præcipuum deſignet: nec enim Paulus quicquam protulit præterea.

II. Reſpondeo; in antecedente Iudæos, vel indefinite ſumi, vel vniuerſaliter. Si vniuerſaliter; vt ſenſus ſit, nullos vnquam Iudæos circunciſos alia vlla re præſtitiſſe: falſum dicitur: nam quidam Iudæi eo etiam præſtiterunt, quod iuſtificati fuerint, & propterea circuncisi: quia ſcilicet ea inſtitutio erat eius Sacramenti. Sin autem indefinite; ridicula conſequentia; quæ ab non vniuerſali antecedente, vniuerſale conſequens elicit.

III. Iam in Paulo manifeſte peccat, qui dixit negare vllam aliam fuiſſe prærogatiuam Circunciſionis. Quorſum enim illud Πρῶτον μὲν? Etenim, vt fatear non eſſe ordinis; ſed excellentiæ; tamen ineptiſſimum eſt etiam propter excellentiam, πρῶτον dicere, quod ſolitarium eſt, cuique nihil ſubiicitur? Itaque Iuſtinianus in illa ipſa verba, *Cæterum multa, atque eximia numerari poſſe Iudaicæ gentis priuilegia quis ignorat?* In iis autem multis hanc efficaciam eſſe, vt ſcias: ſtatim Iuſtinianus idem, *Erat olim populus Dei peculiaris. Te, inquit Moſes, elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris, de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram.* Atque hæc ipſa erat efficacia Circunciſionis, vt antea explicatum.

IV. Sed Paulus, ait, nihil aliud enumerat. Imo contradicunt Papiſtæ. Guillaudus, *Primum, hic ordinem ſignificat ſermonis, potius quam præcipue: ſubiunget enim Paulus multa Iudæorum prærogatiua, vſque ad finem epiſtolæ, quæ non Iudæorum virtutes, ſed Dei dona declarabunt.* Dominicus Soto, *Et ait, primum, quia per totam fere Epiſtolam, denarrat eorum priuilegia: ob idq; dixit multum per omnem modum.* Caietanus, *Quid autem ſit hoc multum, & qui ſint iſti omnes modi inferius narrando prærogatiua Iudæorum (quæ vſq; ad finem epiſtolæ extenduntur) declarabit. Primum quidem incipit in ſpeciali declarare multum ac modũ. Et aduerbium primũ, ordinem enumerationis ſignificat: ſubiunget enim multas alias Iudæorũ prærogatiuas.* Mitto reliquos. Thomas, *Deinde cum ait, Multũ quidem; ſoluit præmiſſam obiectionẽ, & primo quidẽ, quantũ ad prærogatiuam Iudaiſmi: ſecundo, quantum ad vtilitatem Circunciſionis; quarto capite ibi, Quid ergo dicemus.* Falſus eſt ergo iudicii Bellarminus; qui vniuerſaliter neget à Paulo quicquam prærogatiuæ proferri, præter hæc eloquia Dei. Cum tamen iſti teſtes, & Papiſtæ, dicant, alia non pauca capita numerari. Pudentius negaſſet hoc loco alia recenſeri; Sed inutilius; quia non ſi hic non recenſeantur, propterea nulla ſunt.

Quin

Quin etiam non ineptè Thomas quæstionem distinxit geminam: Vnam, *Quid amplius Iudæo est?* & hanc tractari hoc capite: alterã, *aut quæ vtilitas Circuncisionis?* cui explicandæ sit caput quartum. Atqui hoc c.4. disertè asserta hæc efficacia Circuncisionis, quam Bellarminus impugnat.

V. Instat; Paulum præcipuè refutare Iudæos præcellere iustitiâ. Ideo addere, *Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Caussati enim sumus, Iudæos omnes & Græcos sub peccato esse*, & his verbis clarissimè docere, Circuncisionem non iustificasse. Non enim dicere nullum fuisse iustum ante Christum: sed non fuisse iustos ex eo, quòd essent circuncisi, verùm ex eo, quòd in Christum venturum crederent. Confirmat; ex eo quod dictum, *Ex operibus legis nõ iustificabitur omnis caro coram illo.* Cùm tamen Circuncisio fuerit opus legis. Et rursus, *An Iudæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? Imò & gentium: quoniam vnus est Deus, qui iustificat Circuncisionem ex fide, & præputium & fidem.* Quasi dicat; Deus est omnium Deus: quomodo igitur credibile est, eum dedisse remedium contra peccatũ solis Iudæis? Cui similiter dici potest: an masculorum Deus tantùm? nonne & fœmiarum? Quis ergo credat, Deum dedisse remedium, quod solis masculis prodesset?

VI. Respondetur variè. Primùm, ex Thoma, hæc non pertinere ad disputationem de vtilitate Circumcisionis, quæ inchoatur capite sequenti: sed ad priorem de prærogatiuis Iudæorum. Non sequitur autem, si Iudæi non præcellant Gentes; ideo nullam esse circuncisionis vtilitatem, aut efficaciam. Secundò; non agi de iustificatione; sed de iustitia. Est autem longum inter vtramque discrimen? nam hæc est vita aliena à peccatis: ideóque supponit non peccari. At illa, est condonatio peccatorum; ac proinde supponit peccari. Agi de iustitia, manifestum: quia enumerantur peccata grauissima, qubus erant obnoxij Iudæi. Atqui non sequitur, si Iudæi fuerint egregij peccatores, ideo nullam esse Circuncisionis vim ad iustificandum.

VII. Fateor equidem istos egregios peccatores, non fuisse iustificatos: eatenúsque fuisse illis inutilem Circuncisionem; sed per abusum. Salmero, *Respondet ergo, multum per omnem modum. Iudæum donis, & prærogatiuis præcelluisse Gentibus: sed propter incredulitatem suã nõ fuisse illis donis iustificatos, neq; alijs præstãtiores, sed vniuersos mortales æqualiter fuisse, multis ac magnis peccatis implicitos, imò Iudæos per ingrati animi vitium grauius deliquisse.* Vnde conficitur: primùm, non esse vniuersale enunciatum continens vniuersaliter omnes omnino Iudæos. Nam in ea gente nemo dubitat fuisse multos verè pios, nec ingratos in Deum. Alterum, hanc inutilitatem esse Circuncisioni per accidens; nimirum, ab incredulitate circuncisorum. Vtroque autem modo & Christiana Sacramenta non raro sunt inutilia: quæ tamen constanter negantur inutilia. Discant inde aduersarii Circuncisionem metiri. Denique falsum loqui Bellarminum, voluisse Paulum iustos fuisse, quòd in Christum venturum crederent, non quòd essent circuncisi. Nam profectò, qui increduli, qui ingrati in Deum, ij non credebant in venturum Christum.

VIII. Enimvero solidum est, operibus legis neminem iustificandum. Nec negandum Circuncisionem esse opus legis. Sed ludit Sophistes παρὰ τὸ συμβεβηκός. Neque enim Circuncisio iustificauit vnquam, quatenus opus legis: alioquin iustificare debuit circuncidentem: & iustificauit tamen circuncisum, cuius non erat opus. Debuit rursus non iustificare infantem, non capacem liberi arbitrij. Nimirum iustificabat tanquam Sacramentum: non tanquam opus: sicut nunc Baptisma.

IX. Contra peccatum esse datum remedium solis Iudæis, verum est, si sacramentale intelligas. Sed hoc Paulus tunc non agebat: verùm de propria & perpetua ratione iustificandi. Vnde fidei diserta mentio. Nam hæc non iustificat sacramentaliter. Hæc autem propria causa, non substitit in Iudæis; quin communis facta gentibus. Nihil autem obstat quominus verum sit, & Deum esse Deum omnium gentium, ac proinde omnibus gentibus proposuisse tandem, communem iustificandi rationem: & tamen peculiariter Deum fuisse Iudæorum; indeque eis assignasse peculiare remedium sacramentale.

X. Masculorum ac fœminarum primò similem rationẽ esse nihil impedit: scilicet, vt maribus solis datum sit signum sacramentale. Nihil rursus quominus & aliam: scilicet hanc ipsam Circuncisionem profuisse fœminis, etiamsi maribus tantùm hærentem: nempe quia signum esset fœderis, quo fœdere promittebat Deus se futurum Deum seminis Abrahamici, quo semine non tantum mares continebantur, sed etiam fœminæ. Itaque etsi dictum, *Circuncidetur omnis masculus*; tamen non dictum, Ero Deus tuus, & seminis tui masculi, sed absolutè, & seminis tui. Simili exemplo, Eucharistia est Sacramentum vnionis cum Christo; à qua non debent infantes arceri, & tamen Eucharistia non est infantibus instituta.

XI. Rursus ex 4. ad Romanos obiicit, Apostolum ex professo probare, Abrahamum non in Circuncisione fuisse, sed in præputio iustificatum; vt inde admoneat Circuncisionem non ideo esse datam, vt iustificaret. Si enim is cui primò data est, non fuit ex ea iustificatus, quantò minus alij ex ea iustificandi erant?

XII. Sed contrà, propositum Apostolo probare Abrahamum non esse ex operibus iustificatum, patet ex ipsis verbis, tam manifestis, vt sit mirum potuisse quenquam aliter concipere. *Nam si Abrahamus*, inquit, *ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Itaque Interpretes, Iustinianus, *Origenes, Oecumenius, Augustinus, confirmare illum docent, quod superiori capite asseruerat, non ex operibus, sed ex fide hominem iustificari. Proposito namq;, vt obseruauit Chrysostomus, exemplo Abrahæ non minus fide quàm operibus clari, illum nequaquam ex operibus, sed ex fide fuisse iustificatum.* Toletus, *Et ea est vera & legitima connexio.* Pererius, *Sententiam & doctrinam suam de iustificatione hominis dudum traditam, illam dico, iustificari hominem per fidem sine operibus, Paulus hoc quarto capite etiam magis confirmat, & illustrat exemplo Abrahæ.* Alios missos facio; Dominicum Soto, Guillaudum, Gagnæum, Lombardum, Carthusianum.

XIII. Atqui hoc posito manifesta solutio est. Nam iustificatio per Circuncisionem, nulla ratione potest dici ex operibus: Quia Circuncisio non est opus, sed signum, siue σφραγίς, siue, vt nos loquimur, Sacramentum. Propterea Paulus disertè; quid? Non dixit, opus Circuncisionis fecit: sed accepit signum Circuncisionis. Nota, accepit: nimirum ab instituente, imperanteq; Deo; eodemque signante, & obsignante.

XIV. Sed enim fuisse iustificatum, non in Circuncisione, sed in præputio. Intelligo; nimirum, vt ne tanquam à causa efficiente: quam semper oportet, esse priorem suo effecto: sed an propterea non vt à causa morali; & quidem significante? Nam hoc de genere causæ nunc disputatio est: quam nihil obstat esse posteriorem suo effecto; vt aliàs dictum. Sic in Cornelio Centurione Baptismus posterior fuit iustificatione. Augustinus super Leuitic.q.84. *Cornelius, & qui cum eo erant, cùm iam inuisibiliter infuso Sancto Spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen: nec superflua iudicata est visibilis sanctificatio, quam inuisibilis iam præcesserat.* Itidem in Numer. q.33.

XV. Succedunt loci, quibus inutilitas indicatur ceremoniarum Iudaicarum. Prioris ad Cor.7. *Circuncisio nihil est: & præputium nihil est.* Ad Galat.4. *Quomodo iterum conuertimini ad infirma & egena elementa, quibus iterum seruire vultis?* Et 6. *Neq; Circuncisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatura.* Ad Philip.3. eam iustitiam quæ ex lege, esse detrimentum: & Circuncisionem, concisionem. Ad Colossens.2. Sacramenta vetera, esse vmbras futurorum, corpus autem Christi. Ad Hebræ.7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem, & inutilitatem.* Ad Hebræ.9. Ceremonias veteres fuisse iustitias carnis, & sanctificasse inquinatos solùm ad emundationem carnis. Ad Hebr.10. legem vmbram habuisse, non ipsam imaginem rerum; nec potuisse perfectos facere: aut auferre peccatum, & mundare conscientiam.

XVI. Respondeo, hos locos distinguendos in duos ordines maximè; vt de ceremoniis loquantur veteribus, alij vt iam repudiatis, alij vt adhuc stantibus. Nam post Christi aduentum, Euangelij prædicatio vsum sustulit omnium Mosaicarum ceremoniarum; adeò vt nulli ab eo tempore fuerint vsui. Ab his igitur locis non potest argumentum valere magis quàm si quis cadauer aspiciens, negaret vnquam respirasse. Nostra autem quæstio est, non quid sint, sed quid fuerint Sacramenta vetera.

XVII. In hoc ordine primus ille locus est, ex 7. prior. ad Cor. hortatur enim Paulus eos qui ex Iudæis Christiani fiebant; ne reuocarent præputium; & se non ægrè ferrent circuncisos. *Circuncisus aliquis*, inquit, *vocatus est: ne attrahat præputium. In præputio aliquis vocatus est? ne circũcidatur.* Ex quib. verbis manifestum, legem dari, non veteribus vllis: neque enim dicendum fuisset, ne circunciderentur: quandoquidem in oppositum erat præceptum; sed iis qui tum temporis vocabantur ad Christum. Itaque in præsenti, *Circuncisio nihil est; præputium nihil est*: at non similiter, *Circuncisio nihil fuit*: quæ nostra quæstio est.

XVIII. Ei loco prorsus similis locus 6. ad Galatas; Nam Paulus itidem disputat aduersus eos, qui cogebant Galatas circuncidi: *Quicunq; volunt*, inquit, *speciosi apparere in carne, ij cogũt vos circuncidi.* Et, *Ne ipsi quidem qui circunciduntur legem seruant: sed volunt vos circuncidi, vt de vestra carne glorientur.* His ergo sic cogentibus Christianos circuncidi, opponit Paulus nihil esse, aut Circuncisionem aut præputium in Christo Iesu. Neque alia ratio c.4. *At nunc cùm cognoscatis Deum; imo potius edocti sitis à Deo, quomodo conuertimini retrorsum ad impotentia & egena elementa.* Quis enim non videt sermonem esse ad eos, qui iam professi erant Christianismum? Atqui id ne cogitari quidem potest, vt non veniat in mentem mutatio facta à Iudaismo in Christianismum, quæ necessariò supponit cessationem typorum.

XIX. Sed & concisio, ex ad Philippe. seseodem pertinet. Oecumenius; Τὴν κατατομὴν τοὺς περιτεμνομένους φησίν· ἀλλ' ἐπειδὴ, οὐκέτι νομίμως ἐγίνετο παρὰ Ἰουδαίοις ἡ περιτομὴ (ἡ γὰρ νόμιμη νῦν ἐστι τὸ πνεύματι περιτέμνεσθαι τὴν ψυχὴν) κατατομὴν αὐτὴν ἐκάλεσε, δηλῶν ὅτι οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ἡ περιτομὴ, ἢ σώματος κατατομή. τῆς γὰρ ἀληθείας ἐλθούσης, ἀνάγκη τοὺς τύπους ἀργεῖν, *Concisionem, dicit ipsos circuncisos. Verùm postquam non fiebat ampliùs legitimè apud Iudæos Circuncisio: (legitima enim nunc est, cùm spiritu circunciditur anima) concisionem eam vocauit; significans nihil aliud esse Circuncisionem, nisi corporis concisionem. Etenim adueniente veritate, necesse est figuras cessare.*

XX. Restat alter ordo testimoniorum, quæ Circuncisionem; aliásve ceremonias considerant in vsu suo. Quale illud ad Colossenses, fuisse vmbras futurorum; ad Hebr.7. reprobatum præcedens mandatum propter infirmitatem & inutilitatem; & 9. fuisse iustitias carnis; & ad emundationem carnis. Verùm, in his manifestum est ita considerari typos veteres; vt externi ritus & significantes, opponantur rebus internis & significatis; in quibus tota semper Sacramentorum efficacia. Sic qui vmbras dixit rerum, addidit corpus esse Christi. Vbi Oecumenius, μέλλουσαν φησὶ τὴν καινὴν διαθήκην, οὐκ ἐπειδὴ οὔπω ἦν πολιτευομένη, ἦν γάρ, ἀλλ' ὡς πρὸς τοὺς τύπους τούτους καὶ τὰς σκιάς, μέλλουσα ἦν. *Futurum dixit Nouum Testamentum, non quòd nondum administratum esset, erat enim, sed quia comparatè cum his typis & vmbris, futurum esset.* Et qui reprobatum dixit præcedens mandatum, introductam addidit spem meliorem, per quam appropinquemus Deo: non specialiter agens aut de Circuncisione, aut de ceremoniis; sed generaliter opponens testamentum testamento, fœdus fœderi. Nemo enim ignorat Apostolo ad Hebræos hoc propositum, vt asserat complementum typorum veterum esse in Christo.

XXI. Atqui omnem omnium Sacramentorum vim constat attendendam in relatione signorum, & rerum. Adeò vt etiam in Sacramentis, quorum vsus est magnus in Ecclesia, non possit aliter. Et Petrus cùm vtilitatem commendat Baptismi, disertè distinguit ablutionem sordium corporis, ab interrogatione bonæ conscientiæ. Et pridem definitum Baptismum in schismate, vel hæresi, quantumvis legitimum, tamen non prodesse. Manifesta ergo solutio, non propterea nullam esse Circuncisionis vtilitatem; quia eius signum nihil prosit, si separetur à re significata. Alioqui ne Baptismi quidem esset vlla efficacia.

XXII. In his solutionibus mirum est Bellarmini ingenium. Primùm enim Caluino solutionem affingit vnam communem cum Chemnitio, de Ceremoniis veteribus, prout intelligebantur perperam à Iudæis: ex §.23 lib. 4.c.13. Institut. quo tamen loco nulla solutio tractatur, nulla obiectio examinatur, sed ponitur duntaxat status controuersiæ.

XXIII. Deinde, quas nos duas protulimus; indiscriminatim enumerat, quasi promiscuè vtraque pertineat ad omnes locos subiectos. Vnde in refutando peccatum; cùm abutitur locis ad quos vna pertinet ad euertendam alteram. Sic cùm respondetur Paulum loqui de typis pro tempore, quo iam erant abrogati: contrà, inquit, *Circuncisio prodest, si legem obserues*; vbi

sermo de Circuncisione cùm adhuc vigeret. Iterum, si dicamus Paulum non agere de efficacia, sed de modo significandi; vt loquebatur Caluinus: vel vt nos loquebamur de signis comparatiuè ad res significatas, obiicit illa verba, *Nihil est, nihil valet, elementa egena, infirma, inutilia*, non posse nisi de efficacia exponi.

XXIV. Atqui, inquam, vtrumque est verum; prout à nobis distinctum; variè variis locis sermonem institui de iisdem rebus. Neque vbi de abrogatis agitur, ibidem agi de vigentibus: aut contrà. Itaque nos non lædunt huiusmodi instantiæ: ostendunt tantùm Sophistas esse illudendi peritissimos.

XXV. A Scripturis ad rationes Bellarmini veniamus. Nam quæ ille plura addit de variis solutionibus; nihil ad nos. Prima illi ratio hæc est: Omne Sacramentum iustificans, habet annexam promissionem absolutam gratiæ. At veteris legis Sacramentis, nulla erat: Ergo non iustificabant.

XXVI. In huius argumenti maiore, nescimus quo sensu absolutam promissionem dicat. Itaque dum clarius fiat & liquidius, omittimus: promissionemque tantùm admittimus: nam neque in sequentibus aliter repetitur. Negamus igitur minorem.

XXVII. Ille probat; tribus argumentis, Primo ex ad Hebr. 8. *Melius sortitus est ministerium: quanto & melioris testamenti minister est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Et pòst, cùm explicantur quæ sint istæ promissiones meliores, profertur ex Hierem. 31. *Propitius ero inquitatitibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius.*

XXVIII. Respondeo meliores promissiones dici vel materialiter, vel formaliter. Priori modo cùm res rebus comparantur, putà, æternæ, temporalibus: quomodo melior est promissio vitæ æternæ, ea promissione quæ non nisi terram Canaan continebat. Altero modo; cùm ratio varia est promittendi; vt accidere potest in re eadem. Nunc facilis argumenti solutio est: nam eius oportet hanc formam esse: Cuius Testamenti promissio est minùs bona, ei non est addita promissio iustificationis: At Veteris Testamenti promissio est minùs bona. Enimverò priori sensu maior vera; & minor falsa: posteriori autem contrà; minor vera, falsa maior.

XXIX. Iam ad Hebræos, dico meliorem promissionem dici posteriori notione. Quia manifestum est fœderi veteri propositam esse salutem per misericordiam Dei. Clarum ex institutione Circuncisionis, *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.* A qua promissione factum, vt Paulo dicatur Abraham pater cùm Circuncisionis tum præputij: quarto ad Romanos. Clarum rursus: quia notum fœdus constituitur in propitiatione, ipso illo loco quem aduersarius recitat. Atqui Deus propitius fuit peccatorum in Veteri Testamento; alioquin nemo fuisset saluatus. Clarum denique; quia obtinuerunt Patres, id quod habuerunt promissum. At obtinuerunt regnum cœlorum. Matth. 8. *Multi ab Oriente & ab Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.*

XXX. Alterum argumentum Bellarmini. Ex Augustino, in Psalm. 72. dicente promissiones Testamenti Veteris & Noui esse diuersas, vt etiam ipsa Sacramenta: tunc enim promissas res terrenas, nunc autem cœlestes.

XXXI. Verùm Augustini sententiam peruidimus capite præcedenti. Quod nunc obiicitur, non negat fuisse Veteri Testamento vllas promissiones præter terrenas: sed te renas asserit fuisse: atque has quidem figuras aliarum. *Tales*, inquit, *erant & illæ promissiones non perseueraturæ, per quas talmen figurabantur futuræ promissiones perseueraturæ: vt ille omnis decursus temporalium promissionum, figura esset, & quadam prophetia futurorum.* Et pòst, *Quare autem illæ defecerunt, nisi vt aliæ quærerentur? Vt quærerentur, quæ? Quæ ibi non erant? Non: sed quæ ibi tegebantur figuris: non quæ iam ibi non erant, sed ibi tanquam in radice occultabantur quibusdam secretis mysteriorum, quæ, inquit ipse Apostolus, figuræ nostri fuerunt.* Res manifesta. Fuerunt in Veteri Tastamento promissiones aliæ quàm temporales: earum promissionum figuræ fuerunt promissiones temporales: Ergo, inquam, non eo distat Vetus Testamentum à Nouo, quòd in illo nullæ promissiones non temporales: sed quòd temporales in figuram aliarum. Et Nouum à Veteri, non quòd in illo nullæ non cœlestes: sed quòd quæ non cœlestes, non in figuram cœlestium.

XXXII. Tertium argumentum Bellarmini, ex enumeratione eorum quæ Sacramenta dicuntur vetera: Sacrificium Abel, Vellus Gedeonis, Horologium Achaz, Circuncisio, Sacrificia pro peccato, Manna, Mare rubrum; Enimvero sacrificij Abelis nullam legi promissionem, sed tantùm ex postfacto Abelem placuisse Deo. Iridem habuisse promissionem duntaxat corporalis salutis; ideoque datam in signum, non hominibus tantùm, sed etiam bestiis. In vellere Gedeonis, & horologio Achas, facta esse signa ad confirmandam promissionem victoriæ contra hostes. De reliquis actum esse cum refutarentur argumenta nostra.

XXXIII. Sed & nos de postremis loquuti sumus c. præced. Reliqua quorsum? In Iride, Vellere, Horologio; fatemur promissa fuisse tantum temporalia. Verùm quid hoc, vt negentur vetera Sacramenta fuisse efficacia? Rectè si ostendantur effectu suo caruisse: quod contrà manifestum ex euentu. Non enim fefellit Deus quenquam: & verè illa sequuta sunt effecta, quæ iis signis confirmabantur. Vnde argumentum certum. Quis enim credat in temporalibus solis firmam esse promissionem Dei, in spiritualibus ludificatoriam? Omnia signa instituta à Deo promittunt vel temporalia, vel spiritualia Atqui vtraque sunt efficacia. Ergo omnia. De temporalibus manifestum: de spiritualibus clarum à minori ad maius. Quid ergo Sophista promouet?

XXXIV. Sacrificio Abel concedimus nullam additam promissionem legi: nam neque institutionem. Sed nullam fuisse, negamus sequi. Quomodo enim ex postfacto institutionem colligimus: sic promissionem. Neque enim institutionem concipere est, absque promissione addita.

XXXV. Secundam rationem Soto exhibet ex Thoma, Sacramenta veteris legis si vim habuerunt iustificandi, tum vel per se ipsa, & propria virtute, vel ex passione Christi: At neutrum: Ergo non habuerunt vim conferendi gratiam. Probatur assumptum. Non per se; quia superflua esset Christi passio. Non à passione Christi. Nam si sic, ergo per Sacramenta vetera applicaretur passio Christi. At hoc falsum. Nam si sic: ergo vel per solam internam intentionem, sicut finis, qui per eam mouet agentem: vel per realem exterioremque actionem; vt quando causa efficiens passum attingit. At neutro modo. Probatur. Non priori: quia sic applicatur per fidem: tum autem Sacramenta posteriori modo applicant. At hoc tamen modo vetera non applicasse probat; quia quæcunque sic applicantur, ea oportet tum existere cùm applicantur. Habent enim rationem causæ efficientis, quæ semper prior est suo effecto. At passio Christi, nondum extabat. Ergo non applicabatur. Sed applicatur per Sacramenta Noui Testamenti: vtpote iam existens.

XXXVI. Respondeo, nulla Sacramenta ex se vim habere. Sed vetera non habere ex Christi passione, falsum. Contrà enim Paulus dixit, Veteres bibisse de Petra, quæ erat Christus. Et Baptistes dixit, *Ecce agnus, qui tollit peccatum mundi.* Paulus etiam, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Denique, quia vis tota Sacramenti est significatio: quæcunque significant Christum, eadem vim suam sumunt à Christo, Christique passione. At vetera significasse Christum, ne ipsi quidem Papistæ induxerunt in animum negare: Paulus etiam testatur, tum alias, tum ad Hebræos, item Patres plurimi.

XXXVII. Non applicari passionem Christi per vetera Sacramenta vehementer falsum. Nam ipsa Sacramentalis significatio est applicatio. Et verò quis nescit Sacramenta esse signa gratiæ? At gratia nulla nisi in applicatione: quando quidem ne imaginatione quidem concipi queat, nisi alicui facta. Est enim vel remissorum peccatorum, vel donorum consequentium: vtrumque tam necessariò applicationem infert, quàm dies præsentiam Solis: non enim remittitur nisi hoc illúdve peccatum: non confertur nisi hoc illúdve donum: ac proinde nisi huic aut illi homini. Nec Sacramenta possunt indefinitè signa esse remissionis peccatorum: alioquin posset aliquis non pro se baptizari, circuncidive, sed pro alio. Itaque necesse est in Sacramentis ipsam significari applicationem gratiæ.

XXXVIII. Applicatio tamen vel Dei dicitur applicantis homini; vel hominis ipsius sibi applicantis. Sacramentalem autem dico esse prioris ordinis maximè & præcipuè: nec secundi nisi subordinatè. Patet exemplo infantium, qui ipsi sibi applicare cùm nequeant, tamen accipiunt Sacramenta, nec frustra. Itaque necesse est istis applicari gratiam Sacramentalem aliunde. At non ab homine: ergo à Deo. Passionem verò Christi non applicari nisi per intentionem interiorem, vel per realem exterioremque actionem; potest negari: quandoquidem applicetur per Dei decretum: quod neque pertinet ad interiorem effectum: & sæpe non habet adiunctam operationem. Sed esto nihilominus. At in Sacramentis dico applicari per externam operationem, nimirum Sacramentalem, subordinatam Dei decreto.

XXXIX. Hoc verò non potuisse fieri per vetera Sacramenta, penitus negatur. Nam causam efficientem non posse applicari, nisi prior extiterit suo effecto, verum est duntaxat in causis Physicis: at in moralibus aliter rem habere, alias dictum. Imò causam Physicam oportere extitisse falsum: sed esse priorem: hoc est, prius habere suam existentiam, sed hanc tamen habere tum cum operetur: nimirum quia necesse sit actu applicari rei patienti: quæ autem actu non sunt, non possunt actu physico applicari. Sic quæ emplastra olim Galenus imposuit, etsi suam existentiam habuerint, tamen sanitatem nullam possunt efficere. Porrò passio Christi nunc actu non extat: quum iamdudum præterierit, *Christus enim semel passus, amplius non patitur*; ad Hebr. 7. & 9. Causa verò moralis æquè applicari potest præterita & futura. Esse autem Christi passionem causam non physicam, sed moralem, vix videtur admonendum, cùm sit meritoria. Itaque hanc applicari non tantum nobis, qui posteriores sumus, sed etiam olim Patribus, nihil est quod vetet. Atque hinc audimus, *agnum occisum ab origine mundi.* Deus igitur omnibus saluandis ab initio mundi hanc cædem applicauit, etiam multis pòst seculis futuram: æquè ac multis antè seculis præteritam.

XL. Tertia ratio est apud Bellarminum. Lex vetus tota in hoc distinguitur à noua, quòd illa non iustificet, sed hæc. Ergo fieri non potest, vt Sacramenta vetera, quæ erant pars quædam illius legis, iustificarent. Probatur antecedens, Ioan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Secundò, vetus vocatur litera occidens, noua, spiritus viuificans: poster. ad Cor. 3. At fuisset etiam vetus spiritus viuificans, si iustificasset. Tertiò, illa in seruitutem generauit, nostra libertatem attulit: ad Galat. 4. Quartò, dicitur Vetus Testamentum, quoniam ad veterem hominem pertinet, nec renouare nouit: nostrum vero nouum, quia renouet: testis Augustinus 3. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 4. Et Paulus, qui 3. ad Titum, Baptismum vocat lauacrum renouationis.

XLI. Respondeo nusquam legi in Scriptura: Legem veterem non iustificare: sed legem simpliciter, id est, regulam operum bonorum. Distinguendumque esse diligenter Vetus Testamentum, à lege. Nam Vetus Testamentum fuisse temporale, scilicet ad vsque Nouum: at legem esse perpetuam. Sic Augustinus in Psal. 73. dixit, *Præcepta eadem, Sacramenta non eadem. Nam non occides; non mœchaberis, non furaberis, honora patrem & matrem, non falsum testimonium dixeris, non concupisces res proximi, & non concupisces vxorem proximi tui, & nobis præceptum est, & quisquis ea non obseruauerit, deuiat.* Quanquam quid opus multis? Cùm idem 4 c. tertij contra duas Epistolas Manichæorum multis hanc Legis & Testamenti Veteris distinctionem exsequatur, & ex professo? *Quis Catholicus dicat, quod nos dicere iactitant, Spiritum Sanctum adiutorem virtutis in Veteri Testamento non fuisse? Nisi cùm Vetus Testamentum sic intelligimus; quem admodum Apostolus dixit, à monte Sina in seruitutem generans.* Et pòst citatum Apostolum ex ad Galat. 3. *Hoc certè si quæramus, vtrùm hoc Testamentum, quod dicit confirmatum à Deo, non infirmari à lege, quæ pòst quadringentos & triginta annos facta est, vtrùm nouum, an vetus intelligendum sit: quis respondere dubitet Nouum, sed in prophetis latebris occultatum, donec veniret tempus, quo reuelaretur in Christo? Nam si dixerimus Vetus, quid erit illud à monte Sina in seruitutem generans? Ibi enim facta est Lex pòst quadringentos & triginta annos. Qua lege hoc testamentum promissionis Abrahæ infirmari non posse confirmat; & hoc quod factum est ab Abraham, vult potiùs ad nos pertinere, quos vult esse filios liberæ, non ancillæ: hæredes ex promissione, non lege.* Mitto reliqua.

XLII. Dico igitur per Vetus Testamentum, intelligi à Bellarmino, vel Legem

Legem datam in Sina, vel Testamentum cum Abrahamo sancitum. Dico iterum: Sacramentorum veterum, distinguendum esse materiale, siue ritus externos; à formali, siue re significata. Cur non enim in illis, cùm necessariò in nouis? Porrò materiale pertinere ad Testamentum in Sina; id est, ad Legem. At verò formale, ad alterum. Facilis probatio: quia hoc in promissione est; & quidem remissionis peccatorum, quæ nulla pars Legis esse potuit, nihil condonantis.

XLIII. Hinc solutio. Non enim verum; Testamentum Vetus, neminem iustificare. Nam contrà Abraham fuit iustificatus; & habuit iustificationis signaculum Circuncisionem. Item, teste Apostolo, per αἱματεκχυσίαν, fiebat remissio peccatorum, ad Hebr. 9. Sed verum duntaxat de Lege. Fuisse autem Sacramenta vetera partem legis concedimus secundùm materiam: sed nullam legis partem, posse iustificare, secundùm formale, negatur: quandoquidem oppositum constet.

XLIV. Nec sequentes argutiæ difficiles. Lex per Moysen data est: quis dubitet? At viciſsim, illud Testamentum cum Abrahamo sancitum, in Christo factum est. *Nam Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit & seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in vno; sed semini tuo quod est Christus:* 3. ad Galat. & profertur ab Augustino eodem illo loco. Non est igitur id testamentum litera occidens: sed potiùs viuificans: Non in seruitutem generans, sed in libertatem; sic disertè Augustino testante, *Ad nos pertinere, quos vult esse filios liberæ, non ancillæ.* Non denique veteris hominis, quem non possit renouare. Nam Augustinus (etsi apud Augustinum non lego non posse renouare) disertè id dixit de lege lata in Sina: non verò de testamento cum Abraham.

XLV. Quarta ratio eiusdem Bellarmini. Promissio in Sacramentis, quæ sunt instituta ad iustificandum, non potest impleri nisi fide recipiatur. At promissiones annexæ Sacramentis veteribus implebantur, etiam si homines non crederent. Non igitur Sacramenta illa erant instituta ad iustificandum. Probat minorem exemplo arcus cœlestis; cuius promissio de non futuro diluuio; impletur etiamsi nullus credat. Exemplo Circuncisionis, vt Abraham fieret pater multarum gentium, & daretur eius posteris terra promissionis. Sic etiam omnia sacrificia habebant promissionem futuri Christi.

XLVI. Respondeo; fidem intelligi actu; quum quis reapse & nouit promissionem; & ei assentitur. Itaque nego maiorem. Alias oporteret vel Baptismo nullam esse promissionem iustificationis: vel non impleri in infantibus: qui procul dubio actu non credunt. Vera erit maior, si intelligatur de adultis tantùm. Ac tum negabitur minor. Quia scilicet, exempli gratia, Circuncisio, erat sigillum iustitiæ fidei. Augustinus cap. iam notato, *Ad Testamentum Vetus* (id est, legem non iustificantem) *quod est à monte Sina in seruitutem generans, quod est Agar illi pertinent, qui cùm acceperint legem sanctam, & iustam, & bonam, putant sibi ad vitam literam posse sufficere: & ideò quæ fiant factores legis, diuinam misericordiam non quærunt: sed ignorantes Dei iustitiam, & suam iustitiam volentes constituere, Dei iustitiæ non sunt subiecti. Ex hoc genere fuit illa multitudo, quæ aduersus Deum in eremo murmurauit.* Hæc Augustinus, & alia: vnde manifestum in adultis qui fidem non haberent, non impleri iustificationem promissam in testamento illo Abrahami.

XLVII. Porrò in probanda hac minore, tergiuersatur Sophista. Nam primò quorsum Arcus cœlestis? Nemo enim nostrûm in iis numerauit, quæ Sacramenta fuerunt iustificandi. Et aliàs agnouimus, pertinuisse duntaxat ad hanc vitam. Quod attinet ad reliqua; dicimus promissiones posse variè considerari: aliàs proximè, aliàs remotè. Proximè, eam quæ pertinet ad ipsum propriè accipientem Sacramentum: vt in Circuncisione non tantùm iustitia fidei: sed etiam Abrahami respectu, multiplicatio seminis. In Sacrificiis, remissio peccatorum. Remotè autem, eas quæ latius patent; & fundamenta sunt illarum: vt in omnibus promissio venturi Christi. Dico igitur illas prioris ordinis, non impleri sine fide. Itaque propterea in Circuncisione nominatur disertè iustitia fidei. Paulus autem docet Abrahamum credidisse promissioni de semine; & quidem excellenter. Reliquas fateor impleri sine fide eius, qui Sacramentum accipiat: sed quid tum? Nam supersunt aliæ: quibus satisfieri queat argumento. Non enim verum omnium promissionum implementum, exigere fidem suscipientis signum: sed tantum earum, quæ in ipso suscipiente debent impleri.

XLVIII. Quinta ratio rursus Bellarmini. Nostra Sacramenta dicuntur in Scripturis, saluare, regenerare, iustificare. At nihil tale vsquam legitur de Sacramentis veteribus. Hoc probaturum se pollicetur in soluendis argumentis nostris. At nos hanc partem negamus: & monemus oppositum esse à nobis demonstratum certis argumentis: examinatis etiam, quas hic ille solutiones dicit.

Cap. VII.

De Patrum autoritatibus pro Papistis.

I. Nunc demum ad Patres fugit Bellarminus, Philonem, libro de Circuncisione, neque clarè neque obscurè docere institutam in remedium peccati. Iosephum 1. Antiquit 12. haud aliam causam reddere, nisi vt posteritas Abrahæ discerneretur ab aliis gentibus. Et tamen si quis alius, isti maximè, & Hebræi, & in Hebræis doctissimi; & eius temporis, quum lex vigebat; scire potuerunt, quorsum instituta esset.

II. Respondeto Iesuitæ Bellarmino, Iesuita Pererius in 4. ad Rom. disp. 6. *Mirum videri non debet, nec Iosephum, nec Philonem de Circuncisionis vtilitatibus differentes, de remotione originalis peccati, qui erat omnium maximus Circuncisionis fructus, nihil prodidisse. Scribebant illi, quæ legi volebant non solum à suis Gentilibus, & Iudæis, sed præcipuè à Græcis, & à Romanis, quibus & gentis Iudaicæ, & rerum Iudaicarum antiquitatem & dignitatem, & sapientiam notificare, & commendare cupiebant. Istiusmodi autem hominibus intutum atque indecens putarunt, arcanum hoc magnumque mysterium de peccato originali, cui alia plura annexa erant, declarari: ne fortè illi, qui nihil nisi carnaliter sentiebant, & sapiebant, contemnerent, atque irriderent, quod non satis intelligebant.*

III. Probabilis coniectura, atque ipsa humanitate commendabilis. Sed non video tamen, cur non audeamus de Philonis, & Iosephi æstimatione nonnihil concipere infra Theologorum virtutes: vt quantumuis Hebræos, quantumuis Hebræorum sui temporis doctissimos, tamen ignorasse putemus non minima pietatis arcana. Vixerunt seculo corruptissimo, cùm penè tota legis ignoraretur ratio. Nec discesserunt à Iudaica Synagoga, vt adhærerent Apostolis, Apostolicisque viris. Denique nunquam inter eos, qui cœlitus inspirati scirent perfectionem legis esse Christum. Quæ quo magis vera sunt, hoc minus vrget eorum autoritas. Quid? quòd à Iosepho non habemus plenè expositas Circuncisionis causas? Nam is vbi dixit institutam Circuncisionem, vt maneret Abrahami semen, τοῖς ἄλλοις μὴ συμφερόμενον, *alijs impermixtum*; statim addidit, τὴν αἰτίαν δὲ τῆς περιτομῆς ἡμῶν ἐν ἄλλοις δηλώσω, *Porrò causam Circuncisionis alibi docebo.*

IV. In reliquis Patribus Græci priores sunt. Iustinus Dialogo cum Tryphone, *Ex eo quòd non possunt fœminæ circuncidi, intelligitur signi causa datam esse Circuncisionem, non pro opere iustitiæ.* Areopagita in de Hierarchia Ecclesiastica c. 5. part. 1. Synagogam carnalia Sacramenta, vmbras ac figuras habuisse, cœlestem Hierusalem habere nudam veritatem absque signis corporalibus: Ecclesiam habere signa corporalia simul & spiritualia dona. Irenæus lib. 4. c. 30. *Circuncisionem, non quasi iustitiæ consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, vt cognoscibile perseueret genus Abrahæ.* Et rursus, *Et quia non per hæc iustificatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quòd ipse Abraham sine Circuncisione credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Similiter capp. 28 & 9 32. & 33. Origenes contra Celsum libr. 2. dicit Christianos meritò dimisisse Circuncisionem, Sabbata, & similia, quòd essent res corporales, carnalesque, & transisse ad legem Dei spiritualem. Homil. 3. in Genesin, opponit carnalem Circuncisionem Iudæorum, spiritualem Christianorum, vultque tantum interesse inter Sacramenta illorum & nostra, quantum inter carnem & spiritum. Eusebius Cæsariensis demonstrationis libr. 1. cap. 10. & historiæ 1. c. 1. docet data fuisse primis parentibus Sacramenta carnalia & sacrificia tanquam elementa quædam, & adumbrationes rerum spiritualium. Athanasius in illud, *Omnia mihi tradita sunt à Patre:* fusè docet Circuncisionem nihil fuisse aliud, nisi vmbram, & figuram Baptismi, qui sit vera & spiritualis Circuncisio. Epiphanius hæresi 8. quæ Epicureorum: *Illis Circuncisio fuit carnalis, quæ deseruiit tempori vsque ad magnam Circuncisionem, hoc est Baptismum, qui circuncidit nos à peccatis.* Basilius de Spiritu Sancto c. 14. *Qui veritatem vmbræ comparans cumque figuris conferens ea, quæ figuris significantur, vniuersam pariter Euangelicam dispensationem eleuare aggreditur.* Item, *Quid confers lauacra cum lauacris, quæ solam nominis appellationem habent [illegible] em; rerum verò tanta est differentia, quanta est inter somnia & veritatem: [illegible] bras & imagines, & inter ea quæ re vera sunt?* Chrysostomus in Ge[illegible] 7. *Deus Circuncisionem pro lege statui voluit, non quòd ad an[illegible] hoc possit aliquid: sed vt Iudæi pueri hoc gratitudinis indiciu[illegible] quasi signum & sigillum: & ne liceret commisceri gent[illegible] B. Paulus signum hoc vocat; dicens, Et signum dedit Circu[illegible] sigillum: nam ad iustitiam ipsa Circuncisio nihil conducit.* Idem homil. 39. & 40. in Genesin: item homilia de proditione Iudæ: & 7. ad Romanos; & 14. ad Hebræos. Cyrillus lib. 10. in Iulianum. Theodoretus q. 67. in Genesin: & libr. 7. ad Græcos. Damascenus 4. de fide, c. 10. & 14. & 26. Theophylactus in 2. ad Romanos. Oecumenius in 4. ad Rom.

V. Post istos, Latini sunt. Tertullianus contra Iudæos c. 1. *Si Circuncisio purgat hominem, Deus Adam incircuncisum cùm faceret, cur eum non circuncidit, vel posteaquam deliquit, si purgat Circuncisio?* Et pòst, *Prouidens Deus, quod hanc Circuncisionem in signum, non in salutem esset daturus.* Item probat ex Prophetis, Sacrificia & Sacrame[illegible]ta Iudæorum, non iustificasse: & vocat carnalia, nostra autem spirituali[illegible] contra Iudæos c. 8. opponit carnalem Iudæorum Circunc[illegible]nem [illegible] Christianorum: additque Adamum, Henoc, Noë Melchisedec fuisse iustos sine Circuncisione; *Quia*, inquit, *signaculum seminis nihil proficit.* Epist. 59. carnalem Circuncisionem adueniente spirituali, tanquam vmbram luce, euanuisse. Ambrosius Epist. 72. *Signum Circuncisio corporalis, veritas Circuncisio spiritualis: illa membrum amputat, ista peccatum.* In 4. ad Rom. *Non ergo Circuncisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantùm: quod signum ideò accipiebant filij Abrahæ, vt scirentur eius filij esse, qui credens Deo hoc signum acceperat, vt æmuli essent paternæ fidei.* Idem primi de Abraham cap. 4. primi de Sacramentis 4. & 6. de iis qui initiantur, 8. & 9. Hieronymum in 3. ad Galatas; reddens causam institutæ Circuncisionis, ne verbulo quidem meminit remedij contra peccatum. In primum Isaiæ, Deum respuere cæremonias Iudaicas, & placere ei lauacrum Baptismi: *Quod solum potest purgare peccata.* Augustinus de aliis Sacramentis apertè docet in Psalm. 73. *Sacramenta non sunt eadem: quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta Noui Testamenti dant salutem: Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Saluatorem.* Eusebius Emissenus homilia in Sabbato post primam Dominicam Quadragesimæ, *Primum tabernaculum est Synagoga, secundum Ecclesia, tertium Cœlum. Primum in vmbra fuit, & figura: secundum in figura & veritate: tertium in sola veritate. In primo via ostenditur, in secundo inuenitur, in tertio possidetur. Non enim Sacramenta Ecclesiæ, sicut Sacramenta Synagogæ, medicinam tantùm docent, & ostendunt; sed ipsa potiùs sunt medicina, & remissio peccatorum.*

VI. Est in hac enumeratione aliquid pompæ; qua possit moueri, qui ἐπιπολαίως versatus in Controuersiis nuda nomina attendat, & sono vocabulorum se patiatur decipi. Sed diligentiùs examinanti singula, non erit difficultas non superabilis. Respondeo igitur, in eo numero esse non phrases tantùm varias, sed etiam sermonum fines diuersos, ac proinde vim aliam atque aliam. Ordinibus ergo distinctis opus erit; vt neque nobis imponi patiamur; & aliis fidem nostram probemus ipsi.

VII. Primùm dico; Iustini Martyris locum, ad hanc controuersiam non posse referri. Is semel dixit, Τὴν δὲ περιτομὴν εἰς σημεῖον, ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοσύνην ἔλαβεν, *Circuncisionem autem in signum, non ad iustitiam accepit:* Quæ verba saltem ambiguitate possunt videri nobis aduersa: quanquam à Bellarmino neglecta. Poterat enim quis suspicari sic negatum ad iustificationem acceptam fuisse, quomodo nostri Papistæ contendunt. Verùm non ita

est. Doceo ex verbis à Bellarmino recitatis, statim post ea quæ nos induximus, Τὸ μὴ δύνασθαι δὲ τὸ θῆλυ γένος τὴν σαρκικὴν περιτομὴν λαμβάνειν, δείκνυσιν ὅτι εἰς σημεῖον ἡ περιτομὴ αὕτη δέδοται, ἀλλ' οὐχ ὡς ἔργον δικαιοσύνης· τὰ γὰρ δίκαια καὶ ἐνάρετα ἅπαντα ὁμοίως, καὶ τὰς θηλείας, δύνασθαι φυλάσσειν ὁ Θεὸς ἐποίησεν. *Et quod genus muliebre Circumcisionis carnalis capax non est, satis id ostendit, in signum datam Circumcisionem istam, & non vt iustitiæ opus. Iusta namque & placita sibi omnia:* (Græce, *& quæ secundum virtutem sunt omnia*) *ex æquo & fœminas seruare posse, efficit Deus.* Idem multo post, εἰς σημεῖον ἦν δεδομένη, ἀλλ', οὐκ εἰς δικαιοπραξίας ἔργον, *In signum erat data, sed non ad iustitiæ peragendæ opus.*

VIII. Non potuit vtrius. Certe enim Circuncisio non potest numerari inter bona opera; nisi per accidens. Nam Sacramenti ratio ab operum bonorum ratione, definitioneque est longe alia. Patet primum ab infantibus, à quibus certe nullum potest exspectari opus bonum: patet iterum quia, si opus censeretur, ergo circuncidentis esset potius, quam circuncisi. Denique patet, quia si Circuncisio esset opus; ergo qui circuncisi iustificarentur, per opera iustificarentur; quod est absurdum. Recte ergo in signum data iustitiæ, non vero in opus iustitiæ. Sed nos addimus, signum iustitiæ à Deo institutum, non esse vanum, aut inutile, sed suo modo efficax: sicut Baptismus profecto non est δικαιοπραξίας ἔργον, vt patet in infantibus: & tamen efficax signum iustificationis.

IX. Compar sententia Chrysostomi homil. 39. in Genesim, οὐδὲν γὰρ τὸ πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρετὴν λυσιτελεῖ, *Hoc nihil ad animæ virtutem conducit.* Et statim ratio redditur, τὸ γὰρ ἄωρον παιδίον, τὸ μὴ γινώσκον τὰ γινόμενα μηδὲ αἴσθησίν τινα ἔχον, ποίαν ὠφέλειαν εἰς τὴν ψυχὴν ἐκ τούτου δέξασθαι δυνήσεται, *Puer enim immaturus, cum ea quæ fiunt ignorat, neque sensum eorum habet, quam inde in animæ sua vtilitatem accipere poterit?* Ψυχῆς γάρ ἐστι κατόρθωμα, τὸ ἀρετὴν ἑλέσθαι καὶ κακίαν φυγεῖν. Ψυχῆς κατόρθωμα, τὸ μὴ τῶν πλειόνων μόνον ἐφίεσθαι, ἀλλὰ καὶ ὄντα παρέχειν τοῖς δεομένοις. Ψυχῆς κατόρθωμα τὸ μὴ τοῖς παροῦσι προστετηκέναι, ἀλλὰ τούτων μὲν ὑπερορᾶν τὰ μέλλοντα δὲ καθ' ἑκάστην ἡμέραν φαντάζεσθαι, *Animæ enim bonum opus est virtutem eligere, & malitiam fugere. Animæ bonum opus est, vt ne plura, quam oportet concupiscat, & facultates tribuat indigentibus. Animæ bonum opus est, non addictum esse rebus præsentibus, sed eas quidem despicere, futuras autem continuo in animo habere.* τὸ δὲ σημεῖον ἐπὶ σαρκὸς δέξασθαι, ποῖον ἂν εἴη κατόρθωμα. *In carne vero signum accipere, quale bonum opus fuerit?*

X. Nec dubito ab isto, didicisse Theophylactum & Oecumenium. paulo breuiorem in 2. ad Rom. *Circuncisio haudquaquam operatio erat, quin potius persuasio quædam, vt patienter ferret circuncidendus. Itaque nec legis iustificatio dici Circuncisio potest.* Nota; non potest dici operatio. Nota; nō potest dici legis iustificatio. Oecumenius in 4. ad Rom. οὐχ ὡς δικαιοσύνης ποιητικὴ ἐδόθη, ἀλλὰ σφραγὶς καὶ σημεῖον τῆς ἐκ πίστεως δικαιοσύνης, *Non est data, vt iustitiam efficeret, sed sigillum, signumque iustitiæ ex fide* Explicat, εἰ δὲ σημείου (an σημεῖ οὐ) ἕνεκεν καὶ σφραγῖδος ἔλαβεν αὐτήν, οὐδὲν αὕτη πρὸς τὴν δικαιοσύνην συνετέλεσεν, ἀλλὰ μόνον τὸ πῶς δὲ δεδικαιῶσθαι ἐσήμαινε, τοῦτ' ἔστιν, ὅτι ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ ὢν ἠξιώθη τῆς δικαιοσύνης, *Si signi gratia, sigillique accepit eam, nihil illa ad iustitiam contulit: sed tantum sic iustificatum fuisse significauit, nempe, quod cum in præputio esset, iustitiam assequutus sit.* Et statim ex Photio, *Cur dicit primum imputatum ei fuisse ad iustitiam; & tunc circuncisum fuisse?* Primum quidem, ἵνα ὡς σημεῖον νομισθῇ ἀρετῆς ἡ περιτομή. καὶ οὐχ ὡς αὐτὸ ἀρετὴ καὶ κατόρθωμα, *vt tanquam signum censeatur virtutis Circuncisio, non ipsa virtus, & opus bonum.*

XI. Præiuerat Irenæus in eandem mentem: sed clarius docens, non propterea fuisse signa otiosa, siue inutilia. Capite tricesimo libri quarti, vnde paucula delibauit Bellarminus, *Circuncisionem non quasi consummatricem iustitiæ, sed in signo dedit eam Deus, vt cognoscibile perseueret genus Abrahæ.* Sic ille: consummatricem iustitiæ appellans eodem sensu, cum Iustino, δικαιοπραξίας ἔργον, cum Chrysostomo, ψυχῆς κατόρθωμα; cum Photio, αὐτὸ ἀρετὴν καὶ κατόρθωμα. Itaque oppositio notanda, *Non per hæc iustificabatur homo, sed in signo data sunt populo*, videlicet Circuncisio & Sabbatum. Vnde patet impugnari eam sententiam, quæ has ceremonias attenderet non tanquam signa; sed tanquam ipsissimam iustificandi rationem. Atqui certum, si non sint ipsæ consummatrices iustitiæ, esse tamen posse efficaces suo modo; nempe tanquam signa. Irenæum audi, *In signo ergo data sunt hæc. Non autem sine symbolo erant signa, id est, sine argumento neque otiosa, tanquam quæ à sapiente artifice darentur: sed secundum carnem Circuncisio, Circuncisionem præfigurabat spiritalem.* A quibus verbis Feuardentius, *Igitur fuit signum efficax & operatorium.* Verè; modò ne Papisticè secundum opus operatum: sed prout ipse indicat Irenæus in Sabbato; ex Ezechiele, *Et Sabbata mea dedi eis vt sint in signa inter me & ipsos, vt sciant, quoniam ego sum Dominus qui sanctifico vos.* Verè enim hæc efficacia est omnium Sacramentorum, vt solidè testentur vniuersæ iustificationis efficaciam esse in nobis à Deo, non verò ab ipsis signis.

XII. Altera locorum classis nunc esto; in quibus typi huiusmodi considerantur peculiariter tanquam signa externa; id est, distinctè secundum id quod habent externum. In his Origenem, quem Bellarminus falso recitat, quasi dicentem secundo contra Celsum, dimisisse Circuncisionem, Sabbata; & similia, eo quòd res essent carnales & corporales. Nam ille tantum dicit transisse à corporalibus, ad legem spiritualem, ἢ ἀνόσιον μὲν τὸ ἀφιστάνειν σωματικῆς περιτομῆς, καὶ σωματικοῦ σαββάτου, καὶ σωματικῶν ἑορτῶν, καὶ σωματικῶν νουμηνιῶν, καὶ καθαρῶν, καὶ ἀκαθάρτων, μεταστῆναι δὲ τὸν νοῦν ἐπὶ νόμον θεοῦ ἄξιον, καὶ ἀληθῆ καὶ πνευματικόν, *Nisi fortè impium est desistere à corporali Circuncisione, & Sabbatis, nouilunis, cæterisque festorum corporalium obseruationibus, & purarum impurarumque rerum discrimine, ab hisque transferre animum ad veram Dei legem spiritualem, & dignam Deo* Haud aliter Homilia 3. in Genesin, *Nos imbuti per Apostolum Paulum, dicimus, quia sicut multa in figura & in imagine futuræ veritatis fiebant, ita & Circuncisio illa carnalis, Circuncisionis spiritualis formam gerebat.* Et pòst, *Non tibi dignius videtur talis Circuncisio dicenda in Sanctis, & amicis Dei, quàm carnalis obtruncatio.* Tertullianus aduersus Iudæos cap. 3. *Igitur sicut supra ostendimus, quòd vetus lex & Circuncisio carnalis cessatura pronuntiata est, ita & nouæ legis & spiritalis Circuncisionis obseruantia, in pacis eloquia eluxit.* Quinto, *Quòd non terrenis sacrificiis, sed spiritualibus Deo litandum sit; ita legimus vt scriptum est.* Et pòst, *Itaque quomodo carnalia sacrificia reprobata intelliguntur: ita sacrificia spiritalia accepta prædicantur.* Cyprianus 1. aduersus Iudæos cap. 8. *Quòd Circuncisio prima carnalis euacuata sit, & secunda spiritalis repromissa sit.* Epistol. 59. *Quòd in Iudaica Circuncisione carnali octauus dies obseruabatur, Sacramentum est in vmbra atque in imagine ante præmissum, sed veniente Christo veritate impletum.* Paulo pòst, *Putamus neminem à gratia consequenda impediendum esse, ea lege, quæ iam statuta est, nec spiritalem Circuncisionem impediri carnali Circuncisione debere.* Irenæus lib. 4. cap. 28. *Præstruens eos seruire Deo, per ea quæ erant secunda ad prima aduocans: hoc est, per typica ad vera: & per temporalia ad æterna: & per carnalia ad spiritalia: & per terrena ad cœlestia.* Ambrosius Epistol. 72. *Circuncisio corporalis in signo data, vt Circuncisionis spiritalis veritas teneretur.* Et pòst; *Signum igitur Circuncisio corporalis, veritas autem Circuncisio spiritualis est.*

XIII. His omnibus locis habet Bellarminus Circuncisionem, habet Sacrificia terrestria, carnalia, Verùm cur in eo probando laborat, quod nobis volentibus obtinere poterat? Sed hæc nostra controuersia postulabat argumentum huiusmodi. Nulla Sacramenta carnalia, sunt efficacia ad conferendam gratiam: At vetera fuerunt Sacramenta carnalia: Ergo nullam efficaciam habuerunt ad gratiam. Sed non ausus est Sophista. Vidit enim maiorem esse manifestè falsam. Quia omnia Sacramenta absque exceptione sunt terrestria, sunt carnalia: videlicet secundùm id quod habent externæ ceremoniæ. Sic Baptismus est depositio sordium carnis; autore Petro Apostolo. Sic in Eucharistia, tam panis, quàm calix, ex creatura est, quæ secundùm nos, teste Irenæo, libr. 4. c 32. Denique omnia Sacramenta constant re terrena, nempe signo; & re cœlesti, id est, significata: quarum quæ terrena, eadem mutabilis; vt & institui possit, & destitui: altera autem sempiterna: etenim gratia Dei in salutem hominum æterna est.

XIV. Significant ergo Veteres illi; typos Iudaicos, secundùm id, quo erant signa, fuisse temporalia, terrena, carnalia: & eatenus antiquata: remansisse verò quatenus erant spiritalia; nimirum, exempli gratia Circuncisionis, quicquid erat in præputio, vnde carnalis illa dicta, nullo in vsu esse: verùm Circuncisionis vim spiritualem in peccatorum ablatione, esse perpetuatam. At quæ Sacramenta sic temporalia, corporalia, terrena, carnalia vocentur, iis nullam esse efficaciam spiritualem, constanter negatur. Ambrosius de iis qui initiantur cap. 3. *Docuit te Apostolus, non ea contemplanda nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna.* Et hîc tamen sermo erat de Baptismo.

XV. Concedo dictum, fuisse signa rerum futurarum. Est enim verum: quandoquidem significarint gratiam Christi, qui nondum esset in rerum natura. Sed nego propterea non fuisse effectiua eiusdem gratiæ. Nam nec reuelationes Patribus factæ, poterant aliter eundem Christum significare, quàm futurum: & tamen adeò fuere efficaces, vt Abraham dicatur vidisse diem Domini, & inde gauisus. Sed & agnus occisus est ab initio mundi. Denique significabantur veteribus Sacramentis ea quæ in Christo erant implenda tandem Euangelij tempore: Sed quorum tamen efficacia præsens esset: adeò vt per eam seruarentur, quicunque erant seruandi. Vnde Oecumenius in 4. ad Roman. οὐδὲν αὕτη πρὸς τὴν δικαιοσύνην συνετέλεσεν, ἀλλὰ μόνον τὸ πῶς δὲ δεδικαιῶσθαι ἐσήμαινε, τουτέστιν ὅτι ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ ἠξιώθη τῆς δικαιοσύνης, *Nihil ipsa Circuncisio ad iustitiam contulit: sed tantùm sic iustificatum significauit, hoc est, in præputio assequutum fuisse iustitiam.*

XVI. Distingue enim diligenter inter complementum promissionum, & applicationem gratiæ. Quia certum promissiones in nouissima dilatas tempora; neque iis exhibitas statim ac promissas; putà, Abrahamo semen illud in quo erant benedicendæ omnes gentes. Atque hinc dictum Christo multos Prophetas optasse videre ea quæ viderent Apostoli: sed & Petro, scrutatos, tempus passionum Christi, comperisse, non sibi, sed nobis ea administrari. Verum, applicationis aliam prorsus rationem fuisse necesse est. Nam salus, non est nisi ex præsenti Dei gratia: quæ nulla nisi in Christo, & per Christum. Itaque Christi passiones oportet longè fuisse prius applicatas, quàm reapse extarent in rerum natura: quomodo causas morales nihil obstat esse posteriores suis effectis: maximè apud Deum, cui omnia sunt præsentia. Dico ergo, quamuis Sacramenta vetera prænuntiarent longè pòst futura gratiæ mysteria: nihilominus, eadem applicasse, iis fidelibus quibus ipsa conferrentur. Et sic Abrahamo reapse collatam iustificationem designatam per Circuncisionem: quamuis iustificationis fundus Dominus Iesus longè pòst futurus esset. Eusebius Demonstrationis libr. 1. cap. 10. Ἕως μὲν οὖν οὐδέπω τὸ κρεῖττον οὐδὲ τὸ μέγα, καὶ τίμιον καὶ θεοπρεπὲς σφάγιον παρῆν ἀνθρώποις. τοὺς διὰ ζώων θυσίας λύτρα τῆς ἑαυτῶν ζωῆς καὶ ἀντίψυχα τῆς οἰκείας φύσεως προσηκόντως ἀποδιδόναι χρῆν τῷ θεῷ, *Donec illa potior, magnaque, & pretiosa, Deumque decens victima nondum hominibus adfuit, sacrificia interim ex animalibus, pro sua ipsorum vita redimenda, propriæque naturæ redemptionem offerre Deo conuenienter oportuit.* Nota fuisse interim λύτρα, καὶ ἀντίψυχα, etiamsi verè essent λύτρου σύμβολα, aliquanto pòst futuri. Sic ille nec à se: sed à 17. Leuitici, quem locum recitat, ψυχὴ πάσης σαρκὸς αἷμα αὐτοῦ ἐστι· καὶ ἐγὼ δέδωκα ὑμῖν τὸ αἷμα ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου, ἐξιλάσκεσθαι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ὑμῶν· τὸ γὰρ αἷμα αὐτῶν ἀντὶ ψυχῆς ἐξιλάσεται. *Cuiusuis carnis anima & sanguis eius. Et ego dedi vobis sanguinem in altari, ad propitiandum pro peccatis vestris: nam sanguis eorum pro anima propitiabitur.*

XVII. Ab ista classe, classis 3. lumen accipiet, eorum qui typos veteres comparant rebus significatis. Epiphanius in Epicuris, οἱ τύποι ἐν τῷ νόμῳ ἦσαν, ἡ δὲ ἀλήθεια ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, *Typi erant in lege: veritas autem in Euangelio*, ἐκεῖ γὰρ ἡ περιτομὴ, σαρκικὴ ὑπηρετοῦσα χρόνῳ ἕως τῆς μεγάλης περιτομῆς, τουτέστι τοῦ βαπτίσματος, τοῦ περιτέμνοντος ἡμᾶς ἀπὸ ἁμαρτημάτων καὶ σφραγίζοντος ἡμᾶς εἰς ὄνομα θεοῦ, *Illic enim fuit Circuncisio carnalis inseruiens tempori adusque magnam Circuncisionem, id est, Baptismum, circuncidentem nos à peccatis nostris, & signantem in nomen Dei.* Ambrosius Epist. 72 *Litera occidit exiguam corporis portionem: spiritus intelligens, Circuncisionem totius animæ corporisque custodit, vt superfluis amputatis (quid enim tam superfluum, quam auaritiæ vitia, libidinisque peccata, quæ natura non habuit, culpa quæsiuit) castimonia teneatur, frugalitas diligatur. Signum igitur Circuncisio corporalis, veritas au-*

tem,

tem, Circuncisio spiritualis est. Illa membrum amputat, ista peccatum. Chrysostomus de proditione Iudæ, *Ille agnus, futuri agni fuit typus: & ille sanguis, Dominici sanguinis monstrabat aduentum: & ouis illa fuit spiritualis ouis exemplum. Ille agnus vmbra fuit, hic veritas.*

XVIII. Hæc; quæque alia innumera possunt colligi, nihil habent noui. Similia enim considerata sunt ex ipsa Scriptura, quæ relata nobis in ordinem secundum. Iam dictum omnia Sacramenta componi ex re terrena, & spiritali: illam esse signum: hanc rem significatam. Signum autem nunquam propter se requiri, sed propter rem signatam, communis est rationis conceptus. Quis ergo miretur in veteribus typis, non tantum distincte considerari carnalia signa, & res spirituales: sed etiam has illis præferri? Non ille saltem qui ab Augustino didicerit illam demum esse miserandam animæ seruitutem, cum signa pro rebus accipiuntur: quique à Petro audierit Baptismum saluare quidem; at non ablutionem sordium corporis: quique à Paulo, qui non discreuerit corpus Domini, sibi damnationem edere & bibere.

XIX. Sed vmbra in lege fuit, veritas in Euangelio. Ita sane, inquam: sed tu hoc non debuisti demonstrare. Istud potius, nullam fuisse vmbræ efficaciam. Nos sane non concedimus, si veritas sit in Euangelio, ergo nullam eius vim fuisse in lege sed duntaxat aliter; vt dictum. Nempe primo, quoad promissionum complementum, quarum futurarum designatio erat in lege, sed eadem non absque efficaci applicatione, quæ Sacramentorum est efficacia. Deinde quoad claritatem plenitudinemque. Nam quæ nobis nunc Sacramenta sunt; etsi sint signa, sint etiam typi, sint symbola, tamen non sunt vmbræ: quia res significatæ nihil habeant obscuri, vtpote non in futurum dilatæ, atque eatenus tenebrosæ; sed in præteritum exsolutæ, constantesque: vnde & plenius perceptæ, propter fidei vim maiorem; imo potius abundantiorem Dei gratuitatem.

XX. Ad eam mentem Basilii est c. 14. de Spiritu Sancto, disputantis aduersus eos, qui negabant iustum esse Spiritum μετὰ θεοῦ τετάχθαι Deo copulari propter Baptismi formam: quandoquidem baptizati dicerentur Israelitæ in Mosen & in nube & in mari. Respondet Pater. οὐδὲ τοῦ ὅτι τὰ θεῖα μικροῖς καὶ ἀνθρωπίνοις προδιαμορφοῦται τὰ θεῖα, μικρά τις ἐστι καὶ ἡ τῶν θείων φύσις, ἣν ἡ τῶν τύπων σκιαγραφία πολλάκις προετύπωσεν. ἐστι γὰρ ὁ τύπος τῶν προσδοκωμένων δήλωσις διὰ μιμήσεως ἐνδεικτικῶς τὸ μέλλον προϋποφαίνων, *Neque vero quoniam diuina rebus humilibus & humanis præfigurata sunt, protinus & diuinorum humilis est natura, quam figurarum adumbratio frequenter innuit. Est enim figura, rerum expectandarum delaratio per imitationem ob oculos ponens, ac res præmonstrans quod futurum est.* Hoc illustratur variis exemplis. Et his subiiciuntur ista Τί οὖν; ἐπειδὴ τυπικῶς εἰς Μωυσῆν ἐβαπτίσθησαν, διὰ τοῦτο μικρὰ ἡ τοῦ βαπτίσματος χάρις; οὕτω μὲν οὐδ᾽ ἂν ἄλλο τι μέγα ἐν τῶν ἡμετέρων, εἴπερ τὸ ἐν ἑκάστῳ σεμνὸν τοῖς τύποις παραβαλοῖμεν, *Quid igitur? Num quia per figuram in Mose baptizati fuerunt, ideo protinus exigua est gratia Baptismatis? Ad istam rationem nec aliud quicquam in nostris Sacramentis fuerit magnum: si quod in singulis magnificum est, cum figuris conferamus.* Et post. Ταὐτὸν τοίνυν ποιεῖ ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος ὁ τῇ σκιᾷ συγκρίνων τὴν ἀλήθειαν, καὶ τοῖς τύποις παραβάλλων τὰ παρ᾽ αὐτῶν σημαινόμενα, καὶ διὰ Μωυσέως καὶ τῆς θαλάσσης πᾶσαν ὁμοῦ διασύρειν τὴν εὐαγγελικὴν οἰκονομίαν ἐπιχειρῶν, *Idem ergo facit & in Baptismate, qui veritatem vmbræ comparans, cumque figuris conferens ea quæ figuris significantur, etiam per Mosen & mare, vniuersam pariter Euangelicam dispensationem eleuare aggreditur.* Quæ verba ex non fideli versione Latina suo more Bellarminus recitat. Post pauca. Τί οὖν συγκρίνεις τὰ βαπτίσματα, ὧν ἡ προσηγορία μόνη κοινή, ἡ δὲ τῶν πραγμάτων διαφορὰ τοσαύτη, ὅση ἂν γένοιτο, ὀνείρων πρὸς τὴν ἀλήθειαν, καὶ σκιᾶς καὶ εἰκόνων πρὸς τὰ καθ᾽ ὕπαρξιν ὑφεστηκότα. *Quid igitur confers lauacra cum lauacris, quæ solam nominis appellationem habent communem, rerum vero tanta est differentia, quanta est inter somnia & veritatem, inter vmbras imaginesq; & ea quæ vere subsistunt.*

XXI. Ex hoc contextu patet non comparari signa signis: sed signa vetera rebus significatis. Iterum dico; non disputat Basilius vtrum minus aliquid sit Baptismus in Mosen, Baptismo in Trinitatem: sed vtrum quia baptizati dicantur in Mosem, vt tamen Moses non sit Deus: sic quanuis baptizemur in Spiritum Sanctum, tamen Spiritus non sit Deus. Responderi autem, non valere consequentiam, quia Baptismus in Mosen, signum fuerit, res autem significata, Baptismus in Spiritum; nimirum interior ille, qui significatur per aquam non tantum maris, sed etiam hanc in Euangelio vsitatam. Patet ab exemplis ibidem enumeratis, Isaaci immolati, & Christi: Ionæ, in mari, & Christi in inferis. Patet iterum ex eo, quod lauacris sola nomina dicat esse communia. Nam profecto aqua Baptismi, æque ac rubri maris lauacrum est non ὁμωνύμως, sed vere ac συνωνύμως. Quod contra est in re significata. Quia Spiritus efficacia in remissione peccatorum, tantum ὁμωνύμως lauacrum dicitur. Et si Baptismum intelligas remissionem: tum Baptismus Mosis, ὁμωνύμως dicitur Baptismus, id est, remissio peccatorum. Optime ergo dictum Basilio, qui conferant vmbras rebus, grauissime allucinari, & confundere Euangelicam œconomiam.

XXII. Imo amplius, recte hæc addita, quæ Bellarminus omissa voluit. Ποία γὰρ ἄφεσις παραπτωμάτων, ποία ζωῆς ἀνανέωσις ἐν θαλάσσῃ, ποῖον χάρισμα πνευματικὸν διὰ Μωυσέως; ποία νέκρωσις ἁμαρτίας ἐκεῖ: *Nam quæ peccatorum remissio, quæ vitæ renouatio in mari? quod donum spirituale datum est per Mosen? Quæ illic peccati mortificatio?* Et pluscula alia: quæ similiter de Baptismo vera sunt, si aquæ signum compares cum efficacia Spiritus. Alioquin absurde & contra Paulum Basilius esset loquutus: cum ille efficaciam eandem attendat Baptismi in Mosen, quæ est baptismi Christiani; vt suo loco ostensum.

XXIII. Ab iis locis non absunt longo interuallo, qui veteres typos nostris comparant Sacramentis. Ambrosius 1 de Sacramentis cap. 6. *In mari rubro figuram istius Baptismatis extitisse ait Apostolus.* De iis qui initiantur cap. 3. *Aduertis quod in illo Hebræorum transitu iam tunc sacri Baptismatis figura præcesserit.* Damascenus Orthodoxæ fidei libri 4. cap. 26. σημεῖον ἦν ἡ περιτομὴ ἀφορίζον τὸν Ἰσραὴλ ἐκ τῶν ἐθνῶν, οἷς συνανεστρέφετο. τύπος δὲ ἦν τοῦ βαπτίσματος. καθάπερ γὰρ ἡ περιτομὴ οὐ χρειῶδες μέρος ἀποτέμνει τοῦ σώματος, ἀλλὰ περιττὸν ἄχρηστον. οὕτω διὰ τοῦ βαπτίσματος τὴν ἁμαρτίαν περιτεμνόμεθα, *Signum erat Circuncisio discriminans Israel à gentibus, quibus cum diuersabatur. Et figura erat Baptismatis. Nam quemadmodum Circuncisio non vtile membrum amputabat corporis, sed superfluitatem inutilem, sic per sanctum Baptisma à peccato circuncidimur.* Quibus locis plurima possunt alia similia comparari.

XXIV. Sed omnia sic intelligenda, vt Circuncisio significarit Baptismi non exteriorem ceremoniam; sed interiorem efficaciam; quæ ex analogia signi & rei, etiam ipsa signi nomen mutuatur. Doceo facile. Nam diserte Athanasius sermone de Sabbatis & Circuncisione; non vt citant cum Bellarminus, tum Coccius, in *omnia mihi tradita sunt:* ἡ γὰρ περιτομὴ οὐδὲν ἄλλο ἐδήλου, ἢ τὴν τῆς γενέσεως ἀπέκδυσιν. τὴν γὰρ τῇ ἑβδόμῃ ἀποθανόντα ἀπεκδιδυσκόμεθα καὶ ἀνακαινούμεθα τῇ κυριακῇ, ὅτε ὁ παλαιὸς ἀπεκδυθεὶς ἀνεγεννήθη τῇ ἀναστάσει, *Nam Circuncisio nihil denotabat, nisi depositionem exuuiasque detractæ natiuitatis. Eum enim qui septimo die mortuus est exsuimus, & renouamur dominica die, cum antiquus ille exsutus regenerationem resurrectionis accepe rit.* Τῆς γὰρ διὰ τοῦ βαπτίσματος ἀπεκδύσεως τύπος ἦν ἡ περιτομή, *Nam Circuncisio figura erat exuuiarum, quæ per Baptismum deponuntur.* Ambrosius in 15. ad Roman. *Circuncisio carnis data est Abrahæ in figuram Circuncisionis cordis, quam postea Propheta futuram significauit.* Augustinus 6. contra Iulianum capit. 3 *Nec ob aliud credendum est antiquis patribus hoc diuinitus fuisse præceptum, vt octauo die circunciderent paruulos, ad significandam regenerationem, quæ fit in Christo.* In Regulis decerptis ex Augustino, reg. 28. *Circuncisio carnis lege præcepta est, quia non posset melius, per Christum significari regenerationis autorem tolli originale peccatum.*

XXV. Nihil facilius. Circuncisio significauit Baptismum: Ergo non contulit Sacramentaliter gratiam. Consequentia hæc negatur. Nam significare Baptismum, id ipsum est, significare gratiam quæ danda erat per Baptismum: non dico, datum iri per Baptismum, eam, quæ danda erat per Baptismum. Atqui in Sacramentis significare gratiam, est eandem Sacramentaliter conferre. Quare Circuncisio conferebat Sacramentaliter eandem gratiam, quam Baptismus erat collaturus.

XXVI. Paulo difficilior ordo est, in quo comparantur Synagoga, Ecclesia, Cœlum, ab Areopagita, & Emisseno. Sed illum mutum Bellarminus induxit; cuius longe præstabat excipere ipsissima verba. Docet, inquit, Ecclesiam esse mediam inter synagogam & cœlestem patriam. Intelligo. Sed qua causa? Quod synagoga carnalia Sacramenta, & vmbras, ac figuras habuerit. Cœlestis Hierusalem, nudam veritatem sine vllis signis corporalibus: Ecclesia vtrunque, signa videlicet corporalia & simul spiritualia dona. Imo tu, Bellarmine, nimium quantum recedis à Dionysio, eiusque & verbis & mente.

XXVII. Recito; ἡ μὲν ἁγιωτάτη τῶν ὑπερουρανίων οὐσιῶν ἱεραρχία τελετὴν μὲν ἔχει τὴν κατὰ δύναμιν οἰκείαν θεοῦ καὶ τῶν θείων αὐλοτάτην νόησιν, καὶ τὴν τοῦ θεοειδοῦς ὁλοκλήρου καὶ ὡς ἐφικτὸν θεομίμητον ἕξιν, *Illa quidem sanctissima supercœlestium essentiarum Hierarchia, consecrationem habet pro suo captu propriam, Dei diuinarumque rerum contemplationem à materia remotam; habitumque diuinæ similitudinis perfectum, & quantum fieri potest ad Dei imitationem.* Hæc ille, & alia quædam, de primo summoque ordine, qui in cœlis. Nunc de altero, qui in lege; Μετ᾽ ἐκείνην δὲ τὴν οὐρανίαν καὶ ὑπερκόσμιον ἱεραρχίαν, εἰς τὰ καθ᾽ ἡμᾶς ἀγαθουργικῶς ἡ θεαρχία τὰς ἱερωτάτας αὐτῆς δωρεὰς προφέρουσα, νηπίοις μὲν οὖσι κατὰ τὸ λόγιον ἐδωρήσατο τὴν κατὰ νόμον ἱεραρχίαν, ἀμυδραῖς τῶν ἀληθῶν εἰκόσι, καὶ πορρωτάτοις τῶν ἀρχετύπων ἀπεικονίσμασι, καὶ δυσθεωρήτοις αἰνίγμασι καὶ τύποις οὐκ εὐδιαφανὲς ἔχουσι τὴν ἐγκεκαλυμμένην αὐτοῖς θεωρίαν, ἀνάλογον φῶς, ὡς ἀσθενέσιν ὄψεσιν ἀβλαβῶς ἐπιλάμψασα. *Post illam cœlestem, supramundanamque Hierarchiam Deus ad nos pro sua bonitate sanctissima sua dona proferens: infantibus, quidem tradidit pro captu Hierarchiam legalem, obscuris verorum imaginibus, longeque ab exemplaribus remotis simulacris atque ænigmatis, quorum non esset facilis consideratio, typisque reconditam habentibus, neque facile discernendam contemplationem, proportionatum lumen oculis infirmis, ne noceret, impertiens.* Denique de Ecclesia; τὴν τελεωτέραν δὲ μύησιν ἡ θεολογία τὴν καθ᾽ ἡμᾶς ἱεραρχίαν φησίν, ἀποπλήρωσιν αὐτὴν ἐκείνης ἀποκαλοῦσα, καὶ ἱερὰν λῆξιν. ἔστι δὲ καὶ οὐρανία, καὶ νομική, κοινωνικῶς τῇ μεσότητι τῶν ἄκρων ἀντιλαμβανομένη, τῇ μὲν κοινωνοῦσα ταῖς νοεραῖς θεωρίαις· τῇ δὲ, ὅτι καὶ συμβόλοις αἰσθητοῖς ποικίλλεται, καὶ δι᾽ αὐτῶν ἱερῶς ἐπὶ τὸ θεῖον ἀνάγεται, *Perfectiorem autem initiationem Theologia vocat nostram Hierarchiam, appellans eam illius complementum sanctumque finem. Est autem cum cœlestis, tum legalis, ipsa medietate extremis communicans, hinc intellectualibus contemplationibus, illinc quia symbolis sensilibus varietur, per quæ sancte ad Deum deducatur.*

XXVIII. Hæc ille. Et reliqua possunt quidem condonari facile. Sed illud vbi est; Ecclesiam habere signa simul, & spiritualia dona, minime autem veterem populum? οὐδὲ ὄναρ. Sed ille potius sic comparat; vt qui in cœlis, obtinuerint ἀϋλωτάτην νόησιν, contemplationem remotam ab omni materia. At qui in terris minime, sed additis symbolis, quorum ope adiuuentur. In terris porro esse Synagogam, & Ecclesiam; sed illam vsam obscurioribus, remotioribusque symbolis, atque difficillimis: hanc vero, quibus? Sensilibus iis quidem, nam ita nominat diserte; sed præterea nihil explicat. Nempe ex oppositione alterius membri sperans fore perspicuum. Ea flagitat vt symbola Christiana dicamus esse non obscura, non longe remota, non difficilia intellectu, & si quæ sunt alia. Verum ista omnia nihil ad rhombum Bellarminianum, cuius erat probare, nullam fuisse efficaciam veterum symbolorum.

XXIX. Emissenus ille, Autor ignotus; ipsi etiam Bellarmino in Scriptoribus Ecclesiasticis: adeo vt non tantum quis fuerit, sed nec quando vixerit, cuiquam constet. Sixtus Senensis censet has Homilias, *esse rhapsodias, à Latino scriptore, & ex Latinis patribus consarcinatas: stylum resipere aut Bedam, aut Rhabanum, aut alium vtrique non dissimilem.* Idem in de falsa librorum inscriptione; appellat *anonymi cuiusdam rhapsodi lacinias in annuas Euangeliorum lectiones.* Vt nullo modo excusari queat Bellarminus, qui annumerauerit Patribus, & quidem Græcis. Quo iure, eum quiin Dominica tertia aduentus scripsit, *Vnde non immerito quidam ait, si vis me flere, dolendum prius ipsi tibi?* Qui in Vigilia Natalis Domini; *Nolebat eam traducere in domum suam*, pro eo quod est ὑποδειγματίζειν? Et feria tertia in capite Ieiunij, *Facies suas exterminant, quia vltra sua pulchritudinis terminos atque naturam, incultas & informes, horrescere sinunt.* Feria sexta post quartam Dominicam: *Assolet infirmis somnus signum esse salutis.* Mitto alia plurima, quæ viro Græco, nunquam poterant excidere. Antiquitatem coniice. In die resurrectionis, *Tandem Christe venis, magnis nos soluere pœnis.* Dominica tertia post Pentecostem, *Accendit lucernam & euertit domum*; pro euerrit: interpretatur autem; *hunc mundum Dominus euertit.* Cette non fuit id σφάλμα aut melioris ætatis, aut non imperitæ.

XXX. Hic quicunque est, Eusebius, cum haberet præ manibus illud Petri, *Faciamus tria tabernacula*, nihil iuuenit, quo sibi satisfaceret, præter allegoriam, *Primum*, inquit, *tabernaculum est Synagoga, secundum Ecclesia, tertium Cœlum.* Frigide. Nam quid est faciamus Synagogam? An erat illa redintegranda per Apostolos? An vero legis cultum abrogare, dicatur Synagogam facere? Tum autem, quid? *Bonum est nos hic esse; faciamus hîc tria tabernacula?* An quia perinde est, sisne in Synagoga, an in Ecclesia, an in Cœlis? Quid etiam faciamus hîc tabernaculum cœlum? Tum autem illud quid est, *Tibi vnum; & Mosi vnum, & Eliæ vnum?* Non enim satisfacit, quod addit in Synagoga fuisse Mosen, in Ecclesia Eliam; in Cœlo Christum. Etenim Elias ille qui dicitur venturus restituendis omnibus, haud alius est, quam Christus: tum autem cœlum non Christo factum est, sed omnibus Sanctis, atque ipsi Mosi, Eliæque. Verum has scilicet curiosiorum, quam solidiorum ingeniorum elegantiores quam solidiores delicias non oportet ad viuum resecare. Ita esto sane, sed iis vicissim pasci permittamus leuiculos Sophistas; quibus sic vncta coria sunt admirationi.

XXXI. Horum tabernaculorum, *Primum*, inquit, *in vmbra fuit & figura, secundum in figura est & veritate, tertium in veritate sola. In primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur. Non enim Sacramenta Ecclesiæ, sicut Sacramenta Synagogæ medicinam docent, & ostendunt, sed ipsa sunt medicina, & remissio peccatorum*: Mitto ἀντεπιξίαν. *Faciamus tria tabernacula:* Et, *Primum in vmbra fuit.* Nam quomodo faciendum, si iam fuit? Quomodo secundum, non ostendens sed exhibens remedium: quomodo, inquam, hoc factum Eliæ, qui nullo remedio indigebat, cum esset in beatis, si Catholicis credimus, certe in Limbis, si Papistis, vbi Sacramenta nulla sunt in vsu? Sic perpetuum somnium.

XXXII. Sed hoc præcipuum. Quis sensus comparationis? Tertium in veritate. Esto sane, inquam, sed quo modo? Nempe, opinor, quod in eo plena sit fruitio promissæ beatitudinis. Non reprehendo. Sed quomodo secundum in veritate? Nam ita dicitur, in figura, & veritate. Cuius, inquam, rei veritate. Eiusdemne, cum tertio: eiusdemne, cuius etiam in figura? Ita prorsus videtur, nam si aliarum rerum veritas in Ecclesia, quam in Cœlo, non poterit se comparatio tueri ab absurdo. Quid ergo audio? Plenam fruitionem promissæ felicitatis esse iam nunc in Ecclesia? Viditne Anticyra maius delirium?

XXXIII. Rursus; quomodo primum in figura? An quomodo tertium in veritate? scilicet vt quomodo differt à secundo tertium. quod in hoc nulla sit veritatis figura, sic ab eodem secundo primum, quod in hoc nulla figurarum veritas, & nullum remedium, nulla remissio peccatorum? Sed hoc nobis refutatum. Itaque non potest hoc saltem sensu comparatio consistere. Verius est; in primo fuisse figuras cum rei veritate, vt in secundo, sed illas obscuriores in primo, vt Areopagitæ dictum. Ipsam etiam veritatem in primo aliter, quam in secundo; nempe habita ratione ipsius CHRISTI promissi tantum in primo, in secundo exhibiti; & tamen etiam in illo occisi ab initio mundi, propter veram solidamque beneficiorum ab eo manantium applicationem.

XXXIV. Ad eum sensum Epiphanius dixit in Epicureis: οἱ τύποι ἐν τῷ νόμῳ ἦσαν, ἡ δὲ ἀλήθεια ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, *Figuræ erant in lege, veritas autem in Euangelio.* Ambrosius de Abraham cap. 4. *Signum mansit donec veniret veritas. Aduenit Dominus Iesus; qui ait, ego sum via, veritas, & vita.* Sed omnino Augustinus, & disserte in Psalm. 73. *Sacramenta non eadem; quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta Noui Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Saluatorem. Cum ergo iam teneas promissa, quid quæris promittentia Saluatorem? Iam habes. Hoc dico, teneas promissa, non quod iam acceperimus vitam æternam, sed quia iam venerit Christus, qui per prophetas prænunciabatur.* Audin quo sensu data salus? Non propter efficientiam ipsorum Sacramentorum, sed propter aduentum Christi in carnem, qui nullo modo est à Sacramentis: siue nouis siue veteribus. Itaque hi loci alio pertinent, quam referantur à Bellarmino, nec alio tamen quam velimus nos.

XXXV. Non negamus tamen excidisse nonnulla quibusdam olim duriora, quam vt probari queant, *Non ergo Circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantum, quod signum ideo accipiebant filij Abrahæ, vt scirentur eius filij esse, qui credens Deo hoc signum acceperat, vt amulti essent paternæ fidei, & crederent in Iesum, qui promissus est Abrahæ.* Nam hîc primo quid est Circumcisionem nullius fuisse dignitatis, sed duntaxat signum. Nam si signum intelligat Sacrum, id est Sacramentum, implicatur contradictio: Nullum enim Sacramentum est sine dignitate, & quia institutum à Deo, & quia pars religionis. Sin autem signum nudum, id est, non Sacramentum, Papistæ ipsi contra iam consenserunt: itaque non possunt hæc huius Ambrosij verba non improbare. Præterea contradicitur Apostolo, qui 3. ad Romanos vtilitatem esse docet magnam Circumcisionis, præstantiamque Iudæi. Rursus Circumcisionis dignitas cur tota repetitur à filiis Abrahæ; & non ab ipso Abrahamo? Nisi forte aliam Circumcisionem iste, illi aliam acceperint, quod qui diceret, nondum inuentus est quisquam. Atqui in Abrahamo certum fuisse signum; signaculumque iustitiæ per fidem.

XXXVI. Chrysostomus Homilia 40. in Genesin, durissime: ἀδύνατον ἦν ἐκ τῆς περιτομῆς ὄφελος εἰπεῖν, ἢ τοῦτο μόνον, τὸ ἀφ' ἑαυτῆς σημεῖον τοῦτο γνωρίμους αὐτοὺς εἶναι, καὶ τῶν λοιπῶν ἐθνῶν κεχωρίσθαι, *Nulla alia ex Circumcisione fuit vtilitas, quam hæc sola, quod ex hoc signo dignosci possent, & ab aliis gentibus sequestrarentur.* Vbi miretur merito vir pius, quid causæ fuerit vt quod nusquam est Scripturarum, id tamen, & quidem, vnum solumque affirmatur, & quod Paulus asseruit, diserte excludatur. Nisi forte in hunc modum excusemus, vt sit loquutus, de Circumcisione, non secundum eius institutionem, sed iuxta abusum, qui fuerit in postremis Iudæis, in quos paulo post inuehitur. Illi enim suscipientes Circumcisionis signaculum, εἰχορίκαυλῶ ἀσφάλειαν, *Satis sibi cauebant, ne vltra cum gentibus se commiscerent, quantum ad communionis rationem pertinet, quantum autem ad impietatem sæpe illos ingrati facti superarunt.* Si placet hoc, excusetur sane, sin est aliter, dissimulemus boni Patris σφάλμα.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER

LIBER QVARTVS.

De SACRAMENTIS NOVI TESTAMENTI.

Caput Primum.

STATVS CONTROVERSIÆ DE NVMERO SACRAMENTORVM NOVI Testamenti.

SVCCEDIT disputatio de numero Sacramentorum Noui Testamenti, tractata Papistis, quos viderim: Lindano Panopliæ libr. 4. capti. 6. 7. Hosio Confessionis cap. 13. Pighio, controu. 10. Raueste in defensionis Tridentinæ parte altera. Polygrano Assertionis ca. de aliis Sacramentis. Vituesio Philipp. 12. Eckio de Sacramentis Homilia 5. 6. Slotano contra Velsium articu. 26. Tappero artic. 1. de Sacramentis. Horantio Locor. Catholic. libr. 7. cap. 7. Klingio Locor. lib. 4. cap. 3. Bellarmino de Sacramentis libr. 2. cap. 33. & seqq. Gregorio de Valentia tom. 4. in Thomam disput. 3. quæst. 6. articul. 2. Suari de Sacramentis in 3. Thomæ, quæst. 65. Dominico Soto in 4 Sentent. distin. 1. q. 6. Archangelo Rubeo in distin. 2. tertij sentent. Zachariæ Bouerio Demonstrationum aduersus hæreticos lib. 2. Exam. 4. in Dominicam 48. Leonardo Ianiero in Probatione Sanct. Sacramentorum. Sed & aliis non paucis in tractatibus singulorum Sacramentorum: item Scholasticis in 2. tertij Sententiarum.

II. Nostris vero: Caluino Institut. libr. 4. capit. 19. & Antidoto in Session. 7. Tridentinam, & in vera Ecclesiæ reformandæ ratione. Hellopœo de tota re Sacramentaria tract. 1. c. 11. Melanchthoni in Locis Communibus, de Sacramentis. Chemnitio Examinis Tridentini parte 2. in Canonem primum sessionis 7. Riueto Summæ Controuersiar. tract. 3. quæst. 2. VVitakero contra Duræum libr. 8. Molinæo in Clypeo fidei, parte 2. sect. 2. & seqq. Scharpio in Cursu Theologico, Controu. 1. de Sacramentis Noui Testamenti. Et de quinque spuriis Sacramentis.

III. Septem Sacramenta Papistæ omnes numerant. Eum numerum habent à Lombardo omnium primo, libri 4. distinct. 2. *Iam*, inquit, *ad Sacramenta nouæ legis accedamus, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Panis benedictio, id est, Eucharistia, Pœnitentia, Vnctio extrema, Ordo, Coniugium.* Negligentius tamen paulo: quod numerum non sanciuerit tam diserte, vt ambiguum nihil superfuerit. Nam etsi pauciora non videatur admittere: tamen de pluribus nihil definiuit. Nisi si argumentum sit validum satis ab ipsa nominatione. Quod tamen alias Papistæ nolunt esse αὐτάρκεις: vt cum obiicimus enumerationem librorum Canonicorum Veteris Testamenti, confidens responsio est, eos quidem dici Canonicos, sed plures non negari.

IV. Exinde tamen factus solennis numerus numerans apud omnes Scholasticos iuratos in ea verba, à quibus sumpsit Eugenius quartus Commonitorio ad Armenos, cap. 5 *Ecclesiasticorum*, inquit, *Sacramentorum veritatem, pro ipsorum Armeniorum tam præsentium quam futurorum faciliori doctrina, sub hac breuissima redigimus formula. Nouæ Legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Ordo & Matrimonium.* Extremam manum addidit Tridentinum Concilium, rotundato numero; vt non tantum pauciora non essent, sed neque plura soboleserent: Canone 1. Sessionis 7. *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ Legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro constituta, aut vel plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum nō esse vere & proprie Sacramentum, anathema sit.* Neque aliter nunc omnes disputant Papistæ.

V. At contra; Confessio Gallica articul. 36. *Agnoscimus duo tantum Sacramenta toti Ecclesiæ communia; quorum prius est Baptismus.* Et art. seq. *Affirmamus Sanctam Cœnam Domini, alterum videlicet Sacramentum, esse nobis testimonium nostræ cum Domino nostro Iesu Christo vnionis.* Catechismus Dominica 48. *Quot sunt Christianæ Ecclesiæ Sacramenta? Duo sunt omnino, quorum communis sit inter omnes fideles vsus. Quæ sunt illa? Baptismus & Sacra Cœna.* Consentiunt aliæ Confessiones. Heluetica cap. 19. Anglicana cap. 25. Scotica cap. 21. Belgica 33. Saxonica 13. Basiliensis 5. Sic consensus est.

VI. Hunc consensum calumniis Bellarminus dirimere conatur, aduersus Zvvinglium, & Caluinum, à quibus tria numerari fabulatur. Illum libro de Vera & Falsa Religione, etsi capite de Sacramentis, duo tantum doceat, Baptismum & Eucharistiam, tamen cap de Matrimonio, addere Matrimonium. Non libenter quidē, sed non tñ quod non conueniat definitio, sed quod vereatur ne Sacramenti vocabulo obscuraretur, & inquinaretur dignitas matrimonij. Dicere enim esse vocabulum multo illustris matrimonij, seu coniugij quam Sacramenti.

VII. Prō Dei atque hominum fidem! quid hoc frontis est? Nam vnum verum est, à Zvvinglio non numerari vltra duo Sacramenta, at quæcunque de matrimonio, mera sunt & peruersissima, imo impudentissima mendacia. Connumerare Sacramentis, falsum. Audi contra ex eodem ipso c. de matrimonio, *Matrimonium ergo fœdus sacratissimum esse cognoscamus, etiamsi inter Sacramenta nunquam conumeremus.*

VIII. Non eam esse causam, quod non conueniat Sacramenti definitio, falsum. Contra ex eodem cap. *Si Sacramentum esse contendas matrimonium ea causa, quod Christum & Ecclesiam figuret, nihil morabimur:* nimirum quia ὁμωνύμως, *At non est initiato, sed fœdus, vitæ fortunarumque omnium coniunctio, vt communis alea.* Audin? *Non est initiatio?* Atqui hoc ad definitionem Sacramenti pertinet, atque adeo, ipso eodem argumento erant paulo ante reiectæ à Sacramentorum numero reliquæ ceremoniæ, *Reliqua*, inquit, *Sacramenta*, quæ scilicet ita nominantur apud Papistas, *ceremoniæ potius sunt, nihil enim initiant in Ecclesia Dei: vnde non immerito loco mouentur, non enim à Deo institutæ sunt, vt aliquid eis in Ecclesia initiemus.* Et multo ante, *Vnde adducimur, vt Sacramentum nihil aliud esse videamus, quam initiationem, aut oppignorationem.* Omnino igitur persuasum fuit Zvvinglio ipsam definitionem Sacramenti obstare, quominus in Sacramentis matrimonium sit.

IX. Vereri ne Sacramenti nomine obscuraretur & inquinaretur dignitas matrimonij: & vocabulum matrimonij illustrius esse: meræ fabulæ. Inquinandi certe vocabulum nusquam est. De dignitate hoc tantum, *Nec cui videatur eius dignitatem esse leuatam, quum inter Sacramenta non numeramus:* quorum verborum sensus plane est in oppositum. Accusat Bellarminus, quasi putantem per Sacramenti nomen minui dignitatem matrimonij: At Zvvinglius, non vult, propterea minutam, quod noluerit Sacramentum appellare. Et negabit Bellarminus se esse calumniatum?

X. De nomine hæc sunt, *Matrimonium sanctissima res est: nec Sacramenti nomenclatura sanctior fit, aut clarior; sed obscurior & confusior: nemo enim ignorat, quid sit connubium, sed omnes ferme ignoramus quid sit Sacramentum. Sic nemo ignorat quid sit Baptismus, sed pauci sciunt quid Sacramentum sit.* Dixit ergo, aut si non dixit totidem literis, certe putauit obscurari matrimonium, si appellatur Sacramentum. Esto sane. Sed propter vulgo ignoratam Sacramenti definitionem. In quo, quid absurdi est? quid impij? Nam & Baptismi exemplum additum, debuit non negligi. Certe longe plures disputationes sunt de Sacramenti definitione; quam de Baptismi, aut matrimonij. Hoc sensu negauit ille rem matrimonij fieri aut sanctiorem, aut clariorem nomenclatura Sacramenti.

XI. In Zvvinglium sic fuit iniurius. In Caluinum cuiusmodi? Certe non vir bonus. Caluino affingit tria Sacramenta, Baptismum, Cœnam Domini, Ordinationem. Etsi enim libr. 4. Institut. capit. 18. §. 19. & 20. duo tantum dicat: tamen cap. 17. §. 31. & 14. §. 20. etiam ordinationem inter vera Sacramenta numerare: tantum non ordinaria, & Ecclesiæ communia. Vnde in Antidoto Tridentinæ session. 7. quatuor tantum reiicere, Confirmationem, Pœnitentiam, Vnctionem extremam, Matrimonium.

XII. Imo Caluini constans sententia est, duo tantum esse Sacramenta: Institut. capit. illo 18. *Habent lectores in compendium collecta ea fere omnia, quæ scire de duobus Sacramentis referre duximus, quorum vsus à primordio Noui Testamenti ad consummationem vsque seculi Christianæ Ecclesiæ est traditus.* Et paulo post, *Præter hæc duo vt nullum aliud institutum est, ita nec vllum agnoscere debet fidelium Ecclesia.* Et iterum, *His ergo duobus contenta sit Christiana Ecclesia: nec modo nullum aliud tertium admittat aut agnoscat: sed ne appetat quidem, aut exspectet, ad consummationem vsque seculi.* Eadem assertio in Catechismo, paulo ante recitato. Eadem rursus in Ecclesiæ reformandæ ratione, *Sacramenta duo à* CHRISTO *nobis esse commendata, extra controuersiam est.*

XIII. Ordinationem ab eo numerari inter vera Sacramenta, falsum. Qui locus indicatur ex cap. 19. ita est, *Superest impositio manuum, quam vt in veris legitimisque ordinationibus Sacramentum esse concedo; ita locum habere nego in hac fabula.* Alter ex 14. *Impositionem manuum, qua Ecclesia Ministri in suum munus initiantur, vt non inuitus patior nominari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero.* In his ego perperam omnia dico à Bellarmino interpretata, & præter autoris mentem, quomodo facile fuerit quiduis fingere, & affingere.

XIV. Primum ille non Ordinationem, sed impositionem manuum concedit dici Sacramentum. Ita enim diserte distinguit, *Impositio manuum*, inquit, *in veris legitimisque ordinationibus.* Et iterum, *Impositio manuum qua ministri in suum munus initiantur.* At isti, boni, si placet, viri, ordinationem ipsam, siue, vt loqui solent vsitatius, ordinem ipsum Sacramentum appellarunt. Quasi dicerent, quia Baptismo initientur Christiani; ergo Christianitatem esse Sacramentum. Absurde vt nihil supra.

XV. Deinde; manifesta apud eundem distinctio Sacramentorum, ordinariorum, & extraordinariorum. Ordinaria esse ea quæ Sacramenta Ec-

cle-

cleſiæ numerentur, in iis hoc non eſſe. Itaque diſerta verba, *vt non inuitus patior nominari Sacramentum, ita inter ordinaria non numero.* Prolixius in Eccleſiæ reformandæ ratione, cum diſputat de Confirmatione, cui rurſus eadem impoſitio adhibetur, *Huic alterum quoque annexum eſt*, nempe argumentum Papiſticum, *Inane Symbolum non fuiſſe, pro Sacramento igitur habendum eſſe conficitur. Ego vero vtrumque iſtorum fateor. Sed, quod minime prætereundum erat, non conſiderantes mediatores noſtri, cuius rei ſcilicet fuerit Sacramentum, ex temporali imperite perpetuum faciunt.* En tibi quæ ordinaria vocet, quæ extraordinaria. Illa ſcilicet perpetua, quæ nimirum ſemper obſeruanda in Eccleſia, ſemper ſint Sacramenta. Iſta vero, quæ non ſemper, ſed aliquando fuerint, poſt autem eſſe deſierint, atque non ſint amplius Sacramenta, quomodo videlicet vetera fuere Sacramenta, quandiu ſignificarunt Chriſtum venturum, deſierunt autem deinceps cum fuit non exhibendus, ſed exhibitus. Itaque Sacramentorum δυάδα negauit augendum propterea.

XVI. Atqui remouit tantum quatuor. Magnum mendaciũ, inquam. Nam c. Inſtit. 19. diſput. ex profeſſo, *De quinque falſo nominatis Sacramentis:* atq; inibi, Sacramenta nõ eſſe quinq; reliqua quæ pro Sacramentis hactenus vulgo habita ſunt, declaratur. In textu diſerte, *Viſus ſum mihi operæ pretiũ facturum, ſi quinque reliqua, quæ veris ac germanis Domini Sacramentis vulgo accenſentur, ſeorſum ac propius excuterem, omnique abſterſo fuco, ſimplicibus ſpectanda proponerem qualia ſint, & quam falſo pro Sacramentis hactenus habita fuerint.* In Eccleſiæ reformandæ ratione, *Sacramento duo à Chriſto nobis eſſe commendata, extra controuerſiam eſt. De quinque ergo reliquis videamus, quid ſit ſentiendum.* Tum longa diſputatione remouet ſingula.

XVII. In Antidoto Tridentina duntaxat quatuor reiiciuntur. Imõ, inquam tria tantum, extrema Vnctio, Matrimonium, Pœnitentia. Lege, *Ex Sacramentis, quæ numerant, alia oſtendimus fuiſſe temporaria, vt eſt infirmorum Vnctio: alia falſo ita vocari, vt eſt Matrimonium.* Poſt paulo, *Si gratia ſpirituali, & externo ſigno conſtat Sacramentum, quodnam tale in Pœnitentia reperient?* Nec percurrit plura, cur non ergo Sophiſtæ dictum, quatuor retineri? Nimirum ea nulla erat enumeratio, integrave ſententiæ diſcuſſio; ſed tantum infirmatio alienæ opinionis, nec ea plena, ſed inchoata, indicatis quibuſdam abſurdis. Itaque ex aliis plenioribus locis iudicanda. Quo igitur iure Bellarminus confirmationem in reiectis nominat; etſi tunc non nominatam; eodem nos etiam ordinationem, etſi omiſſam: vt Caluino ſua ſincera relinquatur Sacramentorum biga; & Sophiſtas cõſtet eſſe calumniatores. Enimuero quid dicant ſi nos ad eorum exemplum, dicamus Lombardo quatuor eſſe duntaxat, etſi ſeptem numeret? Nam in eorum diſtributione non plura nominauit quam quatuor, *Quorum*, inquit, *alia remedium contra peccatum præbent, & gratiam adiutricem conferunt, vt Baptiſmus, alia in remedium tantum ſunt, vt Confirmatio, alia gratia & virtute nos fulciunt, vt Euchariſtia & Ordo.* At nos ſumus candidiores, quam vt ſic illudamus mundo.

XVIII. Eſt igitur Catholicorum ſententia, duo tantum numerari inter Chriſtianos vera veri nominis Sacramenta; nec plura, nec pauciora: videlicet Baptiſmum, & Euchariſtiam. Reliqua omnia dici ὁμωνύμως, & altera quadam definitione. Papiſtarum contra; ſeptem eſſe ſynonyma, nec plura, nec pauciora; nempe duobus illis, his quinque adiectis, Confirmatione, Pœnitentia, Extrema Vnctione, Ordinatione, Matrimonio.

XIX. In diſputando præfatur Bellarminus, non debere à ſe poſtulari, vt in Scripturis oſtendatur vel ipſe numerus ſeptenarius, vel adeo nomen ipſum Sacramenti ſingulis tributum. Sufficere ſi res ipſa, quæ nunc Sacramenti nomine deſignetur in Eccleſia, oſtendatur omnibus conuenire. Cui præfationi habet profecto nos omnes aſſentientes: qui ſcimus, non tantum ſeptem, ſed ne duo quidem vſquam numerata, ſicve appellata: quandoquidem nullum in vſu tum nomen eſſet, quo id genus peculiariter deſignaretur, vt factum poſtea: deinde quia non debent Theologi vocabulis inhærere pertinaciter, dum res ipſa conſtet. Neque ſane, quemquam noſtrũm ille habet nominare, qui hac importunitate diſputationem eluſerit. His igitur omiſſis reliqua videamus.

CAPVT II.

De Congruentiis.

I. ETſi numero ſeptenario non potuerint, aut ex Patribus autoritatem conciliare, tamen non deſperarunt rationibus ſuadere poſſe, & quidem variis, quicunque à Lombardo primo acceptum, retinendum ſibi perſuaſere.

II. Primo numerum ipſum laudant ſeptenarium. Celeberrimum Bellarminus in expiationibus, Exodi 29. Leuitici 4. 8. 13. 14. 15. 16. & 23. Numer. 19. Deuteron 15. poſter. Paralipom. 29. Iob vltimo, vbi ſemper in expiatione offerri dicuntur ſeptem animalia, vel ſeptem diebus, vel ſepties aſpergi ſanguinem: poſt. Regum 5. Naaman ſepties iuſſus lauari. Quanquam cur tam auare expiationibus hæſit? Liberalius Hoſius. Spiritui Sancto familiarem numerum, dona Spiritus ſancti ſeptem, Eſaiæ 11. Septem ſigilla, Apocalyps. 3. ſeptem tubas, 8. ſeptem ſtellas 2. ſeptem panes, Matth. 5. ſeptem oculos ſuper vnum lapidem, Zachariæ 3. ſeptem lucernas ſuper vno candelabro, 4. Quid plura? Eckius perfectiſſimum numerum, veram deſignare quietem, denique numerum vniuerſitatis, *Quid vel Euangelicæ doctrinæ aduerſatur*, clamat Hoſius, *vel eam obſcurat ſi eo numero Sacramenta comprehendi voluit Eccleſia?*

III. Secundo; ſimilitudinem quandam inſtituunt vitæ corporalis, & ſpiritualis, acceptam à Thoma part. 3. quæſt. 65 art. 1. In vita humana requiri quædam ex parte cuiuſque hominis, quædam ex parte totius Reipublicæ. Primum generationem, in Baptiſmo, augmentationem in Confirmatione, nutritionem in Euchariſtia, remedium contra morbos, in Pœnitentia, remedium contra reliquias morborum, in Extrema Vnctione, propagationem in Matrimonio, autoritatem publicam in Ordinatione. Vnus Biel mutauit, in Pœnitentia recuperationem ſanitatis, in Extrema Vnctione, præparationem exeuntis finaliter vt de hac vita finc impedimento tranſeatur ad aliam. Thomas vero; ſanationem quæ ſanitatem reſtituat, in Pœnitentia, & eam quæ priſtinam valetudinem per conuenientem diætam & exercitium, in Vnctione.

IV. Tertio, Sacramenta eſſe remedia contra peccatorum culpam, & pœnam, ſic enim viſum Bonauenturæ. Itaque contra peccatum originale eſſe Baptiſmũ, contra actuale mortale, Pœnitentiam: contra veniale, Vnctionem extremã: contra ignorantiam, Ordinem: contra impotentiam, ſiue infirmitatem, Confirmationem: contra malitiam, Euchariſtiam: contra concupiſcentiam, Matrimonium. Mutat Bellarminus, poſt Thomam; veniale peccatum, in reliquias peccatorum. Thomas originale, in carentiam vitæ ſpiritualis: malitiam, in labilitatem ad peccandum, actuale mortale; in actuale. Ignorantiam, in diſſolutionem multitudinis. Concupiſcentiam, in concupiſcentiam perſonalem, & defectum multitudinis.

V. Quarto, Sacramenta inſtituta in adiutorium virtutum, itaque pro harum numero, illorum eſſe numerum. Tres eſſe Theologicas; quatuor Cardinales. Fidei Baptiſmum eſſe: Spei, Confirmationem: Charitatis Euchariſtiam: Iuſtitiæ Pœnitentiam: Fortitudinis (ſiue perſeuerantiæ apud Hoſium) Vnctionem extremam: Prudentiæ Ordinem: Temperantiæ Matrimonium. Sic Hoſius, & Bellarminus. At Thomas, & Bonauentura, permutant Spem & Fortitudinem; illius Vnctionem eſſe, huius Confirmationem.

VI. Quinto, apud Bonauentutam in 2. diſtinct. 4. Cum Sacramenta ſint armaturæ Eccleſiæ militantis, ſumitur numerus ſic. Quia ſicut dicitur in Cantico, *Ipſa eſt terribilis, vt caſtrorum acies ordinata*: terribilis eſt & fortis, per Confirmationem: Acies, quia coniuncta & vnita, per Euchariſtiam: Ordinata per Ordinem. Tum autem variabilis in hac vita, adeo vt aliqui ſubtrahantur per mortem, aliqui proſternantur per culpam; ideo neceſſaria prolis multiplicatio per Matrimonium, & reſurrectio poſt lapſum, per Pœnitentiam. Ad aciem, nemo admittitur ſine ſigno; ad id Baptiſmus eſt. Ex acie egredientibus ſeruit extrema Vnctio. Sic ille. Sed hanc ei ſubtilitatem, quod ſciam, inuidit nemo.

VII. Sexto loco ſubtilitas eſto Hoſij; ad ſeptem hominum genera accommodari. Baptiſmum eſſe intrantium in vitam: Confirmationem pugnantium: Euchariſtiam vires reſumentium: Pœnitentiam, de lapſu reſurgentium: extremam Vnctionem, ex hac vita exeuntium: Ordinem, miniſtrantium Matrimonium, nouos milites introducentium. Et hoc abſoluto, *Summa*, inquit, *atione factum eſt vt ſeptenario numero Sacramenta comprehenderentur.*

VIII. Septimo Rubeus; Sacramenta dicitur contra defectus, qui in nobis ſunt ex peccato, ad quos ea ſanantur dupliciter; vno modo auferendo cauſam defectus, ſcilicet ipſum peccatum; & hoc vel impediendo ne fiat; ad quod ordinatur Matrimonium: vel expiando iam factum: & ſic contra originale ordinatur Baptiſmus, contra actuale Pœnitentia. Alio modo ordinatur contra defectum, ſupplendo id, quod deeſt ad perfectionem. Eſt autem hæc duplex, vna in ordine ad operationem, & ad hanc ordinatur quantum ad executionem bonorum: Confirmatio vero quantum ad perpeſſionem malorum. Alia perfectio eſt in ordine ad finem; & ad hanc ordinatur extrema Vnctio; reſpectu finis intra; per eam enim præparamur ad gloriam reſurrectionis: & Euchariſtia, reſpectu finis extra, quia per eam Chriſto capiti vnimur.

IX. Plaudite; Calliopius recenſuit perelegantem ſane fabulam, in eaque miram & pertenuem ſubtiliſſimorum ingeniorum contentionem; quæque vel expumare poſſit aquam elicere. Nam quid eſt, Deus bone, quod hac arte non quitac concludi? Similes olim luſi in ieiuniis quatuor temporum propter anni tempeſtates, ſiue corporis ſtipendia, & in quadrageſima, deriuata ex decem præceptis Decalogi, & quatuor, ſiue Euangeliis, ſiue elementis, ſiue anni tempeſtatibus. O inexhauſtum diuinitatem aeuminis!

X. Acuminis tamen laudem Bellarminus minuit; negans eſſe fundamenta demonſtrationeſve, ſed tantum congruentias ſuppoſita fide. Solere enim Scholaſticos, ea, quæ ex fide habemus, oſtendere non repugnare rationi, ſed eſſe potius conformia.

XI. Quid hoc eſt, inquam? Nempe nihil iſta tam culta, tam affectata, tam laborioſa ſubtilitate probari, ſed tantum probatum illuſtrari, ſiue potius demonſtratum ſuaderi. Laudo confeſſionis ingenuitatem, vnde conſtat diſputantibus aduerſum nos perire diligentiam, perire tempus, perire laudem, denique ridiculos eſſe, Hoſium, Eckium, Rubeum, Tiletanum, Polygranum, Lorichium, & quicunque nos eo petunt ſtramine. Certe enim nobis non eſt ex fide Septenarius Sacramentorum numerus, itaque nondum probatus, nondum demonſtratus. Quomodo ergo queat illuſtrari?

XII. Imo amplius audire congruentiarum ingenium. Docet Suares, *In his congruentiis & proportionibus non eſſe petendam exactam ſimilitudinem, neque abſolutam demonſtrationem, quæ oſtendat, id quod factum eſt, ita eſſe conueniens, vt non poſſit alio conuenienti modo fieri: conſtat enim hoc non eſſe neceſſarium.* Nempe, inquam, vitrea ſunt argumenta, quæ ſi paulo tractes durius, diſſiliant in fruſtula. Tanta eſt Sophiſtarum calliditas! Cognata Chymiſtarum calliditati, qui in ſpeciem oſtentant aurum, fulgore ſuo oculis illudens; quod igni admotum abeat in fumum. Summa eſt, nihil obſtare, quominus aliis quibuſdam congruentiis, & proportionibus oſtendatur vnicum eſſe Sacramentum, vel duo, vel alia quotcunque. Egregiam vero laudem & ſpolia ampla. Saltem illud adderent modeſtiæ plenum ex Gregorio Nyſſeno Homilia 1. de Paſcha, poſt ſimilem analogiæ luſum: ἀλλὰ περὶ μὲν τῆς τῶν ἡμερῶν αἰτίας ταῦτα ὑπενοήσαμεν εἰπεῖν ὀρθῶς, εἴτε καὶ μὴ ἐν τῇ κρίσει τῶν ἀκροατῶν καταλείψομεν, ἐ γὰρ ἀπόφασις ὁλόγε ἐστὶν, ἀλλὰ γυμνασία καὶ ζήτησις. *Hæc de trium dierum numeri cauſa cogitauimus. Recte, necne, auditorum iudicium eſto. Neque enim verba noſtra aſſeuerationem continent, ſed exercitamentum & inquiſitionem.* Purgarent, ſaltem excuſarent peccatum. Verum id procul eſt à faſtu ſcholaſtico.

XIII. Solent Imperatores in bello, quum primum vacillantem vident hoſtium aciem, & victoriæ ſpem certam concipere; & tum magis vrgere vt vacillantes præcipitent. Cui non animos faciat in hoc noſtro genere præ-

re præliorum, tanta aduersariorum titubatio? tantum diffidentiæ signum? Itaque & nos instemus bonis auibus; harumque ratiuncularum futilitatem, tantum suspectam ex aduersariorum pallore, demonstremus apertius: docentes longe esse maiorem, quam illi fateantur.

XIV. Innumeri laudibus nugantur profecto. Nam quis nescit non hunc solum esse in Scripturis celebrem? Aut quis non audiuit vnum Deum, vnum Christum, vnam Fidem, vnum Baptisma, vnam Ecclesiam, & duos in carne vna, & vnam nauim in quam ascendit Christus, & vnum necessarium, & omnes fideles vnum esse: & per vnum hominem peccatum ingressum, & vnum corpus, vnum panem: & vnum atque eundem Spiritum, & totam legem vno verbo compleri, & vnum Legislatorem, & multa alia? Cur non igitur laudabilis congruentia concludit vnicum esse Sacramentum? Quis oblitus est, ab initio duo elementa, cœlum & terram, & duo luminaria, & duos in carne vna; & duos Angelos venientes Sodomam, & duas filias Lot: & duas vxores Iacobi, & duas tabulas legis, & duos Cherubim in arca, & agnos anniculos duos per singulos dies iugiter, & duos lapides onychinos inscriptos nomina filiorum Israel in Ephod: & primæ secundæque vocationis discipulorum, duos fratres, & duos consentientes, & duo mandata, & duos astantes Christo, Mosem, & Eliam, & duos Angelos in albis in monumento Christi, & duo Testamenta, & quid plura? Hæccine ergo congruentia Caluino dabit duo Sacramenta?

XIV. Nam quod Bellarminus continet se intra Expiationes; primûm cur facit? Aut ei quis permisit aliorum magnificentiam suis terminis circumscribere? Deinde ne ipse quidem omnia Sacramenta refert ad expiationem, sed Confirmationem assignat augmentationi: Eucharistiam nutritioni, propagationi Matrimonium, regimini Ordinem, imo virtutibus omnia, quæ certe virtutes expiari non debent. Denique non septenarius tantum est expiatorius, sed etiam binarius. Exodi 29. consecrandis Sacerdotibus, duo arietes immaculati adhibentur. Leuitici 5. habes duos turtures, vel duos pullos columbarum, 14. duos passeres, 16. duos hircos, & sic frequentissime in eo libro. Cur septenario hæreamus potius? Et quidem cum sermo sit de iis quæ facienda sint, non autem quoties facienda, cum tamen huc referatur pars maxima locorum à Bellarmino laudatorum, quæ res non est similis.

XV. Præterea, iisdem rationibus concludi potuit in veteri lege eundem fuisse numerum Sacramentorum. Erat enim & numeri septenarij solennitas eadem, & vitæ spiritualis analogia ad corporalem. Et iidem defectus; iidem morbi, eædem virtutes, denique omnia similiter. Quod si ea consequentia nulla sit, cur securior hæc est?

XVI. Bellarminus respondet; Sacramenta vetera non fuisse instituta ad perficiendum hominem in vita spirituali, nec ad remedium peccati, excepta vna Circuncisione, sed solum ad significanda mysteria Christiana, & alios quosdam fines. Itaque congruentias illas rectissime se habere, si applicentur nostris Sacramentis, non si veteribus.

XVII. Insto. Primo, hanc solutionem nihil pertinere ad numerum septenarium, cuius laudes quascunque habuit, non aliunde Bellarminus hausit, quam ex ritibus Veteris Testamenti, à quibus ansam habuit vocandi expiatorium. Nam à Nouo Testamento nihil habuit, nihil habere potuit eiusmodi. Quis non miretur, bonam esse hanc consequentiam: In veteri Testamento septenarius numerus erat expiatorius, ergo septem debent esse Sacramenta in Nouo Testamento, & hanc contra non valere, in Veteri Testamento septenarius erat expiatorius, ergo in Veteri Testamento septem fuerunt siue Sacramenta, siue Sacrificio? An quia, *Sic vos non vobis.*

XVIII. Non erant instituta Sacramenta in remedium peccati. Imo erant instituenda, sic enim fert analogia. Deinde falsum, nam & hîc excipitur Circuncisio, vnde argumentum, sufficere saltem vnum, non obstante analogia illa. Tum autem alias admittuntur fuisse Sacrificia expiatoria. Quid autem sunt ista, si non sunt in remedium peccati? Ergo debuerunt esse septem; aut, quod verius, fallit hæc analogiæ decempeda.

XIX. Non fuere instituta ad perficiendum hominem in vita spirituali. Imo nulla religio vera, nulla religionis veræ particula, non instituta in eum finem. Nonne enim ad Dei cognitionem intimandam, hominemque Deo vniendum? Hoc autem fierine potest, dum relinquitur homo in imperfectione suæ naturæ? Quod si non potest: ergo necesse est veram religionem institutam perficiendo homini, id est promouendo paulatim ad suam perfectionem. Itaque Deuter. 4. *Scitis, quod docuerim vos præcepta* חקים, *atque iustitias*, ומשפטים, *sicut mandauit mihi Dominus Deus meus, facietis ea in terra, quam possessuri estis, & obseruabitis & implebitis opere, hæc est enim vestra sapientia, & intellectus.* En tibi sapientiam & intelligentiam, nonne perficiendo homini? Et notato Bellarminus nominari diserte חקים, quod nomen ipse vult proprium fuisse Sacramentis. Sacramenta ergo erant Israelitarum sapientia & intellectus. Cur non ergo proportionata virtutibus? Nisi forte nihil ad sapientiam virtutes. Et certe vt omnia negent reliqua; tamen sapientia, & intellectus, sunt contra ignorantiam. Cur non ergo Iudæis saltem Ordo Sacramentum?

XX. Quid? quod diserte perfectio postulabatur? Genesis 17. *Ambula coram me, & esto perfectus:* Et quidem tunc cum institueretur Circuncisio. Deuteronom. decimo octauo, *Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo.* Iosue vicesimo quarto, *Nunc ergo timete Dominum, & seruite ei perfecto corde: atque verissimo.* Et alias sæpe. Sed & perfectionis defectus exprobratur. Primi Regum 11. *Cumque iam esset senex,* Salomo, *deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius.* Similiter 15. Abiam; *nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo.* Quod si perfectionem præstare debuerunt qui tum temporis erant Iudæi; nec eam potuere, nisi vel à se, suæque naturæ viribus, vel à gratia, non autem à se, vtpote peccatoribus; Ergo à gratia oportuit suppeditatam. Quid ergo obstabat, quominus per Sacramenta, quæ erant signa gratiæ? An quia in arbitrio est Sophistarum Dei dona interpretari, imo Dei donis legem præscribere; vt ne se exserant vltra quam voluerint?

XXI. Ad hæc in iis proportionum capitibus, tam fœdum est inanis μικρολογίας specimen, vt cuiuis attentiori paulo facile sit imposturam deprehendere, adeo sese & imprudenter gerunt in distinguendo, & in confundendo inconsiderate, & in vtroque discordes. Enimuero, quid salis est, cum peccata disparant à reliquiis peccatorum, vt alio illa remedio, istæ alio habeant opus? Equidem vellem tam elegantis acuminis fundamentum in Scripturis dari. Nisi forte tam manifeste Scripturis aduersarij sint Sophistæ, vt sibi ad restim rem redisse credant, si ad eas exigantur. Condonemus ergo aliquid, & saltem ex antiqua traditione docento aliter sanari peccata, aliter peccatorum reliquias. Quid? quod sibi in eo non consentiant? Nam peccatorum reliquias quid appellant, Nonne pœnam, quam distinguunt à culpa? Aut saltem peccata venialia. Quid ergo? Non potest Pœnitentia delere venialia; quæ mortalibus sufficiat abolendis? Pœnas autem obliterari ne ipsi quidem negant; nisi quatenus non est pœnitentia perfecta; id est, sine plena satisfactione. Quid tum autem? An propterea non sufficiens dicenda Pœnitentia? Nam id fit per accidens, ex defectu pœnitentis, quomodo ne peccatis quidem auferendis par erit. Quid enim si pœnitens sit hypocrita? Qua ratione etiam Baptismus potest infirmari. Atqui hoc cum accidit, cur non iterato potius Pœnitentia, quam multiplicata Sacramenta?

XXII. Ridicule Thomas, Soto, alij sanitatem restitutam dispararunt, à pristina valetudine restituta, atque id tam superbe, vt tam noui discriminis notam nullam adscripserint. Sed & illud quid sit, quod extremæ Vnctioni adscribant conuenientem diætam exercitiumque? dicat Oedipus, & conciliet cum Bonauentura, qui maluit præparationem finaliter exeuntis de hac vita. Nam huic, quæ tanta potest imponi diæta, quod tantum exercitium? Nisi forte apud Acheruntem. Vitauit scilicet Bonauentura absurditatem intempestiuæ disparationis, securus de Thomæ dignitate.

XXIII. Pœnitentiam alij contra peccatum actuale, simpliciter, alij contractius, contra Actuale mortale, vt veniale reseruetur Vnctioni. Est qui spei confirmationem adscribat, est qui potius Vnctioni. Est qui fortitudini confirmationem, nec abludunt saltem nomina, est qui potius Vnctioni. Nempe, vt locus sit nouis litibus, de propriis cuiusque finibus, quæ quandiu erunt sub iudice, vel audacter in alienam messem falcem mittant; vel suam potius negligant, nonnullo forte Papistarum detrimento, nisi prouideat Concilium aliquod Oecumenicum, Tridentino par. Cæterum viderit Thomas, quare in Eucharistia labilitatem ad peccandum maluerit quam malitiam, cum tamen labilitati potius opponenda fuerit confirmatio. Quare in ordine, dissolutionem multitudinis, quam ignorantiam. Viderit in coniugio, quodnam sit Theologiæ genus, concupiscentia personalis, nisi si aliquam esse censet in Vtopia, vbi nullæ personæ.

XXIV. Sedenim desultoria, leuitas digna risu. Vitam spiritualem vitæ comparant corporali, atque inde generationem generationi, augmentationem augmentationi, nutritionem nutritioni, morbos morbis, publicam autoritatem publicæ autoritati, verbis quidem paribus, sed rebus toto genere disparatis. Et tamen in Matrimonio propagationem eandem vtrinque. Nam profecto coniugium non generat filios spirituales: non, inquam, propagat genus humanum spiritualiter. Itaque Dominicus Soto, *Quantum ad naturalem propagationem, quod sit per Matrimonium in vtraque via.* Impudentius etiam Biel, *Per Matrimonium communitas accipit multiplicationem in esse natura vel carnali.* Viden stuporem? Quid enim est propagatio naturalis, quid propagatio carnalis in spirituali vita? Si non sanctius, certe astutius Patriarcha Constantinopolitanus Hieremias, primo responso ad VVirtebergenses. Τὸ μυστήριον, inquit, ἢ πρὸς γένεσιν ἀνθρώπων ἐστὶ, καὶ ἔστιν ὁ ἐν Χριστῷ γάμος: ἢ πρὸς σωτηρίαν, καὶ ἔστιν ἡ τάξις, *Omne Sacramentum* (interprete Scolouio in Censura Orientalis Ecclesiæ) *vel ad generationem, & propagationem hominum refertur, & tales sunt illæ, quæ in Domino suscipiuntur nuptiæ: vel ad consequendam æternam salutem, & talis est Sacerdotalis ordo*, & quæ sequuntur cætera. Vitauit ille disproportionis ridiculum: sed Theologiam nouam induxit, vt quædam Sacramenta diceret attinentia nihil ad salutem, qua patefacta ianua, cur non liceat longe longeque plura Sacramenta inducere in Ecclesiam? Et quemadmodum generatio carnalis suum habuit, habeat suum nutritio, & reliqua?

XXV. Rursus, effecta Sacramentorum putabantur hactenus in eo consideranda, cui applicarentur ipsa, nec alia mente disputatum antea de collatione gratiæ, efficaciaque Sacramentorum. Et sic exempla sunt Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, extremæ Vnctionis. Et tamen in eiusdem proportionis serie Ordinis, Matrimoniique effecta pertinent alio. Nam Ordo medetur ignorantiæ, siue dissolutioni multitudinis, non in ipso consecrato, sed in plebe: Matrimonium similiter prouidet defectui multitudinis; non tamen opinor, multiplicans ipsos coniugatos.

XXVI. Quid? quod in secunda congruentia, remedium contra morbos tanquam proprium assignatur Pœnitentiæ, & tamen in tertia, non tantum omnia dicuntur remedia contra peccata, sed etiam ipsi Pœnitentiæ peculiariter assignantur peccata actualia? Quanta incogitantia, Deus bone, quam indigna tam subtilibus, tam exactis, tam emunctæ naris Theologis! Nisi sint in histrionibus potius, quibus tam sunt arbitrariæ personæ, vt cui Simonem actu primo, eidem Dauum imponant secundo. Atqui quæ laus fabularum, non eadem rei seriæ: minime omnium Theologiæ.

XXVII. Quid plura? Obiecerat Suares, non seruari conuenienter proportionem assumptam, cum in vita corporali, non sint distincta media ordinata ad augendum, nutriendum, conseruandumve corpus, omnia enim agi iisdem cibis, iisdem internis facultatibus, ideoque spirituali vita, vnum Eucharistiæ Sacramentum potuisse satisfacere nutriendæ, augendæ, acceptæ in Baptismo, item confirmandæ, perficiendæque restitutæ per pœnitentiam. Soluit autem, respondens in corporali illos fines

fines esse diuersos, media etiam esse aliquo modo diuersa, id autem satis esse. Sed vide ludificationem. Primum obiectio non negabat fines esse diuersos, sed tantum eadem esse media ponebat, & ita oportuit; quia Sacramenta non sunt fines, sed media ad fines. Proportio autem non ferebat, vt cum diuersis finibus, eadem media sufficiēt in vita corporali, in spirituali media multiplicentur pro diuersitate finium. Secundo, vt diuersi sint fines, tamen sunt subordinati; adeo vt nutriendo corpus crescat, & conseruetur: quæ ratio esse debet in spiritualibus; aut analogiam oportebit deseri. Notum est autem subalternatis finibus eadem sufficere media, sic ad conficiendum iter qui equus sufficit, sufficiet ad perueniendum Romam. Et qui literarum characteres in vsu sunt ad legendum, iidem apti sunt ad cognoscendam Aristotelis Philosophiam. Tertio, media illa in vita corporali esse aliquo modo diuersa, nullus probat, sed & frustra dicit: non enim ad rem est differentia modi: cum Sacramenta potius re atque adeo numero differant inter se. Itaque si in vita corporali media sint modo duntaxat diuersa, & in spirituali, re tota disparentur; necesse est violari proportionem, subtilitatemque redire in nugas.

XXVIII. Possunt plura explicari capita. Desinam in vno. Repono statum quæstionis, septem esse Sacramenta; nec plura, nec pauciora. Hoc vt euincant enumeratione vtuntur & distributione. Hoc autem cum fit, necesse est exactam esse enumerationem, alioquin probabuntur fortasse septem; & eadem ratione non pauciora, sed non ostendentur non esse plura. Imo ne illud quidem tutum, si laciniosa enumeratio, si coacta. Exemplo est illa Patriarchæ Constantinopolitani demonstratio; *Non plura, inquit, neque pauciora esse, vel ipsa plena rei partitio demonstrat:* δείκνυσι καὶ ἡ διαίρεσις; scripserat ille: sed plenam Socolouius addidit necessario. Quomodo igitur? Omne Sacramentum, vel ad generationem hominum refertur: vel ad æternam salutem. Esto sane. Sed primi ordinis quot sunt? Vnum, nempe Matrimonium. Alterius autem? Iterum geminus ordo. Alia quæ in Sacerdotibus fiunt; alia quæ à Sacerdotibus. Perge. Illa quæ? Ordo, nec plura. Ista vero? Duplicia, quæ quibusdam propria, quæ omnibus communia. In illo ordine, Matrimonium, quod laicorum: In isto; τὸ βάπτισμα, τὸ μύρον, ἡ κοινωνία, μετάνοια, ἡ τοῦ ἡγιασμένου χρίσις ἐλαίου, Baptisma, Chrisma, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Vnctio. Hîc quid requiram attendite, in numero quidem: nam de re nihil dico. Recurrens ergo propositas distinctiones; video confici ordines quatuor, & tamen Sacramenta septē, nimirum si postremum ordini quatuor assignatis. Atquiô, bone, hæc non est plena partitio. Non enim docet me postremi ordinis esse quatuor Sacramenta, nec plura, nec pauciora: sed imperat credere. Atqui si hoc satis, satis erat semel edixisse, septem sunt, neque plura, neque pauciora. Quî tu quæso, tam tui dissimilis fuisti, vt tibi volueris credi in postremis, qui in præcedentibus demonstrationem, tanquam tibi nemo iret creditum, ostentasti, aut qui in primis ipse tuo diffisus es nomini, tam subito, quasi noua inflatus spe tuæ autoritatis, sola nomina crepaueris in postremis? Itaque πολλὴν ὦφλες γέλωτα.

XXIX. Non fuerunt cautiores Papistæ. Quid enim in distribuendo sectantur? Generane, an species? Septem, inquiunt, virtutes sunt. Quomodo, inquam? Nam si genera dicas, possum concedere. Quanquam peccatum est, cum non ostensum singulis deberi sua Sacramenta. Sin autem species, negatio in promptu. Virtutes enim sunt Oratio, Ieiunium, Elemosyna, Contemplatio, Intelligentia, Patientia, Continentia, Clementia, Modestia, Obedientia, Sinceritas: & aliæ fortasse, quæ continentur sub illis Theologicis, & Cardinalibus. Viden tibi pluribus opus esse Sacramentis si species consectariis? sicut Thomas edixit 3. part. quæst. 62. artic. 1. *Sacramenta nouæ legis ordinantur ad speciales gratiæ effectus, & ideo vbi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale Sacramentum.* Sin turbam metuas, at tu primum doce genera tantum in hunc censum esse admittenda, id est Thomam refutato. Deinde cur hæc potius, quæ non nisi septem sunt, quam superiora, vt quia duo sunt Virtutum genera, Theologicarum, & Cardinalium, totidem sint Sacramenta? Rursus in vita spirituali requiruntur quædam in singulis, quædam in Republica. Esto. In singulis, quæ? generatio, augmentatio, nutritio, remedium contra morbos, remedium contra reliquias morborum. Quæ iam in Republica? Propagatio, autoritas publica. Esto sane. Sed his singulis, nemo probat sua debere esse Sacramenta. Nemo rursus hæc sola probat esse necessaria. Cur enim, exempli gratia, non vt nutritionem ab augmentatione: aut etiam generationem à nutritione, sic disparant conceptionem à natiuitate, imo etiam conceptionem ab animatione, quas natura etiam tempore discreuit? Cur familiam omiserunt, vt soli Reipublicæ locum darent.

XXXI. Possunt alia inquiri: sed ego finem facio, sperans hæc satis esse, vt ludibrium Sophistæ debeant cordatis viris. Gregorium Nyssenum audi, Orat. 1. de Pascha, generationis spiritualis exsequentem particulas. οὗτος ὁ τόκος διὰ τῆς πίστεως κυοφορεῖται, διὰ τῆς τοῦ βαπτίσματος ἀναγεννήσεως εἰς φῶς ἄγεται· τροφὸς τούτου ἡ ἐκκλησία γίνεται, μαζὸς τὰ διδάγματα· τροφὴ ὁ ἄνωθεν ἄρτος. ἡλικίας τελείωσις, ἡ ὑψηλὴ πολιτεία. γάμος, ἡ τῆς σοφίας συμβίωσις τέκνα, αἱ ἐλπίδες οἶκος, ἡ βασιλεία· κλῆρος καὶ πλοῦτος, ἡ ἐν τῷ παραδείσῳ τρυφή. τέλος δὲ οὐ τὸ θανάτου, ἡ ἀΐδιος ζωή. *Fœtus per fidem concipitur, per Baptismatis regenerationem in lucem editur: nutricem habet Ecclesiam, huius doctrinam & instituta sugit tanquam vbera, illi cœlestis panis est cibus, ætatis perfectio est sublimis viuendi ratio, nuptiæ consuetudo sapientiæ: liberi, spes: domus regnum, hereditas & opulentia, deliciæ paradisi; finis, non mors, sed vita sempiterna.* Viden? quanto subtilior proferri queat analogia? Sed nostris Sophistis crassior Minerua placuit, præsenti emolumento.

Capvt III.

De Nomine Sacramenti apud Paulum.

I. ERant illa ludicra Sophismata, nunc seueriora argumenta, tantum duo; vnum à nomine; alterum à definitione, nam hîc mihi nunc ordo esto. Sunt ergo diligentes in conquirendis testimoniis, vnde constet, Confirmationem, Pœnitentiam, Vnctionem, Matrimonium, dicta esse Sacramenta.

II. In Scripturis vnicum habent pro Matrimonio. Habemus, inquit, Bellarminus ipsum nomen Sacramenti, 5. ad Ephes. *Sacramentum hoc magnum est.* Gregorius de Valentia. Nominatim Scriptura Sacramentum appellat, cum tamen hanc appellationem nulli aliorum Sacramentorum tribuat. Igitur si Scripturam potius quam suas opiniones sequi vellent sectarij non minus, sed multo etiam magis censere deberent esse Sacramentum, quam Baptismum & Eucharistiam.

III. Sed contra Caietanus eum ipsum locum exponens, *Non habes ex hoc loco prudens lector à Paulo coniugium esse Sacramentum. Non enim dicit Sacramentum, sed mysterium hoc magnum est. Et vere mysterium verborum horum magnum est.*

IV. Hoc illud est, quod sæpe conquesti sumus, Papistæ suas opiniones sequuntur potius quam Scripturam; quandoquidem non magis Sacramentum dicant Matrimonium, quam reliqua: Imo postremum relinquunt: in quo, cum ordinem naturæ non sequantur, esset enim Matrimonium prius omnibus; vt sine quo alia nulla constare queant: verisimile est, dignitatem potius metiri. Sed hoc illi viderint, & cauebunt, si sapiunt, vt se tam paratos aliis accusandis, culpa vacuos præstent. Cæterum hoc de Pauli loco, dictum est alias. Sed iterum nunc proprio loco reuocandus est in disputationem; vt aduersariorum Sophismata diluantur sigillatim, quod tunc non est factum. Est autem etiam prolixius disputata ab aduersariis, in peculiari tractatu de Matrimonio, & in commentariis in eum Pauli locum, & à Renato Benedicto in Panoplia, & Petro Aurato paradoxo 54.

V. Quia ergo Paulus loquens de Matrimonio, Sacramenti nomen vsurpauit, inde conficiunt Matrimonium esse vere Sacramentum Noui Testamenti: Omnino in hanc formam; Omne Sacramentum est Sacramentum Noui Testamenti: At Matrimonium est Sacramentum: Ergo est Sacramentum Noui Testamenti. At nos Sacramenti nomen distinguimus; vel lata significatione; vel hac potius stricta, quæ nihil comprehendat præter eam ideam, qua supposita negarunt Papistæ à præscripto numero discedendum, siue minuendo, siue augendo, & sic nominant Sacramenta Noui Testamenti. Priori modo concedimus sane nominatum Sacramentum. Nam etsi Paulus vsus sit Græca mysterii voce, tamen quia Latinus interpres ei voluit respondere Latinam Sacramenti, per catachresin factam postea familiarem Theologis; concedimus à Paulo nominatum Sacramentum, etsi nonnihil absludat originatio, cuius grammaticas quisquilias facile spernit solidior Theologia: nec Philosophia, non tantum horrida illa, & senticosa recentiorum scholarum, sed ne illa quidem elegantior olim, & in honestæ ciuilitatis cultum propensior, semper est admirata.

VI. Cæterum, syllogismi pars vtraque laborat. Assumptio quidem incertitudine. Non enim certum est eo loco ipsum Matrimonium appellatum mysterium, siue Sacramentum. Caluinus, *Ego autem dico in Christo & Ecclesia. Nominatim enim cauere voluit, ne quis de coniugio intelligeret.* Sensus est, Paulum nomine mysterij designare arctissimam illam coniunctionem Christi cum Ecclesia, & eius rei admonitos voluisse lectores, hac exceptione addita. Beza, *In eo se ostendunt nullo iudicio præditos,* Papistę, *quod non animaduerterunt Paulum diserte addere se non de coniugio, sed de Ecclesiæ ac Christi coniunctione loqui.* Erasmus, *Particula aduersatiua, Ego autem, satis indicat hoc magnum mysterium ad Christum & Ecclesiam pertinere, non ad maritum & vxorem.*

VII. At illi contra contendunt, his argumentis. Vno à particula, *Hoc,* Referri enim debere necessario, ad id, quod proxime præcessit, cum sit demonstratiua eius rei quæ agitur. Præcessit autem proxime, *relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Et erunt duo in carne vna.* Sententiam ergo Pauli hanc esse, nimirum, quod relinquat homo patrem & matrem, & adhæreat vxori, & sint duo in carne vna, magnum est, quia Christi & Ecclesiæ coniugium repræsentet. Sic Bellarminus.

VIII. Imo nihil aliud vult Caluinus, aut Beza, aut Erasmus, quam hoc ipsum tam nobile ἀπόφθεγμα referri, & dici mysterium, sed ita demum si intelligatur de Christo & Ecclesia. ὅτι καὶ αὐτὸς τὸν πατέρα ἀφεὶς κατῆλθε καὶ ἦλθε πρὸς τὴν νύμφην, inquit Chrysostomus: *quoniā & ipse dimisso patre descendit, & venit ad sponsam; καὶ ἐγένετο εἰς πνεῦμα ἕν, & factus est in spiritū vnum.* Oecumenius, ὃς ἐξὸν μένειν ἐπὶ τῆς ἰδίας δόξης, ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν ἐνανθρωπήσας ἵνα προσκολληθῇ τῇ ἐκκλησίᾳ, *Cum liceret manere in propria gloria, humiliauit seipsum incarnatum, vt agglutinaretur Ecclesiæ.* Quid ergo? Nempe ne illud quidem falsum, dici à coniugio humano repræsentari coniugium hoc Christi. Sed non sequitur propterea ipsum illud coniugium humanum dici mysterium. Sensus est potius, coniugium illud humanum repræsentare magnum illud mysterium, id est, coniugium Christi.

IX. Salmero. Non potest demonstrare futura; vt voluit Erasmus, qui refert ad Christum & Ecclesiam, quod non præcesserat.

X Quid hoc est, inquam? aut quo sensu futura? An in rerum natura: quia nondum venisset Christus? An vero in ipso textu, quia nondum expressus erat Christus à Paulo? Vtrumque absurdum. Nam primo, cur non poterat Christus adhuc venturus significari, quanquam certe tum temporis Christus venerat. Deinde & Christus Ecclesia erant iam ante nominati in eodem sermone. Sed denique, quis dixit, *Hoc,* significare Christum & Ecclesiam: ac non potius illud ipsum, quod Papistæ volunt? illud, inquam, proxime præcedens enunciatum?

XI. Durum, addit Salmero, per Sacramentum, seu mysterium significari Christum & Ecclesiam: & per illud repræsentari nostra coniugia: quia Sacramentum esset insensibile, & inuisibile.

XII. Cur durius, quam 1. ad Timoth. 3. *Manifeste magnum est pietatis Sacramentum: Deus manifestatus est in carne.* Nam ita Græce, & perperam Latine redditum: *Magnum pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne:* non magno quidem aberramento, sed infra tamen emphasin Græcam. Habemus igitur Deum manifestatum in carne magnum esse mysterium. Cur, inquam, durius, Christum vnitum Ecclesiæ? Nam quod de Sacramento insensibili, & inuisibili dicit; nugatorium est. Neque enim necesse nulla Sacramenta sic esse. Imo contra in hac ipsa

ad Ephe-

ad Ephesios cap. 1. recollectio omnium in Christo, Sacramentum est. Cap. 3. Gentes esse cohæredes, concorpores, consortesque promissionis, Sacramentum est.

XIII. Sed durum per illud Sacramentum repræsentari nostra coniugia. Atqui hoc est extra oleas: neque enim putamus Sacramentum hic vsurpari ea significatione, cum dicitur sacrum signum: sed illa potius, cum dicitur sacrum secretum; vt norat Thomas in 3. prior. ad Timoth. Itaque hoc sibi portentum ἐκ ἀβελτερίας finxit Iesuitica meditatio.

XIV. Pergo ad alterum argumentum Bellarmini, Iustinianique ex toto capite. Paulus coniuges adhortans ad mutuam beneuolentiam, potissimum inducit argumentum, quod eorum coniugium non sit res leuis, & contemnenda: sed mysterium magnum includat, quod ad Christum & Ecclesiam referatur. At si totum mysterium in Christo & Ecclesia constituatur, ad matrimonium autem nihil pertineat, tota concidit argumentatio: nec facile apparebit, quorsum pertineat illa commemoratio coniunctionis Christi & Ecclesiæ

XV. Atqui primo, quis dixit nihil pertinere ad matrimonium? Non omnes fatentur significari Christi coniunctionem cum Ecclesia, per coniunctionem viri, & vxoris. Pertinere autem quomodo? Per similitudinem: vnde Chrysostomus ausus allegoriam nominare, Καλῶς εἶπε, μέγα μυστήριον ἐστι. ὡς αὖ εἰ ἔλεγε· πλὴν ἀλλ' οὐχ ἡ ἀλληγορία ἀναιρεῖ τὴν ἀγάπην. Gentianus vertit. *Pulcre dixit, magnum est mysterium. Perinde ac si diceret, est allegoria: cæterum allegoria non euertit dilectionem.* Sensu magis expresso, quam verbis seruatis. Oecumenius anagogem nominauit. ὥσπερ ἔλεγεν, οὐχ ἡ ἀναγωγὴ τοῦ ὀνόματος, καὶ ἡ πνευματικὴ ἐξήγησις, ἀναιρεῖ τὸ ἰδικόν, *Ac si diceret, Anagoge nominis, Spiritualisue explicatio, proprietatem non peruertit* Chrysostomum Theophylactus expressit de more: Imitatus est etiam Anselmus.

XVI. Dignitas Matrimonij, nihil ad rem; duplicem ob causam. Priorem, quia non verum, proferri à Paulo in argumentum, & quidem præcipuum. Argumentum est potius, ab ipsa Matrimonij natura; quæ exprimitur illis verbis ex Genesi repetitis. Vnde Thomas, *Supra exhortatus est, Apostolus Ephesios ad amorem vxorum dupliciter, scilicet exemplo dilectionis Christi ad Ecclesiam, item ex amore hominis ad seipsum: hic tertio exhortatur eos per autoritatem Scripturæ.* Caietanus haud aliter multo, *Affert hæc ad manifestandum autoritate Scripturæ, quod vxor est caro mariti* Hæc porro Matrimonij natura, validum præstaret argumentum, etiam si separaretur, siue cogitatione à dignitate.

XVII. Altera causa, quia hæc dignitas non concludit mysterium non dictum de coniunctione Christi & Ecclesiæ; aut dictum de ipso Matrimonio. Non enim nulla dignitas erit, si comparetur magno mysterio matrimonij vinculum.

XVIII. Falsum est igitur concidere vim argumenti Paulini. Etenim si est à dignitate; hæc sarta tectaque remanet. Sin est à natura matrimonij, tum multo vehementior ratiocinatio erit. Cum constabit ipso illo matrimonij vinculo amandam esse viro vxorem: quia sint vna caro: constet autem hanc vnitatem carnis, similem esse vnitati Christi & Ecclesiæ, magno mysterio.

XIX. Tertium argumentum, est ab autoritate interpretum. Ambrosium scribere, *Mysterij Sacramentum grande in vnitate viri ac fœminæ esse significat.* Hieronymum, *Idipsum per allegoriam in Christo interpretatur, & in Ecclesia, vt Adam Christum, & Euapræfiguraret Ecclesiam.* Et post, *Scio quia locus iste, ineffabilibus plenus sit Sacramentis, & diuinum cor quærat interpretis: ego autem pro pusillitate sensus mei in Christo interim illud & in Ecclesia intelligendum puto.* Chrysostomum, *Et bene dixit magnum est hoc mysterium: ac si dixisset. Veruntamen allegoria ista dilectionem coniugalem non euertit.* Item *Reuera mysterium est, & magnum mysterium, relicto eo qui genuit. eo qui aluit: etiam ea quæ peperit, quæ misere & cum labore parturiuit, adhærere virum illi, quæ antea neque visa sit: atq; hanc omnibus præferre. Vere mysterium est.* In eandem sententiam Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium. Denique Augustinum, lib. 1 de Nuptiis & Concupisc. c. 10. *Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis: vnde dicit Apostolus, viri diligite vxores vestras.*

XX. Ego vero fateor, his interpretibus, fortasse & aliis, visum τὸ μυστήριον designare verba illa matrimonij vim exprimentia Sed primum dico verisimiliorem esse alteram sententiam. Argumenta sunt hæc. Primo à consuetudine Apostoli: qui solet semper mysterium dicere de re arcana, & semota à sensibus: denique de arcanis quæ proprie & per se ad pietatem pertinent: ad Rom. 11. *Mysterium hoc, obdurationem euenisse Israeli tantisper dum plenitudo gentium introierit.* Decimo sexto, *Ex reuelatione mysterij, quod à temporibus æternis tacitum fuit.* Prior. ad Cor. 4. *Dispensatores mysteriorum Dei.* Et 15. *Ecce mysterium vobis dico.* Ad Coloss. 1. & 2. & alias. Secundo quia hæc phrasis μυστήριον μέγα; iterum vsurpatur ab eodem; 1. ad Timoth. 3. de Deo manifestato in carne. Tertio, quia ἐπανόρθωσις illa, *ego autem dico in Christo & Ecclesia*; manifeste indicet, quidnam mysterium dicat.

XXI. Secundo, dico: mysterij vocem ab iis omnibus vsurpatum alia notione, quam à Papistis soleat, imo oporteat, in hac quidem controuersia. Verum id expediemus statim in proxima solutione.

XXII. Hactenus minor, vel falsa, vel saltem incertæ veritatis. Excutiamus nunc maiorem: & interim concedamus, Pauli mentem esse matrimonium, esse mysterium Christi & Ecclesiæ; quatenus videlicet, coniunctionem Christi & Ecclesiæ significat. Quanquam hoc sensu Scripturæ mysterium nunquam vsurpare soleant; sed pro ipsa re potius, quæ significetur.

XXIII. Catholici ergo etiam hoc posito, negant maiorem. Nam si omne Sacramentum esset Sacramentum Noui Testamenti (qua notione hoc ante nominatum, vt opponatur alteri latiori) necesse esset, & nullum dici Sacramentum lata significatione: & augeri numerum longe vltra septenarium. Quorum Papistæ hoc non patiuntur; illud vero non ignorant contra esse: imo esse tum in Scriptura, tum in veteribus Theologis plurima, quę longe alia notione Sacramenta sint, siue mysteria, quam vt in Baptismi, & Eucharistiæ possint ordine numerari.

XXV. A qua homonymia Caluino, Bezæ, atque aliis Catholicis occasio seuerius agitandæ Papistarum imperiti, æqui nuda voce Latina contenti, putarunt ἱερὸν reperisse, nequicquam præterea inquisierunt: quin statim Sacramentum inclamauerunt: Sacramentum, procul dubio Sacramentum: vt solent terram, terram ingeminare, qui longo emenso mari, benigniorem auram primulum sentiunt afflantem.

XXV. Horum imperitiam purgantes, hodierni Sophistæ, ineptiæ potius Caluinum accusant, qui dixerit non bene redditum mysterium voce Sacramenti. Contra enim, idem esse illud Græce, & hoc Latine: non potuisse autem Apostolum Latine dicere, qui Græce scriberet. Græcos autem quando de iis rebus, quæ proprie & sine controuersia sunt Sacramenta, loqui volunt, vt Baptismo & Eucharistia (verba sunt Gregorij de Valentia in de Matrimonio) mysterium dicere: & Latinos Patres Sacramenta vocare mysteria: atque adeo in ipso Canone Latino haberi, *mysterium fidei*, in consecratione calicis. Bellarminus de Matrimonio lib. 1. c. 2. negat suos ex sola voce concludere: & probat, quod ex aliis multis locis, vbi eadem vox est, non concludant vllum nouum Sacramentum.

XXVI. Atqui primum, idem esse mysterium & Sacramentum, non debuit tam crude affirmari: non enim verum nisi additis variis circunstantiis. Certe à prima institutione falsum; atq; adeo in omnium Exotericorum vsu: neque dari potest exemplum, quo constet Sacramentum, siue illud iudiciale, siue alterum castrense, dictum Græcis μυστήριον. Itaque concludendus vsus fuit intra Ecclesiam; vt alias nobis obseruatum. Non ergo omne Sacramentum mysterium est; sed aliquod tantum pertinens ad religionem Christianam.

XXVII. Secundo in ipsa Ecclesia; Sacramentum tandem factum est peculiare certis ceremoniis, peculiari definitione discretis: vnde & Papistæ negant plura esse quam septem: & nos, quam duo: quæ nunc nobis proposita quæstio est. At nemo vnquam apud Grecos mysterium ita definiuit, aut tam arcte contraxit: excepto vno Patriarcha Constantinopolitano Hieremia, responso primo ad Theologos Witebergenses c. 7. autore recentissimo, atq; adeo nostri æui. Concedo ei respondisse Sacramentum apud Latinos Patres eadem notione vsurpatum; & definitione: sed olim: idque, vt apparet, initio facto ab editione Latina. Vnde factum, vt diligenter annotata sit homonymia. Altenstaig, cui mysterium satis fuit interpretari secretum non inuestigandum: ast in Sacramento diligentior: *Sacramentum secundum Magistrum accipitur tripliciter: Vno modo pro sacro secreto, mysterio signato, quomodo dicimus Sacramentum diuinitatis, incarnationis, passionis Secundo, accipitur Sacramentum pro sacro signo. Et sic dupliciter: vno modo generaliter pro quolibet signo sacræ rei: sic sumitur à Magistro, cum ait, Sacramentum est sacræ rei signum; & hoc modo extendit se, ad sacrificia & ceremonias Veteris Testamenti. Alio modo strictius accipitur Sacramentum pro signo efficaci, & certo: quomodo Sacramenta Noui Testamenti dicuntur Sacramenta.*

XXVIII. Res est ergo manifesta. Nam cum Altenstaig in primo tantum ordine mysterium & Sacramentum posuerit pro eodem: non vero in reliquis: tum autem isti Sophistæ, quos Caluinus taxabat; Sacramentum assumebant ex postremo: quasi qui taurum audisset & bouem esse, & montem, & philosophum; diceret philosophum taurum, appellas an bouem nihil interesse: puerili errore. Esto igitur verum; Grecos cum de his Sacramentis loquuntur dicere mysteria: at non erit tamen verum mysteria illis esse eadem definitione cum Sacramento in tertio ordine. Possunt enim generalia nomina, & latissime patientia applicari omnibus iis quæ sub ea latitudine continentur: atque adeo Sacramenta ipsa Noui Testamenti, nemo dubitat ceremonias dicere: & tamen id nominis non est prorsus idem cum Sacramento, neque vllus vnquam dixit esse ceremonias septē, neque plures, neque pauciores. Neque erit verum si ceremonia dicatur genuflexio, æque cum Baptismo; ideo genuflexionem esse eiusdem ordinis cum Baptismo: quomodo nos tuemur, etiamsi mysterium sit Matrimonium; & Baptismus sit mysterium, tamen aliter, atque aliter interpretandum, quod noluerunt ij, qui verbis Pauli sunt abusi.

XXIX. Sed non arguebant, inquit Bellarminus, ex solo nomine. Atqui hoc falsum duplici nomine. Primo, quia ab eo solo verbo argumentati sunt Scholastici: in supplemento Thomæ quæst. 42. art. 1. post aliquot obiectiones negantes Matrimonium esse Sacramentum; *Sed contra est quod dicitur ad Ephesios quinto, Sacramentum hoc magnum est. Ergo* Similiter Ariminensis in 4. distinct. 26. *Confirmatur per quod Apostolus dicit ad Ephesios quinto, Sacramentum hoc magnum est, quod dicit de Matrimonio loquens.* Sic Paludanus, sic de Turrecremata in causam 27. & alij non pauci. Deinde, quia necesse sit vel ex hoc vocabulo argumentum duci: vel ex toto contextu: At non ex contextu: quia inde nihil habetur, nisi matrimonio significari coniunctionem Christi & Ecclesiæ: quo non efficitur Sacramentum: (vt latius suo loco explicabitur) alioquin esset Sacramentum quicquid significaret: quod est absurdissimum. Quid plura? Bellarminus ipse hunc locum retulit, inter argumenta, quibus probetur Sacramenti nomen in Scripturis vsurpatum hac propria notione: lib. 1 de Sacramentis c. 7.

XXX. Concedo non concludere vllum nouum Sacramentum, ex aliis locis Sed hæc nulla excusatio est. Quia videlicet raro sibi constat sophistice; nec de iisdem rebus iisdem rebus iudicat eodem modo semper. Sectatur enim τὰ φαινόμενα, non τὰ ὄντα. Sic nos Suares docuit in congruentiis non quærendas exactas demonstrationes, vt necesse sit semper idem esse. Cur non similiter suspicemur hoc Sacramenti vocabulo nunc vsos, vt tamen non crederent semper ita vsurpari? Tu ipse Bellarmine, arguis à significatione: qui tamen non ausis profiteri, vbicunque sit aliqua significatio, ibidem esse Sacramentum. Et nos credamus tibi, non esse tuos Papistas similiter abusos nomine Sacramenti? Profecto ita est; quia habebant pro certo definitum esse numerum Sacramentorum, & in eo loco esse Matrimonium: putarunt sibi licere, vbicunque Matrimonium diceretur, non alia notione interpretandem. Itaq; abusi sunt ipso nomine; imprudenter, imperite, pueriliter, vt accusabat Caluinus.

CAP. IV.

De Nomine Sacramenti apud Patres.

I. EXtra Scripturas; paulo magnificentius exsultandi visi sunt ansam reperisse: partim publicis decretis, partim priuatis testimoniis. Illa habent admodum diserta: sed ex posterioribus Conciliis, ac Theologis, ante annos quadringentos.

II. Primum; Magiſter Sententiarum, lib. 4. cap. 2. & ex eo omnes Theologi ſeptem Sacramenta tradiderunt. Secundo, Concilium Florentinum in inſtitutione Armenorum, ſeptem Sacramenta aſſeruit, & explicauit. Tertio, Concilium Tridentinum ſeſſionis 7. cap. 1. anathema denuntiauit negantibus ſeptem Sacramenta, eſſe vera & propria. Hæc publica ſunt.

III. Priuata ex ſingulis Patribus per ſingula capita. Sacramenta nominatim appellantibus, Confirmationem, Melchiade Papa ad Epiſcopos Hiſpaniæ, *Scitote, vtrumq; magnum eſſe Sacramentum*, inquit: præſtare tamen Baptiſmo illam, eo quod à ſummis tantum Sacerdotibus conferatur. Euſebio Papa, Epiſtola 3. *Manus impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt.* Cypriano Epiſtola 72. *Tunc demum plene ſanctificari, & eſſe filij Dei poſſunt, ſi Sacramento vtroque naſcantur*: Baptiſmum intelligit, & Confirmationem: ſermone de vnctione Chriſmatis, (etſi non ſit Cypriani) *Sanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, ſed virtus, diuina potentius operatur, & adeſt veritas ſigno, & Spiritus Sacramento.* Auguſtino lib. 2 contra literas Petiliani, cap. 104. *In hoc vnguento Sacramentum Chriſmatis, vult Petilianus interpretari; quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus, ſed poteſt eſſe in hominibus peſſimis.* Iterum, *Diſcerne viſibile ſanctum Sacramentum, quod eſſe & in bonis, & in malis poteſt, ab inuiſibili vnctione charitatis, quæ proprie bonorum eſt.*

IV. Pœnitentiam. Auguſtino; in Pſalm. 146. explicante illud, *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Quæ ſunt*, inquit, *illa argumenta? temporalia Sacramenta. Alligamenta medicinalia ſunt contritionis noſtræ Sacramenta interim temporalia, quibus habemus conſolationem.* Libr 5. de Baptiſmo, cap. 20. *Si ad hoc valet quod dictum eſt in Euangelio, vt per peccatorum Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur?* Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum, capite de Pœnitentia, dicit ſacrorum myſteriorum Baptiſmi, & Pœnitentiæ, figuras fuiſſe in Teſtamento Veteri ablutiones & ſacrificia. Victor Cartennenſis de Pœnitentia, cap. 20. *Dominum audi in Euangelio, quibus iaculis feriat peccatorem, vt intelligas quanti faciat Pœnitentiæ Sacramentũ.*

V. Extremam vnctionem. Innocentio Primo, Epiſtola 1. ad Decentium, *Pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur poſſe concedi?* Bernardo in vita Sancti Malachiæ; hunc vocatum vt fœminam morituram inungeret; doluiſſe quod ſine gratia Sacramenti huius obiiſſet; & cum precibus ſuſcitaſſet, *Vnxit eam*, inquit, *ſciens in hoc Sacramento remitti peccata.*

VI. Ordinem. Leone 1. Epiſtola 81. ad Dioſcorum, cap. 1. Ordinationem Sacramentum vocat; Epiſtola 87. ad Epiſcopus Mauritaniæ, cap. 1. *Quis diſſimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur iniuriam?* Anaſtaſio II. Epiſtola ad Anaſtaſium Imper. cap. 7. *Nullum de his, quos vel baptizauit Acacius, vel quos Sacerdotes ſiue Leuitas ſecundum Canones ordinauit, vlla eos ex nomine Acacij portio læſionis attingit, quo forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur.* Gregorio 1. lib. 4. Commentariorum in libros Regum, cap. 5. *Is qui promouetur, bene foris vngitur, ſi intus virtute Sacramenti roboretur.* Cypriano, tract. de ablutione pedum, *Docetur quæ ſit Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum ſtabilitas.* Et poſt, *Nam Baptiſmum repeti, Eccleſiaſtica prohibent regulæ; & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere: nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renouat.* Auguſtino lib. 2. contra Parmenianum, cap. 13. *Ipſi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti. Si enim vtrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda eſt.*

VII. Matrimonium. Leone 1 Epiſtola 92. cap. 4. *Vnde cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, vt præter ſexuum coniunctionem, haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium.* Chryſoſtomo ad Epheſios homil. 20. myſterium magnum eſſe in coniugio inſolubili viri ac fœminæ. Ambroſio 1. de Abraham 7. de eo qui alterius nuptam volet ducere in vxorem, *Quia in Deum peccat, Sacramenti cœleſtis amittit conſortium.* Auguſtino 9. de Geneſi ad literam 7 de fide & operibus 7. de bono coniugali 7. 8. 15 17. 18. 24. 25. De ſancta Virginitate 12. Quinti contra Iulianum 9. Secundi de peccato originali, 14. Primi de nuptiis & concupiſcentia, 10. 17. 21.

VIII. Reſpondeo de primo illo genere teſtium: Verum eſſe cum antea nullus eſſet Sacramentorum certus numerus propter vocabuli homonymiam, Lombardum primum omnium ſeptem numeraſſe, lib. 4. diſtinctione 2. Inde ſcholaſticos magno numero hauſiſſe; eique hæſiſſe mordicus: & perſuaſiſſe Chriſtianitati: ab eoque fonte illas ortas determinationes Conciliabulorum Florentini, & Tridentini. Quanquam illa inſtitutio Armenorum, etſi concepta ſit tum cum haberetur id Concilium, edita ſit tamen priuato nomine Eugenij: tam ſuperbe ab eo monſtro diſpreta fuit eius Concilij autoritas: quod in legitimis Conciliis acciderat nunquam. Itaque ſecuri poſſumus in priuatis teſtimoniis numerare.

IX. At Magiſter, ait Bellarminus, non ſcripſit aliquid nouum, ſed quod inuenit in vſu Eccleſię. Imo, inquam, obſeruandum, nullo illum teſtimonio potuiſſe eam dinumerationem confirmare: qui tamen non ſolebat eſſe indiligens in colligendis comparandiſque dictis Veterum: quod etiam ſibi ab initio propoſuerat operæpretium. In Prologo enim, *Breui*, inquit, *Volumine complicans Patrum ſententias, appoſitis eorum teſtimoniis: vt non ſit neceſſe quærenti librorum numeroſitatem euoluere, cui breuitas, quod quæritur, offert ſine labore.* Hanc ille ſibi Theologici ſtudij partem impoſuerat: cui tamen hoc ſaltem in articulo renuntiaret. Mira inæqualitate: ſi miraculum non tolleret rei difficultas. Nos certe non miramur, tam nudam, & ab omni confirmatione deſertam aſſertionem, qui ſcimus incognitam vniuerſę antiquitati: atque adeo ne poſt eum quidem potuiſſe cuiquam; ne hodierris quidem ſophiſtis, quibus nihil intentatum, occurrere, quo docerent aliquando ita creditum.

X. Quid? quod non tantum autoritatibus deſtitutum ſe vidit; ſed ne rationibus quidem vel ſophiſticis fultum; quas tamen inquiſierunt diſcipuli? Conatus enim diſtributione quadam ſuum numerum illuſtrare, inchoauit duntaxat, *Quorum alia*, inquit, *remedium contra peccatum præbent, & gratiam adiutricem conferunt, vt Baptiſmus: alia in remedium tantum ſunt, vt coniugium: alia gratia & virtute nos fulciunt, vt Euchariſtia, & Ordo*, præclare, ſcilicet, & ad docendum accommodatiſſime.

XI. Præterea, non fuit ille tam audax, vt numerum circunſcriberet. Septem eſſe dixit: at plura non negauit: quod audaciſſimi poſteri auſi ſunt attentare. Viderat ſcilicet longe lateque vagari Sacramenti nomen; vt omnia complecti vix poſſet: itaque contraxit ſe intra eam ſummam; quaſi ſelectis, præcipuis, in quibus poſſet vtiliter ſuam operam collocare. Quidni nim nos ſic interpremur, cum noſtros nunc aduerſarios videamus ſic eludere, quæ obiicimus exempla Vetuſtiorum, bina duntaxat explicantium? Nam quod varios de ſingulis locis multiplicant; vafre faciunt; dum quos libuit omittunt. Non probant eſſe tantum ſeptem: ſed hoc ſaltem, fuiſſe Veteribus hæc ſeptem nominata Sacramenta: quomodo nos, ſi infinito plures colligeremus de Baptiſmo, & Euchariſtia, hæc probaremus quidem habita fuiſſe digna Sacramenti nomine: ſed ſi ſola vellemus, non effugeremus plagas Sophiſtarum. Et merito; quoniam etſi verum concluderemus, tamen inepte.

XII. Venio ad priuatos teſtes. A quorum numero ſummouere poſſum merito Decretales illas Euſebij & Melchiadis Romanorum Epiſcoporum; quæ ſi non ſint ſuppoſitæ, nihil vſquam in ſcriptis ſuppoſitum dici poteſt; tam inepte conferruminatæ, vt nihil poſſit ſupra. In priore deſcriptum habes maxima ex parte Eccleſiaſtici cap. 14. totum 5. & maiorem partem 16. Et immediate aſſutos aliquod verſus ex quarto ad Epheſios; & maiorem partem quinti: In altera ſimiliter ex 2. & 3. ad Coloſſenſes plurima continuato textu. Vt vere conſtet vtraque ex centonibus male conſutis. Quid Conſulatus dicam adſcriptos? Sed id vitium ferme perpetuum his Epiſtolis. Rurſus in illa Euſebij, quid hoc eſt? *Crucis ergo Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ nuper nobis gubernacula ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tenentibus, quinto Nonas Maij, inuenta eſt, in prædicto Kalendarum die Inuentionis feſtum vobis ſolenniter celebrare mandamus.* Itane? Euſebij tempore inuentam Crucem? quod omnes narrant accidiſſe poſt Nicenum Concilium, annis minimum quindecim poſt denatum Euſebium.

XIII. Cur non etiam ſummouerim perperam nominatos? De Pœnitentia Theodoretus loquitur ea, quam Papiſtæ virtutem apellant; quæque in Sacramentis non numeratur. Patet; quod contra Nouatianos diſputans etiam in Veteri Teſtamento probet vſitatam: cum tamen hanc nolint fuiſſe Sacramentum Sophiſtæ. Eſt autem id argumentum totius capitis. Quin alterum mendacium eſt in eo loco Baptiſmi figuras nominari. Lege locum; *Sed ij qui Nouati arrogantiam ſuſceptum, dicunt non oportere poſt Baptiſmum, iis qui peccant, præbere medicinam. Oportebat autem eos conſiderare, quod etiam Veteres, ſacrorum myſteriorum typum & figuram habebant, aſperſiones, & diuina Sacrificia.* Certe vterque typus ad pœnitentiam pertinet, quia vterque inſtitutus in remedium iteratorum peccatorum; iterabantur enim ipſi.

XIV. Sed enim condonatis iſtis; reſpondeo, ſæpe iam dictum, latiſſimam fuiſſe olim Sacramenti ſignificationem: ſero tandem contractam in anguſtos iſtos terminos, quos hodie vix migrat. Quod diligenter attendendum. Certe Sacramenti definitionem nullam eſt inuenire ante Auguſtinum, qui ſuo exemplo poſteris præiit. Imo apud Græcos nulla hactenus fuit myſterij. Itaque vtriuſque vocabuli vſus fuit promiſcuus, cuiuſmodi plurima ſunt alia, quæ è vulgo ſumpta vſurpantur tanquam à ſeipſis cognita.

XV. Auguſtinus cum videret tam frequenti in vſu, putauit definiendum vt ſolent vocabula, quæ artis vulgo dicuntur: Sed ita definiuit tamen, vt haud multo foret quam olim contractius: ex ſui ſeculi vſu ſine dubio: ſic enim ſolent qui prudenter definiunt, obſeruare, vt definitio omnia contineat, neque plura colligat, quam nomen ipſum. Definiuit ergo, *Sacræ rei ſignum*, ſiue, *ſacrum ſignum.*

XVI. Aſt hanc definitionem nemo Papiſtarum probauit; vt notauimus cap. 6 lib 1. huius tomi. Itaque Scholaſtici, & in iis Lombardus primus, contraxit iterum, *Sacramẽtum*, inquit, *proprie dicitur, quod ita ſignum eſt gratiæ Dei, & inuiſibilis gratiæ forma, vt ipſius imaginem gerat, & cauſa exiſtat.* Huic hærent vt plurimum ſcholæ Papiſticæ; verbis tantum variatæ, prout ſe alij aliis ſperant acutiores, & clariores.

XVII. Hinc factum, vt quæ nulla olim notabatur homonymia, diligenter fuerit obſeruanda, & varie. Lombardus, *Dicitur tamen Sacramentum etiam ſacrum ſecretum, ſicut Sacramentum Diuinitatis: vt Sacramentum ſit ſacrum ſignans, & ſacrum ſignatum: ſed nunc agitur de Sacramento ſecundum quod eſt ſignum.* Diligentius Bonauentura in diſt. 1. *Sacramentum accipitur tripliciter; ſcilicet communiter, proprie, & propriiſſime: & ſecundum hoc Magiſter dat tres definitiones, & prima eſt Sacramenti largiſſime accepti.*

XVIII. Hæc tanto fuere diligentius notanda, quanto ſecurius neglecta miris iſtis Theologis, quibus perpetuus luſus in vocabulorum ſono: vt quæ ſuæ ſunt ætatis peccata, inferant in primam; hoc tenuiſſimo prætextu: quomodo, cum Eccleſia poſtremis ſeculis nominata fuit pro templo cœtibus Eccleſiaſticis dicato, anniſi ſunt Sophiſtæ, illud Pauli 1. ad Corinth. 11. *An Eccleſiam Dei contemnitis*, haud aliter interpretari, vt Altenſtaig: & prior Lyranus, atque alij. Immo illud Deuteronomij 23. *Eunuchus non intrabit Eccleſiam.*

XIX. Facilis inde jam ſolutio eſt. Nam quis dubitet phraſes quaſque judicandas ex autorum ſuorum conſuetudine? Non potuerunt enim illi diuinare, quid Lombardo, quid Scholaſticorum quiſquilijs erat in mentem tanto poſtea venturum. Sacramenta igitur myſteriaque eis nominata, vel tanquam arcana, vel certe tanquam ſigna rerum ſacrarum: at non iſta propriiſſima definitione, quæ neque plura ſeptem, neque pauciora complectatur. Ad id exemplum dico, cum ſummum Pontificem lego in veteribus libris, intelligendum Epiſcopum: etſi poſt, cum inualuit Romana tyrannis, præter Romanum nemo dicatur Pontifex ſummus. Nec mihi perſuaſerit quantumcunque eſt ſub cœlo Ieſuitarum, cum lego Papam Cyprianum, vt ei triplicem coronam affingam, quantumuis ſciam ſuperbiſſimo bipedum poſtea dictum id nomen eſſe vnicum in toto mundo.

XX. Cum igitur noſtra nunc controuerſia ſit de præciſo numero Sacramentorum propriiſſime dictorum (vt vocem Bonauenturæ vſurpem) neg-

ſequ

ſequi propterea dicenda eſſe ſeptem Sacramenta: quantumuis Confirmationem, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinationem, Matrimonium, legam olim numerari in Sacramentis.

XXI. Inſtat Bellarminus: non tantum ſic nominari, ſed etiam annumerari, compararique cum Baptiſmo, & Euchariſtia, propriiſſime dictis Sacramentis. Sic à Melchiade Confirmationem Baptiſmo conferri, imo etiam quodammodo præferri. Cyrillum Hieroſolymitanum connumerare Baptiſmo, & Euchariſtiæ: vt etiam Tertullianum primo contra Marcionem. Pacianum libro de Baptiſmo, & Epiſtola 1. ad Sympronianum, Baptiſmo & Pœnitentiæ. Multa alia obſeruantur ſimilia.

XXII. Reſpondeo, non ſequi eſſe propriiſſimæ definitionis Sacramenta. Quæcunque enim connumerantur, neceſſe eſt connumerari per id in quod conueniunt, id eſt, in quo vnum ſunt. Vna autem eſſe non tantum, quæ ſub proximum, ſed etiam quæ ſub remotiſſimum genus concurrunt. Itaque nihil obſtare, quominus connumerentur non tantum ea quæ ſub eadem ſpecie, ſolo numero: ſed etiam quæ ſub eodem genere, ſpecie differunt, quocunque ordine. Quæ diſcrimina varia ſunt, pro variis enumerationum occaſionibus. Actor. 1. *Petrus & Iacobus, & Ioannes, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi.* Hic habes indiuidua eiuſdem omnia ſpeciei, ſiue homines, ſiue Apoſtolos dicas. At 2. ad Philippenſes, *Vt ad nomen Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, & terreſtrium, & ſubterraneorum.* Habes connumerata, quæ inter ſe nullo niſi ſummo creaturarum genere conueniunt; alioquin infinitis diſparata ſpeciebus. Pſal. 148. ad laudandum Deum inuitantur, Angeli, Virtutes, Sol & Luna, Stellæque: Cœli cœlorum, aquæ omnes: ignis, grando, nix, glacies, procellæ, colles, ligna, pecora, volucres, Reges, populi, & quid non? Quæ omnia cogere in eandem ſpeciem, extremæ fuerit dementiæ.

XXIII. Non ſequitur ergo, ſi connumerentur Baptiſmo, ac Euchariſtiæ, eſſe etiam Sacramenta eiuſdem ſpeciei, definitioniſque. Nyſſenus oratione prima de Paſcha, explicans analogiam vitæ ſpiritualis & corporalis, dixit nos fide concipi, Baptiſmo edi in lucem, educari ab Eccleſia: mammas eſſe dogmata; cibum, panẽ cœleſtem. Vin tu me aſſerere fidem, Eccleſiam, dogmata, eſſe Sacramenta, æque cum Baptiſmo, & pane cœleſti? Auguſtinus in Pſalm. 141. *Vſque adeo de cruce non erubeſco, vt non in occulto habeam crucem Chriſti, ſed in fronte portem. Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus. Quædam ſicut noſtis ore accipimus quædam per totum corpus accipimus. Quia vero in fronte erubeſcitur, ille qui dixit, Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam eum coram parte meo, qui in cœlis eſt; ipſam ignominiam quodammodo, & quam Pagani deriderent, in loco pudoris noſtris conſtituit.* Manifeſta mens eſt: Sacramenta alia ore accipiuntur, vt Euchariſtia: alia toto corpore, vt Baptiſmus: alia fronte, vt Crux Sacramentum æque cum illis? Idem in Pſalm. 143. *Noſtis multis Sacramentis viſibilibus, & corporalibus oneratum eſſe populum primum, Circuncisione, negotioſo illo quodam ſacerdotio, & templo figuris pleno, multiplicibuſque holocauſtorum ſacrificiorumque generibus.* En tibi Sacramenta, Circuncisionem, Sacerdotium, Templum, Sacrificia. Omniane eiuſdem ſpeciei? Paſchaſius cap. 1. de corpore & ſanguine Domini, *Nihil Chriſtus Eccleſiæ ſuæ maius aliquid in myſterio reliquit, quam hoc, Baptiſmique Sacramentum, necnon & Scripturas Sanctas.* Ehem! Scripturas Sanctas æque in myſteriis cum Baptiſmo, & Euchariſtia? Bernardus ſermone priore de Cœna Domini, *Ad hæc inſtituta ſunt omnia Sacramenta, ad hæc Euchariſtiæ participatio, ad hæc pedum ablutio, ad hæc denique ipſe Baptiſmus.*

XXIV. Quod ſi ab iſtis ridiculæ ſunt concluſiones, cur non vides, Bellarmine, τὸ χλευαστικὸν tuæ connumerationis? Primum enim oportet conſtare, quæcunque ſic enumerentur eſſe Sacramenta: deinde eſſe eiuſdem ſpeciei: quorum tamen neutrum aut tu doces, aut vlli tuorum.

XXV. Imo ſi attente conſideres, nihil inuenies in illis enumerationibus, quod ſit peculiare Sacramentis proprie dictis, & non commune vel arcanis ſacris, vel ſignis rerum diuinarum, vel ceremoniis ſolennibus in Eccleſia. Sic à Cyrillo Bellarminus ipſe notat Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam ἑξῆς explicari, quod eodem die ſuſcipi queant: quod quidem celebrationis eſt, quam habent ex eo quo ſunt ceremoniæ. Rurſus vt non eſſe in Euchariſtia panem communem, ſic neque in Confirmatione vnguentum nudum: nimirum quia vtrumque ſignum diuinitus inſtitutum: ſicut à Paulo nominantur nobis, & aqua ex rupe, extemporalia Sacramenta. Sic reliqua, quæ diſcutientur plenius, cum de ſingulis agemus.

Cap. V.

De numeratis olim duobus Sacramentis.

I. AT Catholici contra, vt non negant longe lateque patere Sacramenti nomen; ita obſeruant duobus iſtis, Baptiſmo, & Euchariſtiæ, quæ nemo negat eiuſdem definitionis eſſe, eiuſdemque ſpeciei; ſuum eſſe ordinem peculiarem, propriumque aſſignatum tum in Scriptura, tum apud Patres, quibus ætas prior doctoribus eſt vſu.

II. Primo, habemus illuſtrem vtriuſque inſtitutionem ab ipſo Domino noſtro repetitam, quæ certe ſuis circunſtantiis ipſa ſeſe eximiam oſtendit. Nam & actiones ſunt non tantum ſeriæ, cuiuſmodi omnes fuerunt Seruatoris, ſed etiam notabiles; eoque ſolennes: vt facile videant, vel ſtupidiſſimi lectores, hoc agi, & quidem vnum: Sic delectus elementorum conſulto factus: ſic verborum forma electa, à quibus eſt in hoc rerum genere, τὸ τί ἦν εἶναι. Cum in reliquis omnibus, quæ in eiuſdem nominis conſortium intruſa ſunt poſtea, nihil ſimile, vel ipſi aduerſarij potuerint obſeruare; vt non excarnificarent ſe prius, nectendis conſequentiarum ſtrophis; vt apparebit in ſingulis.

III. Illud non omittendum, quod bis Paulus, vtrumque coniunxit, nullo alio vnquam admixto. Prioris ad Corinthios 10. dum compararet veterem Eccleſiam Chriſtianæ; non niſi Baptiſmum nominauit & Euchariſtiam; *Omnes*, inquit, *in Moſe baptizatos eſſe in nube & in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritualem edisse: & omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe;* Rurſus 12. cum demonſtraret vnitatem Eccleſiæ conſtantem pluribus membris adunatis: *Etenim per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati ſumus: ſiue Iudæi, ſiue Græci: ſiue ſerui, ſiue liberi: & omnes vna potione potati ſumus in vnum Spiritum.* Nam hic vtrumq; noſtrum Sacramentum inſinuari per Baptiſmum, & potum, quis tam Bæotus, vt non aduertat?

IV. Ex Veterum libris plura habemus: Clementis, quæ dicuntur Recognitiones, lib. 1. ſic habent, *Monui eos vt priuſquam progrederentur ad gentes, prædicare eis agnitionem Dei patris, ipſi reconciliarentur Deo ſuſcipientes filium eius: aliter enim nullo modo eos oſtendi poſſe ſaluari, niſi per Sancti Spiritus gratiam trinæ inuocationis dilui Baptiſmate properarent, & Euchariſtiam Chriſti Domini ſumerent.* Iuſtinus Apologia 2. Ὃν τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ θεῷ καινοποιηθέντες διὰ τοῦ Χριστοῦ ἐξηγησόμεθα, ὅπως μὴ τοῦτο παραλιπόντες δόξωμεν πονηρεύειν τι ἐν τῇ ἐξηγήσει, *Quo vero modo Deo quoque nos dicauerimus per Chriſtum renouati, iam exponemus: ne ſi hoc prætereamus, maligne quicquam & diſſimulanter agere in hac oratione videamur. Quicunq; perſuaſi fuerint, & crediderint vera eſſe, quæ à nobis traduntur & dicuntur, ac viuere ſe ita poſſe receperint, orare ieiunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remiſſionem docentur nobis cum illis vna & orantibus & ieiunantibus:* ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστί, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται, *Deinde eo adducuntur à nobis vbi aqua eſt: atque eo regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum parentis & Domini Dei, & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti, in aqua tum lauãtur.* Tum poſt inſertam longam orationẽ, *Nos autem ſecundum huiuſmodi lauationem, credentem iam & nobis adſcitum ad fratres, qui dicuntur, eo deducimus, vbi illi congregati ſunt ad communes preces & ſupplicationes.* Et poſt pauca, ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν, ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, *A precibus finitis mutuis nos inuicem oſculis ſalutamus. Deinde ei qui fratribus præeſt, offertur panis & poculum aquæ & vini.* Atq; exinde totus deſcriptus Sacramenti ritus, καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, *Porro alimentum hoc apud nos vocatur Euchariſtia: quod nulli alii participare licitum eſt, quam veram eſſe doctrinam noſtram credenti, & lauacro propter remiſſionem peccatorum & regenerationem abluto.*

V. Tertullianus de corona militis, c. 3. *Deniq; vt à Baptiſmate ingreditar, aquam adituri ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare Diabolo & pompæ, & angelis eius.* Et poſt, *Euchariſtiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præſidentium ſumimus* Primi contra Marcionem c. 14. *Ille quidem vſque nunc nec aquam reprobauit Creatoris, qua ſuos abluit, nec oleum, quo ſuos vngit; nec mellis & lactis ſocietatem, qua ſuos infantat; nec panem, quo ipſum corpus ſuum repræſentat etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris.*

VI. Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana libri 3. c. 9. *Hoc tempore poſteaquam reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti manifeſtiſſimum indicium noſtræ libertatis illuxit, nec eorum quidem ſignorum, quæ iam intelligimus, operatione graui onerati ſumus; ſed quædam pauca pro multis, eademq; factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & obſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominus, & Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt Baptiſmi Sacramentum, & celebratio corporis & ſanguinis Domini.* Epiſtola 108. par locus, *Tenere te volo, quod eſt huius diſputationis caput, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut ipſe in Euangelio loquitur, leui iugo ſuo nos ſubdidiſſe & ſarcinæ leui: vnde Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit, ſicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio corporis & ſanguinis ipſius, & ſi quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* Epiſt. 23. *Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt Sicut ergo ſecundum quendam modum Sacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt, Sacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt, ita Sacramentum fidei,* id eſt, Baptiſmus, *fides eſt.*

VII. Gregorius apud Gratianum cauſa 1. q. 1. c. *Multi ſecularium: Sacramentum eſt in aliqua celebratione, cum res geſta ita fit, vt aliquid ſanctificate accipiamus, quod ſancte accipiendum eſt. Sunt autem Sacramenta, Baptiſma, Chriſma, Corpus & Sanguis Chriſti: quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia ſub tegmento corporalium rerum diuina virtus ſecretius ſalutem eorundem Sacramentorum operatur.* Idipſum ſcripſit Iſidorus Hiſpalenſis Origin. 6. c. 19. Rabanus de Inſtitutione Clericorum lib. 1. c. 24. *De Sacramentis autem quæ in Eccleſia fiunt, oportet vt ſequens ſermo exponat, atq; declaret ritum ſacerdotalem. Sunt autem Sacramenta, Baptiſmus, & Chriſma, Corpus & Sanguis.* Paſcaſius de corpore & Sanguine Domini, c. 3. *Sacramentum igitur eſt, quicquid in aliqua celebratione diuina nobis quaſi pignus ſalutis traditur, cum res geſta viſibilis, longe aliud inuiſibilis intus operatur, quod ſancte accipiendum ſit.* Et interpoſitis paucis, *Sunt autem Sacramenta Chriſti in Eccleſia, Baptiſmus & Chriſma, Corpus quoque Domini & Sanguis.*

VIII. Notauit Ioannes Euangeliſta ex latere Chriſti mortui aperto exiſſe ſanguinem & aquam. Hinc olim orta Sacramenta Eccleſiæ dictum. Auguſtino in Ioannem, tract. 15. *De latere in cruce pendentis lancea percuſſo Sacramenta Eccleſiæ profluxerunt.* Secundi de Symbolo ad Catechum. 6. c. *Aſcendat ſponſus noſter thalami ſui lignum: aſcendat ſponſus noſter thalami ſui lectum. Dormiat moriendo, aperiatur eius latus, & Eccleſia prodeat virgo, vt quomodo Eua facta eſt ex latere Adami dormientis, ita & Eccleſia formetur ex latere Chriſti in Cruce pendentis. Percuſſum eſt enim eius latus, vt Euangelium loquitur, & ſtatim manauit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta. Aqua, in qua eſt ſponſa purificata: ſanguis, ex quo inuenitur eſſe dotata.* De Ciuitate Dei lib. 15. c. 26. In Pſal. 41. enarratione. In Ioannem tractatu 9. Chryſoſtomus in Ioannem homil. 85. Ἐξῆλθε δὴ γὰρ ὕδωρ καὶ αἷμα· οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ ὡς ἔτυχεν αὗται ἐξῆλθον αἱ πηγαί· ἀλλ' ἐπειδὴ ἐξ ἀμφοτέρων ἡ ἐκκλησία συνέστηκε· καὶ ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι δι' ὕδατος μὲν ἀναγεννώμενοι, δι' αἵματος δὲ καὶ σαρκὸς τρεφόμενοι· ἀρχὴν λαμβάνει τὰ μυστήρια, *Exiuit enim ſanguis & aqua: non caſu & ſimpliciter hi fontes ſcaturierunt; ſed quoniam ex ambobus Eccleſia conſtituta eſt. Sciunt hoc initiati: per aquam quidem regenerati, ſanguine & carne nutriti. Hinc myſteria ortum habent.* Cyrillus in Ioannem lib. 12. c. 39. Alcuinus in Ioannem lib. 7. cap. 47. Zacharias Chryſopol. Concordiæ c. 170. Apud Auguſtinum in Sententiis exceptis, c. 328. Iſidorus Hiſpalenſis in Gene-

in Geneſin c. 3. Fulbertus Carnotenſis Epiſt. 1. *Tria ſunt ad profectum Chriſtianæ religionis propoſita. Horum primum eſt, intelligere & firmiter tenere myſterium Trinitatis, & vnius veritatem Deitatis: ſecundum, ſalutaris Baptiſmi rationem noſſe, vel cauſam: tertium, in quo duo vitæ Sacramenta, id eſt, Dominici corporis & ſanguinis continentur.*

IX. His omnibus adde omnes, qui in Locis (vt ex vſu loquar hodierno) Theologicis verſati ſunt. Nam iis olim non plura Sacramenta enarrata. Dionyſium Areopagitam, quicunque ille tandem fuerit in Hierarchia Eccleſiaſtica, c. 2. & 3. Cyrillum Hieroſolymitanum in Catecheſibus myſtagogicis. Ambroſium de Sacramentis, & de iis qui initiantur. Damaſcenum de Orthodoxa fide. Rabanum de Inſtitutione Clericorum. Iuonem Carnotenſem in decreto.

X. Ad hanc enumerationem varia ſunt exceptionum capita apud aduerſarios, Bellarminum & Gregorium de Valentia. Prima in Scriptura, neque duo, neque tria, neque ſeptem vſquam expreſſe numerari.

XI. Quod nos quidem oportet confiteri, ſi expreſſam numerationem intelligas vſurpationem ipſorum nominum, quibus numeri ſolent intimari. Sed hæ nugæ ſunt. Primum enim, Papiſtæ non propterea deſierunt ſeptem numerare, & tantum ſeptem: quia ſperarunt ſe totidē legere inſtituta. Vnde patet ipſorum iudicio legitimum eſſe argumentū ab inſtitutione ſingulorū, ad numerum, & quidem præciſum. Habentne cauſam dicere, cur apud nos non ſit legitimum ab inſtitutione duorum? nam nos obſeruamus, non plurium deſcriptam in Scriptis Noui Teſtamenti. Etſi enim nonnulla de reliquis indicentur, tamen collata cum iſtis duobus, facile apparet, quā procul illa ſint ab inſtitutione. Exempli gratia, (nam ſingula paulo poſt inquiſitum imus) Pœnitentiam concludunt inſtitutam pro Sacramento; quia legant Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Quaſi nos cum legimus Lucæ ſexto, *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei*; concludamus paupertatem inſtitutam in numero Sacramentorum. Aſt hæc duo non ita: quia nihil ſit in definitione Sacramenti propriſſime dicti, quod non diſtincte notetur in Inſtitutione.

XII. Secundo; ad argumentum ex connumeratione, quam ſecundo loco obſeruauimus, nihil reſpōdetur. Eſt tamen, ſi nō demonſtratio, certe vehemens coniectura: nam quod hæc duo connumerentur ab eis qui hoc ipſū agunt, vt enumerent Sacramenta; non vero per accidens, & ex aliena occaſione, indicat eiuſdem eſſe ſpeciei, ac proinde definitionis: & quod nunquā alia connumerentur, non eſt inanis ſuſpicio, longum eſſe diſcrimen: quod nos volumus.

XIII. In Patribus ſunt diligentiores. Eſt autem illa prima exceptio. Debuiſſe afferri, non eos qui non dicant eſſe ſeptem: ſed qui dicant non eſſe ſeptem. At hoc patres nuſquam dicere.

XIV. Scilicet, inquam, iſti putarunt ad ſuæ cauſæ confirmationem, eos ſeligendos locos, qui negarent eſſe octo, aut nouem. En tibi religionem! en tibi Chriſtianos, qui quod ſibi factum nolint alteri non faciant! An potius viros nequam; qui nihil ſibi magis condonent, quam quod in aliis culpent maxime? *Hypocrita, eiice primum trabem ex oculo tuo; & tum diſpicies vt eiicias feſtucam ex oculo fratris tui.* Quanquā nos illis longe diſſimiles: qui non argumētemur à ſola numeratione. Cum fateamur longe latius produci nomen, quam vt præter Baptiſmum, & Cœnam nulla ſint Sacramenta: ſed dicimus duntaxat in eo tam vaſti nominis cenſu, eximium eſſe, diſparatumq; à reliquis ordinem horum duorum. Alioquin abſurdiſſimé factum, vt ſiue in diſtribuendis ſpeciebus, ſiue in aſſignandis exemplis, ſiue in tractandis ex inſtituto, ea tantum nominentur, indicenturve. Nam hodie, cum perſuaſum fuit, omnia propriſſime dicta Sacramenta eſſe ſeptem, non leges ita factum à Papiſtis noſtris.

XV. Secunda exceptio. Patres, inquit Bellarminus, ſolum ad vſum propoſitum mentionem fecerunt aliquorum: de reliquis nihil dixerūt. Iuſtinus duorum tantum meminit, quia id requirebat argumentum reſpōdentis obiectionibus Gentilium de Atheiſmo, & turpibus conuenticulis: quorum in 2. c tractat de Synaxi, & obiter meminit Baptiſmi, vt doceat ſolis baptizatis intereſſe licere Synaxi. Tertullianus ſolum voluit oſtendere Deum noſtrū eſſe Creatorem elementorum, & aliarum ſenſibilium rerum, contra Marcionis errorem: id confici, quia alioquin non eſſet vſus elementis iis in ſuis Sacramentis. In de Corona militis; non agit de Sacramentis: ſed de Ceremoniis ex traditione. Cyrillus & Ambroſius ex profeſſo ſcribunt ad Catechumenos, & inſtruunt de his rebus quæ fiunt tempore Baptiſmi. Areopagita tantum diſſerit de ſolennibus actionibus Hierarchæ, id eſt, Epiſcopi. Rabanus tractat de Sacramentis, quæ conueniunt Clericis.

XVI. Ad ſuum, inquit, propoſitum. Eleganter ſane. An quia Neoterici qui plura duobus attigerunt, vagati ſunt extra oleas, & ad ſuum propoſitū nihil dixerunt? Niſi forte quia ad ſuum propoſitum ſeptem numerarunt, ſuo nos velit exemplo docere magnus σοφῶν φαρμάκων magiſter, legitimam exceptionem eſſe, vt ne non ſint propterea vel plura, vel pauciora? Viderit. Nobis vero ideo potius, quia Patres ad ſuum propoſitum loquuti, id eſt, ſani, viuentes, videntes, ſcientes, volentes connumerarunt duo Sacramenta, videntur eſſe hæc duo peculiaris ordinis, priuati generis.

XVII. Et tamen in ſingulorū propoſito mentitur manifeſte. Iuſtinum ne obiter agere de Baptiſmo; qui de eo longam texat orationem, & prolixiorē quam de Euchariſtia, & prius quam vel verbulo de hac quicquam indicaſſet? Atqui nos in eo hæc legebamus diſerta, quibus acceſſus fieret ad hanc Apologiæ partem; ſe expoſiturum quomodo renouati ſeſe Chriſtiani Deo dicarent: & quidem neceſſario, ne videretur πονηρίαν πρὸ τῆς ἐξαγωγῆς perperam agere. Quæ verba, ſi indicent perfunctoriam operam, & aliud agentis, quid non ſperemus amantes? Sed voluit de turpibus conuenticulis agere. Falſum, inquam: nuſquam leges, id ei propoſitum. Et ſi fuiſſet, cur de Baptiſmo ageret? Nam hic nihil ad illa turpia: neq; obiectus ab Ethnicis. Tum autem, qui de iis egere; Tertullianus, Athenagoras, Minutius, à Bellarmino laudati, de neutro agunt; ſiue Baptiſmo, ſiue Euchariſtia: cur magis Iuſtino neceſſarium, ſi nihil voluiſſet niſi purgare calumnias? Illud falſum, mentionem factam Baptiſmi, vt doceretur, niſi baptizatos nō admitti ad Synaxim. Aliud eſt. n. id dicere: aliud propterea de Baptiſmo dicere: quod cui erat vſui, ſi non niſi calumnias purgaſſet? Nimirum hac potius occaſione captata calumniarum, voluiſſe Iuſtinum puritatem docere Chriſtianæ religionis. Itaque & fidei, morumq; articulos numeraſſe plurimos, & Sacramenta noluiſſe omiſſa. Hoc comperturus eſt, quicunque atrente & iudicio non depravato Inſtinum lecturus: & illa Bellarmini commenta riſurus.

XVIII. Tertulliano fateor id inſtitutum fuiſſe, quod Bellarminus notat. Verum cur Baptiſmi, & Euchariſtiæ ſolius mentio facta; cum potuerit idem obtinere ex aliis Sacramentis, ſi alia Sacramenta? Nam & in iis elementa ſunt: & ceremoniæ ex traditione. Itaque non perſuadebit facile quiſquam reliqua omiſſa; ſi eiuſdem forent ordinis.

XIX. Sed in reliquis videte luſus. Cyrillus & Ambroſius ſcribunt ad Catechumenos: Rabanus de Clericis. Eſto ſane. Sed quid tum? An recta concluſio: ſcripſerunt ad Catechumenos: ergo de ſolis duobus Sacramentis debuerunt admonere? Rurſus agunt de Clericis: ergo de ſolis duobus? Atqui primo cur vobis ipſi non præſcribitis eos carceres? Ad Catechumenos nonne pertinent veſtri Catechiſmi; Edmundi Augerii, Bellarmini, Gautieri: Et tamen in iis ſeptem numerantur. De Clericis nonne agunt Catechiſmus ad Parochos? nonne Compendium Theologicæ veritatis? Enchiridion Colonienſe? & tamen enumerant ſeptem. Vin paucis: ſiue apud Clericos agerent, ſiue apud Catechumenos (& hi laici) duo tantum Sacramenta numerarunt. Viden quid ſequatur? tam ſobrii ſunt luſus tui.

XX. Quanquam quid illud eſt, de Sacramentis omnibus quæ conueniunt Clericis: nempe, Matrimonium ad eos non pertinet. Itaque agit de Ordine, de Pœnitentia, de Confirmatione, de extrema Vnctione. Sed magnum eſt mendacium; nullo Rabani vel vocabulo indicatum. Fateor agi de reliquis illis: ſed nego tanquam Sacramentis. Nam eius verba diſerta, poſt tractatus de Ordinibus Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Exorciſtarum, Lectorum, Oſtiariorum; à cap. 5. aduſque 12. tum de pallio & veſtibus, à 13. ad 23. denique, 24 *De Sacramentis autem quæ in Eccleſia fiunt, oportet vt ſequens ſermo exponat atque declaret ritum ſacerdotalem.* Tranſitio eſt, quaſi diceret: hactenus actum de Ordinibus; deinceps de Sacramentis. Vnde ſequitur alios eſſe ordines, alia Sacramenta. Et vero de ordinibus ſic agit, vt tamen de ordinatione ne πρῶτον quidem: inter quæ quantum interſit alias dicam. Quin notandum polliceri ſe acturum de Sacramentis quæ in Eccleſia ſunt. Cur mutat Sophiſta in ſacramenta quæ Clericis conueniunt?

XXI. Denique concedo agere de Ordinibus, de Pœnitentia, de extrema Vnctione; ſed tanquam Sacramentis, nego. Quomodo videlicet de Veſtibus, de Horis, de aliis; quæ tamen Sacramenta negant Papiſtæ. De Confirmatione fateor agere tanquam Sacramento: at non ſeparato, ſed vnum efficiente Sacramentum cum Baptiſmo, quod in capite de Confirmatione ſumus explicaturi latius.

XXII. In Areopagita præſtigiæ ſunt. Diſſerit, inquit, tantum de ſolennibus actionibus Hierarchæ. Falſum. Nam cur ſolennes diſtinguit? Non enim Areopagita; cuius inſtitutum deſcribitur ſtatim initio promittentis ſe docturum ex Scripturis, ὅπερ ἡμῖν ἱεραρχίαν τὴν οὖσαν καὶ θείας ἐστὶ καὶ θεουργικῆς ἐπιστήμης καὶ ἐνεργείας, *Noſtratem hanc hierarchiam eſſe diuinæ ſcientiæ & efficaciæ.* Et tu Sophiſta noſtratem hierarchiam mutes in ſolennes actiones Hierarchæ? nimis impudenter. Nam & officium mortuorum non eſt in eo ordine; & quæ ſunt, quædā omittūtur, vt Cōfirmatio, & Pœnitētia.

XXIII. In Gregorio peculiaris eſt obſeruatio. Nō videri eſſe dictum Gregorii, cum nōn inueniatur in eius operibus: tum autem, non poni niſi exempla quædā. Atqui Ioannes de Turrecremata in illud ipſum caput, teſtatur eſſe Gregorij in Regiſtro: vbi cur hodie non appareat, non facile dixerim: niſi forte temporis iniuria ſit. Veruntamē Iſidorus, ſaltem habet ad verbum: quem autorem Papiſtæ non faciunt nihili. An ſint exempla tantum quędam, melius cognoſcet ex ipſo textu lector, quā ex audiacia Bellarmini.

XXIV. Venio ad tertiā exceptionem. Plura interim duobus numerari: à pleriſq; tria; duob. addita Confirmatione, vt Ambroſio, & Cyrillo. Aliis quatuor; vt Areopagitæ: aliis quinq;: nempe & iis qui aq̄, oleum, panem nominant, quæ ſunt materiæ, quæ conſecrantur in quinq; Sacramentis; in his eſſe Tertullianū, & Auguſtinum epiſt. 119. c. 7. *Ad celebrationē Sacramentorum*, inquit, *vtimur de ſenſibilib. rebus, aqua, frumēto, vino, & oleo.* Aliis deniq; indicari plura enumeratis: Auguſtino epiſt. 118. *Et ſi quid aliud in diuinis literis cōmendatur.* In Pſa. 103. concione prima, *Munus Sacramentorū in Baptiſmo, in Euchariſtia, in cæteris S. Sacramentis.* Tertulliano in de Corona, *Harū & aliarū eiuſmodi diſciplinarum. ſi legem poſtules Scripturarū, nullam inuenies.*

XXV. Reſpondeo primum, hoc quicquid eſt nihil obeſſe nobis: qui non negamus nomine Sacramenti, plura duobus iſtis deſignata olim fuiſſe: ſed ex eo quod tam frequenter ab aliis ſeiuncta: & tamen copulata occurrant, concludimus ſeparatum à reliquis ordinem, ac proinde ſpeciem: vt videlicet, ne omnia dicantur συνωνύμως. Quo pacto ſatisfactum volumus Auguſtini illis verbis ex Epiſt. 128. & in Pſal. 123.

XXVI. Secundo, in reliquis Bellarminū falli. In Tertulliano certe: qui nō dixit, horum, & aliorū Sacramentorum: ſed *harum, & aliarum diſciplinarū*: vocabulo longe ampliori. Et quo neq; ipſa intelligeret Sacramenta, ſed Sacramētis additas ceremonias, quas exēpli gratia produxerat in mediū. Itaq; nulla illa plura Sacramenta indicauit. Qui autē Confirmationem nominarunt; non intellexerunt Sacramentū per ſe & ſeparatum, ſed appendicē Baptiſmi; vt docebo ſuo loco. Atq; eo pertinent qui oleū copularunt, aquæ, pani, vino: nominatim Tertullianus, teſte Pamelio, annotatione in eū lib. 94.

XXVII. Areopagitam numerare quatuor Sacramenta: ſcio multis dictum: ſed cum in rem ipſam inquiro, cauſam non video. Scio agere Hierarchiæ Eccleſiaſticæ capit. 2. de Baptiſmo: tertio de Euchariſtia: quarto de Oleo: quinto & ſexto, de Sacerdotio: vltimo de Vnctione. Verum nego totidem hæc illi Sacramenta eſſe. Dico præter duo illa prima, nullum repræſentari, quod mens ſana poſſit eadem definitione Sacramentum appellare. Nam & ille generali vocabulo comprehendere maluit τὸ πλεισυεγίας. Olei deſcribit ille conſecrationem; non vllum Sacramentum: niſi ſi Papiſtæ velint omnem conſecrationem, puta aquæ benedictæ pœnarum, cereorum apud ſe eſſe Sacramenta. Deinde hoc oleo ſic conſecrato diſerte dicit Hierarchem vti πρὸς πᾶσαν σχεδὸν ἱεραρχικὴν πλεισυεγίαν, *ad omnem ferme Sacerdotalem functionem.* Quis tale aliquid vnquam dixit de Sacramento Confirmationis? capite deinc 5. explicat, αὐτὰς τὰς ἱερατικὰς τάξεις τε καὶ ἀποκληρώσεις, ipſos ſacerdotales ordines ac diſtributiones. Et quidem ſeparate à ſacris operationibus, καιρὸς ἂν εἴη καὶ τὰς θείας ἱεραρχίας, αὐτὰς ὁλοκλήρους ἱερὰς τάξεις, *Tempus eſt poſt ſacras conſecrationes exponere*

ſacros

sacros ordines. Atqui in consecrationibus Baptismus fuit & Eucharistia. Cum igitur non sint ordines in consecrationibus, oportet non eiusdem esse aut generis aut ordinis cum illis Denique si quis vrgeat, Monachatum eodem argumento cogetur venditare pro Sacramento: nam & de eo caput est sextum. De Vnctione autem extrema, miror vel Papistis imponi potuisse. Nam ille diserte vnctionem descripsit non morientium, sed mortuorum: non infirmorum, sed cadauerum. Hanc autem quis dixit esse Sacramentum? ergo Dionysius ille duo describit Sacramenta duntaxat.

XXVIII. Superest exceptio quarta; aduersus eos quibus allegoria placuit aquæ & sanguinis ex aperto Seruatoris latere. Gemina hæc est. Vna, non esse necessarium sequi illam expositionem: tum quia possit alia dari, vt duorum Baptismatum à Cyrillo, & Hieronymo: vel Redemptionis & Baptismi, ab Ambrosio, Leone, Augustino, Beda. Tum quia præposterus esset ordo: cum enim Baptismus præeat Eucharistiæ, tamen sanguis nominatur ante aquam. Altera, non propterea excludi reliqua Sacramenta: sed duo posita magis communia, & principalia, ex quibus posset de reliquis iudicium fieri.

XXIX. Sed de priori facilis labor. Fatemur enim esse mysticam explicationem; cui tantum sit virium, quantum verisimilitudinis. Nec negamus posse varie transferri allegoriam. Sed nouit Bellarminus vicissim non solere nos huiusmodi argumentis vti in sol da disputatione: sed raro tantum & sobrie in applicationibus; cum res est e tra disceptationis aleam. Quomodo Caluinus Patrum mentem probauit h c loco; probauit Beza: at ipla allegoria non sunt vsi pro argumento aduers s Papistas, siue in Institutione, siue in Concilium Tridentinum; siue in Antidoto; siue vsquam. Ne Chemnitius quidem: aut quod sciam, nostrum quisquam. Itaque non obnitimur: tantum monemus vt sibi legem imponi patiatur eandem: allegoricaque argumenta putet satis refutata, cum alia poterit ostendi analogia. Videat tamen quid oppositurus sit magno Leoni, eiusq; laudatissimæ epistolæ, quam olim rectæ fidei columnam constat appellatam in Concilio Chalcedonensi. *Si Christianam suscipit fidem, & à prædicatione Euangelij suum non auertit auditum, videat, quæ natura transfixa clauis pependerit in crucis ligno, & aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat, vnde sanguis & aqua effluxerint, vt Ecclesia Dei & lauacro rigaretur & poculo.*

XXX. Interea hoc certum, quo nos quidem pugnabamus; Veteres Patres non Græcos tantum (quos omnes Bellarminus fatetur in hanc ire partem) sed etiam Latinos nec paucos nec ignobiles habuisse persuasum; hunc sanguinis & aquæ fluxum, nec caruisse mysterio; & designasse Sacramenta Noui Testamenti: nec plura tamen, quã Baptismum, & Eucharistiam. Nullum oleum fluxit, nulla impositio manuum, nulla copula maris & fœminæ; quare nulla Sacramenta quę inde fabricata sunt.

XXXI. Sed ille numerus non excludit cætera. An includit igitur? An nos patiantur sic loqui de suo septenario: quem illi tamen nusquam legunt; tantum pro arbitrio colligunt? Nam certe æqua ratione septem est ad quatuordecim; vt duo ad septem. Itaque si septem excludat quatuor; similiter duo excludent septem: & contra. Nos hactenus ita eramus docti, vt sciremus in maiore numero minorem contineri: non in minore maiorem.

XXXII. Posita sunt duo, magis communia, magisque principalia; vnde iudicium de reliquis. Scilicet ita definiente Bellarmino. Sed huius quanta maiestas est? & quidem effutientis quicquid in buccam venit absque vllo argumento, vllove argumenti vestigio. Scio, scio, iampridem & hoc, & alia plurima sophismata potuisse locum inuenire in eius cerebro: sed hoc idem Patribus visum, quorum de sententia nunc agimus, nemo sanus credet, nil nisi blaterante Bellarmino.

XXXIII. Imo nisi magnis argumentis abducti, non recedemus à phrasi Veterum, à quibus audimus è latere Christi aperto fluxisse Sacramenta Ecclesiæ; Fluxisse, inquam, gemina Sacramenta Ecclesiæ: non audimus, fluxisse quædam, fluxisse nonnulla Ecclesiæ Sacramenta. Vin nosse discrimen? A te ipso discito Bellarmine: à quo ista legimus. Primi de Sacramentis in genere c. 9. *Sacramenta visibilia, seu sensibilia signa esse debere. certissimum est. Sacramenta sunt instituta ad sanctificandũ.* Et 18. *Sacramenta componi rebus & verbis, vt materia & forma.* Vin tu ista Bellarmine sic explicari, vt intelligamus aliqua tantum, non omnia? Imo si bene te noui, detestaberis calumniam. Et tu tibi putes tantam calumniam permitti in scriptis Patrum?

XXXIV. Hinc tamen obseruamus facile mutationem factam doctrinæ in hac parte, à mutatione phraseon. Nam quemadmodum olim libere passim legas apud Patres, *Sola fide hominem iustificari*: quod nunc à Papistis neque prece neque pretio extorqueas: similiter in hoc argumento: etsi Patres præiuerint, Sacramenta Ecclesiæ fluxisse è Christi latere: tamen hodie non efficies vt non emendent Papistæ. Iansenius Concordiæ c. 143. *Hoc duplici fluxu designata sunt duo præcipua Ecclesiæ Sacramenta.* Maldonatus in Matt. 27. *Per sanguinem, Eucharistia, qua alimur: per aquam Baptismus quo nascimur, duo præcipua salutis nostræ Sacramenta significantur.* Salmero tract. 48. tom. 10. *Emisit sanguinem & aquam, in signum duorum Sacramentorum, Baptismi, in quo aqua tingimur, & Eucharistia, in quo sanguine potamur.* Scilicet cautiores hodie Theologorum pueri: olim Patres infantiores.

XXXV. Sed vidit Toletus in hunc Ioannis locum aliam mentem esse: itaque & Augustinum audiuit quasi dicentem Sacramenta omnia emanasse è latere Christi: & causam commentus est commode: quia Baptismus sit fundamentum, Eucharistia complementum omnium. Egregie: quasi qui imum dixit & summum, omnia dicat: quicunque à primo desilit ad vltimum, is etiam media percenseat. Profecto acutiores Iesuitæ, quam solidiores.

CAP. VI.

De argumento à definitione Sacramenti.

I. FVerunt hactenus argumenta sumpta à nomine Sacramenti, qua è Scriptura, qua è Patribus. Deinceps solidius & prolixius ab ipsa Sacramenti definitione.

II. Esto igitur hæc argumenti forma. Quibus Sacramenti competit definitio, ea nec plura nec pauciora sunt Sacramenta. Atqui Baptismo, Confirmationi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, extremæ Vnctioni, Ordini, Matrimonio, competit Sacramenti definitio. Ergo hæc, nec plura, nec pauciora sunt Sacramenta.

III. Respondeo, maiorem esse facilem, perspicuam, certam: atque adeo eandem à Catholicis vsurpari tanquam immobile fundamentum suæ sententiæ de duobus tantum Sacramentis. Quia Baptismo Eucharistiæque & simul, & solis definitio conuenit. Ac conuenire quidem iis, superfluus labor probare: cum idem ponatur ab aduersariis. Sed non conuenire pluribus demonstrabitur à remotione eorum, quæ suppeditabuntur ab iis qui eum numerum augere voluerint: alias aliis; nunc vero ex instituto nostro à Papistis.

IV. Verum in minore plus erit operæ: Etenim primum, homonymia amouenda fuerit. Cum enim constet tripliciter Sacramentum dici; late, proprie, & propriissime, diserte monendum, repetendumque id, quod sæpe recurrit hactenus, nunc agi de Sacramenti propriissime sumpti definitione: vt ne quis transeat ad Sacramenta, quæ rem arcanam denotant, Trinitatem Incarnationem, similia; Sed contineat se intra limites Sacramentorum, eius generis, quæ signa sint Sacramentorum superioris ordinis. Deinde, quia hæc ipsa signa late etiam patent; adeo vt crux, & lotio pedum, & alia plurima, nominata comperiantur Sacramenta; descendendum erit denique ad Sacramenta propriissime dicta; & eiusdem definitionis cum eo genere cuius species sunt Baptismus, & Eucharistia. Cur enim hic accerserentur, heterogenea? Concedemus ergo libenter ea omnia esse vere & maxime propria Sacramenta, quibus huiusmodi definitio docebitur competere.

V. Competere autem Baptismo, & Eucharistiæ, nulla controuersia nunc est. Verum competere Confirmationi, Pœnitentiæ, extremæ Vnctioni, Ordini, Matrimonio; hoc illud est, quod non possumus Papistis concedere; quod querimur Papistas nunquam demonstrasse: quod denique contendimus non posse demonstrari: ne suaderi quidem, nisi iis quos in Tridentini Conciliabuli obsequium superstitio excæcarit.

VI. Sed enim inter Catholicos, & Papistas huiusmodi nulla certa est constituta definitio. Non potest autem legitima definitio esse vlla, nisi ex certis. Quid ergo? Audiamus quid aduersarij loquantur. Bellarminus, *Licet non conueniamus in explicanda definitione Sacramenti: tamen conuenimus in definitione quadam generali: nimirum, quod Sacramenta sint ritus, seu signa externa, & sensibilia, quæ ex diuina institutione annexam habent promissionem gratiæ iustificantis.* Gregorius de Valentia, *Sumamus in hac quæstione, illa tantum de quibus inter nos & illos conuenit: & de Sacramentis loquamur, quatenus sine controuersia sunt ceremoniæ quædam, seu cultus externi diuinitus instituti, vt tanquam symbola quædam, significent gratiam, quæ conferatur in eorundem praxi & vsu, ex promissione diuina.*

VII. Iurabueris nihil acturos non ex æquo & bono. Sed fucus est. Nam conuenimus, inquit, in quadam definitione generali. Quid hoc est vero? Aut quis audiuit definitionem generalem? Nisi forte eam dicas, quæ consistens in remoto genere, nullam speciem designet: vt si definiatur homo, quatenus substantia est: si aqua, quatenus corpus. Exempli gratia, quæratur vtrum platanus sit arbor: & arboris obiiciatur definitio quædam generalis, vt loquuntur Sophistæ, quæ arborem dicat esse corpus è terra natum, à radicibus in folia desinens. Quis speret, Deus bone, inde probatum iri platanum esse arborem, potius quam beta? Potest huiusmodi definitionibus locus aliquis esse, sed ἀνωφελῶς: quia enim quæcunque de genere prædicantur, ea prædicari oporteat de specie: & de genere prædicetur subalterno, quicquid est de summo genere: vnde etiam oportet non esse speciem, id de quo nõ prædicabitur illud. Verum non eadẽ ratio τῆς καθολικῆς: quando quidem posito genere, non ponatur propterea species. Sic non vt bene negaueris formicam esse astrum, eo quod non luceat: sic bene affirmaris lactucam esse animal, quod sit corpus viuum.

VIII. Agnosco illam esse disputandi rationem expeditissimam, quæ fiat ex vtrinq; concessis. Sed solidissimam addo ex prædemonstratis. Quid enim, si tibi res cum homine præfracto, qui nulla motus religione tantũ concedat, non quantum veritas exiget, sed quantum φιλοτιμία imperabit? vt eã jubente, vel Solem neget lucere meridie? An propterea cordatis arma sunt abiicienda, turpiterque prodenda veritas? Absit. Itaque testor me in hac disputanda controuersia, iis vsurum armis, quæ mihi suppeditabuntur ex huius tomi lib. 1. siue ea sint ab aduersariis concessa, siue à me disputando confirmata.

IX. Denique, sicut Gregorius de Valentia. *Si de Sacramentis secundum aliquas conditiones, quas hæretici (nos intelligit) requirunt, loqueremur, neq; nos dicermus esse tam multa, quam ponimus.* Sic nos contra; si de Sacramentis secundum eas tantum conditiones, quas hæretici Papistæ admittunt, loqueremur; nec nos ipsi negaremus plura duobus esse. Atque hac ratione nulla esset controuersia; nec disputando, nisi aërem verberaremus.

X. Quid igitur? Nempe obseruandum, quæri de Sacramentis quæ cum Baptismo, & Eucharistia connumerari debeant. Itaque quæcunque in bis erunt, non de peculiari ratione cuiusq;: sed vtriq; potius communia: eadem oportebit concurrere in omnia reliqua. Etenim hactenus inauditum subdistingui Sacramentum in genera alia; sed tantum in has species, vltimas: instar indiuiduorum: etsi alioquin multiplicentur actibus plurimis. Dicam clarius. Sicut in physicis, cum elementa numerantur quatuor, Ignis, aër, aqua, terra: necesse est tam aquæ, quam terræ inesse quicquid inest cõmuniter in igne & aëre: aut si non sit, rursus distingui elementa, puta in leuia & grauia: ac proinde numerati bis bina: sic in Theologicis, si Sacramentũ multiplices in Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, Matrimonium, necessario vel omnibus inesse quæcunq; considerantur communiter in Baptismo, & Eucharistia: vel rursus Sacramentum distinguendum in quasdam species subalternas: quæ hanc nominum sylua distribuant in classes. Hoc autem nunquam ego quidem factum aut legi, aut audiui. Ergo illud potius fixum esse debet; vt in Sacramentorum nominibus nullæ sint nisi priuatæ differentiæ: sicut in Petro, Paulo, Ioanne, Iacobo, Matthæo, Bartholomæo, Thoma, quandoquidem Apostolorum nunquam quisquam varias species notauerit.

XI. His necessario prænotatis, redeo ad propositum syllogismum: & constanter pego id, vnde minor conficitur: nempe, Confirmationi, Pœnitentiæ,

tentiæ, extremæ Vnctioni, Ordini, Matrimonio competere Sacramenti propriissime dicti definitionem, eandem videlicet, quæ competat Baptismo & Eucharistiæ. Quæ materia futura est capitum sequentium; quæ ibũt per singula illa quinque nomina, sigillatim necessario discutienda; vt perfecta sit disputatio; quæ his confectis feliciter σὺν θεῷ progredietur ad vera Sacramenta tractanda, Baptismum proximo: Eucharistiam reliquis libris.

Cap. VII.

De Confirmatione.

I. INchoamus à Confirmatione, quam in Sacramentis secundo loco post Baptismum solent numerare. Definit Gregorius de Valentia, *Sacramentum id est, cultum diuinitus institutum, in quo ex promissione diuina detur gratia, quam ea ipsa ceremonia significet.* Olim Biel descripserat prolixius, *Confirmatio,* aiebat, *est vnctio hominis viatoris baptizati aliqualiter consentientis, vel ante susceptionem rationis vsum non habentis, facta in fronte figura crucis cum chrismate sanctificatio à ministro idoneo, simul cum debita intẽtione, certa verba proferente ex institutione, sed causans vnctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum fiducialiter Christi fidem.*

II. Verum, quomodocunque definiant tandem (possunt enim variæ colligi formulæ: vix enim est vt Scholastici alii aliis satisfaciant) hæc erunt deinceps ei propria; necessario notanda: illustrandæ disputationi. Nam cum alias, tum hic maxime perstringunt oculos vano splendore quorundam vocabulorum, siue etiam phrasium quem quia sibi vident communem cum prima Ecclesiæ antiquitate; spem conceperunt persuasum iri alis, etiam res non mutatas: quasi qui Romani nominis syllabas audierit vsurpatas hodie, credat eandem etiamnum Romam esse, quæ fuit olim Ciceronis tempore: quomodo denique, quia Romanum Imperium nominetur in Germania, concludunt Sophistæ, stare adhuc illud ipsum quod Veteres dicebant obstaculo esse ne retegeretur Antichristus.

III. Confirmationis materiam, distinguunt in remotam, & propinquam. Illam esse oleum balsamo admixtum cum consecratione Episcopi. Hanc autem vnctionem ex eo oleo in fronte adhibitam in formam crucis. Nos pro materia, remota & propinqua, mallemus ex vsu vetustiori elementum dicere, & vsum elementi: prout in Sacramentis, aqua, panis, vinũ, element[a] sunt; at non infinite, sed adhibito vsu lotionis, esus, potus. Verum ita solent Scholastici suis quibusdam formulis esse addicti: nec nos sane oportet eis priuilegium inuidere. Cæterum ex iis duobus elementis compositum appellant non vnguen Latino, sed augustius Chrisma Græco nomine.

IV. Solent autem huius mistionis occasione quærere, in quo sit posita proprietas materiæ: hoc est, vtrum materia huius Sacramenti substantialiter consistat in vtroque, tam oleo oliuarum (nam ita determinant) quam balsamo: an vero substantialiter consistat in altero, puta oleo; accidentaliter vero in reliquo, balsa[m]o; vt hoc non sit de necessitate Sacramẽti. Est autem itum in varias partes, & inde ad axioma generale ali[q]uod, quo tanquam vno fasce, partium nulla damnaretur; & haberẽt omnes garriendi impunitatem. Dictum ergo, *Chrisma esse materiam simpliciter necessariam ad essentiam, & substantiam huius Sacramenti conficiendam.* Et hanc assertionem esse certissimam Bellarminus; esse de fide Suares monuerunt. Notantur tamen apud Suarem Canonistæ contra sensisse.

V. Sed cum, ab eo composito pharmaco, deuenitur ad ingredientia simplicia: sunt quibus certum sit oliuum esse proprium atque necessarium: balsamum vero non ex Sacramenti, sed tantum ex præcepti necessitate. Quam sententiam & Caietani, & suam Soto profitetur. Gregorius de Valentia tam illustrium, tamque multorum esse Doctorum, vt opposita jam vix dici queat communis. Ast alij nihilominus maluerunt vtrumque coniunctim esse de substantia materiæ, atque adeo de necessitate Sacramenti. Quæris, quinam hi fuerint? Soto, *Vniuersalis fere omnium sententia est*, inquit, articulo 2. distinct. 7. *mixtionem balsami esse de substantia Sacramenti; ita quod sine illa nullum esset*: quanquam statim neget ab Ecclesia definitam. In eam pedibus iuit Bellarminus cap. 8. de Confirmatione propositione 2. *Materia,* inquit, *Confirmationis, non simplex, sed oleum mixtum balsamo.* Sed Tapperus, *Determinationem materiæ & formæ, hoc est, certi signi sensibilis, sub quo Spiritus Sanctus daretur; Christus Apostolis suæ Ecclesiæ præpositis reliquit.*

VI. Hæc esto materia. Formam istam voluerunt, *Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* In qua tamen monet Eckius, apud quasdam Ecclesias mutari Chrisma salutis in Chrisma sanctificationis, homil. 23. de Sacramentis. Itaque vim formæ sacramentalis Bellarminus monet non esse sitam in sono, numero ve literarum σοφῶς: videlicet, quod hanc formulam abs nullo habeat, nisi recentissimo vsu: nam à primis temporibus nullam penitus: à paucis nec valde antiquis, variam. *Nihilominus,* inquit Suares, *de illa legimus in Scriptura Sacra: si autem ad traditionem confugimus, magnam in antiquis Patribus reperiemus varietatem.*

VII. Effectum, Klingius assignauit donationem Spiritus Sancti ad robur, qui in Baptismo datur ad remissionem peccatorum. Sed reliqui distinctius geminum; effectum, inquit Suares, gratiæ sacramentalis, & effectum characteris. Quorum prior apud Bellarminum gratiam confert gratum facientem, & quidem maiorem, quam in Baptismo, in Ordine, ad roborandam animam contra Diaboli impetus: etsi minorem in Ordine ad remissionem peccati; cum non remittat totam pœnam. Posterior character est, quo adscribimur in Christi militiam, sicut per Baptismum in familiam. Atque eb hoc charactere concludunt Sacramentum iterari non posse, quemadmodum nec Baptismum.

VIII. Vsum nullum esse nisi post Baptismum: & eius capaces esse omnes baptizatos: tum ante tum post vsum rationis. Sed, an necessario? Videntur asseruisse, qui Melchiadis subornarunt epistolam, asserentem continuo morientibus sufficere Baptismum: sed victuris necessaria esse Confirmationis auxilia: nec debere ea duo Sacramenta diuelli; imo ne posse quidem vnũ sine altero rite perfici. Quin apud Gratianum de Consecr. dist. 5 Canone. *Vt ieiuni*, ex Concilio Aurelianensi, *Nunquam erit Christianus, nisi in Confirmatione Episcopali fuerit Chrismatus.* Sed posteriores tam duram seueritatem mollii erunt; vt habes apud Suarem, alios dicere præceptum iure diuino tunc duntaxat cum confitenda fides coram tyranno, si tamen commode fieri queat: alios, esse præceptum, sed duntaxat Ecclesiasticum, non diuinum; alios denique nullum esse; sed cuiusque permissum arbitrio. Vnde Suares, voluntariam omissionem negat vllum esse peccatum ex vi obiecti, & intrinsecæ obligationis; quandoquidem is actus sit in consilio non præcepto. Sed per accidens tamen fieri posse peccatum, vel veniale, vel mortale: nempe si contemptus accedat, vel temeritas, vel scandalum; vel quid aliud. Gregorius de Valentia hanc sententiam his temporibus esse communem, nempe ex nullo præcepto aut diuino aut Ecclesiastico, teneri homines suscipere hoc Sacramentum, ita vt omittere, cum recipi potest, sit peccatum mortale.

IX. Postremo, de Ministro interrogati enunt[i]ant omnes, ordinarium esse peculiari dispensatione, vt loquitur Bellarminus, vel, vt maluit Gregorius de Valentia, ex commissione Summi Pontificis, si ita de plenitudine voluntatis potestatisque velit ac statuat, quemcunque simplicem Sacerdotem.

X. Hæc sunt arcana [Sa]cramentariæ Confirmationis: cuius nomen vnde habuerint subit mirari. [N]on enim ab vllo Veteris Ecclesiæ vsu. Atque adeo, quæ vetustissima testimonia habent, duo sunt nec plura. Vnum Melchiadis Papæ epistola ad Episcopos Hispaniæ: alterum ex Aurelianensi Concilio apud Gratianum distinct. 5. de Consecrat. c. *vt jeiuni.* Quorum testimoniorum, hoc pendet a Gratiani fide, qui, vel Bellarmino teste, in Scriptoribus Ecclesiasticis, non habuit delectum autorum, ex quibus sua colligeret decreta. Illud autem toto stylo olet imposturam Epistolarum Decretalium; in quibus nullus pudor hominum, nedum religio Dei fuerit.

XI. Aliis varie dictum, Chrisma, Impositio manuum, Signaculum, Consignatio. Rectius, & magis ad reliquorum analogiam: quibus imposita nomenclatura ab iis quæ externa sunt; puta, vel à materia, vel à ritu: nunquam ab effectu interiore & spirituali; vnde Confirmatio. Fateor tamen in nominibus exiguum esse momentum: itaque obiter monuisse satis.

Cap. VIII.

De instituendo Sacramento Confirmationis.

I. ESse verum Sacramentum probant; primum, ab Institutione, deinde ab vsu. In priori capite probant primo, fuisse instituendam: deinde, fuisse institutam. Instituendam rationibus.

II. Prima ratio apud Dominicum Soto ex Aquinate. Sacramenta nouæ legis ad speciales gratiæ effectus ordinantur: Ergo vbi aliquis occurrit specialis effectus gratiæ, reperitur & speciale Sacramentum. Vita vero spiritualis gratiæ per sensibilem & corporalem cognoscitur. In vita autem corporali post generationem, specialis perfectio est adulta ætas, in qua perfectę actiones exerceri valent. Ergo etiam in vita spirituali præter Baptismum, quo per regenerationem esse recipimus spirituale, requiritur ad augmentum Confirmati[o]. Eodem argumento Durandus vtitur, nec non alij.

III. Vides disputandi solertiam? Mirus vir Thomas, atque adeo Angelicus; & certe in Scholasticis pridem regnum obtinens. Non nullius nominis Dominicus: & tamen nondum vlla legitima forma huic argumento apta potuit inueniri. An quod est in fabulis, Lunæ nulla vestis dari potest? Sed enim Soto, annotandum putauit hanc rationem non esse satis efficacem, nisi autoritatem Ecclesiæ præsupponeret. Id significat, sic optime, facillime, potentissime probari institutum hoc Sacramentum apud eos, quibus jam persuasum hoc Sacramentum esse institutum. Magnum sane inuictissimæ Logices experimentum; & repetitum credo ab ipso Aristotelis æuo. Nam quis nescit Thomam totum fuisse Aristotelicum?

IV. Sed inquiramus nos, qui eam Ecclesiæ autoritatem non supponimus. Hoc primum, Sacramenta nouæ legis ad speciales effectus gratiæ ordinari: nempe, inquam, singulos singula. Atque id axioma Sophistis ponitur à se certissimum: & forte inter κοινὰς ἐννοίας, quæ non soleant demonstrari: imo non possint. Tantum illis in Theologia regnum est. At nos negamus esse verisimile, nedum verum. Alioquin infinita propemodum esse oporteret Sacramenta; non, vt Augustinus dicebat, numero paucissima, non aut duo, aut septem. Quis enim neget totidem esse effectus gratiæ in fidelibus, quot sunt peccata opposita? Atqui vno solo loco Paulus peccatorum species enumerat septendecim, ad Galat. 5. Septendecim sunt ergo saltem speciales effectus spiritus abducentis fideles ab iis omnibus operibus carnis. Cur non ergo totidem Sacramenta dicunt Sophistæ?

V. Itaque longe verius asserimus, Sacramenta instituta ad omnes effectus gratiæ singula: sic Baptismum, sic Eucharistiam aduersus damnationem; ac proinde in salutis gratiam. Nam quod ad generationem Baptismus, Eucharistia ad nutritionem refertur; non sunt ij speciales gratię effectus; sed omnes potius comprehendunt, ratione tantum diuersa. Quod in similitudinibus frequentissimum. Nam sic regnum cœlorum simile est sagenæ, & simile thesauro defosso: & simile areæ: non aliud & aliud regnum, sed tantum aliter & aliter.

VI. Secundo; Ergo, inquit, vbi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ reperitur etiam Speciale Sacramentum: At ego manifestam dico esse falsitatem: nec tantum quia antecedens iam ostensum est falsum: sed etiam ab inconsequentia. Nam etsi concederemus Sacramenta esse ordinata ad singulares effectus gratię: tamen non esset consequens singulis effectis singula tribuenda Sacramenta. Atque adeo ne ipsi quidem admiserint Sophistæ; qui, vt dixi, multos tales effectus omittunt absque Sacramento.

VII. Sed vita spiritualis per corporalem ostenditur: κατά τι, inquam, fateor. Nam inde est Baptismus, & Eucharistia; quia vita corporalis habet generationem & nutritionem. Sed absolute, nego: quasi omnia essent minutim in illa affectanda, quæ in ista. Et vt liceat interdum: tamen aliud est similitudinibus ludere, aliud scripturæ imponere, aut Ecclesiæ legem figere. Quid enim? An quia in corporali vita ætates sunt, infantia, pueritia, adolescentia, senectus; & generationi suum respondet Sacramentum: ideo licet cuiquam dicere sua esse illis ætatibus? Mirum abstinuisse Sophistas, sed solenne Theologis continere se intra reuelationem diuinam.

VIII. De-

VIII. Denique, *In corporali vita specialis perfectio est ætas adulta: Ergo in spirituali requiritur ad augmentum Confirmatio.* Non pudet sophistices? Cur non enim satis, ergo in spirituali requiritur augmentum? Nam hoc certe nemo negasset. Sed vnde est Confirmatio? Nisi forte non sacramentalem dicat; sed quam significari volunt aut effici eo Sacramento. Ridicule. Nam tum augmentum, & confirmatio idem esset? idem his inepte diceretur: cum eo ipso quo augentur vires, etiam confirmentur. Sed si abit à ridiculo, & Sacramentum intelligit, quænam hæc consequentiæ proportio est? In corporali vita perfectio est ætatis: Ergo in spirituali vita Sacramentum Confirmationis. Atqui & hic Confirmatio non est perfectio ætatis, sed instrumentum eius: & in prothesi, nullum instrumentum est, sed tantum perfectio ætatis: itaq; comparantur dissimilia. Et his argumentationum spectris, quisquam manus daturus est?

IX. Secunda ratio apud eundem Dominicum; Vbi in vita spirituali noua offertur difficultas, nouum requiritur Sacramentum: Sed præter difficultatem credendi, cui nobis per gratiam baptismalem succurrit, succedit noua in confitendo eandem fidem coram tyranno mortis periculum offerente: Ergo necessarium est singulare auxilium, atque adeo singulare Sacramentum.

X. Idem rursus ingenium. Conceditur necessarium esse nouum auxilium. Quis enim nescit, quod olim iampridem definitum est aduersus Pelagianos, de auxilio gratiæ per singulos actus? Et quidem latius, quam aduersus tyrannorum minas. Nam qui neque inchoare possumus ex nobis quicquam boni, ne efficere quidem sumus idonei, multo minus perficere: sed Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere secundum beneplacitum suum.

XI. Sed si nouo auxilio, nego tamen nouo Sacramento. Non enim idem est Sacramentum & auxilium. Nouum auxilium, non speciem aliam atque aliam, vt cum quis in morbo modo pilulis, modo phlebotomia iuuatur; alias amputatione: sed eiusdem auxilii repetitos actus significat. Itaque si conseruanda esset analogia, non noua Sacramenta essent comminiscenda, sed eiusdem Sacramenti iteratio: videlicet vt qui primo coram iudice deduceretur, chrismate confirmaretur: & iterum cum secundo & tertio; & sic deinceps: quod tamen negant posse fieri legitime.

XII. Et vero ita olim confirmatio huiusmodi peti solebant ab Eucharistia. Testem habes Cyprianum Epist. 54. *Vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus? Interesse debet, frater carissime, inter eos qui vel apostatauerunt, & ad seculum cui renuntiauerant, reuersi gentiliter viuunt, vel ad hæreticos transfugæ facti, contra Ecclesiam parricidialia quotidie arma suscipiunt: & inter eos, qui ab Ecclesiæ limine non credentes, & implorantes iugiter ac dolenter diuina & paterna solatia, nunc se ad pugnam paratos esse, & pro Domini sui nomine, ac pro sua salute, stare fortiter & pugnare profitentur.* Habet ibidem multa alia in eam rem. Epistol. 56. *Grauior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta, & virtute robusta parare se debent milites Christi, considerantes iccirco se quotidie calicem sanguinis bibere, vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.* In hæc verba Pamelius, *Satis manifestum fit, communicasse plerumque plebem sub vtraque specie tempore Cypriani: & causa videtur fuisse, vt per sumptionem sanguinis magis animaretur ad sanguinis effusionem pro Christo.*

XIII. Quid ergo fit? Nempe id conficiet ratio proposita, si quid conficere queat: fuisse instituendum Sacramentum spiritualis confirmationis: Non autem fuisse aut istud Chrismatis, aut aliud vllum separatum inquirendum, vt augeretur numerus binarius. Et sane vera Confirmatio Christiani est à fide, à spe, à caritate, quas non negant Papistæ haberi ex reliquis Sacramentis.

XIV. Vidit Soto posse id sibi obiici: solutionem attendamus. Respondetur, inquit, omnia allata esse vera: non tamen sequi vanum esse hoc Sacramentum. O veterator! inquam. Enimuero tu tibi consuluisti cum à primo capite vbi occurrebat obiectio, solutionem distulisti in septimum: vt interea lector circumductus per multa, longaque intermedia, tandem procul recedens à quæstione, incautior sibi imponi permitteret. Proponebatur vtrum hoc fuisset instituendum Sacramentum: secundo loco disputatum est de eius materia: tertio de consecratione chrismatis: quarto de forma, quæ in vsu: quinto de charactere: sexto præsupposito charactere Baptismi: septimo tandem de collata in confirmatione gratia: & hic tandem repetitio obiectionis ac solutio. Atqui, veterator, mutatus est status quæstionis. Concedimus, si cui sit persuasum fuisse institutum hoc Sacramentum, eidem credendum non esse superfluum: quantumuis aliorum Sacramentorum eadem essent effecta. Sed profecto, qui hoc tuetur, non docet propterea fuisse instituendum.

XV. Tertia ratio est Durandi. Per Sacramentum vnimur & conformamur Christo: Christus autem non solum est Pater noster, sed Sacerdos & Rex: Sicut ergo per Baptismum conformamur ei vt ministri summo Sacerdoti, sic oportet, per aliquod Sacramentum confirmemur ei vt milites suo regi. Et hoc fit per Confirmationem, per quam adscribimur ei, vt milites ad pugnam spiritualem contra aduersarios fidei.

XVI. Nunquamne aliter? Ac perinde semper consequens & inconsequens? ars & fortuna? Logica & Sophistica? Nam certe hîc & in præcedentibus laus eadem. Quidni & nobis eadem constantia ridendi tam ineptos homines: exsibilandi tam rusticos histriones? Per Sacramentum vnimur & conformamur Christo. Quid id est? An generaliter omne Sacramentum esse institutum vt vniamur, conformemurque Christo? Potest concedi: sed habet ergo Sophista quod quærit: habet inquam in Baptismo, habet in Eucharistia: in vtroque enim vnimur: quidni etiam conformemur? nã vniri difformia quis ausit dicere? Quod si hæc iam instituta sint in eum finem, cur tibi non satisfaciunt? cur quæris alia?

XVII. An potius negabis omnia vnire & conformare? Et sane de solo altero legimus in Scriptura, *Non cum Christo plantatos coaluisse conformatione mortis eius*: ad Romanos sexto sed hoc si magis placet, soluis ipse argumentum tuum; qui propositionem primam doces esse non vniuersalem.

XVIII. Cæterum vis argumenti nulla esse potest; nisi ab hoc substrato axiomate, quæcunque ratio est vnitatis conformitatisque cum Christo, eius debet institui proprium & peculiare Sacramentum. Vnde assumptio; At ratio regis ac militis, aliqua ratio est vniendi conformandique Christo. Ergo huius debuit institui separatum propriumque Sacramentum. Sed maior est manifeste falsa; nunquam asserta à quoquam Theologo. Etenim si sunt propria & peculiaria Sacramenta, oportebit iis proprie & peculiariter significari eam rationem: vt exempli causa: Matrimonium ita significat rationem mariti & vxoris, per quam & vnimur & assimilamur Christo; vt non significet manducationem, per quam itidem vnimur & assimilamur Christo. Hoc igitur posito; cum verum sit, nos vniri conformarique per rationem capitis & membrorum: & per rationem fratrum; exhibete quæso harum rationum peculiaria separataque Sacramenta. Aut si non potestis Sophistæ, agnoscite, & corrigite temeritatem vestram.

XIX. Et tamen si necesse esset omnium dari Sacramenta: cur singularum seorsim, & non plurium confertim? Nam cum Christo vniamur per rationem patrisfamilias domesticorumque; item Sacerdotis & plebis: tamen vtraque ratio simul exhibetur in Cœna, vbi & pascit nos Christus sua carne ac sanguine: & iisdem redimit; vnde idem Sacramentum etiam Sacrificium dictum. In Baptismo similiter renascimur, & redimimur. Cur non æque addas vel alterutri, vel potius vtrique Confirmationem? Nam & de Eucharistia dictum paulo ante: & Baptismo veteres connexum voluerunt suum Chrisma, vt paulo post apparebit.

XX. Quartum rationem sic expressit Eckius Homilia vicesima quarta de Sacramentis. Quum Dominus Iesus sit Messias vnctus, & nos ab eo Christiani dicamur, decuit sane, vt ille nobis vnctionem sacram institueret Chrismatis, vt & nos inuncti, perfecti sic demum efficeremur Christiani.

XXI. Respondeo vnctionem, vel κυρίως dici corporalem illam olei tanquam signi: vel μεταφορικῶς, spiritualem, à qua Christi nomen: Non enim Iesus vnquam vnctus vllo Chrismate corporeo, vt inde nomen acciperet. Nam quod Marci 14. & 16. dicitur de eius vncto corpore longe alio spectat. Sed enim in argumento, si vtrinque metaphora est; concedimus & vnctum fuisse Christum: & nobis institutam vnctionem. Prioris ad Corint. 1 *Qui vnxit nos Deus est* Primæ Ioann. 2. *Vos vnctionem habetis à sancto. Vnctio, quam vos accepistis ab eo manet in vobis.* Veruntamen quid hæc ad institutum? Non enim potest vnctio metaphorica esse Sacramentum.

XXI. Quod si vtrinque seruetur nominis proprietas; non potest negari forte consequentia: nam etsi circuncisum Christum legamus, sed & nos ipsos in eo circuncisos, ad Colossenses secundo; quanquam nullo relicto Circuncisionis Sacramento; Tamen scimus & Baptismum suscepisse, & sacro cibo, calicique communicasse, quæ nobis Sacramenta relicta sunt in mandato, vsuque perpetuo. Itaque si non esset necessaria, tamen esset illatio verisimilis.

XXIII. Verumtamen manifesta est antecedentis vanitas. Non enim, vt iam dictum, Christus corporaliter vnctus. Lucæ 4. *Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me.* In ea verba Maldonatus, *Omnes antiqui autores, non aliter Christum, quam ipso Spiritu sancto abunde ac largiter in ipsum effuso, vnctum interpretantur.* Stella, *Dicitur vnctus in regem, in Pontificem, in Prophetam: quod totum illi contigit in instanti conceptionis suæ.* Toletus, *Causam exprimit cur super eum Spiritus venerit, quia nempe ad hoc munus obeundum. Iam ante idem Spiritus eum vnxerat, nempe quando conceptus est, & diuinitati vnitus; tunc enim omnem plenitudinem accepit.* Augustinus de Ciuitate lib. 17. cap. 16. *Quis non hic Christum, quem prædicamus, & in quem credimus, quamlibet sit tardus, agnoscat? Cum audiat Deum, cuius sedes est in secula seculorum: & vnctum à Deo, vtique sicut vngit Deus, non visibili, sed spiritali atque intelligibili Chrismate?* In Psalm. 44. *Vnctus est ergo Deus à Deo? Quo oleo, nisi spiritali?* Cyrillus Catechesi 10. Χριστὸς καλεῖται, οὐ χερσὶν ἀνθρωπίναις κεχρισμένος, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀϊδίως εἰς τὴν ὑπὲρ ἀνθρώπους ἀρχιερωσύνην χρισθείς. *Christus vocatur non humanis manibus vnctus, sed à patre ab æterno ad id quod supra hominem est Sacerdotium vnctus.* Neque vero repugnant vlli Papistarum, quos viderim. Atqui diruto antecedente, quæ spes esse potest consequentis?

XXIV. Restat, vt in antecedente metaphora sit, in consequente proprietas. Sed hoc consequentiæ portentum, quis non horreat? Itane? Si spiritualiter vnctus sit Christus, nos vt oporteret vngi oleo: vngi balsamo? Comparantur nimium dissimilia.

XXV. Quintam rationem inquisiuit idem Eckius eiusdem operis Homilia 21. Si Synagoga prædiues adeo fuit, vt propriam eamque sanctificatam habuerit vnctionem, quam Chrismatis nomine appellarunt Septuaginta Interpretes: cur non & Ecclesia, quæ multis modis superat Synagogam in sanctimonia, atque vniuersa dignitate, & ipsis etiam Sacramentis, vnctionem habeat sanctam, eamque commistam oleo & balsamo? Antecedens sumit ex tricesimo Exodi.

XXVI. At nos consequentiam negamus. Neque enim quicunque ritus fuerunt in Synagoga, iidem in Sacramenta verti debuerunt in Ecclesia: & alioquin abiret in immensum Sacramentorum numerus. Itaque Augustinus Epistola centesima decima octaua, postquam dixit esse numero paucissima; sicuti Baptismum, & communicationem corporis ac sanguinis; tum, *& si quid*, ait, *aliud in Scripturis Canonicis commendatur, exceptis iis quæ seruitutem populi veteris onerabant, quæ & in quinque libris Mosis leguntur.* Audin, diserte negari in Sacramentis nostris esse ea quæ in libris Mosis? Et vero tu ipse Ecki ex eodem capite cur non alterum extudisti Christianis Sacramentum? Nam huic vnguento, statim subiicitur compositio suffitus, ex aromatis, stacte, onyche, galbano, thure. Atqui Papistæ, etsi suffitu carere non potuerunt, tamen nondum numerarunt in Sacramentis. Cur vnguentum potius. Aut in eo vnguento, cur oleum duntaxat, & balsamum, non etiam myrrham, & cinnamomum, & casiam? An quia hæc paupertatis erant?

XXVII. Adde manifestum delirium, in comparatione dissimilium. Nam id vnguentum fuit, non Confirmationis, sed Consecrationis: itaque non promiscuum Iudæis quibuscunque: sed proprium consecrandis vasis templi, & Sacerdotibus. Ast hoc, quo de nunc, & commune esse volunt omnibus Christianis, & non porrigi ad inanima. Et denique ad confirmandum, non ad consecrandum.

XXVIII. Ab Ecclesia Synagogam superari tum sanctitate, tum dignitate, concedo: sed interna. Nam ministerium magnificum & pompaticum nunquam institutum à Christo, nunquam vsurpatum ab Apostolis: neque adeo verisimile, voluisse Dominum suam Ecclesiæ sanctitatem non constare, nisi peregrinis magno pretio comportatis mercibus. In Sacramentis Ecclesiam præcellere, verum; sed teste Augustino, nec operatione grauibus, & obseruatione facilioribus, & numero paucioribus, & significatione præstantioribus, addo, & efficacia augustioribus. Ast hæc nihil ad vnguentum.

CAP. IX.

De instituto Confirmationis Sacramento, nihil certi haberi è Scriptura.

I. INstitutum fuisse Confirmationis à Christo Sacramentum, fuere qui negauerint Papistæ: Biel in 4. dist. 7. *Vna opinio est, quam tenet Alexander, quod Sacramentum illud non est institutum, neque à Christo, neque ab Apostolis: tum quod non legitur in Scripturis, quando vel vbi: tum quod neque Apostoli vsi sunt hac materia, neque hac forma, sed sola manuum impositione. Sed dicitur quod Confirmatio instituta est ab Ecclesia in Concilio Meldensi. Hanc opinionem sequitur Bonauentura. Secunda opinio tenet, quod Sacramentum illud sit institutum ab Apostolis, & ab eis collatum & ministratum, qui fuerunt quasi bases Ecclesiæ.* Isti videntur etsi abducti à suorum temporum consuetudine, tamen plus habuisse frontis, quam sit iis relictum, qui hodie iurare audent media nocte solem lucere.

II. Pergit Biel, *Ambas has opiniones reprobauit Sanctus Thomas. Nam cum fundamentum cuiuslibet legis in Sacramentis consistat, Sacramenta non possunt institui nisi per legislatorem. Sed quoniam neque Ecclesia est legislatrix, neque Apostoli legislatores, licet dicantur Ecclesiæ bases: ideo Sacramenta instituere non potuerunt: sed illius est instituere, cuius est Sacramentis efficaciam dare: quod solius Dei est. Vnde est tertia opinio, quod sicut cætera omnia Sacramenta nouæ legis, ita Confirmatio à Christo instituta est.* Hæc sententia retinetur ab omnibus nunc Papistis. Itaque Suares; *Dicendum est*, inquit, *hoc Sacramentum fuisse à Christo Domino immediate institutum. Et ratio generalis est, quia institutio Sacramenti pertinet ad potestatem excellentiæ, quam solus Christus habuit. Item quia solus ipse potuit effectum gratiæ infallibiliter promittere per signum sensibile.*

III. Hoc tamen posito dissentiunt, quomodo institutum dicant ab ipso Christo: actune, an mandato solo. Sunt enim qui ipso actu. Certè Iancerus in Probatione Sacramentorum, cap. 4. *Autor huius Sacramenti Christus est, tum conferendo, tum promittendo. Primum conferendo. Ipse enim primus vsus est impositione manuum in infantibus;* Matthæi decimo nono, *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.* Concilium Senonense, Decreto 10. *Nec obscurius quidem Sacramentum Confirmationis Christus instituit, cum paruulis manus imponeret.*

IV. Verum obsistunt alii. Suares sectione secunda disputationis tricesimæ secundæ, *Verissimum est*, inquit, *Christum Dominum nunquam suis manibus dedisse Sacramentum hoc: imo neque ante ascensionem eius fuisse ab aliquo ministratum.* Tam misere deceptus est non tantum ille minimarum gentium presbyter Iancerus, sed etiam Concilium integrum Senonense. Tum de loco Matthæi τοιῶν, *Quamuis gratis demus, ibi fuisse aliquo modo adumbratum hoc Sacramentum: quod tamen ibi fuerit institutum, nullo fundamento affirmari potest: ibi enim nulla promissio, nulla materiæ & formæ designatio legitur, sine quibus Sacramenti institutio esse non potest. Item verisimile non est Christum pueros illos confirmasse, quia decuit, hoc Sacramentum ante Christi glorificationem non ministrari, & alioqui, illi pueri nondum baptizati, neq; ad hunc finem Christo offerebantur, sed vt ab eo benedicerentur.*

V. Malueruntalij post resurrectionem, cum in Apostolis insufflauit Dominus, dicens, *Accipite Spiritum Sanctum*, Ioannis vicesimo. Sed non visum Suari, nullum reperienti in eo facto huius Sacramenti vestigium, non in verbis, quorum finis remittere peccata: non in insufflatione, per quam datus Spiritus non ad robur. Consentit Soto cui ne verisimile quidem visum. Et sane ineptissimum est in institutione Sacramenti nullam rationem habere signi.

VI. Denique diuinarunt alij institutum fuisse eadem nocte Cœnæ: & Suares non improbauit: quia nullum queat excogitari tempus commodius. Sed nos, non si quid excogitare possunt homines festiui, ideo persuaderi posse putamus Ecclesiæ, cuius res cum agitur, non subtilitatis laus affectanda, sed veritatis certitudo sectanda. At nos qui audimus Euangelistas diligentissimè exsequutos quid gesserit Christus ea nocte, potius quam reliquo toto vitæ tempore, non possumus persuaderi, tacituros fuisse, siue hoc, siue aliud vllum mysterium. Tum autem in ea Cœna, tantum videmus vestigiorum huius Sacramenti, quantum ille in insufflatione. Si ergo recte colligere se sperauit, quod signa essent alia, & verba diuersa; non ergo actum de Confirmatione; cogitare debuit, æque aliis displiciturum suum commentum. Denique potuit verisimilius excogitare, in medio aëre dum in cœlos iret, Christum instituisse, vtpote aliis non occupatum.

VII. Viget, ait, Fabiani Epist. 2. *In illa die Dominus Iesus, postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit.* Adde Cyprianum de vnctione Chrismatis: & Clementem.

VIII. Egregie. Nam testes hi scilicet locupletissimi; Cyprianus ille incertus; reliqui impostores. Placetne? Quanquam illi de Confirmatione nihil: sed de Chrismatis consecratione: quæ & materiæ tantum præparatio est, & non propria huic Sacramento: sed communis aliis ritibus, vt paulo post docebimus.

IX. Verum, saltem, inquit Suares, sufficiens inde sumitur argumentum, quod sicut Chrisma docuit conficere, ita etiam aliquos alios ritus, qui sunt de huius Sacramenti substantia. Cur ergo non sit demonstratio, si sit sufficiens argumentum? An tu sufficiens argumentum pro coniectura dixisti probabili? Sic puto. Sed cur argumentum potius Confirmationis, quam aliarum ceremoniarum, quibus idem Chrisma destinabatur? Et cur sufficiens, cum tam sit testibus subiesta fides?

X. Huc ergo res redit denique; cum Baptismus, & Eucharistia sic sint à Christo instituta, vt non tantum iubentem haberent, sed etiam præsentem, atque ita conferentem solennibus ritibus autoritatem: tum vero hoc priuilegio nudari Confirmationem; nullo diserto mandato fundatam, nullo præsenti experimento solennem. Quibus initiis, quicquid dissimulent, aliquantulum saltem infaustis, προμνήσιας quas possunt, inquirunt. Suares negat inde sumi argumentum ad institutionem Christo negandam: quia scilicet non omnia Sacramenta Christus per se ministrarit, etsi instituerit: imo de nullo alio legatur expresse in Scripturis, nisi de Eucharistia, & Baptismo. Hosius, minoris autoritatis esse aut minus ratū, quod dictante Spiritu sancto Apostoli, quam quod ipse Christus tradiderit, & in sui commemorationem fieri præceperit. Biel, & ex eo Altenstaig, multa fecisse Deum causatur, quæ non sint scripta: multa tradita ab Apostolis, & per successionem Apostolorum ad nos deriuata, quæ non sint scripta in Canone Bibliæ.

XI. At nos ij sumus, qui legimus Christum ipsum non celebrasse suis manibus Sacramentum Baptismi, teste Ioanne cap. 4. Euangelij: itaque nolimus asserere omnia ab eo instituta Sacramenta, ab eodem per se fuisse ministrata. Sed hoc quorsum? Certe aliud est ministrare, aliud instituere. Tum autem qui credimus alia nulla esse Sacramenta præter illa duo, cur non negemus alia instituta, quam quibus præsens ipse Christus autoritatem contulit? Aut ipsi qui factum dicent, vt illi potius adesse, imo potius præesse voluerit, quam reliquis? Et quidem huic, cui maiorem vendicant dignitatem propter Ministri personam. Sic enim Melchiades, *Sicut vnum à maioribus fit, id est, à summis pontificibus, quod à minoribus perfici non potest, ita & maiori veneratione venerandum & tenendum est.*

XII. Nam quod causantur, nondum instituendi tempus aduenisse, *quia*, inquit Suares ex Thoma, *in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quam dari non expediebat, donec Iesus esset glorificatus, Ioannis 7.* Hoc inquam, dictum est inconsiderate. Nam plenitudinem Spiritus, quam appellant, quo? Illamne quæ collata est in Apostolos in die Pentecostes? At qui huius sacramentum esse non potuit hoc oleum: cum neque ipsum adhibitum fuerit: neque ipsa perpetua, sed extraordinaria: cum tamen Confirmationem Sacramentum esse velint & ordinarium & perpetuum. An igitur eam, quæ solet fidelibus conferri? Nulla erit ratio: quia illa ipsa collata fuit ante id tempus: non multis quidem, sed tamen nonnullis. Cur ergo illis nefas fuit dari Sacramentum? Nam & Baptismus datus fuit; etiam singulis, & paucis. Tui etiam Scholastici eam ob causam inconsiderate loquuti sunt in hac ipsa causa. Biel, *Dicendum, quod Christus Sacramentum illud instituit, materiam & formam determinauit: non tamen potentiam suam Sacramentis alligauit*: nempe ne non posset aliter confirmare.

XIII. Absit autem vt Apostolorum autoritati velimus vel tantillum derogatum. Quin spondemus, quicquid Apostoli reliquerint Ecclesiæ obseruandum in perpetuum, idipsum nos admissuros tenendum tanquam ab ipso Christo institutum: adeo vt si Cœnæ institutionem æque tacuissent Matthæus, Marcus, Lucas, ac tacuit Ioannes; tamen illa nos sine dubio verba plus satis mouissent, *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, prioris ad Cor. 11. Nam etsi sciamus duobus illis Sacramentis instituendis, imo vsurpandis, Christum ipsum voluisse esse præsentem: sciamus etiam solius esse legislatoris instituere Sacramenta: tamen quia scimus hoc etiam Apostolos donatos extra ordinem, Spiritu, à quo deducerentur in omnem veritatem; nemo nostrum ausit in dubium reuocare, quod illi sic instituissent. Quare ne despondeant animum Sophistæ: certi, si probare queant Apostolos itidem tradidisse Confirmationem; itidem à nobis acceptatum iri.

XIV. Sed qui ad Traditionum supplementa confugiunt, condonanto religiosis conscientiis, pridem institutis, solam Canonicam Scripturam esse Canonem fidei, legem summam Ecclesiæ: condonanto, inquam, hanc constantiam, vt ne sibi imponi patiantur se πρὸς τέλος in rebus tanti momenti. Multa quidem credimus facta, quæ nunquam scripta: sed fundamenta Ecclesiæ nulla tamen certum est admittere nisi scripta. Itaque si nihil aliud habent, quam frigidas traditionum somniationes, abstineant labore, nosque nostræ permittant quieti: nos vicissim illos iusto Dei iudicio libenter relinquemus.

XV. Sed agentne nunc tandem serio? Imo ex Scripturis probatum eunt institutionem: Papæ! ex Scripturisne rem tam incertam? Ita sane, ex Scripturis. Sed scin' quomodo? Gregorius de Valentia, *Probamus*, inquit, *ex aliquot Scripturæ testimoniis.* Bonum factum sane. Sed dic quibus, *Ita intellectis sicut expositit traditio Ecclesiastica. Nam etsi Scriptura non exprimat clare totam rationem Sacramenti, tamen ex sententia Patrum, in quibusdam Scripturæ locis significatur effectus, & alicubi ipse ritus.* Dominicus Soto in 7. dist. art. 1. *Nisi autoritas Ecclesiæ Catholicæ Spiritu sancto illustratæ, interpres nobis adesset, testimonia hæc non vsque adeo rem demonstrarent.*

XVI. Viden Theologiæ genus? Hactenus incerta fuere omnia: quæ tamen esse cōueniebat certissima, vt in Baptismo & Eucharistia. Ad extremū, cum res ipsa serio agitur, Scripturæq; obtenduntur, quæ maxime eam rem stabiliant, rursus præcautione opus, rursus antestatione, rursus præiudicio. Et non sunt hæc immanis diffidentiæ signa? Deniq; vno verbo, tam immane discrimen est inter hoc, & Baptismum Eucharistiamque vera Sacramenta: vt cum ista diserta habeant loca, quibus adeo demonstretur eorū institutio, vt si vniuersus cōspiraret orbis ad oppugnandū, tamen constaret è Scripturis & instituta esse, & solennia: istic tamē vel nulli sunt; vel tā incerti, vt sine magno molimine, longoque circuitu, & denique aliena autoritate, sensuq; non intrinseco, sed aliunde importato, frustraneus sit subtilitatis labor. Vno verbo nullus locus, qui ex se aptus sit rem in tuto collocare. Scilicet hoc artificio probatum his verbis, *Bibite ex hoc omnes*, doceri cauendum plebi à

biá calice. Nempe quia succurrit Ecclesiæ interpretatio. Notate igitur, quicunque in hac controuersia versamini, hoc ingenium futurarum demonstrationum. Denique hoc axioma certum. Nulla Scriptura de Chrismate corporeo loquitur; nulla de Confirmationis vllo Sacramento: sed sanciuit Ecclesia, vt qui de iis non loquantur loci, tamen de iis loquantur. Magnum, egregium, rarum immanis cuiusdam in disputando facilitatis experimentum! Macti este hac virtute viri: sic itur ad astra.

Cap. X.

Loci Scripturæ pro institutione Confirmationis.

I. HActenus fabulæ præludia. Actus primus exhibet loco Scripturæ, fundamenta huius Sacramenti. Nam, *res hæc*, inquit Suares, *est de fide, quæ in primis ex Sacra Scriptura colligenda est.* Quomodo ergo colligunt? Bellarminus. Tria requiruntur ad essentiam Sacramenti Christiani proprie dicti: primo promissio gratiæ. Secundo, signum sensibile cum verbo, quod sit medium, seu organum, quo applicetur promissio: tertio, mandatum diuinum, quo id iubeatur ministrari. Nam omnium consensu Sacramentum est proprie dictum, vbi hæc tria inueniuntur. Pulcre, dum fideliter, & candide. Dispiciamus singula.

II. Primum ergo Suares admonet Christum instituisse, non exhibendo, sed promittendo. Promissionem arcessunt ab istis locis. Lucæ 14. *Ego mittam promissum Patris mei in vos.* Ioannis 14. *Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Et 15 *Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Et 15 *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Actor. 1. *Præcepit eis ab Ierosolyma ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis,* inquit, *per os meum.*

III. Signum fuisse, Bellarminus dicit, impositionem manuum cum oratione. Actor. 8. *Miserunt ad eos Petrum & Ioannem, qui cum venissent orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu: Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et 19. *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.*

IV. Superest mandatum. Sed pro mandato, inquit Bellarminus, damus mandati exsequutionem. Nunquam enim Apostoli ita ordinarie & secure imposuissent omnibus baptizatis manus, vt veniret super eos Spiritus Sanctus, nisi Dominus hoc eis mandasset. Habent autem, eosdem locos ex Actor. 8. 9. item 6. ad Hebræos, *Non rursus facientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.*

V. Mira Sophistices audacia. Enimuero, inquam, hæc ad Sacramentum Confirmationis non pertinent. Estne opus monitore? Atqui res ipsa per se manifesta est. Nam Confirmatio fit per vnctionem; quam nullam ea loca nominant: non fit per impositionem manuum, quam tamen solam ea loca nominant; nec vsurpat Confirmatio.

VI. Respondet Bellarminus, non esse reiectam impositionem manuum: Imo bis vsurpari, vt patet in Pontificali Romano: semel cum super confirmandos manus extendit Episcopus, atque orat: iterum cum signat atque vngit in fronte. Ipsam enim vnctionem & signationem, cum manu fiat, manus impositionem rectissime dici. Et sic cum Marci 7. rogatus esset vt imponeret manus lunatico; fecit Dominus, sed digito tangens linguam & aures.

VII. At istis præstigiatoribus donet Deus mentem bonam; vel retribuat quod merentur: Nam quis patienter ferre queat, vt pro arbitrio mutent quadrata rotundis: quæque sunt, esse negent; quæ non sunt, esse affirment? & quidem in religione. Nam quid alias faciant, si hic fallant, vbi fidem suam probabunt? Non est reiecta impositio. Imo, inquam, non est admissa. Non vsurpatur, inquam. Vin scire? Primum ea nulla continetur in definitione. Biel ab initio huius controuersiæ, *Est vnctio hominis viatoris facta in fronte figura crucis eum Chrismate sanctificato.* Sic enim moris erat olim definire. Nam Scotus haud aliter in septimam distinctionem quarti: de Orbellis: de Combis in Declaratione terminorum Theologiæ: & alii. Et vero quid attinet nugari? Nego quenquam paulo vetustiorem papistam vllam habere rationem impositionis. Contarenus, *Ecclesia ex traditione Apostolorum materiam huic Sacramento accommodauit, qua maxime & ignea lingua, & sonus Spiritus significaretur. Nam oleo oliuarum, quod proprie est oleum, immiscuit balsamum.* Compendium Theologiæ, *Duo sunt ex parte Sacramenti in se, scilicet materia Chrismatis, & forma verborum.* Mitto alios.

VIII. Scio nunc aliter factum tandem: sed à paucis: tum nouitiis astutioribus: quorum alij maluerunt non designare materiam. Gregorius de Valentia, dixit esse *cultum diuinitus institutum, in quo ex promissione diuina detur gratia, quam ea ipsa ceremonia significet.* Alij ipsam impositionem putarunt non omittendam. In Catechismo Græcolatino Edemundi Augerii τί δὲ ὁ σφραγισμός; Ἐφ' ᾧ τῇ τῶν ἐπισκόπων χειρῶν ἐπιθέσει (γνησίως γὰρ οὗτος μυστηρίου τούτου μετὰ τῆς ἱερᾶς ἐγχρίσεως φανερουμένῳ σημείῳ ἀφθονώτερον τὸ πολὺ χρῆμα χάριτος ἐπιδέχονται οἱ τῷ βαπτίσματι τελεσθέντες ἤδη, *Confirmatio quid est? In qua visibili signo sacræ vnctionis, ac manuum Episcopi (est enim is germanus minister) impositione, abundantiorem gratiæ vim recipiunt hi, qui iam Baptismo tincti sunt.*

IX. Verum hic manifestus est & recens Iesuitarum astus, verbo saltem curantium, quod reapse nequeunt emendare: quasi qui opere tectorio ruinosam domum inducat; non vt nullæ rimæ sint, sed vt nullæ esse videantur. Sed hic astus nemini potest imponere nisi qui præ nimia segnitia nihil sibi cognitum velit. Enimuero Catechismus Tridentinus in ipso isto tractatu, *Sacramenti*, inquit, *forma ea omnia continere debet, quæ ipsius Sacramenti naturam, & substantiam explicant.* Atqui hæc nihil habet prorsus, quo contineatur impositio, *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Audis crucem: Chrisma audis: Impositionem tam audis, quam quæ nusquam sunt.

X. Præterea huius superstitionis mystæ in explicatione huius Sacramenti, non meminerunt impositionis: & contra, materiam remotam Chrisma, propinquam vnctionem edicunt. Compendium Theologicũ, *Confirmatio Sacramentum est pugnantium, de cuius substantia sex sunt. Duo ex parte Sacramenti in se, scilicet materia Chrismatis, & forma verborum.* Nec aliter quisquam quem viderim. Bellarminus c. 8. *Materiam huius Sacramenti remotam Catholici communi consensu esse docent, oleum balsamo admixtum, atque ab Episcopo consecratum: materiam vero proximam, quæ proprie est altera pars Sacramenti, vnctionem ex prædicto oleo in fronte adhibitam ad formam seu figuram crucis.*

XI. Disertius Tridentinus Catechismus, *Neque vero vlla alia materia, quam Chrismatis, aptior videri poterat ad illud declarandum, quod hoc Sacramento efficitur.* Scotus, *Relationis, quæ est formale in hoc Sacramento fundamentum totale est vnctio determinata.* Quæ verba repetit de Orbellis.

XII. Quis quæso locus est impositioni relictus? Etenim si pars est Sacramenti; vel materia est, vel forma. Non esse formam patet ex se. Estne igitur materia? Ergo vel propinqua vel remota. Non remota; quia hæc & quidem totalis, est Chrisma, totale, inquiunt, fundamentum relationis. Non etiam propinqua, sed vnctio: ita enim oportet. Nã inquit Suares sect. 3. disp. 43. *constat ex generali regula Sacramentorum, quod in illis quæ vsu consistunt proxima materia est actualis vsus materiæ remotæ, circa eum qui Sacramentũ recipit; vt in Baptismo materia proxima est ablutio, & in extrema Vnctione, Vnctio ex oleo benedicto: hic ergo est vnctio Chrismatis. Confirmatur: nam illa est materia proxima Sacramenti, in quam proxime forma cadit, sed forma huius Sacramenti proxime applicatur ipsi vnctioni: ergo vnctio est proxima materia.* Quis ergo locus est Impositioni?

XIII. Et vero mutatam innuit materiam Sacramenti Concilium Moguntinum c. 18. *Diligenter populum instruant, cur hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorundem traditione, adhibita Chrismatis vnctione cœperit conferri. Nam cum initio Spiritus sanctus ad euidentiorem recentis adhuc fidei commendationem signo visibili influeret confirmatis, externa vnctione, quæ illam internam designaret, tunc non erat opus. Postea vero adulta Ecclesia, & stabilita fide, cum signa externa appetere cessauerint, nec iam amplius Spiritus sanctus visibiliter descenderet, mox in locũ visibilis signi, vnctio Chrismatis adhiberi cœpit.* Tapperus art. 11. *Determinationem*, inquit, *materiæ & formæ, hoc est, certi signi sensibilis, sub quo Spiritus sanctus daretur, Christus Apostolis suæ Ecclesiæ præpositis reliquit. Qui Apostoli primo, vel suo Spiritu Apostolico, vel Christi suggestione vtebantur manuum impositione, tanquam huius Sacramenti materia.* Et post, *Quando linguæ, vt cætera miracula cessabant, oportebat ob confusam, incertam, & indistinctum manus impositionis significationem, proprium & determinatum signum institui atque assumi. Ad varios namque effectus Apostoli manus imponebant.* Et post, *Et visum est Apostolis conuenientissimum fore, quod hoc signum institueretur in Chrismate ab Episcopo consecrato, vna cum certa verborum forma quibus hactenus vtitur & vtetur semper Ecclesia Catholica.* Illustrat exemplo; *Sola manus impositione Sacramentum ordinis olim conferebatur: nunc autem alia materia, & verba sunt præscripta.* Denique, *Nunc consistit in consignatione per sacrum Chrisma, quod ab Apostolis conferebatur in sola manuum impositione.* Ea vero, si mutata materia est, cur remansisse dicitur?

XIV. Nam quod Bellarminus dicit bis imponi, nihil ego quidem vidi huiusmodi in Pontificali Romano. In cuius tribus partibus nihil occurrit de Confirmatione: ne quidem in tribus libris Sacrarum Ceremoniarum, quibus vtitur Romana Ecclesia. Ast in homilia de Sacramentis 23. recitat Eckius vniuersam cõferendi huius Sacramenti pompam, sed in ea vestigium nullum Impositionis: excepto isto, cum ad extremum fabulæ, & omnibus peractis Episcopus, *leniter percussa maxilla dicit, pax tecum.* Quo etiam allusisse credo Polygranum, *Solent*, inquit, *Præsules amice in puellas respicere, blandeque ferire.* Et persuadeor reliquias has esse Impositionis. Nam solet vulgus apud nos vsurpare phrasin, Imponere manus, imo nonnunquam, Confirmare; pro eo quod est Colaphum impingere, nempe histrionica gesticulatione versa in risum, & σκῶμμα.

XV. Quid? quod ne ipse quidem Bellarminus impositionem asserit, sed pro impositione, gesticulationes? Extendit manum, inquit, super confirmandos cum orat, cum signat, cum vngit. Esto, inquam. Sed hæccine impositio est? Atqui in Baptismo fiunt omnia: in Eucharistia quoque extenduntur manus, vt porrigatur ea quam vocant hostiam, & quam ingeri volunt in hianti ore exspectantem, nec ausum manibus contingere. Ergone in Baptismo, in Eucharistia Impositio signum est? materia est?

XVI. Christus rogatus imponere manus surdo mutoque, digitis contigit linguam, & aures. Sic, inquam, Marcus narrauit. Sed quis dixit manus impositas? Non enim si illi rogarunt, Christum necesse fuit, non aliter curare. Itaque non tantum olim Gorranus, sed etiam nuper Barradius, sex distinxere ceremonias hîc adhibitas, neuter impositionem notauit. Quid neutrũ dico? Nemo omnium, quicunque hactenus in eum locum sunt commentati: ne aliorum quidem. Itaque promptius dicere Christum exaudisse preces orantium vt sanaret: sed rationem sanandi suo arbitrio, nõ alieno vsurpasse.

XVII. Quid multis opus? Aut quid iuuat subtilitatem ostentare? Probarit sane Bellarminus non reiectam fuisse impositionem, probarit etiamnum vsurpari. Quid eo promotum est? Nihil sane, nisi etiam demonstrarit solam, aut saltem essentialiter adhiberi. Atqui hoc non probat. Et contra persuasum apparet doctoribus Romanistis. Suares sectione quarta, *Dicendum est nullam manus impositionem distinctam ab vnctione Chrismatis manu Episcopi facta esse de essentia huius Sacramenti.* Et paulo ante, *Dicendum est, illam priorem simplicem manus impositionem, reuera non fuisse Sacramentum Confirmationis, quod nunc habemus: quia in ritu sensibili valde differebat.* Nam etsi hæc ille dicat non absolute, sed secundum tertiam opinionem: tamen hanc ille præfert reliquis. Itaque alibi si qua est impositio manuum, eam numerat in Confirmationis circunstantiis: disputatione quinquagesima quinta, sectione secunda, *Interdum actio Sacramentalis à circunstantiis nomen accipit, sicut Confirmatio appellatur interdum manus impositio.*

positio. Atqui, quibus locis nunc vtuntur ad probandam Confirmationem Sacramentalem, in iis nihil externum commemoratur præter impositionem: vnde olim nominatum Sacramentum impositionis manuum; vt necesse sit eius materiam, ac proinde essentialem fuisse hanc impositionem.

XVIII. Præterea quænam est, aut vnde repetita, quove exemplo, instituendorum Sacramentorum ratio? Nos sane fatemur omnibus Sacramentis adesse debere promissionem, sed addimus, coniunctam signis Nam absque hoc mutuo nexu constat nullum dari Sacramentum. Si enim singulorum beneficiorum promissiones excipimus, quanta erit, Deus bone, Sacramentorum seges? Promisit Christus se daturum discipulis Spiritum sanctum: Ergo impositio manuum est eius Spiritus Sacramentum. Quid ergo? Nonne promisit Christus se visum iri à discipulis; Ioannis 14. seque assumpturum eos? Ergone eius visionis, assumptionisque, oportuit aliquod esse particulare signum?

XIX. Tum si oportuit, ergone istud? Nam quid tum si legatur semel atque iterum ad impositionem collatus Spiritus? Nam certe semel ad linguas igneas. Cur non concludat aliquis has fuisse prædictas, promissas, iisdem locis, quibus Spiritum promissum? Nemo audet tamen. Nimirum longe alia ratio est Sacramentorum. Promiserat Christus se daturum corpus suum edendum, sanguinem bibendum. Instituit in eam rem Eucharistiæ Sacramentum. At quomodo? *Accepit panem, & quum benedixisset, fregit deditque discipulis, & ait, Accipite, comedite; hoc est corpus meum.* En tibi præcedentem quidem promissionem; sed præsentibus postea signis additam, id est specialiter applicatam illis ipsis signis. Si quid simile datur in impositione; cedimus.

XX. Quid? quod nunquam legimus vsurpatam, nisi in extraordinaria donatione Spiritus? Nam profecto non alia sunt illa exempla ex Actor. 8. & 19. Chrysostomus monet in prius πῶς ἂν φησι πνεῦμα οὐκ ἔλαβεν ἔτι; πνεῦμα ἔλαβεν· τὸ τῆς ἀφέσεως· τὸ δὲ τῶν σημείων οὔπω ἦσαν λαβόντες, *Quomodo*, inquit, *Spiritum sanctum illi non receperant? Spiritum acceperant remissionis: Spiritum autem signorum non receperant.* In altero autem Lucas ipse testis, *Et cum imposuisset eis manus Paulus, venit Spiritus sanctus in eos: & loquebantur linguis & prophetabant.* Non est æquum sibi homunculos tantum sumere autoritatis, vt pro arbitrio contrahant, amplientve verbum Dei.

XXI. Quo illa referenda sunt ex Lucæ vicesimo quarto, & Actorum primo; vt appareat aduersarios τῇ φιλονεικίᾳ abreptos temere huc illuc ferri; & quasi oculis clausis obuia quæque arripere. Enimuero Lucas vtroque loco refert iussos Apostolos exspectare promissum Spiritum, sed Hierosolymis. Quis neget peculiare illis aliquid indicari? Non enim omnes Christiani debent Hierosolymis confirmari. Chrysostomus, homilia prima in Acta, *Et quare is non aduenit* (Paracletus videlicet promissus) *quum adhuc adesset Dominus, aut mox ab illius discessu, sed ipse quidem abiit die quadragesimo,* τὸ δὲ πνεῦμα παρεγένετο οὐ τῷ συμπληρῶσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς; *Spiritus autem aduenit cum compleretur dies quinquagesimus?* Nec res est obscura.

XXII. Atqui in Pentecoste, quodnam fuit Sacramenti vllius vel vestigium, siue instituti, quod ne Papistæ quidem audent dicere, siue accepti saltem? Video Spiritus præsentissimam gratiam. Verum solam non sufficere Sacramento, quis nescit? Et negant Papistæ Sacramentum constare sine signo & ministro. Hic vero signum quidem: sed non quale opus; ordinarium. Atqui linguæ ignis nunquam deinceps vsurpatæ, quod quisquam sciat: & erant miraculosæ, cum Sacramentorum signa oporteat esse naturalia. Tum autem nemo hominum ministrabat.

XXIII. Reliqui loci nihil habent difficile. Promittunt enim Spiritum sanctum, cum Apostolis, tum omnibus fidelibus. Sed non est necesse omnium promissionum totidem esse Sacramenta: neque id aut Scriptura promisit, aut vllus vnquam Theologus asseruit. Tum autem eius ipsius promissionis Sacramenta sunt non vnum, sed duo. Dixit Paulus prioris ad Corinthios 12. *Per vnum Spiritum, nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, & Iudæi, & Græci, & serui, & liberi, & omnes potati sumus in vnum Spiritum.* Iustiniani paraphrasis, *Si quidem vnius Spiritus vi nos omnes in vnum veluti corpus coiuimus, quotquot Baptismo lustrati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi: Illo enim primum Christo adiungimur: tum vero vna atque eadem Christi sanguinis potione recreati, participes euadimus vnius Spiritus ipsius, qui per omnia membra permeans singula vegetet, suisque functionibus idonea reddat.* Salmero, *Probat iam quod sumus vnum corpus, nempe per Baptismum, & per Eucharistiam. Inserimur namque in Christi corpus per Baptismum mutuo nexu, tanquam membra simul colligata, & viuimus vnam & eandem vitam.* Et post, *De altero Sacramento subiungit, omnes eodem Spiritu potati sumus.* Iterum, *Quia fecit sermonem potus, videtur de Cœna Domini loqui: non enim dubium, quin ad Symboli analogiam respexerit: potus vero ad Baptismum nulla est congruentia, quia in eo non bibitur.*

XXIV. Nam quod obiiciunt, dari quidem in Baptismo, & Eucharistia Spiritum sanctum, at non ad Confirmationem; distinctio est absurda. Quia Spiritus semper confirmat eum cui donatus est. Itaque Iustinianus docebat Spiritum in Eucharistia datum, singula membra vegetare & suis functionibus idonea reddere. Tum autem notum est, in corporali vita eundem cibum & nutrire, & nutriendo vires augere. Vnde Psalmo centesimo quarto, *Panis cor hominis confirmat.* Adeo nos ipsa signi analogia manu ducit, ad hunc effectum Eucharistiæ adscribendum. Et Cyprianum audiuimus ab Eucharistia repetentem eorum, qui ad martyrium præparandi erant, confirmationem.

XXV. De Apostolorum vsu iam dixi; si possit doceri Apostolos vsos impositione manuum, tanquam Sacramento, non vlterius exspectaturos nos mandatum Christi. Sed illud est, quod querimur sæpe venditari, nunquam demonstrari. Quid enim? Bis omnino vsos ostendunt impositione manuum Acto. 8. pro Samaritanis orarunt vt reciperent Spiritum sanctum, quod factum, cum impositæ eis manus essent. Act. 19. quibusdam discipulis Paulus imposuit manus, venitque in eos Spiritus sanctus. Hæc constant. Sed Sacramentum vnde constat?

XXVI. Primum, ex vno & altero actu, importunum est perpetuitatem eruere, sine qua nullum Sacramentum esse, præiudicatum libro primo. Itaque præceptum Domini non necesse est supponi. Quis enim nescit ex præsenti inspiratione non pauca Apostolos egisse? Sudaria imposuerũt, Act. 19. & quidem non semel: nam Lucæ phrasis sæpius factum indicat, *Ita vt ad ægrotos deferrentur à corpore eius sudaria seu semicinctia, & discederent ab eis morbi.* Quis tamen dixit ex Domini præcepto factum? Non credat tamen pius quisquam factum absque motu Spiritus. Sic cap. 20. incubuit idem mortuo, & suscitauit. Ex præceptone? Nemo dixit. At non omnis inspiratio, lex est perpetua Ecclesiæ. Nam est etiam in particulares actus.

XXVII. Et hic sane fuisse aliquid extra ordinem coniicias facile, quia nunquam notantur Apostoli hac vsi ceremonia, vt non statim addatur miraculum. Cap. 19. disertè, *Venit Spiritus Sanctus in eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* In quæ verba Chrysostomus, εἰκὸς ἦν πνεῦμα μὲν αὐτοὺς ἔχειν, μὴ φαίνεσθαι δὲ ἀπ' οὐ τῆς ἐνεργείας, καὶ τὸ ἀφ' ὧν γλώσσαις ἐλάλουν· τοῦτο ἐνέφαινον, *Verisimile fuit illos Spiritum habere, sed non apparere: sed efficacia & linguarum loquutione nunc declarabant.* Octauo autem, si non desertum, at non obscurum tamen: quia notetur Simon vidisse collatum Spiritum. Chrysostomus, πνεῦμα ἔλαβον τὸ τῆς ἀφέσεως· τὸ δὲ τῶν σημείων οὔπω ἦσαν λαβόντες· καὶ ὅτι μὲν τοῦτό ἐστι, καὶ τὸ τῶν σημείων πνεῦμα οὐκ ἔλαβον, ὅρα πῶς ἰδὼν ὁ Σίμων προσῆλθε καὶ τοῦτο, *Spiritum acceperãt remissionis, Spiritum autem signorum non receperant. Et quod hoc sit, quod spiritum signorum non acceperunt, vide quomodo hoc cernens Simon accessit & petiit.*

XXVIII. Sed de his miraculis Bellarminus contra disputat. Hanc impositionem manuum nõ dedisse nisi dona illa loquendi linguis, & miraculorum, falso poni. Et collegit sex argumenta. Primum. Dona illa gratis data, non dicuntur simpliciter Spiritus S. nec per ea Spiritus habitare in homine. At per manus impositionem dabatur ipse Spiritus. Non igitur solum dona illa gratis data. Maior probatur: quia sæpe illa dona sunt etiam in peccatoribus: cum tamen, Spiritus S. effugiat fictum; nec habitet in corpore subdito peccatis: Sapient. 1.

XXIX. Respondeo, concludi contra formam Logicam. Debuit enim inferri: ergo illa dona gratis data; non conferuntur per impositionem. Sic enim [illegible]umentatio habet, si legitima. Id quod confertur per impositionẽ, est [illegible]olute Spiritus. At hæc dona non sunt absolute Spiritus. Ergo id quod con[illegible]rtur, non sunt hæc dona. Dona gratis data, ea sunt per quæ habitat Spiritus in homine. At per dona collata per impositionem habitat Spiritus in homine. Ergo dona gratis data; non sunt dona collata per impositionem. Atq[illegible] hæc conclusio est manifeste falsa. Non frustra ergo Bellarminus a[illegible]uit paralogismum.

XXX. Hæc dona non appellari absolutè Spiritum Sanctum, negatur autoritate Iesuitica, non vlla ratione. Nam hic certe Spiritum Sanctum legi[illegible]solute, quem tamen Chrysostomus interpretatur τὸ τῶν σημείων Spiri[illegible]n signorum: & alioquin vnde est, πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται, *Spiritu San[illegible]debitur*, Lucæ 1. & ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου, *repletus est Spiritu San[illegible]* Act. 7. *Cum esset plenus Spiritu Sancto vidit gloriam Dei.* Et 2. *Effun[illegible]m de Spiritu meo, & prophetabunt.* Infinita sunt similia, necessario intelli[illegible]genda de donis Spiritus S. Nam ipsa Spiritus essentia nemini datur; neque[illegible]lias abest, ideest alias.

XXXI. Communicari etiam impiis interdum, non est quod negemus. Sed conferri etiam fidelibus, negetne Bellarminus? Nulla ergo vis est obiectionis. Quid enim obstat, quominus per impositionem data dicamus extra ordinem? Non habitare in homine Spiritum per hæc dona, concedimus sane. Etsi contradicat non nemo. Guillaudus in Ioann. 14. *Spiritus sanctus manere in nobis dicitur per sua dona: quorum alia sunt necessaria ad salutem, vt fides viua Spes & Charitas quæ non excidit, sed permanet: alia sunt ad manifestationem Spiritus,* quod sumpsit ex Thoma. Sed tamen non conferri eadem vllis in quibus Spiritus habitet; promoueret aliquid Bellarminus si probaret. Sed ille potius vano strepitu turbare satagit aduersarios, obiiciens ἀνεμώλια φθεγξα.

XXXII. Secundum argumentum. Id dabatur per impositionem manuum, quod promiserat Dominus Ioann. 14. 15. 16. & Lucæ vlt. At quod promisit Dominus, non erat donum linguarum, aut curationum, (id enim fuit additamentum quoddam) sed gratia roborans, & confirmans in fide.

XXXIII. Concludi debet, Ergo donum linguarum, & curationum, non est datum per impositionem manuum. Quod, vt prius, manifeste est contra experien[illegible]reique euentum. Itaque in antecedente oportet esse vitium. Et vero [illegible]minor negatiua est in prima figura: si maior ita intelligenda, quod promissum est, id datur; vt fit in tertia, falsa est minor: quia vtrumque promissum. Quod euincitur ex textu. *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet.* Vnde Thomas exponit illud, *Vt maneat vobiscum in æternum*, in hunc modum *Spiritu sanctus dicitur in nobis manere per dona sua. Donorum autem Spiritus Sancti, quædam sunt necessaria ad salutem: & hæc sunt communia omnibus sanctis, & semper in nobis manent; vt est charitas quæ nunquam excidit. Quædam autem non sunt de necessitate salutis.* Sed & capite decimosexto non tantum promittitur Spiritus, qui deducat in omnem veritatem; sed etiam qui quæ ventura erant renunciaret, quod ad prophetiam pertinet, quæ est in bonis gratis datis. Denique Actorum secundo Petrus disertus, *Et erit vltimis temporibus, dicit Deus, effundam ex Spiritu meo in quamuis carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: & edam miracula in cœlo sursum, & signa in terra deorsum; sanguinem, & ignem, & vaporem.*

XXXIV. Fateor hæc additamenta fuisse; sed quid prohibet in promissione etiam additamenta contineri?

XXXV. Tertium argumentum. Dona illa non erant communia omnibus. At Spiritus sanctus per impositionem manuum dabatur omnibus, vt aperte colligitur ex Act. 8. & 19.

XXXVI. Perge ergo, per impositionem non dabantur dona illa. Similis vanitas. Tum autem in assumpto; dabantur omnibus, nimirum quibus manus imponebantur. Sed hoc quæritur, vtrum manus imponerentur omnibus: quod ij loci non docent: sed tantum impositas esse illis, de quibus tunc agebatur. Quomodo alias deferebantur sudaria in ægrotorum corpora: Omniumne? Nusquam constat. Sed omnibus illis, qui tunc sanabantur.

XXXVII. Quare

XXXVII. Quartum argumentum. Ad Hebræos sexto, numeratur impositio cum Baptismo, cum Fide, cum Pœnitentia, aliisque rebus, quæ pertinent ad salutem, imo etiam ad fundamenta religionis. At loqui linguis, & prophetare, non pertinet ad salutem, multo minus ad fundamenta religionis.

XXXVIII. Sed videndū, inquam, impositionem manuum quam Paulus appellet. Scio à nonnullis confirmationis Sacramentum exponi: Anselmo, Haimone, Lyrano, Carthusiano, forte aliis. Sed Thomas latius maluit, *Hæc inquit, est duplex. Vna est miracula faciens, sicut quando Christus per manus impositionem curabat infirmos. Alia est Sacramentalis: & hæc est duplex. Vna in Sacramento ordinis. Alia est in Sacramento Confirmationis ad renouationem.* Caietanus peculiarē notauit æ primitiu Ecclesiæ. *Hæc, inquit, ad prima fidei Sacramenta in primatiua spectabat Ecclesia. Vnde Paulus quæsiuit, si Spiritum sanctum accepistis credentes. Dabatur enim per illam Spiritus sanctus in testimonium fidei: & dabatur statim post Baptismum adultis, vt patet in Actis Apostolorum.* Gagnæus, *De Spiritus sancti gratia, quæ per impositionem manuum in Baptismo confertur.*

XXXIX. At Salmero, *Sed omnes istæ manuum impositiones, non erant pro initiali, & elementaria doctrina, de qua hic est sermo. Et in illa, quæ in Confirmatione fit, datur, Spiritus ad robur fidei, & ad publice, & intrepide profitendum nomen Iesu, & ad progressus magnos in via Christi faciendos. Reliquas manuum impositiones Apostolus non attingit, quia illi de quibus ibi sermo est, non promouebantur ad sacros ordines: neque prolapsi à fide ad reconciliationem per manuum impositionem admittebantur ante Baptismum. Quare verisimilius mihi semper visum est, loqui Apostolum de initiali impositione manuum super Catechumenos, & Energumenos ad expellendos dæmones, & ad præparandos eos ad suscipiendum Baptismum: de qua antiquissimi Patres mentionem fecerunt.* Cum Salmerone sentit Iustinianus. Priores autem obseruarant Caluinus, Beza, Aretius, Piscator

XL. Viden' argumenti futilitatem, Bellarmine? Nam quid ad te, quo pertineat impositio manuum, si non hæc, qua tu confirmata opus habes? Imo propinquius ei quod nunc agimus: si ea potest esse, quæ operabatur miracula, quod tum putauit Thomas; ergo non valet argumentum tuum aduersum nos, qui his locis dicimus expressa esse miracula. Præterea quid tu tibi, quæso, vis argumentando. Impositio pertinet ad fundamenta religionis: Atqui loqui linguis non pertinet ad fundamenta religionis. Quid, inquam, quid hinc sequitur, nisi loqui linguis non esse impositionem manuum? Nimirum, effecta non sunt suæ causæ. Quis hoc ignorabat? Sed non sequitur, ergo non fuisse effectum impositionis, quod nos quærimus.

XLI. Quintum argumentum. Si nihil aliud conferebat Spiritus sanctus datus per impositionem manuum, nisi dona illa miraculorum: Ergo nunquam Apostoli primarii Petrus & Ioannes in Samariam descendissent, vt manus imponerent. Probant consequentiam: quia satis miraculorum operaretur Philippus, vt non essent alii necessarii.

XLII. Negatur consequentia. Aliæ poterant enim esse causæ: exempli gratia, institutio Ecclesiæ; cui Philippus nondum par erat, vtpote tantum Diaconus. Quid tum etiam, si propter hanc ipsam impositionem? Philippus, ais, operabatur miracula. Ita sane, teste Luca. Sed audi Chrysostomum. δύναμιν γὰρ ἐλάμβανον ποιεῖν σημεῖα, οὐχὶ δὲ καὶ πνεῦμα διδόναι ἑτέροις, *Virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum.* Sed non erant alii necessarii. Scilicet Paulus ὑστέρει τοῦ χαρίσματος destituebatur hoc dono, vt Ephesi opus esset per eius manuum impositionem conferri facultatem efficiendi signa. An potius scioli nostri, cum putant sibi omnia cognitissima, pueriliter nugantur?

XLIII. Sextum argumentum. Idem ostendunt exempla vmbræ Petri, & sudariorum Pauli; per quæ instrumenta nusquam legimus datum esse Spiritum sanctum, sed solum temporalem sanitatem.

XLIV. Vim argumenti non intelligo. Probandum erat impositionis manuum non fuisse effecta miraculosa. Id probatum iri quis sperasset, ex eo quod vmbra, quod sudaria non contulerint Spiritum sanctum? Inuerte: & quia hæc impositio manuum nunquam morbos curarit, (nam tu diserte disparas illam quæ est Marci vltimo) conclude, vmbræ & sudariorum non fuisse effecta mirabilia: quid tibi mentis erit? Scilicet ita disputant Iesuitæ.

XLV. Est ergo verum impositionis manuum effecta propria fuisse extraordinaria. Vnde sequitur eius signum non debuisse fieri ordinarium: id est Sacramentum nostræ definitionis: cum talia omnia sint ordinaria & perpetua, vt de communi consensu positum est libro primo.

XLVI. Sed contra Bellarminus. Promissio generalis est, non solis Apostolis, sed toti Ecclesiæ facta. Igitur & ceremonia, qua applicatur promissio, generalis esse debet & perpetua. Probat antecedens his argumentis. Primo ex Leone primo, sermone nono de quadragesima, *Tota Ecclesia salutare suum in iis qui aderant, vniuersaliter audiebat*, Secundo, ex Matthæi vltimo, *Vobiscum sum omnibus diebus vsque ad mundi consummationem*, quanquam alloqueretur, eos qui intra centum annos omnes erant morituri. Sicut Lucæ 22. *Hoc facite in mei commemorationem*; ad alios pertinet, quam Apostolos. Tertio, Petrus Actor. 3. omnibus pollicebatur Spiritum Sanctum, si crederent, & baptizarentur; citato Ioele, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Quarto; quia causa propter quam Deus promisit & dedit Spiritum, non minus habet locum in nobis, quam in Apostolis: siquidem omni tempore egeant fideles virtute Spiritus sancti. Neque Dominus voluerit Ecclesiæ suæ prouisum ad annos paucos.

XLVII. Respondeo concedi promissionem dandi Spiritus sancti esse vniuersalem, toti Ecclesiæ, id est singulis fidelibus: quandoquidem certum ex Paulo ad Romanos 8. non esse Christi, qui non habeat Spiritum Christi. Concedo etiam ceremoniam per quam applicetur ea promissio, esse perpetuam: nempe Baptismum: de quo Petrus Actor. 2. *Resipiscite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Et supra ex Paulo didicimus omnes baptizari in vnum Spiritum.

XLVIII. Quid ergo promouit Bellarminus? Nam illa profecto promissio distinguenda est, ab ista miraculosa participatione Spiritus: & illa ceremonia ordinaria, ab ista extra ordinem. Itaque dico hanc miraculosam promissionem non factam vniuersæ Ecclesiæ: nec ergo debuisse eius ceremoniam esse perpetuam. Dico nihil tale probari à Bellarmino.

XLIX. Enimuero de illa promissione nihil Leo. Locum lege integrū. *Dominus in exhortationibus suis dicit, Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Nec dubitare debemus hanc vocem non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles, totamque Ecclesiam pertinere, quæ salutare suum in his, qui aderant, vniuersaliter audiebat.* Optime: sed de donis extra ordinem nihil, sicut neque in secundo argumento: nam quis nescit illam Christi præsentiam esse ordinariam, & absque miraculo? In tertio male connectuntur, quæ sunt disparata. Nam illud ex Ioele citatur à Petro in rem præsentem, id est effusionem illam Spiritus in Apostolos. Ast illud de Spiritu per Baptismum in extrema est concione, in qua alioquin ne γρῦ quidem, quod pertineat ad impositionem manuum. Itaque illud miraculosi erat doni: hoc vero ordinarii, in quo neque prophetia est, neque somnia, neque reliqua. In quarto, fatemur æque nobis opus esse Spiritus sancto, sed non illo miraculoso, & extraordinario.

L. Quid iam superest? Vnum addendum, ex conuentis Sacramenti conditionibus in primo libro. Impositionem manuum non posse esse Sacramentum donati, donandive Spiritus; qualia Sacramenta sunt, de quibus nunc disputamus. Ita disputo. Quicquid est signum Sacramentale, dicitur tale quoad materiam: At impositio manuum non potest dici Sacramentale signum, quoad materiam: Ergo omnino non est signum Sacramentale. Maior per se nota. Minor probatur: Nam si impositio manuum est signum Sacramentale secundum materiam, ergo vel remotam vel propinquam. At neutrum. Hoc probatur. Quia remota materia impositionis manuum, sunt manus ipsæ, propinqua autem, earum impositio. Iam vero; omne elementū (elementum autem idipsum est, cum materia remota) vt sit signum Sacramentale, habet similitudinem cum re significata. Id positum primo libro. At manus nullam habent similitudinem cum Spiritu sancto. Ergo manus non sunt signum Spiritus sancti, quemadmodum panis, & vinum corporis & sanguinis Christi. Iterum, Nulla materia propinqua signum est Sacramentale, si materia remota non est ipsa signum: patet, quia fundatur illa in ista. Cum ergo manus non sit signum; non potest etiam impositio esse signum. Ac proinde impositio manuum, non est Sacramentum.

CAP. XI.

De vsu Confirmationis apud Patres.

I. HActenus de institutione Confirmationis; nunc de eius vsu. Huc vero Sophistæ magnum locorum numerum ex Episcopis Romanis, Conciliis, Patribus singulis, cum Græcis, tum Latinis, vt non ad pugnam tantum, sed etiam ad victoriam: neque ad solam victoriam; sed ad solidum triumphum nihil deesse videatur. Distinguam omnia in duos ordines: quorum prior est de Impositione manuum; alter de Chrismate.

II. Ad priorem isti pertinent. Clemens Romanus Constitutionum Apostolicarum lib. 3. cap. 10. & 17. Vrbanus in Decretali, *Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* Eusebius Papa Epist 3. *Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus.* Damasus Epist 4. Leo 1. Epistola 88. Ioannes tertius ad Episcopos Germaniæ, docent solis Episcopis licere Spiritum sanctum dare per manus impositionem, & vnctionem Chrismatis. Concilium Eliberinum canone 38. *Si superuixerit ad Episcopum eum perducat, vt per manus impositionem perfici possit.* Nicenum 1. Arabico canone 55. Arelatense 1. canone 8. iubet hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, si baptizati fuerint, non iterum tradi Baptismum, sed manus ab Episcopo imponi, vt accipiant Spiritum sanctum. Meldense apud Gratianum de Consecratione, distinctione quinta, Canone septimo, *Vt Episcopi non nisi ieiuni per impositionem manum Spiritum sanctum tradant.* Tertullianus de Baptismo, *Dehinc manus imponitur per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum.* Cyprianus Epistola 73. *Nunc quoque apud nos geritur: vt qui in Ecclesia baptizantur per præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Domino consummentur.* Eusebius Emissenus Sermone de Pentecoste, *Quod nunc in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populo donauit vniuersis.* Hieronymus contra Luciferianos, postquam dixit Episcopos baptizatis per impositionem manuum dare Spiritum sanctum, *Exigis, inquit, vbi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Sed etiam si Scripturæ autoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Augustinus decimiquinti de Trinitate capite vigesimo sexto, Ecclesiam dicit seruare, quod fecerunt Apostoli, vt præpositi manus imponant ad Spiritum sanctum accipiendum. Item tertii de Baptismo capite decimo sexto, & tractatu sexto in Epistolam Ioannis, nunc quidem non loqui linguis, quibus imponuntur manus post Baptismum, tamen reuera accipere Spiritum sanctum, & latenter, atque inuisibiliter infundi caritatem

III. In altera parte hi erunt. Clemens Romanus Constitutionum tertij capite decimo sexto, *Postea Episcopus baptizatos Chrismate vngat.* Innocentius primus Epistola prima capite tertio, *Presbyteris Chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum sanctum paracletum.* Concilium Arelatense secundum sub Syluestro exprimit Chrismacum manus impositione, canone decimoseptimo. Laodicenum canone 7. *Oportet baptizatos sacratissimum Chrisma percipere, & cælestis regni participes fieri.* Areopagita Eccles. Hierarchiæ c. 2. *Baptizatum indutum alba veste ad Pontificem ducunt: ille diuino ac deifico prorsus vnguento virum signat.* Capite tertio, *Perficiens illa vnctio facit perfectum.* Capite quarto, *Sed & ipsis, qui sacratissimo regenerationis mysterio consecrantur, aduentum Spiritus sancti consummans vnguenti inunctio elargitur.* Iustinus quæstione tricesima septima Orthodoxorum, scribit peractis mysteriis Baptismi, consignari fideles sacro vnguento. Origenes in Leuiticum homil. 8. *Sic conuersis à peccato purificatio quidem per illa omnia datur, quæ*

superius

superius diximus: donum autem gratiæ Spiritus per olei imaginem designatur, vt non solum purgationem consequi possit is, qui conuertitur à peccato, sed à Spiritu Sancto repleri. Homil. 9. *Omnes quicunque vnguento sacri Chrismatis delibuti sunt, Sacerdotes effecti sunt, sicut & Petrus ad omnem Ecclesiam dicit, vos autem genus electum, regale Sacerdotium.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. mystagogica, *Quemadmodum panis Eucharistiæ post Sancti Spiritus inuocationem, non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic & sanctum hoc vnguentum non amplius est vnguentum nudum, postquam iam consecratum est, sed & Chrisma Christi, quod aduentu Spiritus sancti per ipsius diuinitatem energiam habet: quo frons & alij sensus tui symbolice inunguntur, & corpus quidem isto visibili vnguento perungitur, anima vero sancto ac viuifico Spiritu sanctificatur.* Idem docet, vt Christus Baptismum accepit, tum descendit in eum Spiritus in specie columbæ, tertio tentatus fuit, sic nos primo baptizari, deinde per Chrisma recipere Spiritum, & tandem descendere in prælium cum Diabolo. Idem Christianum dici à Chrismate, & Ioannem, primæ secundo, huc alludere. Nazianzenus Oratione in sanctum lauacrum, *At si tu per Baptismum teipsum obfirmaueris, ac præclarissimo & firmissimo auxilio tibi in futurum caueris, animum scilicet & corpus vnctione & Spiritu consignans, quemadmodum olim Israel, nocturno illo, primigenosque tuente cruore, quid tibi accidet? Et quod tibi præsidium comparatum erit? Audi Solomonis parœmias, si sederis ait, intrepidus eris: si dormieris, suauis erit somnus tuus.* Amphilochius in vita Basilii. Theodoretus in 1. caput Cantici, *Qui initiantur Baptismo post Sathanæ abnegationem, & confessionem fidei, veluti signo & nota regia spiritualis vnguenti Chrismate inuncti, sub ea visibili vnguenti specie inuisibilem sanctissimi Spiritus gratiam percipiunt.* Damascenus Thesauri lib. 4 c. 10. *Oleum in baptismate assumitur vnctionem significans, & Christos nos efficiens, & misericordiam Dei nobis annuntians per Spiritum sanctum.*

IV. Tertullianus de resurrectione carnis, *Caro vngitur, vt anima consecretur, caro signatur, vt anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.* De Baptismo. *Exinde egressi de lauacro, perungimur benedicta vnctione.* Item, *in nobis carnaliter currit vnctio, sed spiritualiter proficit.* Cyprianus Epist. 70. *Vngi quoque necesse est, eum qui baptizatus sit vt accepto Chrismate esse vnctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Et 72. *Tunc demum plene sanctificari, & esse filii Dei possunt, si Sacramento vtroque nascantur.* De vnctione Chrismatis, *Hodie in Ecclesia ad populum acquisitionis sanctificandum, in participatione dignitatis & nominis sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regiæ & sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem, quibus dignitatibus initiatis diuinitus est Vnctio instituta.* Prudentius Ψυχομαχία in luxuria, *Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ Vnguentum regale datum est, & Chrisma perenne.* Hymno ante somnum, *Cultor Dei memento Te fontis & lauacri Rorem subisse sanctum, Te Chrismate innotatum.* Pacianus de Baptismo, *Lauacro peccata purgantur, Chrismate Sanctus spiritus superinfunditur, vtraque vero ista manu & ore Antistitis impetramus.* Epistola 1. ad Sempronianum, *Si ergo & lauacri & Chrismatis potestas, maiorum longe charismatum, inde ex Apostolorum forma descendit, & ligandi quoque ius adfuit, atque soluendi.* Augustinus 15. de Trinitate c. 26. meminit Chrismatis. Præfatione in Psalmum 26. hac dicit vnctione spiritualiter homines perfici.

V. De re dicam postea, nunc de testibus & testimoniis. Epistolas decretales sæpe accusauimus esse suppositititas, nunc peculiariter istas, Vrbani, Eusebii, Damasi. Vrbanus sedem meruit anno ducentesimo vicesimo sexto: suffectus Callisto recens martyri. Itaque sub Imperatoribus Ethnicis, & quidem vigente persequutione. Et tamen in ea Epistola, *Quod si quis fecerit*, id est prædia Ecclesiæ auerterit, *post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis vtatur.* Hoccine eius temporis? Æque potuit triremes addere. Eusebii Epistolæ tria Ecclesiastici ferme tota inseruntur capita perpetua, 14. 15. 16. hisque subiiciuntur multa ex 4. & 5. c ad Ephesios, & quidem abrupta tum præcedentium tum sequentium ἀκολουθίᾳ; quod tamen ei Epistolæ perpetuum, vt aliis. In illa Damasi docta sane & venusta tantoque viro digna grammaticatio occurrit, quæ docet *Episcoporum*, esse pluralis numeri, & genitiui casus. Ioannis tertij Epistola ad Germanos diserte negat Linum & Cletum fuisse Petri successores, aut omnino Episcopos, *Si Petrus*, inquit, *princeps Apostolorum adiutores sibi asciuit Linũ & Cletum, non tamen potestatem Pontificii, aut ligandi, aut soluendi eis normam tradidit, sed successori suo sancto Clementi, qui sedem Apostolicam post eum, & potestatem Pontificalem tradente sibi beato Petro, tenere promeruit. Linus vero ministrabat exteriora: princeps autem Apostolorum Petrus verbo & orationi insistebat, quæ non incongrue ad traditionem Spiritus sancti per manus impositionem pertinent.* Quo testimonio, si vero, corruit historia Romana: & quicquid in eam laboris Baronius contulit. Binius sic annotauit; *Hanc epistolam ab aliquo impostore, sub nomine Ioannis Papæ tertii post obitum illius suppositam fuisse, multis argumentis ostendi potest.*

VI. Sed & nonnullos falsauit locos Bellarminus: Iustinus quæst. 137 non dixit peractis mysteriis Baptismi consignari fideles sacro vnguento; verba sunt ἔπειτα τὰ προσλεχθέντα ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ τελέσαντες, τῷ μύρῳ σφραγιζόμεθα ὕστερον, *Deinde iis quæ in sancto lauacro vt prædictum est absolutis signis, vnguento signamur demum.* Imposuit Sophistę Latinæ interpretis vox lauacrum, vt putaret Baptismum intelligi, cum Græce κολυμβήθρα, indicet potius eos quos fontes Latini dixerunt, in quibus continebatur aqua ad Baptismum. Itaque non significauit Iustinus absolutum Baptismum, sed eam Baptismi partem, quæ gerebatur in ipsis fontibus, id est, lotionem.

VII. In sermone de vnctione Chrismatis, apud Cyprianum, legimus, *Hodie in Ecclesia cum cæteris vnctionibus ad populum acquisitionis sanctificandum, in participationem dignitatis & nominis, sacrum Chrisma conficitur.* Hinc mala manus expunxit illa, *cum cæteris vnctionibus*, quæ importuniora erant aliquantulum. In versibus Prudentii habet Bellarminus *innotatum* vocem non Latinam, pro *innotatum.* Nec vero Areopagita dixit, *Baptizatum ad Pontificem deducunt*; Sed postquam ter lotus fuerit, tradi susceptori, alba indui, rursus deduci ad Pontificem, & vngi: nimirum lotioni vnctione continuata. Neque rursus dixit, *Perficiens illa vnctio facit perfectum.* Sic potius ἡ δὲ τοῦ μύρου τελειωτικὴ χρῖσις εὐώδη ποιεῖ τὸν τετελεσμένον. Perionius vertit, *Vnguenti autem illa, quæ perficiendi vim habet perfusio, eum qui initiatus est, suauitate odoris fragrantem facit.*

VIII. Augustinus præfatione concionis 2. in Psalm. 26. non dixit, vt relatum, hac vnctione spiritualiter homines perfici, sed in hunc modum, *Vnctio ista perficiet nos spiritaliter in illa vita quæ nobis promittitur:* Manifesto discrimine. Sed & illud obseruandum vnctionem nominari, non istam corporalem, sed eam cuius ea sit signum. Sic enim postulat series. Nam in toto eo contextu nihil de vllo Sacramento; sed de ea vnctione, quæ cum Christo fit propria, tamen fit nostra propter vnionem cum illo. Tum, *Inde*, inquit, *apparet Christi corpus nos esse, quia omnes vngimur, & omnes in illo & Christi & Christus sumus: quia quodammodo totus Christus caput & corpus est, Vnctio ista*; & quæ descripta sunt. Quanquam nemini vnquam dictum vnctionem istam Sacramentalem quenquam perficere in vita futura.

IX. Hæc annotanda fuere; suo tandem vsui futura. Nunc ad rem pergo. Et primo repetita volo, quæ præcedente capite de manuum impositione sunt dicta, quam nunc iterum tanta reponunt confidentia, quanta esse solet in rebus per se & à se positis extra omnem aleam controuersiæ. Atqui extremæ est insolentiæ, quæ res nulla sit, eius nuda nomina venditare, quasi pleni iuris authentica documenta. Sic scilicet in rebus humanis plerumque luditur. Sed non debuit in diuinis, prorsus in his aut res fuit retinenda; aut nominá omittenda, ne Deo illuderetur, hominibus imponeretur. Et si quid omittendum; nomina potius, quam res. Sed nimis quam sæpe sectantur Sophistæ τὸ φαινόμενον: & cum specie magnifica oculos perstrinxerint, tunc sibi Capitolium triumphantibus putant non posse claudi.

X. Cæterum frequentissimam esse tum impositionis manuum, tum Chrismatis mentionem apud Patres, non est quod quisquam diffiteatur. Verum vsurpatam ex nuda traditione docet Basilius, in de Spiritu sancto, c. 27 numerans ἐν τοῖς ἀγράφοις: non illud tantum ἐν τύπῳ τοῦ σταυροῦ τοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἠλπικότας καταστημαίνεσθαι, *Signo crucis eos qui spem collocarunt in Christum signare*: sed etiam hunc ipsum Chrismatis morem, εὐλογοῦμεν δὲ τό ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν τὸν βαπτιζόμενον ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; οὐκ ἀπὸ τῆς σεσιωπημένης καὶ μυστικῆς παραδόσεως; τί δὲ αὐτὴν τοῦ ἐλαίου τὴν χρῖσιν τίς λόγος γεγραμμένος ἐδίδαξε, *Consecramus aquam Baptismatis, & oleum vnctionis, præterea ipsum qui Baptismum accipit, ex quibus scriptis? nonne à tacita secretaque traditione? Ipsum porro olei inunctionem, quis sermo scriptus docuit?* In Hieronymi Dialogo cõtra Luciferianos; hæreticus, *An nescis etiam Ecclesiarum hunc morem esse, vt baptizatis postea manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus Sanctus? Exigis vbi scriptum sit: In Actibus Apostolorum: etiam si Scripturæ autoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Vbi etsi nominetur autoritas Scripturæ, tamen nimis frigide, & sane non nisi exempli erat. Atqui exempla non sufficiunt legi faciendæ. Itaque legem hanc imponendi manus non agnoscit nisi ab traditione.

XI. Notari debuit, primum, quia alienius est a Sacramento, nullam eius legem esse nisi ab Ecclesia; cuius tamen instituendorum Sacramentorum autoritas nulla. Deinde; vt apud eos, qui profitentur in rebus fidei nihil admittendum ex sola traditione non scripta, non mirentur aduersarij non vsurpari huiusmodi ritum; maxime cum non manserit intra rituum terminos, sed progressus sit ad Sacramenti dignitatem: audacia profecto coërcenda in Ecclesiæ reformatione.

XII. Sed vin tu ingenium eius traditionis agnoscere? Analogia repetitur ab Athletarum consuetudine. Chrysostomus homilia 6. ad Colossenses, ἀλείφεται ὥσπερ οἱ ἀθληταὶ τὸ στάδιον ἐμβησόμενοι, *Vngitur sicut athletæ stadium ingressuri.* Et creberrima hæc ætiologia est apud omnes, qui de hac egerunt ceremonia. Viden, quam sit alienum ab Spiritu sancto? Nam cum alias constitutum sit signa Sacramentorum esse naturalia: tum hoc tamen non est eiusmodi. Nam athletæ nihil sunt nisi ab institutione. Et ea quidem institutione quæ non tantum mere sit humana; sed etiam Ethnica. Ab Ethnicis autem ritibus, qui rationem repetunt institutionum diuinarum; næ illi κλώθουσιν ἀσύγκλωστα: & nequid dicam durius, μεταβαίνουσιν εἰς ἄλλο γένος. Addo vbique iam terrarum desiisse eum morem: itaque nulli esse cognitum; præter paucos κριτικῶν παῖδας: vulgo certe tam obscurum, quam quicquid est repetitum ex fabuloso seculo. Quis crediderit Christum hanc instituisse significandi rationem, quæ non esset perpetua, quæ esset obscurior illa ipsa re quam doceri oportebat?

XIII. Rursus dico non vsurpatam, siue Impositionem, siue Vnctionem, tanquam proprie dictum Sacramentum, apud priscam Ecclesiam; qui nodus est huius disputationis: nam de traditionibus, earumque vsu in Ecclesia legitimo, actum alias plene. Hoc igitur τὸ κρινόμενον me oportet demonstrare, vnde constabit tanto magis id quod sæpe dixi; eos nobis aduersarios esse qui neque iudiciose, neque sincere versentur in legendis scriptis Veterum; & inani tantum verborum pompa delectentur.

XIV. Argumentum mihi. Nulla pars, siue appendix alterius Sacramenti, est ipsa per se verum & proprie dictum Sacramentum. Atqui Confirmatio, id est, siue Impositio manuum, siue Vnctio, erat pars vel potius appendix Baptismi: ergo non erat ipsa per se verum, & proprie dictum Sacramentum. Maior per se patet: tum ratione, tum exemplo. Quia scilicet pars nulla per se subsistit & seorsim, sed in toto suam habet naturam, itaque eidem connumeratur. Potest quidem esse eiusdem nuncupationis cum toto; vt in humano corpore, corpora sunt caput, brachia, tibiæ, pedes: sed nunquam quisquam totidem numerauit humana corpora. Sic in Eucharistia panis, & vinum signa sunt: & inde Sacramenta crebro apud Patres; quatenus scilicet Sacramentum dicitur sacrum signum: sed nemo tamen duo separatim Sacramenta dixit Eucharistiæ. Id si de partibus verum, multo magis de appendicibus. Nam & Papistæ sic habent suos ritus sacramentales, vt tamen ex iis non efficiant totidem Sacramenta.

XV. Dixi autem partes, siue appendices; quia etsi appendices aliquomodo partes sint, videlicet celebrationis totius; tamen non omnes partes sunt appendices: quia appendix nulla est essentialis: at partes quædam sunt essentiales. Sic in Eucharistia partes sunt essentiales, panis & vinum, vtpote ab ipsa institutione æque: Sed apud Papistas, etsi cruces partem faciant celebrationis, non tamen sunt partes Sacramenti, sed tantum appendices. In hoc argumento, si Confirmatio probetur addita lotioni Baptismali, constat tamen non posse esse partem essentialem Baptismi: quia scilicet essentialia Baptismi necesse est esse ab eius institutione. Confirmatio autem non est ab institutione Baptismi. Vnde etiam audacia Papistis separandi tandem, &

hanc

hanc ita numerandi, vt augeret numerum Sacramentorum. Hoc modo igitur dico confirmationem istam Baptismi fuisse appendicem; id est, celebrationis eius partem; quæ assumptio est propositi syllogismi, nunc probanda. Quod fit facile, tum ab ipsis testimoniis, quorum pompa visa est aduersariis commoda, tum ab aliis infinitis.

XVI. Primus esto nobis Damascenus, Thesauri lib. 4. cap. 10. quem Bellarminus non omisit, sed torsit; σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστερὰ κατεφοίτησε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ τὸν κύριον, τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἡμετέρου ὑποδεικνύον βαπτίσματος, *Corporali specie tanquam columba descendit Spiritus sanctus in Dominum, primitias nostri Baptismi insinuans* ἐπὶ δὲ τοὺς ἁγίους ἀποστόλους πυροειδῶς κάτεισι, *Super autem Sanctos Apostolos in forma ignis descendit.* Τὸ ἔλαιον βαπτίσματι παραλαμβάνεται, μηνύον τὴν χρίσιν ἡμῶν, καὶ χριστοὺς ἡμᾶς ἐργαζόμενον, καὶ τὸ τοῦ θεοῦ ἡμῖν ἐπαγγελλόμενον διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔλεον, *Oleum in Baptismate assumitur, vnctionem nostram significans, & Christos nos efficiens, & oleum (misericordiam*, retinuit Bellarminus ex Fabro Stapulense, deluso similitudine vocum ἔλεος, & ἔλαιον) *Dei per Spiritum sanctum nobis promittens.* Audis manifeste oleum assumi in baptismate, vel potius baptismati.

XVII. Hæc verba omisit interpretari Chlictouæus: sed Bellarminus tantum non deierat esse de Sacramento Confirmationis, quod detur post baptisma. His argumentis. Quia paulo ante dictum in forma ignis datum Spiritum sanctum Apostolis: at post, dari nobis per oleum. At confirmatio Apostolorum in die Pentecostes non respondet baptismo, sed Confirmationi per Chrisma. Secundo, quia dictum etiam, sicut columba attulit ramum oliuæ post diluuium: ita nobis post baptismum, cuius figura fuit diluuium, aduenire Spiritum sanctum per oleum, cuius figura fuit illa columba cum ramo oliuæ. Tertio, verba Græca, τὸ ἔλαιον βαπτίσματι παραλαμβάνεται, rectius vertenda, *Oleum Baptismati*, quam *Oleum in Baptismate assumitur.* Nam neque est Græcè ἐν βαπτίσματι: & τὸ παραλαμβάνω, proprie dicitur de eo quod assumitur, vt alteri succedat.

XVIII. Nihil veri: nihil sinceri. Fateor dictum, Apostolis datum Spiritum in speciem ignis. Sed dari nobis per oleum, non dictum: dictum duntaxat assumi oleum ab baptismum: & promittere oleum per Spiritum sanctum. Sed quid tum si diceret? Nam illud, ne erres, de Spiritu in Apostolos non pertinet ad Baptismum nostrum: sed ad Baptismum Christi; scilicet per comparationem: quæ aliter descendisse doceat in Christum, aliter in Apostolos. Et vere comparatio Baptismi nostri, instituitur cum Baptismo Christi: ideoque dictum hunc demonstrare primitias illius: quod non dictum de Apostolis. Sensus est, in Baptismo Christi, ostensam efficaciam nostri: nimirum quemadmodum in Christum baptizatum, sic in nos baptizatos descendere Spiritum. Chrysostomus in Matthæum homil. 13. *Nam & columba tunc ideo apparuit, vt extenti quodammodo digiti vice, Dei Filium Ioanni monstraret*; οὐ μόνον δὲ διὰ τοῦτο, ἀλλ' ἵνα καὶ σὺ μάθῃς, ὅτι καὶ ἐπὶ σὲ βαπτιζόμενον τὸ πνεῦμα ἔρχεται, *Neque tantum propter id, sed vt etiam tu scias, quoniam super te quoque cum sacro fonte dilueris; Sanctus Spiritus veniat.*

XIX. Sed confirmatio Apostolorum non respondet Baptismo; respondet Chrismati. Cur, inquam, Chrismati? nam profecto illo die Pentecostes non magis Chrisma quam aqua: non magis vnctio quam lotio. Ignis signum fuit: qui neque in Baptismo, neque in Confirmatione. Remne igitur attendamus potius, id est, Spiritum? Cur non pertineat ad Baptismum? Nam in Baptismo recipi Spiritum, quis negat? Augustinus in Epistolam Ioannis tractatu sexto, *Aliud est aqua Sacramenti; aliud aqua quæ significat Spiritum Dei. Aqua Sacramenti visibilis est: aqua Spiritus inuisibilis. Ista abluit corpus, & significat quod fit in anima: per illum Spiritum ipsa anima mundatur & saginatur*

XX. In secundo; quid hoc est, sicut columba post diluuium attulit ramum oliuæ, ita post baptismum descendere Spiritum? Hoccine Damascenus? Damascenus, inquam, hoc dixit? Nemo hominum minus: sed Iesuitæ tum sibi fingunt quæ amant: tum amant, quæ ipsi fingunt. Profecto Damascenus nihil scripsit quod huc accedat. Scripsit ille, *Corporaliter in columbæ specie descendit Sanctus Spiritus super Dominum, primitias nostri Baptismatis insinuans: & honorans corpus: quia & hoc, id est, corpus, deificatione Deus est*: ἅμα τε καὶ ἄνωθεν εἴθισται περιστερὰ λύσιν κατακλυσμοῦ διαγγέλλειν, *Et simul quia olim assueta columba diluuii cessationem nuntiauit.* Quæ postrema verba descripta sunt ex Nazianzeni oratione quadragesima. Quis hic nisi Iesuita diuinasset analogiam illam ad Baptismum? Atqui ratio redditur potius, quare Spiritus tunc speciem illam columbæ assumpserit. Vt apud Chrysostomum de Baptismo Christi, Διὸ καὶ τὸ πνεῦμα ἐν εἴδει περιστερᾶς κάτεισιν· ὅπου γὰρ καταλλαγὴ θεοῦ, περιστερά, *Quapropter & Spiritus in specie columbæ descendit: vbi enim est reconciliatio Dei, ibi & columba: nam arcæ Noe tempore ramum gestans oliuæ, columba venit diuinæ benignitatis signum, tempestatisque sedatæ.* Quid habuit in mente Bellarminus, cum sperauit se tam fictis commentis quicquam persuasurum.

XXI. Et tamen demus quod fingitur in vtroque argumento, & illam Spiritus communionem in Pentecoste, magis referre Chrisma: & hac columba designatum deferri Spiritum per oleum. Quid tum denique? Atqui probandum erat Confirmationem esse Sacramentum disparatum à Baptismate, quod non sequitur inde: sed tantum Chrisma esse signum separatim ab aqua; & vnctionem discretam à lotione.

XXII. In tertio immane mendacium, τὸ παραλαμβάνειν, proprie dici de eo, quod assumitur, vt alteri succedat. Nam contra, proprie de eo quod assumitur vt alteri accedat. Parata sunt in hanc partem exempla: in illam nulla dabunt Sophistæ. Matthæi primo, Iosephus, παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, *accepit vxorem suam* Secundo, ἐγερθεὶς παρέλαβε τὸ παιδίον, *Experrectus accepit puerulum.* Duodecimo, παραλαμβάνει μεθ' ἑαυτοῦ ἑπτὰ ἕτερα, *accipit secum septem alios.* Decimoseptimo, παραλαμβάνει ὁ Ἰησοῦς τὸν Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην, *Assumit Iesus Petrum, & Iacobum & Ioannem.* Varinus, παραλαμβάνω κοινῶς λέγεται τὸ διαδέχομαι ὡς παραλαβεῖν, παρέλαβεν τὴν βασιλείαν ἀρχὴν, ἀντὶ τοῦ διαδεξάμενος. Παραλαμβάνω *vulgo dicitur Excipio; vt apud Libanium, accepto regio imperio.*

XXIII. Nemini ergo dubium, quominus Damascenus voluerit, non post Baptismum, sed ipsi Baptismo addi Confirmationem. Nam quod Bellarminus negat esse Græcè *in Baptismo*, verum est: quanquam ex Oecolampadio (nam hunc interpretem Bellarminus accusat) retinuerit etiam Faber Stapulensis, nec reprehenderit Clichthouæus. Verum quid promouet? nam Græcum in rem nostram fortius est βαπτίσματι παραλαμβάνεται, *Baptismo assumitur*, id est, ad baptismum.

XXIV. Concurrunt testes multi: Theodoretus in primum Canticorum, atque in illud, *Vnguentum effusum nomen tibi. Si magis etiam mysticè vis intelligere, sacri Baptismatis mysterium recordare, in quo qui initiantur, post Sathanæ abnegationem, & Dei confessionem, veluti signo ac nota regia, spiritalis vnguenti chrismate inuncti, sub ea visibili vnguenti specie inuisibilem Sanctissimi Spiritus gratiam suscipiunt.* Quem locum Suares recitat, vt Cōfirmationis suum Sacramentū stabiliat. Iustinus quæstio. centesima tricesima septima, quam non omisit Bellarminus, sed compressit, vt monuimus, *Si ante sepulturam Maria vnguento Dominum vnxit, nos autem in Baptismo symbola signaque passionis & resurrectionis referentes, celebramus: quomodo primum oleo vngimur, ac deinde cum sacro lauacro, quæ dicta sunt Symbolis peracta*; τῷ μύρῳ σφραγιζόμεθα ὕστερον; *vnguento consignamur denique?* Tres baptismi partes nota, primam vnctionem; alteram lotionem, tertiam consignationem, quæ ipsissima descriptio est Areopagitæ; qui, quod ex eo citatur ad hanc rem expressit cap. secundo, cui titulus περὶ τῶν ἐν φωτίσματι τελουμένων, *De iis quæ fiunt in Baptismo.* Post interrogationem, professionemque, ἐπιτίθησιν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ τὴν χεῖρα, καὶ σφραγισάμενος, *imponit eius capiti manum, & consignatum iubet adscribi Sacerdotibus.* Tum renuntiare iubet Sathanæ, & Christo adhærere. χρίσαι παντόμως vngi toto corpore: Inde, τρὶς αὐτὸν ὁ ἱεράρχης βαπτίζει, ταῖς τρισὶ τοῦ πλημμύρου καταδύσεσι καὶ ἀναδύσεσι τὴν τρισσὴν τῆς θείας μακαριότητος ἐπιβοήσας ὑπόστασιν; ter Pontifex lauat, singulis mersionibus eductionibusque trinam Deitatis inuocat essentiam: deinque περιβαλόντες ἐσθῆτα τῷ τελουμένῳ κατάλληλον, indutum veste, quæ initiatum deceat, deducunt ad Pontificem: ὁ δὲ τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος μέτοχον ἀποφαίνει λοιπὸν τῆς ἱεροτελεστικωτάτης εὐχαριστίας, *qui diuino vnguento signans, participem pronuntiat deinceps sacratissimæ Eucharistiæ.*

XXV. Similiter Clemens 16. tertii Constitutionum, *Tu igitur Episcope vnges oleo sancto caput eorum qui baptizantur, siue viri sint, siue mulieres, in typum spiritualis Baptismi. Deinde aut tu Episcope, aut Presbyter tuus facta super eos nominatim sacra inuocatione Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizabis.* Καὶ μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χρισάτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ: quæ verba descripsit Bellarminus sola: *Postea Episcopus baptizatos Chrismate vngat.* Sed statim continuato sermone baptismi, ἔστι τοίνυν τὸ μὲν βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ Ἰησοῦ διδόμενον. τὸ δὲ ὕδωρ ἀντὶ ταφῆς· καὶ τὸ ἔλαιον ἀντὶ πνεύματος ἁγίου· ἡ σφραγὶς ἀντὶ τοῦ σταυροῦ· τὸ μύρον βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας· τοῦ πατρὸς ἡ μνήμη ὡς αἰτίου καὶ ἀποστολέως· τοῦ πνεύματος ἡ συμπαράληψις ὡς μάρτυρος· ἡ κατάδυσις τὸ συναποθανεῖν· ἡ ἀνάδυσις τὸ συναναστῆναι, *Baptismus igitur datur in mortem Filii Dei: aqua adhibetur pro sepultura: oleum pro Spiritu sancto, sigillum, pro cruce: vnguentum confirmatio confessionis est. Patris commemoratio tanquam causæ, & mittentis: Spiritus assumptio, tanquam testis: mergi commori est, emergere, vna resurgere.* Viden vt omnia vno tenore explicantur tanquam pertinentia ad baptismum? Nec aliter cap. 23. lib. 7. Χρίσεις δὲ πρῶτον ἐλαίῳ ἁγίῳ. ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι· τὸ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ, *Vnges primum oleo sancto, deinde baptizabis aqua, postremo signabis vnguento.*

XXVI. Haud aliter Ambrosius; qui, in de Sacramentis; vnctionis nusquam meminit nisi in describenda baptismi celebratione. Libri 1. c. 2. *Venimus ad fontem, ingressus es; considera quos videris: quid loquutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi Leuita, occurrit Presbyter; vnctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen huius seculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina.* Certe hæc ipsissima descriptio est Confirmationis, quam Papistæ obtrudunt tanquam separatum Sacramentum. Hanc ipsam ergo baptismi esse agnouit Ambrosius.

XXVII. Hactenus illi fuerunt, qui ex professo celebrationem exsequebantur baptismi. Quid alii? Nazianzenum citat Bellarminus oratione 40. Atqui, cum ea tota oratio est de Baptismo: tum vero ipsa verba diserta, εἰ δὲ προκαταλάβοις σεαυτὸν τῇ σφραγῖδι: Billius vertit, *Si per Baptismum te ipsum præmunieris*; non male expresso sensu: sed ad verbum tamen, *Si præoccupaueris te ipsum signaculo*: σημειωθεὶς καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα τῷ χρίσματι, *Signatus animam corpusque Chrismate.* Coniungit igitur vtrumque, signaculum baptismi, & Chrisma. Vnde Billius annotauit ad marginem, *Vnctio Baptismatis.*

XXVIII. Citat idem Paciani librum de baptismo. Quid igitur ille? *Hæc autem compleri alias nequeunt, nisi Lauacri, & Chrismatis & Antistitis Sacramento. Lauacro enim peccata purgantur, Chrismate Sanctus Spiritus superfunditur: vtraque vero ista manu & ore antistitis impetramus. Atque ita totus homo renascitur, & innouatur in Christo.* Audin ex iis vnum Sacramentum? Certe Antistitis nullum est Sacramentum distinctum. Quare manifestum illa tria, Lauacrum, Chrisma, Antistitem vno Sacramento comprehendi. Tum autem istis renascitur, & innouatur homo. Agnoscin' effectum vnius Sacramenti, id est, Baptismi.

XXIX. Addo Fulbertum Carnotensem ad Adeodatum epist. 1. *Hic homo qui videtur conferre quod non habet, vtique tanti muneris non autor, sed minister intelligitur. Vnde etiam Baptista ipse sanctissimus ait; Qui me misit baptizare, ipse mihi dixit, super quem videris Spiritum sanctum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Quod nimirum ipsa baptizantis verba Ministri patenter insinuant: cum Baptismi sacra munera non à se arroganter dari, sed ab ipso Deo autore profitetur sub verbis huiusmodi: Deus qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu, ipse te linit Chrismate salutis.* En tibi baptizantis verba ea, quæ de Chrismate.

XXX. Enimuero tam certum est vnum idemque Sacramentum fuisse reputatum, vt effecta promiscue describantur. Nam regenerationem, renouationemque Baptismo certe propriam, videre Chrismati attributam. Areopagita cap. 4. Hierarchiæ Eccles. Καὶ τῆς ἱερᾶς θεογενεσίας ἡ τελεσιουργὸς δωρεὰ καὶ χάρις, ἐν ταῖς τοῦ μύρου τελεταῖς θεοειδέσι τελειώσεσιν, *Etiam sacræ generationis donum efficax, atque gratia in diuinis vnguenti perficitur initiationibus.* Theodoretus diuinorum Decretorum lib. 5. cap. de Pœnitentia; *adoptionis filiorum vnctionem* appellat. Pacianus paulo ante; *Atque ita*, id est, Sacramento Lauacri & Chrismatis; *totus homo renascitur & innouatur in Christo.* Cyprianus epist. 72. *Tunc enim demum plene sanctificari, & esse filii Dei possunt, si Sacramento vtroque* (Lauacri & Chrismatis) *nascantur.* Sed &

Prudentius, *Chrismateinnonatum* dixit, pro quo notauimus à Bellarmino ſuppoſitum monſtrum vocabuli *innotatum*. Quin etiam Origenes in Leuiticum homil. 6. *Donum autem gratiæ Spiritus per olei imaginem deſignatur, vt non ſolum purgationem conſequi poſſit is qui conuertitur à peccato, ſed & Spiritu Sancto repleri, quo & recipere priorem ſtolam, annulum poſſit.*

XXXI. Confirmationem, cuius vnius prætextu Sacramenti ſeparati commentum fuit, à Baptiſmo haberi, docet Nazianzenus oratione illa 40. ἐὰν σοι προσβάλῃ μετὰ τὸ βάπτισμα ὁ τοῦ φωτὸς διώκτης καὶ πειραστὴς ἔχεις ᾧ νικήσεις· μὴ φοβηθῇς τὸν ἀγῶνα· προβάλου τὸ ὕδωρ, προβάλου τὸ πνεῦμα, ἐν ᾧ πάντα τὰ βέλη τοῦ πονηροῦ τὰ πεπυρωμένα σβεσθήσεται· πνεῦμα μέν ἐστιν· ἀλλὰ διαλῦον ὄρη· ὕδωρ μέν ἐστιν· ἀλλὰ πυρὸς σβεστήριον. *Si te luminis perſecutor & tentator poſt Baptiſmum adortus fuerit, habes quo eum ſuperes Ne certamen reformides: Aquam oppone: Spiritum oppone in quo ignita omnia illius praui tela extinguentur. Spiritus quidem eſt, verum montes diſſoluens: Aqua quidem eſt, ſed quæ ignis extinguendi vim habeat.* Rurſus, *Si per Baptiſmum* (ſignaculo) *teipſum præmunieris.* τῷ καλλίστῳ τῶν βοηθημάτων καὶ στερροτάτῳ; *auxiliorum optimo & firmiſſimo.*

XXXII. Quid plura? Perfici baptiſmum hoc ſumpto Chriſmate; hac accepta impoſitione vulgo dictum. Leo primus epiſt. 37. cap. 2. *Quod ſi ab hæreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur: ſed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, vt per Epiſcopalem manus impoſitionem, virtutem Sancti Spiritus conſequatur.* Eodem iſtud pertinet. Cornelius ad Fabianum apud Euſebium hiſtoriæ lib 6. cap. 43. editionis Græcæ, quem locum aduerſarii noluerunt ſibi perire; Nouatum morbo grauiſſimo laborantem, καὶ ἀποθανεῖσθαι ὅσον οὐδέπω νομιζόμενον cum putaretur iamiam moriturus, ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ ᾗ ἔκειτο, in ipſo in quo decumbebat lecto, aqua circumfuſus baptiſmum accepiſſe, dicit; οὐ μὴν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα: at reliqua non obtinuiſſe liberatum morbo, quorum oportebat ſecundum Eccleſiæ Canonem eſſe participem; τοῦ δὴ (ſic enim legendum puto, non τοῦτε) σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, *vt obſignatur ab Epiſcopo.*

XXXIII. Et inde perficere, conſummarique. Concilium Eliberinum Canone 38. *Peregre nauigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum Catechumenum: ita vt, ſi ſuperuixerit ad Epiſcopum eum perducat, vt per manus impoſitionem perfici poſſit.* Rufinus, illud ex Cornelio de Nouato: vertit, *Nec reliqua in eo, quæ Baptiſmum ſequi ſolent ſolenniter adimpleta ſint, nec ſignaculo Chriſmatis conſummatus ſit.*

XXXIV. Hinc perſpicuum eſt ex eorum vſu à quibus hoc Sacramentum retinuere Papiſtæ; partem potius fuiſſe baptiſmi: ſicut hodie apud ipſos Papiſtas ceremoniæ ſunt, quæ baptizatis in neceſſitate non adhibentur, niſi ſi ſuperuixerint: tunc enim adimplere ſolent ſolennia. Quin etiam indidem eorum conſuetudo, vt & Chriſma, non oleum ſimplex, ſed illud confectum ex oleo & balſamo vſurpetur. Mos etiam alter, vt Confirmationi ſuſceptores adhibeantur, quos patrimos vulgo dicunt. Nam Dionyſius notat lotum aqua, ἐγχειρίζεσθαι τῷ τῆς προσαγωγῆς ἀναδόχῳ τε καὶ ἡγεμόνι, tradi in manus ſuſceptori & duci; & ab eo deduci ad Pontificem vnguendum. Itaque id veſtigium antiquæ conſuetudinis remanſit hactenus: cui diſſimulandæ quiſquilias rationum ſubtilitas corraſit: Quod qui ad pugnam conſcribuntur inſtructoribus indigeant; vnde in bello duces, & centuriones. Item, quia ad Confirmationem venit robur & fortitudinem accepturus: itaque tanquam adhuc infirmus, egeat alio quo ſuſtentetur. Sic enim philoſophatus Dominicus Soto.

XXXV. Hanc Baptiſmi & Chriſmatis coniunctionem vno ferme verbo attigerat Chemnitius. Bellarminus ob eam cauſam ei imperitiam exprobrat. Quo iure? Nimirum, inquit, ſolitos eſſe Veteres etiam Euchariſtiam coniungere cum Baptiſmo, ſiue adultos baptizarent, ſiue infantes: & tamen diſtincta eſſe Sacramenta.

XXXVI. Sed qui alios traducere auſus tanquam imperitos, videat quid ipſe meritus ſit: qui tam ſupine rem totam diſſimulet. Non enim id probatum eſt, quod fingit, nimirum coniunctam fuiſſe Confirmationis celebrationem celebrationi Baptiſmi: quod nec ſemper verum fuit: ſed longe aliud; nempe huius partem illam fuiſſe. Itaque quicunque deſcripſerunt Baptiſmi ritus, continuato opere deſcripſiſſe Confirmationem: cum tamen nemo non ſeparatim Euchariſtiam deſcripſerit, ſiue proprio libro, ſiue proprio capite. Scilicet, quomodo in explicanda Euchariſtia, non de pane tantum diſſeritur, ſed etiam de calice; ita vt pars partem conſequatur: longe alio videlicet aut nexu, aut tranſitu, à pane ad calicem, quam à Baptiſmo ad Euchariſtiam. Et nominatim obſeruandum, eos quibus propoſitum agere de ſolo Baptiſmi Sacramento, vt Baſilium, Nazianzenum, alios; tamen non potuiſſe non loqui de Chriſmate, ea quæ nunc pro ſeparato Sacramento aſſumuntur. Certe Alcuinus de Ceremoniis Baptiſmi, tam ad Oduinum, quam ad Carolum Magnum, cum diſerte notet confirmari Baptiſmum corpore & ſanguine Chriſti, id eſt, baptizato tradi Euchariſtiam; tamen hoc vno, vt ita dicam, verbo monere contentus fuit: at vnctionis non tantum meminit, ſed etiam tanquam ſuo proprio loco ritum per partes exſequitur.

XXXVII. Obſeruandum autem geminam vnctionem deſcribi; vnam præcedentem, alteram ſequentem lauacrum. Illam à Papiſtis non cenſeri aut Sacramentum ſeparatum, aut quicquam eſſentiale Baptiſmo. Et tamen, inquam, ſimili contextu narratur vtraque. Tradit Pontifex χρίσαι παντσώμως, vngendum toto corpore; tum ad conſecratam aquam, κελεύει τὸν ἄνδρα προσκομισθῆναι, iubet virum deferri: lotum ſuſceptores ad eum deducunt vt vngat. Cur non aut vtrique locus datur in Sacramentis proprius, aut non vtrique negandus concluditur? Nam alioquin etiam præcedenti tribuitur illud robur, vnde deductum volunt Confirmationis nomen: Dionyſius, οἱ ἱερεῖς ὑπ' αὐτῷ τελοῦσι τὴν τῆς χρίσεως ἱερουργίαν, ἐπὶ τοὺς ἱεροὺς ἐν τύπῳ τῶν τελουμένων ἀγῶνας ἐκκαλούμενοι, *Sacerdotes ſub eo* Pontifice *perficiunt ſacram vnctionem*, videlicet priorem; *typice prouocantes initiatum ad certamina.* Chryſoſtomus ad Coloſſenſes homilia 6. ἀλείφεται ὥσπερ οἱ ἀθληταὶ εἰς στάδιον ἐμβησόμενοι, *Vngitur ſicut athletæ ſtadium ingreſſuri.* Et agi vt ſcias de priori vnctione: *Non ſicut olim Sacerdotes, ſolo capite:* τοῦτος δὲ τὸ πᾶν, *at hic in vniuerſum:* prout ſcilicet Dionyſius παντσώμως.

XXXVIII. Denique Dionyſius, Ὁ δὲ τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος μέτοχον ἀποφαίνει λοιπὸν τῆς ἱεροτελεστικῆς εὐχαριστίας, *Pontifex poſtquam diuinitus efficaci vnguento virum conſignauit, participem pronuntiat deinceps ſacratiſſimæ Euchariſtiæ.* Quo ſignificatur dari plenam poteſtatem in poſterum accedendi ad communionem Euchariſticam. Quo argumento conſtat Confirmationem pertinuiſſe ad Baptiſmum, tanquam eius extremum actum: quia videlicet Baptiſmus ipſe ſufficiebat ad eam poteſtatem. Etenim ipſi illi qui poſtea ſepararunt, non ſunt ſoliti denegare communionem non confirmatis. Cum igitur ea clauſula pendeat à baptiſmo: neceſſe eſt Chriſma pertinere etiam ad Baptiſmum. Nam ineptum erat alioquin, ſi duo deſcriberentur Sacramenta, importune ſermonem interſecari vnius intruſo altero.

XXXIX. His conſtitutis nihil eſt admodum difficile. Itaque percurram nunc Bellarmini obſeruatiunculas ad Patrum autoritates, quibus eſt vſus. Ad Melchiadem. Confirmationem eſſe Sacramentum vere & proprie dictum; quia conferatur cum Baptiſmo, & aliquomodo præferatur. Baptiſmum autem fatentur omnes eſſe verum & proprium Sacramentum.

XL. Reſpondeo; huic Morioni (non enim Melchiadi) fortaſſe ita viſum, ſeparatum eſſe Sacramentum: ſed non eſſe nomen tanti, vt præſtruat aliis cunctis: aut publico vſui. Sed etiam ratiocinationem eſſe ineptam. Prælationis enim cauſam profert dignitatem Epiſcopi, *Sicut vnum,* inquit, *à maioribus fit, id eſt, à ſummis Pontificibus, quod à minoribus perfici non poteſt, ita & maiori veneratione venerandum & tenendum eſt.* Atqui primo, non eſt legitima conſequentia: ſi fiat à ſolis Epiſcopis, ergo eſſe maioris venerationis. Alioquin præferretur ipſi Euchariſtiæ: quam tamen adorant Papiſtæ: non itidem Chriſma. De quo Fulbertus ſcripſit, & merito, quod de Chriſmate nullus. *Iam nunc ad illud Dominici corporis & ſanguinis tranſeamus venerabile Sacramentum: quod quidem tantum formidabile eſt ad loquendum, quantum non terrenum, ſed cœleſte eſt myſterium: non humanæ rationi comparabile, ſed admirabile, non diſputandum ſed metuendum.* Et alia nonnulla. Quid? quod hodie ſolus Papa conficit Agnos Dei? An recte Papiſtæ concludant hos præferendos omnibus Sacramentis? Tum autem opinio eſt hæretica, Sacramenta metiri ex perſonarum dignitate.

XLI. Præterea, falſum non poſſe perfici à minoribus. Bellarminus ipſe agnoſcit à multis Scholaſticis definitum poſſe. Sed illuſtrior teſtis Hieronymus contra Luciferianos, *Quod ſi hoc loco quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi, non accipiat Spiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero Baptiſmate tribui: diſce hanc obſeruationem ex ea autoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus deſcendit, & multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius ſacerdotii, quam ad legis neceſſitatem. Alioqui, ſi ad Epiſcopi tantum imprecationem Spiritus ſanctus defluit, lugendi ſunt qui in vinculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Epiſcopis inuiſerentur. Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exſors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes. Inde venit, vt ſine Chriſmate, & Epiſcopi iuſſione, neque Presbyter, neque Diaconus ius habeat baptizandi.* Ambroſius in 4. ad Epheſios, *Apud Aegyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus.* Clemens Alexandrinus Pædagogi 3. Τινὶ γὰρ ὁ πρεσβύτερος ἐπιθήσει χεῖρα, *Cui imponet Presbyter manus?*

XLII. Manifeſta res eſt. Non Epiſcopi tantum confirmant: ſed etiam Presbyteri. Diſcrimen in eo; quod hi non niſi abſente illo. Et id factum non longe, ſed conſuetudine: non natura rei ſic poſtulante, ſed dignitate Epiſcopi ſic requirente. Vnde patet Morionis ſtultitia: qui ex Epiſcopi perſona, autoritatem conciliari vult Confirmationi, cum longe ſanior Hieronymus, ex iſta illius dignitatem velit augeri. Bellarminus quid hic habuit mentis; qui ex eo quod Epiſcopum audit ordinarium miniſtrum, educit extraordinaria poteſtate idem fieri à Presbytero? Atqui ſignificatur nulla poteſtas extraordinaria: imo ſufficere illam ipſam, quæ eſt ordinaria in Presbytero: ſed tantum extraordinaria occaſio, ſiue neceſſitas; cuiuſmodi abſentia eſt Epiſcopi. Imo notandum apud Tertullianum ſimiliter tradi de Baptiſmo; capite decimo ſeptimo de Baptiſmo, *Dandi habet ius ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi autoritate propter Eccleſiæ honorem: quo ſaluo ſalua pax eſt.*

XLIII. Redeo ad argumentum. Confirmatio à ſolo Epiſcopo confertur: at Baptiſmus à quocunque Presbytero. Ergo ſunt duo diuerſa Sacramenta. Hæc vero conſequentia negatur: nam poſſunt eiuſdem Sacramenti partes varie diſpenſari. Olim in Euchariſtia celebranda, calicem Diaconus populo porrigebat, non itidem panem. Ergone ea diuerſa erant Sacramenta? Apud Papiſtas, Baptiſmum confert quilibet etiam laicus: at Baptiſmi ſolennia, non niſi Presbyter. Suntne ea diuerſa Sacramenta? Eadem ratio prorſus lauacri olim & Chriſmatis.

XLIV. Secunda obſeruatio ad Tertullianum, Pacianum, alios. Chriſma coniungi cum Baptiſmo & Euchariſtia, veris Sacramentis.

XLV. Reſpondeo nihil eſſe difficile. Cur non enim fieret, ſi pars Baptiſmi putabatur? Non ſequitur inde Sacramentum eſſe ſeparatum. Alioquin, vno licet numerum augere; vt pro ſeptem octo in nomenclationem veniant. Cur autem, inquies? Quia, *ſunt Sacramenta, Baptiſma, Chriſma, corpus & ſanguis Chriſti*; apud Gratianum cauſa 1. quæſtio. 1. cap. *Multi ſecularium*: Et apud Iſidorum Originum ſexti capite vndeuiceſimo: Rabanum de Inſtitutione Clericorum primi viceſimo quarto. Piſcaſium de Corpore & Sanguine Domini cap. 3. Viden tam diſparari corpus, & ſanguinem, quam Baptiſmum, & Chriſma? Vnde ſi tibi non fiant octo nec mihi quidem neceſſe eſt ſeptem.

XLVI. Quid plura? Tertullianus ipſe, illo ipſo loco de Reſurrectione cap. 8. *Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur: Caro vngitur, vt anima conſecretur: caro ſignatur, vt & anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima ſpiritu illuminetur: caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur.* Attende. Comparatur Baptiſmo & Euchariſtiæ, quid? Hoc Sacramentum, inquit. Quid, malum, hoc Sacramentum? Dic, vnumne an tria? Audio enim; vngi, ſignari, adumbrari: quæ omnino tria ſunt; nec pauciora. Quod ſi tu tibi permittas ex tribus, vnum compilare: quid habes quo me prohibeas addita lotione, vnũ ex quatuor

tuor componere? Dico igitur Tertulliano nullam fuisse mentem disparandi Sacramenta, sed enumerandi rituum signa, suo argumento totidem ἐπιγεφήμασι & sufficientia. Et vero, ex quatuor vnum componi Sacramentum ratio in promptu; quia emaculari, consecrari, muniri, illuminari, effecta sunt omnia Baptismi: nec dubitant, vel Papistæ de tribus reliquis: qui solum muniri eximium volunt suæ confirmationi: sed nos probauimus Baptismo tribui.

XLVII. Tertia obseruatio; ad Cyprianum, *Si Sacramento vtroque nascantur.* Vides, inquit, Sacramentum vocari Confirmationem.

XLVIII. Ita sane: sed id minimum. Nam longe grauius, quod omittis, vtrumque Sacramentum, quo videntur duo designari. Sed nihil duri: si modo non simus hospites in stylo Patrum. Augustinus epistola vicesima tertia, *Secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est.* Fulbertus Carnotensis epistola prima, *Tertium* (tria enim capita proponebat religionis Christianæ) *in quo duo vitæ Sacramenta, id est, Dominici corporis, & sanguinis continentur.* Rabanus de Institutione Clericorum libr. 1. cap. 31. *Quia de duobus Sacramentis, id est, Baptismo, & Chrismate iam, quantum nobis Dominus dedit, supra disseruimus: superest vt de reliquis duobus, id est, corpore & sanguine Domini, etiam nunc, quantum Dominus annuerit diligentius inuestigemus.* Rupertus de Victoria verbi Dei libr. 12. cap. 11. *Quæ ergo, & quot sunt præcipua nostræ salutis Sacramenta? Sacrum Baptisma, sancta corporis eius & sanguinis Eucharistia, geminum Spiritus Sancti datum; videlicet alterum remissionem peccatorum, alterum in diuersarum siue multiplicium diuisiones gratiarum. Hæc tria Sacramenta salutis nostræ necessaria sunt instrumenta.*

XLIX. Et miretur quisquam à Cypriano vtrumque dici Sacramentum lauacri & impositionis: qui duo diserte audit in vna Eucharistia? vnum, inquam, panis, alterum calicis? & vero ita est omnino, si Sacramentum signum intelligas. Neque enim fieri potest, vt non sint duo signa panis & calix. At si Sacramentum sumas ipsam celebrationem signorum; tum quæ duo erant, fiunt vnum. Ea ratio est Cypriani, apud quem duo sunt Sacramenta, Lauacrum, & Impositio; quia totidem signa: sed re vera tamen vnum Sacramentum. Vin scire? quia vtriusque effectum, nasci, *si Sacramento vtroque nascantur.* At Papista dixisset, si Sacramento altero nascantur, altero confirmentur.

L. Obseruatio quarta, ad Arelatense Concilium primum; iubens hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus si baptizati fuerint in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, non conferri iterum Baptismum, sed manus ab Episcopo imponi, vt accipiant Spiritum sanctum.

LI. De Spiritu dicam paulo post. Cæterum in recipiendis hæreticis non fuerunt iidem omnium Ecclesiarum mores. Quosdam constat non receptos nisi per Baptismum; videlicet eos, apud quos ipsa esset Baptismi forma aliena, scilicet in inuocanda Trinitate. In reliquis Baptismus quidem nullo modo iteratus est; sed ritus additi solennes, *Tales enim non sunt recipiendi sine reconciliatione solenni*, aiebat Glossa Decreti causæ 26. q. 6. Canone *His qui tempore*.

LII. Sed Ecclesiæ Græcæ ad eam solennitatem vsæ sunt vnctione. Itaque Nicetas Choniates Thesauri lib. 4. enumerans hæreticos, sigillatim indicat qui vngi solerent, qui baptizari. Quæ distinctio itidem Photij est in Nomocanone tituli 12. cap. 14. Περὶ τῶν ἐξ αἱρετικῶν εἰς ὀρθοδοξίαν ἐπιστρεφόντων, καὶ εἰ δυνατὸν λύτρως κληροῦσθαι, καὶ τίνες αὐτῶν βαπτίζονται, καὶ τίνες μόνον χρίονται, *De iis qui ex hæreticis ad orthodoxiam conuersi sunt: & an fieri possit, vt sint Clerici, & quinam ex iis baptizentur, & quinam solum vngantur.* Et eo pertinent Laodiceni Concilii Canon septimus: Constantinopolitani primi 7. Trullensis 95.

LIII. Sed apud Latinos, vnctionem nullam obseruaui: verum impositionem manuum. Cyprianus epistola septuagesima secunda; parum esse dixit manum hæreticis imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum. In quibus pars posterior ab eius est errore; prior autem videtur ab vsu publico. Eusebius, quanquam ψοδώνυμος Decretali 1. *Quod significastis, quid de conuersis hæreticis fieri debuisset, scitote nos eos, qui in sancta Trinitatis fide baptizati sunt, per impositionem manus suscipere.* Et 3. *Similiter & hæreticos omnes, quicunque Dei gratia conuertuntur, & in sancta Trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romanæ Ecclesiæ regulam tenentes, per manus impositionem reconciliari præcipimus.*

LIV. Et hic quæri potest, quorsum illa pertineret impositio. Volunt aduersarij ad suam Confirmationem referri. Sed, quid si ad Pœnitentiam potius? Nam Eusebius ille, non frustra, quos prius suscipi, postea reconciliari dixit. Atqui cum suscipi & eorum sit qui per Baptismum introducuntur primulum in Ecclesiam; & eorum qui per Pœnitentiam eidem restituuntur: tum vero reconciliari, proprium videtur esse Pœnitentiæ. Nam quod attinet ad spiritum acceptum, nihil est difficile. Quia Augustinus, cap. 16. de Baptismo, 3. per impositionem dari notat eundem Spiritum, cum tamen teste Bellarmino, agat non de Confirmatione, sed de reconciliatione pœnitentium; cap. 7. huius controuersiæ. Vt merito videatur inquirendum in illud Vigilij cap. 3. Epistolæ Decretalis 1. cum negat impositionem manuum in Pœnitentia, eam esse, quæ per inuocationem Spiritus sancti operetur.

LV. Sed esto, tamen id controuersum. In argumento quid esse potest momenti? Nam si, vt docuimus, hoc quicquid est confirmationis, pertinet ad solennia baptismi: præiudicarunt iam in aliis Papistæ, posse post baptismum aliquanto ante datum, hæc solennia perfici.

LVI. Quinta obseruatio maioris est momenti, & ferme communis omnibus. Quod nimirum ex iis constet, esse ceremoniam dantem gratiam; dantem, inquam, Spiritum sanctum. Syllogismus, Quæcunque ceremonia dat Spiritum sanctum, eadem est veri nominis Sacramentum. At Confirmatio ceremonia est dans Spiritum sanctum: Ergo eadem est veri & proprij nominis Sacramentum.

LVII. Respondeo, negari maiorem, duabus de causis maxime. Primo: Quia veri nominis Sacramentum, id iam olim positum est dici, quod sit ordinaria & perpetua ceremonia. At quædam ceremoniæ sunt dantes gratiam, duntaxat in certum tempus institutæ. Ergo non omnes ceremoniæ dantes gratiam, sunt proprij nominis Sacramenta. Sic in Veteri Testamento manna, & aqua ex rupe, non fuerunt eiusmodi: etsi teste Paulo donauerint gratiam: nimirum, quia caduca fuere, & in paucos annos commendata. Sic nos negamus aut Chrisma, aut Impositionem manuum fuisse perpetua ex vlla institutione diuina. Nam quid ad nos, quod sibi homines assumpserunt sua autoritate?

LVIII. Altera causa; quia veri & proprij nominis Sacramentum id dicitur, quod per se & separatim tale est; ideoque auget numerum Sacramentorum. At non omnes ceremoniæ conferentes gratiam, sic sunt; exempli gratia, Calix Eucharistiæ, sine dubio ceremonia est, & gratiam confert: cum sit, teste Paulo, communio sanguinis Christi. Et tamen non est ipsa per se Sacramentum; sed cum pane; qui est etiam ipse communio corporis Christi. Negamus ergo, siue Impositionem, siue Chrisma esse proprij nominis Sacramentum: quia non separatum à baptismo, vt paulo ante docuimus: tum à celebratione veteri, tum ab effecto, quod ei tribuitur. Nam eiusdem Spiritus collatio est qui dabatur in Baptismo.

LIX. Rursus respondeo, negari minorem. Nam quicquid Patres dixerint, tamen non potest doceri vlli vnquam datum Spiritum sanctum per Chrisma, Impositionemve manuum: exceptis primis illis temporibus, cum dona vigerent extraordinaria. Etenim vel experientia id constare oportuit; vel promissione. At neutrum fuit. Nam experimentum nullum potest dari, vnde constet magis Spiritu armatos accepta vnctione, quam alios: siquidem Spiritus sancti non extra ordinem accepti nullus est sensus. Promissionem autem, nemo Papistarum, addo Veterum nemo potuit indicare: itaque nihil habent fortius consuetudine. At in veris Sacramentis, fatemur itidem experimentum non posse dari: sed experimentis Catholici vllis indigere se negant, cum habent disertam promissionem.

CAP. XII.

De Pœnitentiæ Sacramento statûs quæstionis.

I. TRanseo ad Pœnitentiam. De qua disputarunt, Catechismus ad Parochos Enchiridion Colonienſe. Thomas 3. parte, quæst. 84. Hosius Confessionis cap. 44. & sequentibus. Lindanus Panopliæ lib. 4. cap. 60. & 61. Polygranus in Assertionibus. Eckius homiliarum tomo 4. homilia 37. & sequentibus aliquot. Panigarolla lectione 10. Tapperus articulo 3. Horantius lib. 7. cap. 8. Contarenus de Sacramentis 3. Croquetius catechesi 154. Klingius Locorum lib. 4. cap. 31. Bellarminus de Sacramento Pœnitentiæ, lib. 1. cap. 8. & proximis. Salmero tomo 11. tractatu 18. & 26. Andradius orthodoxarum explicationum lib. 8. Dominicus Soto in 4. distinctionem decimam septimam quæstione prima, articulo primo. Et in eandem distinctionem Scholastici: & nuper Archangelus Rubeus, Loricchius in Fortalitio.

II. Tridentini Concilij Canon est primus Sessionis 14. *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* Concise suo modo.

III. Sed distinguitur Bellarmino Pœnitentia, primum in eam, quæ sit in solis mentis conuersione, internaque peccati detestatione: & eam, quæ sese externis prodat signis, puta mœrore, lacrymis, confessione. Illam non esse Sacramentum. Sed ne hanc quidem in vniuersum: primo enim illam excipiendam, quæ præcesserit Euangelium, vt Niniuitarum. Deinde etiam in Ecclesia post Euangelii prædicationem, quæ nihil habet præter eum interiorem motum, eaque exteriora signa. Itaque superesse duntaxat eam quæ huic motui, hisque signis habet additam absolutionem. Definiunt, qua breuius, qua prolixius. Apud Rubeum, *Pœnitentia est Sacramentum absolutionis, quo Sacerdos sibi subditos, legitime confitentes peccata sua cum debita detestatione, & proposito satisfaciendi, ab eis salutari satisfactione imposita, absoluit.* Vel sic, *Est Sacramentum remissionis peccatorum, quæ post Baptismum committuntur.* Alii aliter: & quidem, non verbis tantum diuersi, sed interdum etiam rebus non concordes, vnde disputationum non nihil. Sed viderint οἱ πάνυ σοφοί.

IV. Catholici agnoscunt nihil in vera religione aut commune, aut necessarium magis quam pœnitentiam: neque hanc aliter agnoscunt, quàm peccati odium desinens in amorem iustitiæ Christianæ: cuius propria sedes sit in mente & voluntate; vtraque mutata à malo in bonum: vt illa concipiat, hæc diligat suum erga Deum hominesque officium. Hos tamen interiores motus non posse esse otiosos, & prodere se, tum odium illud per confessionem erroris, perque lacrymas, & ieiunia: tum vero amorem, per omne genus bonorum operum pietatis, & charitatis. Agnoscimus etiam ire ad Ecclesiæ Pastores, vt pro autoritate sui ministerii absoluantur cum opus erit. Hæc, inquam, Catholici libenter agnoscunt, prolixeque confitentur. Sed Sacramenti propriè dicti, ne vestigium quidem obseruant, mirantur quid iis in mentem venerit, qui contra contendunt tam pertinaciter.

V. Ante omnia calumniam amouemus, quæ est tum apud Bellarminum, tum apud alios; Pœnitentiam Sacramentum esse: primi negarunt Montanistæ & Nouatiani, qui non solum rationem & nomen, sed etiam potestatem reconciliandi peccatores, & omnem omnino ritum Ecclesiasticum reconciliationis sustulerunt. Hanc antiquissimam hæresin iam olim damnatam, iterum excitare conatus est; & qui post eum surrexerunt falsi prophetæ, Zuinglius, Caluinus, & cæteri. Hæc Bellarminiana verba sunt.

VI. Sed in vtraque parte mendacium est putidum, pudendumque. Nam, inter Catholicos, & Nouatianos, nulla vnquam controuersia fuit, esse ne Pœnitentia Sacramentum, necne. Neque, inquam, illi negarunt: cur enim negarent, quod nemo asseuerat? Neque iis Catholici aut exprobrarunt, aut opposuerunt. Quid ergo? Sunt, qui eos pœnitentiam scripserint funditus sustulisse, id est, omnem salutis spem, iis qui post Baptismum peccarent. Philastrius. *In persecutione, quia lapsi sunt multi fideles, & in pœnitentiam susceptí sunt à Catholica Ecclesia, irati, imo potius præsumptione ducti ac superbia, vanam doctrinam conati sunt seminare, separantes se ab Ecclesia Catholica, atque à Christi bonitate ac misericordia dissonantes, atque dicentes; Non esse fideli post Baptismum locum aliquem pœnitentiæ.* Epiphanius in

Catharis, hoc enim Nouatianis inditum nomen fuit, propter præsumptionē propriæ puritatis, Ἀπὸ τῆς προφάσεως τῶν ἐν τῷ διωγμῷ παραπεσόντων, ἐπάρμαλι ἀρθεὶς ἅμα τοῖς ἐπαγομένοις αὐτῷ μὴ θελήσας κοινωνῆσαι τοῖς μετανοοῦσιν ἀπὸ τοῦ διωγμοῦ, εἰς αἵρεσιν ταύτην τέτραπται, λέγων μὴ εἶναι σωτηρίαν, (lego σωτήριον) ἀλλὰ μίαν μετάνοιαν· μετὰ δὲ τὸ λουτρὸν μηκέτι δύνασθαι ἐλέους παραπεπλωκότα, Ocsione eorum, *qui in persecutione lapsi sunt, arrogantia elatus, cum sociis sibi allectis, noluit societatem habere cum pœnitentiam agentibus à persequutione, & ad hanc hæresin conuersus est, dicens non esse salutem: sed vnam pœnitentiam* (verte potius, *non esse salutarem nisi vnam pœnitentiam*) *post lauacrum autem, non amplius posse misericordiam assequi lapsum.* Augustinus, *Pœnitētiam denegant.* Damascenus, *Nouato Romano adiuncti secundas nuptias omnino poenitentiamq; damnant.* Cyprianus, si forte, ad Nouatianum, *Obortus est alius hostis, & ipsius paternæ pietatis aduersarius hæreticus Nouatianus: qui non tantum, vt in Euangelio significatum est, sicut Sacerdos vel Leuites iacentem vulneratum præterierit, sed ingeniosa ac noua crudelitare sauciatum potius occideret adimendo spem salutis, denegando misericordiam patris, respuendo poenitentiam fratris.* Istos recentior sequutus est Alphonsus à Castro, *Tertia hæresis omnem poenitentiæ virtutem tollit, dicens eos qui semel lapsi sunt, nunquam postea consequi remissionem, quantumlibet postea poeniteant.*

VII. Alii vero censent mollius loquutos: In his Bellarminus, *Neque vero,* inquit, *vt nonnulli falso existimant, poenitentiam & spem veniæ à Deo obtinendæ tollebant è medio: sed solum ab Ecclesia solui ac reconciliari posse eos, qui post Baptismum fuerant lapsi, negabant.* Eo videtur & Prateolus propendere, *Hi in peccatum prolapsis, & ad Ecclesiam lacrymis, gemitu & dolore cordis pulsantibus (vt diui Cypriani verbis vtar) diuinæ pietatis & lenitatis paternæ solatia & subsidia claudebant: nec ad fouenda vulnera admittebant vulneratos, ſed sine spe pacis & communicationis relictos, adlupo um rapinam & diaboli prædam proiiciebant.* Sed Harmenopulus, οἱ ἐπὶ τὸν Ναυάτον, τ' ἄλλα εὐσεβοῦντες, τὴν διγαμίαν ἐβδελύσσοντο, καὶ τοὺς παραπεσόντας μετανοοῦντας οὐκ ἐδέχοντο. *Nouatiani, cætera pii, nuptias secundas abominantur: & lapsos, posteaquam resipuissent, non admittebant.*

VIII. Et sane videtur hoc potius constare ex Cypriano, cuius tempore hæc hæresis orta est. Nam præter quam quod semper vrget pacem lapsis dandam: Epistola 53. tanquam ab eis obiectum scripsit, *Nec quisquam dicat, qui martyrium tollit* (noua phrasis, pro qui martyrium sustinet) *sanguine suo baptizatur nec pax illi a Episcopo necessaria est, habituro gloriæ suæ pacem, & accepturo maiorem de Domini dignatione mercedem.* Quæ verba proculdubio spem salutis relinquunt, à Deo obtinendæ: etiamsi negent pacem ab Episcopo. Sed locus est disertior epist 52. *O frustrandæ fraternitatis irrisio! ô miserorum lamentantium caduca deceptio! ô hæreticæ institutionis inefficax & vana traditio! hortari ad satisfactionis poenitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam: dicere fratribus nostris, plange, & lacrymas funde, & diebus ac noctibus ingemisce & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter, & frequenter operare: sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris: quæcunque ad pacem pertinent, facies; sed nullam pacem, quam quæris, accipies.* Ambrosius, 1. de Pœnitentia cap. 1. *Negant his oportere reddi communionem, qui præuaricatione lapsi sunt.* Secundo, *Aiunt se domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reseruent.* Denique Socrates hist. lib. 1. cap. 10. Græcæ editionis, Acesium Nouatianorum Episcopum respondisse Imperatori, ὡς ἄρα οὐ χρὴ τοὺς μετὰ τὸ βάπτισμα ἡμαρτηκότας, ἁμαρτίαν, ἣν πρὸς θάνατον καλοῦσιν αἱ θεῖαι γραφαί, τῆς κοινωνίας τῶν θείων μυστηρίων ἀξιοῦσθαι· ἀλλ' ἐπὶ μετάνοιαν αὐτοὺς προτρέπειν· ἐλπίδα δὲ μὴ τῆς ἀφέσεως παρὰ τῶν ἱερέων, ἀλλὰ παρὰ τοῦ θεοῦ ἐκδέχεσθαι, τοῦ δυναμένου, καὶ ἐξουσίαν ἔχοντος συγχωρεῖν ἁμαρτήματα. Quæ Latinè sunt in Historiæ Tripartitæ lib. 2. cap. 12. *Quod non oporteat eos, qui post Baptisma peccant, peccato quod ad mortem esse Scripturæ diuinæ pronuntiant, communicatione Sacramentorum fieri dignos: sed inuitandos quidem ad pœnitentiam, spem vero remissionis non à sacerdotibus: sed à Deo solum modo sustinere, qui potestatem habet peccata remittere.*

IX. Alterutrum igitur Nouatianorum fuit dogma: vel omnino nullum esse locum pœnitentiæ post Baptismum, siue apud homines, siue apud Deum; nullamque adeo spem salutis pœnitentibus: vel saltem; nullum in Ecclesia pœnitentibus locum esse reconciliationis: etsi non spem nullam gratiæ obtinendæ à Deo. Viden quod dixi, neminem prorsus Veterum hoc attigisse caput, quo tamen Bellarmino opus fuit ad calumniam? Neminem, inquam, Nouatianos accusasse, quod negarent Pœnitentiam esse Sacramentum? Elegans sane Sophistarum commentum. Accusabantur olim hoc genus hæretici negantes funditus pœnitentiam: accusantur hodie negantes pœnitentiam esse Sacramentum. Scilicet qui Antipodas olim tam præfracte negabat esse, vt hæreticos denuntiaret asserentes; idem dicatur negare Antipodas esse rationis compotes. Tam sobrie sapiunt hæc tempora; vel qui zonam torridam hodie nullis habitari candidis hominibus scribat: is neget cum priscis autoribus zonam torridam vllis hominibus habitari. Sic Papistæ sunt callidi scilicet.

X. In altero membro quid est sinceri? Zuinglius, Caluinus, quid de Pœnitentia docent simile Nouatianis? Nam illi profecto pœnitentibus & pollicentur plenam peccatorum remissionem à Deo; & sinum aperiunt Ecclesiæ: negantque repellendos à communione: ita damnant Nouatianos in vtroque capite. Zuinglius, articulo quinquagesimo quinto, *Qui vel vnicum peccatum pœnitenti remitti negat, is non Dei, nec Petri, sed Diaboli vicem tenet.* In explicatione, *Hoc tam diligenter inculco* (nempe expositionem loci ex decimo ad Hebræos) *quod quidam hunc locum non satis expendentes, post Baptismum remissionem peccatorum negant: freti hac Pauli autoritate, quum Paulus potius contrarium doceat.* Paulo post. *Ad hæc Petro præcepit Christus, vt non modo septies, sed septuagies remittat & ignoscat, quo schemate innumerum remissionis numerum ac modum docet, exhibendum esse iis, qui vera fide pœnitent.* Hæccine Nouatianum olent? Caluinus in illud ex Matthæi 18. *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? Sacra res est pœnitentia, ideoque maturo examine opus habet: sed quoties probabile signum conuersionis dederit peccator, admitti vult Christus ad reconciliationem ac repulsa fractus deficiat.* Institutionis lib. 4. c. 1. §. 13. *Fuerunt semper, qui falsæ absolutæ sanctimoniæ persuasione imbuti, tanquā aerii quidā dæmones iā facti essent omnium hominum consortium aspernarentur, in quibus humanum adhuc aliquid subesse cernerent. Tales olim erant Cathari, & (qui ad eorum vesaniam accedebant) Donatistæ. Tales hodie sunt ex Anabaptistis nonnulli, qui supra alios videri volunt profecisse.* Lege reliqua, & videbis quam longe sanctus vir abeat à Nouato. Quid: quod vltimo paragrapho ne illam quidem probet seueritatem, quæ solennem pœnitentiam vetuit iterari? Quo certe capite propiores Papistæ sunt huic, quam nunc hæresin imputant Caluino. Sed & in 2. post. ad Cor. aperte improbat veterem illam seueritatem, quæ χρόνου ποσότητι, ἀλλ' οὐ διαθέσει ψυχῆς temporis spatio, non affectu animi pœnitentiam metiebatur, contra quam faciendum pronuntiat Basilius de Pœnitentia, Conc. 8. Ethica.

XI. Videlicet vehemens est calumniatorum ingenium, nec facile in medio consistens; aut in dissentientes vllius moderationis memor. Sic cum negamus operum merita, insane clamant nos operum bonorum, malorumque discrimen abolere: Sic cum negamus inuentionibus humanis conscientias onerandas, tonant, omnem legum obedientiam pessundare. Sic cum idololatrarum stuporem exagitamus, abominantur tanquam hostes Sanctorum. Quid cum iis facias? Ὑγιαίνειν.

Cap. XIII.

Argumentum Papisticum à remißione peccatorum.

I. ARgumenta habent paucissima. Primum esto Catechismi Tridentini ex Thoma, *Quod Pœnitentia Sacramentum sit. Pastores ita facile ostendent: Vt enim Baptismus Sacramentum est, quia peccata omnia, ac præsertim quod origine contractum fuit, delet: eadem ratione pœnitentia, quæ peccata omnia, post Baptismum voluntate, vel actione suscepta tollit, vere & proprie Sacramentum dicendum est.* Formam hanc oportet esse. Quicquid omnia peccata tollit, est Sacramentum: At Pœnitentia tollit omnia peccata saltem post Baptismum: Ergo est Sacramentum. Probatur maior, exemplo Baptismi.

II. Negatur maior: Nam tolluntur peccata, vel efficienter, vel formaliter, vel significatiue. Efficienter tollit peccata ipsa Dei gratia, quæ, & conuersionem in nobis generat, & ipsa peccata abolet, vereque dimittit, vt ne veniant in conspectum Dei. Formaliter tollit ipsa resipiscentia, quæ inchoata in nobis per gratiam, ex malis mutat in bonos. Significatiue tandem tollunt Sacramenta; quæ exhibent arrhabones externos diuinæ gratiæ: quæ significando efficiunt, prout alias explicatum est; non vlla virtute inhærente rebus externis, sed Spiritus sancti per ea media operantis.

III. Iam vero, quod peccatum tollit efficienter, non admittit in se definitionem Sacramenti: nam gratia Dei, nullo modo dici potest Sacramentum; cum contra, dicantur ipsa Sacramenta significare gratiam: itaque oporteat necessario distingui à gratia: nisi interdum quatenus metonymice τὰ χαρίσματα, etiam χάριτες dici contingit: quod nihil ad hanc rem pertinet.

IV. Rursus, quod peccatum tollit formaliter negatur esse Sacramentum. Alioquin singulæ virtutes essent Sacramenta: omnes enim tollunt formaliter vitia sibi opposita. Sic constantia tollit inconstantiam: iustitia iniustitiam: liberalitas auaritiam: castitas luxuriam. Nyssenus homil. 7. in Ecclesiasten, ἀπόλλυσι πᾶς ἐν τῇ μετάληψει τοῦ κρείττονος πᾶν τὸ πρὸς τὸ ἐναντίον νοούμενον· ὥσπερ ὁ σώφρων τὴν ἀκολασίαν ἀπόλλυσι, τὴν ἀδικίαν ὁ δίκαιος, τὴν ὑπερηφανίαν ὁ μέτριος, ὁ ἴσως τὸν φθόνον, ὁ ἀγαπητικὸς τὴν ἀπέχθειαν, *Perdit quilibet, in eius quod est melius participatione, quicquid intelligitur ei esse contrarium. Sic temperans perdit intemperantiam, iustus iniustitiam, modestus superbiam, beneuolus inuidiam, qui est caritate præditus inimicitias.* Nemo tamen dixit vnquam totidem ex his constitui Sacramenta, secundum eam definitionem, qua nunc vtimur.

V. Superest postremum membrum, in quo potest concedi id esse Sacramentum, quod significatiue tollit peccata: etsi nonnihil possit excipi fortasse: sed ad rem nostram, non multi momenti. Concedimus autem hac ratione; imo hac de causa, Baptismum esse vere, & proprie dictum Sacramentum. Quæ ratio, quæve causa si competat itidem pœnitentiæ, ne nos quidem ei nomen hoc Sacramenti denegaturi sumus. Sed hoc non probant Sophistæ: quia facilius fuit supponere.

VI. At nos contra facile probamus non sic tollere peccata. Nimirum, quia tollat formaliter. Est enim virtus, quod ne Papistæ quidem negant. Nam quod distinguunt pœnitentiam virtutem, à Pœnitentiæ Sacramento; primum non faciunt, vt virtutem à Sacramento penitus remoueant: sed vt huic quam Sacramentis annumerant, doceant aliquid accedere præter virtutis rationem, quæ tota est intrinseca: & si facerent, tum monstra loquerentur, nunquam audita inter Christianos. Imo ipsa illa distinctio est nuper nata. Nam, neque Scriptura, neque veteres Patres vllam aliam pœnitentiam commendarunt, quam quæ virtus est. Et hanc ipsam compararunt Baptismo. Nazianzenus orat. 39. οἶδα καὶ πέμπτον ἔτι τὸ τῶν δακρύων. *Noui & quintum Baptismum videlicet lacrymarum. Verum asperior est & laboriosior, vt qui lauat singulis noctibus stratum suum lacrymis: cui ipsa quoque vitii cicatrices fœtent: qui lugens & contristatus ingreditur: qui Manassis resipiscentiam, ac Niniuitarum humilitatem, quæ misericordiam obtinuit, imitatur: qui publicani verbis in templo vtitur, ac supra insolentem ac superbum Pharisæum iustificatur: qui denique Chananææ in modum deprimitur, & misericordiam implorat, ac micas poscit hoc est canis vehementi fame correpti pabulum.*

Cap. XIV.

Nullam esse materiam Sacramentalem in Pœnitentia.

I. ALterum argumentum quærunt à definitione Sacramenti. Et digessit Salmero plenius. Ego tantum formam addam. Omne signum sensibile ad sanctificandum hominem institutum, habens pactum gratiæ Dei, & faciens interius, quod exterius repræsentat; est Sacramentum. At Pœnitentia est eiusmodi signum. Ergo est Sacramentum.

II. Respon-

II. Respondeo, posse maiorem concedi, videlicet secundum ea quæ vel posita, vel probata sunt lib. 1. sed minorem esse falsam.

III. Probat eam tamen Lorichius per partes. Enumerant; inquit, octo requisita ad perfectam rationem Sacramenti. Primum, vt sit signum externum: ita sunt actus pœnitentis, & verba absolutionis. Secundum, vt signum id habeat mandatum à Deo: habes Matth. 18. & Ioannis 20. Tertium, vt id mandatum sit in Nouo Testamento: id habes iisdem locis. Quartum, vt sit ritus perpetuus: pœnitentia, semperque fuit, semperque est futura in Ecclesia. Quintum, vt signo addita sit promissio gratiæ diuinæ: at remissio est magna gratia, Ioannis 20. Sextum, vt sit gratia iustificans: at qui remissio non datur sine iustificatione. Septimum, vt promissio illa sit aliquo signo vestita: id patet ex primo articulo. Octauum, vt eadem promissio non annuncietur in genere, sed singulis applicetur: in pœnitentia, singulis petentibus legitime datur remissio.

IV. Non oportet me ire per hæc singula. Nam, quia sunt omnia requisita ad Sacramenti naturam; adeo necesse est omnia inesse, vt si quædam desint, tum sacramenti ratio abeat in auras. Sunt autem in his capitibus nonnulla, atque ea quidem præcipui momenti, quæ sophistice nominantur, & contra veritatem affirmantur de Pœnitentia. Agam igitur de signo, tum de institutione.

V. Primum ergo, signum vllum sacramentale nego esse in Pœnitentia. Quod vt fiat manifestum, explicanda paulo latius est Papistarum disputatio hac de re: nam quod Lorichius tam confidenter posuit actus pœnitentis & absoluentis, eius est, qui vel nesciat, vel certe vafrè dissimulet nondum quicquam certi constare. Magno iam mendacij præiudicio. Nam quod Horantius negat in eo punctum esse controuersiæ, sed an sit aliud Sacramentum Pœnitentiæ à Baptismo distinctum, manifesta tergiuersatio est: quod constat ex ipso statu quæstionis apud ipsos Papistas, quibus omnibus thesis ponitur, vtrum Pœnitentia sit verum sacramentum.

VI. Iam vero in sacramentis distincte considerantur, Materia & Forma: Materia id ipsum est, quod alias signum dicitur: sed vel remota, vel propinquа: illa vt in Baptismo, aqua; in Cœna, panis & vinum. Ista, vt in Baptismo lotio, in Cœna esus & potus. Hæc prolixius obseruata lib. 1. nunc fuere necessario reuocanda in memoriam; vt constet quàm temerè sophistæ mutent quadrata rotundis: quàm confidenter imponant Christianitati.

VII. Obserua in his capitibus nullum esse Sophistarum consensum. Hosius, Eckius, Panigarolla, Klingius formam esse volunt, ipsam absolutionem. Breuiter Hosius, *Actus isti*, nempe pœnitentis, *materiæ locum obtinent, forma autem absolutio.* Panigarolla, *Quod ad formam attinet, nonne sub aurium sensum cadunt absoluentis verba? nonne auribus percipiuntur? nonne audimus nos, cum is dicit ego te absoluo.* Klingius, *Materia huius Sacramenti, pœnitens: forma vero, Ego te absoluo à peccatis tuis.* Quæ sententia est Thomæ, art. 3 Sed & Contareni. Item Enchiridii Colon. in quo, *Verbum huius Sacramenti, verbum absolutionis est.* Nam verbum Sacramenti intelligitur secundum Augustinum, distinctum à signo siue elemento, cui cum accedit, fit Sacramentum. Eadem Bellarmini cap. 15. de Pœnitentia. 1. Gregorii de Valentia punct. 3, Et Salmeronis. Denique disertum Concilium Tridentinum c. 3. sessione 14. *Docet præterea Sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse, Ego te absoluo.*

VIII. Contra. Absolutionem alii maluerunt esse signum. Lindanus, *Emundationis per Christi sanguinem aliud* (præter Baptismum) *in Scripturis Catholica fidei oculo perlectis, indicatur signum, puta, Absolutio*, Polygranus, *Cum Sacramentum sit diuinæ gratiæ mysterium, constat ab externo quopiam signo pœnitentiam obtinuisse Sacramenti vocabulum: Circunspicientibus enim nobis manifestissimum gratiæ signum occurrit in priuata ac sacerdotali absolutione.* Tapperus, *Instituitur à Christo in his verbis signum sensibile, cum remissionis siue absolutionis sententia voce pronuncietur, & gratia promissionem habent verba, Remittuntur eis* Nisi forte hi omnes signi vocabulo vtantur pro toto Sacramento. Quod tamen vix videtur; nisi rursus etiam absolutionem dicant pro tota pœnitentia. Quod tamen est absurdum, cum eam absolutionem, Polygranus sacerdotalem dicat; quod epitheton esse nequit contritionis, confessionisve: tum autem cum signum à Tappero opponatur gratiæ.

IX. Rursus, qui absolutioni locum formæ destinarunt, iidem in assignandi materia laborarunt. Remotam, peccata definiuit, Thomas art. 2. Et eum secutus Hosius. *Remota materia*, inquit, *sunt peccata, non quatenus amplectenda, sed quatenus detestanda.* Consentit Soto. Catechismus ad Parochos, *Vt ignis materiam ligna esse dicimus, quæ vi ignis consumuntur. ita peccata, quæ pœnitentia delentur, recte huius Sacramenti materia vocari possunt.*

X. Proximam materiam vulgo quærunt in actibus pœnitentis. Hosius, *Actus isti materiæ locum obtinent, qui sunt tres, Contritio, Confessio, Satisfactio.* Adde Soto Panigarollam, Rubenm, Bellarminum, Gregorium de Valentia. Et habent à suis Conciliis; Florentio in Decreto vnionis: & Tridentino, cap. 3. sessio. 14 à quibus tamen non materia dicitur, sed quasi materia, timidiuscule; *Sunt autem*, inquit Tridentinum caput, *quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus.* Quanquam hæc Concilia materiam simpliciter dicunt, nulla addita distinctione propinquæ, & remotæ. Contra tenus confidentissime. *In Sacramento Pœnitentiæ nulla est alia materia præterquam operationes & actus pœnitentis, qui materialis pars sunt huius Sacramenti* Sed & paulo post, hos ipsos actus interpretatur, accessum ad Sacerdotem, genuflexionem, peccatorum confessionem, satisfactionem impositam. Klingius loquutus aliquanto aliter, *Materia*, inquit, *huius Sacramenti, pœnitens.*

XI. Sunt etiam priuatæ sententiæ. Colonienses pro actibus pœnitentis, substituerunt actus Sacerdotis; *Elementum*, aiunt, *seu externum & visibile signum huius Sacramenti, est ille corporis gestus, & actus, quo Sacerdos absoluit consentem similitudinem habens cum interiori absolutione, qua Deus animam à peccatorum nexibus exsuit.*

XII. Quibusdam visa impositio manuum huc pertinere. Polygranus. *Hæc vel remissio, vel retentio fieri non potuit per hominem, nisi manifesto aliquo signo, quo pœnitentis sensus quoque disceret interna gratia donum. Quod signum, tum verbis promissionis diuinæ, tum facto, manuum videlicet impositione factum, tradit antiquitas.* Et habent hi Concilij Carthaginensis quarti Canonem 78. *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si superuixerint.* Atque eum ritum Colonienses testantur apud se vsurpari, (inquiunt) *Quod præterea ex more Ecclesiæ nostræ manus Sacerdotis super caput pœnitentis imponitur, indicat manum Dei, hoc est, diuinam virtutem, seu Spiritus sancti gratiam emundantem, ac sanctitatem Sacramento adesse.* Eckius idipsum fieri notat fere per Germaniam: nec improbat. Omnes tamen definierunt non esse de essentia aut necessitate Sacramenti. Aquinas art. 4. Bellarminus c. 15. Rubeus, & alij.

XIII Fuere qui solam absolutionem τὸ πᾶν esse dicerent. Horantius, *Secundum aliquos ipsa sacerdotalis absolutio est tota ratio Sacramenti.* Et *ii non distingunt*, inquit Bellarminus, *materiam à forma.* Dux ita sentiendi Scotus in dist. 14. definiens pœnitentiam Sacramentum. *Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis à Sacerdote iurisdictionem habente ex institutione diuina efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccato.* Vnde postea in 15 *Dico*, inquit, *quod ista tria*, Contritio, Confessio, Satisfactio, *nullo modo sunt partes eius.*

XIV. Viden ipsissimum Mataeologiæ ingenium? Non opus comparare sententias, aut inuestigare, quæ sit omnium potissima: cum omnes sint non falsæ tantum, sed etiam absurdæ. Constat pro materia notari, vel peccata, vel actus pœnitentis, sacerdotisve. Huc enim redeunt omnes sententiæ. Quare si in his nihil sit sacramentalis materiæ: nihil obstabit quominus concludamus inconsiderate pœnitentiam relatam in album Sacramentorum. Nam de forma non oportebit esse solicitos; quæ nulla esse potest, vbi nulla erit materia.

XV. Peccata esse materiam Sacramenti, Deus bone, quanta insania est! Quis enim nescit materiæ accedere formam, vt fiat Sacramentum? Videte igitur iudicij portentum. Peccata, materia: forma est absolutio: hæc tollit peccatum. Nouum sane genus rei, in quo materiam forma destruat. Quis diuinasset? nam profecto hactenus creditum fuit, à forma materiam suam perfici potius. Ligna esse materiam ignis, audiui nunc primum à Catechismo Tridentino: quid ad me autem Sophistarum audacia impune in κατηχήσεσι excurrentium imposturis natam materiam? Atqui verum est, non esse lignum, eam materiam cui forma ignis accedat, vt ex ligno, & ignis forma, fiat ignis: quo tamen materiæ genere nunc opus est. Itaque Bellarminus cap. 16. *Neque peccatum, neque peccator, talis materia dici potest, ex qua tanquam ex altera parte Sacramentum perficiatur: sed potius circa quod Sacramentum operetur: quemadmodum corporalis morbus, aut ægrotus, non est id ex quo medicamentū constet, sed in quod vim suam medicamentū exerat.*

XVI. Deinde; quæ materia dicitur Sacramentorum, eadem signum est gratiæ; vt Baptismi materia aqua est, quæ per ablutionem applicatur suscipienti Sacramentum: & ita applicata secundum institutionem, significat remissionem peccatorum. Inde enim analogia; sine qua Sacramentum nullum. Atqui peccata primum non applicantur homini per vllam Sacramenti institutionem: sed auferuntur potius. Deinde hæc ablatio peccatorum, non potest aut efficere, aut significare gratiam; id est, remissionem peccatorum: quandoquidem nihil sit aliud quam remissio peccatorum: ac si quis diceret: ipsam ablutionem per aquam, nihil esse quam peccati condonationem; illam ipsam quæ fit intrinsece per Spiritum sanctum. Quæ manifesta insania est: Cum signum, & rem significatam certum sit esse in relatis: quorum vnum non possit esse alterum.

XVII. Notanda est autem Thomæ subtilitas probantis hoc somnium ex posteriori ad Corinthios 12. *Non egerunt pœnitentiam super immunditia, & impudicitia, quam gesserunt.*

XVIII. Laconice de more Sed primum, quis docuit non agi de Pœnitentiæ virtute, quam solent sophistæ disparare à sacramentali? vt Matt. 10. *Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus in quibus facta sunt plurima virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam.* Lucæ 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Infinita alia prætermitto. Cur non ergo dicamus Paulum velle Corinthios *resipiscere*; quo verbo non tantum vsus Beza interpres; sed eriam Iustinianus paraphrastes. Quanquam hîc in explanatione, facile admittere testatur pertinere hunc locum ad publicam pœnitentiam. Sed bene est, quod ille suam accuset facilitatem. Magno nos absoluit metu, cum nullam dixit rei necessitatem. Nam Iesuitica facilitas, quem moueat?

XIX. Præterea; quando tandem somniatum est, hac phrasi ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ, *super immunditia*, designari materiam ex qua? nam solet potius vel occasio, vel materia circa quam; id est, subiectum. Matthæi 26. ἐφ' ὃ πάρει; Latinus Interpres vertit, *Ad quid venisti?* Recte: sed eadem tamen phrasis est. Et vero à peccatis occasionem esse pœnitendi nemo negat: imo etiam pœnitentiā versari proprie & primo circa peccata. Sed hoc si sufficit ad materiam sacramentalem; cur non erit eadem Baptismi materia? Notum enim eandem vim esse Baptismi & Pœnitentiæ; vnde hæc solet dici secunda tabula: imo etiam Nazianzeno genus Baptismi.

XX. Peccata igitur non sunt materia. An potius actiones siue pœnitentis, siue sacerdotis? Tantundem. Non enim remota: nulla enim actio potest elementum dici, siue res naturalis: quia nimirum voluntaria sit, ac proinde artificiosa. An ergo propinqua? Atqui hæc remotam habet pro fundamento; vt lotio aquam: esus panem, potus vinum. Itaque si nulla sit remota; ne propinqua quidem esse potest

XXI. Præterea hinc fit immane quantum discrimen Sacramentorum: quod ipsi Papistę dissimulare non potuerunt; etsi non pro meritis expenderint. Hosius molliter, *Est autem in huius & aliorum Sacramentorum materia, nonnullum discrimen. Nam in aliis substantia quædam exteriores materiæ locum obtinent: in hac hominis actio materiæ loco est.* Delicate admodum, nonnullum discrimē, quasi vix pili interesset. Sed mascule Catechismus Tridentinus, *Docendum est in eo maxime hoc Sacramentum ab aliis differre, quod aliorum Sacramentorum materia est res aliqua naturalis, vel arte effecta. Sacramenti vero Pœnitentiæ quasi materia sunt actus pœnitentis.*

XXII. Atqui hoc discrimen cum sit in materia, prorsus est essentiale: non vero accidentale; cuius generis ea sunt discrimina, quæ naturam rei nō mutant; neque species nouas constituūt; multo minus genera: vt si homo & elephas differrent tantum secundum molem; æque vterque esset homo. Sed quia essentiæ ipsæ longe distant, ideo necesse fuit diuersa animantiū genera constitui. Vnde nece- e est αὐαλόγως iudicari de Sacramentis. Hoc est igitur quod initio dicebam non eiusdem definitionis Sacramentū esse Pœnitentiā

cum Baptismo & Eucharistia: in quibus materia toto genere distat ab illius materia: sic Angeli, hominesque, etsi vtrique rationales, tamen quia materia discrepant, diuersa sunt genera: vt non possit Angelus comprehendi sub hominis definitione. Itaque non potest Pœnitentia esse Sacramentum nisi ὁμωνύμως.

XXIII. Bellarminus capite vndecimo concedit Sacramenta debere esse similia. Sed hanc similitudinem vel à materia sumi, vel à fine. A fine pronuntiat sufficere; nimirum vt homines per sensibilia & corporalia symbola ad rerum intelligibilium & spiritualium cognitionem euehantur: inde enim signa, symbola & Sacramenta dici. A materia, refutat. Quia tum similitudo esset vel in specie, vel in genere proximo, vel in remoto. Id autem non esse. Nã si in specie; ergo oporteret omnia Sacramenta constare ex aqua. Si in genere proximo: ergo ex corpore simplici, aere, igne, vel terra. Si in genere remoto, ergo essentia omnium Sacramentorum esset aliqua substantia corporalis. At hoc falsum: nam Baptismi essentiam propriè non esse aquam, sed ablutionem cum inuocatione Trinitatis.

XXIV. Respondeo: Sacramentorum similitudinem petendam esse ex sacramenti definitione: vt omnium rerum. Nam ea est κοινὴ ἔννοια vt quæ definitione differunt, ea dissimilia sint; & constituantur sub diuersis generibus. Cum igitur definitio sacramenti signa comprehendat corporalia, & visibilia; necesse est Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Matrimonium, reliqua, vel sacramenta non esse vel habere huiusmodi signa.

XXV. Itaque nego sufficere similitudinem à fine. Concedo equidem ab eo fine fieri signa sacra; & recte Augustinum dicere, *Si Sacramenta similitudinem non haberent earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non futura Sacramenta.* Sed nego hanc esse plenam sacramenti definitionem. Sic enim verũ est, hominẽ, si non sit rationalis, non futurũ hominẽ: sed non ideo *rationale* totã eius definitionem conficit: alioquin Angeli essent homines. Et vero, si nihil aliud quæras, quam vt inducantur homines per sensibilia in cognitionem intelligibilium; tum prædicatio Euangelii necessario erit Sacramentum. Constat enim sensibili signo, nempe verbo significante mysteria intelligibilia. Quod si est absurdum; certe absurdum esse necesse est Bellarmini enuntiationem.

XXVI. Concedimus similitudinem non esse in specie rerum. Etenim non tantum in Baptismo signum aqua, specie differt à pane: sed etiam in ipsa Eucharistia, alia species est panis; alia vini. Itaq; definitio Sacramenti signorum speciem non designat, sed genus: vt sint in rebus corporalibus, & visibilibus. Et vero, si non esset similitud in vllo genere, ergo possent Sacramentis adhiberi signa intelligibilia; quod Bellarminus ipse negauit posse fieri. Nugatur autem Bellarminus, cum hanc similitudinem genoris quærit in rerum naturalium categoria, cum debuerit potius in signorum. Nam Sacramenta non definiuntur res naturales, sed signa. Itaque signorum categoria potius erat expendenda.

XXVII. Verum, inquit, si esset similitudo in genere remoto: Ergo omnium Sacramentorum essentia esset res corporalis. Respondeo; In omnibus rebus essentiam esse in materia & forma. Quo igitur sensu subsantiam Sophista nominat? Totamne? negatur consequentia. Nam Sacramenta non sunt in rebus simplicibus, sed compositis: itaque constantibus sua materia & sua forma. Terminus est, non lapis, sed lapis sic positus. Itaque vtrumque, & lapis, & positio, est substantia termini. Crux est lignum sic figuratum. Itaque & lignum & figura, est substantia crucis. Infinita sunt eiusmodi. Similiter non quilibet panis est Eucharistia: sed panis sic consecratus. Itaque & panis, & talis consecratio, est Eucharistiæ substantia.

XXVIII. Sin autem essentiæ partem dicat; illam videlicet, quæ sumitur à materia: conceditur consequentia; sed omnium Sacramentorum talem substantiam esse rem corporalem, ἀπόλογος est ἀποφασις, & instantia mendax. Nam Baptismi tota essentia non est ablutio: alioquin posset in vino legitime celebrari; & in aqua artificiali: quod negant ipsi Papistæ. Concilij Tridentini Canon secundus de Baptismo in sessione 7. *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Iesu, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, Anathema sit.*

XXIX Itaque Bellarmini instantia est vere absurda. Redeo ad institutum. Omne signum Sacramentale, teste Augustino, significat gratiam per similitudinem: Ast actiones, siue pœnitentis, siue sacerdotis, gratiam non significant per similitudinem: Ergo non sunt signum sacramentale. Minor patet: quandoquidem actiones huiusmodi, vel motus sunt interni; vel eorum motuum significationes externæ, siue verba dicas, siue gesticulationes. Neutro autem modo possunt habere similitudinem, quæ repræsentet gratiam. Non enim motus interni, qui in nullos cadunt sensus; ac proinde vel nihil significant: vel si significant; interne significant, & νοητῶς; cuiusmodi signa Bellarminus excluſit à Sacramentis: tum autem, si aliquid significant, tamen non remissionem peccatorum, hoc saltem significationis genere. Nam actus pœnitentis non sunt similes absolutioni; sed tantum dispositiones ad absolutionem: itaque significatio pertineret ad id genus, quod est causæ ad effectum: quam docuimus alias non pertinere ad Sacramenta. Absolutio autem, quæ est actus Sacerdotis; est res ipsa quæ debuit significari: quia est effectus ipse, qui quæritur in hoc Sacramento. At signum oportet esse discretum à re significata. Bellarminus de Sacramentis lib. 1. cap. 9. *Debet signum esse res aliqua agnoscibilis: debet item ducere in cognitionem alterius. Oportet signum, quatenus signum est, imperfectius esse re illa, quam significat, & magis illam quam seipsum repræsentare.*

XXX. Sumasne igitur actiones pro verbis, id est, earum signis? Ita necesse fuit. Vnde Bellarminus, huius Sacramenti ritum externum, dixit iudicialem absolutionem, quæ est signum inferioris, quæ fit à Deo per verbum externum, tanquam instrumentum. Et c. 9. lib. 1 de Sacramentis; Sacramentum hoc obseruat in solis verbis essentialiter consistere. Atqui hoc absurdissimum. Primo enim multiplicatur relatio significationis. Nam verba primo & per se significant interiores motus; deinde significarent gratiam Dei: quod ipsum iam nouum est, nec vllis veteribus obseruatum in doctrina Sacramentorum. Deinde non significant per vllam similitudinem: quia verbum, id est, sonus, nihil habet simile cum gratia Dei. Quod tamen est necesse.

XXXI. Quarto; Pœnitentis actiones illæ, Contritionis, Confessionis, Satisfactionis, non possunt esse materia sacramentalis. Nam materia sacramentalis significat id quod per formam Sacramenti intimatur, & confertur. At Contritio, Confessio, Satisfactio; non id significant, quod per absolutionem, Sacramenti huius formam, intimatur & confertur. Ergo non sunt materia sacramentalis. Maior patet ex constituta natura Sacramentorum; sicut in Eucharistia, panis & vinum significant corpus & sanguinem; quæ designantur in forma, *Hoc est corpus meum; hoc est sanguis meus.* In Baptismo, designatur ablatio peccatorum: Act. 2. *Baptizetur vnusquisque vestrùm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.*

XXXII. Bellarminus negat minorem; & asserit remissionem peccatorum non solum absolutione, sed etiam confessione significari: vt enim Sacerdos significat se peccatum expellere: sic confitentem significare, se à peccato recedere.

XXXIII. Frustra negat: nam absolutio significat remissionem peccatorum: hæc autem fit à Deo solo, cuius Sacerdos tantum est minister: at id, quod significatur per actus pœnitentis, fit ab ipso pœnitente; tum autem remissio peccatorum, non est ipsum recedere à peccatis: sed tollere culpam ipsam peccati; id est, obligationem ad pœnam: quas non esse confitentis parsam peccati; id est, obligationem ad pœnam: quas non esse confitentis partes, patet, vel ex Iscariote, qui *peccaui*, inquiebat, *tradens sanguinem iustum*, Matth. 27. nec tamen obtinebat remissionem. Deinde, hoc ipso Bellarminus argumentum confirmat. Nam si confitens significat se à peccato recedere; ergo receditante absolutionem, quia confessio hanc præcedat: atqui si absolutio sit forma Sacramenti, nondum vllum est Sacramentum, cum nondum vlla absolutio. Si nondum vllum Sacramentum, ergo nondum vlla vis Sacramenti: non ergo confertur à Sacramento idipsum quod per confessionem significatur.

XXXIV. Rursus omnis materia remota Sacramenti præstatur à sacerdote suscipienti Sacramentum: At Contritio, Confessio, Satisfactio à sacerdote non præstantur: Ergo non sunt materia remota Sacramenti. Maior patet ex aliis Sacramentis, in quibus aquam, panem, calicem, sacerdos porrigit; & quidem præcedente sua consecratio.

XXXV. Bellarminus aliam sibi formam argumenti opposuit à suis scholasticis sumptam: Sacramentum esse quod à ministro conferatur, absolutionem solam conferri, itaque solam esse Sacramentum. Respondet; ministrum non semper totum Sacramentum conferre, sed interdum præcipuam partem, vt Medicum præbere pharmacum, inde exigere deambulationem.

XXXVI. Verum nihil ad nos, qui scimus in Eucharistia sic materiam porrigi à ministro. Itaque non Sacramentum diximus, etsi poteramus, quatenus videlicet Sacramentum est signum, sed ambiguitati vitandæ; materiam nuncupauimus, & quidem remotam, qua sublata, non veremur ne vlla constituatur, aut materia propinqua, aut forma, cum hæ sine illa consistere nequeant.

XXXVII. Sic absurda sententia est eorum qui actiones illas, siue accedentis, siue ministri constituunt materiam Sacramentalem. Nam de gesticulationibus, quid opus est dicere? Nouo posteriorum commento, cui nullum fundamentum subest, siue è Scripturis, siue à traditione, siue ab analogia reliquorum Sacramentorum. Confutatur autem, quod earum gesticulationum nulla sit analogia ad peccatorum remissionem, nulla etiam institutionum nulla sit analogia ad peccatorum remissionem, nulla etiam institutio diuina. Denique Bellarminus, *Nulli sunt Catholicorum*, inquit, *qui materiam huius Sacramenti fecerint actionem Sacerdotis, certo ritu pronuntiantis absolutionem, si vnum excipias Gropperum, aut quicunque fuit autor Enchiridii Colonienſis* (Contarenus tamen designauit gesticulationes confitentis) *qui non satis caute interdum loqui videtur.*

XXXVIII. Supersunt, qui huius Sacramenti τὰ πάντα volunt esse absolutionem: quos etiam Bellarminus refutat, quanquam leuiusculè. Illi vero mihi videntur, non id elegisse quod certissimum, sed id fugisse, quod absurdissimum. Enimuero, cum actiones pœnitentis nihil habeant accedens ad naturam Sacramenti, tum vero absolutio habet nonnihil saltem accedens ad formam. Qui ergo occupati erant communi illo errore de numero Sacramentorum, coacti fuere in hac sola absolutionem rationem constituere Sacramenti.

XXXIX. Sed non animaduertunt, se nihilominus negligere naturam Sacramenti: atque ita monstrum fingere. Nam quid attinebat Sacramenta componere ex materia & forma? Raimundus Sebeidem de Sacramentis, *Vt significatio sit plena, completa, & euidentissima, clarissima, & determinata, certa verba debent addi cum rebus visibilibus; vt per res visibiles, & verba quæ audiuntur, fiat vna completa repræsentatio vnius & eiusdem rei visibilis.* Altenstaig. *Sacramenta consistunt duobus, scilicet verbis & rebus, quas Sanctus Augustinus nominat elementum, & verbum* Mitto alios, non enim opus nunc confirmare, quod lib. 1. positum ex communi consensu: Quid ergo attinebat generaliter de Sacramentis id asseri, vt nunc de pœnitentia negaretur peculiariter? Quasi qui hominem docuisset constare anima & corpore, Angelos homines diceret, quanquam non iis distinctos partibus, propter solam rationem. Certe Scotum fœde sua subtilitas destituit.

CAP. XV.

In Pœnitentia nullam esse Institutionem Sacramentalem.

I. PRobauimus in Pœnitentia nihil esse quod materiæ Sacramentalis rationem habere queat. Nunc probabimus in eadem nullam esse institutionem Sacramentalem, qui deficiente, nihil est, quo Sacramentum defendi queat; quanuis reliqua omnia suppeterent.

II. Institutionem Klingius repetit ex Matthæi 4. *Pœnitentiam agite.* Siue Marci primo, *Pœnitemini, & credite Euangelio.* At Concilium Tridentinum capite primo sessionis decimæ quartæ, *Dominus Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit cum à mortuis excitatus insufflauit discipulos suos dicens, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*, Ioan. 20. *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam vniuersorum Patrum consensus semper intellexit.* Consensit Bellarminus Concilio & Panigarolla, & Lindanus:

At Ho-

At Hosius, *Neque vero dubitandum est, quin hoc ipsum Pœnitentiæ Sacramentum ab ipso Christo fuerit institutum, cuius hæc clarissima verba sunt ad Petrum,* Matthæi 16. *Dabo tibi claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum in cœlis. Tum & ad reliquos Apostolos,* Matthæi 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Dominicus Soto distinctius, art. 7. quæst. 1. notat materiam, formam, efficaciam: materiam Matthæi 4. formam 16. efficaciam Lucæ vlt. vbi dictum, *Oportet prædicare in nomine eius, scilicet Christi, Pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.*

III. Ergo locos omnino quinque colligimus, ex quibus extuderint Papistæ Sacramentum hoc Pœnitentiæ. Quibus adduntur alii testantes vsum Apostolicum, ab Salmerone, poster. ad Cor. 2. *Nam ego, quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.* Quinto, *Dedit nobis ministerium reconciliationis.* Prioris ad Timoth. 5. *Manus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.*

IV. Sed nos negamus his locis vllam esse vllius Sacramenti aut institutionem, aut mentionem. Incipiam à primo illo ex Matthæi 14. In quo audio sane commendari, imo vero etiam imperari Pœnitentiam à Christo. Sed si omnia mandata sunt totidem Sacramentorum institutiones, quis Sacramentorum finis futurus est? Marci 16. *Prædicare Euangelium omni creaturæ.* Lucæ 12. *Date eleemosynam.* Matthæi 26. *Vigilate & orate.* Ergone Klingius prædicationem docebit esse Sacramentum, & eleemosynam, & vigilias, & orationes? Cur magis pœnitentiam?

V. Tum si esset, ergo ante Christum: Nam Leuitici 5. *Agat Pœnitentiam pro peccato.* Ezechielis 18. *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Papistæ tamen negant fuisse Sacramentum: saltem plurimi, nisi in Euangelio. Certe Concilium Tridentinum diserte c. 1. session. 4 *Nec ante aduentum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post aduentum illius cuiquam ante Baptismum.* Quod si est verum; profecto ea præcipiendi forma, Agite pœnitentiam, non significat Sacramentum.

VI. Sed & sic certa argumenta. Mitto nudam pœnitentiam nominari; ideoque internam; quæ virtus est. Mitto nullum addi signum, signive vestigium: nullam denique formam exprimi, quæ tamen omnia substantialia sunt: & ab institutione Sacramentali tam abesse possunt, quam ab hominis constitutione corpus & anima. Nunc vrgeo, eandem pœnitentiam his mandari, quam antea prædicabat Ioannes: cuius verba & diserta & totidem. Matth. 3 *Temporibus illis adfuit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ: dicensque: Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cœlorum.* Chrysostomus. ἀρξάμενος, τὸ κήρυγμα ὃ ἐκεῖνος ἐκήρυττε, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐδίδαξε, *Incipiens* Christus, *quod ille* Ioannes *prædicabat, idipsum etiam ipse docuit.* Maldonatus, *Notandum iisdem verbis Christum & Ioannem Euangelii prædicationem inchoare; vt intelligamus Ioannem legatum fuisse Christi, qui non suis, sed eius à quo missus fuerat, verbis vsus fuerit & exordium Euangelii esse pœnitentiam.* Lucas Brugensis, *Vt Ioanni successit, ita vt ostēderet se eandem adferre doctrinam, quam attulerat Ioannes, summumq; inter se & Ioannem esse consensum, & stabiliret testimonia, quæ Ioannes de ipso tulerat, cōfirmaretque se eum esse, cuius ille fuerat præcursor, denique ne ab se alienaret, quos illius admiratio iam totos occuparat, à nota & familiari illius doctrina, Euangelij summam complectente, prædicationem suam auspicatur, eodem vtens exordio, eademque Euangelij prædicandi forma.* Iansenius Concordiæ cap. 25. *Ab eodem exorditur Dominus suam prædicationem, vnde Ioannes, vt illius prædicationem confirmaret, seque idem sua prædicatione conari ostenderet, quod ille conabatur.*

VII. Adde nunc, Ioannis illam pœnitentiam non fuisse Sacramentum. Nam solenne scitum audiuimus Tridentinum; nullam pœnitentiam esse Sacramentum ante Baptismum: & habes plenam conclusionem; illam Ioannis pœnitentiam, ac proinde neque illam Christi, fuisse Sacramentum.

VIII. Et sane exordium fuit Euangelij & prædicandi, & profitendi: quale illud fuit Petri Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Vt sensus sit eos qui ad Christum venirent, ante omnia debere pœnitentiam agere; tum baptizari, & reliqua. Anselmus in 3. Matthæi, *Agite pœnitentiam, quod præsentialiter faciendum erat.* Basilius moralium regula 1. ὅτι δεῖ τοὺς πιστεύοντας τῷ κυρίῳ μετανοῆσαι πρῶτον, *Quod credentes Domino oporteat primo pœnitere.* Itaque paulo post coniungitur Baptismo confessio peccatorum, *Et baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.* Caietanus, *Profitebantur se peccatores, & in signum quod pœnitentes essent, offerebant se abluendos à Ioanne tanquam exterior ablutio, esset quædam professio pœnitentiæ, & mundæ deinceps vitæ dicendæ.* Carthusianus, *Confitentes peccata sua in communi, non confessione Sacramentali distincta, atque plenaria, prout confessio est Sacramentum nouæ legis & gratiæ.*

IX. Sed argutatur contra Clingius, Sacramentalis illa pœnitentia quam Christus expressit illo verbo Matthæi 4. fit certis diebus, & temporibus, & certo ministerio sacerdotum, quando peccator facit confessionem Sacramentalem, & percipit absolutionem a sacerdote: quasi in hanc formam: Quæcunque pœnitentia fit certis diebus & temporibus, certoque ministerio sacerdotum; ea pœnitentia est Sacramentalis: Ast hæc pœnitentia sic fiebat. Ergo est Sacramentalis. Minoris diuina demonstratio est. Hoc verbum Christi, non potest intelligi de omni vita fidelium, neque de interiori pœnitentia. Ergo agere debemus pœnitentiam pro loco & tempore. Probatur antecedens: quia tum vita fidelium, tum interior pœnitentia, interciditur somno & gaudio. Ergo cum Christus dicit *agite*, non loquitur de habituali interiori pœnitentia, quæ sola perpetua est, sed de actuali, vel interiori, vel exteriori. Agere enim actus est, vel non sine actu. Quum ergo dormiendo, & gaudendo, eundem actum non habeamus, sequitur quod hoc verbo, Agite pœnitentiam, non notatur omnis fidelium vita.

X. Ite, & negate infinitum esse Papistarum ingenium! diuinum acumen! Respondeo; primo negari maiorem. Nam solennem pœnitentiam agnoscimus omnes Catholici fieri non semper, sed certis diebus; & addito sacerdotum ministerio; & peccatore confitente peccata; & sacerdote absoluente: & tamen negamus hanc solennem pœnitentiam esse Sacramentum. Neque enim quæ capita in maiore continentur, sufficiunt ad Sacramenti naturam. Denique pœnitentia illa, quæ fiebat ab petentibus Baptismum siue à Ioanne Matthæi quarto, siue à Petro, Actorum secundo; hæc omnia capita complectebatur. Et tamen Sacramentalis non erat, vel ipsis testibus Papistis.

XI. Secundo, negatur minor. Nam illa pœnitentia, quam Christus prædicabat nullis certis diebus definiebatur: sed totam hominis fidelis vitam designabat mutandam à malo in bonum: vt qui peccatores essent, desinerent; deincepsque viuerent Deo. Hoc Christus voluit, itidem vt Ioannes. Itaque in verbis Christi, nulla temporis circunstantia apparet, magis quam in Ioannis, aut Petri: nulla item sacerdotis mentio, aut etiam absolutionis.

XII. Sed enim, inquit, hæc pœnitentia, quam Christus exigit, actus est: quia dictum; Agite. Ridicule, inquam. Nam primo illud agere, paraphrasis est Latina, vnius Græci vocabuli μετανοεῖτε, quo Matthæus vsus: Syrus autem vertit תובו id est, Bodeiano interprete, *resipiscite*, Tremellio, *Conuertimini*, magis ad verbi proprietatem. Et vero eadem vox & Ioannis Baptistæ fuit Matthæi 3. & Petri Actor. 2. atque adeo ipsa illa paraphrasi Latine reddita. Imo eadem Marci 1. vbi tamen Latinus interpres, non dixit agite pœnitentiam, sed vno verbo, *Pœnitemini*: vnde argutari Klingius non potuit.

XIII. Secundo: quid tum? Sane, inquam, Pœnitentia actus est. Nam quomodo alias virtus? Sed omnis habitus actus est. Quare etiam si non sit Sacramentum, tamen pœnitentia actus est. Tum quis neget vitam mutare, esse aliquid agere. Quis neget recedere à peccato, accedere ad virtutem, esse aliquem actum. Atqui omnes pœnitentia, idipsum est: omnis, inquam, vera & Christiana. Quare omnis pœnitentia, actus est. Quid ergo promouit Klingius?

XIV. Somni & gaudij diuinum illud acumen hanc conclusionem habet. Hoc verbo, Agite pœnitentiam, non significari totam fidelium vitam. Medium assumitur intercisio per somnum, & gaudium. Sic igitur oportet constare argumentum. Omnis vita fidelium interciditur per somnium, & gaudium. Ast hæc pœnitentia, quam Christus exigit non interciditur per somnum & gaudium. Ergo hæc pœnitentia non est vita fidelium. Hic vero, quid primum reprehendam? Minoris nullum est fundamentum: Nam, etsi non impugnem; tamen obseruari iubeo, iisdem vsum verbis Christum cum Ioanne. Si nolit ergo Christi verba admittere intercisionem, debet & Ioanni idem vendicare: ac proinde, vel fateri Ioannis illam pœnitentiam esse Sacramentum: vel negare esse Sacramentum, quæcunque intercidi non patitur. Eadem ratio in Petri verbis similibus.

XV. Quid? quod de ipsa pœnitentia Sacramentali falsa est eadem minor? Nam vt, ne de gaudio dicam, cuius obscurior est probatio; certe per somnum intercidi quis neget? Nam Sacramentalem pœnitentiam interpretantur eam, quæ, vt olim, indicebatur peccatoribus in varia tempora: siue dierum, siue annorum. Atqui nunquam lectum, nunquam auditum toto pœnitentiæ tempore fuisse somnum interdictum: imo impossibile: quandoquidem interuallum erat interdum annorum quinque, septem, decem: quid? quod etiam in omnem vitam? Dormiebant ergo interdum pœnitentes: non ei similes, qui olim toto suo consulatu somnum oculis non vsurpasset. Nec tamen eo minus vna existimata pœnitentia.

XVI. Denique negatur maior. Omnino, inquam, falsum, vitam fidelium, id est, quæ transigitur in vera pœnitentia, intercidi per somnum & gaudium. Neque id mirum cuiquam videri debet, nisi ignoranti penitus veræ pœnitentiæ naturam: quæ tota in habitu: quod commune est omnibus virtutibus. Quis enim nescit Philosophum esse Platonem etiam cum dormit? Et Aristidem justum etiam cum stertit? Et Agesilaum fortem, etiam cum equitaret arundine longa? Certe Alexander ille magnus postremam pugnaturus pugnam cum Dario etiam βαθεῖ ὕπνῳ κρατηθεὶς inuictum sibi animum esse testatus est. Quid somnum dico, & gaudium? Cum ne peccata quidem intercidant. Nam præterquam quod omnes sciunt posse habitum constare etiam cum aduersarijs actibus: Paulum habemus de se ipso testem: Non facere bonum quod vellet: & facere malum quod nollet. In quibus vtrunque habet: & pœnitentiam, quæ vellet bonum, nollet malum: & peccatum, quum nec bonum fieret, & fieret malum. Nugatur ergo, qui nobis somnum, qui nobis gaudium σμικρολογῶν obiicit: nihilque habet legitimæ causæ, quo persuadeat agere Christum de Sacramentali pœnitentia, id est, somnio papistico.

XVII. Recte igitur is locus omissus ab alijs. Sed his spes in tribus ex 16. ac 18. Matthæi: &, ex 20. Ioannis: in isto maxime, in quo habemus satis prolixam Bellarmini disputationem: cum de reliquis nudam Hosij asseuerationem: neque hanc tanti: quantumuis Cardinalitiam, vt mouere constantem virum queat. Sed, si quid tamen est alicuius momenti, eadem fidelia dealbabitur. Sunt enim tres ij loci similes.

XVIII. Ergo Sacramentum pœnitentiæ ex eo loco sic Bellarminus extundit. Colliguntur, inquit, ex ijs verbis duo, quæ ad omne Sacramentum proprie dictum constituendum, & requiruntur & sufficiunt: nempe ritus externus, siue symbolum diuinitus institutum: & promissio gratiæ justificantis, illi ritui, siue symbolo annexa. Institui signum probat in hunc modum. Cum Dominus Apostolis concesserit potestatem remittendi peccata hominibus, dubitari non potest, quin signo aliquo externo eam potestatem exerceri voluerit: neque enim homines, qui corporales sunt, peccata sibi remitti intelligerent, nisi voce, aut signo aliquo externo ac sensibili remitterentur. Tum autem Caluinus institutionis lib. 3. cap. 4. §. 12. & 14. & Chemnitius, examinis parte 2. agnoscunt ex eo loco recte colligi verbum Absolutionis etiam priuatæ. At verbum est signum corporale, & sensibile. Eadem ratione elicit ritus externos pœnitentis: quia non debeant peccata remitti, nisi iis qui se peccata habere, sibique ea displicere testabuntur. Ratio est; quia, vt absolui nequeunt, qui ligati non sunt; ita nec qui solui nolunt: nolunt autem, qui non adferunt animum paratum: id est, qui sine fide & pœnitentia accedunt. Sic Bellarminus: cuius argumentationis ista vis est. Vbicunque Christus instituit ritum externum, siue symbolum: addita & ritui siue symbolo promissione gratiæ: ibi instituit Sacramentum Noui Testamenti. Ast hoc loco Christus instituit ritum externum, addita promissione gratiæ. Ergo instituit Sacramentum Noui Testamenti.

XIX. Respondeo, negari vtramque partem antecedentis. Duo enim esse capita, vnum institui ritum; alterum addi promissionem. Horum

capitum posterius eatenus verum, quatenus promissionem nominat. Non potest enim negari, illud saltem de soluendis peccatis esse promissionem gratiæ: sed est falsum, quatenus hanc addi dicit ritui externo. Non potest enim addi ritui, si nullus instituatur ritus: quæ pars altera est, quam nos falsam pronuntiamus: itaque negamus assumptionem.

XX. Probat Bellarminus, quia dubitari nequeat, voluisse Christum eam potestatem exerceri aliquo signo externo. Sed hoc rursus negatur: neque enim necesse est; vbicunque aliqua promissio sit, ibidem esse ritum aliquem institutum. Quod exempla plurima promissionum docent.

XXI. Præterea nullum hic institutum ipse Bellarminus indicat: Nam hæc verba, dubitari non posse Christum voluisse eam potestatem exerceri aliquo signo, primum indefinita sunt nullo indicato particulari signo. Atqui institutionem signi oportet esse particularem & definitam: nimirum vt hoc vnum signum instituatur: quemadmodum in omnibus Sacramentis proprie dictis cum Veteris tum Noui Testamenti. Nam in Paschate ritus expressus fuit, agni esus: in Circuncisione, ipsa præputij amputatio; in sacrificiis, animalium peculiariter designatorum immolatio: in Baptismo, ablutio: in Cœna, esus panis & vini potus.

XXII. Deinde, eadem verba non significant, quid contineatur in ipsa institutione: sed quid ex ea colligi possit. Atqui hoc ab illo longe distat. Nam exempli gratia: cum Christus dixit, Matthæi 6. *Si remiseritis hominibus offensas ipsorum, remittet etiam vobis Pater ille vester cœlestis.* Eadem ratiocinatio erit; & conclusio; non posse remitti hominibus offensas, sine aliquo externo signo. Et tamen nemo concludet institutum fuisse aliquem certum ritum remittendarum offensarum. Rursus Matthæi 10 *Dedit eis potestatem aduersus spiritus impuros, vt eijcerent eos.* Hic quoque dubitari non potest voluisse eam potestatem exerceri aliquo ritu externo: sed quis tamen non impudenter dicat ritum aliquem institutum eique rei peculiariter dicatum?

XXIII. Denique hac sua ratione nihil aliud Bellarminus elicit, quam verbum absolutionis, & actus pœnitentis. Quos ritus præcedenti capite demonstrauimus à ratione Sacramentalium signorum esse alienos.

XXIV. Homines non posse intelligere peccata sibi esse remissa, absque aliquo signo externo, potest negari. Cur non enim interno aliquo Spiritus Sancti motu? Bellarminus in Psalm. 50. *Signum perfectæ iustificationis est cum spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filij Dei sumus. Hoc testimonium in se aliquando propheta expertus, iterum illud petit, dicens, Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, id est cum me perfectè lætaueris, addes & hoc beneficium, vt interiore quodam gaudio tanquam signo remissi peccati me mirabiliter afficias.* Sed nihil nunc necesse est vrgeri. Tantum addo, signa posse esse varia: vnde ipsi Papistæ in hoc ipso suo Sacramento varia confinxerunt: alij gesticulationes pœnitentis, vel absoluentis: alij verba ipsa: alij impositionem manuum: quæ certe & omnia & singula possunt efficere vt peccator intelligat sibi remitti peccata: & quidem tanto liberius; quanto certius, plurima non à se significare, sed ex mera institutione. Quare hæc ratio nullam peculiarem institutionem concludit. Imo peccat iterum: quia signum oportet esse non significans tantum; sed etiam efficax; hæc autem efficacia nulla concluditur.

XXV. De Caluino & Chemnitio quid dicam? Verbum absolutionis distinguo: vel pro ipsa absolutione; vt ad Ephesios 1. *verbum veritatis*, veritas: ad Colossenses 1. *verbum Euangelij*, Euangelium: vel pro externo sono significante absolutionem. Priori modo potest concedi: vtrunque ex hoc loco agnouisse verbum absolutionis: quanquam vtrique suam phrasin imputat, qua neuter vsus. Sed illi tamen tum hoc loco, tum aliis admiserunt designari remissionem peccatorum in Ecclesiæ ministerio, non solum generalem, sed etiam priuatam, id est cuique peccatori applicatam, prout priuatæ causæ exigunt. Sed altero sensu, qui ad hanc controuersiam pertinet, vehementer falsum Bellarminus pronuntiat.

XXVI. Atque hactenus de assumpto. Nunc etiam propositionem maiorem negamus. Non enim sufficit quicunque ritus conficiendo Sacramento: etiamsi ei addatur promissio gratiæ. Patet ex constitutis, disputatisque lib. 1. Patet etiam exemplis. Nam Pœnitentiam ante Baptismum qui negant esse Sacramentum; non negant tamen eius aliquem ritum fuisse, siue peccatoris, siue Sacerdotis. Atque adeo communes sunt in eam rem argutationes Bellarmini: non enim dixit, non posse post Baptismum intelligere homines sibi remissa peccata absque externo signo: nec dixit non posse post Baptismum solui nolentem: sed vtrunque vniuersaliter. Itaque tam verum ante Baptismum, ea signa fuisse requisita. Cur ergo non erit Pœnitentia Sacramentum, si ad Sacramentum sufficiant ritus, & promissio? An mira est Sophistarum incogitantia?

XXVII. Nobis certum iis locis fundamentum esse autoritatis Ecclesiasticæ; cuius sit summa, remissio peccatorum. Declarari igitur à Christo sic Ecclesiasticæ; cuius sit summa, remissio peccatorum. Declarari igitur à Christo sic instituisse ministerium; id est publicum illud onus gubernandæ Ecclesiæ, vt eidem addatur efficax autoritas remittendi peccata hominibus pœnitentibus, siue per publicam prædicationem, quam sibi quisque applicet peculiariter per fidem suam: siue per specialem consolationem; vel denique per disciplinam Ecclesiasticam in reconciliandis Ecclesiæ peccatoribus. Itaque Caluinus ita distinguit, vt qui loci sunt cap 16. Matthæi, & 20. Ioannis, de ministerio agant in vniuersum: qui autem Matthæi 18. specialiter de ea parte ministerij, quam appellat disciplinam in iudicandis peccatoribus. Scilicet in promptu Paulus est, posterioris ad Corinthios 5 *Deus reconciliauit nos sibi per Christum Iesum, deditque nobis ministerium reconciliationis: nempe quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipsorum: posuitque in nobis sermonem hunc reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini Deo.*

XXVIII. Itaque negamus constanter agi de vllo Sacramento: nedum Pœnitentiæ. Nullum enim Sacramentum complectitur varias partes ministerij: sed vnam constituit duntaxat; puta Baptismum & Eucharistiam. Et sane cum remissio peccatorum late pateat: & vltra hoc qualecunque est Pœnitentiæ Sacramentum, etiam ipsis confitentibus aduersariis, saltem ad Baptismum: cur non oportuit reliquis omnibus relictis, hanc vnam comprehendi particulam? Sed & hanc vnam, quæ nusquam aut nominatim expressa, aut etiam directe insinuata: sed tantum presupponenda? Cum verorum Sacramentorum institutio & per se sit posita, & directe concepta, & nominatim suis locis expressa.

XXIX. Aduersariis mirum quanto sit odio hæc interpretatio. Itaque non obliti sunt fulmine suo percutere Tridentini Veioues, anathemate 3. sessionis 4. *Si quis dixerit, verba illa Domini Saluatoris, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ; detorserit autem contra institutionem huius Sacramenti, ad autoritatem prædicandi Euangelium, anathema sit.* Exemplo nouo. Non enim solebant œcumenicæ Synodi, sic sancire particulares locorum interpretationes. Sed nos neglectis brutis fulminibus, de re agemus potius, collectis obiectionibus ex Bellarmino, Salmerone, Toleto. Quanquam Bellarminus capit. 10. pollicetur se alias fusius disputaturum: quod vbi factum, inuenire non potui: hoc sciui, cap. 11. cum debuisset refutare Chemnitium negantem in illis verbis ex Ioannis 20. fundari Pœnitentiæ Sacramentum, iactare iam refutasse. Ille viderit. Nam hic certe ille non interpretationem nostram oppugnat: sed consequentiam infirmat: quod postea viderimus.

XXX. Disputat Toletus in 20. Ioannis, & Salmero tractatu 18. tomi 11. longe aliud esse remittere peccata, aliud prædicare Euangelium. Qui status quæstionis non est legitimus. Certe Caluinus aliter loquutus; commentariis in eundem locum, *Non est dubium, quin hic breuiter complexus sit Dominus Euangelij summam. Neque enim separanda est hæc potestas remittendi peccata à docendi officio, cui vno contextu annexa est. Dixerat paulo ante Christus, sicut misit me viuens pater, ita & ego mitto vos. Nunc quorsum spectet, ac quid sibi velit ista legatio; declarat: tantum interposuit, quod necesse erat, se illis Spiritum sanctum dare, nequid ex seipsis agerent. Hic ergo præcipuus est Euangelij prædicandi finis, vt Deo reconcilientur homines, quod fit gratuita peccatorum venia; quemadmodum & Paulus docet posterioris ad Corinthios quinto, vbi Euangelium hac ratione appellat ministerium reconciliationis. Multa quidem alia continet Euangelium: sed hoc in primis agit illic Deus, vt recipiat homines in gratiam, peccata non imputando.* Quibus verbis exprimitur nonihil differre Euangelium, siue prædicationem Euangelij, & remissionem peccatorum. Primo quia illud latius patet: dicitur enim continere multa alia: secundo, quia remissio peccatorum, dicitur illius finis præcipuus. Tertio, quia potestas remittendi dicitur annexa Euangelio. Sed Papistæ perpetuo detorquent ad calumniam etiam optima. Veruntamen Catholicorum hæc mens est; his Christi verbis designari non vllum peculiare Sacramentum: sed effectum vniuersale totius Euangelicæ prædicationis; cum fidelium respectu, ad peccatorum remissionem; tum infidelium ad retentionem, id est ad damnationem. Hoc vtrum refutetur, videamus: posita tamen hac quam dixi distinctione: etsi aduersariorum verba sonent aliter.

XXXI. Toleti sunt tria argumenta: Primum. Ante resurrectionem discipuli Euangelium prædicauerant missa à Christo, Lucæ 10. & tamen potestatem nondum habebant remittendi peccata: Ergo aliud est remittere peccata, aliud prædicare.

XXXII. Respondeo primo, negari consequentiam. Nihil enim obstat, quominus, quæ prius non tantum distincta erant, sed etiam separata, postea connexa fuerint, manente quã dixi distinctione. Sic cum manifestum sit ita distingui Baptismum, & remissionem, vt tamen Baptismo sit connexa remissio peccatorum: tamen docuerunt multi à Ioannis Baptismo separatam fuisse.

XXXIII. Secundo, negatur antecedens, nimis nude positum, quasi per se notum. Nam cum duæ sint partes hic expressæ à Christo, vna retinendi, altera remittendi peccata: vtraque annexa fuit illi Apostolorum primæ missioni. Habes enim diserte Lucæ 10. *In quancumque domum ingrediemini, primum dicite, Pax huic domui. Quod si fuerit illic quispiam filius pacis, requiescet super eum pax vestra.* Et post, *In quancunque vrbem ingressi fueritis, & non exceperint vos, egressi in plateas eius dicite, etiam puluerem qui adhæsit nobis ex vrbe vestra, vobis abstergimus: tamen hoc scitote, appropinquasse ad vos regnum Dei. Dico autem vobis, Sodomorum conditionem die illo tolerabiliorem fore, quam vrbis illius.* Et paucis interpositis, *Qui vos audit, me audit, & qui vos reijcit, me reijcit.* Quo nihil potuit dici magnificentius de ipso pleno Apostolatu. Itaque Alcuinus discrimen assignat secundum plus & minus, in Ioannem cap. 42. *Sciendum est, quod hi qui primo Spiritum Sanctum habuerunt, vt & ipsi innocenter viuerent, & in prædicatione, quibusdam prodessent: idcirco hunc post resurrectionem Domini patenter acceperunt, vt prodesse non paucis, sed pluribus possent.*

XXXIV. Secundum Prædicatione Euangelij non remittitur peccatum: non ergo potestas prædicandi, est potestas remittendi. Probatur antecedens, quia, opus est aliis rebus ad consequendam remissionem.

XXXV. Respondeo, negari antecedens: & vero ipsum illud est πρωτόμβρον huius controuersiæ. Probatio non est ad rem: agit enim de consequenda remissione: cum antecedens agat de impartienda. Certe in Baptismo cõdonantur peccata adultis: & tamen ad hanc consequendam remissionem iisdem adultis necessaria sunt alia quædam: nimirum fides, & Pœnitentia. Et sane cum hæc ipsa potentia complectatur æque tum retentionem, tum remissionem: necesse est aliquid aliud accedere præter eam potestatem, vt remissio sit, non retentio: quomodo cum certum sit Solis ardorem & indurare, & liquefacere; oportet in cera aliquid esse præter illum ardorem Solis, vt liquefiat: etsi alioquin vere dicatur ardor ille liquefacere.

XXXVI. Tertium. Hæc potestas & autoritas prædicandi data est illis verbis, *Sicut misit me pater, & ego mitto vos:* Quod autem sequitur, aliud est præter illud, vt optime Cyrillus annotauit, lib. 12. cap. 56. nimirum quia pertinet ad id, quod verbi ptædicatoribus pro mundi salute maxime erat necessarium, vt possent peccata remittere iis, quibus verbum annuntiabant.

XXXVII. Sed de Cyrillo falsum asseritur: nihil enim ille de eorum membrorum discrimine. Thomas autem Toletum refutat: sic textus analysin concipiens, *Iniungit Apostolis officium: & primo præmittit pacis vinculum: secundo iniungit officium: ibi sicut misit me.* Paulo post, *Statim subditur iniunctio officij: Sicut misit me Pater.* Item postea, *Secundo datur idoneitas officij per dationem Spiritus Sancti. Et circa hanc dationem primo præmittit dationis signum, quod est insufflatio. Secundo ponit dationis verba, dicens, Accipite*

pite Spiritum Sanctum. Tertio ponitur dationis fructus: quorum remiseritis. Gorranus paulo aliter, *Hic tangitur sextum, scilicet ad manifestationem consequens discipulorũ missio. In qua tria innuit Euangelista, quæ Dominus mittendis discipulis contulit, scilicet idoneitatem, autoritatem, & potestatem: idoneitatem, cum pacem tribuit: autoritatem cum eos mittit dicens; sicut misit me pater: tribuit etiam potestatem, cum Spiritum Sanctum contulit eis, Vnde & dicit, hæc cum dixisset insufflauit in eos; & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum; non ad omnia, sed ad remittendum peccata, & in hoc contulit eis potestatem clauium.* Ergo hæc postrema verba, de quib. disputatio est inter nos, pertinẽt ad idem officium, vt loquitur Thomas, siue missionẽ, vt Gorranus maluit; ad quam illa pertinent, *Sicut misit me pater.* Quid ergo sibi Toletus voluit; cum hæc & illa dixit esse alia. Voluitne alia tantum esse verba? Conceditur: sed quid ad rem? Nam itidem alia sunt, *Ita ergo mitto vos; & accipite Spiritum Sanctum.* Alia etiam, *Accipite Spiritum Sanctum & quorum remiseritis.* An vero non eodem postrema referri, quo prima? Negant Thomas & Gorranus. Nos etiam negamus. Caluinus, *Dixerat paulo ante Christus, sicut misit me viuens Pater, ita & ego mitto vos: nunc quorsum spectet, ac quid sibi velit ista legatio, declarat.* Displicetne? Cur non etiam illi? Sed adde Iesuitam; iam ferme Caluinianum, Barradium dico, c 15. lib. 8. tomi postr. Comment. in Concordiam, *Iam hoc loco Ioannis vicesimo constituit eos Apostolos id est missos, vt remissionem peccatorum prædicent in omnes gentes, eandemq; largiantur.*

XXXVIII. Sequuntur nunc argumenta Salmeronis. Primum. Apud sacras literas & veteres Patres prædicare & remittere peccata, distincta sunt munera: & nunquam prædicator dum prædicat soluit à peccatis: neq; Sacerdos dum absoluit à peccatis in foro Pœnitentiæ, vnquam dicitur concionari, aut prædicare.

XXXIX. At nos primum dicimus illud forum Pœnitentiæ importune oggeri; ex præiudicato papisticæ opinionis: non ex vllo verborum Christi indicio. Facessat ergo forum: & Pœnitentiam retineamus. Deinde prædicare, & concionari male pro eodem sumuntur; aut certe Sophistice. Nam concionari proprie dictum publicum significat, eius qui in totius Ecclesiæ cœtu orationem habet. Sed prædicare etsi ipsum proprio, primoque vsu designet in omnium notitiam deferre: tamen quia id fieri potest non tantum in concione, sed etiam per capita, vt ita dicam; nihil absurdi est quominus latius pateat, quam illud alterum concionari. Quanquam si cui durius videatur, per me licet aliter sentire. Sed profecto constituendum aliquod verbum generalius & esto sane Euangelizare frequens in Scripturis. Connectitur prædicandi verbo, Lucæ 8. *Ipse iter faciebat per singulas vrbes & vicos κηρύσσων καὶ εὐαγγελιζόμενος prædicans & euangelizans regnum Dei.* Et est frequentissimum in Actibus, & Paulo. Complectitur autem publicas conciones: Lucæ 3. Ioannes *euangelizabat populo.* Octauo, *Et multis vicis Samaritanorum euangelizarunt.* Sed & priuatas instructiones. Act. 5. *Non cessabant ἐν τῷ ἱερῷ καὶ κατ' οἶκον διδάσκοντες καὶ εὐαγγελιζόμενοι in templo, & domi docere & euangelizare.* Octauo, *Philippus aperto ore suo, & incipiens à Scriptura ista, euangelizauit ei,* Eunucho Candaces, *Iesum.*

XL. Manifesta iam solutio est, Nam si prædicationem sumit Salmero pro concione publica; fateor non semper aut qui prædicat, remittere peccata; aut qui remittit, prædicare. Sed nego propterea sequi remissionẽ peccatorum non esse prædicationem: quia nimirum concio non complectatur omnes partes prædicationis Sin autẽ prædicatio sumatur ἀντὶ τοῦ εὐαγγελίζειν, tum dico etsi non semper remittat peccata, qui euangelicet: tamen qui remittat peccata, semper euangelizare, & hoc modo prædicare Euangelium: quandoquidem ipsa peccatorum remissio est pars Euangelij; imo vt loquebatur Caluinus, summa Euangelij, Luc. 4 *κηρύξαι vt prædicẽ captiuis dimissionem.* Et 24. *Et prædicari in eius nomine resipiscentiam ac remissionẽ peccatorũ.*

XLI. Secundum. Paulus absentem Corinthium incestuosum ab indicta absoluebat pœna, quem prius Sathanæ ligando tradiderat: nec tamen quisquam absentibus, & longe positis concionari dicitur.

XLII. Vtrunque falsum. Nam & prædicari, id est euangelizari potest absentibus longeque positis: nimirum scribendo: & factum ab Apostolis: Tertullianus de Præscript cap. 21. *Ecclesias ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tum viua voce, tum per Epistolas postea.*

XLIII. Et rursus ab Apostolo absentem fuisse absolutum non legimus: sed Apostolum hortatum esse potius Corinthios vt præsentem absoluerent. Secundo poster. *Sufficit illi qui eiusmodi est obiurgatio à pluribus profecta: vt è contrario potius vos ei cõdonetis, eumq; consolemini: ne quo modo redũdante tristitia absorbeatur vir huiusmodi. Quapropter precor vos vt ratam faciatis in illum charitatem.* Chrysostomus. Οὐ μόνον κελεύει λῦσαι τὴν ἐπιτίμησιν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τὰ πρότερα ἐπαναγαγεῖν, *Non solum id iubet, vt obiurgationi finis imponatur, sed vt etiam ad priorem statum reducatur.* Post, οὐκ ἔτι ἐπιτάττει, ἀλλὰ παρακαλεῖ, οὐχ ὡς διδάσκαλος, ἀλλ' ὡς ὁμότιμος· κἀκείνους ἐπὶ τοῦ θρόνου καθίσας τοῦ δικαστικοῦ ἑαυτὸν ἔστησεν ἐν τάξει συνηγόρου, *Non iam imperat, sed obsecrat; non vt præceptor, sed vt æqualis: atq; illis in iudiciario subsellio positis & constitutis, ipse in patroni loco atq; ordine se collocauit* Iustinianus, *Huc omnis superior oratio pertinebat: sibi enim prudenter Apostolus Corinthiorum animos demulcendos censuit, & ad lenitatẽ traducendos, vt quemadmodum omniũ suffragijs sontẽ illum damnauerant, ita cõmuni omnium consensu pœnã illi condonarent.*

XLIV. Tertium. Quemadmodum Christus, cum inquit, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris,* distinctum tradidit prędicandi ministerium ab illo Baptismi: ita cum dixit, *Sicut misit me pater,* etiam si maxime ad prædicandum illos destinauerit, distinctum iniunxit munus remittendi peccata, ab altero prædicandi.

XLV Imo non distincta munera; sed eiusdẽ muneris distinctos actus; & quidẽ subordinate; Nam baptizandi partes ad illud ipsum prędicãdi munus pertinent. Itaq; dictum, *docete baptizantes;* id est, vt quos docuissent exempli gratia remissionẽ peccatorum, iisdem eius remissionis Sacramentum traderent. Itaq; quia in Baptismo confertur remissi peccatorum supposita Pœnitentia: ideo his verbis, *Ego mitto vos; quorum remiseritis peccata;* significatur eiusdem missionis actum esse remittere peccata. Quare remissio peccatorum pars est prædicationis Euangelicæ.

XLVI. Quartũ. Ioannis discipuli non essent distincti ab illis Christi; neq; laici à Sacerdotibus, si remittere peccata nõ est aliud, q̃ annuntiare remissionem peccatorum. Nam perinde Ioannes annũtiabat illã cum discipulis suis, atq; Christus cũ suis: ac proinde illã valent p̄stare laici docti atq; Sacerdotes.

XLVII. Primum, nemo docuit nihil differre annunciationem remissionis, à remissione peccatorum; vt explicatum est. Itaque negatur consequentia. Nam prædicatio non significat simplicem nudamque recitationem misericordiæ diuinæ: sed primum cum autoritate diuina: deinde cum applicatione efficaci, quæ pendet ab autoritate muneris. Itaque laicorum prædicatio differt à Sacerdotum prædicatione: cur non etiam peccatorum remissio? Denique si in laicis separatur prædicatio à remissione: non sequitur etiam in Sacerdotibus. Nempe quia in illis ministerium non est, cuius pars est ea remissio.

XLVIII. Quintum. Catechumenus, & excommunicatus admittuntur ad concionem audiendam: qui tamen propterea non dicuntur absolui, nec Catechumenus potest esse Sacramentalis remissionis capax.

XLIX. Respondeo, ex eo sequi actus esse diuersos; at non ministerium aliud. Deinde falsum Catechumenos non esse capaces remissionis peccatorum, etiam Sacramentalis: sunt enim capaces Baptismi; in quo vere est remissio Sacramentalis.

L. Sextum. Pueri, ac fatui, atque in extremis positi, si surditate laborarent, absolui non possent: quia prædicationis ob aurium defectum minime capaces existunt.

LI. Imo in extremis positi, & fatui, & surdi adulti, si nullo testimonio ostenderint Pœnitentiam suam; remissionis capaces non sunt. Sin autem ostenderint, ergo sunt capaces prædicationis: quanquam peculiari quodam modo. Deinde prædicatio non tantum est in sono verborum, sed etiam in aliis signis; vt exempli gratia surdo adhibebuntur gestus quidam idem significantes cum verbis quæ adhibentur apud auritos. Et Sacramenta ob eam causam dicuntur verba visibilia. Sunt autem huius prædicationis per signa capaces etiam infantes, ex institutione diuina. Denique actus sunt diuersi concionari, & remittere peccata: sed non aliud ministerium.

LII. Septimum. Plerumque contriti ac iusti absolutione egent, qui tamen ob doctrinam eximiam opus non habent prædicatione.

LIII. Imo & contriti & iusti, semper opus habent absolutione: quia omnes peccatores. Non enim iustus, ita dicitur, quasi nullum habeat peccatum: vt alias explicatum. Deinde, si opus habent absolutione: ergo prædicatione; quantumuis eruditi. Quia ipsa absolutio prædicatio est; etsi non ad erudiendum imperitum; saltem ad confirmandum peritum.

LIV. Octauum. Idem esset absoluere, & ligare: verboque prædicationis proposito si vnus assentiret, alius dissentiret, contingeret hoc absurdum, vt idem verbum esset sententia ligans, & sententia absoluens.

LV. Negatur idem fore, absoluere & ligare: sed tantum eiusdem prędicationis effecta. Vt quamuis idem calor liquefaciat & induret, tamen tota definitione differunt liquefacere, & indurare. Et sic idem Euangelium est aliis odor vitæ ad vitam: aliis odor mortis ad mortem. Sic in eadem Eucharistia alij salutem suam edunt & bibunt; alij suum judicium. Non sequitur idem verbum esse absolutionis: & condemnationis sententiam; sed sequitur eiusdem verbi consequens, siue effectum esse: sicut idem calor, non est liquefactio, & induratio.

LVI. Nonum. Si remittere est prædicare gratiam remissionis peccatorum credenti: & contra, retinere est gratiam remissionis incredulo negare, profecto absurdus est sensus: quia qui non credit iam iudicatus est, vt ait Dominus. Et Apostolus, *Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare?* Prioris ad Corinth. 5.

LVII. Negamus esse absurdi quicquam. Nam quid tum si iam iudicatus est qui non credit? An quia non potest prædicari sententia iam prius decreta? Atqui id quotidianum, etiam in rebus seculi; neque enim publicatur vlla sententia, nisi eius qui iam condemnatus fuit. Enimvero prædicationis efficacia, non agit in Dei decretum, quod est immutabile; sed in cor hominis, cuius interest id scire, quod alias in eo decreto absconditum est. Itaque cum baptizatur quis (quod quidem verum est Sacramentum Pœnitentiæ) non mouetur Deus, vt tunc primum peccata remittat, sed vt habeat baptizatus testimonium voluntatis diuinæ de remittendis sibi peccatis. Quare ne tum quidem tolleretur absurditas, si remissionem separemus à prædicatione. Quod attinet ad locum ex Epistola ad Corinthios, ego me fateor argumenti vim nullam percipere. Viderit Iesuita ne dum breuis esse laborauit, obscurus factus sit.

LVIII. Sic frustra impugnatur Caluini interpretatio. Bellarminus. Etiamsi, inquit, solum de remissione per annuntiationem Euangelij Dominus loqueretur, adhuc aduersarij Sacramentum negare non possent. Siquidem ipsi omnia Sacramenta, nihil aliud esse volunt, nisi quandam Euangelij annuntiationem ad excitandam fidem institutam. Quemadmodum ergo aquæ aspersio cum verbo, *Ego te baptizo*, Sacramentum est, licet id verbum referatur ad excitandum fidem per annuntiationem absolutionis nomine Dei factam: sic etiam signum Pœnitentiæ, quod peccator ostendit, dum petit absolutionem, cum verbo, *Ego te absoluo*, Sacramentum censendum est; licet illud, *Ego te absoluo*, referretur ad excitandam fidem per absolutionem nomine Dei factam.

LIX. Quid ergo? Viditne Bellarminus quemquã Catholicum vtentem his Christi verbis apud Ioannem tanquam argumento ad probandum Pœnitentiam non esse Sacramentum? Nam Caluinus quidem potius soluit argumentum Papistarum inde petitum, vt probaretur Pœnitentiam, non simpliciter institui; sed institui vt Sacramentum proprie dictum. Hoc ille argumentum, vt infringeret; dixit à Christo indicari summam Euangelij, siue præcipuum fidem. Nempe iudicans non esse necesse, vbicunque indicatur ea summa, siue is finis, ibidem Sacramentum institui. Debuit igitur suum argumentum defensurus Bellarminus, vel interpretationem refutare tanquam alienam: vel si admittat tanquam veram; aut saltem tantisper supponat; probare vbicunque agitur de summa, aut fine Euangelij, ibidem Sacramentum institui. Quorum si neutrum faciat, fateri debet, se non disputare, sed lectoribus imponere velle.

LX. Deinde quod genus hoc est argumentationis? Sacramenta sunt quædam Euangelij annunciatio ad excitandam fidem: At Pœnitentia est quædam annuntiatio Euangelij ad excitandam fidem: Ergo Pœnitentia est Sacramentum. Quis Aristoteles sic instituit? An ea non jam Galeni quarta; sed quinta quædam Bellarmini figura est? Enimuero illa non tota est Sacramenti definitio. Nam additum oportuit signum visibile. Itaque comparatio-

parationem illam Baptismi & Pœnitentiæ consultius omisisset: cum non sit rerum similium: in Baptismo enim est signum visibile; quod nullum in Pœnitentia: vt præcedenti capite disputatum.

LXI. Hactenus loci fuerunt præcipui à quibus eruũt Papistæ institutionem Sacramenti Pœnitentiæ. Reliquorum longe facilius negotium. Dixit Paulus sibi à Deo datum ministerium reconciliationis: & condonauit incestuoso Corinthio. Ita sane, nec dubium, quin aliis. Sed quid ad rem? Nam Caluinus non negauit admittendos ad Ecclesiæ pacem pœnitentes. Imo contra disputauit: & tam solide; vt omnes Papistarum disputationes præ Caluini disputatione straminеæ videantur. Quid ergo? Nempe, nusquam Paulus, aut dixit, aut indicauit, aut indicare visus est Pœnitentiam esse Sacramentum.

LXII. Monuit idem Timotheum ne cuiquam cito manus imponeret, & ne communicaret peccatis alienis. Et inde concludas Pœnitentiam esse Sacramentum? Enimuero vt demus loqui de reconciliandis peccatoribus; tamen nulla esset consequentia. Nam quid tum si impositio manuum nominetur? Atqui olim manus imponebantur Catechumenis, & energumenis, teste Areopagita cap. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: & Concilio Carthaginensi quarto. Et tamen nullum erat Sacramentum. Imo in hac ipsa Pœnitentia negatur impositio esse quicquam essentiale. Quodnam igitur dedit Paulus Sacramenti vestigium?

LXIII. Quid? quod de Pœnitentia, nullus sermo? Imo est, inquit. Quomodo? Ex præcedentibus & sequentibus constat loqui de iudicio confessionis, & reconciliationis. Præcedit enim, *Peccantes coram omnibus argue.* Sequitur etiam, *Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium.* Tum autem ne de Sacramento ordinis intelligatur, obstat; quod si quis sit bonus omnium iudicio, & illi cito manus imponantur ab alio, non continuo, qui imponit, peccat. Tertio, Sacramentum Pœnitentiæ dicitur manus impositio: hoc autem nullibi in Scripturis proderetur, nisi hoc loco explicatum fuisset.

LXIV. Mirum est igitur neminem hactenus aut tam acutum fuisse vt videret; aut tam religiosum vt deferret Salmeronis argumentis. Nam hactenus omnes illam impositionem manuum interpretati sunt de ordinatione. Chrysostomus: *εἶπε δ' τὸ εἰπὼν, ὁ πάντων μάλιστα κωλύων ἡμᾶς ἐπήγαγε, καὶ ὁ μάλιστα σωίχει τὴν ἐκκλησίαν, τὸ τῆς χειροτονίας, Vbi hæc dixit, illud intulit, quod omnium maxime periculosum est, & in primis Ecclesiam continet, de ordinationibus, scilicet.* Descripsit Theophylactus. Imitatus est Oecumenius, *Καὶ περὶ χειροτονιῶν διαλαμβάνει. ἐπισκόπῳ δὲ ἔγραφε, De ordinationibus disserit: scribebat enim ad Episcopum:* Basilius Moralium regula 70. capite 2. *ὅτι δὲ δεῖ περὶ τὰς χειροτονίας ἐυχερῆ εἶναι ἢ πρὸς ἀπερισκέπτως ἐπ' αὐτὰς ἔρχεσθαι, Quod nullo modo, qui Ecclesiæ præest, facilis esse ad designationes debet, neque ad eas inconsideranter accedere.* Theodoretus, *Oportet enim prius examinare vitam eius, qui ordinatur.*

LXV. Latinis idem sensus. Ambrosius, *Sub testatione ergo ea qua ad ordinationem Ecclesiæ mandat custodiri, præcipit nihil fieri sine præiudicio, ne facile aliquis accipiat Ecclesiasticam dignitatem, nisi prius de vita eius & moribus fuerit disputatum, vt dignus approbatus* (an potius, ac probatus) *minister aut Sacerdos constituatur.* Primasius, *Non est enim leue peccatum, mittere margaritas ante porcos, & dare sanctum canibus, & ordinationem clericatus nequaquam sanctis & in lege Dei doctissimis.* Haimo, *Manus nemini cito imposueris, donec probes vitam illius & fidem: vtrum rectam fidem teneat, atque doctrinam illius, vt possit populum docere. Sine his tribus nullus est ordinandus Episcopus aut presbyter: id est, sine fide catholica, conuersatione bona, & doctrina sana.* Adde, præter Hieronymum in Esaiæ 58. & Leonem epist. 87. Gregorium Moralium 5 c. 30. recentiores Anselmum, Lombardum, Thomam, Carthusianum, Caietanum, Gagnæum, Guillaudum. Vnicus Lombardus seorsum abiit, interpretatus de condemnatione eorum qui accusantur: & Sanctesius non refutauit.

LXVI. Iustinianus Iesuita, *An manuum impositione Pœnitentiæ Sacramentum intelligit? Sic sane quidam nullo, vt arbitror, satis firmo argumento: vix enim, ni fallor, huius manus impositionis vllum extat in sacris literis testimonium: quanquam enim olim pœnitentes impositione manuũ nexu soluebantur, atq; adeo etiam in Pœnitentiæ Sacramento adhiberi quotidie solet, neutrũ tamen ex sacris literis, tanquam ad expiationẽ necessarium, colligi potest.* Satin lepidum Iesuitam Iesuitæ contradicere? Sed vin' iocularia ridere? Sa meronem ipsum audi commentantem in eum locũ, *Tertia manus impositio* (duas præmiserat Catechumenorum, & Confirmationis) *erat in vsu patrum, & spectabat ad absolutionis Sacramentũ.* Et post pauca, *Verum huius impositionis manuum nulla est in sacris literis mentio. Quarta erat impositio manuum ad ordines sacros conferendos. Et de hac esse intelligendum præsentem locum, probant tum sacræ literæ, vt Lucas Actor. 6 13. & 14. & Paulus.* Nempe Iesuitis licet aliud stantibus, aliud sentire sedentibus.

LXVII. Iam quid dicendum de argumentis oppositis? Agitur in præcedentibus & sequentibus de iudicio confessionis, & reconciliationis. Hoc falsum. Nam certe confessionis nihil est, nihil reconciliationis. Præcedit, *Peccantes coram omnibus argue.* Estne ea confessio? Contra Salmero: ipse, inquam, Salmero contra, *Peccantes ergo Episcopi, vel quicunq;, qui manifeste fuerint deprehensi peccasse, siue id contingat testimonio duorum vel trium, siue pro euidentia facti, arguendi sunt seuere, & obiurgandi coram omnibus.* Sumpsit ab Ambrosio. Quis in confessione Sacramentali testes postulauit aut etiã facti euidentiam: cum pro vtrisq; sit ipsa confessio? Estne igitur reconciliatio? Atqui hæc ad indulgentiam pertinet: cum Paulus seueritatem potius velit, *Arguendi.* inquiebat Salmero, *Seuere & obiurgandi.* Thomas, *Ostendit quomodo puniatur.* Iustinianus, *Si quando crimen probetur, non esse parcendum.* Nulla igitur aut confessio, aut absolutio.

LXVIII. Sequitur autem, *Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium.* Rursus hic siue confessionem quæro, siue reconciliationem. Certe neutram vel commentatores diuinarunt. Et certe *πρόδηλα, manifesta* peccata non supponunt confessionem. Deniq; intelligunt interpretes mentem Pauli esse, eos qui manifeste mali sunt, esse vitandos. Salmero, *Sunt quidam in manifesto, eo vsq; mali, vt ante iudicium sint manifesti; aut oporteat eos per inductum manifestari & agnosci.* Paulo post, *Illi ergo quorũ est manifeste vita scelerata, fugiendi.* Vbi igitur confessio? vbi reconciliatio?

LXIX. Sed si quis sit bonus omnium judicio, eique cito manus imponat quis, non propterea peccat. Ergo non agitur de Sacramento ordinis. Mittamus Sacramenti nomen; & ordinationem dicamus, ne præiudicium fiat proximæ controuersiæ. Nego antecedens: nego etiam consequentiam. Sine dubio peccatur cum manus cito imponuntur viro etiam manifeste bono: nam illud *cito*, non de tempore dictum siue breui, siue longo; sed de forma ordinationis. Itaque Iustinianus interpretatur temeritatem, *Monet Apostolus non esse quenquam temere sacris initiandum.* Leo Epistol 87. *Quid est cito manus imponere? nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Chrysostomus, *τί ἐστι ταχέως; μὴ ἐκ πρώτης δοκιμασίας, μηδὲ δευτέρας, μηδὲ τρίτης, ἀλλὰ πολλάκις σκεψάμενος, καὶ ἀκριβῶς ἐξετάσας, Quid sibi vult, cito? Non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia: sed vbi consideratio diuturna* (crebra melius) *præcessit, exactissimaque discussio.* Si quis ergo hoc sensu cito, id est, temere, & absque consideratione diligenti quempiam ordinat, peccat: etiam si contingere possit, vt qui ordinetur sit bonus & pius. Quæris rationem peccati? Quia legem migrat; & fenestram aperit infinitis incommodis.

LXX. Deinde; etsi non peccaret, tamen consequentia nihil habet virium: nam cur non similiter: si quis sit omnium judicio bonus, eique cito absolutionem impertiatur quis, non propterea peccat: ergo non agitur de Sacramento Pœnitentiæ? Habetne Salmero docere cur hæc consequentia sit minus legitima, quam illa sua?

LXXI. Superest vltimum argumentum. Sacramentum Pœnitentiæ dicitur manus impositio. At hæc non habet autoritatem ex Scripturis nisi hoc loco: Ergo hic locus intelligendus de Pœnitentia. Negatur consequentia. Id enim verum est, quod in antecedente ponitur pro absurdo. Iustinianus, *Vix huius manus impositionis vllum extat in sacris literis testimonium.* Ipse Salmero rotundius, *Verum huius impositionis manuum nulla est in sacris literis mentio.* Huius nobis demonstratio: non agi de Pœnitentia: alioquin in Scripturis occurret impositio manuum in Pœnitentia. Quid autem esse potest absurdi, vel Papistis, qui tam multa cum nomina, tum etiam dogmata corrogant absque Scripturis: aut Catholicis; qui si non dogmata; at certe nomina sibi libera esse voluerunt? Sic enim Trinitas vsurpata: sic *ὁμοούσιον* nominatum: & nonnulla alia.

CAP. XVI.

De testimoniis Veterum pro Sacramento Pœnitentiæ.

I. AVdiuimus argumenta præcipua: nunc testes interrogemus. Nam Salmero confidentur, *Ratio valida, à firma Ecclesiæ traditione ducitur. Nam ab Ecclesia Dei semper agnitum est pro Sacramento.* Quantam confidentiam non exhibuit Bellarminus, nisi in quingentis postremis annis, *His enim quingentis annis,* inquit, *in tota Ecclesia Sacramentum Pœnitentiæ inter Sacramenta vere ac proprie dicta numeratum esse nullo modo negari potest.* Nos ergo vnde illa tanta fit Salmeronis confidentia attendamus: nam de postremis seculis non est, quod simus soliciti. Distribuam testimonia in classes meo more, facilitatis gratia.

II. Prima classis esto eorum quibus nominata commendataque Pœnitentia est. Amplissima illa quidem, & omnium ferme nominum. Nam quis fuit vnquam Catholicus, qui non plurimus in ea commemoratione fuerit & commendatione? In tanta copia, paucos pro omnibus audisse sufficiat. Basilius in regulis breuioribus interrogatione 229. *Vt vitia corporis nequaquam homines aperiunt, sed ijs tantummodo, qui rationem qua ea curanda sint teneant: eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possunt curare.* Augustinus in homiliis quinquaginta, homilia postrema, *Cum in se protulerit seuerissimæ medicinæ sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, & tanquam bonus incipiens iam esse filius maternorum membrorum ordine custodito à præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum.*

III. Classis altera eorum in quibus remissio peccatorum assignatur effectum Pœnitentiæ. Ambrosius sermone 66. Ambrosius 2 de Pœnitentia cap. 2. *Impossibile videbatur, per pœnitentiam peccata dimitti: concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab eis ad Sacerdotum officia transmissum est, & factum est possibile, quod impossibile videbatur.* Iustinus Dialogo cum Tryphone, *Bonitas & humanitas Dei, & immensitas diuitiarum eius, Pœnitentiam agentis, à peccatis, prout per Ezechielem indicat, perinde atque justum, quique peccatum non admiserit, habet.* Quid hic tamen sim prolixus? Nam certum est apud Catholicos nunquam laudatam Pœnitentiam, nisi propter hanc peccatorum remissionem.

IV. Tertia Classis; efficaciam Pœnitentiæ tribuit Deo. Ambrosius de Pœnitentia libri prioris cap. 7. *Sed dices, quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur?*

V. Quarta, comparãt cum Baptismo, & aliis Sacramentis. Tertullianus de Pœnitentia, *Hæc venena prouidens Deus, clausa ignoscentiæ ianua, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere: collocauit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Cyprianus de Ablutione pedum, *Post Baptismum, qui sui reuerentia non patitur iterari, aliud lauacrum procurasti.* Ambrosius de Pœnitentia lib. 1. cap. 7. *Cur baptizaris, si per hominem peccata remitti non licet? In Baptismo enim vtique remissio peccatorum omnium est. Neque interest vtrum per Pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius Sacerdotes sibi vindicent. Idem in vtroque mysterio est.* Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos, *Redimatur sanguine Saluatoris, aut in dono Baptismatis, aut in Pœnitentia, quæ imitatur Baptismatis gratiam.* Secundo, *Quod scriptum est, Et sanguis Iesu emundat nos ab omni peccato, tam in confessione Baptismatis, quam in clementia pœnitudinis accipiendum est.* Chrysostomus 3. de Sacerdotio, primo coniungit potestatem remittendi peccata, cum potestate conficiendi Eucharistiam: deinde cum Baptismo, *Neque enim solum cum nos regenerant; sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent.* Cyrillus 12. in Ioann. cap. 56. duobus modis peccata remitti à Sacerdotibus, vt Dei ministris, per Baptismum, & Pœnitentiam. Theodoretus capite de Pœnitentia in epitome, sacrorum mysteriorum Baptismi & Pœniten-

Pœnitentiæ figuras fuisse in Testamento Veteri. Leo epistol. 91. quæ ad Theodorum, *Multiplex misericordia Dei, ita lapsibus subuenit humanis, vt non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ.* Augustinus de adulterinis coniugiis cap. 128. *Quæ Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit: nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.*

VI. Quinta, annumerat Sacramentis. Augustinus Epist. 180. quæ ad Honoratum, *Annon cogitamus, cum ad istorum periculorum peruenitur extrema, nec est potestas vlla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confessionem, & erogationem?* Et paulo post, *Si ministri adsint, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur.* Quinto de Baptismo cap. 20. *Si ad hoc valet quod dictum est in Euangelio, vt per peccatorem Sacramenta non celebrentur quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capitis eorum, quibus manus imponitur?* Victor Vticensis de persecutione Vandalica lib. 2. inducit populos alloquentes Sacerdotes, *Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis? qui nobis munus Pœnitentiæ collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? Quia vobis dictum est, Quæcunque solueritis super terram.*

VII. Sexta Classis, ipsi Pœnitentiæ nomen adscribit Sacramenti, siue mysterii. Ambrosius serm. 66. (quanquam is potius Maximo adscribitur.) *Clauis, inquam, est, qua & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterii salutaris includit.* De Pœnitentia 2. cap. 3. *Nonne aduertistis id euidenter iam nobis expositum, quod merendi gratia Sacramenti ad precandum impellimur? Et hoc auferre vultis, propter quod agitur Pœnitentia?* Et postea, *Ergo euidentissima Domini prædicatione mandatum est prauissimi criminis reis, si ex toto corde, & manifesta confessione peccati Pœnitentiam gerant, Sacramenti cœlestis refundendam gratiam.* Chrysostomus 3. de Sacerdotio, loquens de ministro Pœnitentiæ, *Nec enim iustum est, vt qui cum fide ad symbola salutis nostræ accedimus, propter alterius nequitiam incommodemur.* Augustinus docens Sacramenta Baptismatis, & reconciliationis, pœnitenti, cum da vita periclitatur, impertienda esse, in casu quo *credibilius est eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum, ea Sacramenta percipere, sine quibus iam credidit non se oportere de corpore exire*: de adulterinis coniugiis cap. 26. In Psalm. 146. Sacramentum Pœnitentiæ vocat Gregorius Nyssenus de vita Moysis, *Moyses per lapidem mundare aquis eremum fecit: quæ res quantum qualeque sit Pœnitentiæ Sacramentum docet. Nam qui ad Ægyptias voluptates, postquam biberunt de liquido, lapsi sunt, possunt tamen virtute Pœnitentiæ lapidem, quem dereliquerunt inuenire.*

VIII. Hæc sunt mihi lecta testimonia apud Bellarminum, Salmeronem, Gregorium de Valentia. Sunt & alia fortasse apud alios. Sed omnia spero in istas classes facile distribuenda: & similiter explicanda. Nam alioquin nemo nescit Patrum scripta instar esse immensæ syluæ, cuius vix modus sit aut terminus: vt mihi videantur Papistæ similes esse illorum veterum Eremitarum, qui tum demum in syluas induebant se, cum minime vellent à quoquam deprehendi.

IX. De prima, secunda, tertia classe, non est, opinor, quod prolixe simus soliciti. Esse Pœnitentiam; & per eam remitti peccata: siue illam dicas priuatam, quam virtutem dicunt Papistæ; siue alteram publicam, quam Sacramentum esse voluerunt; nemo Catholicus negat: neque vero etiam, eius efficaciam esse à Deo: cuius solius ius est peccata remittere: adeo vt vel non remitti necesse sit, vel remitti à Deo, etiam tum cum per homines. Sed propterea esse Sacramentum, vel, quia fit, vel quia remittat peccata, vel quia Deus in ea operetur, hoc est ipsum quod Catholici negamus.

X. Et quidem vt de postremo agam, nam reliqua faciliora sunt, nihilne est præter Sacramenta, in quo nomen Dei operetur? Ambrosius ipse contra est; eodem loco, vnde testem aduersarij sibi delegerunt, *Omnia denique donauit discipulis suis, de quibus ait, in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: supra ægros manus imponent, & bene habebunt. Omnia ergo dedit: sed nulla in his, hominis potestas est, vbi diuini muneris gratia viget.* Ne Papistæ quidem dixerint in his omnibus singula Sacramenta esse. Quid? ministerium ipsum Euangelij prædicandi, quis in Sacramentis numerauit? Et tamen ad Galatas 2. *Qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum Circuncisionis, efficax fuit etiam per me erga gentes.* Iustinianus, *Græcè ἐνήργησε, id est, vim atque energiam tribuit: qui videlicet gratiæ suæ præsidio Petrum reddidit efficacem tum sermone, tum vi miraculorum, idem etiam mihi persimilem efficacitatem largitus est,* Salmero, *Nec simpliciter operatus, sed vim & efficaciam suam ostendit, tum in sermonis efficacia, tum virtute signorum.* Nimirum effœminauerat Latinus interpres vim Apostolici vocabuli. Idem Apostolus 1 ad Roman. *Euangelium* dixit *esse potentiam Dei ad salutem omni credenti.* Nam, inquit Sadoletus, *In conseruandis & admittendis ad amicitiam sui, sic vniuerse passimque hominibus, nusquam alibi Dei potentia, quam in Euangelio perspicua facta est.*

XI. Comparatur Pœnitentia cum Baptismo, aliisque Sacramentis: hæc quarta classis est. Continuone, inquam, Sacramentum? Refutata consequentia est in Confirmatione. Nam quis ignorat varie res quasque comparari posse; ac proinde varias, diuersorumque adeo generum? Mentiar, si alia Baptismo comparata non doceam. Ambrosij eodem 7. de pœnitentia, textus est, *Vult Dominus plurimum posse discipulos suos, vult à seruulis ea fieri nomine suo, quæ faciebat ipse positus in terris. Denique ait, & maiora his facietis. Dedit vt mortuos suscitarent: & cum ipse Saulo reddere posset visum videndi, eum tamen ad Ananiam discipulum suum misit: vt eius benedictione Saulo refunderentur oculi, quos amiserat: Petrum quoque secum in mari iussit ambulare, & quia titubauit, reprehendit ilico, eo quod dona gratiarum fidei pauxillitate minuisset. Dedit etiam discipulis vt lux mundi essent: & quia discensurus erat è cœlo, & in cœlum ascensurus, Heliam ad cœlum leuauit, inde eum terris placito redditurus tempore. Baptizaturus quoque in Spiritu Sancto & igni, per Ioannem Baptismatis Sacramenta præmisit.* Viden quot rerum capita sint cum Baptismo comparata? Ergone totidem Sacramenta?

XII. Comparantur Pœnitentia, & Baptismus in remissione peccatorum, fateor. Atqui hæc non est integra Sacramenti definitio. Comparatio autem quæ fit ex parte, non potest eandem speciem concludere. Nam quis neget multa esse, in quibus comparari queant homo & bestia? Psam. 49. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ecclesiastis 3. *Vnus interitus est hominis, & iumentorum, & æqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia.* Multa sunt exempla similia. Dico igitur etsi comparentur Baptismus & Pœnitentia in condonatione peccatorum: & sit Baptismus Sacramentum, tamen Pœnitentiam non esse Sacramentum.

XIII. Alioquin necesse esset, quacunque actione remitterentur peccata, eam actionem esse Sacramentum: quod doceo esse falsum: ex Chrysostomi tertio de Sacerdotio cap. 6. quem locum Sophistæ hic citant, non intellectum à se. Nam illud, *Neque enim solum cum regenerant, sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent*: non est dictum de pœnitentia; sed de precibus: & his quidē adeo extra eam Pœnitentiam, quam nunc Sacramentalem appellant. Vide textum, *Parentes nos in præsentem, Sacerdotes in vitam æternam generant. Atque illi certe ne corporalem quidem interitum à liberis amoliri possunt, neque ingruentem morbum propulsare: quum hi laborantem ac mori iam tam propinquam animam identidem seruarint: aliis remissiorem pœnam reddentes; alios prorsus labi non permittentes: οὐ τῷ διδάσκειν μόνον καὶ νουθετεῖν, ἀλλὰ καὶ τῷ δι' εὐχῶν βοηθεῖν: non doctrinā solum atque commonitionis, sed etiam precum præsidio. οὐ γὰρ ὅτ' ἂν ἡμᾶς ἀναγεννῶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ μετὰ ταῦτα συγχωρεῖν ἐξουσίαν ἁμαρτήματα: neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur,* inquit, *inter vos aliquis, accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & obsecratio fidei saluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Manifesta series est aduertentibus. Propositio est; iuuari peccatores precibus Sacerdotum. Hanc probat; quia Sacerdotibus potestas gemina sit remissionis, tum in Baptismo, tum post Baptismum. Illa ante Baptismum, extra controuersiam: hæc demonstratur illo Iacobi loco. At ille Iacobi locus non loquitur de Pœnitentiæ Sacramento. Ergo neque illā Chrysostomi remissio post Baptismum.

XIV. Ambrosius in Psalm 118. literam Guimel, *Non vnum est Baptisma. Vnum est quod hic tradidit Ecclesia per aquam & Spiritum Sanctum, quo necesse est baptizari catechumenos. Est & aliud Baptisma, de quo dicit Dominus Iesus, Baptismo habeo baptizari, quod vos nescitis: & vtique iam baptizatus in Iordane fuerat: sed sit hoc Baptismum passionis, quo etiam sanguine suo vnusquisque mundatur. Est etiam Baptismum in paradisi vestibulo quod antea non erat, sed posteaquam peccator exclusus est, cœpit esse romphæa ignea, quam posuit Deus, quæ antea non erat, quando peccatum non erat: culpa cœpit, & Baptismum cœpit, quo purificentur, qui in paradisum redire cupiebant.* Comparatur Baptismo martyrium, comparatur ignis, siue is purgatorius sit Papistarum, non enim nunc interest, siue alius: & comparantur in ratione remissionis peccatorum, id est purgatione. Suntne etiam ista Sacramenta? Si non sunt, quid iuuat imposturam facere?

XV. Audio ergo libens dupliciter remitti peccata, vel in Baptismo, vel in Pœnitentia, siue id Cyrillus dixerit, siue alius quisquam. Sed non tolero concludentes: Ergo Pœnitentia est Sacramentum æque cum Baptismo. Dico potius, Ergo remitti tum in Sacramento, tum sine Sacramento: & tam facilem, tam procliuem hanc esse consequentiam, quam illam. Possunt enim etiam addi plures modi. Et sine dubio Papista nunquam negauerit remitti peccata & per Baptismum, & Pœnitentiam; & per purgatorium: & negaret tamen purgatorium esse Sacramentum.

XVI. Quinta classis; annumerari Sacramentis obseruabat Pœnitentiam. Optime, inquam: si in eo essent Patres, vt Sacramentorum numerum definirent. Quomodo cum olim enumerabantur libri canonici ex professo quorum librorum nomina in ea reperiuntur nomenclatura, dicendi sunt Canonici. Et in rebuspublicis quum census ciuium fieret; omnia in eo censu nomina ciuitatis ius obtinebant. In Christi genealogia, quoscunque Matthæus, Lucasve est complexus, iidem in Christi προγόνοις retinendi. Hoc si me doceant Papistæ; aliquando Patres, in eodem argumento versantes, in quo versatur Lombardus distinct. 1. quarti initio, Pœnitentiam sic nominasse, quomodo Lombardus nominauit; omnino necesse erit me agnoscere eorum Patrum indicio, judicioque Pœnitentiam esse verum veri nominis Sacramentum.

XVII. Verum, si Patres inducantur aliud agentes, & occasione captata nominum farraginem contexentes: nulla tanta futura est Sophistæ importunitas, vt mihi persuadeat. Si Plutarchus pollicitus esset vitas illustrium Romanorum; crederem Theseum, Aristidem, Ciceronem, Pompeium, Demosthenem; promiscue Romanos fuisse. Sed quia promisit tantum illustres viros; & hoc agens eos nominauit omnes: non obtinebunt Iesuitæ, vt non discernam sua quenque patria. Ad Romanos 16. cum lego Timotheum, Lucium, Iasonem, Sosipatrum, Gaium, Erastum, Quartum: si Episcopos crederem numerasse; nemo mihi facile toleraretur, qui quenquam eorum negaret Episcopum: sed quia versatur Apostolus in salutationibus, quod propositum alienum est ab Episcoporum nomenclatura quantumuis primum illum Timotheum sciam Episcopum fuisse; tamen aliis opus argumentis, vt concedam reliquos itidem fuisse Episcopos.

XVIII. Nempe igitur huc res redit vt inquiramus, vtrum hæ Patrum numerationes sint institutæ ex professo tractantibus de Sacramentis, eorumque numero: an potius aliud aliquid agentibus. Atqui neminem spero tam desperatæ futurum frontis, vt vllis locis nominatis, dicat ex professo numerari Sacramenta. Quin res ipsa per se loquitur: nam Victoris ille locus truncatus, ita perficiendus, *Qui nos solennibus orationibus sepulturi sunt morientes? A quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est consuetus?* Sic Baptismo & Pœnitentiæ adduntur, sepulturæ officium, Eucharistiæque celebratio. Agite Sophistæ, & quia Baptismo, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, annumeratur sepultura, sepulturam dicite esse Sacramentum; dignum sane vestrę subtilitatis operæpretium. Etiam Augustinus numerauit Baptismum, reconciliationem, Pœnitentiæ actionem, consolationem, Sacramentorum confectionem (Bellarminus confessionem maluit) & erogationem. Certe consolatio nullum est Sacramentum.

XIX. Poste

XIX. Postrema classis Pœnitentiam Sacramentum dixit. Hæc vero impostura corona est: nego enim factum: & citatos locos dico prorsus non intellectos Sophistis: sola voculæ titillatione delectatis. Clauem siue Ambrosius, siue Maximus dixit includere ad æternitatem mysterij salutaris. Esto sane: sed æternitatem mysterij, quis docuit, Sacramentum esse nostræ definitionis? Nam mysteria scimus dici tum alia nonnulla, tum arcana doctrinæ; in quibus promissiones æternæ vitæ. Et hoc loco cur non ita simplicissime accipiamus: clauem aperire aditum ad æternitatem vitæ cœlestis, siue regni?

XX. Sed dixit, merendi gratia Sacramenti nos ad precandum impelli. Dixit, inquam, optime: sed Iesuita legit pessime, putans Sacramentum hoc loco dici de Pœnitentia, cum dicatur de Eucharistia: significat enim Pœnitentiam agi à peccatoribus, vt reconciliati ad communionem corporis admittantur. Tractatur enim exemplum prodigi illius, *qui acceptam à patre omnem substantiam deuorauerit viuendo luxuriose: & postea panem patris desiderauit cum vesceretur siliquis; & meruit stolam, annulum, calceamentum; immolationem quoque vituli: quæ speciem habent passionis dominicæ. per quam cœleste Sacramentum nobis donatur.* Hoc exemplo dixit indicari Pœnitentiam, cui pro scopo sit communio Eucharistica. Et sane potuitne Salmero non illud attendere, *Et hoc auferre vultis propter quod agitur Pœnitentia?* Quis enim non videt referri ad illa, *Emerendi gratia Sacramenti?* Aut quis sperasset, quenquam tam tardi futurum ingenij, vt à Pœnitentia non distingueret id propter quod ea agatur? Sed sequentia sunt planiora, cum concluditur argumentum, *Ergo euidentissime Domini prædicatione mandatum est etiam grauissimi criminis reis, si ex toto corde, & manifesta confessione peccati Pœnitentiam gerant, Sacramenti cœlestis refundendam gratiam.* Cuiusnam Sacramenti? Audi præcedentia, *Vitulum præcipiat occidi: quia Pascha nostrum immolatus est Christus. Etenim quotiescunque sanguinem Domini sumimus, mortem Domini annuntiamus. Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est; ita quotiescunque peccata donantur, corporis eius Sacramentum sumimus, vt per sanguinem eius fuit remissio peccatorum.* Itaque Sacramenti nomen Ambrosio non vsurpatur de ipsa Pœnitentia.

XXI. De Chrysostomi symbolis salutis nostræ, quid dicam non habeo. Viderit Salmero vnde descripserit: mihi certe semel atque iterum relegenti totum tertium de Sacerdotio, nusquam occurrit: imo, quod mirere, ne ipse quidem aut Pœnitentiæ, aut symbolorum sonus. Itaque in rem non cognitam supersedeo coniecturas inquirere.

XXII. Augustinum de adulterinis coniugiis, Deum immortalem, quam supine legit Gregorius de Valentia! *Non solum incredibile est*, inquit, *nec in fine vitæ huius baptizari Catechumenum velle, verum etiam si voluntas eius incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare; vbi velit an nolit sic non apparet, vt tamen credibilius sit eum si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus iam credidit non se oportere de corpore exire.* Proh fidem! vbi agatur de Catechumeno in extremis baptizando, ibi Pœnitentiæ Sacramentum imaginari! Quodnam hoc somnij genus est? Docet, inquit, Sacramenta Baptismatis & reconciliationis pœnitenti, cum de vita periclitatur impertienda esse. Itane? At tu, Sophista, pœnitentem Augustino commodas inuito: loquenti potius de Catechumeno: quod vt lateret, tibi visum initium eius truncare periodi. Atqui Catechumeno baptizando, ne tua quidem superstitio potuit addere Pœnitentiæ Sacramentum, cui materia non sunt peccata nisi post Baptismum admissa: quomodo autem in extremis positum? Itaque Sacramenta, vel nominata sunt numero plurali tropice pro singulari, vt intelligatur Baptismus solus: vel si aliter, pro Baptismo & Eucharistia, quæ dari continuo ordine, etiam infantibus, solenne erat Augustini tempore.

XXIII. Sed idem in Psalm. 146. pœnitentiam vocat Sacramentum. Sic Salmero solita confidentia. Prudentior Bellarminus saltem verba recitauit, *Quæ sunt ista alligamenta? temporalia Sacramenta.* Hæccine pœnitentia est? Scilicet causam Bellarminus indicauit, quod agatur de sanandis contritis corde. Ridicule. Nisi forte nulla sit sanatio contriti cordis, extra Pœnitentiæ Sacramentum: cum tamen in Baptismo saltem pœnitentia requiratur: & nulla hæc sit absque contritione. Sed quid opus coniecturis? Augustinum ipsum consulamus eodem illo loco. Non possunt enim Sophistæ eius nomine abutentes potentius confutari, quam eius nomine; *Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ, Sacramenta interim temporalia, quibus habemus consolationem: & ista omnia quæ loquimur vobis, ipsa quæ sonant & transeunt: quicquid in Ecclesia geritur temporaliter. alligamenta sunt contritionum. Quemadmodum enim medicus perfecta sanitate detrahit ligaturam: sic in illa ciuitate Hierusalem cum æquales Angelis facti fuerimus, nunquid putatis ibi nos accepturos esse, quod hic accipimus? Aut ibi recitandum est nobis Euangelium, vt fides nostra permaneat? aut imponenda est manus ab aliquo præposito? Ista omnia alligamenta fracturæ sunt.* Eheus audite sophistæ, magni sed vani aucupes syllabarum. Augustinus alligamenta vocat Sacramenta temporalia: id est, quicquid in Ecclesia geritur temporaliter? Estne aliquid obscuri? Adde exemplum: cum recitatur Euangelium. Eheus, inquam, sophistæ, eruntne vobis iudicibus, Sacramenta; proprij, inquam, nominis Sacramenta, quæcunque temporaliter geruntur in Ecclesia? Eritne recitatio Euangelij, nominis proprij Sacramentum? & quando pudebit tandem?

XXIV. Superest Gregorius Nyssenus Valentiani testis. Is pœnitentiæ Sacramentum nominauit. Vide fascinum, vnius voculæ; & quidem Latini interpretis Trapezuntij, qua audita deierabit non postremi nominis Iesuita definitam esse hanc controuersiam. Videlicet, τοῖς ῥήμασι προσεχθεὶς, ὥστε καὶ σφάλλεσθαι ὅλοις τοῖς πράγμασιν. sonis delusus, & ab ipsis rebus abductus, vt olim ad me scribebat Cotonus. Nyssenus dixit, ὁ δὲ τοιοῦτος λόγος τοῦτο ἂν ἡμᾶς διὰ τῆς νοητῆς θεωρίας διδάξειεν, οἷόν ἐστι τὸ τῆς μετανοίας μυστήριον, *Quæ res per intellectualem cōtemplationem docet nos, cuiusmodi sit pœnitentiæ mysterium*, siue arcanum. Bonus Trapezuntius pro mysterio Sacramentum dixit: stylone luxuriante, an potius præiudicio Papistico? Non facile dictu. Quanquam posterius hoc verisimilius. Solet enim ita agere, vt in Sacramentis μυστήριον Sacramentum dicat, vt μυστικὸν ὕδωρ ἐν τῷ βαπτίσματι, *Sacramentalem aquam Baptismatis*. Alias vocem Græcam retineat, τὸ τοῦ ξύλου μυστήριον, *Crucis mysterium*. Τὸ θεῖον τῆς κατὰ ἄνθρωπον οἰκονομίας μυστήριον, *Diuinum incarnationis mysterium*. Πρὸς τὴν τῶν μυστηρίων κατάληψιν, *Ad mysteriorum cognitionem*. Τὰ ἐγκείμενα τῇ κιβωτῷ τῆς διαθήκης μυστήρια, *Illa mysteria quæ in arca erant*. Et alia plurima. Itaque non dubito, ego quidem, Trapezuntium eadem nunc notione dixisse Pœnitentiæ Sacramentum, qua sacramentalem aquam.

XXV. Sed quid ad nos? Videant aduersarij quam male suo consulant honori, dum valere iussis primis autoribus, ab interpretibus nequeunt auelli. Nos certe si Gregorium Nyssenum testem admittimus in re tanti momenti, Gregorium Trapezuntium tacere iubebimus: Nonne enim ille & potuit & voluit suo sensu exprimere? Nos igitur τὸ τῆς μετανοίας μυστήριον siue arcanum, siue Sacramentum vertas; tamen negamus significare, pœnitentiam esse Sacramentum, quo sensu Baptismus est, & Cœna Domini Sacramentum. Sed alio; vt cum haud multo post Nyssenus dixit, σύμβολον εἶναι τοῦ κατὰ τὸν σταυρὸν μυστηρίου τὸν ὑψωθέντα ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ: id est, Trapezuntio interprete, *Mysterium crucis sublatione serpentis* (longe melius dixisset *elato serpente*) *in deserto figurabatur.* Nempe igitur sensus est; redundantes illas è rupe vndas, figurasse mysterium pœnitentiæ: vt tamen tam nullum sit Sacramentum Pœnitentiæ, quam nullum Sacramentum Crux est.

Cap. XVII.

De extrema Vnctione.

I. De extrema Vnctione disputarunt Enchiridion Coloniense: Martinus Peresius de Traditionibus parte 3. consideratione 6. Lindanus Panopliæ libr. 4. cap. 96. Eckius de Sacramentis, homil. 92. & seqq. Horantius Locorum Catholicorum libr. 7. cap. 9. Hosius Confessionis cap. 49. Klingius Locorum libr. 4. cap. 39. & 40. Alphonsus à Castro aduersus hæreses, lib. 14. Ruardus Tapperus articulo 12. Dominicus Soto in 4. distinctionem 23. Petrus Auratus paradoxo 99. Polygranus in Assertionibus. Croquetius Catecheticarum explicationum catechesi 118. & sequentibus. Lorichius in Fortalitio de extrema Vnctione. Andradius Orthodoxarum explicationum lib. 8. Bellarminus tomi 3. 4. Controuersia generali. Gregorius de Valentia disputatione generali 8. Commentariorum Tomi 4. Salmero tractatu 6. in Epistolam Iacobi. Item Scholastici in 4. sententiarum distinct. 23.

II. Definiuit Soto Laconice, *Est Sacramentum Vnctionis infirmorum ad salutem animi & corporis.* Prolixius descripsit Eckius. *Vnctio hominis infirmi pœnitentiam agentis de peccatis suis, facta in certis membris corporis à Sacerdote cum oleo ab Episcopo consecrato, obseruatis in hoc verbis præscriptis, & cum intentione debita, ex institutione diuina efficaciter significans remissionem venialium, & releuationem mentis, & cætera.*

III. Definito materiam remotam assignant oleum ex oliua; sed consecratum ab Episcopo: propinquam vnctionem variarum corporis partium. Eæ sunt, oculi, aures, nares, os, manus; vtpote sedes quinque sensuum; deinde renes propter concupiscentiam, & pedes ob vim progressiuam, exsequutionumque. Formam triplicem Eckius obseruauit: vnam Romanam, siue Gregorianam deprecatiuam; *Per istam sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti, per visum, auditum,* & reliqua. Alteram Ambrosianam, siue Mediolanensem, absolute indicatiuam, *Vngo oculos tuos oleo sancto, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt quicquid visu illo peccasti dimittatur per huius olei vnctionem, idque per Dominum nostrum Iesum Christum.* Tertiam in Germania & Gallia, ex vtraque illa compositam.

IV. Effectum duplicem notant; remissionem peccatorum, & sanitatem corporis. Sed illum Peresius vocat primum & præcipuum. Eckius, fere præcipuum. At Tapperus negat proprie ad remissionem peccatorum institutum esse, ad plenam sanitatem animæ corporis. Corporis sanitati & addunt, *si ita expediat*: nempe quia non semper contingat: cum alterum effectum Peresius dicat nunquam non consequi infirmum fidelem, qui gratiæ Dei impedimentum non ponat, & Sacramentum digne suscipiat. Peccata tamen distinguunt; vt non sit contra originale, neque absolute contra mortale, sed tantum contra venialia. Ita Eckius asseruit. Bellarminus institutum dixit contra reliquias peccati: & has non probat dici venialia peccata: cum sine Sacramento deleantur: vt inde nulla futura esset probatio in Sacramentis hanc vnctionem numerandam: multo minus habitum ex peccato relictum. Quid igitur? Tum peccata nescio quæ residua, id est, non condonata in reliquis Sacramentis? tum torporem, mœrorem, anxietatem, quæ ex peccato relinqui solet, quęque morti vicinum maxime vexare soleat.

V. Ministrum non dubitant esse Sacerdotem, siue is Presbyter sit siue Episcopus: nullum autem laicum: imo ne diaconum quidem. Nisi si quid turbant priuatæ subtilitates; siue Innocentij primi ambigua verba, quibus siue explicandis, siue soluendis insudatur: siue Scholasticorum testimonia de beata Virgine, à qua dicunt multos fuisse vnctos; & à Genouefa nonnullos, quod Eckius obseruauit; docens eiusmodi vnctiones fuisse non sacramentales, sed medicinales, & miraculosas.

VI. Personam aptam suscipiendo, fidelem qui vsum rationis habeat; non excommunicatum, & iam confessum atque absolutum. Veruntamen infirmum, id est, corpore ægrotantem: & quidem grauiter, ita vt de vita periclitetur. Klingius, *Non in principio infirmitatis quis perungitur: sed paulatim per diuina voluntas exspectatur, donec periculum mortis videmus instare atque imminere.* Eckius, *Nec qualibet infirmitas sufficiens est ad arguendam huius Sacramenti capacitatem: sed quæ multum sit periculosa, iamque minetur mortem: quandiu enim vitæ spes est in aliquo, non debet ei conferri, quia vnctio vocatur extrema, locum non habitura in paruis, vel diu durantibus morbis, & qui alicui vitam tantum prorogant, vt sunt podagra, calculus, & cætera.* Hinc etiam nominis ratio. Tapperus, *Dicitur extrema Vnctio, eo quod extreme laborantibus, hoc est, de quibus metus est, quod ex infirmate morientur, ministratur.* Altenstaig, *Ideo dicitur extremum Sacramentum, sicut nomen sonat, quia post id, aliud non speratur: vnde solum infirmis & periculose ægrotantibus, ita quod de vita eorum desperetur, debet dari.*

VII. Hactenus explicata natura extremę Vnctionis Papisticæ. Nunc fulmina sunt Tridentina, Sessionis 14. *Si quis dixerit extremam Vnctionem*

non

n on ſſe vere & proprie Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à beato Apostolo Iacobo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum à Patribus, ſeu figmentum humanum, anathema ſit. Si quis dixerit ſacram infirmorum Vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, ſed iam ceſſiſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema ſit.

VIII. Ea Papiſtarum ſententia eſt. At Catholicorum; olim cum dona ſanationum vigerent in Eccleſia, id eſt, Apoſtolorum tempore, in vſu fuiſſe infirmorum vnctionem; nimirum vt adhibito ſigno externo Deus operaretur miraculoſe ſanitatem corporis. Itaque fuiſſe quodammodo Sacramentum; nempe quomodo arcus cœleſtis; quomodo vmbra horologij: & ſi quæ ſunt ſimilia: non autem eius ordinis, quem nos nunc præſupponimus: primo, vt proprie inſeruiant gratiæ iuſtificanti: deinde, vt non ſint miraculoſa: denique vt ſint ordinaria: ſic enim conſtitutum libro primo. Quæ cum omnia deſint huic vnctioni; fieri negamus poſſe vt in veris, & propriis Sacramentis numeretur.

CAP. XVIII.

Eandem eſſe Vnctionem, Marci ſexto, & Iacobi quinto.

I. ARgumentantur vt prius Papiſtæ à Scripturis, à Ratione, à Patribus: ſic enim Bellarmino viſum diſtribuere. A Scripturis duos omnino locos audent laudare: vnum Marci 6. de prima Apoſtolorum miſſione, *Egreſſi igitur illi prædicabant; Vt reſipiſcerent homines: & dæmonia multa eiiciebant: vngebantq; oleo multos ægrotos, & ſanabant eos* Alterum ex Iacobi 5. *Infirmatur quis inter vos? accerſat Presbyteros Eccleſiæ, & orent pro eo, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſeruabit laborantem, eriget eum Dominus: quod ſi peccata commiſerit, remittentur ei.*

II. De iis tamen non conſentiunt inter ſe. Bellarminus ſtatum diſſenſus ponit, an cum Apoſtoli vngerent oleo infirmos, & curarent, ea fuerit vnctio ſacramentalis; an potius figura quædam & adumbratio. In priorem aſſertionem ire Thomam Valdenſem, Alphonſum de Caſtro: in alteram Ruardum, Tapperum, Ianſenium, Dominicum à Soto: & horum ſibi partes gratiores eſſe, quod Lutherus, Caluinus, Chemnitius prioribus faueant. Quatuor autem diſputat argumentis: Primo, Omnia Sacramenta per ſe ad animam pertinent; per accidens, & ſecundario ad corpus: At vnctio illa Marci ad corpus referebatur aut ſolum, aut præcipue; Ergo hæc vnctio non erat Sacramentum. Secundo, Omnia Sacramenta magis neceſſaria adminiſtrantur à Sacerdotibus: At hæc vnctio non adminiſtrabatur à Sacerdotibus: nam Apoſtoli nondum erant tales: Ergo hæc vnctio non eſt Sacramentum: Tertio, Sacramentum Vnctionis, non confertur omnibus ægrotis promiſcue: At vnctio illa Marci conferebatur omnibus ægrotis promiſcue, non tantum iis qui ſunt in periculo vitæ: Ergo hæc vnctio non eſt Sacramentũ Vnctionis Quarto, Sacramentum extremæ Vnctionis, non cõfertur niſi baptizatis. Aſt illa vnctio Marci conferebatur nõ baptizatis: neque enim Apoſtoli quicquam eiuſmodi ſciſcitabantur. Ergo vnctio Marci non eſt Sacramentum extremæ Vnctionis.

III. Sic diſputat: ſed aduerſus ſuos; qui & ipſi ſupponunt vnctionem Iacobo nominatam, eſſe Sacramentum. Atqui miſſum non debuit Caluinum facere; & qui cum eo negant vllum Sacramentum aut apud Marcum eſſe, aut apud Iacobum; vtrumque tamen de eadem vnctione eſſe loquutum: ac proinde ſi illa Marci non ſit Sacramentum; ne hanc quidem Iacobi. Quæ ſententia non eſt tam nullius momenti vt pro neglecta haberi debuerit.

IV. Habet enim aſſentientes cum omnes veteres, tum recentes Papiſtas plurimos: ſed & omnes Catholicos. Theophylactum in Marcum, Ὁ περὶ τοῦ ἐλαίου οἱ ἀπόστολοι, μόνος ὁ Μάρκος διηγεῖται, ὃ καὶ Ἰάκωβος ὁ ἀδελφόθεος, ἐν τῇ καθολικῇ ἐπιστολῇ φησιν. *Apoſtolos vnxiſſe oleo, ſolus Marcus narrat, quod & Iacobus frater Dei, dixit in Epiſtola Catholica.* Euthymium, *De vnctione ſolus Marcus loquitur. Admonet autem & hoc Iacobus in Epiſtola ſua Catholica* Zacharias Chryſopolytanus, cap. 45 ſimiliter Marcum exponit Iacobi verbis. Oecumenius in Iacobi hæc verba. Ἀλείψαντες ἐλαίῳ· τοῦτο καὶ τῇ κυρίου ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις συνδιατρίβοντος οἱ ἀπόστολοι ἐποίουν, ἀλείφοντες τοὺς ἀσθενοῦντας ἐλαίῳ καὶ ἰώμενοι, *Hoc etiam Chriſto inter homines adhuc verſante Apoſtoli faciebant: vngentes ægrotos oleo, & ſanantes.* Victor Antiochenus in Marcum: *His ſimilia exponit Lucas quoque: Verum quod de myſtica vnctione, & olei vſu hic ſubiungitur, hoc inter Euangeliſtas ſolus Marcus commemorat. Interim quæ Apoſtolus Iacobus in ſua Canonica narrat, ab his non diſſentiunt: ſcribit enim, infirmatur quis.*

V. Gorranus in Marcum, *Ex quo loco ex trema Vnctio traxit originem ſimiliter & ex illo quod dicitur Iacobi vltimo.* Carthuſianus, *Ex hoc elicitur, quod extrema Vnctio infirmorum fuit inſtituta à Chriſto* Lyranus, *Ex hoc loco patet, quod Vnctio extrema, quæ eſt infirmorum fuit inſtituta à Chriſto.* Eraſmus, *Hinc natum apparet; quod hodie ſacro oleo vnguntur periculoſe laborantes.* Beda teſte Dominico Soto in hac controuerſia, *Eandem concluſionem*, inquit Beda, *lib 2. in Marcum, cap. 4. & ſuper Lucam, lib. 3. cap. 7 fundat in commemorato vſu Apoſtolorum, Marc. 6.* Guilaudus in 5. Iacobi, *Sacri doctores ſacris innitentes conſtanter aſſerunt Eccleſiam veritatis columnam & firmamentum, ex hoc loco Marci 6. tanquam ex ipſius Chriſti inſtitutione hanc ſacram Vnctionem vt verum Sacramentum accepiſſe.*

VI. Adde, qui hodie ex profeſſo hanc controuerſiarum partem aduerſum nos diſputarunt: Alphonſum de Caſtro, Lindanum, Eckium, Polygranum, Horantium, Klingium, Auratum, Croquetium, cui teſtes non tantum Oecumenius & Beda, ſed etiam generalia Concilia nominantur.

VII. Quid Maldonatum dico, magni illum nominis Ieſuitam. ille vero etiam vehementer flagellat aduerſariam ſententiam, *Hoc loco*, inquit, *agendum non ſolum contra hæreticos, qui pertinaciter contendunt, hic non eſſe ſermonem de Sacramento extremæ Vnctionis: ſed etiam contra quoſdam Catholicos, qui pene idem videntur docere: quos tamen magno ex parte ætas nondum nouas experta hæreſes excuſat. Quid autem tam attinebat, vigente iam Lutheranorum, & Caluinianorum hæreſi, quoſdam authores dicere, ſcriptiſq; mandare, oleum iſtud ab Apoſtolis, non tanquam Sacramentum ad ſanandos animos ſed tanquam medicamentum ad curanda corpora adhibitum fuiſſe: neque hic de Sacramento, quo nunc Catholica vtitur Eccleſia, extremæ vnctionis agi? Quod idem Caluiniani & Lutherani docent.* Et paulo poſt, *Enimuero qui hic de Sacramento extremæ Vnctionis agi negat, ad tollendum hoc omnino Sacramentum, aut maligne ſi hæreticus, aut imprudenter ſi Catholicus eſt, gradum facit.* Quin tibi caues Bellarmine, tuoq; honori conſulis? Nam vt videas tuam rem agi; refutat ille tua illa quatuor argumenta ſigillatim: *& Miror*; inquit; *quoſdam autores tam leui ratione in re tanti momenti, à vera communique ſententia diſſidere.*

VIII. Nos quicquid nugantur Papiſtæ habentes pro nihilo; hoc retinemus: apud Marcum & Iacobum, agi de eadem vnctione; quæ vſurpata fuerit ab Apoſtolis ex mandato Chriſti, tanquam miraculoſum, atque ideo extraordinarium Sacramentum; cuius ceſſante miraculo pridem ſit vſurpatio non tantum inutilis, ſed etiam ridicula; vel potius ſuperſtitioſa: Etenim vel abduci oportebit eam cæremoniam à prima inſtitutione, quod eſt abſurdiſſimum, cum Dei ſit ſolius inſtituere Sacramenta; vel retineri duntaxat in memoriam præteritæ efficaciæ: quod rurſus fieri nequit: quandoquidem Sacramenta conceſſum ſit eſſe ſigna efficacia. Caluinus in Iacobum: *Fateor equidem pro Sacramento vſurpatam fuiſſe à Chriſti diſcipulis; neque enim illis aſſentior, qui medicamentum fuiſſe putant: ſed quemadmodum veritas huius ſigni non niſi ad tempus durauit, ſymbolum dico ſimiliter fuiſſe temporale. Atque hoc planum eſt. Nihil enim abſurdius, quam Sacramentum vocare quod inane ſit, nec rem ſignatam vere nobis offerat. Donum ſanationis fuiſſe temporale fateri omnes coguntur, & res ipſa demonſtrat. Ergo ſignum eius perpetuum eſſe non oportuit. Vnde ſequitur non veros eſſe imitatores, ſed ſimias eſſe Apoſtolorum, qui vnctionem inter Sacramenta hodie reponunt, niſi effectum ſimul reſtituant; quem ante annos mille & quadringentos Deus mundo abſtulit.*

IX. Hoc igitur illud eſt, quod volumus: idem genus vnctionis à Iacobo nominari, commendarique: quo Marcus ſcripſit vſos Apoſtolos. Et ſane qui neget, hunc vehementer oportret eſſe αὐθάδη. Non enim poteſt ouum ouo ſimilius eſſe: cum vtrinque oleum, vtrinque vnctio, vtrinq; ſint infirmi; vtrinque tandem ſanitatis reſtitutio: Nam quid poſtulari poteſt amplius? Vnicum baptizandi vocabulum vſurpatum à Paulo prioris ad Corinthios 12. & 3. ad Galat. Vnicum Baptiſmatis à Petro prioris tertio, ſufficit vt intelligamus illud à Chriſto inſtitutum Sacramentum: & non ſufficient tot circumſtantiæ in Iacobo, vt comparetur cum Marco? Quid Papiſtas dicam, ſolis aquæ, aut lauandi vocibus arreptis, prophetias plurimas accommodantes Baptiſmo? Quid? Vnicus pœnitentiæ ſonus eiſdem ſatis eſt aut confeſſionis, vt ſtatim concludant confirmari ſua Sacramenta: & nunc coſdem quiſquam toleret tam inepte rigidos, vt non tam rerum vocabulis, quam vocabulorum rebus neglectis, infinitas paraſangas interponant his duobus locis? Nobis non licet eſſe tam moroſis.

X. Concedo, omnia Sacramenta præcipue ad animam referri; quod erat primum argumentum Bellarmini. Nam etſi concluſerit de Sacramentis; tamen idem poteſt inferre differentiam locorum atque adeo hanc ipſam Bellarminus habuit in animo, vt negaret eandem vtrinque vnctionem eſſe: ſed alteram ſacramentalem, alteram minime. Concedo ergo Sacramenta ad animam referri præcipue: Imo amplius, tantum in animam exſerere ſua effecta: neque enim vel vnum dabis cuius promiſſio habeat annexa bona vlla corporalia. Sed inde conficio non magis vnctionem Iacobi eſſe Sacramentum: ac proinde non diuerſam ab vnctione Marci. Nam quis eam docuit præcipue ad animam referri? Fateor equidem longe præſtare animam corpori; & illius habendam præcipue curam: ſed præcipuum finem, non eum appellamus, qui pluris ſit faciendus; ſed cuius proprie gratia hoc illud ve fiat. Etenim etſi ex corporis valetudine proſpera proficiat etiam anima, tamen medicamenti finis præcipuus eſt valetudo, Etſi auctoritas Magiſtratus proficiat Eccleſia, vt pie viuamus, teſte Paulo; tamen eius auctoritatis præcipuus finis eſt Reipublicæ tranquillitas Denique etſi vnctio apud Marcum non erat inutilis fidei ſiue ſeminandæ, ſiue confirmandæ, tamen eius finem potiſſimum fuiſſe ſanitatem corporis ne Bellarminus quidem negat.

XI. Ad eundem modum & nos dicimus: vnctionis apud Iacobum, fuiſſe quidem aliquam vim in animam; ſed potiſſimum tamen, id eſt, proprium effectum, circa corpus. Et ita docere Iacobum. Tum quod hunc priorem nominet, alterum poſteriorem: tum quod iſtum ὑποθετικῶς, ſi in peccatis fuerit, inquit *condonabuntur ei*, illum vero abſolute, *Seruabit laborantem, erigetq; eum Dominus.* Atqui illa hypothetica ratio haberet aliquid indigni, ſi in eum finem proprie inſtituta eſſet vnctio. Nam abſoluta potius in vſu vere Sacramentorum: ad Romanos 6. *Quicunque baptizati ſumus in mortem Chriſti baptizati ſumus.* Denique vrget perſonæ circumſtantia. Nam quemadmodum exorciſmi proprium ſubiectum erat energumenus, quia effectum proprium liberatio à dæmone: ſimiliter vnctionis ſubiectum non quicunque homo, ſed infirmus indicat proprium effectum ſanationem. Nam ſi propria remiſſio peccatorum, quid opus erat infirma corpora deligere?

XII. Et vero ab iſto effectu, vel potiſſimo, vel etiam ſolo, commendatio ſolet repeti. Cyrillus 6. de Adoratione in Spiritu. *Tu vero ſi qua tibi pars corporis dolet, & vere credis hæc verba, Dominus Sabaoth, & alias huiuſmodi appellationes, quas Deo, qui ſecundum naturam eſt, diuina Scriptura tribuit, vim habere pellendi malum illud, pro eo ipſo preces fundens, hæc verba pronuntia. Sic enim rectius quam illi facies, neq; impuris ſpiritibus, ſed Deo gloriam tribues.* Tum verba Iacobi deſcribit. Simeonis Metaphraſtis iſta repetit verba Coccius ex Commentario rerum geſtarum à S. Iacobo Apoſtolo, *Eos, qui ſunt ſereno & tranquillo animo, vt ſe muniant oratione: eos, qui ægrotant, vt oleo vtantur, cum oratione Sacerdotis ad Vnctionem, & id habeant pro morbi medicina.* Author ille quiſquis eſt de rectitudine Catholicæ conuerſationis, in Auguſtini Tom. 9. *Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, non diuini, non ſortilegi, non caragi: neq; per fontes, aut arbores, aut biuia phylacteria exerceantur: ſed qui ægrotat in ſola Dei miſericordia confidat, & Euchariſtiam cum fide & deuotione accipiat, oleumq; benedictum fideliter ab Eccleſia petat, unde corpus ſuum vngatur, & ſecundum Apoſtolum oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: non ſolum corporis, ſed & animæ ſanitatem accipiet.* Ex Gregorij magni libro Sacramentorum Coccius deſcripſit, *Emitte Domine Spiritum*

Sanctum

Sanctum paracletum de cœlis in hanc pinguedinem oliuæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, vt tua sancta benedictione sit omni vnguentum tangenti tutamentum mentis & corporis, ad eleuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis.

XIII. Ac sanè huncin finem frequentatum legis. Certe apud Hieronymum bonus ille Hilarion non tantum *Constantiæ sanctæ fœminæ generum & filiam de morte liberauit vnctione olei.* Sed etiam, *Vniuersi agricolæ & pastores à venenatis animalibus & serpentibus percussi ad eum confugerunt, quo benedictio oleo vulnera tangente certam salutem resumebant.* Fortunatus Pictauiensis in vita S. Germani apud Coccium, *Mulier quadam nomine Fauonia sancto viro oblata est. Hæc velut ferro opposito nulla lege poterat tungere dentes aut labia. Quam in oratorio sacro perungens oleo, palpato vndique capite sine tarditate sanitati restituit.* Similis narratio est de quodam lacerato lupi rabidi impetu.

XIV. Quid? quod hanc vnctionem præcedere iussa est pœnitentia Sacramentalis, alioquin futuram inutilem; Ratbertus Pascasius de Corpore & Sanguine Domini, cap. 8. *Secundum Apostolum, cum aliquis infirmatur, prius adhibenda est confessio peccati, deinde oratio plurimorum, post sanctificatio vnctionis. quia impossibile est per medicinam sanari vllius artis, quem diuina premit vitio.* Regino Prumiensis apud Coccium, *Vnguntur infirmi postquam ab onere peccatorum per confessionem liberati sunt, circa pectus & scapulas.* Anselmus in Elucidario, *Si de peccato pœnitentiam non egit, ista vnctio non solum ei nihil prodest, sed etiam multum obest.* Quod si pœnitentia præsupponitur, omnino etiam remissio. Itaque non remissionem vnctio facit, sed remissioni innititur. Itaque Burchardo apud Coccium hæc series est, *Infirmos visitate, & eos reconciliate, & iuxta Apostolum oleo sancto vngite.* Necesse est igitur vnctionis proprium effectum esse corporalem sanitatem.

XV. Et vero obseruandum; ab ipsis doceri Papistis non certum, & necessarium effectum esse huius vnctionis, remissionem peccatorum. Concilium Tridentinum, Sessione 14. *Res est gratia Spiritus Sancti, cuius vnctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, vt peccati reliquias abstergit.* Nota, si quæ sint. Non ergo semper esse creduntur. Si autem non sint, tum sane nullum esse oportet vnctionis effectum. Si hoc verum: Ergo non perpetuo, non necessario est efficax. Atqui ex institutione sua omne Sacramentum est efficax. Sic quicunque baptizatur legitime, eidem remittuntur peccata: & quicunque accipit communionem Eucharisticam, idem corpus & sanguinem Christi recipit. Quod si non est vnctionis certum effectum remissio peccatorum: Ergo potius alterum, sanitas corporis. Vel si neutrum certum; Ergo ipsa non est Sacramentum.

XVI. Nam quod excipiunt quidam non esse Apostolos institutos chirurgos, non attendunt quid dicant; Certe non tantum post passionem id verum, sed etiam ante crucem. Et tamen ante crucem hæc curatio erat; & quidem promiscua; vngebanturque promiscue, teste Bellarmino in tertio argumento, quilibet ægroti, vt cœci, claudi, sanabanturque, teste Marco. Neque Hilarionem nihil nisi chirurgum egisse accusaturi sunt, qui tamen agricolas & pastores vniuersos à serpentibus percussos, vnctione sanabat. Quid ergo? Nempe puerilis criminatio est; neque verum hanc curandi corporis rationem quicquam habuisse chirurgium. Nisi forte ipsum Christum chirurgum faciant, quia teste Lucæ 4. *Omnes qui habebant ægrotantes morbis variis, ducebant ipsos ad eum ille vero vnicuique ipsorum impositis manibus sanauit eos.* Matthæi decimo quinto: *Adiit eum turba multa habens secum claudos, cæcos, mutos, mancos, & alios multos. & abiecerunt eos ad pedes Iesu, & sanauit eos.*

XVII. Secundum Bellarmini argumentum, à Sacerdote administrari omnia Sacramenta: Soluit Maldonatus, *Potuit qui legem tulit pro suo arbitrio lege vti. Nam & vt soli Sacerdotes baptizent, nisi aliud necessitas postulet, præceptum est Christi, qui solos iussit Apostolos baptizare: & ex illis ipsis vnus Diuus Paulus affirmat se non ad baptizandum missum esse: & legimus tamen Apostolos, antequam Sacerdotes facti essent, baptizasse.* Cui Bellarminus obiicit, non esse eandem rationem Baptismi, & Vnctionis, cum ille non sit irritus si laicus conferat, etiam extra necessitatem: sit autem irrita vnctio. Sed non vidit hoc ipsum de irrita vnctione, nec à se probari; nec afferri nisi ex supposita persuasione, vnctionem esse Sacramentum: neq; ab omnibus Papistis concedi; vt statim dicam.

XVIII. Nos tamen aliter respondemus, etiam in prima missione fuisse Apostolos Sacerdotes, quatenus Sacerdotum nomen accommodari potest Ministris Euangelij. Nam Sacerdotes eiusdem definitionis cum iis, qui ante Christum, nunquam Christus instituit: quæ tamen alterius est temporis controuersia; hic vero inutilis, quia vnctio non est sacrificium: tum autem administrandæ ei Sacerdotes nullos, sed Presbyteros aduocat Iacobus. Certe autem Apostolos tunc fuisse docet Lucas 6. *Aduocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex eis, quos & Apostolos nominauit.* Dicetne Bellarminus non fuisse Presbyteros, qui erant Apostoli? Aut non fuisse Apostolis vngendi potestatem, quæ Presbyteris non esset denegata?

XIX. Rursus nouit Bellarminus non omnes concedere, Vnctionem istam extremam à solis Sacerdotibus conferendum esse, Innocentij I. hæc esse verba Epistolæ primæ, cap. 8. *Quod (* dictum videlicet Apostoli *) de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quod ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo.* Quæ Bellarminus torquet ad denotandas personas suscipientes id oleum; vt sensus sit Christianis licere Sacerdotes aduocare ad se suosve vngendos. Sed iudicant facile omnes cordati, mire torqueri verba, *non solum Sacerdotibus*, aiebat, *sed omnibus Christianis vti licet inungendo.* Etenim sensus esset non solum Sacerdotes inungi posse: sed etiam quoscunque Christianos: Magnum sane arcanum & dignum, quod Pontifex explicando sudaret: quasi vnquam esset vocatum in disceptationem. Præterea Beda in 5. Iacobi apud Coccium contra est, *Nec solum Presbyteris, sed vt Innocentius Papa scribit, etiam omnibus Christianis, vti licet eodem oleo in sua aut suorum necessitate vngendo.* Certe Bonauentura, quæstione prima, articuli secundi, in distinction. 23. quarti, definit posse dispensari vnctionem in casu necessitatis à non Sacerdotibus.

XX. Denique cur Bellarmino dictum nunquam à Christo factum in Sacramentis magis necessariis; cum hoc qualecumque Sacramentum est, negent sui esse in eo ordine? Bonauentura quæst. 1. art. 1. *Dicendum*, inquit, *quod istud non est Sacramentum necessitatis.*

XXI. Tertio loco negabat promiscue vngendos quoslibet ægrotos: sed tantum in periculo vitæ. Maldonatus negat aliter factum ab Apostolis: & exemplum obiicit claudi à Petro sanati absque oleo, Nos concedimus; sed quod à Papistis ita definitum; negamus aut à Iacobo indicatum: aut à veteribus obseruatum. Enimuero Iacobus simpliciter ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν, *Infirmatur quis inter vos?* Quam phrasim, quis est hominum, qui non nisi desperate ægrotantes complecti dicturus sit? Tum vero nisi vana nobis Gregorius Turonensis narrat historicæ Francicæ lib. 6. cap. 6. Hospitius hoc oleo surdum sanauit; sanauit & cæcum; sed & dæmoniacam; cuiusmodi infirmitates nemo vnquam dixit lethales esse: apud Palladium in historia Lausiaca. cap. vndequadragesimo. Ioannes Lycus Senatorij viri vxorem, quæ oculos amiserat. Denique cum Cyrillus Alexandrinus, tum ille author de Rectitudine Catholicæ conuersationis docuerunt hanc vnctionem adhiberi omnibus morbis, quorum causa concurrerent alij ad artes magicas.

XXII. At Bellarminus primo arguit à vocibus ἐγερεῖ & κάμνοντα. Nam excitare & alleuare proprie iis conuenire, qui decumbant valde oppressi, grauatique: Κάμνειν etiam significare deficere, imo mori: nam inde οἱ κεκμηκότες. *mortui.* Secundo, si non decumberent, possent ire ad Presbyteros, qui tamen iubentur adduci: quod si esset faciendum, nunquam Presbyteris liceret esse apud se. Tertio, non fieri verisimile Iacobum voluisse decurri ad remedia supernaturalia, quamdiu possent naturalia curationi satisfacere.

XXIII. Respondeo in vocibus infeliciter Sophistam græcari. Primo enim ἐγείρειν commune vocabulum esse omnibus decumbentibus quamcumque ob caussam siue grauem, siue leuem. Ob somnum, Matthæi 2. Iosephus Virginis maritus, ἐγερθεὶς, *suscitatus assumpsit puerum*. Octauo, καὶ ἤγειραν αὐτὸν, *Et suscitarent Christum.* Ob casum decimo septimo, *Discipuli ceciderunt in faciem suam: tunc accedens Iesus tetigit eos, dixitque*, ἐγέρθητε, *surgite.* Actor. cap. 9. ἠγέρθη δὲ, *surrexit autem Saulus è terra.* Decimo, ὁ δὲ Πέτρος αὐτὸν ἤγειρε, *Petrus Cornelium* prostratum humi *suscitauit.* Ob commoditatem corporis, vt in conuiuio: Ioannis 13. ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου, *Surrexit è Cœna*, Mitto alia plurima. Magnum sane argumentum, & dignum extrema Vnctione.

XXIV. Τῶν καμνόντων, similes nugæ. Solent enim ita dici; quibuscunque deterior status est: & quidem distinctus à desperato, Appianus Ciuilium tertio, Δέκιμος ἔκαμνεν ὑπὸ λιμοῦ, *Decimus Brutus fame laborabat.* Quam grauiter? Vt voles: at nondum tamen grauissime; nam paulo post, cum iam Hirtius esset cæsus, Μουτίνην τε εἰς ἔσχατον ἀφῖχθαι λιμοῦ, *Mutinam venisse ad extremum famis.* Polybius primo, οἵτε Ῥωμαῖοι καὶ Καρχηδόνιοι κάμνοντες ἤδη τοῖς πόνοις διὰ τὴν συνέχειαν τῶν κινδύνων εἰς τέλος ἀπήλγουν, *Romani quoque ac Carthaginenses laboribus iam defatigati propter continua certamina ad vltimum desperationis iam venerant*: nota prius, κάμνοντες, post ἀπειρηκότες. Halicarnassæus 4. οἵ τε ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ πολέμου ἐπὶ τοῦ στρατοπέδου κάμνοντες, καὶ οἱ κατὰ πόλιν ἀπειρηκότες ταῖς εἰσφοραῖς, *tum qui longo bello in castris fatigabantur; tum qui in vrbe exactionibus in desperationem erant deducti.* Nota alios κάμνοντας, alios ἀπειρηκότας.

XXV. Itaque morbis commune vtrisque; tum sanabilibus, tum salutis spem non admittentibus. Varinus, ἐπὶ τοῦ νοσεῖν, *vsurpatur*, inquit: *pro ægrotare.* Aristophanes, Θεσμοφοριαζούσαις: de Virgine amore saucia, κάμνουσα κόρης. Aristoteles sect. 1 problem. 17. τῶν καμνόντων εἰ τὰς μακρὰς κάμνουσι ἀσθενείας, ægrotantium aliquibus longos esse morbos: ac per consequens aliis breues. Tum vero ἀσθένεια generale nomen: Historiæ animalium octauo, ὕες νοσήμασι κάμνουσι τρισὶν, *Sues triplici morbo laborant*: tum de primo, cui βράγχος, nomen, ἰῶνται δὲ οἱ ὑοβοσκοὶ, *medentur ei subulci*, Libanius declamatione 39. εὐδαιμονέστεροι τῶν ὑγιαινόντων οἱ κάμνοντες, *feliciores sunt sanis, qui ægrotant.* Basilius 11. oratione morali, quæ de morte. οὐδὲ γὰρ ἰατρὸν ἐπαινῶ τὸν αὐτὸν τοῦ βοηθεῖν τοῖς κάμνουσιν, ἑαυτὸν τῶν νοσημάτων ἀναπιμπλᾶ; *Neque medicum laudem, qui cum ægris auxilium ferre debeat, seipsum morbum impleat.* Polybius 12. in pace, τοὺς κάμνοντας ἀναλαμβάνειν, *eos qui ægrotent, refici.* In literis Imperatoris, quibus iubet transferri Synodum ex vrbe Nicea Chalcedonem, in actorem eius Concilij parte 1. Ἔγνωμεν ἐκ τῶν γεγραμμένων παρὰ τῆς ὑμετέρας θεοφιλείας, ὅτι πλείους ἐξ ὑμῶν καὶ διὰ τὸ σώματος ἀσθενὲς, καὶ δι' ἑτέρας αἰτίας διαφόρους κάμνουσι, *Cognouimus ex his quæ à vestra sanctitate scripta sunt, quoniam plurimi vestrum tam corporis infirmitate, quam alijs diuersis caussis laborant.* Denique Theodoretus Dialog. 2. cap. 4. cum diceret μισανθρωπίας ἔργον ἡ τῶν καμνόντων ὑπεροψία, *Immanitatis opus est ægrotantes negligere*: subiiciens, *dandam igitur operam vt & socij simus ægritudinis, & quantum possumus, morbis medeamur*: illustrat tandem inductione, congerens, ὀφθαλμῶν ἐπιῤῥοίας, ἀκοῶν τραύματα, ὀδόντων ὀδύνας, *oculorum fluxiones, aurium vulnera, dentium dolores*: non, opinor, desperatos morbos. Et sanè Diodorus Siculus libro quinto, ita scripsit de Hemitheæ miraculis, Τοῖς τε κάμνουσι κατὰ τοὺς ὕπνους ἐφισταμένην φανερῶς διδόναι τὴν θεραπείαν, καὶ πολλοὺς τοῖς ἀπεγνωσμένοις πάθεσι συνεχομένους παρ' ἐλπίδας ὑγιασθῆναι, *ægrotantibus adsistentem in somnis manifestam contulisse sanitatem: Multos etiam desperatis languoribus laborantes delatos valentes effecisse*: vbi vides. τοὺς κάμνοντας separatos desperatis.

XXVI. Denique norunt οἱ τῶν γραμματικῶν παῖδες, τὸ κάμνειν, id esse quod Latinis laborare lacescere, defatigari. Et quia ægrotis accidit. vt membra sint debilia: inde per εὐφημισμὸν quendam, factum, vt hæc secundaria accesserit significatio: quomodo apud Latinos verbo laborandi. Latinus interpres in Iacobo vertit, *infirmari*; quod est ἀσθενεῖν; & dici de quocunq; morbo, norunt omnes. Itaq; syllabarum aucupatio frustra est.

XXVII. Possent; aiunt, ire ad presbyteros. Sane, inquam, si non decumbant; sed qui decumbunt: eorum alius vsus est, quod norunt medici: etiamsi non omnes æque grauiter. Quid, quod etiam quoscunque afflictos consolaturi, solent inuisere atq; ad eos ire, non contra ad nos euocare? Scilicet verentur ne nunquam sint apud se presbyteri; qui medicos vident & apud se esse frequentes, & quibuscunque morbis sufficere. Denique haud multo plures, opinor, ægrotant, quam nascuntur; moriuntur
& tamen

& tamen nascentibus baptizandis, iisdemq; morientibus vngendis, non desperarunt sacerdotes se fore satis.

XXVIII. Nec putamus sane, cum primum quicquam esse infirmitatis, vel, vt aiunt, minimo in digito, statim accersitos fuisse. Sed hoc vnum extremum est: cui oppositum alterum; vt non deligantur, nisi quorum vita sit desperata; quod hodie faciunt, qui nullam sanitatis rationem habent. Concedimus ergo non fuisse promiscue vnctos quoslibet: sed negamus itidem nullos nisi morituros: negamus vllos vnctos nisi in spem bonam sanitatis; etsi non absq; exceptione.

XXIX. Postremo causabatur Bellarminus non inquisitum ab Apostolis an essent baptizati infirmi. Maldonatus negat hoc vllo Scripturæ exemplo probari posse: non male. Sed & nos dicimus nullo indicio talem delectum à Iacobo confirmatum. A quo generaliter dictum, *infirmatur quis inter vos:* non autem, quis baptizatus.

XXX Itaque cum præter futiles coniecturas nihil proferatur: & has omnes ex occupatione recentis persuasionis, nihil obstat quo minus concludamus similes esse locos, Marci & Iacobi: id est, vtrisq; non tantum eadem verba esse, sed etiam res non diuersas: magno nostro compendio. Nam quia tam verum est illam Marci vnctionem non esse Sacramentalem: vt inde occasio fuerit Lombardo, Bonauenturæ, atque aliis asserendi non ab ipso Christo, sed ad Apostolis illam Sacramentalem institutam fuisse post Christi ascensum in cœlos: nobis prompta conclusio est hanc Iacobi non esse Sacramentalem: quicquid cuiquam visum sit olim: siue nunc Papistis pertinaciter disputaretur.

CAP. XIX.

Apud Iacobum nullum esse Sacramentum Vnctionis.

I. VEruntamen qui in Papistis putantur esse nasutiores, deserto illo Marci loco mordicus hærent Iacobo; & fixe tenent, accurateque defendent ab eo descriptum esse Noui Testamenti Sacramentum; æque vere ac proprie Sacramentum cum Baptismo & Eucharistia. Et primo vehementer cauent ne Iacobus dicatur institutor; sed tantum promulgator; non sine mysterio: cuius tamen inquisitio nihil nunc ad nos. Reliqua potius videamus. Sed prius discamus ex Caietano in eum locum: *Nec ex verbis, nec ex effectu verba hæc loquuntur de Sacramentali Vnctione extremæ vnctionis: sed magis de vnctione, quam instituit Dominus Iesus in Euangelio à discipulis exercendam in ægrotis. Textus enim non dicit, infirmatur quis ad mortem, sed absolute infirmatur quis: & effectum dicit infirmi alleuiationem: & de remissione peccatorum non nisi conditionaliter loquitur: quinto extrema Vnctio, non nisi prope articulum mortis detur; & directe, vt eius forma sonat, tendit ad remissionem peccatorum. Præter hoc, quod Iacobus vnum ægrotum multos Presbyteros, tum orantes, tum vngentes mandat vocari: quod ab extremæ vnctionis ritu alienum est.*

II. Bellarminus tamen suam affirmationem breuissime firmat. Nempe in eo loco haberi omnia quæ ad Sacramenti essentiam requirantur symbolum externum, vnctionem cum oratione: tum promissionem gratiæ, alleuationem infirmi & remissionem peccatorum: tertio, institutionem diuinam: non eam quidem expressam: sed colligendam ex tam constanti promissione Apostoli; qui nunquam tam constanter promisisset, nisi Dominus instituisset & mandasset. Haberi rursus ritum, non ad breue tempus duraturum, sed perpetuum. Nam quia dictum: *Infirmatur quis in vobis;* concluditur duraturum hunc ritum, quamdiu in Ecclesia futuri sint ægroti.

III Respondeo; primo non esse enumerationem sufficientem: quoniam desit forma, tam necessaria, vt absque ea Sacramentum esse nequeat: nam partes essentiales sunt materia & forma: nec magis licet cuiquam creaturæ formam instituere, quam Sacramentum: quoniam forma dat esse rei. Itaq; in Baptisma & Eucharistia hæc non omissa.

IV. Deinde summi omnia vel falsa, vel perperam. Itaque singula examinabo. Primam est dari symbolum externum: Quod quidem negari non potest: sed sumi non satis est ad Sacramentum Noui Testamenti. Sic autem arguo; omne Sacramentum Noui Testamenti constat signo analogico; id est, repræsentante rem suam per analogiam propriam: At hæc vnctio non constat signo sic analogico: Ergo non est Sacramentum Noui Testamenti. Maior patet ex positis lib. 1.

V. Superest minor demonstranda. Si vnctionis signum est analogicum: ergo vel ad sanitatem corporis, vel ad remissionem peccatorum: At neutrum. Ergo non est signum analogicum. Consequentia manifesta est? quia ex Papistarũ doctrina, huius vnctionis gemina est res significata, nempe sanitas corporis, & remissio peccatorum. Vbi mitto dicere, nouum genus fingi Sacramenti, cuiusmodi definitio nondum apud Theologos audita sit. Nam rem significatam omnes docuerunt esse gratiam iustificantem: nemo autem geminam gratiam dixit: nemo etiam gratiam corporalem. Vt omnino necesse sit retexi à Papistis vniuersum Sacramentorum doctrinam, antequam huic vnctioni in Sacramentis locus constet,

VI. Sed si est analogicum signum; vel sanitatis corporalis, vel remissionis peccatorum. At neutrius: quod probandum. Primum ὅλως: quia nemo hactenus vllam eiusmodi analogiam explicuit. Etsi disputarint ex professo olim Scholastici in vicesimam tertiam quarti sententiarum. Non Bonauentura: non Scotus: non Durandus; Biel, de Palude, de Orbellis, de Aquila: non quisquam quem legerim. Ne ipsi quidem, qui hodie aduersum nos tam animose disquirunt in controuersias: quasi nihil omissuri. Nam quod Durandus notat per formam huius Sacramenti directe significari dimissionem peccati, alio pertinet: quia longe aliud forma est, aliud materia. Et in veris sacramentis materia ipsa similia esse debet ei gratiæ: quæ designatur per formam: vt in Baptismo remissioni similis est ablutio per aquam. & in Eucharistia vnioni nostræ cum corpore & sanguine Christi panis & vinum. Itaq; subtilitas Durandi nullum hic locum habere potest.

VII. Rursus idem probo per partes. Oleum ergo primum non habet analogiam ad sanitatem corporis. Neq; enim habet vllam naturalem similitudinem. Nam in aliis Sacramentis, fundamentum similitudinis est aliquis effectus signi in corpore humano; puta aquæ mundatio; panis & vini nutritio: ast olei nullus talis est effectus, qui referatur ad effectum vllum sanitatis. Itaq; hæc sanitas non potest esse res significata olei.

VIII. Multo minus habet analogiam ad remissionem peccatorũ. Nihil enim efficit in corpore, quod referat eam in animo fieri. In Confirmatione erat nonnihil tale: nempe sicut oleo luctaturi opus habent; ita Spiritu Sancto fideles aduersus inimicas potestates: quanquam hoc ipsum præter morem Sacramenti. Verum hic nihil prorsus. Et sane cum non infrequens olei vsus sit in Scripturis, etiam ad Ceremonias: tamen nusquam occurrit comparatum remissioni peccatorum.

IX. Secundo, dico nullam esse Dei promissionem, nullam institutionem qualem opus est esse in Sacramentis. Ratio manifesta ex præcedentibus: quia hæc promissio est de re, quæ ab elemento efficitur significando. Itaque si nulla significatio sit, nullam esse oportet sacramentalem promissionem: & si hæc sit nulla, nullam etiam institutionem.

X. Deinde, si esset promissio institutioque; ergo efficacia etiam esset sacramentalis; non autem miraculosa. At contra, efficacia olei in sanando corpore miraculosa est; non sacramentalis. Ergo nulla est promissio, nulla institutio sacramentalis. Assumptio firmata est capite præcedenti. Maior patet ex natura Sacramentorum, de qua Augustinus tertio de Trinitate, *Honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira, non possunt.*

XI. Bellarminus contra assumptionem disputat sex argumentis; quorum tria prima negant esse operationem miraculosam: reliqua esse omnino sanitatem corporis. Inuertam ordinem; vt prius agam de sanitate, cuius etiam ratio est prior; deinde de miraculo. Primum igitur mihi erit argumentum; quod illi quartum. Nulla absoluta promissio potuit esse sanitatis corporalis: Ast hæc Iacobi promissio est absoluta: Ergo non refertur ad sanitatem corporis. Probatur maior: Quia si foret absoluta: *Ergo* nemo mortuus fuisset Apostolorum temporibus; nisi qui non obtemperassent: quod est absurdum.

XII. Respondeo, tamen Iacobi promissionem ad sanitatem corporis retulisse interpretes Oecumenium, τοῦτο καὶ τοῦ κυρίου ἔτι τοῖς ἀνθρώποις συναναστρεφομένου οἱ ἀπόστολοι ἐποίουν, ἀλείφοντες τοὺς ἀσθενοῦντας ἐλαίῳ; καὶ ἰώμενοι, *Istud etiam Domino inter homines conuersante Apostoli faciebant, vngentes ægrotos oleo, & sanantes.* Nota ἰώμενοι *sanantes, curantes:* & τοῦτ' ἐποίουν, *hæc faciebant.* Theophy actum in 6 Marci, *Vnxisse oleo Apostolos, solus Marcus narrat: quod & Iacobus frater Domini.* Et post, ἔστιν οὖν τὸ ἔλαιον καὶ πρὸς κόπους ὠφέλιμον, καὶ φωτὸς αἴτιον, *Est igitur oleum & ad morbos vtile, & lucis causa.* Caietanum in Iacobum: *Effectum dicit infirmi alleuiationem.* Guillelmum, *Declarat Iacobus his verbis ægrotorum vnctionem, quæ est Sacramentum, cum ad ægritudinem animi, tum corporis ægrotationem leuandum valere.* Et postea: *Mallem vocare hoc Sacramentum, Vnctionem ægrotantium. Non enim est Sacramentum morientium: sed ægrotantium: non sepulturæ, sed salutis recipiendæ gratia concessum. Vnde in primitiua Ecclesia multi cum vngerentur sanabantur.* Cum sit ergo manifestum loqui Iacobum de sanitate corporis, & loqui tamen absolute: Ergo concedendum est potuisse aliquo modo absolute promissionem esse de sanitate corporis.

XIII. Distinguo igitur absolutam promissionem: vel in seipsa absolutam; ac proinde necessario & semper veram; videlicet vt nullus vngeretur, qui non sanaretur: vel relate ad institutionem signi; vt significetur in eum finem esse institutum. Priori modo conceditur maior: sed negatur minor. At posteriori conceditur minor; negatur maior. Nam etsi non semper medicamenta restituant sanitatem; tamen eadem dicimus sanare hunc illumve morbum: & quanquam non semper vinum lætificet cor hominis, tamen confidenter legimus Psalm. 104. *Vinum lætificare cor hominis:* nimirum quoniam à Deo creatum in eum finem. Ipsi Papistæ huic Sacramento suo addunt absolute promissionem salutis animæ: etsi nolint, opinor, necessario omnes vnctos saluari. Simili ergo modo nihil obstat quo minus dixerit Iacobus vnctione hac leuari ægrotos, tantum vt doceret in eum finem institutam fuisse; atq; etiam vsurpandam.

XIV. Nec tamen inde sequitur, nullos eo tempore fuisse morituros. Nam etsi Eucharistia instituta sit salutis causa: tamen nemo vnquam dixit nullos damnari, nisi qui detrectent Communionem sacram: Et nunc Papistæ non dicunt neminem damnari, nisi qui non sit vnctus. Denique cum certum sit ab Apostolis vsurpatam vnctionem ad sanitatem corporis, tamen non est verum neminem mortuum nisi qui non vngeretur.

XV. Breuiter: negamus absolutam vllam promissionem esse apud Iacobum, quæ necessitatem omnimodam infe at non moriendi. Nam etsi nullam addiderit hypothesin; tamen ea non est causa sufficiens ad eam necessitatem inducendam: quoniam potuit altera causa sufficere, quam dixi, vt finem institutionis indicaret. Et sic in Baptismo, proposita promissio remittendorum peccatorum priori sensu non est absoluta: nam qui obicem ponunt, non obtinent: sed tantum posteriori.

XVI. Et sane de ista promissione in re temporali, idem iudicium, quod de similibus multis. Psalm. 41. *Beatus qui prospicit pauperi. In die mala liberabit eum Iehoua. Iehoua custodiet eum, & viuificabit eum: beatus erit in terra; neque tradet eum in animam inimicorum eius. Iehoua fulciet eum super lectum doloris; nunc cubile eius conuertet in infirmitate eius.* Matth. 19. *Quisquis reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros causa nominis mei, centuplicia accipiet.* Quid? non habes diserte ab Ephes. 6. mandatum quintum legis, *Esse primum præceptum cum promissione*, nempe diuturnæ vitæ in terra? Hæ omnes & similes aliæ plurimæ tam sunt profecto absolute conceptæ, quam hæc vna, quæ nunc præ manibus: quas tamen absolute necessarias, neque quisquam dixit, neq; sit verisimile.

XVII. Concedimus ergo huius vnctionis promissionem non esse talem, quæ omni exceptione careret: sed cum conditione voluntatis diuinæ variæ dispensantis euentum, prout videt expedire; etsi nobis ratio non sit in promptu. Quo magis constat non esse Sacramentum. Quia videlicet Sacramentorum legitime celebratorum, id est, tum bene collatorum, tum acceptorum bene, promissiones sunt absolutæ simpliciter: neque vnquam quisquam in Baptismo remissionem non obtinuit, qui fideli animo Baptismum

ſmum acceperit nemo pani & vino Euchariſtico non indigne communicauit, qui corpore & ſanguine Domini non ſit paſtus.

XVIII. Secundum argumentum. Si eſſet promiſſio ſanitatis corporeæ: Ergo non referretur ad animam: At refertur ad animam: quoniam dictum peccata remiſſum iri.

XIX. Quid, inquam, illud eſt, quod non referretur ad animam? Vnctione tota? an peculiariter promiſſio reſtituendæ ſanitatis? Vtrumq; ridicule. Nam de primo contra Theophylactus in Marcum, Σημαίνει τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, δι᾽ ἧς καὶ πόνων ἀπαλλαττόμεθα, καὶ φῶς καὶ χαρὰν, καὶ ἱλαρότητα πνευματικὴν δεχόμεθα, *Significat miſericordiam Dei, & gratiam Spiritus: per quam tum morbis liberamur, & lucem, gaudium, hilaritatemq; ſpiritualem obtinemus.* Guillaudus in Iacobum, *Cum ad ægritudinem animi, tum ad ægrotationem corporis ad leuandam valere.* Ergo, inquam, cum geminum ſit eius effectum, vnum pertinens ad corpus, alterum ad animam; inepta & abſurda conſequentia eſt, ſi vnctio pertineat ad corpus, ergo ad animam non pertingere.

XX. Sin alteram promiſſionis partem dicit; diſtinguendum rurſus primario, an ſecundario. Nam primario non pertinere ad ſanitatem corporis concedimus. Neque opus fuiſſe dicimus. Nam ſic ſcimus pietatem habere promiſſiones vitæ præſentis, & futuræ; prioris ad Timotheum quarto: vt tamen vita præſens ſine dubio pertineat ad corpus primario. Sed ſecundario non pertinere ad animam, negamus. Quid enim obſtat, quominus quicquid eſt beneficij temporalis Deus reddat vtile bonis ſpiritualibus promouendis? Certe multis eadem opera Chriſtus & corpora ſanabat, & indulgebat peccata. Veruntamen hanc vnctionem inſtitutam primo & proprie propter ſanitatem corporis, nos quidem contendimus; & Veteres intellexerunt: ſoli recentiores auſi mutare. Itaque ea cauſa nobis vna negandi eſſe Sacramentum.

XXI. Tertium argumentum. Si eſſet promiſſio ſanitatis, ergo pertineret ad ſolos eos, qui tum viuebant: At hoc falſum: Ergo non eſt promiſſio ſanitatis. Probat aſſumptum; quoniam alia omnia, quæ habentur in illa Epiſtola non pertineant ad ſolos, qui tum viuerent.

XXII. Qui tum viuebant, quos dicis? Eoſne qui duntaxat tempore Iacobi? Negatur conſequentia. Non enim non productum eſt vltra Iacobi annos donum curationum: vt conſtat ex hiſtoria Eccleſiæ: Et credo iam mortuum fuiſſe, cum Lyſtriæ claudum ſanaret Paulus. Quod ſi durauit effectus, cur non ſignum? Sin autem dicis eos, qui fuere poſt ſublata dona miraculoſa, concedatur ſane conſequentia: vnde etiam nobis vnum argumentum; quibus perſuaſum: & perpetua eſſe Sacramenta, ac proinde eorum effecta. Et non fuiſſe perpetuum huius vnctionis effectum: ac proinde neq; ipſius vſum: ſicut neq; exorciſmi: quem inter Sacramenta nemo vnquam numerauit; & ridicule credimus retineri apud κηροξύλους Papiſtas.

XXIII. Sed aſſumptum negamus. Nam etſi reliqua omnia eius epiſtolæ mandata ſint vniuerſalia; tamen non ſequitur etiam iſtud fuiſſe perpetuum. Neq; enim abſurdum eſt permiſceri quædam certis arctata circumſtantiis, temporis, loci ve, aut perſonarum. Paulus cum Timotheum doceret rationem eligendi presbyteros, inſeruit, *Ne amplius eſſet abſtemius*, prioris 5. Quid? Nonne prioris ad Corinthios 15. inter multa argumenta perpetua firmandæ reſurrectioni, illud eſt non vniuerſale de baptizatis pro mortuis? Vrge Bellarmini argumentum; Omnia, inquies, reliqua argumenta ſunt perpetua: Ergo & iſtud. Eſtne ſani capitis? Poſſunt alia quædam colligi: vt nemini ſit mirum hoc loco Iacobum hortatum eſſe fideles, vt vterentur eo curationis dono, quandiu Deo volente vigeret in Eccleſia: ſicut in priore ad Corinthios Paulus voluit fideles prophetare, & loqui linguis in Eccleſia: non ſemper ſane; ſed quandiu concederetur à Deo.

XXIV. Venio ad altera argumenta, quæ Bellarmino erant de miraculis. Eſto mihi quartum, quod illi primum. Si ageretur de miraculis, non dixiſſet, *infirmatur quis in vobis*: ſed generalius: neque eſſet conſultum iis ſolum qui decumberent ex periculoſo morbo: ſed etiam cœcis, ſurdis & claudis.

XXV. Reſpondeo; non facile conſtare vtrum ſit hoc vnum an duo argumenta. Poteſt enim concipi; quaſi ſeorſim vrgeretur illud *in vobis*, ac ſi dicendum eſſet generalius; vt præceptum eſſet omnibus Chriſtianis. Deinde illud expenderetur de differentia morborum. Poteſt etiam, quaſi hoc de differentia morborum, explicet illa generalitatem. Viderit Bellarminus: ego dum ſum incertus eius mentis, vtrumq; expendo.

XXVI. In priore igitur negatur conſequentia: nam neque prohibentur, quæ generalia ſunt applicari ſingularibus, nec quæ ſic applicata ſunt, deſinunt vniuerſalia eſſe. Sic cap. 2. *Fratres mei; ne cum reſpectu perſonarum habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti glorioſi.* Tertio, *Ne eſtote multi doctores, fratres mei.* Viden' applicari particulariter iis ad quos ſcribebat, quaſi ſolis? & ſunt tamen doctrinæ generales. Nam Salmero in illud prius, *Oſtendit religionem veram non eſſe ſi perſonam accipimus.* In alterum Lyranus: *Poſtquam beatus Apoſtolus docuit, fideles bene ſe habere ad proximum in collatione boni, hic conſequenter idem facit in euitatione mali.* Itaq; & hic re vera idem eſt, *Infirmatur quis in vobis*, ac ſi generalius dictum, infirmatur quis. Et fortaſſe non aliter cogitauit Bellarminus.

XXVII. In poſteriore; negatur potuiſſe quicquam generalius dici, quam *Infirmatur quis?* Niſi forte vellet Bellarminus etiam ſanos comprehendi. Nam quod conſultum dicit ſolis periculoſis morbis; antea eſt refutatum. Quod expreſſos vellet cœcos, ſurdos, claudos, quid opus erat? Nam hi ſi ſunt morbi; cur non comprehendantur in τοῖς νοσοῦσι? Certè Græci dicunt, νοσεῖν τὴν ποδάγραν, Imo quod Lucæ 9. legimus ἰᾶσθαι τοὺς ἀσθενοῦντας, *ſanare ægrotos*, habemus Matthæi 10. θεραπεύειν πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν, *Sanare omnem morbum, & omnem langorem*. Quod ſi morbi non ſunt; cur voluit expreſſo Bellarminus?

XXVIII. Quintum argumentum. Si de miraculis ageret Apoſtolus, iuſſiſſet induci potius Prophetas, aut alios qui donum haberent curationum.

XXIX. Quaſi vero, inquam, Presbyteri nulli haberent donum curationum. Vbi dictum? Vnde conſtitutum? Rurſus quaſi Prophetæ id donum habuerint potius. Atqui Apoſtolus notanter diſparat Prophetiam, à dono virtutum, 1. ad Corinth. 12. Neque vero vllum omnino genus, vllus ordo fidelium fuit cui peculiariter donum ſanationis eſſet aſſignatum; itaq; aut promiſcue potuit omnes omittere: aut certe æquo presbyteros peculiariter nominare. Deniq; & etſi apud Marcum agatur de miraculis: tamen peculiariter deſignati fuerunt Apoſtoli.

XXX. Sextum argumentum. Si de miraculis ageretur, non præſcripſiſſet materiam oleum. Qui enim donum habet curationis, adhibet, quod Deus inſpirat.

XXXI. Et tamen, inquam, Marcus agit de miraculis; aſſignans tamen materiam, & quidem eam ipſam, oleum. Sumpſit ergo Apoſtolus ex vſu tum vulgato. Nam nobis quidem perſuaſum iampridem, quod Lindanus ſibi inuentum, quaſi magnum aliquod arcanum putauit; verba Iacobi etiam atque etiam contento animi iudicio librata atque expenſa, vſitatum quendam vnctionis ſonum indicare: quod & probat Gregorius de Valentia. Quid igitur peccatum eſt? Vtuntur qui miracula patrant, iis quæ Deus inſpirat: ſed quis negauit Deum inſpirare vnquam ea quæ ſint vſitata?

Cap. XX.

De præſidio neceſſario morientibus.

I. Nihil vltra habent argumentorum è Scriptura. Rationem pollicetur Bellarminus eruditus à Concilio Tridentino, ex diuina prouidentia. Deus, inquit, prouidit Sacramenta ingredientibus Eccleſiam: & progredientibus. Ergo etiam egredientibus. Antecedens patet ex Baptiſmo & Euchariſtia. Conſequentiæ neceſſitas demonſtratur; quia nunquam magis homo indigeat auxilio & præſidio, quam in articulo mortis, teſte Gregorio, Homil. 39. in Euangelia: Euſebio Emiſſeno Homil. 1. ad Monachos: Ioanne Climacho gradu 7.

II. Reſpondeo primum, conſequentiam non eſſe neceſſariam. Etenim ante Chriſtum, & in veteri lege nullum fuit Sacramentum egredientibus inſtitutum: etſi fuerit ingredientibus Circumciſio; & progredientibus cùm Paſcha, tum ſacrificia reliqua. Tum autem ipſi Papiſtæ infirmant: qui hoc Sacramentum nolunt omnibus egredientibus conferendum, Altenſtaig, *Non debet dari damnatis etiam ad mortem, quia ſunt infames coram Eccleſia: nec debet dari qualitercunq; expoſito periculo mortis: quia non debet dari ei cui imminet mors ex periculo extrinſecæ violentiæ, vt armorum, & ſubmerſionis, vel huiuſmodi.*

III. Concedimus ſane, quod in Confirmatione aſſeritur; poſitis in extremo illo articulo opus eſſe auxilio, & quidem præſentiſſimo: ſed duo notamus. Vnum hac argumentandi ſubtilitate deluſos ſophiſtas diuinaſſe neſcio quod Sacramentum præter Circunciſionem aſſignatum, ſiue infantibus ante Abrahamum, ſiue fœminis non capacibus Circumciſionis. Quaſi imaginarentur Deum nihil efficere poſſe abſq; aliquo exteriori adminiculo. In quo cum deceptos fuiſſe videamus, quis hic non habeat ſuſpectos? Nos ſane ſcimus nihil inſtituiſſe Deum in Eccleſia externorum inſtrumentorũ, quia fuerit neceſſe: ſed contra, ſi quæ ſunt eiuſmodi, eſſe neceſſaria, quoniam fuerint inſtituta: non futura omnino alioquin.

IV. Alterum: non omnia auxilia eſſe Sacramenta. Nam profecto morienti Stephano, nunquam probarit quiſquam Deum defuiſſe; etſi nullo tum præſente Sacramento adiutum fuiſſe conſtet. Simile iudicium de martyribus infinitis, & plurimis aliis; quibus Sacerdotes non ſint ad manum illo inſtanti.

V. Paulus autem docet auxilium efficaciſſimum ad Epheſ. 6. *Aſſumite vniuerſam illam armaturam Dei*, τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, *vt poſſitis reſiſtere tempore aduerſo*, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, *in die mala*, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι, *& omnibus confectis ſtare.* Paulo poſt, *Inſuper aſſumpto ſcuto fidei: quo poſſitis omnia iacula* τοῦ πονηροῦ *mali illius ignita extinguere.* Quo loco hæc notanda; Armari Chriſtianum ad congrediendum cum Diabolo, nam is eſt ὁ πονηρὸς: & quidem in die mala, & ad extinguenda omnia eius iacula. Ergo, inquam, eadem Panoplia eſt optimum præſentiſſimumq; auxilium, atque præſidium in die mortis: tunc enim *hoſtes*, inquit Bellarminus, *fortius impugnant.* Dies autem mala, quid eſt? *Generaliter tempus tentationis*, ait Guillaudus, *ſiue qua mundus contra nos ſæuiens confeſſionem Dei conatur extorquere: ſiue qua alias inſidiatur Sathanas, vt indigna nobis committamus.* Atqui ſi in morte maxime dies eſt tentationis. Quare ad eum diem maxime parata eſt & expedita hæc Panoplia: in cuius tamen enumeratione apud Paulum Vnctio extrema nullo vel loco eſt vel numero.

VI. Poteſt tamen nullo noſtro incommodo conſequentia concedi. Quia etſi inſtitutum oporteat aliquod Sacramentum egredientibus: non tamen neceſſe eſt diuerſum ab aliis, & huic rei proprie affectatum. Nam cur non ſufficiat inſtitutum eidem rei aut Baptiſma, quod Papiſtæ ſubito morientibus tam clamant eſſe neceſſarium, ſi nondũ erat acceptum: ac tum ſolo contendi ſunt: vel Euchariſtiam, quam notum eſt ob eam rem appellatam Viaticum, & curioſe diſtributam agentibus extremum ſpiritum? At nos ſane ſic cenſemus in Baptiſmo, inque Euchariſtia ſine dubio certiſſimum hoc eſſe præſidium, etiamſi nõ eodem momento celebratis; ſed longe prius acceptis: quoniam non ſit eorum fructus momentaneus.

VII. Denique res ipſa loquitur; comparationem Baptiſmi, Euchariſtiæ, Vnctionis, eſſe non legitimam. Nam quod dicitur Baptiſmus inſtitutus ingredientibus, eo eſt, quod Baptiſmus ingreſſum ipſum deſignet, nimirum regenerationem, quæ eius eſt efficacia. Similiter Euchariſtia per manducationem, per quam corpus perſeuerat, & augetur, deſignet ſpiritualem profectum, ſeu progreſſum: Atqui non ſic Vnctio; nihil enim habet quo deſignet; aut etiam efficiat egreſſum, ſiue ex vita, ſiue ex Eccleſia. Vnde igitur abſurditatem conſequentiæ. Nam ſi hæc valet; Si inſtituta ſunt Sacramenta ingredientibus, ac progredientibus: Ergo etiam egredientibus: Hæc itidem valebit, ſi inſtituta ſunt Sacramenta ingrediendi, & progrediendi: Ergo eſt etiam inſtitutum aliquod egrediendi. At hoc poſterius abſurdum. Et ſane quis non horreat, ſi audiat egrediendum eſſe ex Eccleſia? Nam ſi egredi dicas ex vita temporali; immanis anomalia futura eſt: quia Sacramenta Baptiſmi, & Euchariſtiæ, non ſunt ingrediendi, & progrediendi in hac eadem vita.

Cap.

CAP. XXI.

De Vnctione ex Patribus.

I. Deuentum ad veteres: quorum classes duas distinxit Bellarminus. Vnam eorum qui non dicant expresse, Vnctionem esse vnum ex Sacramentis : & tamen expresse dicant verba Iacobi ad nos pertinere, & ad omne tempus. Alteram eorum qui expresse numerent inter Sacramenta.

II. In priori, Concilia: Nicenum primum Canone 69. Arabico, vbi diserta mentio olei infirmorum, distincti à Chrismate, & oleo Catechumenorum. Cabilonense secundum, canone 48. Meldense apud Burchardum lib. 4. Canone 75. Aquisgranense secundum, Canone 8. Moguntinum sub Rabano, Canone 26. Patres; Dionysius Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 7. Origenes in Leuiticum Homil. 2. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio. Augustinus in Speculo; & de Tempore, serm. 215. & 2. de visitatione infirmorum, c. 4. & de rectitudine Catholicæ conuersationis.

III. In altera: Innocentius 1. Epist. 1. Concilium Wormatiense Canone 72. Augustinus de Baptismo contra Donatistas libr. 5. cap. 27. Alcuinus de Diuinis Officiis, cap. 47. Amalarius 1. de Officiis Ecclesiæ, c. 11. Petrus Damiani serm 1. de dedicatione Templi. Hugo secundi de Sacramentis, part. 15. cap. 2 & 3. Bernhardus in vita S. Malachiæ. Lombardus in 4. distinct. 23. & in eum locum Scholastici.

IV. Hæc omnia nomina sunt, quæ à me potuerunt obseruari. In quibus primum manifeste suppositicia sunt quædam. Arabicus ille Canon Niceni Concilij; nunquam antea cuiquam lectus nominatusve aut indicatus: subito quodam quasi miraculo delapsus in manus Turriani, hominis audacissimi, cuique nihil nimium videbatur in interpolanda antiquitate. Qui primus impugnare conatus legitimum illum numerum viginti Canonum, tot non tantum exemplaribus firmatum; sed etiam Veterum testimoniis laudatum. Qui imposturæ illius Athanasij ad Marcum, quasi incorrupto testimonio fidem defert. Qui etiam immani impudentia, quod Africani modeste mirabantur non reperiri in suis Codicibus Canones illos ad se Roma missos, itaque misisse in Orientem, sic interpretatur, qu. si certum haberent sua non esse incorrupta exemplaria. Videant Papistæ quid agant tam variis artibus; quid fidei mereantur sua tam incerta cōmenta, vel Pisani, vel Turriani nomine. Nobis certum est nolle agi ἀλλ' ἄγειν.

V. De Innocentij primi siue ætate, siue laudibus, quas noluit omissas Bellarminus, nolim quicquam detractum. Sed hanc epistolam non esse eius legitimam videor posse certo colligere ex eius cap. 4. vbi de feria sexta & septima, *Non dubitandum est eos* (Apostolos dicit) *ieiunasse biduo memorato, vt traditio Ecclesiæ habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari : quæ vtique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio diei illius*, nempe Dominicæ, *semper est celebranda.* Certe magnum mendacium diebus Veneris & Sabbathi nunquam fuisse Sacramenta celebrata; quod peculiare fuit hebdomadæ proximæ ante Pascha. Ieiunatum autem Romæ fuisse scimus Sabbatho; at non Mediolani; non etiam plurimo terrarum orbe; atque adeo vt Clemens Romanus grauissime interdixerit : quantumuis Innocentius non ieiunare dementis esse pronuntiarit.

VI. Augustino tribui: vel sermonem illū de tempore 215. vel opera de Visitatione infirmorum, aut de rectitudine Catholicæ conuersationis, nemo passurus est, nisi qui Augustini & stylum & ingenium penitus ignorarit. Nam horum stylus profecto est portentosus. In eo sermone, *In Ecclesia verbosari: Balationes, & saltationes: consuetudo balandi.* In Visitatione, mitto quærere quo sensu nepotem dixerit : sed ista quis inficietur æui posterioris & barbari? *Nec digna me, nec digna se proferre potui. Affectuosiori voluntate. Valeas mors mi dilectissima. Deus participatus est nostra humanitatis, vt nos participaremur suæ diuinitatis. Aue igitur, fili mi, de homine tuo facere quoddam participium.* Ex quibus conficitur, vt non tantum non sit Augustini liber, quod libens agnouit Bellarminus, sed etiam non sit antiquus. Croquetius, *Nec arbitror*, inquit, *Augustino vnquam vel lectum vel scriptum fuisse.* In rectitudine stylus idem cum illo sermone, vt non sit ouum ouo magis simile; vnde facilis conclusio esse eiusdem autoris, *Ballationes & saltationes. Genistum* pro Genesi mathematica, *Vbi nunquam exiet. In vobis venient. Phylasteria exercere.* Sed & dogmata dogmatis opposita Augustini, *Nulli creaturæ præter Deum & Sanctos eius venerationem exhibeatis. Securi in die iudicij ante tribunal æterni Iudicis venientes, dicetis, da nobis, quod dedimus : miserere, quia misericordiam fecimus: nos impleuimus, quod iussisti, tu redde quod promisisti.* Addo in vtroque nullum certum argumentum esse propositum, sed promiscuam farraginem præceptorum, nullo numero; nulloque ordine cohærentium, præter morem tanti viri.

VII. Hæc de Personis. Nunc de re. Prima classis nihil nunc nocet. Tantum apta probare, fuisse vnctionem in vsu : non autem esse Sacramentum. Quorum illud non imus inficias: neque enim tam ignota nobis historia Ecclesiæ. Sed quæstiones distinguimus: & quamuis credamus perperam continuatum vsum, post sublatum donum sanationum: sicut perperam continuata lumina medio die, ex primo vsu nocturno: & linguæ Latinæ, ex Latinorum consuetudine : tamen non tam sumus faciles, vt persuaderi possimus omnes ritus vsurpatos in Christianorum vsu, fuisse Sacramenta, vel eorum luminum exemplo, quorum necessitate manifesto sublata, necesse fuit allegorias comminisci.

VIII. Sic satisfactum Canoni Cabilonensi, *Secundum B. Iacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicitur, à Presbytero inungi debent.* Et interpositis paucis; *Non itaque paruo pendenda est eiusmodi medicina, qua animæ corporisq; medetur langoribus.* Meldensi, *Presbyter in Cœna Domini ampullas tres secum deferat, vnam ad Chrisma, alteram ad oleum ad Catechumenos inungendos, tertiam ad infirmos, iuxta sententiam Apostolicam.* Aquisgranense; *Statutum est, vt semel in anno, id est, in quinta feria, quæ est in Cœna Domini, vnctio sancti olei, in quo saluatio infirmorum creditur, per omnes ciuitates ab Episcopis non negligatur, sicut nunc vsq; neglecta est, sed omni deuotione iuxta traditionem Apostolicam ac statuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur.* Moguntinum, *Ideo secundum Canonicam autoritatem* (infirmis) *ianua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra cum vnctione animati, secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.* Hæc illis Conciliis definire, nec aliud: quæ tamen omnia recentiora sunt octauo seculo. Nec omittendum in Meldensi oleum infirmorum connumeratum oleo Catechumenorum, quod nullum Sacramentum est.

IX. In Arabico illo Canone; cuiuscunque tandem momenti sit, agitur de iis qui propter libidinem cum recessissent à fide, erant reconciliandi; *Transacto*, inquit, *anno debet Sacerdos benedicere aquam & oleum: non sicut benedicitur in Baptismo, nec vt benedicitur Chrisma : sed vt oleum infirmorum, & vt benedicitur aqua ad emundationem immunditiæ eorum, qui comederunt morticinium : & sic debet eis benedicere Sacerdos, & aspergere eos aqua : & ipsi etiam debent compungi, & mundabuntur; remitteturque eis peccatum orando pro ipsis.* Proh fidem ! Hiscine verbis confirmari Sacramentum Vnctionis? Mitto ritus inauditos, aquam conciliandis lapsis : aquam mundandis iis qui morticinium comederint : sed quid habet Bellarminus, quo confidat? Oleum infirmorum nominatum distincte, & seorsim à Baptismo ac Chrismate: quod quidem negari non potest. Sed cur non notauit itidem aquam illam vtramque seorsim æque nominatam disparateque à Baptismo & Chrismate? An vero istam concedit non esse propterea Sacramentum: sed esse tamen oleum infirmorum? Cur tam varie.

X. Sed hoc saltem attende: benedici aquā illam, non quomodo aquam Baptismi, aut Chrisma: sed quomodo oleum infirmorum; & aquam purgandi morticinij. Ergo, inquam, non benedicitur oleum infirmorum, vt aqua Baptismi, & Chrisma : sed vtraqua illa tum reconciliationis, tū emundationis, Viden' ergo ab isto Canone Arabico, oleum infirmorum disparari à Sacramentis, comparari nō Sacramentis? & quidem secundum aliud benedictionis genus? Et tu hinc conficias; Bellarmine, oleum infirmorum esse Sacramentum? Scilicet ex spinis vuas doctus colligere.

XI. In Origine lego septuplicem remissionem peccatorum per Baptismum, per martyrium, per eleemosynam, per remissa peccata fratribus, per conuersionem peccatoris, per abundantiam charitatis: & vltimo per pœnitentiam, *Est adhuc*, inquit, *septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum; cum lauat peccator in lachrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panis die ac nocte: & cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam, secundum eum, qui ait; Dixi, pronuntiabo aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatē cordis mei. In quo impletur & illud, quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur.* Et hic quisquam legat vnctionem Sacramentum? Minime vero: sed ad summum, partem pœnitentiæ, siue appendicem. Diserte enim cum pronuntiatum septimam remissionem esse per pœnitentiam, tum additum in eo, id est, in hac septima remissione, impleri illud Apostoli. Atqui negant Papistæ suam vnctionem, partem vllam esse pœnitentiæ: sed ipsam potius per se Sacramentum integrum. Quid illis commune cum Origene?

XII. Deinde nota remissionē peccatorum, non tantum Baptismi esse, id est, Sacramenti veri, sed etiam martyrij, eleemosynæ, charitatis: Imo in Canone illo Arabico, aquæ cuiusdā benedictæ aliter quam in Baptismo. Atqui hæc nulla sunt Sacramenta: etsi Sacramento connumerentur. Cur ergo remissio peccatorum conficiat, Vnctionem esse Sacramentum? Cur sit necesse Sacramenta esse; quæcunq; connumerantur Sacramentis.

XIII. Nec vero etiam Chrysostomi videtur alia mens. Non enim de Sacramentis ex professo sermonem instituebat, sed de remissione peccatorū magna sacerdotij prærogatiua. Imo vnctionis nullius meminit, nisi quantū eam Iacobus nominauit; sed solas ipse preces protulit: nimirum indicans se eas habuisse proprie in animo, reliquam tantum addidisse, vt sæpe fit propter contextus perpetuitatem. Vide locum ἔπει καὶ κάμνουσαν, ἐν ἀπώλλυσθαι μέλλουσαν τὴν ψυχὴν πολλάκις ἔσωσαν· τοῖς μὲν πρᾳοτέραν τὴν κόλασιν ἐργασάμενοι, τοὺς δὲ οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ἀφέντες ἐμπεσεῖν· οὐ τῷ διδάσκειν μόνον καὶ νουθετεῖν ἀλλὰ καὶ τῷ δι' εὐχῶν βοηθεῖν, οὐ γὰρ ὅταν ἡμᾶς ἀναγεννῶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ μετὰ ταῦτα συγχωρεῖν ἔχουσιν ἐξουσίαν ἁμαρτήματα· ἀσθενεῖ γάρ τις, φησίν. *Hi Sacerdotes laborantem ac morti iamiam propinquam animam itidem seruarunt: aliis remissiorem pœnam conficientes: alios prorsus labi non permittentes: non doctrinæ solum atq; commonitionis, sed etiam precum præsidio, neq; enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, aliquis.* Nihil illud aliud. In quo non video quid peculiariter pertineat ad præsentem hanc de Sacramento controuersiam: sed suspicor eundem morbum Papistis esse, qui erat ei qui omnes quas oculis occupabat naues, suas esse dicebat.

XIV. Areopagitam reliquis omissum, Croquetio non neglectum; de vnctione loquutum fateor: & quidem extrema. Sed aut illa Iacobi, aut ista Papistica, prorsus nego. Certum est enim loqui potius de vnctione cadaueris, post exhalatam animam. Vin probari? Primo argumentum capitis sic habet, τούτων δὲ διωρισμένων, ἀναγκαῖον εἰπεῖν ὡς οἶμαι, καὶ τὰ πρὸς ἡμῶν ἱερῶς ἐπὶ τῶν κεκοιμημένων τελούμενα. *His ita constitutis, necessario etiam ea dicenda sunt, vt arbitror, quæ à nobis perficiuntur in iis, qui è vita migrarunt.* Præterea sub finem primæ partis hæc sunt, Οἱ τοῦ κοιμηθέντος οἰκεῖοι, *Propinqui eius qui mortuus est, pro iure diuinæ propinquitatis, ac morum similitudine, & eum quicunq; est, beatum prædicant, quod ad victoriæ finem optato peruenerit, victoriæq; autori gratias cum cantu agunt, & præterea sibi similem requiem optant : Ἀπάγοντες δ' αὐτὸν ἐπὶ τὸν ἱεράρχην ἄγουσιν, Sumptum eum ad Antistitem portant, quasi ad sanctarum coronarum donationem. Ille autem eum libenter accipit, eaque perficit omnia, quæ ex sancto instituto fiunt, τοῖς ὁσίως κεκοιμημένοις, in iis qui sancte dormierunt.* His preces subiiciuntur, quibus finitis αὐτός τε ὁ ἱεράρχης ἀσπάζεται τὸν κεκοιμημένον, καὶ μετ' αὐτὸν οἱ παρόντες ἅπαντες, *Et ipse eum, qui è vita migrauit, salutat, & secundum eum omnes vna qui adsunt.* Ἀσπασαμένων δὲ πάντων ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης, *Cum eum omnes consalutarint, tum antistes oleo mortuum perfundit, sanctaq; precatione pro omnibus adhibita in loco honorato corpus cum aliis eiusdem ordinis sanctis corporibus reponit & condit.* Tale Dionysij mysterium. Cui si qua fides, tum vero mentiri oportet Papistas, suam vnctionem appellantes extremam; qua tamen alia sit posterior.

XV. Sed

XV. Sed instat Croquetius. Licet ibi loquatur de oleo infuso sanctorũ corporibus in cœmeterio inferendis, tamen si quis Theoriam consideret, videbit non hanc solam in cadauere infusionem; sed aliam quoque ante mortem factam fuisse.

XVI. Miram peruicaciam! horrendam impudentiam! vos videte, & detestamini. Loquitur, fateor, de alia vnctione facta ante mortem. Sed illa quænam est, aut quando facta, in extremisne posito? Imo baptizando, Μετὰ δὲ τὸν ἀσπασμὸν ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης, *Secundum salutationem perfundit oleo Pontifex eum qui mortuus est*, Μέμνησο δὲ ὅτι κατὰ τὴν ἱερὰν θεογενεσίαν πρὸ τοῦ θειοτάτου βαπτίσματος, πρώτη μέθεξις ἱεροῦ συμβόλου δίδοται τῷ τελουμένῳ μετὰ τὴν ὁλικὴν τῆς προτέρας ἐσθῆτος ἀπαμφίασιν τὸ τοῦ χρίσματος ἔλαιον· ἐν τέλει δὲ νῦν ἁπάντων ἐπὶ τοῦ κεκοιμημένου τὸ ἔλαιον ἐπιχέεται, *Fac memineris in sacra regeneratione, quæ ex Deo quis nascitur, ante diu nũ Baptisma primam sacri symboli participationem, nempe olei vnctionem, dari initiato postquam omnino priorem vestem exsuerit. Nunc vero confectis omnibus eum qui migrauit è vita oleo perfundi. Ac tum quidem olei perfusio ad sacra certamina, eum qui initiabatur vocabat: nunc autem oleum quod infunditur, eum qui excessit è vita in ipsis certaminibus certasse ac decessisse demonstrat.* Notatur ergo geminam tantum vnctionem agnosci à Dionysio, priorem ante Baptismum, alteram post mortem. Vtram tuam dices Croqueti.

XVII. Pergo ad alteram classem, in qua ordines ductat Innocentius; quem descripserunt: Alcuinus, & Concilium Wormatiense. Titillarunt bonos Papistas hæc verba, *Nam pœnitentibus istud* (Chrisma: sic enim appellat; cum tamen extrema vnctio nisi oleum non habeat) *infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi?* Atqui obseruare debuerant non Sacramentum dici, sed genus aliquod Sacramenti: qua phrasi quis nescit improprietatem significari? Sed vrgeo amplius; & doceo eundem hunc Innocentium, longe lateq; hoc nominis produxisse. Capite 5. de fermento agens, cui hodie apud Papistas pani benedicto nomen; ei tribuit Sacramentorum nomen, *De fermento quod die dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra ciuitatem sint constitutæ. Quarum presbyteri, quia die ipso propter plebem sibi creditam nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, vt se à nostra communione, maximè illa die non iudicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta.* Audin? non debere per parochias mitti fermentum, quia Sacramenta non sint longe portanda? Ergo Innocentio fermentum illud appellatur Sacramentum Cur non potuit eadẽ notione oleum dicere Sacramentũ? Nam & posteri Papistæ aliquomodo retinuere, cum Sacramentalia distinxerunt à Sacramentis.

XVIII. Augustini quinto de Baptismo contra Donatistas tam nulla sunt ad hanc rem verba, vt mirum sit à Iesuitis vsurpari potuisse; nisi docuissent iam multis experimentis nihil esse tam exigui, quod non vertant in suũ magnum commodum. Ille scripsit ad hunc modum. *Cum autem ad verba quæ procedant ex ore homicidæ, possit tamen Deus oleum sanctificare, & in altare quod hæretici posuerunt non possit, nescio: nisi forte cor hominis quem fallaciter conuersum intus non impedit, lignũ fallaciter positum impedit foris, quo minus Sacramentis suis adesse dignetur, nullis hominũ falsitatibus impeditus. Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Euangelio, Deus peccatorem non audit, vt per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponuntur?* Bis nominata Sacramenta; bis etiam oleum. Inde conclusio, oleum Sacramentum.

XIX. Mitto dicere, quod alias docuimus, quam late hoc nomen solebat Augustinus producere: instabo huic tantum loco In quo primum, quod oleum audientes, extremam statim suam vnctionẽ concipiunt, qua faciunt fiducia? Nam oleum adhibetur etiam aliis quam infirmis. Adhibetur, inquam, ipsi Baptismo, vt alias docuimus: adeo vt illud, *vel super aquã Baptismi, vel super oleum*, facile possit exponi de aqua & oleo Baptismi. Deinde, manifestum loqui de sanctificatione olei, non de vnctione. Atqui in vnctione non sanctificatur oleum, sed antea sanctificatum vsurpatur: & cum sanctificatur nullus infirmus vngitur: & vero hanc sanctificationem olei, nemo vel Papistarum dixit esse Sacramentum.

CAP. XXII.

De Ordinatione.

I. VEnimus ad penultimum Sacramentum Ordinem, siue Ordines, siue Ordinationem; sic enim appellant. Tractarunt Enchiridion Coloniense. Catechismus ad Parochos. Gaspar Contarenus 4. de Sacramentis. Peresius de Traditionibus part. 3. consider. 4 Lindanus Panopliæ lib. 4. cap. 76. Polygranus in Assertionibus. Eckius de Sacramentis homil 58 & proximis. Auratus paradoxo 67. Alphonsus de Castro libro 11. hæresi 1. de Ordine. Croquetius Catechesi 183. & seqq. Horantius lib. 7. cap. 10. Klingius lib. 4. cap 10. Lorichius de Ordine sacro hæresi 1. Hosius Confessionis, cap. 50. & seqq Rubeus in Sententiarum 4. distinct. 24. Dominicus Soto in eundum locum. Bellarminus de Sacramento Ordinis controuersiarum tomo 4. Gregor. de Valentia Comment. Theolog. tom 4. disput. 9. Gabriel Vasques in 3. Thomæ disputat 215. & seqq. Salmero tom. 12. tractat. 41. & 42. Lombardus libr. 4. distinct. vicesima quarta, & in eam Scholastici.

II. Ordo cum variæ significat, cum vero etiam genus quoddam quasi graduum designat eminentiæ & dignitatis: quomodo olim in Republica Romana ordo erat publicanorum, equitum, Patriciorum, Senatorum. Ad eam speciem Ecclesiam distingui dicunt; primo in plebem & clerum: vt plebis nomine contineantur omnes, qui nihil sunt nisi Christiani, siue fideles. Qui tamen ordo non dicitur. Cleri nomine comprehendunt omnes quibus aliqua commissa est curanda pars Ecclesiæ; cuiusmodi in Republ. Magistratus sunt generis cuiusque. Definiunt apud Salmeronem; Gradum eminentem in Ecclesia Dei; disponentem ad aliquem actum Sacramentalem rite & legitimè exercendum. Durandus Spiritualem potestatem, vel deputationem ad dispensationem Sacramentorum.

III. Eiusmodi Ordines vulgo numerant septem: sed in duas classes distributos, vt alij Maiores. Illos tres; ostiarios, qui templi ianuis præficiuntur, custodiuntq; eius omnia interiora & exteriora. Lectores, quorum est Scripturam Sacram publice legere. Exorcistas, pellendis dæmoniis ab energumenorum corporibus per manus impositionem. Acolythos, destinatos gestandis cereis, porrigendisque vino & aqua ad Eucharistiam: Maiores vero, Hypodiaconos, qui Diaconis præparent vasa corporis & sanguinis Christi: oblationesq; populi excipiant: Diaconos, qui sacerdoti sacrificanti adsint, seruiantque. Sacerdotes denique, qui ipsi sacrificent. Sic septem facti ordines minimum: nam quidam auxerunt, non tantum qui Episcopatum seiunxerunt à Sacerdotio: sed etiam qui Psalmistas addidere, decantandis Psalmis & hymnis.

IV. Horum ordinum viris initiandis sui sunt ritus, sua solemnia: quibus itidem ordinis nomen relinquunt quanquam Hosius & Eckius ordinationem malint. Et hanc proprie vereque sacramentum dicunt atque definiunt apud Hosium, *Signaculum Ecclesiæ quoddam, per quod spiritualis potestas traditur ordinato, ad quam exercendam, non licet cuiquam se ingerere; veram vocationem expectare necesse est.* Apud Eckium, *Signum sacrum, cum quo potestas spiritualis confertur & officium ordinato.* Vbi notat Rubeus, poni potestatem propter ordines maiores, & officium propter Minores, qui vtpote minus spirituales potius ad officium ordinari, quam spiritualem potestatem in se continere videntur.

V. Esse igitur tot Sacramenta quot ordines, siue septem, siue octo, siue nouem. Nec desunt qui decimum addant, tonsuram, vulgo simplicem: nam etsi ordinem nullum faciat, tamen dicunt præparationem ad ordines, & vestibulum primum: adspiranti enim ad eos ante omnia tondetur caput, id est, aliquot ex capite pili in modum circuli, cui coronæ nomen imposuerunt.

VI. Est tamen alia de minoribus dissensio. Alphonsus de Castro, *Omitto hic minores ordines: quoniam etsi de illis apud vetustos autores non parua fiat mentio, tamen plures Theologi non admittunt minores ordines intra Sacramentorum numerum: quapropter nec etiam vocantur ordines sacri: imo de subdiaconatu Hugo de S. Victore censet non esse Sacramentum.* Vasques disputat. 237. in eam partem disputat: & negat quatuor minores ordines esse à Christo institutos. Eiusdem sententiæ fuit Durandus quæst. 2. sed & Caietanus, teste Lindano. Colonienses, *An autem hosce minores ordines proprie Sacramentum dixeris, non definimus. Certe presbyterium & Diaconatus sola habent certum Scripturæ testimonium:* & Soto totus in eam propendet partem. Addit Gregor. de Valentia, Michaelem Medinam, cap 46. primi de sacrorum hominum continentia: & Nauarrum.

VII. At contra Lindanus: *De hoc inter Catholicæ Ecclesiæ filios discorditer docetur, sed salua fidei pace. Verum D. Thomæ, quam Caietani, atq; Durandi opinio ad veritatem est procliuior* Modeste admodum. Ad Bellarminus cap. 8. ex professo disputat: quod non ausus Salmero, qui, *Ostendamus*, inquit, *ordinationem, quod attinet ad priores eius partes, hoc est, Episcopatum, Presbyteratum, Diaconatum (nam eadem ratio erit de aliis inferioribus) Sacramentum esse Noui Testamenti.*

VIII. Porro singulis ordinibus propriam suam & materiam & formam assignant. Rubeus, *Materia est id quod traditur in collatione ordinis, forma, illa verba, quæ in illius traditione per modum imperij dicuntur.* Lorichius, *Exterius signum in hoc Sacramento, est traditio rei exterioris, spiritualem potestatem, quæ per verba ordinantis confertur, significantis.* Et hæc sententia disputatur à Gregorio de Valentia puncto 5. quæst. 1. Sigillatim exprimit Lombardus; Ostiariis dari claues, & dici, *Sic agite tanquam rationem Deo reddituri de rebus quæ clauibus istis recluduntur.* Lectoribus tradi codicem diuinarum lectionum & dici, *Accipe, & esto verbi Dei relator.* Exorcistas accipere librum exorcismorum, & audire, *Accipite, & habetote potestatem imponendi manus super energumenos & catechumenos.* Acolythis candelabrum cum cereo porrigi, & vrceolum vacuum. Formam tacuit Lombardus Eckius expressit. *Pensate, quod suscipitis. Acoluthum oportet caroferarium ferre, luminarii Ecclesiæ accendere, vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare.* Subdiaconis tradi, patenam & calicem vacuum, & vrceolum cum aqua manili, id est, ad lauandas manus: formam habent in Episcopi oratione quadam. Diaconis manum imponi, imponi orarium, id est, stolam, tradi textum Euangelii. Formam habemus ex Caietano tract. 11. tom. 1. *Accipe potestatem legendi Euangelium.* Presbyteris inungi manus, tradi stolam, calicem cum vino, & patenam cum hostiis, formam expressit supplementum Bielis, *Accipite potestatem offerendi & conficiendi pro viuis & mortuis.*

IX. Hæc summa est eorum, quæ apud Papistas traduntur de ordine, siue ordinatione; quam esse Sacramentum pronuntiauit Concilium Tridentinum, cap. 3. session. 23. *Dubitare nemo debet, ordinem esse vere & proprie vnum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.* Et Canone 3. *Si quis dixerit ordinem, siue sacram ordinationem non esse vere & proprie Sacramentum à Christo Domino institutum: vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis: aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema sit.* Sic Tridento crepuerunt bruta fulmina. Sed qui hodie controuersias tractant, aduersum nos ita disputant, quasi non tantum negaremus ordinem esse Sacramentum, sed etiam funditus ab Ecclesia tolleremus ordinem: quæ immanis calumnia est; quam tamen oportet purgari suo loco, id est postremo tomo, qui erit de Ecclesia, eiusque partibus. Quare nunc continebimus disputationem intra limites Sacramenti. Nos enim vere profitemur negare vllam in vllo ordine Sacramenti rationem esse veram.

CAP.

CAP. XXIII.

De Vnitate Ordinum.

I. ANtequam examino argumenta aduersaria, hoc primum dico. Omne sacramentum est vnum specie: At ordo non est vnus specie: Ergo non est sacramentum. Maior probatur, primum exemplo Baptismi & Eucharistiæ, quorum neutrum multiplicatur nisi in numerum, pro temporibus, personis, & locis. Deinde quia sacramentorum signa oportet esse res naturales actu existentes: atqui hæ non possunt multiplicari nisi numero: itaque ne ipsa quidem sacramenta. Tertio quia constat materia & forma: At quæcunque constant materia & forma, nullam admittunt multiplicationem nisi numericam.

II. Assumptio patet; ex professione Papistarum: quia ordines numerant septem, non secundum numericam multiplicationem, sed secundum specificam. Hoc facile constat; primo quia ordines singuli multiplicantur multiplicatione numerica, nimirum Presbyteratus in multos Presbyteros: & Diaconatus in multos diaconos: & sic deinceps. Atqui ea quæ numero solo inter se differunt, non possunt in seipsis iterum numero multiplicari: vt quia homo secundum numerum multiplicatus est in Petrum, Iacobum, Ioannem, fieri non potest, vt Petrus, Iacobus, Ioannes, iterum diuidantur in plures. Secundo, quæ inter se numerice multiplicata sunt, non differunt materia & forma. Atqui hi ordines differunt inter se materia & forma: ergo non sunt multiplicati numerice. Cum autem necesse sit quæcunque multiplicantur, vel numerice multiplicari, vel specifice: omnino necesse est ordines inter se specifice multiplicari: ac proinde specifice differre.

III. Exercuit Sophistas scrupulus, tum veteres illos Lombardicos, tum recentiores nostros controuersistas. Etenim caudice stupidiorem oportuit esse, qui non vidisset immanem illam anomaliam, præter omnem vsum: adeo vt nulla par occurrere possit. Nostris tamen recentioribus aucta necessitas à Tridentino Concilio, in quo non illa duntaxat occurrit annumeratio, sed etiam peculiariter vnius nomen, *Esse* inquit, *vere & proprie vnum ex septem.*

IV. Scrupulum ergo quomodo soluunt? Nempe vt Sophistæ solent in diuersas abire sententias. Scotus reportatis in distinct. 24. quarti, *Quartus articulus est, quomodo sacramentum ordinis est vnum. Dico quod est vnum genere: sicut dicuntur in genere* (an vnæ genere? *tres virtutes, scilicet iustitia, fortitudo, temperantia: tamen forte multæ in speciali. Sic primaria diuisio sacramenti est in septem: quorum vnum est ordo: & habet sub se septem species contentas convenientes in vnitate generis, vt ordinis.* Idem tenet Petrus de Aquila, *Dico*, inquit, *quod est vnum vnitate generis propinqui: sicut virtutes morales dicuntur esse tres secundum genus, scilicet, iustitia, fortitudo, & temperantia: tamen in speciali quælibet in multa diuiditur.*

V. Alii vnitatem finis elegerunt. Altenstaig, *Licet sint septem ordines, est tamen vnum sacramentum vt scribit Thomas Argentinensis & alii, ratione finis, qui est vnire fideles Christo mediante Eucharistia, quæ est sacramentum vnionis.* Bellarminus vtramque sententiam complectitur c. 8. *Omnes ordines licet sint per se singula sacramenta, tamen vnum sacramentum censeri, quia vnum sunt vel genere, vel quia ad vnum finem omnes referuntur.* Stambachus dixit vnitatem finis & ordinis, *Vnum est*, inquit *ordinis sacramentum vnitate finis & ordinis. Sicut enim species panis & vini sunt vnum sacramentum, quia ordinatum est ad vnam spiritualem hominis refectionem & nutritionem, tanquam ad finem proprium: ita & septem ordines licet plures habeant effectus re, sunt tamen ordine: ideo omnes septem ordines dicuntur vnum sacramentum, quia omnes ordinantur ad finem vnum proprium & immediatum, qui est vnire fideles Christo per Eucharistiam.*

VI. Bonauentura commentus est partes quasdam potestatiuas, quæ participent naturam & partium integralium, & partium subiectiuarum, *Sacramentum*, inquit, *ordinis vnum est: multas tamen habet partes, quæ sacramentum non plurificant, pro eo quod non sunt omnino partes subiectiuæ: & tamen recipiunt prædicationem totius, quia naturam habent, quodammodo partium subiectiuarum: & tales sunt partes potestatiuæ, quæ maxime competunt ordini: tum quia ordo dicitur ordinata potestas, quæ ex ordinatione multorum ad vnum redditur perfecta, & quodlibet illorum participat rationem potestatis, licet non perfecte: tum etiam quia ordo concernit distinctionem in partibus, sicut numerus. Vnde quemadmodum partes numeri quodammodo habent naturam partium integrantium, in hoc quod simul conuenientes per ordinem reddunt numerum perfectum: vt partes senarii constituunt senarium: & tamen qualibet pars numeri est numerus: sic omnes gradus ordinum faciunt sacramentum perfectum: & tamen quilibet gradus ordo dicitur.* Soto probavit artic. 3. *Respondetur, prædictam diuisionem ordinum non esse in partes integrales, sicut diuiditur Sacramentum Eucharistiæ in consecrationem panis & vini quæ sunt duæ partes integrales eiusdem conuiuii, & ideo neutra per se est totum sacramentum, sed ambæ simul, sicut nulla pars hominis, sed omnes simul sunt homo. In præsentiarum namque non solum omnes simul, verum & sacerdotium ipsum est Sacramentum, & diaconatus, & subdiaconatus. At neque est diuisio generis in species: nam tunc omnes simul ordines essent plura simpliciter Sacramenta. Sed est*, inquit, *S. Thomas diuisio totius potestatiui in suas partes. Cuius nonnullum exemplum lucet in anima & eius potentiis scilicet intellectu & voluntate: quæ quidem potentiæ dicuntur quodammodo partes animæ, quamuis sint eius accidentia propria. Natura autem huiusmodi diuisionis est, quod totum secundum completam rationem sit in vno: tamen participatiue in reliquis: sicut tota virtus secundum essentiam est in anima, cuius potentiæ sunt partes ipsæ. Eodem enim modo tota ratio Sacramenti ordinis est in Sacerdotio: in reliquis vero ordinibus est participatio, quatenus ad ipsum omnes referuntur. Atque hac ratione non dicuntur simpliciter plura Sacramenta, sicut si esset diuisio generis in species; sed omnes sunt vnum, non tanquam partes integrales, vt in Sacramento Eucharistiæ, sed quia reliqui sunt supremi Sacerdotii participationes.*

VII. Durandus quæst. 2. bis explicat. Vel quia in ordinibus solum Sacerdotium sit Sacramentum, reliqui tantum Sacramentalia quædam antecedentia de congruitate & non de necessitate: quemadmodum Sacramento Baptismi adiuncta sunt exorcismus, & Catechismus. Vel quia vnitas sit, non indiuisibilitatis, vt in puncto: aut continuationis, vt in linea: sed perfectionis, quando concurrunt omnia quæ requiruntur ad perfectam consequutionem finis ad quam res ordinatur. Sacramentum autem ordinis ordinari ad sacramentum Eucharistiæ ministrandum, in quo requiritur eius confectio, quæ pertinet ad Sacerdotem, & præparatio materiæ, & eius oblatio, quæ ad Diaconum, & Subdiaconum, & dispositio populi, quæ ad minores. Sic igitur nunc esse Sacramentum vnitate perfectionis, & vnum ordinem vnitate attributionis. Et hoc sufficere.

VIII. Gregorius de Valentia traditionem potestatis quæ fit in vnaquaque ordinatione considerari vel vt est traditio potestatis ad ministerium Ecclesiasticum secundum hanc præcise rationem: vel vt est traditio talis potestatis ad tale ministerium. In priori ratione ordines conuenire; in altera differre. Quod si prior habeatur generica, altera specifica; tum sacramenta esse specie differentia: sin autem prior specifica censeatur, altera indiuidualis, tum vero futura numero tantum differentia, & futura omnia vnum sacramentum specie. Veruntamen perinde esse: nam semper futura unum propter respectum & ordinem ad celebrationem Eucharistiæ.

IX. Vides perplexitatem? Summa est vnitatem esse vel generis, vel speciei, vel indiuiduitatis, vel perfectionis, vel ordinis. Inquiramus in singulas. Indiuiduitatis vnitatem nemo ab iis requisiuit. Scimus enim Baptismum & Eucharistiam duo numerari, non tanquam indiuidua, sed tanquam species; sub quibus infinita sint indiuidua: quemadmodum homo habet sub se Adamum, Cainum, Abelem, Sethum, Euam, Saram, Liam. Et pyrus habet hanc pyrum, & secundam, & tertiam, & quartam. Imo quicunque eam amplexi sint, eos dicimus non nisi somniasse tragelaphos in Vtopia. Itaque hanc partem mittamus.

X. Vnitatem specificam, hanc vero operæpretium erat constitui; vt immanis anomalia vitaretur: seu potius mentis ἀφασία. Sed qui potuit? Nam omnino alterutrum necesse est; nempe singulos illos ordines vel totidem species esse, vel totidem indiuidua. Indiuidua esse, prorsus insanum est: nam accidentia in diuersis subiectis numero differunt; vt candor in pariete, in lana, in niue, tres sunt candores: vnde conclud tur candor esse species coloris Sic fides deferentium paralyticum, fides hæmorroissæ, fides cæcorum, Matth 9. fides mulieris Chananææ, decimo quinto, fides Romanorum, fides Pauli, ad Romanos 1. Sic multa alia. Ad eundem modum cum baptizati sunt ter mille homines, Act 2. fuere omnino ter mille Baptismata: quomodo apud Papistas Missæ dicuntur duæ, tres, quatuor, centum, & amplius: imo Missæ quotidianæ. Cum igitur Sacerdotium (vt hoc exempli causa nominem) accidens sit hominis; profecto quotcunque homines sunt in quibus Sacerdotium est; totidem esse oportet Sacerdotia, secundum numerum tantum differentia.

XI. Quod si est; non potest vitari, quin Sacerdotium sit vna species: & Diaconatus altera, tertia Hypodiaconatus: & sic deinceps. Adde argumentum iam allatum à materia & forma: quid supererit? Atqui si hæ sunt species, vitari non potest, vt non sit ordo vnus, vnitate generica: ac proinde non specifica: quæ tamen fuit necessaria.

XII. Qui autem vnitatem generis concedunt, tota indigent Anticyra. Nam quis Deus bone, ita loquutus est vnquam? Quinque esse virtutes, Iustitiam, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, & Theologicam. Nam quia Theologicæ tres sunt, Fides, Spes, Charitas: ideo quicunque virtutes enumerant; vel dixerunt, Virtutes alias esse Cardinales, alias Theologicas; vel Virtutes esse septem. Quis Græciæ numerans vrbes dixerit, Athenas, Lacedæmona, Delphos, Chæroneam, Thebas, Chalcida, & Phocidem? cum tamen Phocis regio sit distincta in varias vrbes? Cur non & nostri Sophistæ aliquando auditi sunt quatuor esse ordines, Sacerdotium, Diaconatum, Hypodiaconatum, & minores ordines? vt saltem compendii facerent monstrosa illa nomina, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus?

XIII. Vnitas illa potestatiua non potuit esse magis ridicula. Numerus aiunt septenarius constat partibus non subiectiuis, quæ tamen ipsæ participant naturam totius. Rursus animæ partes sunt quædam intellectus & voluntas. Atqui hi videntur animum habuisse in patinis: qui hic debebant. Enimvero, quam totius naturam participari dicuntab illis partibus? Videlicet septenarii partes sunt tres & quatuor: qui ipsi sigillatim totam participant numeri naturam. Ita est sane. Sed nos quærebamus ipsam totius naturam, qua totum est. Itaque oportuit responderi hos numeros tria, & quatuor participare totam naturam ipsius illius numeri, quem septenarium dicimus. Nam Presbyterium, Diaconatus, Archidiaconatus, sic dicuntur participare naturam ordinis, qui iis assignatur tanquam totum. Nam quid tu mihi numerum dicis, genus remotius? Enimvero quæcunque indiuidua constant ex partibus homogeneis, id habent vt eorum partes sint sub eodem genere cum suo toto. Totum mare aqua est: & singulæ guttæ itidem aqua: tota Europa terra; & singulæ glebæ, itidem terra. Itaque quæ definitio est maris, quatenus aqua, & Europæ quatenus terra; eadem & guttæ, & glebæ. Sed tamen quæ definitio est aquæ, quatenus mare; aut terræ quatenus Europa, ea neque est guttæ, neque glebæ. Sic in humano corpore, sine dubio pes corpus est, & manus, & digitus, & vnguis: sed nemo vnquam dixit, pedem vnum esse corpus humanum, aut digitum, aut vnguem. Ad eandem rationem, quia Eucharistia totum est, cuius partes panis & vinum: esto sane panis Sacramentum: esto etiam genimen vitis Sacramentum: sed caue dicas panem esse Eucharistiam, aut vinum Eucharistiam. Atqui tu tam es à bona mente alienus, vt cum dixeris ordinem esse speciem; eiusque genus Sacramentum: post iterum Sacerdotium, Diaconatum, Hypodiaconatum eius speciei partes non subiectiuas: tamen addas has partes esse non Sacramenta, sed ordines totidem, siue totidem Sacramenta totalia. Non pudet?

XIV. Deinde si non sunt partes subiectiuæ, siue integratæ, videlicet sicut species sunt generis partes; necesse est esse partes integrantes: vt membra vnius corporis. Atqui hæ partes nunquam nomen obtinent sui totius, nisi collectæ omnes simul. Si sunt igitur Presbyterium, Diaconatus, Subdiaconatus, & reliqui partes ordinis integrantes: tum necesse est,

exempli gratia, Subdiaconatum nunquam esse ordinem, seorsim à reliquis. Sicut tria & quatuor, nunquam sunt septem; nisi coniunctim. Nam mentitur manifestè, quicunque aut tria dicat esse septem, aut quatuor. Atqui Papistæ contra docent: & quanuis Presbyterium dicant non consistere sine Diaconatu, & Hypodiaconatu: tamen & Diaconatum sine Hypodiaconatu, & Presbyterium sine Diaconatu, & dici, & esse verè non tantum Sacramentum, sed etiam Ordinem.

XV. Supersunt vnitas perfectionis, & ordinis. In quibus frustraneus labor. Ratio manifesta. Quia modi sunt mentales non reales: unde necesse non vnum esse, sed vnum dici, siue haberi, censerive, aut existimari: denique vt nonnulli etiam loquuti, tanquam vnum. Alioquin autem realis non tollitur multitudo. Nam etsi summus gradus, cum subalternis, & infimis, perfectionem obtinent, tamen totidem gradus sunt; quibus singulis plena gradus definitio competit. Et quanuis Arithmetica, ac Geometria finem habeant communem Astrologiam cui subordinantur; tamen æque artes sunt sigillatim, & seorsim. Denique falsum sumunt, quicunque dicunt, ea omnia esse vnum, quæ habent sibi vnum finem propositum. Nam certe omnibus Sacramentis vnus finis est propositus nempe vnio nostri cum Christo: cur non ergo omnia dicuntur vnum? Certe Baptismo, & Pœnitentiæ, & extremæ Vnctioni Papistæ remissionem peccatorum: cur non ergo ex his vnum compingunt?

XVI. Deinde manet anomaliæ absurditas. Nam Eucharistia, Baptismusque, non sunt vnum, hac vnitate siue perfectionis, siue finis: sed altera illa vnitate specifica, quæ realis; nimirum in singulis indiuiduis subsistens: adeo vt re vera vnum sit Baptisma quo baptizatur Christus: & aliud quo baptizatus Æthiops; & aliud quo carcerarius. At nunquam sic realiter vnum sint omnes ordines: quandoquidem singuli multiplicentur, vt est alias dictum.

Cap. XXV.

Vtrum definitio Sacramenti conueniat ordini.

I. SAcramentum probant hoc argumento 1. vt in præcedentibus. Quodcunque habet symbolum siue ritum externum, & promissionem gratiæ; & institutionem diuinam, est vere ac proprie dictum Sacramentum: At Ordo habet illa omnia: Ordo igitur est vere ac proprie dictum Sacramentum. Maiorem Bellarminus probat à nostra confessione.

II. Minorem per partes ex Scriptura. Symbolum profert impositionem manuum, cuius frequentissima mentio in Scripturis: Actor. 6. in ordinatione Diaconorum: 13. in ordinandis Episcopis Paulo & Barnaba; interprete Leone primo, epist. 81. ad Dioscorum, item Chrysostomo in Commentario eius loci. Et 14. ubi, *Cum constituissent eis presbyteros*: Græce χειροτονήσαντες. Prioris ad Timoth. 4. *Cum impositione manuum presbyterii*. Post 1. *Per impositionem manuum mearum.*

III. Promissionem gratiæ indicat prioris ad Timoth. . *Noli negligere gratiam quæ in te est*, Poster. 1. *Admoneo te vt resuscites gratiam.*

IV. Denique institutionem sive mandatum diuinum haurit ex Act. 13. *Segregate mihi Paulum & Barnabam.* Et 20. *In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos.* Ad Ephes. 4. *Ipse dedit, quosdam quidem Apostolos, alios prophetas, alios Pastores & Doctores.* Colonienses etiam proferunt ex Ioannis 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et cum hæc dixisset, insufflauit, & dixit, Accipite Spiritum Sanctum.*

V. Maiorem vt alias, ita nunc monemus, prout explicabitur, vel concedendam vel negandam. Explicetur ergo ex concessis, demonstratisque, libro primo. Nempe vt symbolum, non quodcunque intelligatur, sed elementare: item simile rei significatæ: vt eius vsus naturalis per institutionem diuinam cœperit esse sacer, factus videlicet ritus religiosus: addita etiam promissione gratiæ. Hæc si omnia concurrant in ordinem, siue ordinationem, nihil est, quo negemus inde augendum Sacramentorum numerum. Sed profecto faciunt impudenter Papistæ, qui solis nominibus abutantur; quorum strepitu perterritos infirmiores agant ferantin omnes partes.

VI. Nobis negatur minor; & discutitur per partes. Primo institutionem, etsi magnifice iactent, tamen minime demonstrant. Quid enim? quicunque enumerantur loci, ii docent ordines institutos à Christo in Ecclesia. Quid hoc ad rem? Nam longe alia quæstio est, vtrum instituti sint, alia vtrum in eum finem instituti, vt essent Sacramenta. Id nostro constat exemplo; qui illud prolixe concedentes; saltem in Presbyterio, & Diaconatu, quos ordines etiam retinemus in nostra Ecclesiastica politia: tamen alterum constantes negamus.

VII. Tum autem videant Papistæ quomodo secum ipsi consentiant. Enimuero non negant Apostolatum æque saltem a Christo institutum, ac Presbyterium, & Diaconatum: & vero habent à Paulo; qui, *Ipse dedit*, inquit, *quosdam Apostolos: alios vero Prophetas: alios Euangelistas alios Pastores & Doctores.* Respondeant ergo, si quid habeant frontis: cum ita concludant: Deus instituit Sacerdotes, Diaconosque: ergo Sacerdotium, Diaconatusque sunt Sacramenta: cur non similiter: Deus instituit Apostolos, Prophetas, Euangelistas: Ergo ordines Apostolorum, Prophetarum, Euangelistarum sunt Sacramenta. Non esse enim Sacramenta vel iis testibus constat, qui neque vsurpent hodie: neque numerant in suis ordinibus, quos nolunt excedere septenarium numerum. Tum autem de Apostolatu saltem negat Salmero in Acta tractat. 36

VIII. Præterea audistin eos solicitè distinguentes inter ordinem & ordinationem? Scotus in Reportatis artic. 3. ad 24. quarti. *Tertius articulus est, Si ordo est Sacramentum. Et dico quod non: sed ordinatio: quia omne Sacramentum est signum sensibile.* Durandus quæst. 1. ad eandem distinctionem, *Ordo tripliciter accipitur: vno modo pro relatione vel habitudine ordinatorum: alio modo pro gradu qui ordinem primo modo acceptum facit: tertio modo, pro eo quod exterius sensibiliter geritur circa aliquem, vt in aliquo gradu super alios constituatur.* Et paulo post, *Ordo primo modo acceptus, est sola relatio: secundo autem modo acceptus, est spiritualis potestas, vel deputatio ad dispensationem Sacramentorum. Et neutro istorum modorum est Sacramentum, vt de se patet: sed tertio modo est Sacramentum.* Similiter Altenstaig, Aquila, Rubeus, & alii.

IX. Atqui omnes loci prolati loquuntur de ordine secundo modo, id est de gradu, qui ordinem facit in Ecclesia. Nam in Actis manifestum est sermonem haberi de personis, *Segregate Paulum & Barnabam. Vos posuit Episcopos.* Non sunt autem personæ exterius id quod circa aliquem geritur. Similiter ad Ephesios, *quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas.* Quanquam si malis in abstracto, Apostolos pro Apostolatu, & sic deinceps: tamen manifestum est sermonem esse de gratiis distributis: sic n. ipse Paulus proposuerat, *Vnicuique nostrum data est gratia.* Vnde Iustinianus, *Hæc*, inquit, *sunt dona, quæ Christus hominibus largitus est: hæc item est gratia, quam vnicuique datam esse dixit.* Atqui non est ipsa gratia quicquam exterius sensibile. Ioannis vicesimo, quemadmodum missus est Filius à Patre, sic dicuntur à Filio mitti Apostoli: Ergo, inquam, non intelligitur vllus exterior ritus: nam huiusmodi nullus a Patre adhibitus ad Filium mittendum. Itaque Toletus similitudinis rationem explicat in fine, in modo, in amore paterno, in officio; in principio: nusquam autem in ritu externo.

X. Manifesta nunc res est. Nam si ordo secundo descriptus non est Sacramentum: hi autem loci de eo agunt: necessaria conclusio est: eosdem non agere de Sacramento. Quid igitur mentis est nostris Papistis, vt inde probent institutum à Christo sacramentum, vbi tamen nullum Sacramentum fuit? Adeon ludibrio est Theologia? Quid enim ad me si ludicri Sophistæ suis verbis κυβείαν παίζοντες, ordinis eundem sonum desflexerunt ab vno in aliud? Non enim propterea aut Scripturam detorqueri, aut nos alienum peccatum luere ius fasque est.

XI. Hactenus Institutio: nunc cætera. Habet promissionem gratiæ. Sed cuius? aut in quem? Admonebunt loci ex Paulo, *Non negligas gratiam quæ in te est. Resuscites gratiam Dei quæ in te est.* Ergo id volunt Sophistæ; gratiam cuius promissiones additæ sunt ordini, conferri in ipsum qui per huiusmodi ordines promoueatur, puta Timotheum.

XII. At non constant sibi Sophistæ. Repetamus enim iam audita, cum laboraretur in ordinis vnitate demonstranda. Eius ratio petebatur ab vno fine; qui est vnire fideles Christo mediante Eucharistia: attendamus. Ordo dicebatur vnum Sacramentum: etiam distributum in septem: quia hæc singula naturam participent sui totius. Ergo si propter finem vnum sunt, necesse est hunc finem esse naturam ordinis. Quare vnire fideles est effectus huius Sacramenti. At hic effectus non exeritur in ipsum ordinatum: sed ab eo ordinato in omnes fideles. Non igitur, inquam, hæc ordinis gratia, ea est, quam Apostolus intelligebat in ipso esse ordinato. Quid manifestius?

XIII. Deinde. Quam gratiam intellexit Paulus: διδασκαλίαν Chrysostomus est interpretatus; item Theodoretus, & Theophylactus. Alii τὴν ἐπισκοπήν: Anselmus & Caietanus. Vtrumuis Oecumenius, Thomas: autoritatem docendi Salmero, & Iustinianus. Atqui hæc non est gratia, cui significandæ efficiendæve destinata sunt Sacramenta. Nam hæc est gratia iustificans. Bellarminus c. 10. lib. 1. de Sacramentis laudat hanc definitionem, *Sacramentum est res sensibus subiecta quæ ex Dei institutione sanctitatis, & iustitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Catechismus ad Parochos, *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibile signum ad nostram iustificationem institutum.* Et multis interpositis, *Quod ad propositam Sacramenti definitionem attinet, diuinarum rerum scriptores; Sacræ rei nomine Dei gratiam, quæ nos Sanctos efficit, ac omnium diuinarum virtutum habitu exornat demonstrant.* Paulo post, *Hisce mysticis signis, quæ à Deo instituta sunt illud etiam præcipue conuenit; vt ex Domini institutione non vnam aliquam rem, sed plures simul significent. Quod in singulis Sacramentis licet cognoscere quæ non solum sanctitatem & iustitiam nostram, sed præterea duo alia cum ipsa sanctitate maxime coniuncta declarant: Christi scilicet redemptoris passionem quæ sanctitatis causa est, & vitam æternam cœlestemque beatitudinem, ad quam sanctitas nostra, tanquam ad finem referri debet. Quod quidem cum in omnibus Sacramentis perspici possit, merito sacri doctores vnicuique Sacramento triplicem significandi vim inesse tradiderunt.*

XIV. Multa possunt in eandem sententiam colligi, ex quibus constet cum de gratia sermo est, cui significandæ efficiendæque instituta sunt Sacramenta; non indiscretè quancunque gratiam, quacunque notione, esse intelligendam: sed illam gratiam, quæ est in iustificatione sanctificationeque fidelium. Vnde manifestum quam inepte & importune illi producti sint, de quibus agimus, loci. Nam διδασκαλία, siue ἐπισκοπή, siue docendi autoritas, etsi sit gratia siue potius non tam χάρις, quam χάρισμα, quo vocabulo Paulus vsus est, tamen non est ea gratia per quam sanctificatus, iustificatusque Timotheus erat. Quis dubitet? Nam eadem gratia illum sanctificauit, & iustificauit, quæ reliquos fideles. At reliqui fideles non iustificati per autoritatem docendi; non enim omnibus datum esse doctoribus. Tum autem quis non audiit disparari gratiam gratum facientem, à gratia gratis data?

XV. Ad symbola festino. Habes, inquit, impositionem manuum. Audio. Sed institutam oportet: & a Christo. & ad hoc ipsum: & vt solet in Sacramentis. Quorum nihil est omnino. Vnde habes institutam à Christo? Altenstaig, *Secundum quod requiritur in signo Sacramentali, quod sit actualiter à Deo institutum. Nam solus ille potuit instituere Sacramenta, qui potuit sub signo dare sanctificationis certitudinem & efficaciam: hanc autem solus Deus potest dare qui solus potest gratiam infundere, & gratuitum effectum causare.* Audistis Sophistæ? Repeto. Oportet signum Sacramentale a Deo esse institutum actualiter. Atqui actualiter nunquam instituta ad ordinationem impositio manuum. Imposuit ille manus pueris. Matth. 19. imposuit ægrotis. Matth. 9. Marci 5. 6. 7. 8. Lucæ 4. & alias: non tantum ipse tantum imposuit, sed etiam Apostolos iussit imponere, Marci 16. Sed nunquam imposuit vlli ordinando, nusquam iussit imponi. Ergo probamus non fuisse actualiter institutam à Deo.

XVI. Sed eius, inquit, frequentissima mentio in Scripturis. Quatuor omnino locis, inquam, quos descripsisti. Nam quintus ille ex Act. 14. non impositionem manuum dixit, quæ χειροθεσία est, sed χειροτονίαν: quæ vox suffragia designat multitudinis. Nam tu quidem peruerse interpretaris, *per manus impositionem creare.* Melius Beza, *per suffragia creare*: Nam ea notio erat eius verbi propria, quod annotabat Erasmus, *Vt intelligamus suffragiis delectos.* Sed & tuus sciebat Salmero, qui hoc ipsum huius loci verbum explicans: χειροτονεῖν, inquit, *creationem magistratus significat, eo quod cum illa*

caremo-

cæremonia eleuationis manum fieret: & ita moris erat olim Græcis suffragia sua alicui tribuere. Et paulo post, *Quemadmodum Apostoli Diaconorum septem electionem, & nominationem fidelibus obtulerunt, quos ipsi orationibus & impositione manuum ad Diaconatum promouerunt: ita hic Paulus & Barnabas dederunt credentibus facultatem, vt nominarent ac eligerent in sua quaque ciuitate Episcopum, quem ipsi postea orationibus, & ieiuniis, & manuum impositione (quanquam huius hoc loco non fiat peculiaris mentio) consecrabant.*

XVII. Scio plurimis locis χειροτονίαν Episcopis tribui, ac proinde non electionem signare per suffragia: sed ordinationem. Verum Zonaras in Apostolorum Canonem primum nodum soluit. Νῦν μὲν χειροτονία καλεῖται ἡ τῆς καθιερώσεως τοῦ ἱερωσύνης λαχόντος τελεσιουργία τῶν εὐχῶν, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπίκλησις· ἀπὸ τοῦ τὸν ἀρχιερέα τείνειν τὴν χεῖρα εὐλογοῦντα τὸν χειροτονούμενον, *Nunc quidem Chirotonia vocatur sacra operatio precum, Sanctique Spiritus inuocatio, dum Sacerdotio quis initiatur: propterea quod Pontifex extendat manum benedicens consecrando protendat manum.* Πάλαι δὲ καὶ αὐτὴ ἡ ψῆφος χειροτονία ὠνόμαστο. ὅτε γὰρ τοῖς τῶν πόλεων πλήθεσιν ἐξῆν ἐκλέγεσθαι τοὺς ἀρχιερεῖς, συνῄεσαν τὰ πλήθη, *Sed ipsum suffragium quondam nominatum est Chirotonia. Nam quum turba liceret in vrbibus eligere sacrorum præfectos, conueniebat ipsa turba, & alii quidem hunc, alii vero deligebant illum. Quatenus autem plurium suffragium vinceret,* λέγεται τείνειν τὰς χεῖρας τοὺς τὸν ἐπίλογον ποιουμένους, καὶ διὰ τούτων ἀριθμεῖσθαι τοὺς ἑκάστου ψηφιζομένους, *fertur intendisse manus eos qui electionem facerent; atque inde numeratos qua cuiusque suffragia essent: pluribus porro calculis electum summo sacerdotio fuisse præfectum. Et hinc desumptum Chirotoniæ nomen.*

XVIII. Perspicua res est. Olim id est ab initio, Chirotonia designabat suffragia: postea antiquatis primis ritibus, pro consecratione vsurpata. Vnde sequitur illo Actorum loco Chirotoniam primitiua illa, propriaque notione vsurpatam fuisse. Nondum enim plebi suum ius ereptum posteriori κακοηθείᾳ. Et confirmatur poster. ad Corinth. 8 vbi Lucas dicitur χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν *ordinatus ab Ecclesiis:* cum tamen impositioni manuum locus esse non potuerit, quicquid nugatus sit Iustinianus, oppositum habens Salmeronem: sed & Syrum interpretem qui dixit, *deligendo delectus.*

XIX. Hoc igitur detracto loco; supersunt quatuor, in quibus impositio memoratur manuum, quæ quidem ad hanc rem pertinere videri queat. Veruntamen quid tum? Nam quærimus symbolum institutum; & sacramentaliter institutum. Quorum neutrum hic est. Primo non institutum, sed vsurpatum duntaxat legis. Atqui non est idem vsurpare, & instituere. Vis scire. Christus vsurpauit Ioannis 20. insufflationem ordinandis Apostolis: & tamen nemo hanc institutam dixit, aut vsurpatam deinceps. Similiter confirmandis impositæ manus sunt; Matth. 19. Actor. 8. & tamen negatur impositio esse necessaria confirmationi. Quid denique? Nonne frequentissima est Impositio manuum super infirmis? Longe vero frequentior quam super ordinandis: Matth. 9. Marci 5. 6. 7. 8. 16. Lucæ 4. 13. & tamen nemo Papistarum vnctionis infirmorum hanc partem fecit. Nonne satis ista docent non idem esse vsurpari, & institui? Adde Clementem Constitutionum octaui cap. 19. *De Diaconissa ego Bartholomæus constituo, vt manus ei, Episcope, imponas.* At profecto Papistæ Diaconissatum nullum admittunt in sacramentis.

XX. Præterea Actor. 13. imponuntur manus Paulo & Barnabæ, mittendis ad Euangelii prædicationem in gentes. Quid hoc est? Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, εἰς τὴν ἀποστολήν, *ad Apostolatum.* Atqui Apostolatus non est sacramentum, teste Salmerone in eum locum. Quid ergo? Nempe certum, vsurpationem impositionis manuum, non conficere sacramentum: siue impositionem non esse signum sacramentale: alioquin æque Apostolatus sacramentum esset, ac Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus.

XXI. Instat tamen Salmero: non ordinatos fuisse Apostolos, sed Episcopos. Episcopos autem? Quis dixit vnquam? Dato saltem vnum aliquem idoneum testem qui Paulum, qui Barnabam appellarit Episcopum, & cuius Ecclesiæ. Tum autem ratio contra est. Nam omnis Episcopus, alicuius Ecclesiæ, siue diœcesis est Episcopus: atqui nulla tunc Paulo, nulla Barnabæ diœcesis, nullum assignatur Ecclesia. Itaque Vasques argumentum ab hoc loco improbat c. 3. disp. 235.

XXII. Habet argumenta. Primum: quia Apostolatus non sit sacramentum. Ita esto, inquam: sed id vim nullam habet, nisi apud eos, quibus iam persuasum non adhiberi impositionem nisi sacramenti gratia: quod negamus; atque adeo nunc disputamus. Tum autem Episcopatum esse sacramentum, soli docent Papistæ: ac ne ii quidem omnes: nos itidem negamus.

XXIII. Alterum: Apostolatum Pauli fuisse immediate à Deo, non ab hominibus. Concedimus. Sed hæc impositio manuum non obstat. Nam hoc ipso loco testatur Deus se eos vocauisse, *Segregate mihi*, inquit, *Barnabam & Saulum operi ad quod eos aduocaui.* Quibus verbis docet se immediatum esse autorem eius vocationis. Etenim impositio manuum non est vocatio, sed accedens ad vocationem. Sic Matthias Actor. 2. ad Apostolatum delectus sorte, id est vocatione Dei immediata, quanuis non sine precibus Discipulorum, atque adeo suffragiis. Itaque Chrysostomus, *A quibus* χειροτονεῖται; *ordinatur? A Lucio Cyrenæo, & Manahe:* μᾶλλον δὲ ὑπὸ τοῦ πνεύματος: *quin potius à Spiritu. Quanto enim personæ humiliores erant:* τοσούτῳ μειζόνως ἡ τοῦ θεοῦ φαίνεται χάρις, *tanto purior Dei apparet gratia. Ordinatur iam in Apostolatum, vt iam cum potestate prædicet. Quomodo igitur ille dicit non ab hominibus neque per homines? Dicit non ab hominibus vt manifestet quod non homo illum vocauit, neque produxit: Dicit non per hominem, quod non ab aliquo missus est, sed à Spiritu. Idcirco & sic subdidit. Igitur illi quidem missi à Spiritu, descenderunt in Seleuciam.*

XXIV. Tertium; Qui manus imposuerunt, non erant Apostoli, vt possent creare Apostolos: sed erant tantum Doctores, & Prophetæ. Nemo autem sacro ordine alterum initians, illam confert potestatem, qua ipse caret. Quod ita obseruatum in Ecclesiastica politia, negare nec possumus, nec volumus. & putamus interesse Christianorum ne negligatur. Sed primum negamus hoc loco conferri quicquam Paulo, Barnabæve abs quoquam homine. Nam impositio manuum non est collatio; quum ne sit quidem sacramentum. Deinde miremur ne à Deo quidem potuisse committi homines huic operi peragendo: cum à Papa non negent nonnulli posse deferri collationem ordinum simplici sacerdoti. Sed hoc ii viderint, quorum interest.

XXV. Quartum: Ante hanc ordinationem iam Paulus & Barnabas prædicauerant, & Apostolatus officium exercuerant, Actorum vndecimo. Ita est, inquam. Itaque non putamus hanc impositionem manuum vllam fuisse ordinationem proprie in vllum nouum munus Ecclesiasticum, sed confirmationem missionis ad gentes; ad quas nondum erant ex professo missi. Nam excursus ille Antiochiam vsque neque Gentiles habet vsquam nominatos: & fuit tentamentum quoddam operis maioris; cuius nunc plena est exsecutio.

XXVI. Quintum: Quia ordinatio fuit ad prædicandum gentibus. At nullum magis proprium munus Episcopi, quam sacrum docere Euangelium: Ergo Paulus & Barnabas ordinati sunt Episcopi. Mera impostura, exvitiosa argumentationis forma affirmante in secunda figura. Cæterum prædicationem Euangelii propriam esse Episcopi fatemur, secundum eam notionem qua proprium dicitur, quod omni, & semper. At non secundum eam, qua soli. Nam eadem prædicatio conuenit etiam Apostolis. Vnde Paulus ad Roman. 1. seipsum describens, *Vocatus*, inquit, *Apostolus; segregatus in Euangelium Dei.* Et Marci 15. Apostolis præcipitur, *Profecti in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.*

XXVII. Sextum. Quia ordinati erant ad hoc, vt possent per Ecclesias constituere Episcopos & Presbyteros. Nam Actor. 14. leguntur constituisse per singulas Ecclesias presbyteros. Vnde ad Galatas 2. Paulus ostendit non minus Apostolatum suum esse à Deo, quam Petri aut aliorum: & cum dicit tamen, *Dexteras mihi dederunt & Barnabæ societatis*, significat promotionem hanc tantum fuisse vt sacros & supremos ordines susciperent, quo alios in gentibus ministros possent constituere, tum verbi tum sacramentorum.

XXVIII. Debuit hoc argumentum perfici, vt appareret esse simile præcedenti, affirmatum in secunda figura. Nam ordinatio pertinebat etiam ad Apostolos, eo ipso quod Apostoli essent: vnde absque vlla impositione manuum, sed sola freti commissione quam à Christo per insufflationem acceperant, Diaconos ordinarunt. Enimvero, quid hoc frontis est; Apostolos confiteri, & tamen imaginari nondum promotos ad sacros ordines; & supremos. Atqui ipse Apostolatus erat supremus ordo. *Quorum est*, inquit Iustinianus cap. 1. Prolegomenon, *prima in Ecclesia dignitas, primi gradus.*

XXIX. Sed quam ridiculum argumentum ex ad Galatas? Primum enim nulla inibi manuum impositio: Non enim idem, δοῦναι δεξιὰς κοινωνίας τιθέναι χεῖρας. Enimvero dexterarum donatio reciproca est: vnde Tertulliano dictum *dexteras miscuere*, Contra Marcionem quarti 2. At non reciproca manus impositio. Deinde historia non eadem. Nam Actor. 13. nullus aderat Apostolorum, sed quidam Prophetæ, Simeon, Lucius, Manahen; cum ad Galatas tres adessent Apostoli, Iacobus, Cephas, Ioannes. Deinde hæc dexterarum porrectio facta est septendecim annis post suam vocationem, & vt notat Baronius ad annum 51. in ipso Hierosolymitano Concilio: cum tamen ante id tempus se cucurisse testetur ipse Paulus; id est prædicasse: sic enim Thomas interpretatur, addens, *Vocat autem prædicationem suam cursum, propter velocitatem suæ doctrinæ, quia in modico tempore ab Hierusalem vsque in Illyricum, & vsque in Hispaniam prædicauit Euangelium.* Quare tum cum ei datæ sunt dexteræ, iam diu erat functus suo munere: non significatur ergo eius ad summos ordines promotio.

XXX. Redeo ad rem ab hoc diuerticulo. Et addo præcedentibus, hanc impositionem manuum non pertinere ad omnes ordines. Non enim ad minores; Imo ne in Subdiaconatum quidem vlla eius mentio in ceremoniali Romano, in Ordine autem diserte, *Subdiaconi manus impositionem non accipiunt.* Ordo Romanus & Pontificale Romanum vnicam manuum impositionem notant Diacono à solo Episcopo; quod etiam Lombardus non omittit: ambas vero Presbytero. Et tamen disputat Bellarminus manus impositionem esse de essentia Ordinis cap. 9. Sed enim vel est necessaria sacramento iuxta Bellarminum; ac tum nec minores ordines, neque adeo Subdiaconatus in sacramentis sunt: vel si necessaria non est, ergo neque ex institutione diuina, contra quam nunc pertendunt.

XXX. Præterea nego impositionem esse posse signum vllius ordinis. Ratio; quia respondere oportet signum suæ formæ per analogiam, vt positum est. Atqui hæc impositio non respondet. Hoc vero manifestum ex singulis. Presbyterii formam dicunt, *Accipe potestatem offerendi & conficiendi pro viuis & mortuis.* Quid autem simile habet impositio cum oblatione & confectione sacrificii? Sic in Diaconatu, *Accipe potestatem legendi Euangelium.* Sic in reliquis. Itaque etiam comminisci oportuit cuique ordini sua signa, sua elementa: nimirum quia sicut vna forma, sic neque vna materia poterat omnibus sufficere.

XXXII. Atque hactenus de impositione manuum. Sed quid de reliquis dicendum materiis? Primo, nunquam fuisse institutas à Christo, siue mediate per Apostolos, siue immediate. Neque enim quisquam hactenus tantæ fuit audaciæ, vt diceret: multo minus vt doceret aut Christum aut Apostolos Presbytero vnxisse manus, porrexisse calicem cum vino non consecrato, patenam cum hostiis: Diacono stolam, codicemve Euangelii: Subdiacono patenam, calicemque vacuum, & vrceolum cum aqua: multo minus Acolytho candelabrum cum cereo, vrceolumque vacuum: exorcistæ librum exorcismorum: lectori codicem prophetiarum; ostiario claues, funesque campanarum. Quarum nugarum ne tenue quidem vestigium in vniuersis Scripturis: ne in veteribus quidem autoribus multorum post Apostolos seculorum.

XXXIII. Denique in iis materiis nulla proprietas signi sacramentalis. Neque enim significant ex naturali similitudine siue analogia. Nam exempli gratia clauis, quodnam spirituale donum significat? Imo non significat; sed est instrumentum eius muneris quod confertur; quod ipsa forma docet, *Sic agite tanquam rationem Deo reddituri de rebus quæ clauibus istis recluduntur.* Lectori, cum traditur liber, *Accipe, & esto verbi Dei relator.*

Sic in

S in cæteris omnibus. Itaque Ianierus ἀναγνώστου: *Lectoris officium, ad legendas in Ecclesia propheticas, & lectiones Apostolicas: in cuius signum datur ei liber. Exorcistarum, abigere diabolos, in cuius signum datur liber exorcismorum. Acolythorum, gestare cereos ardentes: in cuius signum accipiunt candelabrum. Hypodiaconorum, parare necessaria officio altaris, in cuius signum accipiunt patenam & calicem* Audin non signa esse gratiæ diuinæ, sed functionum? Imo ante eum Contarenus, *Materia sunt instrumenta quibus vtuntur in eo ordine existentes.* Et est ea quidem ratio quædam significandi: non naturalis, sed ex nuda institutione humana: sicut olim apud Iudæos, traditio calceamenti, Rut 4. signum erat translati iuris agnationis: vt traditio clauium, significat authoritatem in vniuersam ciuitatem. Quæ significationis ratio, etsi aliquantum accedat ad signa Sacramentalia, quæ σφραγίδων etiam locum tenent, imo arrhabonum, tamen neque est naturalis, neque à Domino instituta; cuiusmodi in Sacramentis esse necesse est.

CAP. XXV.

An Ratio probet Ordines esse Sacramenta.

I. QVod ex Scripturis non potuerunt euincere, nunc rationibus conatur suadere Bellarminus, in hunc modum. Omnis ceremonia instituta ad sanctificandum, Sacramentum est proprie dictum: At in Sacramento Ordinis datur gratia gratum faciens. Ergo Ordo est Sacramentum, vere & proprie dictum.

II. Minorem probat dupliciter. Primo Deus, cuius perfecta sunt opera, cum dat potestatem, dat etiam ea quæ requiruntur ad eius legitimum & congruentem vsum. In ordinatione autem sacra, datur homini potestas conficiendi & ministrandi Sacramenta, quæ certe à peccatore recte exerceri non potest. Dabit igitur Deus simul cum ea potestate, etiam gratiam iustificantem, & perficientem animam, vt ritè fungatur tanto ministerio. Secundo. Si in Baptismo, in quo datur potestas suscipiendi Eucharistiam, & alia sacramenta, datur simul cum ea potestate gratia gratum faciens, quia sine ea non recte percipiuntur sacramenta cætera: cur in sacramento Ordinis, in quo datur potestas conferendi sacramenta, non simul etiam dabitur gratia gratum faciens, cum non minus peccatum sit homini indigno sacramenta tradere, quam accipere.

III. Respondeo. Negari maiorem primi syllogismi. Ratio negandi prima, quia cum ipsi aduersarii ordinationem esse dicant sacramentum Noui Testamenti, non autem Veteris, tamen negare non possunt in Veteri Testamento consecrationes institutas ad varios ordines. Et certe in Pontificali Romano asseruntur Diaconi ortum habuisse ex Leuitis: sacerdotes vero ex sacerdotibus: tum autem ad eos ordines veteres tam pertinet prior minoris probatio, quam ad istos Noui Testamenti. Ergo nos secure concludimus non omnes ceremonias institutas ad sanctificandum, esse vere & proprie sacramenta. Alioquin necesse esset aduersarios concedere ordines illos veteres æque fuisse sacramenta: quod neque illi facturi; nec nos sumus abeis postulaturi.

IV. Præterea maior non comprehendit totam definitionem sacramenti: quæ non tantum est instrumentum gratiæ gratum facientis: sed etiam signum analogicum: ex naturali similitudine. Atqui neque omnes ceremoniæ institutæ ad sanctificandum, sunt eo modo analogæ sanctificationi. Itaque ea maior est falsa. Nos autem c. proximo docuimus, ceremonias istas quæ vsurpantur in Ordinibus, nullam habere huiusmodi analogiam.

V. Rursus peccat syllogismus in forma. Nam Assumptio in hunc modum concepta, *In Sacramento ordinis datur gratia gratum faciens.* Peccatum, quod sacramentum dicat: cum in maiore esset ceremonia: in quo est petitio principii, quia præsupponitur ordo esse sacramentum, quod tamen est ipsum τὸ κειμένον: non est autem idem ceremonia & Sacramentum: nam illa patet latius.

VI. Iam peculiariter ad minorem. Quandoquidem ex c. 20. constet, distingui ab ipsis Papistis ordinem, id est potestatem ipsam exercendi gradum aliquem, ab ordine, id est ceremonia ordinationis: concessumque ordinem non esse sacramentum: respondeo minorem esse falsam; Quoniam etsi verum sit in ordine non sacramento conferri gratiam: tamen falsum est in ordinatione, id est, per externas eius ceremonias conferri. Ratio manifesta: quia in maiore non quælibet ceremonia nominatur, sed instituta ad sanctificandum. Atqui has ceremonias demonstratum est, c præced. non esse institutas.

VII. Confirmatio prior minoris nihil habet difficile. Primo enim argumentum agit de potestate à Deo collata: atqui hæc non ordinatio est; sed ordo ac proinde non sacramentum. Debuit tamen Bellarminus de sacramento agere.

VIII. Deinde legitimus & congruens vsus potestatis duobus modis intelligi potest: nempe relate vel ad vtentem, vel ad subditos. Posterior sensus significat haberi quicquid necesse est aduersus eos in quos ea potestate vtendum est; nempe vt eius operationes rite factæ sint etiam legitimæ: & ordinatum distinguit à non ordinato; puta sacerdotem à laico; vt ille possit Eucharistiam consecrare, iste minime. Sic quæsitum olim, vtrum hæretici possent baptizare. Alter sensus pertinet ad ipsum ordinatum: nempe quomodo Paulus de se dicebat 1. ad Corinth. 9. *Ne quomodo cum aliis prædicaverim ipse reprobus fiam*: Et hic pertinet ad sanctificationem: ille minime.

IX. Respondeo igitur, potestatem priori sensu non dari per ordinationem: posteriori vero dari. Itaque neque propter hunc esse sacramentum: & propter illius defectum non esse. Nam omne sacramentum oportet esse effectiuum gratiæ sanctificationis, aduersariis ipsis non repugnantibus. Non dari autem æque vtrique nemo ambiget Catholicorum: apud quos certum rata esse sacramenta, æque per malos & bonos collata. Itaque falso Bellarminus sumit, potestatem conficiendi & ministrandi sacramenta recte exerceri non posse à peccatore: contra enim disputauit ipse c. 26. lib. 1. de Sacramentis.

X. Non conferri autem, haud ita dico quomodo negant Papistæ sacramenta habere suum effectum in ponentibus obicem. Nam hoc est accidentarium: quandoquidem illa non minus sint in eum finem instituta. Sed alitet: nempe ita vt hanc sanctificationem ordo non conferat, per se quidem, id est, ex sui institutione. Quod manifestum; cum sacramenta significent id, quod efficiunt. Ast Ordinis ceremoniæ nullam huiusmodi sanctificationem significant: itaque non efficiunt.

XI. In altera confirmatione, falsum est in Baptismo dari gratiam facientem propter reliqua sacramenta, quibus suscipiendis ea sit necessaria. Nam contra verum, dari ipsam per se & propter se, & ex natura institutionemque ipsius sacramenti. Argumentum geminum. Vnum, quia ipsa Baptismi ceremonia eam gratiam significet, eique adeo significandæ consecretur ex peculiari institutione. Alterum, quia non omnes baptizati sint idonei aliis suscipiendis sacramentis. Non infantes Eucharistiæ, Ordinibus, Confirmationi, Pœnitentiæ, extremæ Vnctioni, non Matrimonio. Nam mulieres ordinibus. Quanquam hæc omnia sacramentis annumerentur apud Papistas.

XII. Hæc erat Bellarmini: deinceps erunt Salmeronis rationes. Secunda ergo. Si sunt quædam sacramenta instituta ad perficiendos singulares fideles: Ergo esse debet sacramentum ad promouendum sacramentorum ministros, qui veluti filiorum spiritualium propagatores existerent. Ratio consequentiæ, quia si Deus ad carnalem propagationem instituit coniugii sacramentum, quo actiones siue naturales, siue humanæ diuina gratia sanctificarentur, & moderationem acciperent, & quisq; sua coniuge esset contentus: quanto magis debuit sacramentum aliquod institui, per quod Deus copiose effunderet gratiam suam ad spiritualium filiorum generationem mysteriorumque peractionem, atque dispensationem.

XIII. Respondeo, perfectionem singulorum fidelium, vel omnium intelligi communem, vel variis fidelium statibus peculiarem. Posteriori modo negatur antecedens. Nam sacramenta nulla instituta sunt nisi omnibus communia; & significantia perfectionem omnibus communem, remissionem peccatorum, & incorporationem Christo. Quæ perfectio spectat etiam ad Ministros: adeo istis sacramenta eadem sufficere debeant: vt nulla sint alia necessaria.

XIV. In altero negatur consequentia. Quæ enim ratio iubet, vt si omnibus instituta sint sacramenta; etiam singulis statuantur? Imo contra; si omnibus statuta sint communia, non debent singulis propria. Certe inepte concluserit, qui singulis ciuibus ciuitates instituendas dicat; quum omnibus vna sit. Qui singula singulis linguæ idiomata, cum vnum omnibus sufficiat. In confirmatione consequentiæ, primum falsum est antecedens: non enim matrimonium est sacramentum: deinde consequentiæ genus idem est, so negatione infirmandum.

XV. Tertia. Si Ordo non dat gratiam, ergo decepta fuisset Ecclesia, & decepisset. Falsa ratio consequentiæ, quia id illa semper credidit; cum videret signum sensibile. Item. Ergo Deus in necessariis deesset, gratiam denegando summe necessariam.

XVI. Respondeo, concedi totum argumentum. Neque verum, nullam dari gratiam à Deo in ordinatione: sed tantum non dari sacramentaliter: vt iam explicatum. Quare neque decepta fuit Ecclesia: sed Papæ decepti sunt, qui sese Ecclesiæ nomine non minus inique venditant, quam quicunque hæretici. Sed non concluditur quæstio: non enim vbicunque datur gratia, ibi est sacramentum.

XVII. Quarta. Propter quod vnumquodque tale est, & illud magis est. At propter ordinationem acceptam redditur quis idoneus minister sacramentorum: Ergo multò magis ordinatio sacramentum est.

XVIII. Portentosa argumentatio; quæ aliud assumat, aliud concludat: assumitur enim idoneus minister sacramentorum: concluditur ipsum sacramentum. Atqui ratio bene differendi postulabat concludi, ordinationem esse idoneum ministrum sacramentorum. Magnifice, & pancratiastice. Sic Iesuitæ regnant. Vel debuit assumi, At per ordinationem reliqua sacramenta sunt sacramenta. Actum constaret forma: sed peccaret materia; nam esse per aliud dicitur vel effectiue, vel formaliter. Si effectiue, maior est falsa: nam per architectum domus est domus: nec tamen architectus magis est domus. Per Deum mundus est creatus nec tamen Deus magis creatus. Per sacerdotem sacramenta sunt sacramenta, nec tamen ipse sacerdos sacramentum. Sin autem formaliter, conceditur maior: nam si per albedinem paries albus: Ergo ipsa albedo magis alba. Si per Christum fideles sancti sunt: Ergo ipse Christus magis Sanctus. Sed assumptio abhorret à veritate. Sacramenta enim per suam definitionem sacramenta sunt formaliter, non per ordinem: nam neque ordinis definitio, vllo modo sacramentis competit.

XIX. Quinta. Deus in Veteri Testamento instituit Pontificem, Sacerdotes, Leuitas cum consecratione & vnctione non subtrahens gratiam. Ergo multo magis in Nouo Testamento debuit instituere sacramentum, quo ministri eius sanctificarentur.

XX. Rursus ridicula consequentia: quæ aliud proponit, aliud concludit. Nam in Veteri Testamento consecratio, vnctioque; imo ordo totus, negatur à Papistis fuisse sacramentum. Quæ igitur ratio ferat à non sacramento, concludi sacramentum? Deinde, quis nescit à Veteris Testamenti ceremoniis non esse legitimam consequentiam ad ritus Noui?

XXI. Sexta. Stultissimum est dicere, Ecclesiam ignorare sacramentum ordinationis: cum Ecclesia nonnisi per homines in Episcopos, & Sacerdotes promotos verbi & sacramentorum ministros, & nata sit & aucta, & in hunc vsque diem propagata: nec plus possit sine sacerdotio consistere, quam mundus sine Sole, corpus sine anima.

XXII. Imo stultissimum est Iesuitice argumentari; & ex quolibet quidlibet demonstrare. Summa est argumenti. In Ecclesia semper fuerunt gradus ministrorum: Ergo ordo est sacramentum. Antecedens prolixe conceditur: consequentia negatur. Nam similiter in Ecclesia semper fuerunt laici: Ergo laicorum ordo est sacramentum. Quis hoc tolleret? Non omnia quæ sunt in Ecclesia, eadem sacramenta sunt. Sed profecto abuti & suo otio, & aliorum patientia, Iesuiticæ artis prora est & puppis.

CAP. XXVI.

De Traditione Ordinum.

I. POstremus labor est in testimoniis Veterum cum Conciliorum, tum Patrum, quorum, vt alias, ordines distinguemus, in ea quæ ordinationem

rationem nominant: & quæ comparant veris sacramentis: & quæ gratiam conferre dicunt: & quæ sacramenti nomine insigniunt.

II. In primo Canones Apostolorum primus & secundus aperte loquuntur de sacra ordinatione Episcopi, Sacerdotis, Diaconi, & reliquorum clericorum. Dionysius Areopagita de Hierarchia Ecclesiastica c. 5. de ritu ordinandorum agit. Nicænum Concilium canone 8. de sacra ordinatione, quæ per impositionem manuum, verba facit Chalcedonense canone 2. damnat eos, qui pecunias pro ordinatione accipiunt. Carthaginense quartum à Canone primo ad nonum, materias & formas singulorum ordinum & gratiam diligenter enumerat. Clemens Romanus in Epistola ad Iacobum fratrem Domini inducit Petrum dicentem, *Clementem hunc Episcopum vobis ordino.* Et libro 3. Recognit. sub finem scribit Petrum Cæsareæ ordinasse Zachæum in Episcopum cum duodecim Presbyteris, & quatuor Diaconis. Libro 8. Constitut. multa tradit de ordinatione quam Apostoli à Christo acceperant, & ipsi contulerant in alios. Irenæus libri 3 c 3. ex ordinatione & successione Episcoporum constituit Ecclesiam. Tertullianus Præscriptionibus, *Ordinationes eorum, temerariæ, leues, inconstantes.* Basilius Moralium regula 70. *Quod debent, quibus commissum est munus prædicandi Euangelii, quandocunque aliquos siue Diaconos designare, siue Presbyteros volunt, id præmissa oratione & obsecratione facere: eosque tales eligere, quorum superior vita omnis omni crimine vacet, & probata sit.* Epiphanius hæresi 75. *Episcoporum ordo, Patrum generator est: patres enim generat Ecclesiæ. Presbyterorum vero non potens generare patre[s], per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ, non tamen Patres aut Doctores.* Ambrosius in 1. Cor. 1. in 1. ad Timoth. 3. & 5. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, *Sacerdotium in terra peragitur, sed in rerum cœlestium classem ordinemque referendum est. Atque id per quam merito: quippe non mortalis quippiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse paracletus ordinem eiusmodi disposuit.* Et post, *Tum improbe intelliget, quanto sacerdos honore, quanta dignitate, Spiritus Sancti gratia donatus fuerit.* Bernardus, serm. 66. super Canticum, *Qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum, sed ordinibus Ecclesiæ detrahunt, si instituta non recipiunt, si Sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt. Peccatores, inquiunt, sunt Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri: ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei Sacramentis.*

III. Hic ordo pompam habet; vires nullas. Bene factum, quod paucis his testimoniis voluerit esse contentus. Nam si perfricuisset frontem, nihil promptius quam vt enecaret lectores obtundendo. Quis enim nescit infinitum esse numerum talium locorum, in quibus ordines, ordinationes, ordinati: Sacerdotium, Episcopi, Presbyteri, Diaconi nominantur, commendantur, inculcantur, quibus carere non potest Ecclesiastica politia? Magni scilicet aut ingenii, aut laboris est in litore cochleas legere, vt triumphatum Oceanum iterum Roma spectaret, & (quod mirareris si sanam scires) serio. Ite: ite, ô disputatorum genus nouum, & cum vmbris pugnate, straminea monstra debellate. Facietis non inuitis nobis.

IV. Sed interea docentibus, non si sint ordinationes, ideo sacramenta esse, vultis videre; & quidem ad oculum? Bernardus, vt incipiam à postremo, disparauit. Nam cuius erat iudicii conqueri, detractum ordinibus, sacramenta contempta, si ordines essent sacramenta? Nos sane concipimus membra quinque, Ecclesiam, ordines, instituta, sacramenta, mandata: nec inuidemus. Potestis idem ex vestro Clemente doceri; qui τὸ χειροθετεῖσθαι ordinare vsurpat de iis quæ vos ipsi: vos inquam ipsi negatis esse in ordinibus. Libri 3. c. 11. *Neque presbyteris potestatem damus ordinandi χειροθετεῖν Diaconos, aut Diaconissas, aut lectores, aut ministros ὑπηρέτας, aut cantores ᾠδοὺς, aut ianitores.* At ministros in ordinibus Papisticis nusquam lego. Non enim possunt pro exorcistis sumi, quos Clemens ille negat χειροθετεῖσθαι, c. 26. septimi. Cantores distinctum ordinem numerant: & diserte negat Bonauentura quæst. 2. artic. 2. distinct. 24. quarti. At Clemens nihilominus distincte numerat.

V. Eia vero, ordinationem apud Irenæum. Sacramentumne? Debes ludibrium, Salmero; tam misere sono vocabulorum adhærescens, vt rem negligas: & inde tibi, inde nobis imponas. Atqui Irenæus ordinationem neque sacramentum, neque omnino ceremoniam vllam nominauit, sed seriem sibi ordine succedentium Episcoporum. Hæc illi enim præ manibus erat materia. Itaque Græce est τάξις; apud Eusebium hist. 4. c. 6. *Clementi successit Euarestus: Euaresto Alexander: deinde Xystus ab Apostolorum temporibus sextus constituitur: quo mortuo Telesphorus, qui magna cum laude martyrium subiit: tum Hyginus, deinde Pius, post Anicetus. Anicetum excepit Soter. Nunc duodecimo ab Apostolis loco Episcopatus sortem obtinuit Eleutherus.* τῇ αὐτῇ τάξει, καὶ τῇ αὐτῇ διδαχῇ ἥ τε ἀπὸ τῶν ἀποστόλων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παράδοσις, καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα κατήντηκεν εἰς ἡμᾶς. Christophorsonius vertit, *Vnde traditio in Ecclesia ab Apostolis gradatim deriuata, & sincera veritatis prædicatio eodem ordine, eadem Episcoporum successione in Ecclesia ad nostram vsque ætatem continuata est.* Viden Irenæi, non χειροθεσίαν ordinationem: sed τάξιν ordinem seriem esse personarum? At hanc nemo dixit hactenus esse verum sacramentum.

VI. Pergo ad ordinem secundum. Innocentius primus Epist. 18. ad Alexandrum Antiochiæ, confert ordinationem cum Baptismo; dicens ab hæreticis baptizatos recipi cum suo Baptismo: sed ordinatos non recipi cum suo ordine: causamque reddens, quod hæretici solum Baptismum dare permittantur. Hieronymus toto fere Dialogo contra Luciferianos confert ordinationem cum Baptismo; probatque ab hæreticis datam, esse ratam; quia Baptismus ratus sit, *Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit: & in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinauit.*

VII. Quid igitur? Nempe Bellarminus ex collatione cum sacramento proprie dicto, indicat se habuisse ordinationem etiam pro sacramento proprie dicto. Atqui hoc in superioribus simili modo propositum, abunde refutatum fuit. Nunc ex abundanti iterum. Nam Hieronymus non tantum Baptismo comparat ordinationem, sed etiam laico Episcopum. Et quomodo argumentatur si Baptismus sit ratus, etiam ordinationem ratam esse: sic rursus, si laicus recipiatur vt laicus; etiam Episcopum recipiendum vt Episcopum, *Si non licet Episcopo pœnitenti perseuerare, quod fuerat: non liceat & laico pœnitenti permanere in eo propter quod & pœnitentiam consitetur.* Manifesta res est. Quin tu ergo dicis Bellarmine: ex collatione cum ordine, indicat se habuisse laicum pro ordine? Quod si non audes: disce ergo non sequi, quia ordinatio comparetur cum sacramento proprie dicto, ipsam etiam sacramentum esse.

VIII. In Innocentio res est etiam manifestior. Comparat ille quidem ordinationem cum Baptismo, sed vt dissimilia. Baptismum enim concedens ratum: negat ordinationem, *Quibus*, inquit *solum Baptisma ratum esse permittimus.* Probans videlicet Arianorum laicos conuersos suscipiendos, at clericos minime cum sua sacerdotii, aut ministerii dignitate. Vnde mens manifesta: Nam si, quia Baptisma ratum est, ideo suscipiendi sunt laici: certe si ordinatio esset rata, similiter oporteret clericos cum sua dignitate admitti: quod ille noluit. Hoc ipso patet igitur non fuisse Innocentio ordinationem veri nominis sacramentum: alioquin asserturo æque ratam: quia sacramentorum efficacia non pendet ab eius ministri dignitate indignitateve.

IX. Obiter obseruandum vel hanc Epistolam non esse legitimam: vel Innocentium, dissensisse à Catholicis: negantem in Baptismo hæreticorum dari Spiritum Sanctum. Quod tamen Hieronymus contra disputat, eodem illo contra Luciferianos, id asserentes, Dialogo, *Cum in Patre & Filio, & Spiritu Sancto baptizatus homo templum Domini fiat: cum veteri æde destructa nouum Trinitatis delubrum ædificetur: quomodo dicis sine aduentu Spiritus S. apud Arrianos peccata posse dimitti? Quomodo antiquis sordibus anima purgatur, quæ sanctum non habet Spiritum? neque enim aqua lauat animam: sed prius ipsa lauatur à Spiritu, vt alios lauare spiritualiter possit: Spiritus, inquit, Moyses Domini ferebatur super aquas. Ex quo apparet Baptisma non esse sine Spiritu S.* Hæc & alia in eandem rem nonnulla in eo Dialogo exstant. At Innocentius contra. *Nec Spiritum S. eos habere ex illo Baptismate, illisque mysteriis arbitramur: quoniam cum à Catholica fide eorum autores desciscerent, perfectionem Spiritus quam acceperant, amiserunt: nec dare eius plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potius quam per fidem dixerim, perdiderunt.* Sic Innocentius: mutuatus argumentum à Cypriano.

X. Purgat Bellarminus c 14 de Pontifice, & inde Binnius notis in eam epistolam: loquutum esse de hæreticis, qui à ministris eadem hæresi pollutis baptizantur vel ordinantur: hos autem licet verè sacramentum Baptismi vel ordinationis recipiant, non tamen recipere gratiam Spiritus Sancti, quæ in hæreticis esse nequeat.

XI. Sed hæ nugæ sunt. Etenim de iis hæreticis Hieronymus loquitur, qui ab iisdem hæreticis Baptismum acceperunt. Quare contradictio manet, quum de iisdem eodem tempore, eadem ratione idem affirmetur, & negetur. Ariani ab Arianis baptizati non accipiunt Spiritum Sanctum, inquit Innocentius: Ariani ab Arianis baptizati recipiunt Spiritum Sanctum, inquit Hieronymus. Confirmatur ab argumento. Quicunque remissionem peccatorum obtinet, idem recipit Spiritum S. ratio, quia sine hoc illa nulla: Atqui Ariani ab Arianis baptizati, obtinent remissionem peccatorum: quia Baptismus ratus est: Ergo Ariani ab Arianis baptizati recipiunt Spiritum Sanctum. Nimirum Sophistæ cum idem dicant, videri volunt diuersa dicere; id est, imposturam exercent.

XII. Tertius ordo. Concilium Chalcedonense canone 2. damnat eos, qui pecunias pro ordinatione suscipiunt; addens causam, quia gratiam Dei censentur vendere. Quod idem repetitur in Concilio Bracarensi secundo; canone 3. Et in Epistola Tharasii ad Adrianum Papam in tomo 1. Biblioth. S. Patrum. Innocentius primus Epist. 22. cap. 3. *At dicitur vera, iusta & legitima Sacerdotis benedictio, auferre omne vitium quod à vitioso fuerit inuectum. Ergo si ita est, applicentur ad ordinem sacrilegi, adulteri. & omnium criminum rei, quia benedictione ordinationis vitia vel crimina putantur auferri.* Ambrosius de dignitate sacerdotali, cap 5. *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam: sacerdos imponit supplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera.* Idem in 1. ad Corinth. 12. Et in primum 1. ad Timotheum. Gregorius Nyssenus de Christi baptismo, *Eadem virtus etiam sacerdotem augustum & honorandum facit, nouitate benedictionis à communitate vulgi segregatum. Cum enim heri, ac tempore superiori vnus è multitudine ac plebe esset, repente redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul: eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat inuisibili quadam vi ac gratia inuisibilem animam in melius transformatam gerens.* Theodoretus in 1. ad Timotheum 5. Item Theophylactus & Oecumenius in 1. poster. aperte dicunt in ordinatione conferri gratiam Spiritus Sancti, piis studiis & oratione fouendam. Apud Sozomenum lib. 7. histor. cap. 10. *Tu, ô beate, recens baptizatus, ac purificatus, & mox insuper sacerdotio auctus es. Vtraque autem hæc peccatorum expiatoria esse Deus constituit.*

XIII. Distinguo bifariam, vt alii gratiam dicant, alii nominatim remissionem peccatorum. Ad hanc Innocentius, & ille Sozomeni Martyrius. Quorum Innocentium falso citauit Salmero; quia in contrarium sensum: quasi diceret, per ordinationem deleri peccata, qui tamen id ipsum sibi obiectum refutat; atque adeo eius capituli ἐπιγραφὴ sic est, *Quod in ordinationibus crimina vel vitia non bene credantur auferri.* Et vero c. 3. negat admittendos ab Arianis ordinatos: eo quod per impositionem manuum damnationis sit factus particeps. Obiiciebatur: non debere id obstare: quia per legitimi sacerdotis benedictionem auferatur omne vitium. Huic ille respondens, negat vitium auferri: alioquin ad ordinationem applicandos omnes criminum reos: quod est absurdum. Itaque illud, *Vitia vel crimina putantur auferri*, suppositionem aduersarii innuit, non suam persuasionem. Sicut statim. *Nullus sit pœnitentiæ locus; quia id potest præstare ordinatio, quod longa satisfactio præstare consueuit.*

XIV. Superest Martyrius ille Sozomeni; qui tum Baptisma, tum ordinationem dixit καθάρσια ἁμαρτημάτων. Ad hunc locum Vasques annotauit cum negasset reperisse (mira propriæ negligentiæ accusatione) se conicere his verbis non denotari sacerdotium, in eo qui ordinetur, vim habere remittendi peccata, sicut Baptismum: sed habere erga alium, per potestatem eum absoluendi. Neque enim hactenus definitum esse, omnia Sacramenta vim habere remittendi peccata in eo cui conferuntur. Sic Vasques, vt potuit: & vt solet multa in Bellarmino non probare.

XV. Verum

XV. Verum res ipsa est non difficilis. Bellarminus non nisi geminum effectum agnoscit huius Sacramenti, c. 10. *Primò potestatem spiritualem perpetuam, in cuius signum imprimitur character: secundò gratiam gratum facientem, qua possint ordinati ritè fungi suo munere.* Idem docet Gregorius de Valentia quæst 2. puncto vnico. Atqui neuter effectus est remissio peccatorum. Et sane si is esset effectus sacramenti, necessario significaretur à signis: nam sacramenta quam gratiam significant, eandem efficiunt. Atqui Ordinationis materia, siue ea sit impositio manuum, siue unctio, siue patena cum calice (non enim certi sunt Papistæ) hanc remissionem non significat: vnde neque in forma exprimunt. Quare si Martyrius sensit per Ordinationem condonari ordinato sua peccata; deceptus est falsa sententia.

XVI. Sed alia videtur sententia; Græca sic sunt, ἄναζχος βαπτισθεὶς κεκαθαρσαι, καὶ ἐπὶ τούτῳ ἱερωσύνης ἠξίωσας, *Recens per Baptismum purgatus, insuper sacerdotium meruisti.* Ita significatur eum statim post Baptismum fuisse ordinatum, vt apud Latinos Ambrosium. Itaque statim sese Martyrius in eo notat fuisse dissimilem, ἐγὼ δὲ πάλαι τῆς θείας βαπτίσεως μετασχὼν τῇ αὐτῇ διετέλεσα βιοτῇ χεῖρόν, *Ast ego iam pridem sacri Baptismi particeps eodem vitæ perstiti visus genere.* Significans vitam laicam solere esse solutiorem, quam sacerdotalem: itaque se in ea contraxisse nouas culpas post Baptismum, quæ se redderent indignum Diaconatu. At Nectarium ita recens baptizatum eius sententia, οὐδὲν διενηνοχέναι (lege enim Græce διαφέρει non διαφέρει, ita postulante sententia) τῶν ἀρτιτόκων βρεφῶν, *similem fuisse recens nato infanti.* Hoc modo poterit illud molliri, vtraque esse καθάρσια: non quod ordinatio per se peccata dimittat: sed quod cum Baptismus rem fisset; ordinatio superueniens cohibuerit, ne qui sic purgatus esset, inquinaretur tam cito. Hoc si Martyrium non excuset; non video, qui possit defendi. Itaque & soli arium testem, & seorsim euntem à reliquis, non est quod tanti faciamus.

XVII. Supersunt alii; qui gratiam adscripserunt ordinationi. Nos vero non negamus gratiam conferri à Deo in ordinatione. Sed negamus propterea Ordinationem esse sacramentum. Et doceo. Nam in consecratione Diaconissæ, Clemens, qui eam χειροτονίαν vocat, æque ac Diaconi, sic precandum docet, lib. 7. c. 20. αὐτὸς καὶ νῦν ἔπιδε ἐπὶ τὴν δούλην σου τὴν δὲ τὴν προχειριζομένην εἰς διακονίαν· καὶ δὸς αὐτῇ πνεῦμα ἅγιον· καὶ καθάρισον αὐτὴν ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος πρὸς τὸ ἐπαξίως ἐπιτελεῖν αὐτὴν τὸ ἐγχειρισθὲν αὐτῇ ἔργον, *Ipse etiam nunc respice hanc ancillam tuam electam ad ministerium & da ei spiritum sanctum: & mundam effice ab omni inquinatione carnis ac spiritus, vt opus sibi impositum digne perficiat.* Eadem prorsus ratione, qua precatur in Presbytero, in Diacono, in Hypodiacono. Credidit ergo Clemens in hac ordinatione Diaconissæ dari gratiam; vt in illis. An propterea mutabunt sententiam Papistæ vt non negent hunc sexum capacem sacramentalis Ordinationis? Si non mutent in eam partem: at necessario in hanc mutent, vt ne contendant propterea sacramentum esse Ordinationem.

XVIII. Et vero res ipsa non est difficilis. Nam præter id, quod annotaui, non conferri hanc gratiam significando: itidem obseruandum, non proprie χάριν esse, sed χάρισμα; siue vt loquuntur Papistæ, gratiam gratis datam: id est, donum peculiare, & necessarium muneri, quod per eam Ordinationem confertur. Itaque Clemens in oratione ad ordinationem Presbyteri, ἐμπλῆσον αὐτὸν, *Imple eum spiritu gratiæ & consilii ad opitulandum populo tuo, eumque corde mundo gubernandum.* Diaconi, *Imple eum spiritu sancto; & concede ei, vt ministerio sibi commisso ad voluntatem tuam constanter extra querelam & crimen administrato, maiore deinceps gradu dignus habeatur.* Hypodiaconi, *Tribue ei spiritum sanctum, vt vasa ad ministrandum tibi facta digne attrectet.* Lectoris, *Da ei spiritum sanctum, vt opus sibi iniunctum recte perficiendo dignus appareat.* In Pontificali Romano similiter Deus rogatur benedicere ostiario, lectori, acolytho, exorcistæ, hypodiacono, vt suis muneribus satisfaciant. In ordinandis Diaconis, *Hos famulos tuos spiritali dignare illustrare effectu; vt tuis obsequiis expediti, sanctis altaribus tuis ministraturi, puri accedant.*

XIX. Sed & qui autores nobis obiiciuntur haud aliter gratiam conceperunt. Certè Ambrosius in de dignitate sacerdotali, diserte, *Sancti Episcopatus gratiam pecuniis coemerunt: cum honorem sacerdotalem pecuniis emerent. Qui gradum sacerdotalem æstimant pecuniis comparare* Audin, idem illi esse gratiam, honorem, gradum? Ad hanc ergo mentem illa referenda; *Quis dat, frater, Episcopalem gratiam? Deus an homo? Respondes sine dubio, Deus Sed tamen per hominem dat Deus: Homo imponit manus, Deus largitur gratiam Sacerdos imponit supplicem dexteram: & Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem.* Similiter in 12. prioris ad Corinthios, *In loco ordinis officii Ecclesiastici positus, gratiam habet, qualis vis sit: non vtique propriam; sed ordinis per efficaciam spiritus sancti:* Theophylactus in 1 poster. ad Timoth. *Vt spiritus gratiam, quam ad tuendam Ecclesiam & signa operanda, & omnem denique Episcopum decentem virtutem acceperis, resuscites.* Similiter Oecumenius ἅμα γὰρ αὐτῷ χεῖρας ὁ Παῦλος ἐπέθηκε χειροτονῶν ἐπίσκοπον, καὶ χάρισμα ἐπῆλθεν ἐπ᾽ αὐτῷ εἰς σημείων ποίησιν εἰς διδασκαλίαν, εἰς προστασίαν τῆς ἐκκλησίας, *Simulac ei manus imposuit Paulus ordinans Episcopum, venit in eum gratuitum donum ad signorum patrationem, ad doctrinam, ad præsidentiam Ecclesiæ.*

XX. Concilium Chalcedonense, Bracarenseque non recedunt ab hac mente. Nec enim illi gratiam nominarunt; quasi diuersum quid ab ordinatione; vt videri volunt Bellarminus & Vasques: sed appositiue, vt loquuntur Grammatici: nempe vt res vna sit atque eadem, ordo, & ordinis gratia. Chalcedonense, εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο, καὶ εἰς πρᾶσιν καταγάγοι τὴν ἄπρατον χάριν, καὶ χειροτονήσοι ἐπὶ χρήμασιν ἐπίσκοπον, *Si quis Episcopus pro pecunia ordinationem faciat, & venalem proponat gratiam quæ vendi non potest; ordinetque pro pecunia Episcopum.* Bracarense, *Placuit, vt de ordinatione Clericorum Episcopi munera nulla accipiant: sed sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipient, gratis dent. Ne aliquo pretio gratia Dei, & impositio manuum venundetur: quia antiqua definitio Patrum ita de Ecclesiasticis ordinationibus statuit.*

XXI. Denique Nissenus magnifice in laudes raptus Episcopatus illam quamcunque gratiam, siue vim verbi diuini in ornando sacerdote segregandoque à communitate vulgi; interpretatus, ἐπιδείκνυται, inquit, καθηγεμὼν, πρόεδρος, διδάσκαλος εὐσεβείας, μυστηρίων λανθανόντων μυσταγωγὸς, *repente redditur dux, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul.*

XXII. Quid ergo operæpretii factum aduersariis? Quid tandem conficiunt? Nempe conferri in Ordinatione gratiam. Scilicet hoc erat propositum. Atqui nos constare dicimus gratiam illam, esse gratuitum donum; gratiam gratis datam: esse ipsum sacerdotium: ipsum, inquam, ordinem, quo sensu negant Papistæ, Ordinem esse sacramentum: esse virtutes necessarias ei muneri implendo. At sacramentorum effectum esse debere; gratiam gratum facientem, vt loqui mos est scholasticis: gratiam iustificationis; gratiam sanctificationis Negamus igitur merito his vllis locis confieri Ordinationem esse sacramentum.

XXIII. Superest quartus ordo. Dionysius Areopagites, c. 5. Hierarchiæ Ecclesiasticæ, tradit Pontificem habere potestatem, quam habent omnes sacri inferiores ordines: asseritque per illos virtutem Pontificalis ordinis operari mysteria suæ Hierarchiæ: Ergo, inquit Salmero, sacerdotium est mysterium seu sacramentum.

XXIV. Papæ! Cogor enim subsistere; nec totam percurrere classem vno spiritu, vt reliquas. Quis enim non subsisteret obiecto tam repente huius argumentationis monstro? Dionysius asserit virtutem Pontificalis ordinis, per alios ordines operari mysteria suæ Hierarchiæ. Sic lego, inquam. Perge. At mysteria hæc non sunt aliud quam sacramenta, vt postea Baptismus & communio Quid tandem? Ergo sacerdotium est sacramentum. Nimium tu quidem tibi polliceris de tuorum lectorum stupiditate; Salmero At nos videmus aliud proponi; aliud concludi. Docere te tuus Aristoteles debuerat, concludendum fuisse: Ergo virtus Pontificalis per alios ordines operatur sacramenta: sed ipsam esse sacramentum: hanc tu profecto tuis Iaponensibus artem debes: aut si quid est Iaponensibus ab orbe nostro remotius.

XXV. Præterea ea mysteria nihil esse aliud, quam sacramenta; non patiar tam impudenter asseri Esse in iis ista si dixisses, non obsisterem: Sed illudis nobis, quasi talpis. Dionysius functiones Ecclesiasticas omnes pendere docet à Pontifice: sed alias perfici per alios ordines, alias vero per ipsum immediate, Διὰ πασῶν τῶν ἱερῶν τάξεων ἐνεργεῖσθαι τῆς οἰκείας ἱεραρχίας μυστήρια, *Per omnes sacros Ordines operantur mysteria quæ sunt suæ Hierarchiæ.* Ἐξαιρέτως δὲ αὐτῇ παρὰ τὰς λοιπὰς τάξεις εἰς αὐτουργίαν ὁ θεῖος θεσμὸς ἀπονενέμηκε τὰς θειοτέρας ἱερουργίας, *Eximiè vero ipsi Lex diuina assignauit diuiniores operationes; eis αὐτουργίαν, vt ipse patret.* Prioris ordinis nullas enumerat: sed posterioris aliquas paulo prolixius; sed Interpretes Pachymeres, & Maximus nominant, τοῦ τε μύρου ἁγιασμὸν, τὴν τοῦ θυσιαστηρίου καθιέρωσιν, τὴν τῶν ἱερατικῶν χειροτονίαν *Olei sanctificationem; altaris consecrationem, sacerdotum ordinationem.* Percipisne Salmero, tuum stuporem? In mysteriis illis, quæ tu pro sacramentis iactabas, non tantum est Ordinatio, sed etiam consecratio olei, & altaris, quarum neutra est sacramentum; neque nobis, neque adeo vobis: nam olei consecratio neque Confirmatio est, neque Ordinatio, neque extrema Vnctio; ne tu inde nobis litem moueas; sed illas omnes præcedens actio, tanquam materiæ præparatio.

XXVI. Pergam nunc procurato hoc portento, enumerandis testimoniis in quibus Ordo Sacramentum appellatur Cyprianus de ablutione pedum, Ordinationem sacramentum vocat, *Docemur, quæ sit Baptismi, & aliorum sacramentorum stabilitas.* Et post, *Nam Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ: & semel sanctificatis nulla manus iterum consecrans præsumit accedere: nemo sacros Ordines semel datos iterum renouat* Hieronymus epistola ad Rusticum Narbonensem, *Seculares autem viros ad mysterium non assumas Ecclesia sic enim legis. manus temere nemini imposueris.* Leo primus epist. 81. ad Dioscorum c. 1. Ordinationem sacramentum vocat: & 87. ad Episcopos Mauritaniæ, *Quis dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur iniuriam?* Anastasius 1. ad Anastasium Imperatorem c. 7. *Nullum de his, quos vel baptizauit Acacius, vel quos sacerdotes; siue Leuitas secundum Canones ordinauit, vlla eos ex nomine Acacii portio læsionis attingit: quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur* Gregorius primus lib. 4. Commentariorum in libros Regum, c. 5. *Is qui promouetur, bene foris vngitur, si intus virtute sacramenti roboretur.*

XXVII. Ex Augustino habent plura. Libro 2. contra Parmenianum, cap. 13. *Ipsi explicent, quomodo sacramentum Baptismi non possit amitti, & sacramentum Ordinis possit amitti. Si enim vtrumque sacramentum est. quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri sacramento iniuria facienda est.* De bono Coniugali c. 24. *Si fiat Ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non sequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum Ordinationis: & si aliqua culpa quisquam ab officio remoueatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamuis ad iudicium permanente.* Similiter de Baptismo lib. 1. c. 1. Epistola 50. ad Bonifacium. Et sermone de gestis cum Emerito. Et alias.

XXVIII. Sed hæc testium nubes (quanquam in iis illud Hieronymi nusquam legere potui) facile dissipabitur. Imo iam pridem est dissipata, huius libri cap. 4. vbi fuerant similiter laudati; etsi non tam diligenter enumerati. Summa fuit, sacramenti vocabulo nunquam vsos Patres secundum eam definitionem, quæ in hoc negotio necessaria est ex vtriusque partis consensu. Itaque nemini mirum esse debere, tam late Veteres eo vsos, vt hæc septem à Papistis selecta sic indigitarent; sed etiam alia, quæ Papistis nulla sunt sacramenta. Non placet omnia sigillatim repetere.

CAP. XXVII.

De Matrimonio.

I. TAndem peruentum ad Matrimonium, postremum in Sacramentis Papisticis, disputatum Scholasticis in 4. quarti Gaspari Contareno de Sacramentis lib. 4. Tappero artic. 18. Lindano Panopliæ libri 4. c. 94. Aurato parad. 44. Eckio de Sacramentis homilia 71. 72. 73. Alphonso à Castro lib. 11 hæresi, de Nuptiis. Croquetto Catechesi 108. Horantio lib. 7. c. 11. Klingio libri 4. c. 41. Dominico à Soto. Item Rubeo in distinct. 26. quarti Sententiarum. Turriano pro Decretalibus lib. 25. c. 16 Bellarmino de Matrimonii Sacramento libro vnico. Gregorio de Valentia Comment. tomo 4.

tomo 4. disp. 10. q. 1. punct. 5. Lorichio in Fortalitio hæresi 1. de matrimonio. Colonien sib. in Enchiridio. Salmeroni disp. 14. in Epistolam ad Ephes. Catechismo Tridentino.

II. Tridentinus Canon primus Sessionis 24. *Si quis dixerit, Matrimoniũ non esse vere & proprie vnum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum, neq; gratiam conferre, anathema esto.* Nec aliter olim decreuerat Eugenius in Florentino Concilio in decreto vnionis, *Septimum est Matrimonium, quod est signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ.*

III. Sed hæc breuius, ideoq; indistinctius dicta, enucleatius expenduntur in hunc modum. Catechismus ad Parochos nugaciter, Matrimonium duplicem rationem habere, vel vt naturalem coniunctionem, vel vt Sacramentum: Colonienses acquieuerunt. Quæ distinctio etsi plausibilis esse queat iis, quibus iam plene persuasum Matrimoniũ esse Sacramentum, tamen cum hoc ipsum disputatur, vident omnes meram esse nugacitatem.

IV. Salmero vinculum distinguit & ceremoniam. Quemadmodum enim in Ordinis Sacramento, inquit, aliud est ipsa ordinatio, aliud ordo & potestas, ita in Matrimonio duo esse, alterum vinculum indissolubile coniugium, alterum ceremoniam externam vinculum ipsum efficientem. Quantum ad vinculum, definiri Coniugium ad hunc modum, vt sit coniunctio maris & fœminæ inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. In hoc contractum esse, & ipsum vinculum ex eo nascens. Non esse Sacramentum, nec contractum, nec vinculum, sed duntaxat Ceremoniam, & signum visibile.

V. Non est omnium tamen ea sententia. Primum enim Iuristæ contradixerunt, testibus Paludano, & Almain. Dicebant enim Sacramentum sumi alias late; & sic Matrimonium esse Sacramentum, alias stricte, & sic esse. His Durandus visus fauere, tanquam peritissimus iuris Pontificij, ac proinde doctrinæ Romanæ, quam le vnicam habere normam profitetur, etsi alioquin caueat ne à se quicquam definitum videatur. Cum tamen interrogatur vtrum habeat perfectam vniuocationem cum aliis Sacramẽtis, ait, aut negat pro variis definitionibus. Ait, si definiatur sacræ rei signum: sin autem, aliquod signum corporale vel sensibile extrinsecus homini appositum ad effectum significationis spiritualis, negat.

VI. Ab istis non facile separarim eos, qui Matrimonium dixerunt esse Sacramentum imperfectissime. Bonauenturam; qui *Inter cætera minus habet de proprietate Sacramentorũ nouæ legis, & minus de se perfectum.* Paludanum, *Si isti intelligunt, quod Matrimonium non est ita perfectum Sacramentum sicut alia, verum dicunt. Sed æque proprie est Sacramentum nouæ legis sicut aliquod aliorum, sicut asinus est ita proprie animal sicut homo, licet non sit æque perfectum animal sicut homo.* Supplementum Bielis. *Est enim imperfectius Sacramentum inter cætera Sacramẽta; licet sit vere & vniuoce Sacramentum.* Altenstaig, *Vltimo loco ordinatur inter Sacramenta, quia minus habet de spiritualitate, vt vult S. Thomas.*

VII. Alij fuere scrupulosiores; qui rationem contracti Matrimonij inquisierunt. Vnde alia clandestina sunt, alia solennia, nimirum prout adhibito fiunt publico ministro, aut excluso. Canus locorum Communium lib 5. *Nego*, inquit, *schola certo constantiq; decreto finitum, Matrimonium sine Ecclesiæ Ministro contractum, esse vere & proprie Sacramentum.* Et vero prolixe, animoseq; in eam partem disputat, *Tres sunt res*, ait, *quibus efficitur ad fidem aliquid pertinere, aut enim in sacris libris habetur scriptum, aut Apostolicis institutis est traditum, aut ex vtrislibet plane certa complexione & consecutione colligitur. Nulla autem harum rerũ efficere potest, Matrimonium sine Ministro prophane contractum, esse nouæ legis Sacramentum.* Gropperus idem sensit in Enchirid. Colonien si, *Non facile nobis persuadebitur matrimonia illa clandestina, quæ apud Christianos, uedum Ethnicos, mutuo quodam sed impuro consensu, libidinis tantum explendæ, seu cuiusvis alterius damnabilis causa gratia, sine vllo Dei respectu, sine in Deum fide, idq; pessimo exemplo, vt prater Ecclesiæ sententiam ac permissum, Sacramentum esse.*

VIII. Istis persuasum huius Sacramenti Ministrum, vt aliorum Sacramentorum esse Sacerdotem. Canus, *Pœnitentiæ Sacramentum amplector, at sine forma sacra, & Ministro pœnitentiam reperio, Sacramentum reperire non debeo, nec vero possum. Sic igitur tametsi Matrimonium Sacramentum est, non ideo tamen coniugium quodcunq; venerari cogimur, sed id quod formam sacram habeat, & à vero Ecclesiæ Ministro consecratum sit.* Gropperus, *Videmus, & in veteri lege quosdam fuisse, qui Dei vice coniuges coniungerent, quanto ergo magis putandum est in noua lege Sacerdotes, qui legatione pro Deo funguntur, legitimos huius Sacramenti Ministros esse?*

IX. Sed contra alij. De Rubione, *Ministri istius Sacramenti sunt ipsimet coniuges contrahentes. Et hoc est speciale in isto, & in Eucharistia Sacramento. in nullo autem alio ab istis duob. potest esse idem suscipiens & ministrans.* Francisc. de Sylvestris Commentario in Thom. contra Gentiles, c. 78. lib. 4. *Aduertendum est, quod Matrimonium dicitur per Ministros Ecclesiæ dispensari, non quidem quantum ad aliquid quod sit de essentia Sacramenti, sed tantum ad aliquid accidentale, quod est complementum eius, & perfectiuum, vt est nubentium benedictio. Nullus enim actus Ministri est de eius essentia.* Bellarm. c. 6. *Cum ad Ministrum proprie pertineat verba formæ pronuntiare, & per ea Sacramentum conficere, & in hoc Sacramento verba formæ à coniugib. proferantur, necesse est coniuges ipsos esse proprios huius Sacramenti Ministros.*

X. Nec vero in materia & forma certitudo maior aut consensus. Bellarminus duas sententias distinguit: Rubeus tres, sed Gregor. de Valentia quatuor. Primam Cani; Materiam censeri posse, ipsos actus contrahentium, scilicet consensum mutuum explicatum per verba de præsenti: Formam autem verba Sacerdotis, quibus illos, vt moris est, coniungere solet. Colonienses explicant fusius. Elementum esse, illam exteriorem viri ac mulieris coniunctionem, siue illum exteriorem gestum & actum, quo coniuges in nomine Domini copulantur, ac inter copulandum profitentur; se posthac duos in vna carne futuros, sibiq; mutuo coniugalem fidem perpetuo seruaturos, cui cum sexuum commixtio accesserit, tum demum perfectum huius Sacramenti elementum perfici. Verbum autem, quo accedente ad elementum fiat Sacramentum, id esse quo ambo mas & fœmina non quouis modo, sed in Dei nomine coniungantur ac copulentur. Esse autem tale verbum Christi verbis nixum; Quos Deus coniunxit, homo non separet.

XI. Secunda Paludani, & Adriani, ipsos contrahentes esse materiam: Formam vero eorundem verba explicantia mutuum consensum. Diserta Adriani verba, *Sicut in quolibet contractu rerum, res quæ transferuntur per conuentionem & pactum, sunt materia; & ipse consensus expressus transferendi est forma, sic in Matrimonio, quod est contractus personarum, materia sunt ipsæ personæ contrahentes, quæ se transferunt in alterius potestatem: seu, vt alij volunt, ipsæ potestates corporum, quas in se inuicem transferunt. Et forma est iste mutuus consensus, vel voluntas transferendi potestatem corporis in alium per verba, vel alia æquipollentia expressus.*

XII. Tertiam, Thomæ, Francisci Victoriæ, Soti; contrahentium verba, esse ipsa inter se mutuo materiam & formam, ita vt qui vltimo suum consensum explicet, eius verba sint forma, quatenus per ea perficitur Matrimonium, eius autem qui primus loquatur, verba esse materiam. Soto tamen ordinem nihil moratur, *Respondetur*, inquit, *contrahentium verba, aut nutus, qui eorum loco substituuntur, esse materiam & formam: Neque refert præcedentia ne sint, an subsequentia, vt illa sint materia, hæc vero forma: Sed siue vir prius consensum exprimat, siue vxor, amborum verba sunt sibi inuicem materia & forma, nam vtriusque verba per verba alterius informantur, vimque obtinent significandi, colligandique coniugalem nodum.*

XIII. Quartam Canonistarum. Materiam esse consensum mutuum, formam, verba eum consensum exprimentia. Atque hanc Gregor. ille reliquis præfert, vt maxime expeditam, secundum quam commodissime intelligi queat significatio atq; essentia Sacramenti, quamuis secundam, tertiamque satis putet probabiles, primam vero non item.

XIV. Bellarminus subtilior, distinguit Matrimonium dum fit, à Matrimonio permanente postquam factum est. Si prius attendatur, totam eius essentiam consistere in signis exprimentibus consensum mutuum, nec corpora concurrere, nisi vt materiam circa quam. Et quia vnius verba determinent alterius verba; pariterq; determinentur; ideo in iisdem distingui materiam & formam, vt sint forma quatenus determinant, materia autem quatenus determinantur. Sed si attendatur alterum, negari non posse ipsos coniuges simul cohabitantes, siue externam coniugum societatem, & coniunctionem, esse materiale symbolum externum; Formam vero esse verba, signaue mutuum consensum exprimentia.

XV. Sed verendum ei ne subtilitas sua sit inutilis. Nam de Rubione diserte, *Nullum Sacramentum Euangelicum consistit in facto esse, sed præcise in fieri, excepto Eucharistiæ Sacramento.* Vnde manifestum consequens, si personæ sint materia Sacramenti, necessario esse dum fit matrimonium. Et sane Rubeus sic eam sententiam promit, *Secundum alios, Paludanum, Sylvestrem, & præsertim Cosmum Philarchum, quem ego in hoc sequor, Matrimonij materia sunt personæ legitime contrahentes.* Vides personas contrahentes, quas itidem Gregor. de Valentia nominabat. Dum ergo contrahunt, non postquam contraxerunt.

XVI. Non omitto, cum quæritur quando Matrimonium Sacramentum fuerit, in diuersas iri sententias. Nam Lombardum ita scripsisse, *Cum alia Sacramenta post peccatum, & propter peccatum exordium sumpserint: Matrimonij Sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum à Domino, non tamen ad remedium sed officium.* Et ne causentur institutum quatenus Matrimonium, non quatenus Sacramentum; subiecit, *Refert enim Scriptura Geneseos, in Adam, misso sopore, atq; vna de costis eius sumpta, & exinde muliere formata, virum in spiritu intelligentem ad quem vsum mulier facta esset per ecstasin prophetice dixisse; Hoc nunc os ex ossibus meis, caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna.* Vbi si non aliter Matrimonium consideraret, quam quatenus est Matrimonium, quid attinebat prophetiam tam diserte notare? Quid? quod Regem Angliæ habemus testem, non defuisse, qui contra Lutherum sentirent etiam gentium coniugium Sacramentum esse?

XVII. Sed illa fortasse altius quam oportuit. Colonienses, *Respondemus Matrimonium apud Iudæos Sacramẽtum fuisse, quemadmodum alia quoq; veteris legis Ceremoniæ ac mysteria futurorũ nuntia, & significantia, Iudæorum Sacramenta fuerunt.* Et aliquanto post, *Non possumus non demirari quosdam eo dementiæ deuenisse, vt ausi fuerint Matrimonium ex Sacramentorum numero impudenter secernere ac remouere, quod tamen constat propterea institutum esse, vt esset Veteris Testamenti Patribus futura, nobis vero præsentis Christi & Ecclesiæ longe sanctissima vnionis expressissimum signum.* Similiter Eckius homil. 71. *Respondebimus, etiam Matrimonium in Veteri Testamento Sacramentum fuisse, sicuti multo plura fuerunt in eo Sacramenta.* Rex Angliæ, τῷ καὶ ἐμφαλκῶς, vt Regem decuit, *De Patribus qui sub lege, & ante legem, non accedo Luthero, imo plane censeo Matrimonium fuisse illis Sacramentum, sicut fuit & circumcisio.*

XVIII. At Bellarminus; *Non video*, inquit, *quomodo id tuto defendi possit.* Et vtitur autoritate Concilij Florentini, disparantis Sacramenta legis veteris à Sacramentis legis nouæ, & in his diserte numerantis Matrimonium. Item Tridentini, asserentis Sacramentum Matrimonij à Christo in noua lege institutum. Denique Scholasticorum.

XIX. Sed huius Sacramenti quod effectum est? quæ gratia? Fuere qui negarint vllam. Nempe, teste Gregor. de Valentia, Gaufridus, Hostiensis, Bernardinus, Durandus. Certe Glossa in caput *Honorantur*, apud Gratianum causæ 32. q. 2. est diserta, cum quæreret causam quare posset exigi pecunia pro contrahendo Matrimonio, *Hæc est ratio*, inquit, *quia in hoc Sacramento non confertur gratia Spiritus sancti, sicut in aliis.* Sed & Lombard. Durandus aduocat in causæ societatem, dicentem, dist. 2. quarti, circa princi. *quod Sacramenta nouæ legis, alia remedia contra peccatum præbent, & gratiam adiutricem conferunt, vt Baptismus, alia in remedium tantum sunt, vt coniugium.*

XX. Ast alij omnes, quos Durandus modernos vocat Theologos, tenent in Matrimonio conferri gratiam. Sed nõnulli tamen auariter; docentes minimam, & exiguam; vt paulo ante obseruatum. Quibus nunc Eckium adde homil. 72. *Quartum Sacramentum magnum est Matrimonium, quod quamuis in se & respectu gratiæ pro minimo reputatur ex aliis, significatio tamen eius maxima est.* Quæ sententia vtrum sit etiam omnium, non facile dixerim. Nam alij, & hi magno numero neq; istos refutant, neq; in eo laborant, veius gratiæ metiantur quantitatem, quod tamen factum oportuit, quandoquidem mota controuersia est. Nam in aliis Sacramentis, cum nemo dubi-

tationis causam dederit, non erat necesse, sed quoniam diserte dictum, non tantum à quibusdam non conferre gratiam, sed etiam à nonnullis, minimum habere spiritualitatis, certe non potest non importunum videri silentium aut certe imputandum consensui.

XXI. Sed enim gratiam in Sacramento; quam, qualemve considerant? Geminam, quantum ego quidem colligere possum: Vnam, coniunctionem Christi & Ecclesiæ: alteram, quæ magis pertinet ad ipsam Matrimonij naturam. Priorem sumunt omnes à verbis Pauli, sed de Syluestris in cap. 78. quarti contra Gentiles, eam considerari vel absolute & in communi; & sic significari tantum non etiam effici, vel determinate ad contrahentes; & sic non tantum significari, sed etiam effici dispositiue & instrumentaliter. Atque ita Thomam interpretatur. Hosius vero paulo aliter. *Duplicis rei signum esse docuimus hoc Sacramentum: præteritæ coniunctionu Christi cum Ecclesia; & præsentis gratiæ quæ nobis confertur. Est etiam tertia rei signum, admonet enim ista coniunctio visibili Matrimonio copulandos, futuræ coniunctionis cum sponso nostro Christo.* Sensus est, Christi cum Ecclesia copulationem aliam in hoc seculo, aliam in futuro. Illam iam factam, istam olim futuram: Vtramque ergo, nisi me ratio fallit, significari, at neutram effici.

XXII. Alterum genus gratiæ omnes conferri asseruerunt: sed geminum obseruaui. Nam primum Hosius, *Fit Sacramentum, per quod peculiare donum spiritus infunditur, quo & firmiores reddantur ad perpetuã concordiam, & robustiores, ad pariter toleranda huius vitæ incommodas & instructiores ad sobolem piis moribus educandum.* Catechismus Tridentinus, *Gratiam quoq; hoc Sacramento significari & tribui, in quo maxime ratio Sacramenti inest, ea Synodi verba declarant. Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem vnitatem confirmaret: coniugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quare docendum est, huius Sacramenti gratia effici, vt vir & vxor mutuæ caritatis vinculo coniuncti, aliter in alterius benevolentia conquiescat, alienosque illicitos amores & concubitus non quærat; sed in omnibus sit honorabile coniugium, & torus immaculatus.* Gregor. de Valentia huius efficacitatis rationem repetit a priore illa iam exposita gratia Puncto 5. *Hoc ipso quod ex certa institutione diuina, est signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, significat nobis gratiam diuinam, qua coniuges ipsi ita sibi inuicem animis coniuncti sunt, vt imitentur & repræsentent summam illam coniunctionem Christi & Ecclesiæ.*

XXIII. Alteram gratiam appellant remedium contra peccatum, siue concupiscentiam. De Syluestris, *Repressio concupiscentiæ per gratiam, est significata, & contenta aliquomodo virtualiter in ipso, tanquam qua instrumentaliter & dispositiue causatur.*

CAPVT XXVIII.

Nullam esse Matrimonii institutionem Sacramentalem.

I. ARgumentum Papistis primum est à definitione Sacramenti: sed valde varium. Greg. de Valentia sic concipit. Omnis actio externa, quę est cultus Dei, & signum gratiæ, quæ in illius vsu ex certa Dei promissione cõfertur, est vere Sacramentum. At contractus ille, qua vir & mulier coniugio copulantur, est huiusmodi, Est igitur vere Sacramentum Salmero, Sacramentum est signum sensibile, ex pacto Dei conferens gratiam. Sed in coniugio signa sensibilia interueniunt, nempe actus contrahentium, & expressio consensus per verba de præsenti: est etiam gratia: Erit igitur verum Sacramentum veri Testamenti. Soto, Nomine Sacramenti intelligitur mysterium aliquod sanctitatis nouæ legis; quam Sacramenta vetera significabant futuram, nostra vero significant præsentem: Sed matrimonium est huiusmodi: Ergo est Sacramentum.

II. Rubeus; De ratione Sacramenti nouæ legis duo sunt: alterum quod aliquod sacrum significet: est enim rei sacræ signum. Alterum, quod remedium præbeat contra vulnus peccati, confert enim gratiam, qua mediante remedium præstat. Matrimonium in noua lege significat aliquid sacrum, nimirum coniunctionem factam Christi cum Ecclesia, atque gratiam confert, & remedium præstat contra vulnus peccati concupiscentiæ. Quare remanet, vt inter nouæ legis Sacramenta vere connumeretur. Bellarminus; & ex eo breuius Lorinus Probatur ex his quæ ad quodlibet Sacramentum Ecclesiæ cõstituendũ requiruntur, quæ sunt hæc tria Institutio diuina, Signũ externũ rei sacræ; Promissio gratiæ ac iustificantis sanctificantis. Omnia hęc inueniuntur in Matrimonio Christiano: Ergo est Sacramentum Ecclesiæ.

III. Orta hæc varietas est, nisi me coniectura fallit, ex variis illis sententiis, quas c. præced. percurrimus: vnde factum, vt & varii fuerint conceptus; & non eadem cautio præuisarum obiectionum. Denique sic amat fieri, cum indulgens sibi humana subtilitas, neque sibi satisfacit, neque aliis se satisfacturam facile sperare potest. Non fuit nostrum ex his argumentationibus vnam, quasi optimam seligere, cui hæreremus aliis neglectis: ne partium præiudicio suspectus esset delectus: omnes examinare tutius futurum sperauimus.

IV. Recte vidit Bellarminus tria esse summa capita, quo reciderent omnia, sed neque alii male viderunt, posse hæc ipsa variis imaginibus aliter atque aliter comprehendi animo, & explicari. Nam, exempli gratia, non symbolum quodcunq; est Sacramentum; itaque ceremoniam vnus dixit; alius cultum Dei; alius sensibile. Sed & gratiam variæ nominati quis ignorat? Itaque est qui remedium dixit contra peccatum. Est qui gratiam iustificantem. Sic reliqua. Vtar ergo omnibus simul; vt tanto potentior nostra futura sit refutatio.

V. Suppositis igitur meo more iis omnibus, quæ de natura Sacramenti vel posita vel demonstrata sunt lib. 1. nego definitionem Sacramenti competere Matrimonio: itaque nego eadem opera Matrimonium esse vere & proprie Sacramentum, secundum eam definitionem, quæ competit Sacramentis nouæ legis, id est Baptismo, & Sacræ Cœnæ. Id me oportet iam docere per partes.

VI. Esto hoc primum. Omne Sacramentum nouæ legis, habet à Christo institutionem sacramentalem: At Matrimonium non habet à Christo institutionem sacramentalem: Ergo non est Sacramentum nouæ legis. Institutionem: cur non simpliciter dixerim, sed sacramentalem, spero fore cuiuis facile. Nempe enim institutas à Christo preces, Matthæi 9. Eleemosynam, Lucæ 12. Confessionem, Iacobi 5. & alia legimus: quæ tamen nulla constat esse Sacramenta. Itaque in hoc tractatu peculiarem quæri oportet institutionem: alioquin meras nugas egeris. Sic igitur nego Matrimonium vllam habere institutionem.

VII. Hanc institutionem demonstrare neglexit Salmero; neglexit Gregorius de Valentia. Bellarminus non tantum neglexit, sed etiam non negligentium improbauit operam, *Matrimonium*, inquit, *à Deo institutum, vt signum rei sacræ nonnulli laboriose probare nituntur ex obscuris quibusdam Scripturæ locis, vt ex illo Matthæi decimo nono, Quos Deus coniunxit, homo non separet. Sed non est opus in hac re laborare.* Nota nituntur probare: laboriose nituntur: non est opus laborare. Sed cur non opus? *Nam si probemus Matrimonium esse signum rei sacræ, cui sit annexa certa promissio gratiæ, sequetur inde necessario à Deo institutum.* Astutè, & Iesuiticè; sed nos contra constanter, & Christiane negamus; quibuscunque annexa est promissio gratiæ, esse Sacramenta. Nam profecto Lucæ 11. Eleemosynæ addita promissio gratiæ, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Item precibus; Lucæ 11. *Petite & dabitur vobis:* Et tamen nemo vnquam aut eleemosynam aut preces habuit pro Sacramentis. Quod si hæc neget esse signa, rursus addimus; Hoc ipsum matrimonium fuisse signum sacræ rei, & eidem additam suæ gratiæ promissionem cum nondum esset Sacramentum nouæ legis. Itaque omnino necesse est fidem fieri institutionis sacramẽtalis.

VIII. Lorichius indicauit Geneseos 2. Matthæi 19. prioris ad Corinthios 7. ad Hebr 13. prioris ad Timoth. 4. & 5.

IX. Sed lusit in ambiguo Lorichius; cum dixit in Matrimonio Christiano inueniri institutionem: quo alterutrum designatur vel Matrimonium, quod dicitur Sacramentum institutum: vel Matrimonium quatenus Sacramentum fuisse institutum. Sicut aliud est Dauidem, qui postea rex fuit, gentium fuisse ab Isai: aliud genitum fuisse regem ab Isai: nam hoc falsum, quia non habuit ab ea generatione, vt esset rex: illud verum; quia idem qui genitus primo priuatus, postea rex factus est. Dicimus ergo locos indicatos probare Matrimonium illud ipsum, quod nunc Papistæ dicunt esse Sacramentum, fuisse à Deo institutum: sed nullo modo indicare, fuisse à Deo institutum Sacramentum. Et sane Bellarminus ita diserte distinxerat: a cuius vestigiis non debuit Lorichius tam temere discedere.

X. Sotus bis argumentatur. Primum ex Ioannis 2. Christus hac forte de causa, si coniectari licet, nuptias sua præsentia honestare voluit, & primo, quod in mundo edidit, miraculo insignire, vt illic facto ipso insinuaret, illud quod antea solum erat officium in remedium, per suam legem celebrandum fore vt Sacramentum. Et addit elegantes allegorias: per conuersionem aquæ in vinum futuram gratiam Sacramenti designatam esse: & admonitos coniugatos ne matrimonialia fœdera in bonis caducis fundarent, quæ facile dilabuntur; sed in sola virtute: quæ perpetuæ lætitiæ, & amicitiæ coniugalis custos est.

XI. Sed ignoscat vir, quantus quantus est, fastidientibus coniecturas; respuentibus argumenta, quæ nihil fortius concludant, quam forte: allegorica etiam somnia irridentibus. Nosque patiatur in Bellarmini potius sententiam diuertentes hoc saltem loco: qui, *Nec alia de causa*, inquit, *nuptiis interesse Dei Filius, eaque insigni miraculo ornare voluit nisi vt indicaret, quod in eum locum S. Augustinus notauit, se fecisse nuptias.* Nota: Est enim disertissimum, *nec alia de causa.* Ergo, inquam, non vt institueret Sacramentum. Quanquam alii alias causas dixerunt; nec nobis quidem non propitiis. Toletus, ciuilem quandam comitatem ex Chrysostomo: vt suo interuentu confirmaret & sanctificaret nuptias, quam causam & nos exprimus in nostra Liturgia: & vt haberet occasionem edendi miraculi. Sic enim colligunt Maldonatus, Toletus, Iansenius, Salmero, alii.

XII. Alterum illi argumentum non minus lepidum. Matthæi 19. cum respondet, *Non legistis quia hominem fecit à principio masculum & fœminam fecit eos* & quæ sequuntur: non fuisse tantum declarationem iuris naturalis, sed insuper confirmationem: itaque subditum, *Quod Deus coniunxit, homo non separet?* quo quod antea erat in officium, & remedium, fecit esse Sacramentum, vt per suam deinceps passionem vim nouam diuinæ conferendæ gratiæ obtineret.

XIII. Et quisquam fiet, qui non decernat triumphum sic magnifice, & inuicte disputanti? Sed legenti locus facilis. Nam Christus nihil addit noui; tantum veram Coniugii naturam demonstrat ab ipsa prima institutione. Nam interrogantibus Pharisæis an liceret dimittere vxorem; negauit prolato celeberrimo Mosis loco; de creatione maris & fœminæ, amborumque coniunctione in vnam carnem: ex quo concludit, non esse separandos ab homine; qui coniuncti sint à Deo. Vnde manifestum nihil tunc institui; sed quod fuerat, nec debebat non esse, restitui. Chrysostomus, *Non solum ab episcopo, verum etiam ab ipso præcepto sententiam suam corroborat.* Et post, καὶ τῷ τρόπῳ τὸ δημιουργικὸν, καὶ τῷ τρόπῳ τὸ νομοθετικὸν ἐδειξεν ὅτι ἕνα δεῖ μίαν συνοικεῖν ἁπαντὸς, καὶ μηδέποτε διαρρήγνυσθαι, *Et creationis, & sanctionis modo vnam vni perpetuo coniungi, & nunquam rescindi oportere perdocuit.* Iansenius Concordiæ cap. 96. *Matthæus primum dicit ex primæua coniugii institutione ostendisse coniugum inseparabilitatem.* Et postea, *Dominus vicissim illis proponit antiquiorem Dei circa propositam quæstionem constitutionem.* Viden nihil tum primum institutum significari, sed olim ab initio mundi? Ergo alterutrum necesse est; vel nullam institutionem Sacramenti doceri, vel Sacramentum hoc fuisse ab orbis primordiis. Quorum hoc tam est absurdum, vt ne Papistæ quidem audeant asserere. Illud ergo verius, quicquid ineptiat Sotus.

CAP. XXIX.

Nullam esse in Matrimonio Sacramenti materiam aut formam.

I. NVnc est nobis argumentum secundum. Omne Sacramentum proprie dictum, habet materiam, formamque Sacramentalem: At matrimonium nullam habet materiam, formamve sacramentalem: Ergo non est Sacramentum. Minor probatur: nam maior est extra aleam. Probatur ergo excussis variis sententiis Papistarum ante enumeratis.

II. Et

II. Et primum, Si vere institutum est à Christo siue immediate, siue per Apostolos: Ergo omnino certam oportet fuisse materiam, formamque: At hæc vtraq; est incerta: Ergo apparet non esse institutum. Maior patet, quia res est facti: Factum autem oportuit tum constare cum factum est, iis apud quos, id est, quibus præsentibus, videntibus est factum. Et vero cur minus, quam in Baptismo, quam in Eucharistia? Nihil autem esse certi apparet tum ex variis sententiis, quæ omnes simul esse veræ nequeunt, tum vero etiam ex singulis, quandoquidem nulla sit suis autoribus certo asserta, sed duntaxat tanquam verisimilis.

III. Deinde vt singulis examinemus. Primo, consensum mutuum dicunt esse materiam, formam vero Sacerdotis verba. Sed hoc absurdum, quia consensus non est quicquam externum, aut visibile; sed intrinsecum, & intellectu duntaxat perceptibile. Atqui Bellarminus ipse docuit nos, ne Deum quidem potuisse instituere sacramentalia signa intellectualia.

IV. Verum, inquiunt, consensum dicimus verbis, vel nutibus expressum; & hæc sunt externa, & sensibilia.

V. Mera pertinacia, inquam. Nam quum quæritur signum sacramentale, id inuestigatur in quo ratio est, significationis sacramentalis. Itaq; nihil certi respondent, qui non consensum volunt, sed consensum cum verbis aut nutibus. Nam neq; verba, neq; nutus conferunt quicquam ad rationem illius significationis, qua repræsentatur gratia. Et vero non posse manifestum fit. Nam signa oportet esse de essentia Sacramenti, vtpote materiam, at neque verba, neq; nutus sunt de essentia matrimonij. Hoc probatur, quia quod est essentiale non potest abesse absq; interitu rei. At tum verba, tum nutus possunt abesse absq; interitu Sacramenti. Hoc probatur; quia verba absunt à coniugio muto, nutus absunt à loquaci: (& taceo coniugium contractum inter absentes per procuratores, quod vtrum sit Sacramentum vehementissime disputant, vt nihil omittunt vnde vel minima laus sperari possit subtilitatis.) Deinde tum nutus, tum voces iam occupatas habent operas, ipsis profitentibus Papistis. Nam consensus expressus verbis, aut nutibus, nihil aliud est; quam verbis, aut nutibus significari consensum. Nouo ergo anfractu in hoc Sacramento instituta essent signa signorum, quod nemini vnquam Theologo venit in mentem. Denique neq; verba, neque nutus, vllam habent similitudinis analogiam cum gratia iustificante. Itaque nulla ratione possunt esse signa Sacramentalia.

VI. Par absurditas in forma. Verba, inquiunt, Sacerdotis sunt forma huius Sacramenti. Quomodo autem? Nam oportet significari efficaciam Sacramentalem; per elementa significantia: vt fit in Baptismo, fit in Sacra Cœna. Atqui hoc non fit. Nam verba illa Sacerdotis ea sunt, quibus contrahentes coniunguntur. Efficiunt igitur non rem Sacramenti, non gratiam iustificantem, sed coniunctionem contrahentium. Videre ergo ὅλῳ φλυαρεῖν. Nam forma non efficit materiam; sed informat, vt sit Sacramentum, quemadmoduum forma Eucharistiæ non efficit panem, aut vinum; sed informat panem & vinum vt sint Sacramentum Christi.

VII. Secunda sententia, personas contrahentes dicit materiam; formam autem verba mutui consensus. Absurdissime: Nam hac ratione idem esset & Sacramentum, & recipiens Sacramentum. Quod monstrum vnde est? Nisi forte non sibi sint ipsis, sed aliis spectantibus Sacramentum; vt Missæ vsum, etiam in spectando imaginati sunt ingeniosi homines; digni quos vel fumus pascat à coquina.

VIII. Nam consensum formam esse concedimus, at non Sacramenti; verum matrimonij, iuxta illud, matrimonium consensus, non concubitus facit, non potest autem esse duarum simul rerum. Nam quia per formam res est id, quod est; si eadem esset forma Sacramenti, quæ matrimonij, ergone nec re nec ratione matrimonium differret à Sacramento. Tum autem cum non possit matrimonium esse absque eo consensu; necessario sequeretur semper matrimonium fuisse Sacramentum, etiam à suis initiis, quod Papistæ valde vitant.

IX. Contrahentium verba esse sibi mutuo materiam & formam alternate; quod habet tertia sententia; eo absurdum; quod cum omne Sacramentum constet ex rebus & verbis; hoc tamen constaret ex verbis & verbis. Tum autem ex eo quod in prima sententia absurdum sit ostensum verba esse materiam, in tertia verba consensum esse formam.

X. Canonistæ quid habuerunt mentis cum consensum materiam; verba, cum consensum significantia, formam esse dixerunt? Nam primo re idem sunt consensus & verba, quia hæc sint illius signa. In signis autem solenne est attendi, non quid sint sed quid significent. Et sane si distinguas, non potes nisi sonum à re per eum significata. At sonum quis dixerit vnquam in Sacramentis aliquem esse? Deinde vtraq; hæc res, id est, tum materia, consensus, tum forma, verba ad matrimonij naturam pertinent, itaque nihil habent, quo ratio Sacramenti concipiatur, aut exprimatur, quod tamen vt in materia tolerari possit, at certe in forma non potest.

XI. Si oportet vniuersam doctrinam de Sacramentorum natura recantari, retractarique; aut absurdissimum esse quicquid de huius siue materia, siue forma Papistæ nugati sunt. Et vere nugati. Neque enim quenquam vidi, qui suæ imaginationi vllo argumento, argumentiue specie momentum addiderit. Quasi αὐτοκράτορες è solio edicta pronuntiant: quibus pro ratione voluntas. Ne Bellarminus quidem potuit hanc personam deponere, etsi controuersias professus tractare, in quo scribendi genere, aut nunquam, necesse erat prætoris partes exsui, & partis aduersæ meminisse, cui licitum sit ἀντιφθέγξειν φθεγξομένῳ. Bellarminus, inquam, hic nihil nisi duas sententias nude recitauit, secundam, & quartam: tum conciliauit, festiua distinctione matrimonij in fieri, & matrimonij in factum esse, & sic vtramque esse veram. Quasi vsquam vel docuerit, vel docere conatus sit matrimonium posse esse Sacramentum quandiu est in rerum natura, cum tamen sciret alios repugnantes; è quibus Rubionem nominauimus: nunc etiam Adrianum, *Sacramentum Matrimonij*, inquit, *est ipse contractus matrimonij, vt rationem signi habet gratiæ inuisibilis, seu sacræ rei. Et solum existit seu manet pro tempore contractus matrimonialis, & non vltra, sicut Sacramentum Baptismi solum manet, seu est pro tempore ablutionis factæ sub debita forma verborum; scilicet, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et sane præter iam notatas absurditates in verbis & coniugibus: hæc accedit; quod ex vno matrimonio duo fiant Sacramenta. Quis enim duo neget, si à materia differant, & forma? vel etiam sola materia? Nam Profecto duo sunt sigilla aureum & argenteum, propter diuersitatem materiæ, quamuis manente forma.

XII. Veruntamen Bellarminus vrget locum ex ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Etenim illud, *Sacramentum hoc magnum*, refertur ad coniugium, neq; id duntaxat Adami & Euæ; sed & etiam aliorum. Hæc summa est totius disputationis, cui hunc proposuit scopum; vt probetur matrimonium esse signum sacræ rei; & non solum ciuilem contractum.

XIII. Non libet iterare, quæ de hoc loco iam bis sunt fuse disputata; tantum dico multis modis à Bellarmino peccati. Primo, nihil opus fuisse apud nos probari matrimonium esse aliud quam contractum ciuilem. Nos enim pro certo habemus contractum esse religiosum, & sacrum, idq; adeo probari etsi non ex his verbis, tamen ex tota Pauli oratione, quod nec omittimus monere in nostra coniugij liturgia. Sed reuocamus in mentem Sophistæ, id quod paucis ante versibus erat professus, cum tam fastidiose improbaret alios misere fatigantes se in probando matrimonium esse institutum vt signum rei sacræ. Nam id ille satis probatum iri sperauit; si demonstraret matrimonium esse signum rei sacræ. Itaq; negamus satisfecisse spei nostræ, aut etiam suæ promissioni. Quod vt appareat, ita argumenti formam instituo. Quicquid est mysterium magnum in Christo & Ecclesia, est institutum vt sit signum rei sacræ: At matrimonium est mysterium rei magnæ in Christo & Ecclesia: Ergo est institutum vt sit signum rei sacræ. Non indignabitur credo, quod pro Sacramento mysterium dixerim; videlicet quia hoc Pauli vocabulum sit, quanquam perinde erit Sacramentum dicas, modo memineris Sacramentum esse mysterium.

XIV. Respondeo dupliciter hoc loco mysterium intelligi posse. Vel, vt nos commodius censemus, pro re arcana, nec nisi per diuinam reuelationem cognoscenda, vt sensus sit illam vnionem Christi & Ecclesiæ esse magnum mysterium; sicut alibi Paulus magnum mysterium dixit, Deum manifestatum in carne. At tum videt ipse Bellarminus in argumento minorem esse falsam; qua de alias disputatum.

XV. Vel aliter, pro analogia significationis; vt sensus sit matrimonij arctissimam illam coniunctionem esse mysterium coniunctionis Christi & Ecclesiæ, quem sensum non pauci magis probarunt. Ast hoc modo distinguimus signum, in Sacramentale, & non Sacramentale. Non Sacramentale dicimus esse ἀπροσδιόνυσον: quandoquidem disputatio sit instituta de Sacramentis; vnde non oportuerit discessum. Nam hoc genus signorum locupletissimum est; & vt ita dicam, omnem excedens numerum, cum tamen tum Papistæ contineant se intra septem, tum nos multo strictus intra duo.

XVI. Quod attinet ad signa Sacramentalia negatur maior. Quia constet plurima esse mysteria rerum sacrarum, non instituta tamen vt sint signa Sacramentalia. Apocalypseos 1. *Scribe quod vidisti & quæ sunt, & quæ postea sunt futura. Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextra mea.* Tum autem recurrit difficultas, nam matrimonium nihil est visibile, sed tantum imaginabile; & breuiter ens rationis, cuiusmodi res nemo hactenus dixit fuisse Sacramenta. Nec vero consentiunt Papistæ ipsum esse signum, sed in eo alij aliud assignãt, prout coniecturis acti in hanc illamve partẽ inclinant.

CAP. XXX.

In Matrimonio non esse gratiam Sacramentalem.

I. TErtio sic dicimus. Omne Sacramentum efficaciter significat gratiam iustificantem: At Matrimonium non significat efficaciter gratiam iustificantem: Ergo non est Sacramentum. Minorem (nam de maiore nihil est necesse dicere) non nos tantum ponimus, sed etiam asseruerunt nonnulli Papistæ, vt indicatum cap. 27. Sed reliqui, maxime qui nostris exerciti disputationibus, iidem autoritate Tridentina occupati, vehementer impugnant. Videamus quid suo nomine dignum proferant.

II. Diximus triplicem ab iis assignari gratiam; vnionem cum Christo, remedium contra concupiscentiam, amorem coniugalem. Dicam ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς. Amor coniugalis conceditur effici, sed negatur significari: Nempe, quia pertinet ad ipsam coniugij naturam; id est, materiæ constitutionem, non autem ad rationem Sacramenti. Quomodo scilicet in Baptismo, aqua corpus abluit; in Eucharistia, panis & vinum nutriunt. Sed ea lotio, eaque nutritio non sunt effectum Sacramenti; sed proprietates materiæ, super quibus fundatur analogia Sacramentalis, id est, ratio Sacramenti.

III. Patet ex Paulo ad Ephes. 5. *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea. Ita debent viri diligere suas vxores vt sua ipsorum corpora. Qui diligit suam vxorem, seipsum diligit: nullus enim vnquam suam ipsius carnem odio habuit, imo enutrit ac fouet eam, sicut & Dominus Ecclesiam.* Manifesta analogia; Vt vir ad vxorem, ita se habet Christus ad Ecclesiam, nimirum homo amat vxorem: Christus amat Ecclesiam. Amor ergo vxoris, vt dicebam, id est, coniugalis amor non à mysterio est; sed ab eo potius mysterium. In eum locum Iustinianus, *Est argumentum ab ipsa rei natura desumptum. Nam, vt ait Hieronymus, iam inde ab initio nascentis mundi primus omnium parens de vxore sua dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Ambrosius, *Ad vnitatem commendandam vnitatis dedit exemplum, vt sicut vir & mulier vnum sunt per naturam, ita & Christus & Ecclesia vnum intelligantur esse per fidem.* Thomas, *Diligit vxorem suam magis quam patrem, & multi dementes facti sunt propter vxores suas. Hoc autem naturale est, quia appetitus naturalis est concors debitæ actioni. Constat autem quod omnibus gentibus superioribus inest appetitus vt propinent & communicent inferioribus, & ideo amor naturalis in est eis versus inferiora. Et quia homo respectu patris & matris est inferior non superior: ideo ad vxorem cuius est superior, & ad filios naturaliter plus afficitur quam ad parentes, & etiam quia vxor sibi adiungitur ad actum generationis.* Salmero, *Verba hæc non esse Pauli, sed Adæ ipsius legem matrimonij dictantis,* Et aliquanto post, *Vbi obserua morem Hebræorum esse, vt futuris pro imperatiuis vtantur; & præcepta tradant per futurum tempus. Itaque hæc verba non sunt prophetica, quæ aliquid vt futurum pronuntient; sed imperantia illud, ad quod quisque lege matrimonij arctatur.*

IV. Hinc res fit manifesta. Nam Sacramenta non efficiunt materiæ suæ proprietates, sed præsupponunt Deinde, effectus Sacramentorum non sunt naturales sed supernaturales. Ast amor coniugum naturalis est Quare certo concludimus amorem coniugalem, nullum esse effectum Sacramenti. Addo: Si esset effectum Sacramenti, ergo alterutrum fore necesse; vel non fuisse in matrimonio; vel matrimonium fuisse Sacramentum ab initio. Quod vtrumque absurdum est, vel Papistis ipsis consentientibus. Ratio consequentiæ est, quia effecta Sacramentorum non possunt esse propria ipsis Sacramentis.

V. De remedio contra concupiscentiam: primo, obseruandum concupiscentiam nominari non lato sensu, sed contractus pro concupiscentiam fornicationis. Itaque Paulus iussit vnicuique suam esse vxorem propter fornicationem. Neque est in matrimonio vllum remedium aduersus concupiscentiam gloriæ, aut diuitiarum, aut ciborum; aut similium. Nimirum igitur, quatenus concupiscentiam peculiariter opponitur τῇ σωφροσύνῃ περὶ τὰ ἀφροδίσια. Et ita explicant ipsi Papistæ. Salmero, *Gratia Dei peculiariter in hoc Sacramento concupiscentiam reprimit ad vnam tantum propriam vxorē, & ne vagos conflectetur concubitus. Corrigit deinde finem, ne tam voluptatem in actu matrimonij quærat, quam prolem.*

VI. Hoc posito, negamus hunc effectum esse Sacramentalem. Quia ex aliorum, siue quæ sunt, siue quæ dicuntur Sacramenta colligitur, gratiam quæ est effectum Sacramenti, generalem esse aduersus omnia peccata, non peculiarem singulis. Alioquin oportuisset, quot peccata sunt, totidem institui Sacramenta. Quia quæ ratio exigit remedium contra fornicationem, eadem etiam postulat remedium contra gulā; & auaritiam, & ambitionem, & odium, & furtum, & reliqua.

VII. Deinde hoc remedium non confertur significando, quæ ratio est efficaciæ omnium Sacramentorum, vt sæpe diximus, conferri ea quæ significentur, & significari ea quæ conferantur. Atqui quod remedium est in matrimonio contra concupiscentiam, non significatur, sed ex oppositione virtutis contrariæ perficitur: sicut remedium contra vanam gloriam, est modestia: contra odium, est caritas: contra gulositatem, sobrietas: & sic deinceps. Ast hæc efficiendi ratio nihil pertinet ad Sacramenta. Quare ne hoc quidem remedium potest esse vllum effectum Sacramentale.

VIII. Tertio, hic effectus matrimonii fuit ab initio. Nam remedium in eo consistit, non auferatur prorsus conpiscentia, sed vt coerceatur legitimis terminis; & præcipue vt sit vnius ad vnam. Atqui hoc ipsum Dominus ipse testis est fuisse tum constitutum, cum constitutum est matrimonium. Marci 10. *A principio creationis masculum & fœminam fecit Deus. Propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & agglutinabitur vxori suæ, & qui duo fuerant, erunt vna caro, itaque non sunt amplius duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet* Manifestum est matrimonium non fuisse vnius cum vna demum post Christi aduentum, sed ab initio κτίσεως creaturæ, siue creationis, ac proinde tam tunc remedium contra concupiscentiam.

IX. Agnoscunt ipsi Papistæ Bellarminus c. 5. *S. Thomas scribit Matrimonium institutum fuisse in officium naturæ, in statu innocentiæ, deinde in statu naturæ corruptæ fuisse illi additum, vt esset in remedium, & tandem in lege noua à Christo institutum fuisse in Sacramentum.* Hosius, *De hoc itaque Sacramento nobis nunc dicendum est, quod antequam peccasset Adam, in officium tantum & ministerium, post admissum vero peccatum, iam non in officium tantum, verum etiam in remedium est institutum.* Coloniense Enchiridion, *Tertius institutionis finis, qui proprie statum hominis post lapsum respicit, est vt infirmitas incontinentiæ nostræ honestate nuptiarum exciperetur. Nam cum constet, nisi secidissent primi parentes homines futuros, atque etiam liberos, sine carnis incentiuo, ac absque feruore libidinis, atque adeo non tantum sine peccato, sed etiam cum merito procreaturos fuisse: post peccatum vero letalis concupiscentiæ lex, membris nostris inhæserit, sine qua carnis commixtio non fit: necesse erat vt institutum quoddam Dei haberemus, quod carnis commixtionem alioqui ob concupiscentiam reprehensibilem, excusaret. In quam sententiam dixit Apostolus, propter fornicationem vitandam, vnusquisque propriam vxorem suam habeat. Augustinus duo propria officia matrimonio ante hominis lapsum, tertium iam lapso tribuit. Quod (inquit) sanis est ad officium, ægrotis est ad remedium.*

X Superest gratia illa, quæ est vnio Christi & Ecclesiæ, hanc vero in matrimonio significari docuit Paulus; itaque non negamus. Sed conferri negamus, aut à Paulo dictum; aut vsquam in Scripturis lectum. At significari & effici, siue applicari non conuertuntur. Applicari enim actum designat particularem, quo quod alias proponebatur vniuersaliter, singulis indiuiduis concedatur, & donetur. At significari potest, etiam id quod non donatur. Quare in Sacramento vtrumque oportet concurrere; nempe vt gratia non tantum significetur, sed etiam conferatur. At significare vnionem Christi cum Ecclesia, non significat artem particularem applicationis; sed illum duntaxat generalem significationis. Potest autem vniri Christus Ecclesiæ, vt tamen non vniantur coniugati Christo Nihil ergo proficiunt Papistæ, ponentes significari vnionem Christi cum Ecclesia.

XI. Sed videamus tamen quomodo probent. Nam Bellarminus colligit argumenta tria. Primum in hunc modum, ex illo ad Ephesios. Matrimonium est signum vnionis Christi & Ecclesiæ, non solum per naturæ conformitatem; sed etiam per spiritualem caritatem. Non potest autem cōiugium id significare, nisi inter virum & vxorem præter ciuilem contractum, sit etiam vnio spiritualis animorum coniunctio. Quod si Deus virum & fœminam coniungit ad hunc finem, vt spirituali sua vnione, vnionem spiritualem Christi & Ecclesiæ significent, sine dubio gratiam illis largitur, sine qua spiritualem illam vnionem non haberent.

XII. Sed hic nihil est non sophisticum. Primo non concluditur quæstio. Tantum enim Deum conferre gratiam, sed non conferre per Sacramentum, tanquam proprium instrumentum. In Eucharistia, nemo dubitat conferri remissionem peccatorum. Etenim confertur vnio cum Christo, quæ non remissis peccatis nulla esse potest. Et tamen Eucharistia non dicitur Sacramentum remissionis peccatorum: videlicet quia non confertur ab ea tanquam eius proprio instrumento: quoniam non significet, nam panis ad eisum, vinum ad potum nullam habet similitudinem cum remissione. Sic igitur potest conferri gratia spiritualis in matrimonio, vt non tamen per matrimonium.

XIII. Præterea, spiritualis illa animorum vnio non est gratia illa, quæ quæritur in mysterio matrimonij. Nam Apostolus diserte protestatur mysteriū esse in Christo, & Ecclesia. Mitto nostram interpretationem illam aliam nunc suppono, quam sibi propitiam sperant Papistæ: intelligentes ipsum matrimonium esse mysterium. Esto hoc sane, sed est mysterium in Christo & Ecclesia. Quare oportet rem mysterii huius esse ipsam illam vnionem Christi & Ecclesiæ, ac proinde gratiam quam quærimus, dari ad vnionem illam ipsam Christi & Ecclesiæ. Ac Sophista ponit gratiam dari ad vnionem animorum eorum qui contrahunt. Sanúsne est?

XIV. Tertio: si Deus coniungit virum & fœminam, vt spirituali sua vnione, vnionem Christi & Ecclesiæ significent: Ergo Deus largitur illis gratiam, vt habeant spiritualem vnionem. Esto sane inquam, sed quis non videt absurditatem? Confertur gratia, vt habeatur vnitas animorum. Hæc vnio animorum habetur, ad significandam vnionem Christi & Ecclesiæ. Ergo gratia confertur ad significandam vnionem Christi & Ecclesiæ Et non pudet vanitatis? Atqui si conferatur ad significandam vnionē Christi & Ecclesiæ; quæ ratio est mysterii: Ergo confertur vt fiat mysteriū Non cōfertur ergo ab ipso mysterio, quatenus est mysterium, quod nunc tū necesse est demonstrari.

XV. Denique en tibi similem subtilitatem, & inde absurditatem mirare. Instituta est Cœna, ad significandum nos spiritualiter pasci corpore Christi. At non potest Cœna id significare, nisi vim habeat nutriendi corpora nostra Hoc autem non potest sine proprietate naturali. Ergo sine dubio Deus Cœnæ vim naturalem largitur, sine qua non habet vim nutriendi. Omnia sane vera sunt sigillatim, sed non sequitur vim illam naturalem, esse gratiam, cuius causa Cœna facta est Sacramentum

XVI. Videamus alterum Bellarmini argumentum ex 1. ad Timoth. 2. *Saluabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Quatuor enumerat matrimonii bona, fidem, dilectionem, sanctificationem, sobrietatem, contra adulterium (sic enim ininterpretatur Baptista breuiator) rixas, immunditiem, intemperantiam. In iis permanendum esse docet; tanquam in matrimonio acceptis. Breuiator. At nequit in iis permanere, nisi prius ea in celebratione matrimonii acceperit.

XVII. Mira peruersitas. Nam illud, *tanquam matrimonio acceptis*, vnde habuit Bellarminus? aut cur non simpliciter, tanquam acceptis? Vnde Baptista illud, *non potest in iis permanere, nisi prius in celebratione matrimnij acceptis.* Aut cur non potuit permanere in acceptis ante matrimonii celebrationem? Habentne Paulum iudicem? habentne vim verborum testem? Habentne saltem ratiunculam confirmantem? Nihil minus: solam audaciam: quæ quasi κλέπτουσα τὴν νίκην, vnius particulæ clanculariam additionem tanquam non præmeditatam, sperauit nemini aduertendam. Sed nos contra audaciam manifestam fortes; aduersum has clanculariasartes, neque timidos esse oportet, neque incautos. Itaque amouendam dicimus illam priuata sophistarum fraude intrusam particulam; & simpliciter intelligenda dona illa accepta siue ante Matrimonium, siue etiam post Matrimonium. Scimus enim, vt non fuisse nullos iis virtutibus donatos in cœlibatu, ita multos post contractum matrimonium; puta conuersos ab impietate ad fidem.

XVIII. Et vero negamus quatuor illa bona, tam arcte intelligenda, vt ad solum Matrimonium pertineant. Iustinianus, *Indicat quatuor potissimum capita, fidem, dilectionem, sanctificationem, seu, vt Ambrosius, sanctimoniam, sobrietatem, vel vt idem Ambrosius interpretatur, pudicitiam. His enim omnis ferme Christiana disciplina continetur. Ad fidem namque reuocatur omnis diuinorum mysteriorum necessaria cognitio, ad caritatem pertinet Dei, proximorumque amor, sanctificatia siue sanctimonia, cultum & religiosas ceremonias complectitur, sobrietatis nomine id omne comprehenditur, quod ad frangendas penitusque edomandas prauas cupiditates pertinet.* Espensæus, *In fide, vera Christi religione & doctrina: Dilectione Dei & proximi, & viuendi modo, nec enim satis est fides, nisi & caritas adsit totius vitæ fons, caput, atque summa. Et exprimit quæ sit eius norma: Sanctificatione; mentis & corporis puritate. Cum sobrietate, frugalitate, sine qua sanctitas difficile custoditur.* Hoc modo res fit perspicua. Nam huiusmodi virtutes non dantur per matrimonium, neque habet matrimonium vllas additas sibi promissiones, de iis conferendis.

XIX. Sed Klingius, *Salua fiet.* Nunquid non hæc promissio est salutis? Ergo mulier in matrimonio generans, habet promissionem gratiæ.

XX. Ita est, inquam. Sed quod Paulus dixit σωθήσεται διὰ τῆς τεκνογονίας, *seruabitur per filiorum generationem*; eadem phrasis est, quam vsurpauit Actor. 14. διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, *Per multas oppressiones oportet nos ingredi in regnum cœlorum.* Quemadmodum ergo non est necesse intelligi, τὰς θλίψεις confert regnum cœlorum; sic neque τεκνογονίαν conferre salutem: sed duntaxat, vt per oppressiones, sic per matrimonium perueniri ad salutem, regnum cœlorum. Bene Espensæus, *Non sic eum sexum deiicimus, vt & à salute excludamus. Est illi sua functio in qua sincere versando consors erit & salutis. Si non est quod agat in concione, est domi quod agat: si quod olim seducto marito deliquit, liberis gignendis recteque educandis sarciat.* Caietanus, *Meritorum salutis adstruit esse coniugium mulieri; ex hoc, quod si ob filiorum generationem manserit cum viro in fide, & reliquis, saluabitur ipsa mulier. Et per hoc intellige explicari proprium munus sexus.* Recte. Nam etsi meritorum meminerit Papistice, tamen ostendit hoc ipso se nihil cogitasse de Sacramento; in quo meritorum nulla vis esse potest: longe enim aliud est significare, aliud mereri.

XXI. Postremum Bellarm. argumentum. Paul. 1. ad Cor. 7. vocat donum Dei matrimonium, æque ac virginitatem. *Vnusquisq;, inquit, donum suum habet ex Deo, vnus quidem sic, alius autem sic.* Et 1. ad Thess. 4. hortatur coniuges vt abstineant se à fornicatione, & vas suum possideant in sanctificatione, quam nimirum per matrimonium ante acceperunt.

XXII. Næ istis Sophistis, vt olim Ioui fulminum, Lemnon aliquam esse oportet Sophismatum inexhaustam. En tibi: Matrimonium Dei donū est. Ita sane, inquam: sed nunquid Dei donum est virginitas? Æque. Quid ergo? Estne virginitas Sacramentū? aut, gratiamne confert sacramentaliter? Quod si negas: quid habes de matrimonio maius? En Lemno! en Vulcanum!

XXIII. En rursus repetitum illud antiquum, acceptum per matrimonium: quasi dixisset Apostolus, quasi edicentibus Iesuitas necesse esset omnes

mnes obmutescere. Atqui videte, ô boni, ne tam frequenti autoritatis vestræ abusu, etiam bene vobis volentes obtundatis, & abalienetis. Iustinian*, *Qui vxorem interpretantur nomine vasis merito refelluntur à Theodoreto: non enim tantum maritis, sed aliis omnibus, qui cœlibem vitam ducunt, præcepta tradit.* Guillaudus, *Vult ergo Paulus hoc loco, vt quilibet nostrûm corpus suum proprium, quod à Deo accepit, possideat in honore ac sanctificatione.* Et certe nimis oscitanter Paulum legit, qui illud ἕκαστον ὑμῶν; dissimulans, solos coniugatos somniarit, nisi forte apud Thessalonicenses nulli essent nisi coniugati, aut etiam solos coniugatos Paulus iuberet abstinere fornicatione.

XXIV. Hæc omnia erant argumenta Bellarmini. Habuit etiam sua Salmero, in iis tamen numerata, quibus recta probare aggreditur Matrimoniũ esse Sacramentum, quod peccatum placet nunc condonare. Ille igitur: Deus in necessariis deesse non consueuit, cum ergo matrimonio occasiones peccandi sese offerant; & ob concupiscentiam, & ob onera matrimonii, quæ ad finem vsq; vitæ alterius coniugis perdurant, cum repudium illicitum sit, consequitur ergo, Deum pro sua bonitate ad hæc sustinenda incõmoda gratiam suam coniugatis non denegare; etiam in ipso initio, in quo cõtrahitur.

XXV. Imo simile argumentum huic argumento. Cum Deus in necessariis non soleat deesse: & in Cœlibatu profitendo multæ occasiones peccandi sese offerant, & quidem grauissimæ; consequitur Deum suam professis cœlibatum gratiam non denegare. Neq; video in eo argumento quicquam negatum iri à Papistis. Quid ergo? Concludentne aut cœlibatum esse Sacramentum; aut in eo dari gratiam, eadem ratione qua dari oportet in Sacramento? Quod si non audeant; discant non perfricare frontem. Datur, inquam, in Sacramento gratia, sed non datur per analogiam significationis.

XXVI. Rursus Salmero. Ecclesia exigere solet confessionem ab his qui matrimonium suscepturi sunt, & continentiam in prima nocte ob reuerentiam Sacramenti: eo etiam suscepto petit castitatem. Ergo gratiam Dei in eo tribuitur.

XXVII. Sed quam ille Ecclesiam appellat, Scriptura Babylonem nuncupat, & iubet ab ea recedere. Videant Papistæ, Vnde suas demonstrationes mendicent. Id habet superstitio, vt suas imaginationes curiosissime exornet; nec in eo sibi satisfaciat vnquam. Nos neque quid exigat, neque quid negligat tanti faciemus vnquam, vt propterea discedamus à ratione, recedamus à Scriptura.

Capvt XXXI.

An ratio probet Matrimonium esse Sacramentum.

I. Est igitur inutile argumentum à Definitione; sed habere se putãt aliunde alia. Hæc inquiramus; primum à Bellarmino, dehincà Salmerone, post ab aliis, si quæ sunt.

II. Esto hoc primum. Matrimonium Christianorum est vnius tantum cum vna, & omnino insolubile. Igitur est Sacramentum conferens gratiam. Antecedens probatur Marc. 10. *Qui dimiserit vxorem suam; & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Consequentia probatur dupliciter. Primo; nam illa omnimoda insolubilitas in vnis nuptiis, non potest referri in causam primariam, & certissimam, nisi in signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Hoc probatur, quia vel in officium naturæ ad propagandam sobolem vel in remedium contra fornicationem. At neutrum. Non in prius. nam ægre potest reddi ratio cur ob sterilitatem non posset vxor dimitti. Non in posterius: nam cur non posset vxor perpetuo morbo laborans dimitti, & alia duci? Secundo, constat Matrimonium legitimum & consummatum, ante Baptismum contractum posse dissolui; non vero contractum post Baptismum. At huius nulla causa reddi potest, nisi quia hoc Sacramentum signum est indissolubilis coniunctionis Christi & Ecclesiæ.

III. Respondeo, indissolubile Matrimonium censeri vel ab ipsius natura, vel ab accidenti. Quia potest humana malitia dissoluere, quod tamen non est sua natura solubile. Sic cum pepigisset Deus pactum sempiternum, Exodi 31. 2. Samuelis 23. tamen sæpe legimus id pactum irritum factum esse à Iudæis.

IV. Si igitur per accidens intelligas, negatur antecedens. Nam Christus docet Matrimonium solui posse propter adulterium, & Paulus propter desertionem, qua de re alias disputatum est proprio loco.

V. Si naturam potius dicas; negatur consequentia. Etenim consentimus vtrique ab initio mundi Matrimonium non fuisse Sacramentum: Et tamen certum est fuisse sua natura indissolubile: teste Christo. Matth. 19. & Marci 10 vbi ille Pharisæis respondens non posse dissolui, causam accersit ab ipsa prima institutione.

VI. Confirmationem primam, primum dico frustraneam esse nam etsi sola causa esset significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia, tamen non sequeretur Matrimonium esse Sacramentum, quia hæc ipsa significatio non est Sacramentalis, vt capite præcedenti disputatum.

VII. Secundo, nego posse alio referri. Et addo non esse dilemma necessarium, quia desit tertium membrum: Ipsa, inquam, institutio Matrimonij; non ista, quam fingunt, recentior Sacramenti, sed illa vera & antiquissima Matrimonij. Et sane consentimus, neque illam propagationem sobolis, neq; etiam remedium contra fornicationem sufficientes causas esse posse. Nam neutram Christus attigit, cum eam rem ageret. Sed institutionem solam nominauit, quæ & nobis debet esse satis.

VIII. In secunda confirmatione, negatur matrimonium contractũ cum infideli ante Baptismum esse solubile. Profecto, quicunque ita docent, Paulo contradicunt, qui iubet Christianum non discedere ab infideli, si hic consentiat: Ad Corinth. 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, quæ consentiat ad habitandum cum eo, ne dimittito. Et vxor, quæ habet virum infidelem, qui consentiat ad habitandum cum ea, ne eum dimittito.* Solubile fateor etiam docere: sed per accidens, id est, propter desertionem; *At si incredulus discedit discedat: non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi rebus.* Sed hac eadem causa negamus non posse dissolui etiã contractum post Baptismum. Neque enim Paulus dixit: & ratio eadem manet. Quare necesse est Bellarmino suas coniecturas imposuisse.

IX. Secundum argumentum. Matrimonium semper habitum est inter res sacras, & inter sacrorum solennia per Sacerdotes celebrari solitum. Huc vsque Salmero, diuinanda relinquens reliqua. Sed Bellarmin. perficiens, At certe si esset contractus humanus tantum, quales sunt contractus venditionum, & locationum humanarum, vel politicum vitæ genus, qualia sunt, vt Caluinus loquitur, agricultura, tonstrina, ars sutoria, & cæmentaria, nunquam sancti Patres cum rebus sanctissimis Matrimonium coniunxissent.

X. Respondeo primo, eos quibus solenne est nauibus, & campanis, vexillisq; bellicis, & bõbardis benedicere per Sacerdotes, non debere hoc vti argumento; quas res nemo Patrum veterum, nemo Theologorum numerauit hactenus in rebus sacris, multo minus in Sacramentis: Papistæ superstitiosissimi bipedum, etsi sacras finxerint, tamen Sacramenta non sunt ausi: sicuti neque Monacherum, Monialiumve consecrationem, benedictionem aquæ, salis, Chrismatis, altaris, Ecclesiæ, crucium, nouarum frugum, & quarum non denique rerum?

XI. Nos vero Matrimonium agnoscimus rem sacram; & ipsi solenni benedictione consecramus in Ecclesia per Episcopum, nec aliter fieri patimur. Adeoque in eius benedictionis Liturgia & sanctum & sanctissimũ dicimus, ac Domini nostri Iesu Christi sanctissima præsentia sanctificatum. *Audite Euangelium* inquimus, *& præceptum Domini, quemadmodum Matrimonium sancte haberi velit.* Nempe igitur calumnia est, Caluinum haud aliter agnoscere, quam qualia sunt agricultura, tonstrina, sutoria, reliquaq; artium nomina, quæ illi non vsurpata Instit. lib. 4. c. 19. §. 34. nisi vt exemplis doceret, non quicquid bonum ac sanctum, propterea esse Sacramentum. Verba, *Ordinatio Dei bona est & sancta*, scilicet Matrimonium. *Et agricultura, architectura, sutrina, tonstrina, ordinationes Dei sunt legitimæ, nec tamen Sacramenta sunt, id enim non tantum in Sacramento quæritur vt Dei opus, sed vt sit ceremonia exterior à Deo posita ad confirmandam promissionem.* Hæc Caluinus. Verum Iesuitis solenne est calumniari.

XII Rubeus in hunc arguatur modum. Sicut in Ecclesia est necessaria spiritualis multiplicatio, ita naturalis: Sed ad spiritualem multiplicationem ordinatur aliquod Sacramentum, scilic. ordinis: Ergo matrimonium, quod ordinatur ad multiplicationem naturalem, est Sacramentum.

XIII. Facilis responsio: neq; enim verum antecedens; Ordinationem esse Sacramentum; quæ res iam discussa fuit: neq; consequentia bona spiritualibus ad naturalia. Nam illa sunt propria Ecclesiæ negotia; hæc vero minime; sed tantum per accidens. Sic. si manducationis spiritualis aliquod est Sacramentum, nempe Eucharistia: & ablutionis spiritualis, Baptismus; non tamen est vllum Sacramentum naturalis siue manducationis, siue ablutionis. Et si esset consequentia necessaria; non possent omnes. Papistarum artes efficere, vt non fuisset Matrimonium Sacramentum, æque olim, ac post Christum. Deniq; Sacramenta nulla necessariæ sunt institutionis, sed mere voluntariæ. Itaq; etsi necessaria esset spiritualis generatio, tamen non fuit necessarium Baptisma, nisi ita volente & instituente Christo. Similiter ergo, etsi necessaria sit generatio corporalis; non sequitur tamen necesse esse aliquod eius Sacramentum, nisi insuper doceatur, aliquod tale à Christo institutum.

XIV. Paludanus. Omne remedium contra peccatum est Sacramentum: Sed Matrimonium est in remedium constitutum contra peccatum, dicente Apostolo, 1. ad Cor. 7 *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat:* Ergo est Sacramentum.

XV. Negatur maior. Sunt enim remedia contra peccatum, alia per oppositionem, qualis est virtutum & vitiorum, alia per significationem gratiæ, diuinæ. Hæc concedimus esse Sacramenta, vt Baptismum, & Eucharistiam. Sed in hoc numero negamus esse Matrimonium. Ast illa, non sunt Sacramenta, vt caritas, quæ est remedium contra malitiam: modestia, contra superbiam: prudentia, contra temeritatem. In hoc censu Matrimonium est constituendum contra fornicationem; quia Matrimonium est opus suo genere bonum, & propria sua definitione oppositum fornicationi.

XVI. Rursus Paludanus. Si Matrimonum non esset Sacramentum, causa Matrimonii esset pure corporalis, & pertineret ad iudicem seculare, & non Ecclesiasticum. Sed illud est contra Canones. Salmero concepit ad hunc modum. Causæ Matrimoniorum ad Pontifices & Episcopos semper fuerunt reseruatæ, vt ex eorum decretis & praxi Eclesiæ constat, quæ seculares principes non cognoscunt. Sequitur ergo quod non sit contractus profanus, sed ceremonia sacra ad cultum spectans, & à Deo instituta.

XVII. Negatur consequentia Paludani. Nam etiam iurisiurandi causa Papistæ ad solos Episcopos deferunt; & tamen iusiurandum non tuentur esse Sacramentũ. Imo causas omnes Spei, Fidei, Caritatis, quas virtutes appellant Theologica, quis neget pertinere ad Ecclesiæ Pastores? Et tamen nemo eas virtutes appellat Sacramenta. Quanquam in antecedente ipso nimium quantum accessit tyrannidis Papisticæ, quam nunc exagitare nihil attinet.

XVIII. In Salmerone conceditur non esse contractum prophanum: conceditur spectare ad cultum Dei; quomodo omnes virtutes, omnia bona opera. Sed negatur esse ceremoniam. Nullum enim opus bonum, & quidem ex suo genere, ceremonia dici debet: sed aliquid per se quidem indifferens: verum per accidens relatum ad cultum Dei, sic Cœna sacra, sic Baptismus ceremoniæ sunt; quia cœnare, aut lauare, ex se nihil prorsus habent religiosum: sed propter institutionem & significationem sacram, habent locum in religione, indeq; ceremoniis accensentur. At Matrimoniũ, ipsum per se est res sacra, opusq; bonum. itaq; extra ceremoniarum nomenclaturam.

Cap. XXXII.

De Patrum sententia.

I. A Patribus præsidium sibi sperant magnum. In iis sunt qui docent fuisse adhibitam Matrimonio contrahendo Episcopalem benedictionem, ita citantur à Salmerone Nazianzenus & Illefonsus. Ille, Epist 57. ad Anysium, *Sentio quod crimen mihi obiicias, etiamsi id reticeas. Nuptias celebramus, forsan dixeris, idq; aureæ, tuæque Olympiadis*, [illegible] *grex Episcoporũ aderat, tu vero aberas vir egregie.* Alter, hæresi 9. *Simaniani sunt nuptiæ emendate Ecclesiæ regulam, damnate qui in toto orbe sunt Sacerdotes nuptiarum initia benedicentes; & in Dei mysteriis sociantes.* Tertullian. ad vxorem lib. 2. *Vnde*

sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, Pater ratum habet?

II. Egregium κατόρθωμα, & animis dignum Iesuiticis! Inuentus vix tandem vnus & alter testis, aut denique tertius, qui assereret nuptias Episcopis aduocatis conciliatas. Sed huic argumento satisfactum est præcedenti capite. Quid hic repetere iuuat? Obseruo tamen apud Tertullianum, oblatione Matrimonium confirmari. Ast ego audieram nunquam Sacramento Sacramentum indigere ad sui confirmationem.

III. Alii gratiam in Matrimonio agnouerunt: Tertullianus lib. 2. ad vxorem, *Si ergo ratum est apud Deum Matrimonium huiusmodi, cur non prospere cedat. vt & à pressuris, & angustiis, & impedimentis, & inquinamentis, non ita lacessatur, iam habens ex parte diuinæ gratiæ patrocinium?* Innocentius primus Epist 9. ad Probum, Matrimonium diuina gratia fundari asserit dum celebratur. Cyrillus 2. in Ioan. c. 22. dicit Christum sanctificasse coniugium, & gratiam nuptiis præparasse, vt aditus hominum in hanc vitam benediceretur. Faustus 1. de libero arbitrio c. 2. *Non in querelam vocatur nuptialis gratia, sed obscœnæ passionis iniuria.* Fulgentius Epistola ad Probam. *Scimus nuptias non esse peccatum, sed Dei donum quas ipse Dominus connexuit fidei vinculo, gratificauit benedictionis dono, multiplicauit propagationis augmento.*

IV. Sed primum, Bellarminus Cyrilli locum totum corrumpit: quem ita legimus, & recitat Salmero, *Oportebat certe, quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solum natis iam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc vitam autoritate miraculi, & præsentia sua sanctum efficere.* Viden mutatos nascituros in nuptias? Rursum Faustus nuptialem gratiam dixit, ipsas nuptias, non autem aliquam quæ insuper conferretur per nuptias: agit enim de matrimonio, quod Pelagiani calumniabantur à Catholicis infamari, tanquam malum. Tertio, Innocentius Matrimonium diuina gratia fundari, dixit, id est stabiliri, confirmari, ratum fieri. Comparat enim matrimonium à Fortunio primum cum visa contractum: deinde ista in hostilem captiuitatem deducta, alterum cum restituta. Illud ergo *primitus gratia diuina fundatum* dixit, vbi gratiam diuinam oportet intelligi causam efficientem Matrimonii, non vero eiusdem effectum.

V. Cæterum vt illa omnia dissimularentur, tamen argumentum iam infirmatum est & dissolutum c. 30. Nam gratiam Dei promissam esse Matrimonio, nemo negat Catholicus, sed negat Catholicus; sufficere ad Sacramentum perficiendum.

VI. Supersunt ex Patribus, ij qui Matrimonio vel mysterii, vel Sacramenti nomen imposuerunt. Ad mysterium isti pertinent. Clemens Alexan. Stromateon 3. c. 7. *Quod si lex sancta est, sanctum est Matrimonium. Sacramentum ergo hoc ad Christum & Ecclesiam ducit Apostolus.* Irenæus lib. 1. c. 1. *Quapropter & omnimodo oportere eos Syzygiæ* (id est coniugii) *meditari mysterium.* Chrysostomus homil. 20. ad Ephesios, mysterium magnum esse affirmat in coniugio insolubili viri ac fœminæ; Ambrosius in 5. ad Ephesios, *Mysterii Sacramentum grande in vnitate viri ac fœminæ esse significat.*

VII. Nihil est noui. Nam mysterium non tantum compertum est vastissima notione Græcis vsurpatum, sed etiam certum nunquam cuiquam definitum. Itaque impune potuisse vsurpari non de Matrimonio tantum sed etiam de aliis plurimis. Apparet ex Chrysostomo, qui μυστήριον intellexit ἀλληγορίαν. Verba sunt, Καὶ καλῶς εἶπε, μέγα μυστήριον ἐστιν. ὡς αὖ εἰ ἔλεγε πολλὴ ἀλλ' οὐχ ἡ ἀλληγορία ἀνατρέπει τὴν ἀγάπην, Gentianus reddidit *Pulcre dixit magnum est mysterium: Perinde ac si diceret, est allegoria: caterum allegoria non euertit dilectionem.* Nam etsi non κατὰ πόδας, tamen oppositio eum sensum exigit. Similiter Ambrosio dictum in vnitate viri ac fœminæ grande esse mysterii Sacramentum, nec Clemens Alexandrinus alio spectauit, cum dixit Apostolum referre hoc mysterium, ἄγειν τοῦτο τὸ μυστήριον, in Christum & in Ecclesiam.

VIII. Sed quem non subeat immanis admiratio super Irenæi loco? Breuiatoris Bellarmini putabam esse peculiare peccatum: sed delatus in ipsum locum comperi Feuardentium sic delirasse: & quidem, quod erat alienum à verisimili, autore Pamelio in Tertulliani contra Valentinianos. Neistud genus hominum vel ex flamma victum quæritur: qui tam temere omnia colligant, quibus vel syllaba accedit ad suam ideam. Recito locum, *Nos enim in vsu gradum accipere dicunt*, nimirum Gnostici hæretici, *quapropter & auferri à nobis, semetipsos autem proprie possidere, desursum ab inenarrabili, & innominabili syzygia descendentem habere gratiam, & propterea adiici eis. Quapropter ex omni modo oportere eos semper syzygiæ meditari mysterium.* δεῖν αὐτοὺς ἀεὶ τὸ τῆς συζυγίας μελετᾶν μυστήριον. Eam syzygiam placet stupidis istis lectoribus, coniugium interpretari, cum tamen haberent in proximo id ipsum nomen ex vsu perpetuo Valentinianorum, imaginantium ad se gratiam deuenire desursum ab inenarrabili & innominabili syzygia. ἀπὸ τῆς ἀρρήτου καὶ ἀνονομάστου συζυγίας: Patet autem ex toto illo prolixo c. id genus hæreticorum miras inauditasq; combinationes συζυγίας esse commentos, non hominum, cuiusmodi Matrimonio sunt, sed Æonum, sic n. illi imaginabantur nescio quos nouos dæmones. Et hæc illis erãt altissima quędam mysteria. Illi igitur hæc cõbinationis mysteria μελετᾶν meditanda, vel potius exercẽda sibi dicebant in vsu cõiugii: imo non coniugii, nã id nomen significat τὴν ἀμίαντον κοίτην: sed carnalis copulationis. Dicentes sic, *Quicunque in seculo est, & vxorem non amat,* Græce γυναῖκα οὐκ ἐφίλησεν *mulierẽ non est osculatus (vt ei coniungatur)* ὥστε αὐτὴν κρατηθῆναι, *ita vt ea potiatur*, interpreto Billio) *non est de veritate, & non transiet in veritatem. Qui autem de seculo est mixtus mulieri non transit in veritatem; quoniam in concupiscentia mixtus est mulieri. Quopropter nobis quidem, quos Psychicos vocant, & de seculo esse dicunt, necessariam continentiam, & bonam operationem, vti perveniamus in medietatis locum. Sibi autem spiritualibus, & perfectis vocatis, nullo modo.* Hæc scilicet illa sunt mysteria Sysygiæ: hæc quibus dignum fuit ornari Matrimonii Sacramentum. An quia olim Sirycius eius laudes cecinit.

IX. Hoc illud ipsum est quod & Tertullian. expressit, c. 30. contra Valentinianos, *Nam & honorandorum coniugiorum supernorum gratia dicitur apud illos meditandum atq; celebrandum semper Sacramentum, comiti, id est fœminæ adhærendo: Alioquin degenerem nec legitimum veritatis, qui diuersatus in mundo non amauerit fœminam, nec se ei iunxerit.* Vbi nota Pamelij criticem; quæ, *gratiæ* putauit nullo sensu legi in præcedentibus editionibus; idque mutauit in *gratia:* perperam, & vt eum decuit, qui somnolentior locum legeret. Nam omino *gratiæ* oportuit retentum. Nam constructio est; dicitur apud illos meditandum atque celebrandum semper Sacramentum gratiæ honorandorum coniugiorum supernorum: scilicet quomodo Irenæus dicebat ab iis coniugiis ad se illos dicere deuenisse gratiam. Retinebat Iunius *gratiæ*, sed longe alio sensu, nec commodo.

X. In Latinis finis erit, quorum est Sacramenti nomen. Tertullianus de Monogamia, *Vt igitur in Deo nubas secundum legem & Apostolum (si tamen vel hoc curas) qualis es, id Matrimonium postulans, quod eis à quibus postulas non licet habere ab Episcopo monogamo, à Presbyteris, & Diaconis eiusdem Sacramenti, à viduis, quarum sectam recusasti.* Ambros. lib. 1. de Abrah. c. 7. loquens de eo qui alterius nuptam ducere cupit in vxorem, *Qui sic egerit, peccat in Deum, cuius legem violat, gratiam soluit: & ideo, quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium.* Leo 1. Epist 92. ad Rusticum Narbo. *Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem habeat in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.* Augustini frequentes loci sunt: 9. de Genesi ad literam c. 7. De fide & operib. c. 7. De bono coniugali c. 7. 8. 15. 17. 18. 24. 25. De sancta virginitate c. 12. Contra Iulian. lib. 5. c. 9. Secundo de peccato originali 34. Primi de nuptiis & concupiscentia c. 10. 17. 21.

XI. Semper sui sunt similes. Legunt quæ non intelligunt. Nam in Tertulliano quo tandem modo possunt in *Presbyteris & Diaconis eiusdem Sacramenti* matrimonium concipere? Et certe non omisisset Pamelius notare, cuius oculos (an aquilinos?) ne muscæ quidem vitare possunt. Sed enim Tertullianus eiusdem Sacramenti intellexit iisdem legibus obstrictos cum Episcopis; vt æque ipsi sint monogami. In Ambrosio Sacramentum cœleste, vt interpreter Matrimonium, argumentis opus est. Nam video longè aptius ipsam cum Christo coniunctionem intelligi; vt sensus sit, eum qui violauerit alienam vxorem, non fore participem eius mysterii, quod in Matrimonio repræsentatur, vt non sit Matrimonium ipsum Sacramentum, sed potius significet Sacramentum siue mysterium.

XII. In Leone mens eadem; & quidem manifestius. Nam primum quid est; præter sexuum coniunctionem habet Sacramentum Christi & Ecclesiæ? An est sexuum coniunctio aliud quam matrimonium? Saltem ingreditur rationem materiæ. Si ergo præter eam coniunctionem est Sacramentum, necesse est non ipsum Matrimonium dici Sacramentum. Deinde societas ab initio constituta, vt haberet id Sacramentum atqui non ab initio constituta: vt esset Sacrament. quod fatentur plerique omnes Papistæ: pauci ad modum alter, adeo hi improprie. Nihil est igitur in Leone præsidii.

XIII. Verumtamen vt illa omnia non essent, non potest auferri, quod pridem demonstratum de notione Sacramenti, tam late patente. Qua peculiariter opus est in Augustino. Nam hic certe, qui definiuit Sacramentum rei sacræ signum, non potuit non indulgere id nominis Matrimonio. Mentiar si non agnouerint Papistæ ipsi, Eckius homil. 71. *Quantum ad coniugium pertinet gentilium, dico illud esse legitimum iuxta consuetudinem & leges prouinciarum, verumtamen non est Sacramentum proprie loquendo, neque sic ratum, quod separi non possit. Sacramentum, inquam, non est proprie, nisi quod in communi potest etiam dici Sacramentum, sicut ait Augustinus, Sacramentum coniugii omnibus commune est, sanctitas tamen Sacramenti non est, nisi in ciuitate Dei nostri, & monte sancto eius. Ita & Innocentius tertius inquit ad Episcopum Tiberiadensem. Sacramentum Matrimonii est apud fideles & infideles.* Et paulo post, *Cumque Matrimonium fuerit Sacramentum etiam in veteri lege naturæ, fit vt etiam Matrimonium infidelium, quod ex illo defluxit, veniat appellatione Sacramenti.*

XIV. Quomodo igitur Papistæ cum legunt Sacramentum Matrimonii fuisse in gentibus, siue ante Christum; respondet Sacramentum dici improprie, id est alia quadam definitione, quæ latius pateat, quam Sacramenta Noui Testamenti: sic intelligant, cum omnino legimus Matrimonium appellatum Sacramentum nouæ legis: pro certo habere, nomen id vsurpari latiori illa definitione, quæ porrigens se ad rerum aliud genus, quam Baptismum, & Eucharistiam; etiam cruces comprehendit, & varias consecrationes. Papistas igitur ludere in ambiguo, & illudere simplicioribus in constituendorum Sacramentorum numero.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER

LIBER QVINTVS.

De BAPTISMO.

Caput Primum.

DE BAPTISMI NOMINE, ET DEFINITIONE.

PVRGATO Sacramentorum numero, duo supersunt verè proprieque digna suo nomine: vtpote sui proprij generis, ordinisque, & distincti ab omnibus aliis Christianis ceremoniis, quæ siue à Christo institutæ, siue ab Apostolis vsurpatæ, siue à posteris inductæ fuere. Ea duo sunt, Baptismus, & Cœna Domini.

II. In quæ concurunt omnia, quæ libro primo communis consensus partium, communisque sensus Patrum, ex diligenti Scripturæ obseruatione posuit esse Sacramentis naturalia, proindeque pertinentia ad eorum exactam definitionem. Nam & institutionem habent illustrem, atque ex professo; non autem coniecturis emendatam, aut vi extortam: & materiam corpoream, ac visibilem, aquam, panem, vinum: quæ elementa per se non pertinent ad religionem; sed sunt ἐν τοῖς βιωτικοῖς: verum translata per eam institutionem, in pietatis Christianæ partem venerunt non exiguam. Habent additam promissionem gratiæ diuinæ, nempe remissionem peccatorum, & arctissimæ cum Christo vnionis. Quam gratiam significando conficiunt, conficiendo significant, atque obsignant, id est, Sacramentaliter efficiunt, atque applicant singulis ea Sacramenta accipientibus legitimè. Denique sunt in Ecclesiæ vsu perpetuo, ex vi primæ suæ institutionis; duratura ad extremum vsque diem mundi, cùm translata in suam patriam, cœlos, Ecclesia, signis, imaginibus, Sacramentis, ne verbi quidem prædicatione opus habebit: quoniam Deus futurus omnia in omnibus, actu exhibebit vtenda, quæcunque beneficia nunc pollicetur speranda, exspectandaque.

III. De his duobus Sacramentis posthac disputandum nobis. Non potuit enim fieri, vt qui in tot tantisque doctrinæ capitibus discesserunt à Catholicis Papistæ, in eius doctrinæ appendicibus, non haberent pro regula suas imaginationes, quas pro traditionibus semel intrusas mordicus retinerent: maxime vt est superstitionis ingenium amans rerum externarum, ceremoniis hærens, iisque abutens potentissime ad plebes dementandas, magnifica pompa, illustrique apparatu faciles capi. Hinc factum, vt vix vlla sit pars alia Christianitatis tam prolixe agitata, tam sophistice disputata, tam animose contestata; tam pertinaciter asserta, tam tyrannice denique imperata. Quo magis pios necesse est sibi attendere, & quicquid erit armorum, virium, animi, huc conferre, in veritatis publicæ, indeque salutis priuatæ gratiam.

IV. Priorem locum sibi Baptismus vendicat initationis primæ Sacramentum, à qua incipimus dici Christiani: & vt loquitur Cyrillus Catechesi prima, λαμβάνομεν ὄνομα καινόν, ὃ πρότερον οὐκ εἴχομεν, *assumimus nomen nouum, quod antea non habebamus*. vt pro Catechumenis fideles nuncupemur: συγκαταλεγόμεθα τῇ ἁγίᾳ καὶ λογικῇ τοῦ Χριστοῦ ποίμνῃ. εἰς τὰ δεξιὰ αὐτοῦ ἀφορισθησόμενοι, καὶ κληρονομοῦντες τὴν ἡτοιμασμένην ἡμῖν ζωὴν, *Accensemur sancto rationalique Christi gregi, segregandi ad eius dexteram, & heredes futuræ vitæ iam nobis paratæ.*

V. Nomen deductum ab aqua eius elemento, siue potius ab eius elementi vsu, qui assumptus in relationis, id est significationis fundamentum. Nam cum sit aquæ vsus in natura non vnus; puta ad bibendum, & lauandū: priorem illum Christus institutor adhibere noluit, sed istum posteriorem qui Græcis, βαπτίζειν dicitur, vnde paronymum βάπτισμα, siue βαπτισμὸς, qui soni Latinis etiam retenti: addita etiam flexione alia Græcis incognita dictum est Baptismum. Lauacrum voce Latina, raro, nec puto, non adhibito aliquo epitheto, indice proprii vsus: quia videlicet nunquam obtineri potuerit, vt esset vocabulum huic proprie affectum rei. Eodem iure vsurpatum baptizādi verbū, pro quo Tertullianus dixit interdum tinguere.

VI. Græci Theologi more linguæ lasciuientes, varietatisque, atque copiæ elegantiam affectantes, synonyma, conquisiuerunt plura: teste Nazianzeno orat. 40. quæ in sanctum Baptisma. Δῶρον, inquit, καλοῦμεν, χάρισμα, βάπτισμα, χρῖσμα, φώτισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα, λουτρὸν παλιγγενεσίας, σφραγῖδα. *Donum appellamus, beneficium mersionem, vnguentum, illuminationē, immortalitatis indumentum, lauacrum regenerationis, signaculum.* Causam præmiserat πολυωνυμίας, *Siue id nobis ob miram quandam rei lætitiam accidat: fit enim fere vt quia rem aliquam impensissime amant, nomina quoque ipsa libenter vsurpent: siue quod multiplex huius beneficii vtilitas, multas quoque appellationes nobis pepererit.* Subiiciebat etiam hominum explicationem. Donum, quia his detur, qui nihil prorsus contulerint: beneficium, quia etiam debentibus: mersionem, quia peccatum in aqua sepeliatur: vnguentum, quia sacrum & regium: illuminationem, propter splendorem, ac claritatem, indumentum, quod ignominiæ sit velamē, lauacrum, quod abluat: sigillum, quia conseruatio sit, ac dominationis significatio. Veruntamen excepto Baptismo, hæc non tam nomina sunt, quam orationis flores: in quibus photisma solennius; vnde & πεφωτισμένοι recens baptizati.

VII. De definitione, nulla contentio nobis aduersus Papistas. Bellarminus assignauit ex Catechismo Romano, *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*. Rectè: contextam ex scripturæ verbis; quæ optima ratio docendi Ecclesiam. Itaque vtinam sese in reliquis omnibus tam religiose gererent ij, quibuscum nos semper conflictari oportet, eam vnicam ob causam, quòd à scripturæ & verbis & re nimium quantum discedant.

VIII. Caluinus Institutionis lib. 4. c. 15. dixit, *Baptismus est signum initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, vt Christo insiti inter filios Dei censeamur.* Hanc definitionem Bellarminus notat multis vitiis laborantem. Non explicare finem principalem, iustificare & regenerare. Conuenire Circuncisioni, ipsi etiam signo initiationis, apud Iudæos, cooptationisque in Ecclesiam. Conuenire item verbo prædicato, per quod initiamur & cooptamur in Ecclesiam, & inserimur Christo.

IX. Verum qui factum vt Caluinum roderet, potiùs quàm suos, quibus multis definitus Baptismus est imprudentiùs? Lombardo, dist. 3. quarti, *Baptismus dicitur intinctio, id est ablutio corporis exterior, facta sub forma verborum præscripta.* Vbi neque elementum notatur, neque subiectum cui adhibetur; neque forma designatur, neque vllum effectum notatur. Non multo sanius Altenstaig, etsi prolixius, *Est lotio hominis viatoris non dissentientis facta in aqua elemētari fluida, ab alio, simili er formam debitam cum intentione debita proferente.* Vbi habet expressè elementum, & subiectum, & ministrum, quæ deerant Lombardo: sed neque formam, neque effectum vllum. Edmundus Augerius in Catechismo ἔστι δὴ τοῦτο μυστήριον, ἐν ᾧπερ ὡς ἀπλῶς καθάπερ Χριστοῦ τὴν κέλευσιν διάταξιν τὸ σῶμα ἔξωθεν καθαρίζεται, οὕτω δὴ καὶ ὁ νοῦς ἔνδον ἀποκαθαίρεται τῇ ἐξ οὐρανοῦ, *Est Sacramentum in quo planè sicut ex Christi præcepto corpus aqua externè aspergitur, ita mens cœlesti gratia internè emundatur.* Vbi nec materia propinqua bene assignatur aspersio: nam quid immersio faciet? Nec iustificatio, regeneratioque magis disertè exprimitur, quàm apud Caluinum. Possem alia exempla colligere.

X. Verumtamen Caluinus primum non profitebatur exactam definitionem, & accuratam ad præscriptum logicum: sed notificationem (id vocabulum est Bonauenturæ explicantis illam Lombardi definitionem) siue descriptionem quæ satis esse posset suo instituto. Nam & plurimi Scholasticorum, atque adeò Thomas ipse, sperauit posse Baptismi doctrinam explicare, cùm non definitionem tantùm, sed ne descriptionem quidem dignatus esset præmittere: & in recentioribus Eckius, Suares, alij.

XI. Est verò falsum omitti quicquam essentiale. Nam iustificationem, & regenerationem; tum insitio in Christum, tum census in filiis Dei non potest non significare. Conuenire Circuncisioni concesserim libens. Nam verum est, eiusdem rei vtrumque esse Sacramentum: distinctio autem in eo est, quòd indicetur vsus præsens, per *cooptamur, censemur*: quæ dici non possunt de Circuncisione, iam olim antiquata. Conuenire autem verbo prædicato falsum: nam etsi verum sit per ipsum nos inseri Christo, cooptarique in Ecclesiam, tamen falsum initiari, nisi quatenus formam constituit Baptismi. Et tamen si omnino conueniat, nihil nocet non definienti. Profectò nihil hìc erat tanti.

XII. Disputabitur primùm de essentialibus Baptismi: pòst de ritibus, qui præter essentiam.

CAP. II.

De Baptismi materia & forma.

I. ESsentialia erunt in materia & forma; in effectis, in personis. In materia quidem & forma magnus consensus, eximia quadam Dei prouidentia; qui in tanto corruptionum aceruo, suæ hoc gratiæ pignus primum conseruatum voluit; vt ne prorsus perisse videretur ex orbe Christianismi nomen.

II. Aquam ergo materiam remotam, siue elementum: & ablutionem materiam propinquam, siue vsum elementi, constantes vtrique retinemus: aquam etiam simplicem, puram, elementarem, naturalem, fluidam: & detestamur hæreticorum temeritatem, ausam suo arbitrio, refigere Christi Domini institutionem; & aquam aspernari; siue ij Seleuciani, quos testatur Augustinus de hæresibus c. 49. Baptismum in aqua non accipere siue Pauliciani apud Euthymium in Panoplia: siue Hermas, & Iacobitæ apud Prateolum: siue Flagellantes apud Alphonsum de Castro.

III. Scripsit tamen Maldonatus in postremum Matthæi, *Audiui ego meis auribus Caluini ministrum similia, Seleuco & Hermiæ dicentem, nostramque ridentem, vt ille vocabat, simplicitatem, & ignorantiam, quod crederemus Baptismum necessariò debere aqua constare. Non enim, inquiebat, magis aqua, quàm igne constare debet, cùm pluribus locis Christus igne, quàm aqua baptizaturus dicatur. Sic isti boni doctores scripturam interpretantur.*

IV. Sed hæc calumnia est; & quidem impudentissima. Bene, quòd testes non nisi suas aures laudauit. Quasi non pridem norint omnes Iesuitarum aures non minùs odio seruire, quàm conscientiam. Et non æquè procliue sit auribus auditum affingere, ac oculis visum. Nihil est impostoribus inausum, dum commodum. Verum tam effronti calumniæ perpetuam opponimus tanti viri professionem; omnia scripta, in quibus si sit quicquam

eo accedens, causam nõ dicimus, quominus Maldonatus sit vir bonus. Certe Papistas non est veritus Caluinus, ne tam liberè scriberet, quam diceret. Et qui veritatem amauit, profectò tam sobrie loquutus est, quam scripsit: nec aliter sensit, quàm dixit.

V. Formam quoque non aliam admittimus, quam quæ designatur ista Christi institutione iubentis baptizare *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Itaque, quanquam nulla sit in ipso verborum sono vis, sed tota in rebus significatis: tamen qui à solo Christo res habemus discere; consultissimum putamus etiam, quam proxime fieri poterit, eius etiam sonum retinere, & verba numerata. Itaque damnamus quicunque sunt eam formam euertere conati, vt qui substituerunt τρεῖς ἀνάρχους, ἢ τρεῖς υἱοὺς, ἢ τρεῖς παρακλήτους, tres principio carentes, vel tres filios, vel tres paracletos, vt testatur Canon Apostolicus 48. & qui Ignotum patrem, veritatem matrem omnium, descendentem Iesum, apud Irenæum libri 1. cap. 18. & qui, nomen Patris per Filium, in Spiritu Sancto, c. 35. siue quocunque illi aut nomine, aut hæresi censeantur: quos nunc nihil interest sigillatim exsequi.

VI. Cæterum in vsu elementi ab initio immersionem fuisse totius corporis: quæ vis est τοῦ βαπτίζειν: vnde Ioannes baptizabat in flumine: deinde tamen mutatam in aspersionem: incertum quando: aut vnde facto initio: nisi quod videntur tria millia vno die à paucis Apostolis non potuisse baptizari, si singuli mersi fuissent: nec vero carcerario intra carcerem fuisse ad manum tantum aquæ, quantum mergendo opus erat. Certe commodiorem aspersionem vsus indicat: tum propter tempestatum incommoda, tum etiam propter pudorem: cuius gratia constat adhibitas olim Diaconissas mulieribus nudandis. Vnde Constitutionum Apostolicarum lib. 8. cap. 29. munus earum assignatur ἐξυπηρετεῖσθαι τοῖς διακόνοις ἐν τῷ βαπτίζεσθαι τὰς γυναῖκας διὰ τὸ εὐπρεπὲς, *ministrare Presbyteris dum baptizantur fœminæ propter decorem.* Nec propterea fuit alterata Sacramenta natura. Nam quia tota virtus aquæ est in significãdo per ablutionem: certe non interest quantum quisque abluatur: quomodo in Eucharistia quantum quisque comedat. Est enim vnius partis ablutio eiusdem naturæ cum totius ablutione. Itaque Catechismus Tridentinus, *Qui hoc Sacramento initiari debent vel in aquam merguntur, vel aqua in eos infunditur, vel aquæ aspersione tinguntur. Ex his autem ritibus, quicunque seruetur, Baptismum vere perfici credendum est. Aqua enim Baptismo adhibetur ad significandam animæ ablutionem, quam efficit: quare Baptismus ab Apostolo lauacrũ appellatus est. Ablutio autem non magis fit, cum aliquis aqua mergitur, quod diu à primis temporibus in Ecclesia obseruatum animaduertimus, quam vel aquæ effusione, quod nunc in frequenti vsu positum videmus, vel aspersione, quemadmodum à Petro factum esse colligitur, cum vno die tria millia hominum ad fidei veritatem traduxit, & baptizauit.*

VII. Rursus ablutio vel semel fit, vel tertio. Et constat olim plurimum in vsu fuisse trinam mersionem. Canon Apostolicus 50. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλ᾽ ἓν βάπτισμα τὸ εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω, *Si quis Episcopus aut Presbyter non tres mersiones vnius initiationis fecerit, sed vnam in mortem Domini collatam, deponatur.* Explicat Zonaras, τρεῖς καταδύσεις ἐν μιᾷ μυήσει, ἤγουν ἐν ἑνὶ βαπτίσματι ὥστε τὸν βαπτιζόμενον ἐκ γʹ καταδύσεων ἐν τῇ ἁγίας τριάδος ἐπιλέγειν ὄνομα, *tres immersiones in vna initiatione, id est in vno Baptismate: ita vt qui baptizat ad quamq; immersionem vnum Sacrosanctæ Trinitatis nomen proferat.*

VIII. Sed dura definitio est, & procul à Spiritu Apostolico: nisi fortè non tam vna notabatur mersio, quàm forma mutata improbabatur, reposita commemoratione mortis pro inuocatione Trinitatis. Quod tamen non patitur interpretatio Zonaræ. τὸ γὰρ ἅπαξ καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον εἰς τὴν ἱερὰν κολυμβήθραν, καὶ εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου τὴν μίαν ἐπιφημίζειν κατάδυσιν, ἀσεβές ἐστι. *Nam semel eum qui baptizatur in sacrum lauacrum mergere, & in mortem Domini vnam celebrare immersionem impium est.* Enimverò trinam mersionem si iudicasset Spiritus Sanctus adeò præcise necessariam, quis putet omissurum fuisse in institutione? aut alibi saltem non fuisse indicaturum? Certè Tertullianus de corona militis c. 3. & Basilius c. 27. de Spiritu, referunt inter ea quæ merè pertinent ad traditionem.

IX. Quare longè prudentior Gregorius primus Epist. 41. libr. 1. *De trina mersione Baptismatis, nihil responderi verius potest, quàm ipsi sensistis: quia in vna fide nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quòd tertio mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signauimus: vt tum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neq; ad hoc aliquid obstitit baptizando semel in aquis mergere: Quia dum in tribus, vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismo vel ter vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Sed quia nunc hucusque ab hæreticis infans in Baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud nos esse non censeo; ne dum mersiones numerant, diuinitatem diuidant.*

X. In quibus Gregorij verbis multa sunt notatu digna. Primò, eum ritum à consuetudine esse: non igitur à necessitate Baptismi. Secundò, in Ecclesia consuetudines esse diuersas, imò oppositas, nihil obesse fidei; vt scilicet, ieiunandi, & prandendi eodem sabbatho. Tertiò, consuetudines etiam receptas, & inueteratas mutari posse, & abrogari: nam & hanc putauit esse mutandam. Quartò, in consuetudinibus regnare rationes non necessarias, sed tantùm probabiles; ideoque vltro citroq; verti faciles: vt in hac mersione, trina quidem significari Trinitatem personarum, vna verò vnitatem essentiæ, vtramque æquè necessariam creditu. Quintò vnius eiusdemque obseruationis posse ad placitum significationes describi: sic trinam mersionem aliis Trinitatem intimare, aliis triduanam mortem inculcare: vnam autem, aliis essentiam vnam ingerere; aliis verò, vt habes in Canone Apostolico vnam mortem. Sextò, posse easdem obseruationes & fidei seruire; & aduersus fidem torqueri: sic trinam mersionem Catholicis tres personas, Arianis tres Deitates fuisse: nec dubitem Sabellianis esse potuisse vnius essentiæ triplex nomen.

XI. Quid inde? Nimirum qui sibi optimè consultum velit, qui Ecclesiæ: ne indulgeto vanis curiositatibus, aut sibi quisquam iuris tribuito in ea quæ sibi Deus eximia esse voluit; in quibus institutionem esse oportet. Institutum Baptisma est à Christo, vt remissionem peccatorum signet. Quid tu mihi Trinitatem in eo pingere satagis? Necessarium certè dogma: altissimum mysterium; perpetuoque inculcandum: sed sic, non bene: quia neque trinum quicquam, exprimit vnitatem: neque vnum Trinitatem: atqui & Trinitatem nunquam sine vnitate, neque vnitatem sine Trinitate oportet inculcari, aut certè malè doceri. Aliter ergo necesse est. Nulla, inquam, imagine, nulla similitudine, nullo typo. quia nimirum nulla dari queat imago, nulla similitudo, nullus typus non fallax: non aptior in errorem, quàm constantior in veritatem.

XII. Nos igitur, quanquam nolimus contentiose disputare, & facilè dicamus cum Catechismo Tridentino, *Vtrùm vnica, an trina ablutio fiat, nihil referre existimandum est.* Ingenuè tamen profitemur vnam siue mersionem siue aspersionem, magis amari: quia simpliciorem, quia securiorem; quia denique, vt ingenuè loquar, minùs sophisticam: & Papistas laudamus consentientes: parati Græcos tolerare, dum ne clamitent suum illud, Zonaras ἀσεβὲς; Balsamo περιφανῶς ἀσεβὲς, *apertè impium*; denique Canon Apostolicus, καθαιρείσθω.

XIII. In forma leuiculum existimamus discrimen Latinorum, & Græcorum. Dicunt isti, *Baptizetur seruus Dei*: dicunt illi, *Ego te baptizo* Profectò præter exilem sonum nihil interest, cuius in pietatis negotio momentum nullum, dum res eadem maneat. Tantùm ratio habenda ordinis & ædificationis. Sicut enim inter Latinos Græca non adhibenda vocabula: aut apud Græcos Latina: sic neque facilè recedendum ab vsitata formula. Itaque testamur nos si in Græcia essemus, Græco more baptizaturos: nec facilè passuros Græcum quenquam apud nos suum morem retinere: Latinum tamen videri ἐμφατικώτερον, & magis ex dignitate ministerij: sed non esse legitimam causam aut turbandæ Ecclesiasticæ politiæ; aut scrupuli iniiciendi cuiusquam conscientiæ.

XIV. Quare potuit Bellarminus molliùs, imò cautiùs loqui, quàm cùm dixit non tantùm veram esse formulam Latinam: sed etiam necessariam: vt inde refricaret controuersiam, de traditionibus. Nam neque illa necessitas vllo constat argumento: neque nos traditiones omnino omnes aut tollimus; aut impugnamus, sed eas tantum, quibus noua doctrinæ capita ingeruntur, & præter Scripturam, nam quæ ordinem spectant duntaxat, vt non admittimus temere, ita non odimus promiscuè. Concedimus ergo non posse ex Scripturis definiri, vtra potiùs sit vtendum formula, sed addimus otiose obiici ab iis, qui aut penitus nesciant, quid quæratur in disputatione de traditionibus; aut aliorum supina ignorantia abuti solent in præiudicium veritatis.

Cap. III.

Calumnia Papistarum de effectis Baptismi.

I. HActenus consensus fuit Catholicorum & Papistarum, deinceps pugnæ ferme perpetuæ. Ad effecta Baptismi primùm efficacia pertinet, pòst necessitas, quarum neutra vtrinque eadem docetur.

II. De efficacia disputarunt nostri, Caluinus Institut. lib. 4. cap. 15. Beza quæstionum & responsionum parte altera. Valentinus Hellopæus de tota re Sacramentaria art. 2. Musculus Locis Communibus. Bullingerus Decadis 5. sermone 8.

III. Aduersarij, Roffensis contra Lutheri art. 2. Lindanus libr. 4. Panopliæ cap. 17. & seqq. Tapperus art. 2. Petrus Auratus Paradoxis 8. & 9. Alfonsus de Castro libro 3. hæresi 11. de Baptismo. Lorichius hæresi 6. de Baptismo. Ioannes Arboreus Theosophiæ lib. 2. cap. 7. & 13. Croquetius Catechesi 107. & 108. Slotanus contra Vuelsium art. 25. Tiletanus defensionis Tridentinæ parte altera de Baptismo. Horantius libri 7. c. 3. Klingius libri 4. c. 6. Dominicus Soto in 4. distinct. 6. q. 1. Panigarolla lectionis 7. part. 2. Bellarminus de Baptismo c. 12. & deinceps. Gregor. de Valentia Comment. 4. disp. 4. q. 4. Suares de Sacramentis disp. 26. & 28. & 29. Vasques in 3. Thomæ disp. 156.

IV. Isti partim calumniantur Catholicis, partim de re disputant verè controuersa. Hæretici nostri temporis (inquit Vasques, eos omnes intelligens qui cum hæresi Papistarum nihil sibi voluerunt esse commune) non solùm errant verum effectum Baptismi denegantes, sed etiam plures alios illi tribuentes. Hos ille numerat post Bellarminum, imò vterque post Concilium Tridentinum, in quo singuli singulis anathematis damnati sunt. Primus effectus, inquit Bellarminus, baptizatum non posse damnari etiam si velit, nisi nolit credere. At Vasques vastiùs: homines peccati expertes & incapaces reddi: vel certè licet peccent, damnari non posse, si ab Ecclesia Catholica non discedant: & vtrumque à Caluino assertum. Secundus effectus, virtute illius hominem liberari ab obligatione legis Dei, Bellarminus dixit ab obedientia. Tertius liberari ab obligatione & vinculo legis Ecclesiasticæ; Bellarminus dixit, ab humanarum legum obseruatione. Quartus, fieri irrita vota omnia baptizati.

V. Dicam de singulis ordine. De primo Tridentini dixerant sessio. 7. canone 6. de Baptismo, *Si quis dixerit baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.* Caluinus in Antidoto respondit, *Paradoxum quod damnant, nos quoq; repudiamus, vel hanc vnam ob causam, quòd fidei vitam extinguit.* Sensus est: fidem non imaginandam esse mortuam, sed viuam, vt sit vera: alioquin esse laruam fidei. Fidem viuam eam esse quæ se exserat per opera, siue vt loqui amat Augustinus, quæ sit efficax per caritatem: Itaque, qui dicat fidelem credere, quantumcunque peccet, eundem à fide vitam separare, ideoque absurdè loqui; κλώθειν ἀσύγκλωστα. Caluinus ergo procul à se remouebat huius siue dicti, siue opinionis suscipionem.

VI. Vide nunc Papistarum nequitiam. Audent aduersus eum argumentis agere: quasi soleret fidem suam dissimulare; is qui sua in loquendo libertate, inque disputando vehementia regnum concussit Papisticum: Docuisse igitur, non posse verè baptizatum peccare. Argumentum; quoniam in Antidoto 7. canonis 7. sessionis Tridentinæ, de Baptismo, docuerit, Baptismo tanquam Dei chirographo nos certiores reddi de perpetua adoptionis gratia: & Institutionis libr. 2. c. 2. § 11. & 12. veram fidem semel habitam amitti non posse, esseque donum electorum proprium.

VII. Ca-

VII. Calumnia est manifesta. Nam profectò agnouit Caluinus Petrum verè baptizatum, & tamen negátne peccasse? Imò in Harmonia Euangelica, ad Matthæi 26. *Fœdè*, inquit, *& turpis perfidia damnatur. Postea, Petrus postquam simplici abnegatione elabi non potuit, interposito iureiurando crimen duplicat.* Et inde generalius, *Hæc iusta Dei vindicta est: ex quo nos Spiritus S auxilio priuamur, violentum in nos imperium tandem Satanæ permittere, vt sibi prorsus addictos & mancipatos, huc illuc proijciat. Id verò præcipuè in fidei abiuratione contingit.* Iterum, *Hoc quoque obseruandum est, quòd vno ferè temporis puncto ter Petrus defecerit: quia hinc apparet, quam lubrici & proclines simus ad cadendum quoties nos Satan impellit. Certè nullus erit cadendi modus nisi Dominus extenta manu nos retineat. Postquam in Petro exinctus fuit gratia Spiritus vigor, vt quisq; in eum incidens de Christo rogasset, ad centum vel mille abnegationes fuisset paratus.* Quid? quòd in hunc modum precantes docuit suam corruptionem & sentire & apud Deum profiteri? *Agnoscimus & ingenuè profitemur apud sanctam maiestatem tuam, nos miseros peccatores esse, conceptos & natos in iniquitate & prauitate: ad nequitiam procliues, ad omne autem bonum opus inutiles: nosq; vt vitiosi sumus, nullum transgrediendi sancta tua mandata finem facere. Quo fit vt exitium à iusto tuo iudicio nobis accersamus.* Quid amplius? Mendaces esse oportet memores. Altàs enim Caluinum reprehendunt asserentem omnia etiam optima opera esse peccata, & quidem mortalia, eamque nos oportuit controuersiam disputare.

VIII. Fieri non potest vt qui ita docuit, ita sensit; idem negauerit non posse peccari post Baptismum. Sed docuit nos in Baptismo certos fieri perpetuæ adoptionis. Ita est sanè, nec potest absque eo tradi vera Baptismi vis & efficacia. Sed quid hoc insaniæ est, cùm concludis: Ergo non potest peccari? Quasi nunquam peccare possint, qui in perpetuum sunt adoptati. Tam bene scilicet norunt Papistæ; aut quid sit adoptio, aut quid peccatum! Eadem ratio est fidei nunquam amittendæ, fidei electorum propriæ. Hæc enim negatur obstare, quominus peccetur, sed tantum quominus in damnationem eatur, Deo scilicet etiam grauissima peccata condonante, vt Dauidi, vt Petro.

IX. Pergo ad secundum caput. Liberari hominem obligatione legis Dei siue obedientia. Explicant geminum sensum, vel vt non teneantur baptizati præstare legem Dei; nec peccare si transgrediantur, vel secundum legis præscriptum nec accusari, nec damnari; ne seruari quidem. Illud prius, viri scilicet non mali, confitentur à nobis non doceri, sed hoc posterius. Hæc verò distinctio tolerari queat sanè in Vasque, qui obligationem dixit; quæ comprehendat maledictionem additam transgredientibus. Sed Bellarminus profecto purgari non potest, qui obedientiam substituit, quæ diuersa est à condemnatione. Ita cùm sit certum aliquo saltem modo liberari baptizatum ab obligatione legis, nempe vt non debeat pœnas peccatorum, propter remissionem: at certè nullo modo verum liberari ab obedientia: neque id vnquam aut sensit, aut dixit siue Caluinus, siue alius quisquam nostrûm.

X. Contrà potiùs in Baptismo liturgia nostra, quam Caluinus conscripsit, hanc habes disertam stipulationem, qua cauetur susceptorum diligentiæ in instituendo infante, *Spondetis vos daturos operam, vt omni hac disciplina* (fidei articulos intelligit) *instruatur, ac generatim omnibus his quæ scriptis diuinis continentur, id est tum Veteri tum Nouo Testamento: vt ea amplectatur & audiat tanquam verbum sermonemq; Dei certissimum cœlitus demissum. Eum præterea hortabimini, vt ad eam normam & regulam vitam suã instituat, quam nobis Deus in lege sua præscripsit: cuius hæc summa sunt capita; primum vt Deum toto pectore, animo, & viribus, tum præterea proximum nostrum non secus quam nosmet ipsos diligamus.* Itáne? Per Baptismum liberati ab obedientia legis, eum qui tamen inter baptizandum solemni formula obligetur ad formulam legis? Quodnam hoc monstrum est calumniatorum?

XI. Sed verum est nos dicere, in Baptismo liberari fideles ab obligatione legis: quatenus ea significat præstitutam salutis, damnationisve regulam. Quenquámne hoc negare Christianorum? Quenquam impugnare Catholicorum? Non potest. Nam neque Catholici sunt qui impugnant, neq; Christiani qui negant. Etenim legis præscriptum, *Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* Itaque subiectum obligationi legis omnino oportet, vel permansisse in iis omnibus, vel maledictum esse. An in baptizatis neutrum verum. Non permanserunt in omnibus: nam quorsum confiterentur peccata? Imò quorsum peterent remitti sibi peccata? Non etiam maledicti sunt. Nam remissio esset inutilis & illusoria: imò perfida. Tum autem Paulus ad Galatas 3. *Christus nos redemit ab exsecratione legis, dum pro nobis factus est exsecratio.* Verum hæc controuersia fuit alias disputata: & eam Bellarminus ipse agnoscit alio pertinere.

XII. In tertio capite; dixerat Bellarminus liberationem ab humanarum legum obseruatione: sed postea contraxit ad leges Ecclesiasticas, vt Vasques. Brutum fulmen Tridenti sic crepuerat. *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita vt ea obseruare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.* Caluinus respondit, *Vnus est Legislator, inquit Iacobus, qui potest seruare & perdere. Vbi falsum hoc esse demonstrauerint, non retusabimus, quin suos nos legibus adstringant. Sed quandiu hoc constabit, Deum regendas verbo suo piorum conscientias sumpsisse, atque hoc imperium, vbiq; vindicare: statuere tuto simul licebit, non esse Sanctam Ecclesiam illam quæ illaqueare conscientias tentabit aliis legibus.*

XIII. Hæc sunt attendenda. Primum enim; quas Bellarminus, & Vasques appellant ἀπλῶς leges Ecclesiasticas; Concilium Tridentium explicat scriptas, vel traditas. Vnde fuit facilè coniicere Sanctam Ecclesiam nominari pro Ecclesia Papistica: itaque iudicari infinitam illam tyrannidem quidquid imperandi, prohibendive; quasi ab eius arbitrio penderent & damnatio, & damnationis causæ. Secundò Caluinus respondit in eum sensum, *Suis*, aiebat, *nos legibus adstringant*: nimirum non discedens ab ea hypothesi: vnde conclusio; non esse veram Ecclesiam, quæ sic illaqueare conetur conscientias. At verò tertiò, nostri sophistæ thesin potius ponunt de legibus Ecclesiasticis, aptam calumniæ, quasi Caluinus promiscuè refigeret omnes.

XIV. Sic nunc manifesta res est. Nullam vid licet legem obligare, quæ non sit ab autoritate legitima. At leges Ecclesiæ non scriptas, non esse ab autoritate legitima: ergo non obligare. Quæ argumentatio non est peculiariter à Baptismo: sed vniuersaliter à natura totius religionis Christianæ. Ad Baptismum eatenus spectat, quatenus per eum initiamur non cuiuis religioni, sed tantum Christianæ. Vt miret quid in mentem venerit Papistis, vt congererent hoc caput in numerum effectorum Baptismi: nisi velint tam serió ineptire, vt eant per singulas Christianismi particulas, vt totidem enumerent effectus Baptismi.

XV. Cæterum rem ipsam Bellarminus & Vasques agnoscunt aliàs disputandam; & locum illi quidem indicant de autoritate Romani Pontificis, quia videlicet nullam agnoscant Ecclesiam, nisi quæ ex eius nutu pendeat absolutè: at nos tractauimus partim in loco de traditionibus, partim etiam in libertate Christiana; vbi, quod satis, explicauimus vim legum Ecclesiasticarum: atque adeò locum ipsum illum Iacobi, quem nunc à Caluino oppositum anathemati Tridentino, Bellarminus amouere conatur.

XVI. De Votis quartum caput erat. De quibus sic respondebat Caluinus, *Principio illud constituendum erat, quænam sint vota legitima. Quo posito nihil aut parum restaret controuersiæ. Nunc autem vota, quorum laqueis induuntur, vel potius strangulantur miseræ animæ, non modò superstitione plena sunt, sed etiam à recta Christianæ vitæ regula prorsus dissident. Quare vt ratum sit votum aliquod, ad Baptismi professionem exigi oportet. Quod si fiat, nullum ex votis in Papatu hodie vsitatis non erit irritum.* Non docuit ergo cuncta vota fieri irrita per Baptismum, quod absque discrimine pronuntiatum Sophistis: sed docuit distinguenda legitima ab illegitimis: & vtraque metienda ex professione, quæ fit in Baptismo; per quam nimirum ita nos obligamus religioni, vt abrenuntiemus Sathanæ, mundo, & operibus pompisque eorum. Legitima igitur nullo modo fieri irrita: sed illegitima duntaxat. Peculiariter autem in illegitimis esse illa Papistica, meritum scilicet iecur eius professionis, & perfectionis summum gradum. Sed hæc materia suo proprio titulo fuit discussa.

CAP. IV.

Status controuersiæ de effectis Baptismi.

I. PRoprius effectus Baptismi est peccatorum remissio; ea enim significatur, per aquam abluentem corpus. Itaque Confessionis Gallicæ art. 39. *Dicimus elementum aquæ, quantumuis caducum nobis nihilominus verè testificari interiorem animi nostri ablutionem in sanguine Iesu Christi per Sancti Spiritus efficaciam.* Et verè sic Scriptura docet: Act. 2. *Resipiscite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomen Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Marci 1. *Baptizabat Ioannes in deserto, & prædicabat Baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum.* Sed & Catechismus Tridentinus, *Aqua effectum Baptismi maximè significat: vt enim aqua sordes abluit, ita Baptismi vim, atq; efficientiam, quo peccatorum macula eluuntur, optimè demonstratur.* Colonienses in Enchiridio, *Ideo autem per aquam celebratur, vt sicut aqua corporis sordes abluit, ita credamus & nos per Baptismum ab omni peccato spiritualiter mundari, & innouari, & regenerari, vt quod incorporale est inuisibiliter abluatur.*

II. Papistæ igitur consentiunt. Habent enim ab Eugenio IV. definitum in Concilio Florentino, *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur.* Et à Catechismo Tridentino, *Hoc primum tradere oportet, peccatum siue à primis parentibus origine contractum, siue à nobis ipsis commissum, quamuis etiam adeo nefarium sit, vt ne cogitari quidem posse videatur, admirabili huius Sacramenti virtute remitti & condonari.*

III. Huius condonationis nomine, etiam pœnas contineri Papistæ consentiunt. Nam has audiuimus nominatas ab Eugenio IV. Sed & Catechismus Tridentinus pronuntiauit, *In Baptismo non solum peccata remittuntur, sed peccatorum etiam & scelerum pœnæ omnes à Deo benigne condonantur.* Vbi tamen gemina exceptio esse debet. Prima, pœnas esse peccato debitas vel secundum legem Dei, vel secundum humanæ politiæ decreta; Has nullas condonari in Baptismo expressit idem Catechismus, *Quanquam*, inquit, *in Baptismo pœnas peccatorum condonari exploratum esse debet: ab eo tamen pœnarum genere, quæ ciuilibus iudiciis ob graue aliquod scelus persoluendæ sunt, nemo liberatur, ita vt, qui morte dignus sit, per Baptismum à pœna, quæ legibus constituta est, eripiatur.* Recte: quia distinctas Deus esse voluit iurisdictiones spiritualem & temporalem.

IV. Altera exceptio est; pœnalitatum: quo nomine comprehenduntur infirmitates omnes, quas ex occasione peccati, experimur in hac vita. Nam quæ huius sunt generis, eas tolli per Baptismum negant: remanere tamen notant non sub ratione pœnæ: effici tamen eius Baptismi virtute vt olim etiam tollendæ prorsus sperentur. Indicauit Catechismus Tridentinus, *Efficit præterea Baptismus post huius vitæ curriculum, pœnarum omnium, quæ originale peccatum consequuntur liberationem.* Explicauit Vasques distinguens æternam pœnã à temporaria. Præstat verba recensere capitis; *Quod spectat ad remissionem pœnæ, si sermo sit de æternitate sensus, quam damni, eodem modo certum est, hoc Sacramento semper remitti, sicut culpam, hæc enim mutuo se consequuntur: si vero de temporaria sit quæstio, quæ post iustificationem superesse solet, vt loquimur de pœnalitatibus quæ consequuntur peccatum originale, per hoc tantum, quod natura nostra sibi relinquatur absq; dono iustitiæ originalis, quales sunt, fames, sitis, & alia, id genus: & certũ etiam est, remisso peccato originali non remitti, neq; tolli hæc mala, id quod omnes experimur: ea tamen non manere sub ratione pœnæ, quia sublata culpa originali, nulla dignitas ad illa mala residua esse potest: at si sermo sit de pœna sensus temporali debita peccatis actionu, quæ interdum post iustificationem restare solet, in hac vita, aut in purgatorio soluenda: definitum est ab eodem Eugenio IV. in Concilio Florentino totam illam per Sacramentum Baptismi remitti.*

V. In iis verbis quædam sunt, quæ Papistica somnia redolent, alias disputata: sed iis nunc dissimulatis: in rem præcipuam consensus est. Nempe per Baptismum remitti omnem culpam omnium peccatorum: ideoque etiam tolli omnem pœnam: absolute quidem, quæcunque pertinet ad statum hominis post hanc vitam: sed eam quæ in huius vitæ terminis circunscribitur; non absolute: sed tantum sub ratione pœnæ; qua de re etiam alias plenius fuit dicendum.

VI. His positis consensionis articulis, duo deinceps dissensionis capita sunt, pertinentia ad illorum explicationem. Primum de effectu præsenti, alterum

alterum de futuro; Præſentem effectum dico, qui aſſignandus ſit huic Sacramento in ipſo celebrationis legitimæ momento: futurum verò, qui poſt eam celebrationem.

VII. De præſenti ſic ſentiunt, vt non tantùm remitti dicant, ſed etiam tolli peccata omnia, & quicquid habet peccati rationem. Tridentinum Concilium ſeſſione 5. de peccato originali, anathemat. 5. *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema ſit.* Non videtur hac phraſi ſatisfactum Lindano: adeò vrget, & phraſes cumulat, quaſi ne ipſe quidem ſibi ſatisfaciens, *Externo aquæ ſigno adhibito, ita animum ſordibus abluit, atque reatibus ſemel expiat, nihil vt maneat ſordium, nihil vt ſuperſit reatuum. Quinimò baptizatorum pectora omnibus omnino ſiue originalis illius contagij, ſiue additorum etiam illi delictorum, tum à næuis deterſa, nitida, ac emundata, tum è maculis quoq; emaculata prorſus, atq; pura puta Spiritus Sancti ſanctiſſima efficit templa, omni ornamentorum genere inſtructiſſima, pretioſiſſimoq; virtutum prorſus omnium, cœleſtiumq; illarum dotium mundo cumulatiſſima ſimul & decoratiſſima.* Mirus artifex intendendæ in vtramque partem orationis, ſiue extollere opus ſit ſiue minuere pro præſenti commodo. Bellarminus breuiùs, nec tamen opinor, inefficaciùs, c. 13. *Baptiſmo reipſa tolli omnia peccata; ita vt non ſolùm non imputetur, ſed nec ſit quod imputari poſſit ad culpam.*

VIII. Noſtra ſententia, minus eſt verbis ampullata, ſed longè ſimplicior, & ſolidior. Reſtaurationis humanæ duas eſſe partes, interim dum exſpectatur ſalus plena, iuſtificationem, & ſanctificationem; quarum definitiones etſi aliàs expoſitas, nunc tamen intereſt repeti. Iuſtificationem igitur eſſe gratiam Dei, quæ noſtra remittens debita, & iuſtitiam alienam imputans, nempe Chriſti, liberat nos à metu pœnarum omnium, quatenus pœnæ ſunt: nimirum quia culpam tollat: hac autem ſublata, quod agnoſcunt etiam Papiſtæ, nulla ratio relinquitur pœnæ. Sanctificationem verò gratiam Dei, quæ ſuppoſita iuſtificatione, reapſe & intellectum noſtrum mutat, & voluntatem in bonum; adeò vt qui vitiis ſcatebamus, iidem virtutibus locum demus. Illam ſimul & ſemel dari partibus omnibus ſuis perfectam; vt ſit verum fundamentum dilectionis diuinæ. Hanc verò per gradus, vt promouendo paulatim feratur ad ſummum; quò tamen nunquam ſit peruentura, niſi cùm rapti in cœlos participes futuri ſumus æternæ beatitatis.

IV. Vtrique huic parti adhibitam eſſe Sacramentum Baptiſmum, ſcilicet ſignificandæ, atque efficiendæ; quomodo aliàs diſputata eſt efficacitas Sacramentorum. Caluinus diſertè in Catechiſmo, *quæ eſt Baptiſmi ſignificatio? Ea duas partes habet. Nam ibi remiſſio peccatorum, deinde ſpiritualis regeneratio figuratur.* Paulo pòſt, *Sic figuram eſſe ſentio, vt ſimul annexa ſit veritas, Neque enim ſua nobis dona pollicendo nos Deus fruſtratur. Proinde & peccatorum veniam, & vitæ nouitatem offerri nobis in Baptiſmo, & recipi à nobis certum eſt.* Inſtitut. libri 4. cap. 15. §. 1. *Tria adfert fidei noſtræ Baptiſmus. Hoc primum eſt, quod nobis à Domino proponitur, vt ſymbolum ſit noſtræ purgationis ac documentum; vel (vt meliùs explicem, quod volo) inſtar ſignati cuiuſdam diplomatis, quo nobis confirmet peccata noſtra omnia ſic deleta, inducta, obliterata eſſe, ne vnquam in conſpectum ſuum veniant, ne commemorentur, ne imputentur.* Et §. 5. *Alterum etiam fructum adfert, quia noſtram in Chriſto mortificationem nobis oſtendit, & nouam in eo vitam. Si quidem, vt ait Apoſtolus, in mortem eius baptizati ſumus, conſepulti ipſi in mortem, vt in nouitate vitæ ambulemus. Quibus verbis non ad imitationem eius nos ſolùm exhortatur, ſed rem longè altiùs repetit; nempe quòd per Baptiſmum Chriſtus nos mortis ſuæ fecerit participes vt in eam inſeramur: & quemadmodum ſurculus ſubſtantiam alimentumq; deducit à radice cui inſitus eſt: ita qui Baptiſmum ea qua debent fide accipiunt, verè efficaciam mortis ſentiunt in mortificatione carnis ſuæ: ſimul etiam reſurrectionis in viuificatione Spiritus. Itaque primùm gratuita peccatorum venia & iuſtitiæ imputatio nobis promittitur, deinde Spiritus Sancti gratia, quæ nos in vitæ nouitatem reformet.* Et §. 6. *Poſtremo & hanc è Baptiſmo vtilitatem fides noſtra accipit, quòd certo nobis teſtificatur, non modò in mortem & vitam Chriſti nos inſitos eſſe: ſed ſic ipſi Chriſto vnitos, vt omnium eius bonorum participes ſimus.* Vide Hellopæum c. 2. art. 2. de tota re Sacramentaria. Bezam in Confeſſione maiore: & in altera parte quæſt.

X. Conſtat vtrinque conſentiri, in prius caput de iuſtificatione: nempe quoad culpam pœnamque omnium peccatorum, quam in Baptiſmo ſignificari, id eſt effici neutri negant. In altero itidem cap. hoc ſaltem vtrinque poni, Sanctificationem id eſt nouitatem vitæ conferri. Quid igitur controuerti? Nimirum huius Sanctificationis modulum, & menſuram. Nam Papiſtæ ſic eam definiunt, vt tolli prorſus velint quicquid eſt peccatum, non tantum qua pœnam infert, ſed etiam, qua ſignificat aliquid in voluntate oppoſitum legi diuinæ: vt nihil ſit, quod vel imputari alioquin poſſit in peccatum. At Catholici, credunt quicquid eſt ſanctificationis in tota fidelium militia imperfectum eſſe, itaque admixtum peccato. Baptizatis ergo ineſſe aliquid quòd non tantùm imputari poſſit in peccatum, ſed etiam ſit reapſe verum, veri nominis peccatum, tantùm ſublato reatu per condonationem, quæ illa eſt quam appellamus non imputationem.

XI. Hæc illa quæſtio eſt; quam agnoſcunt Bellarminus & Vaſques pertinere magnam partem tum ad aliam de iuſtificatione, tum ad eam de concupiſcentia, quæ ſunt à nobis etiam prolixè diſputata, in loco de ſanctificationis perfectione. Vt nihil nunc neceſſe ſit eandem telam retexere: tantùm refutare, quæ hoc loco peculiaria ſperauit ſe Bellarminus habere.

Cap. V.

Argumenta Papiſtica de præſenti effectu Baptiſmi.

I. PRimum argumentum Bellarmini, à teſtimoniis Scripturæ in certas claſſes diſtributis. Quarum prima eorum quæ habent vocabula mundandi, lauandi, tollendi, delendi, auferendi, & ſimilia. Hæc, inquit, non poſſunt niſi ineptiſſimè exponi per non imputari. Non enim, quis rectè dicitur tollere ab alio ignorantiam, aut malitiam, quia ignoſcit illi, quod ignoranter, malitioſeve fecerit. Loca Scripturæ ſunt, Pſalmo 51. *Dele iniquitatem: Amplius laua me.* Micheæ 7. *Auſers iniquitatem.* Ioann. 1. *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Ad Epheſ. 5. *Mundans eum lauacro.* Argumentum ſic concipio. Nemo qui tantum non imputans peccatum, mundat, lauat, & reliqua. At Deus in Baptiſmo mundat, lauat, & cætera. Ergo Deus in Baptiſmo non tantum non imputat.

II. Reſpondeo, primò concluſionem non eſſe ad Theſim. Nemo enim noſtrum dixit in Baptiſmo nihil haberi præter non imputationem. Nam hæc pertinet ad iuſtificationem: præter quam agnoſcimus in Baptiſmo ſanctificationem, vt demonſtraui, etſi imperfectam. Quam ſi voluiſſent impugnare, dicendum erat. Nemo imperfectè ſanctificans, lauat, mundat, tollit peccata. At Deus in Baptiſmo lauat, mundat, tollit peccata: ergo Deus in Baptiſmo non ſanctificat imperfectè. Ac tum maior eſſet manifeſtè falſa. Quia ſanctificatio perfecta, & imperfecta non genere differunt, ſed gradu duntaxat: quare vt illa, ſic iſta poteſt iiſdem phraſibus ſignificari: quemadmodum corpus non tantùm lauatur cùm integrum, ſed etiam cum per partes. Et ita Chriſtus agnouit, Ioannis 13. *Qui lotus eſt, non opus habet niſi vt pedes lauet.* Breuiter dico in Baptiſmo Deum facere vtrunque: primò non imputare, deinde etiam tollere peccata. Hoc oppugnent Sophiſtæ, aut taceant.

III. Secundò negatur etiam maior: nam non imputare peccatum, eſt tollere, lauare, mundare, delere, & ſimilia. Nam primò, hæc omnia ſunt metaphorica. Nihil autem obſtat, quominus metaphora ſumatur non à rei, ſed ab euentuum ſimilitudine. Quia videlicet cui non imputantur peccata, æquè liber eſt à ſupplicio, ac qui omnino nihil habet peccatorum. Sic Iacobi 2. *Qui offenderit in vno, factus eſt reus omnium*, non quòd idem qui fur, eo ipſo quòd furetur etiam blaſphemet, ſed quia æquè reus eſt legis violatæ; obnoxiuſque damnationi. Ad Galatas 3. Chriſtus factus κατάρα; quia eas pœnas luit, quas meriti erant οἱ κατάρατοι. Mille ſunt huiuſmodi.

IV. Deinde, Scriptura docuit: quæ pro eodem poſuit, non imputari peccata, & tolli. Pſalmo 32. *Beatus vir* נשוי-פשע *cuius ablatum eſt peccatum.* כסוי חטאה *cuius tectum peccatum: Beatus homo cui non imputat Iehoua iniquitatem.* Etenim tribus his phraſibus, vna res atque eadem deſcribitur. Quare neceſſe eſt idem eſſe auferre peccatum, tegere peccatum, non imputare peccatum.

V. Tertiò, delere metaphora eſt idipſum ſignificans. Non enim delere ex ipſo peccatore, ſicut delentur maculæ: ſed ex libro: quemadmodum æris alieni nomina delentur. Agnouit Lorinus in Pſalmum 50. *Non vult Dauid deleri nomen ſuum de libro viuentium, ſed iniquitatem de libro in quo omnes ſcribuntur, & omnia opera: ne Deus mala cognoſcat.* Et paulo antè, *Delendi verbum inciſum veluti in ære chirographum mortis, cum cauſa, quæ ſunt peccata, innuit, ſiue peccatum ſcriptum ſtylo ferreo, & vngue adamantino. Qui ſolus eſt autor ſententiæ, & cognitor cauſæ ſolus delet apices illos letales.* Enimverò quod addit id fieri, quando deſinunt eſſe; addidit de ſuo; non deſumpſit ex vi metaphoræ. Nam alioquin nemo ignorat deleri debitorum nomina, non tantum ſoluta, ſed etiam donata, id eſt non imputata.

VI. Altera claſſis eorum locorum eſt, qui dicunt maculas, aut inquinamenta, aut iniquitates. Cantici 4. *Tota pulcra es, amica mea, & macula non eſt in te.* Ioannis decimo tertio, *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Ezechielis 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundamini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Ad Epheſ. c. 1. *Elegit nos vt eſſemus ſancti, & immaculati.* Ad Coloſſ. 1. *Reconciliauit vos in corpore eius per mortem exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles.* Aduerſarij, inquit, nolunt per Baptiſmum tolli peccatum, niſi quoad reatum, id eſt obligationem ad pœnam, manere autem peccati fœditatem, quæ erat cauſa reatus. Atqui macula, inquinamentum, iniquitas, non ſignificant reatum, ſed ipſam fœditatem.

VII. Reſpondeo primò, vim argumenti totam eſſe in calumnia; cùm negatur à nobis agnoſci peccatum ipſum in Baptiſmo tolli: quod contrà proteſtati ſumus. Itaque qui tolli maculas, inquinamenta, iniquitates probet, nobis non nocet. Nam cæterùm nulli illi loci docent perfectè tolli peccatum vno momento: ſed tantùm tolli. Quod fit etiam tum cùm ſenſim ac paulatim amouentur. Et quidem ita vt finis ſit in perfectionem. Nam & nos efficaciam Baptiſmi negamus reſtringendam ad vnum aſperſionis momentum, ſed in vniuerſam produci vitam, quæ controuerſia erit proxima.

VIII. Secundò, nulli loci loquuntur de Baptiſmo propriè, magis quàm generaliter de iuſtificatione, aut ſanctificatione: quarum etſi ſit Sacramentum in Baptiſmo, tamen neutra ad Baptiſmum ita pertinet, vt vltra eius ceremoniæ horam produci nequeat. Certè ad Epheſ. 1. & ad Coloſſenſes, non momentum indicatur vllum, ſed duntaxat finis electionis, reconciliationiſve. Qui autem dixit nos electos vt ſaluemur, non dicit ſtatim perfici, ſed tantum inchoari, paulatimque promoueri ſalutem. Phraſis enim finem denotat, non tempus vllum aſſignatum, multo minus momentum. ἐξελέξατο εἶναι ἁγίους, *Elegit vt ſimus ſancti:* νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν παραστῆσαι ὑμᾶς ἁγίους: *Nunc reconciliauit, vt ſiſtat vos Sanctos.*

IX. Primum locum ex Cantico, Delrio ſic interpretatur, *Hortatur ſponſam Eccleſiam ne ab orationis, & pœnitentiæ ſemitis vnquam deflectat: ſic enim procul dubio futurum, vt perfectam pulcritudinem & facilitatem in ſingulis membris conſequatur.* Quid hoc ad Baptiſmum, magis, quàm ad Pœnitentiam? magis quàm ad preces? Imò ſtatim, *Es pro eris accipio, more Hebræo, cum Nyſſeno, Ruperto, & multis aliis. Capio hoc igitur de perfectione triumphantis Eccleſiæ, in qua nihil coinquinatum, quæ ſine macula & ruga eſt.* Ὁ ἅπαξ ἐν τῇ θείᾳ δόξῃ γενόμενος, inquit Nyſſenus, ὅλος γίνεται καλὸς, ἔξω τοῦ ἀντικειμένου μώμου γενόμενος. *Qui ſemel fuerit in gloria diuina, totus fit pulcer remotus ab omni macula aduerſa.* Quid hoc ad lotionis momentum?

X. Nec tamen neceſſarium non comprehendi ſtatum huius vitæ: aut non intelligi, illud eſſe, in præſenti. Aponius, *Omni inquit ex parte nullam recipis maculam, neque rugam. Non enim ſoli doctores, vel perfecti quoque pulcri ſunt ante oculos Dei, qui ſumma ſcientia & contemplatione præeminent; ſed etiam ſimplices quique fideles, qui recta fide & bonis operibus exornantur, pulcri in oculis ſponſi habentur. Hoc ideo dicimus, non quòd ali-*

quis

quis in præsenti vita sine peccato esse possit, cùm scriptum sit, Nemo est super terram sine peccato, nec infans vnius diei: sed ideo, quia fides perfecta. Et cœleste desiderium omnem absterget maculam leuioris peccati. Tota ergo pulcra est Ecclesia, in quantum se castam & immunem ab omni peccato custodit: Si quando autem leui peccato fuscatur, citra pœnitudine & fide recta ad cœleste desiderium in ea prisca pulchritudo reparatur. Audin tu? Primùm omnes pulcri & tamen leuioribus saltem peccatis maculati. Non est ergo illa perfecta purgatio; quæ ne leuissimam quidem maculam relinquat. Et rursus audin tu fide, pœnitudine purgari? At nostri Papistæ in Baptismo duntaxat perfectam purgationem agnoscunt.

XI. Ioannis decimo tertio, quid est primùm, Baptismo peculiare? Nam Christus cum addidit *vos pueri estis*, non addidit mentionem vllam Baptismi. Cur non comparare liceat cum altero Ioannis c.15. *Vos mundi estis propter sermonem quod loquutus sum vobis?* Præterea, audio quidem totos mundos; sed non audio perfectè mundos. Augustinus in Ioan. tract. 80. *Quis est in hac vita sic mundus, vt non sit magis magisq; mundandus? Vbi si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & iustus qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Mundet itaque mundos.* Quare totus mundus, non significat perfectè mundum; quem hic quærimus. Mitto Chrysostomum asserentem tum, cùm siceos Christus alloqueretur, non fuisse liberatos peccatis; itaque dictos mundos Κατὰ τὸ ἀφ' ὧν αὐτοῖς καθαροὶ ἦσαν· οὔπω τῆς ἁμαρτίας μέντοι ἀπηλλαγμένοι, οὐδὲ πνεύματος ἠξιωμένοι ἅτε τῆς ἁμαρτίας ἔτι κρατούσης, τῆς κατάρας τοῦ χειρογράφου μένοντος, τῆς ἱερείας οὔπω προσενεχθείσης, *Nunquid ergo mundi erant? Qui quidem nondum erant à peccatis liberi, neq; donati spiritu: vtpote peccato adhuc obtinente; manenteq; chirographo maledictionis, cùm nondum esset hostia oblata.* Hunc sequutus est suo more Theophylactus. Sed οὐ πρὸς τὸ παρόν.

XII. Ezechielis locum scio ab Hieronymo & Theodoreto, Lyranóque exponi de Baptismo. Sed vix videtur. Nondum enim baptizati sunt Iudæi, præter admodum paucos: cùm tamen salus hæc populo promittatur: sed demus tamen illud: at perfecta hæc purgatio quomodo concluditur? Nempe quia legimus, *Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Sed primùm non sequitur, si mundandi sint, ergo vno momento. Deinde indicantur non singuli per capita, sed vniuersus populus: quorum sanctificatio est diuersa. Nam dici potest populus sanctus, siue mundus in vniuersum propter sanctitatis professionem: quanquam alioquin priuata capita multis laborent defectibus. Sic Paulus non propterea non appellat sanctos, Corinthios, & Galatas, quos tamen seuerissimè reprehendit, & quidem in multis. Tertiò, omnia inquinamenta videntur à Propheta notari pro idololatria, & cultu falsorum Deorum: & propterea statim addi, omnia idola: neque verò טמאה pollutio, omne peccatum significare videtur, sed abominandum.

XIII. In tertiam classem congestæ sunt figuræ Baptismi. Circuncisio, ad Coloss. 2. mare rubrum, prioris ad Corinthios 10. sanatio lepræ in Iordane, post. Regum 5. Suffocatio porcorum, Matth. 8. probatica piscina, Ioan. 5. Lotio & curatio cæci nati, Ioann. 9. Atqui in his omnibus verè fiebant omnia, putà in Circuncisione carnis amputatio: in mari rubro Ægyptiorum præfocatio; & sic de aliis. Ergo etiam in Baptismo tolluntur omnia peccata. Vnde Gregorius libr. 9. Epistol. 39. *Qui dicit peccata in Baptismate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.*

XIV. Respondeo negari consequentiam, explicatam ex statu quæstionis. Neque enim necesse est omnium effectuum Spiritualium Baptismi eandem esse rationem, quæ est effectuum corporalium antityporum præcedentium. Cuius rei ratio petenda à signorum natura; quæ similia esse oportet, non absolutè, sed secundùm quid. Sic in ipso Baptismo signum ablutio: quam tamen non interest fieri totius: quia pars sufficit, ipsis concedentibus Papistis. Atqui hæc nunquam sufficeret, si omnia omnibus deberent per particulas respondere: etenim non bene totalis ablutio videretur designari per partialem. In Circuncisione particula tantùm corporis, eaque minima resecabatur: cuius ad corruptionem aliqua analogia est; sed non ad omnia peccatorum genera. Similiter in mari rubro, non omnes Ægyptij mersi, sed pars tantùm, nempe is exercitus, qui populum Dei persequebatur.

XV. Denique si essent omnia vtrinque paria, oporteret peccata in Baptismo semel dimissa nunquam postea esse molesta. Nam neque præputium amputatum redibat: neque Ægyptij post suffocationem persecuti sunt Israëlitas: neque lepra Nahamanem infestauit denuò: neque porci redierunt in pascua: neque morbi sanati in probatica recrudescebant: neque cæcus curatus, denuò cæcutiit. At peccata rursum instaurari, rursum molesta esse concedunt aduersarij: & Nazianzenus, quo loco porcorum legionis meminit, eodem iteratas tentationes notat, aduocata ex Lucæ 11. parabola immundi spiritus, πάλιν ἐπιστρέφει εἰς τὸν οἶκον, ὅθεν ἀπεχωρήσεν· ἀναιδὴς γάρ ἐστι, φιλόνεικός ἐστι· προσβάλλει πάλιν, πειρᾶται πάλιν, *Rursus in domum, è qua recesserat, reuertitur. Impudens est: peruicax est: rursus impetum facit, rursus tentat.*

XVI. Audacter ergo consequentia negatur. Neque enim magis necessaria; cum dixeris; in illis figuris omnia facta, perfectáque vno momento; quæ corporalia erant: Ergo in Baptismo etiam quæ spiritualia: Quàm si dicas: In iis figuris nunquam deinceps restituta in integrum quæ corporaliter erant ablata: Ergo neque in Baptismo quæ spiritualiter. Præstat ergo simpliciter analogiæ naturam retinere, æstimatam à præcipuo effectu: vt ablatio rerum corporalium, significet ablationem spiritualis nequitię: circunstantiis reseruatis suis cuique parti. Nempe, vt si effectus sumatur iustificationis, quæ est per non imputationem, ea vno momento fiat, & perficiatur; per hanc enim plenè & semel condonantur omnia peccata: sin autem Sanctificationis, hæc quidem inchoetur eodem momento, sed postea perficiatur per gradus. Itaque in figuris vtrumque hoc designari dandum, sed donationis œconomiam non significari peculiariter.

XVII. Quartæ classis sunt comparationes. Psalmo 51. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Isaiæ 1. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum; sicut nix dealbabuntur: & si fuerint rubra vt vermiculus, sicut lana alba erunt.* Et 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata.* Hi loci comparant mundationem rebus verè & propriè mundis. Et cùm solaris radius dissoluit nebulas calore suo, ita eas euanescere facit, vt nihil remaneat tenebrarum, sed cœlum verè serenum appareat.

XVIII. Eadem, quæ prius, vanitas argumenti; à re ad modum rei. Atqui, vt concedamus, haud aliter ista explicanda, quàm de inhærente purificatione: tamen promissiones sunt in futurum: *lauabis, dealbabor: dealbabuntur, alba erunt.* Atqui hæc tam vera sunt, si fiant paulatim, quàm si subitò: itaque in vtramuis partem sumi possunt: non præcise in alteram.

XIX. In 44. fateor esse verbum temporis præteriti: Sed res est facilis, nisi contextus resecetur, *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: reuertere ad me, quoniam redemi te.* Certè non reuertitur ad Deum, nisi qui auersus. Vide ergo, quomodo loquatur Spiritus Sanctus; Deleta dicit peccata eorum, qui tamen iubentur reuerti ad Dominum. An quisquam plenè purgatus: an quisquam reapse mundus, & totus mundus, qui nondum conuersus? Quare istud delere, necessario significat, idipsum quod nos vrgemus: nempe Deum non imputantem peccata. Ac proinde concedendum illas comparationes nubes, & nebulæ; dici de hac non imputatione: quia scilicet apud Deum peccata non imputata, ita censentur ac si non essent.

XX. Quinta classis continet similitudinem peccati originalis. Ad Rom. 5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* At illi verè constituuntur peccatores, & verè iustitiam amittunt, non sola imputatione. Ioan. 3. *Quod natum est ex carne caro est; quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* At illi verè carnales: Ergo isti verè spirituales. Prioris ad Corintios 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.* Hic locus intelligitur de vera morte, & vera resurrectione. Ergo & iã citata, de vero peccato & vera iustificatione.

XXI. Semper nugæ. Nondum enim concluditur quęstio: aut certè, peccatur κατὰ τὸ συμβεβηκός. Nam hi loci docent quid fiat; non docent quomodo fiat. Vt multi peccatores per inobedientiam Adami; sic multi per Christi obedientiam iusti. Omnino nempe vt illinc multi, ita hinc multi. Ea similitudinis ratio. At eadem ratione multi iusti, qua multi peccatores, somnium Iesuiticum, alias satis discussum. Sic in reliquis. Verè carnales, ergo verè spirituales. Quis negat? Sed non vt omnino carnales & vno momento sic omnino, vnoque momento spirituales. Deinde, quid hoc ad Baptismum peculiariter? Nam iusti constituuntur, ac proinde spirituales, etiam in pœnitentia: non illa tantùm quam Sacramentalem finxerunt Papistæ; sed etiam quotidiana atque adeò priuata.

XXII. In sexta, similitudo est mortis Christi. Ad Romanos 6. *Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in morte.* Et, *Si mortui sumus, quomodo viuemus in illo* Ad Coloss. 2. *Consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexistis.* Augustinus Enchiridij c. 52. *Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio.* Argumentum. Si Christi mors & resurrectio veræ fuerunt omnibus modis, non autem quoad aliquid veræ, & quoad aliud falsæ: igitur & remissio peccati vera mors est peccati, non quoad reatum tantùm, sed quoad omnia quæ peccati rationem habent.

XXIII. Respondeo, in Baptismo veram esse remissionem peccatorum: & hanc ipsam veram mortem peccati: quia nimirum & in præsens non potest fideles damnare, quæ verè vita est peccati: & in futurum prorsus est extinguendum, ex eo letali vulnere quod iam accepit. Itaque concesso antecedente, nego consequentiam: quæ ex eo quòd Christus per omnia mortuus sit secundùm omnes partes vitæ; infert etiam nos absolutè mori peccato, & secundùm omnes peccati partes. Nam eadem continuatur fallacia; à re ad modum rei. Similitudo autem Pauli ea est instituta vt rem doceat, id est, mortificationem peccati: at non præsentem modum eius. Patet: quia si mors peccati absoluta est, & per omnia similis morti Christi: Ergo vita peccati non potest redintegrari: quandoquidem Christum ad redintegrationem vitæ suæ oportuit esse Deum. Tum autem, quia mortem peccati sequitur nostra resurrectio: si nostra sit similis; omnino oportebit esse absque metu redeundi ad peccata; quando Christus semel mortuus, ampliùs non moritur: semel sepultus, iterum non sepelitur. Quod tamen asserunt contrà Papistæ; vix momentaneam agnoscentes hanc, quam tanti faciunt, regenerationem.

XXIV. Nos igitur longè melius, & simpliciùs intelligimus, commori Christo, & consepeliri in vniuersam vitam: vt quod semel factum sit sacramentaliter, duret ad extremum vsque spiritum: Nempe vt remissio peccatorum semper habeat vim suam atque efficaciam plenam, & perfectam: deinde renouatio & generatio, semel inchoata, perficiatur quotidie; adeò vt non sit sæpius inchoanda: quomodo vita quam per natiuitatem accipimus, non toties restituitur, quoties accedentibus morbis curatur: sed eadem numero refocillatur. Et, vt loquitur Paulus, ἀναζωπυρεῖται. Itaque Paulus addidit nos *σύμφυτους γεγόναι, cum eo plantatos coaluisse*: cui metaphoræ non potest bene conuenire cum momentaneo effecto. Neque enim σύμφυτος dici potest surculus, qui tam citò desiit viuere, quàm insitus fuit. Sanè verò omnes Christiani, quandiu fideles sunt, etiam sunt σύμφυτοι. Si ergo tales fiunt per Baptisma; non est momentaneum Baptismatis effectum. Σύμφυτοι ergo τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ non significat eos, qui vndequaque sunt peccato liberati: sic enim nullus Christianorum peccatum haberet: aut nullus Christianorum esset σύμφυτος: quod vtrumque absurdum.

XXV. Sexta classis docet nos in Baptismo renasci Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* Ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis,* Ad Coloss. 2. *Cùm essemus mortui propter delicta, conuiuificauit nos Christo.* Prioris Petri 2. *Quasi modò geniti infantes.* At certè ista generatio & vita requirit veram mortem peccatorum, & veram mutationem interiorem, non autem solam imputationem. Quomodo enim verè sumus viuificati, & regeniti, si adhuc mors in nobis manet?

XXVI. Respondeo; istam regenerationem non inquirere omnimodam mortem peccatorum præsentem. Ratio facilis. Quia hæc regeneratio non est momentanea; sed in fidelium vitam vniuersam. At hæc non habet omnimodam mortem peccatorum. Probatur maior. Quia omnis filius Dei est regenitus: At fidelis per totam vitam est filius Dei: Ergo omnis filius Dei per totam vitam est regenitus. Maior manifesta, propter relationem Filij, & generationis. Est enim hæc fundamentum relationis inter Patrem & Filium

Minor

Minor non incertior. Primæ Ioannis, *Chariſſimi nunc filij Dei ſumus.* Ad Galatas 3. *Omnes filij Dei eſtis, per fidem in Chriſto Ieſu.* Prioris ad Theſſal. 5. *Omnes vos filij lucis eſtis, ac filij Dei.*

XXVII. Non eſſe autem vniuerſam fidelium vitam talem, vt habeat omnimodam peccati mortem; non eſt, opinor, nunc neceſſe plenius demonſtrari; quod pridem factum: nec verò controuerſum apud Papiſtas. Certè Paulus erat filius Dei; qui tamen optauit ſe liberandum corpore mortis: & gemuit non tantùm non fieri à ſe bonum, quod vellet; ſed etiam fieri malum quod nollet. Etiam Ioannes intonuit mendaces eſſe qui ſe negarent habere peccatum.

XXVIII. At, inquit, quomodo verè ſumus viuificati, ſi adhuc mors in nobis manet? Nempe igitur Bellarmino Paulus non fuit verè viuificatus. An potiùs mors non manet in eo, in quo adhuc peccatum eſt? Hoc ſanè verius. Nam Ioannis 5. *Qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, ſed tranſiuit à morte in vitam.*

XXIX. Claſſis octaua continet ea quæ docent, non poſſe ſimul habitare lucem, & tenebras; peccatum & iuſtitiam. Prioris ad Corinthios 10. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum.* Poſter. 6. *Quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? quæ conuenientia Chriſti ad Belial? qui autem conſenſus templi Domini cum idolo? Vos enim eſtis templum Dei viui?* Concipitur argumentum in hanc formam. Si verè eſt in nobis poſt Baptiſmum peccatum natura ſua mortale: Ergo eſt in nobis iniquitas, ergo tenebræ, ergo Belial: Ergo eſt conuentio lucis ad tenebras, iuſtitiæ ad iniquitatem, Chriſto ad Belial.

XXX. Deum immortalem! tam fœdè ſui eſſe oblitum Bellarminum! Relege iſta ex c. 12. primi de Purgatorio, *Qui decedunt in peccatis venialibus, aut cum debito pœnæ alicuius temporalis, ij non ſimpliciter moriuntur in Domino; ſed partim in Domino, ratione caritatis, quam ſecum ferunt: partim non in Domino, ratione peccatorum, quæ nihilominus ſecum ferunt. Neq; mirum videbitur, quòd aliquos dicamus mori, partim in Domino, partim non in Domino, ſi legatur S. Auguſtinus libro quarto contra duas epiſtolas Pelagianorum, c. 3. vbi eoſdem homines in hac vita partim eſſe dicit filios Dei, partim filios huius ſeculi.* Quid eſt, quæſo, mori in Domino? Nonne lux? Ergo mori non in Domino, tenebræ. Et certè Paulus filios lucis dixit eoſdem filios Dei. Eſt igitur qui ſimul moriatur in luce & in tenebris: eſt qui ſimul ſit filius lucis, & filius tenebrarum. Et nunc Bellarminus docebit, non poſſe eſſe in eodem peccatum & iuſtitiam; quia nullum commercium luci cum tenebris? Sic ſapit.

XXXI. Porrò, nos ſcimus nihil eſſe commune extremis, diametraliter oppoſitis: nempe ſecundùm ſuam propriam definitionem: ſed ſcimus viciſſim in remiſſis gradibus poſſe in tertium aliquod concurrere. Porrò, in his locis extrema ſemper eſſe Chriſtum & Belial, eodemque modo reliqua, quæ dinumerantur ab Apoſtolo. Sed in gradu remiſſo eſſe peccatum habitans in baptizato, & ſanctificationem. Quare frequenter in eodem ſubiecto conſiderari, etiam in Scripturis, Nam Marci 9. *Credo Domine: ſuccurre incredulitati meæ.* En tibi in eodem homine fidem, & infidelitatem, πίστιν καὶ ἀπιστίαν. Ad Roman. 7. *Ipſe ego* αὐτὸς ἐγὼ *mente ſeruio legi Dei, carne verò legi peccati.* Ad Galat. 5. *Spiritu incedite, & concupiſcentiam carnis ne perficite: nam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim inter ſe oppoſita ſunt*; in eodem ſcilicet homine: nam ſtatim, *vt non quæcunque volueritis, eadem faciatis.* Auguſtinus apud Bedam, *Videte quale bellum propoſuit, qualem pugnam, qualem rixam! Intus, intra te caro concupiſcit aduerſus Spiritum.*

XXXII. Quid pluribus rem plenam explanem? Non igitur negat Paulus in eodem homine ſimul reperiri bonum & malum: peccatum & iuſtitiam: ſed duntaxat debere alterum eliminari, nempe malum & peccatum. Et quidem forti argumento, ab vtriuſque extremi natura; quia enim non conueniunt Chriſtus & Belial, lux & tenebræ: Eſſe autem nos oportet Chriſti, & lucis; ideo certiſſima concluſio, non debere nos oppoſitis indulgere. Sed nulla conſequentia eſt: Ergo nullo modo eſſe in nobis quicquam oppoſitorum.

XXXIII. Et verò cur non cogitauit Bellarminus; hæc Apoſtoli verba, non peculiariter pertinere ad Baptiſmi momentum; ſed vniuerſaliter ad vitam Chriſtianam; etiam longè poſt id momentum? Nam profectò ad Corinthios ſcribebat pridem baptizatos: & quidem poſt illam amiſſam momentaneam ſanctitatem, ſi fuerat vnquam vlla. Nam eos variè reprehendit. Vult ergo etiam poſt amiſſam illam, de Corinthiis verum eſſe, nullam eſſe communionem Chriſti & Belial. Quæ phraſis, ſi id conficiat, vt in quibus aliquid eſt Chriſti, nihil ſit Belial; in quibus aliquid lucis, nihil remaneat tenebrarum: Ergo ea tanta puritas, non pertinet ad Baptiſmi momentum, quàm ad totam vitam. Cur ergo non niſi de Baptiſmi momento contendunt Sophiſtæ?

XXXIV. Supereſt noua claſſis; vbi ſunt loca, quæ docent Deo eſſe odio peccata. Pſalmo 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Et 45. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Sapientiæ 44. *Odio eſt Deo impius, & impietas eius.* Ergo aut Deus in iuſtificatione penitus tollit peccata, ita vt nihil ſit quod odio habere poſſit: aut nihil omnino remittit, ne obligationem quidem ad pœnam. Ratio conſequentiæ: Si peccatum maneret; Deus illud odiſſet: ſi odiſſet, punire vellet: ſi punire vellet, non ignoſceret. Expediam diſtinctius argumentum, vt facilior ſit ſolutio argumentationis directæ. In quocunque peccatum eſt aliquo modo; eum Deus punire vult: At baptizatum Deus non vult punire: Ergo in baptizato nullo modo peccatum eſt. Minor patet per remiſſionem quæ datur per Baptiſmum. Maior probatur ex iis locis qui docent Deum odiſſe iniquitatem.

XXXV. Reſpondeo, negari maiorem. Inſtantia eſt in oppoſitum vehemens. Quia ſi omnes puniret, ergo nemo ſeruaretur. Pſalmo 130. *Si iniquitates obſeruaueris ô Deus; Domine quis ſtabit?* Auguſtinus, *Circunſpexit ſe, circunſpexit vitam ſuam, vidit illam vndiq; flagitiis & facinoribus coopertã. Quacunq; reſpexit, nihil in ſe bonum inuenit, nihil illi iuſtitiæ ſerenum potuit occurrere Et cùm tanta & tam multa peccata vndiq; & cateruas ſcelerum ſuorum videret, tanquam expaueſcens clamauit, Si iniquitates obſeruaueris, Domine, Domine quis ſuſtinebit? Non dixit, ego non ſuſtinebo: ſed quis ſuſtinebit? Vidit enim prope totam vitam humanam circumlatrari peccatis ſuis, accuſari omnes conſcientias cogitationibus ſuis, non inueniri cor caſtum præſumens de ſua iuſtitia.* Chryſoſtomus, Τὸ γάρ τις, ἐνταῦθα οὐδείς ἐστιν, οὐ γάρ ἐστι· οὐκ ἔστιν οὐδένα μετ᾽ ἀκριβείας παρέχοντα τῶν πραγμάτων τὰς εὐθύνας τυχεῖν ἐλέους καὶ φιλανθρωπίας ποτέ, *Illud enim quis, hîc nullus eſt. Neq; enim fieri poteſt, vt ſi rerum à ſe geſtarũ ſummo iure ab vllo exigatur ratio, poſſit vnquam miſericordiam & clementiam conſequi.* Subiice nunc. Atqui non omnes pereunt, imò quidam ſuſtinent: Ergo non vult omnes punire Deus.

XXXVI. Itaque addit Propheta, *Certè apud te propitiatio eſt.* Chryſoſtomus, οὐκ ἐν τοῖς ἡμετέροις κατορθώμασιν, ἀλλ᾽ ἐν τῇ ἀγαθότητι τῇ σῇ ἐστι τὸ διαφυγεῖν τὴν κόλασιν, τὸ διαδρᾶναι τὴν δίκην ἐν τῇ σῇ κεῖται φιλανθρωπίᾳ· κἂν μὴ ταύτης ἀπολαύσωμεν, τὰ ἡμέτερα οὐκ ἀρκεῖ τῆς μελλούσης ἡμᾶς ἐξαρπάσαι ὀργῆς, *Non in noſtris rectè factis, ſed in tua bonitate licet effugere ſupplicium. Vt iudicium enim fugiamus in tua clementia ſitum eſt. Quòd ſi eam non fuerimus aſſequuti, noſtra non ſufficiunt ad nos ab ira futura eripiendos.* Plana ergo diſtinctio eſt. Iudicat Deus, vel exacto iudicio, id eſt, ſecundum legem; vel per clementiam, id eſt, ſecundùm Euangelium. Quoſcunque iudicat ſecundùm legem, punire vult. Sed non omnes iudicat ſecundùm legem: imò non paucos ſecundùm Euangelium: Ergo non paucos non vult punire; etiam ſi habentes peccata. Inde reliqua ſunt facilia.

Cap. VI.

De efficacia Baptiſmi in futurum, argumenta Catholica.

I. Sequitur nunc alterum membrum, quod eſt de effectu Baptiſmi in futurum. Catholicorum enim ſententia eſt Baptiſmi vim & efficaciam non tantùm complecti peccata præterita; ſed ad omnia futura pertingere; quæ itidem remittenda ſint propter Baptiſmum; id eſt, propter promiſſionem diuinam remiſſionis additam Baptiſmi Sacramento.

II. Papiſtæ calumniantur, Catholicos docere, ſolam memoriam Baptiſmi iuſtificare à peccatis, quæ fiunt poſt Baptiſma. Vnde furoris Tridentini fulgur, *Si quis dixerit, peccata omnia quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione & fide ſuſcepti Baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema ſit.* Anſam calumniæ ſumpſerunt ex Caluino, Inſtitut. 4. c. 15. §. 3. & 4. Item ex Antidoto. Opponunt autem ſuam ſententiam, his verbis conceptam apud Bellarminum, *Non poteſt fieri, vt ſola memoria, & fide ſuſcepti Baptiſmi peccata remittantur, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſed neceſſarium eſt pœnitentiæ Sacramentum.*

III. Deſcribam verba Caluini; vt fraus pateat, *Neque verò exiſtimandum eſt, Baptiſma in præteritum duntaxat tempus conferri, vt nouis lapſibus, in quos à Baptiſmate recidimus, quærenda ſint alia noua expiationis remedia, in aliis neſcio quibus Sacramentis, perinde ac ſi illius vis abſoluta eſſet. Sic autem cogitandum eſt, quocunq; baptizemur tempore, nos ſemel in omnem vitam ablui & purgari. Itaq; quoties lapſi fuerimus repetenda erit Baptiſmi memoria, & hac armandus animus, vt de peccatorum remiſſione ſemper certus ſecuruſq; ſit. Nam etſi ſemel adminiſtratus præteriiſſe viſus eſt, poſterioribus tamen peccatis non eſt abolitus. Puritas enim Chriſtiana in eo nobis oblata eſt: ea ſemper viget, nullis maculis opprimitur; ſed omnes noſtras ſordes obruit, extergit.* In Antidoto, *Qui ſola Baptiſmi recordatione deleri peccata tradunt, non nudam ipſam aut friuolam intelligunt, ſed cum fide ac pœnitentia coniunctam; qualis eſt prima quoq; Baptiſmi cognitio. Eiuſmodi, inquam, recordatio non venialia modò peccata facit, ſed prorſus obliterat. Nam quoties de peccatorum remiſſione quæritur, ad Baptiſmum confugiendum eſt, vt inde petamus eius confirmationem.*

IV. Viden quid ſit? Non ſola inquiunt memoria, ſed pœnitentiæ Sacramento opus. Tolle Sacramentum; quod nos demonſtrauimus nullum eſſe in pœnitentia; reliqua ſana ſunt. Et ſanè, quis neſcit ipſi Baptiſmo, coniunctam eſſe pœnitentiam; vel teſtimonio Ioannis, & Petri? Itaque diſertè Caluinus coniunxit, memoriam, fidem, pœnitentiam. Denique ſumma hæc eſt, *Per gratiam Dei peccata remitti pœnitentibus.* Eius gratiæ Sacramentum eſſe Baptiſmum. Itaque huius vim exſeri non tantùm in præcedentia; ſed etiam in omnia ſubſequentia. Quoties igitur lapſis poſt Baptiſmum neceſſaria erit remiſſio, reponendam eſſe eandem gratiam cuius Sacramentum acceptum eſt, obligans ad pœnitentiam. Hoc modo memoriam Baptiſmi condonare peccata; ſed non ſine pœnitentia, ſicut ne ipſum quidem Baptiſmum. Hæc Caluini, hæc Catholicorum genuina ſententia eſt.

V. Confirmatur. Primò, quia nunquam Scriptura reſtringit hanc efficaciam ad peccata præcedentia Baptiſmum: ſed generaliter loquitur de remiſſione peccatorum. Marci 1. *Baptizabat Ioannes in deſerto, & prædicabat Baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum.* Act. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomen Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* Act 22. *Surgens baptizator, & abluitor à peccatis tuis.* Dicunt Iuriconſulti, vbi lex non diſtinguit, ne nos quidem debere diſtinguere: & tam ſimus audaces, vt hanc Scripturæ generalem enuntiationem contrahamus; & dicamus non niſi præteritorum peccatorum remiſſionem eſſe in Baptiſmo? Atqui ſic fiet, vt infantes non baptizentur in remiſſionem peccatorum; ſed tantùm peccati vnius, nempe originis: neque enim illi peccata multiplicauerunt.

VI. Secundò: Eadem efficacia eſt Baptiſmi, quæ gratiæ diuinæ: Atqui gratia diuinæ efficax eſt ad delenda & remittenda etiam futura poſt Baptiſmum peccata: Ergo etiam Baptiſmus. Maior patet, quoniam Baptiſmus eſt eius gratiæ Sacramentum, id eſt, ſignum efficax: nec per ſe agi[illegible] quicquam in peccata, ſed per gratiam. Minor probatur, quoniam alioquin duorum alterum eſſet neceſſe: vel ſecundùm numerum multiplicari gratiam Dei, vel ſine gratia remitti peccata. At vtrumq; abſurdum. Nam ſine gratia remiſſionem vllam non admittit fides Chriſtiana. Præterea voluntas Dei non multiplicatur per actus innumeros. At gratia eſt voluntas Dei: Ergo non multiplicatur. Patet maior, quoniam voluntas Dei eſt Deus ipſe. At Deus eſt immutabilis. Sed & Pſalmo 89. *In ſeculum miſericordia ædificabitur. In ſeculum cuſtodiam ei miſericordiam meam. Miſericordiam meam non auferam ab eo.*

VII. Tertiò: Eadem efficacia eſt Baptiſmi, quæ mortis Chriſti. Nam ille hanc & ſignificat, & applicat: ita vim ſuam habet ab ea, ipſis concedentibus Papiſtis. At mors Chriſti delet etiam quæ poſt Baptiſmum committuntur peccata: Ergo & Baptiſmus. Aſſumptum nemo negat: ne Papiſtarum

quidem.

quidem. Et docet disertè Paulus ad Colossi. 2. *Vosq; mortuos in peccatis; & præputio carnis vestræ, cum eo viuificauit, vobis condonatis omnibus peccatis: ac deleto quod aduersum nos erat rituum chirographo; quod, inquam, erat nobis occultè contrarium; ipse verò cruci affixum è medio sustulit.* Satis perspicuè: Nam chirographum, id est, quo condemnamur secundùm legem propter peccata. Si igitur hoc chirographum sublatum est; ergo sublata condemnatio est; non tantùm in præsens; sed ne in futurum quidem: aliàs non esset ablatum.

VIII. Quartò: Si nulla efficacia Baptismi esset in futurum: Ergo sanctificatio quæ significatur in Baptismo, non esset in futurum. At hoc falsum: Ergo & illud. Maior clara: quia significatio est efficacia Baptismi; ac proinde sanctificatio pars significationis est pars efficaciæ. Minor est apud Paulum ad Roman. 6. *Quid igitur dicemus? permanebimusne in peccato, vt gratia auctior fiat? Absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo? An ignoratis, quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius esse baptizatos?* Manifesta mens est. Nemo mortuus peccato in baptismo, post baptismum viuit in peccato. At omnes baptizati mortui sunt peccato in baptismo: Ergo nemo baptizatus viuit in peccato post baptismum. At maior hæc manifestè falsa est; si non nisi momentanei sunt effectus baptismi. Et præterea manifestum; confirmandos fideles in sanctificatione, reuocari à Paulo memoriam baptismi: eodem modo quo nos in sermone de remissione.

IX. Quintò: Salus tribuitur baptismo. Ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Prioris Petri 3. *Saluos nos facit Baptisma.* Nemo saluatur, cui non remittuntur peccata, & præsentia, & futura post baptismum. At per baptismū fideles saluantur: Ergo per baptismum remittuntur peccata præsentia & futura. Maior patet: quia peccata quæ fiunt post baptismum, æquè damnarent, si non remitterentur.

X. Bellarminus soluit. Primò: Salutem vel in re esse, vel in spe. Illam non esse effectum baptismi, sed finem. Nunc autem disputari de effectu. Hanc verò esse ipsam iustificationis gratiam: itaque peccatorum præteritorum.

XI. Obscurè; propter ἀνυπολοξίαν. Nam salutem in re dici olim futuram: in spe autem præsentem vix videtur esse mentis sanæ. Verùm condonemus; & rem ipsam potius attendamus. Dico salutem in re, & salutem in spe, re non differre, sed tantum ratione: eandem enim, quam nunc spe concipimus, olim adepturi sumus. Itaque perinde esse vtrovis modo interpreteris. Nam sensus est in baptismo; promitti salutem olim futuram re; nunc duntaxat præsentem in spe.

XII. Veruntamen, inquit, illa olim re futura, non est effectum baptismi. Imò, inquam; primò falsum est. Nam Apostolus dixit baptismum facere nos saluos. Verùm non est effectum immediatum: quia baptismus proximè efficit remissionem peccatorum; & per hanc salutem finalem. Est, inquit, finis eius. Imò non est propriè finis: nam finis est ratione agentium: sed est finis Dei vtentis Baptismo. Atqui hoc modo nihil obstat quominus idem sit & finis, & effectus baptismi. Vt quia homo vtitur igne ad coquendum laceres; nihil absurdi est, quominus coctio sit effectus ignis, & tamen finis eius qui vtitur igne. Deinde, etiamsi salus illa in re futura, non esset effectum baptismi; non tamen solueretur argumentum: quia posito fine ponii oportet necessaria media ad finem: Est autem necessarium medium vt baptismò constet is finis, remissio peccatorum post baptismum. Nam; exempli gratia; si Petrus qui post baptismum negat Magistrum; omnino amisit illam remissionem quam erat consequutus: Ergo baptismus non saluauit Petrum: quia non obstante baptismò, erat propter hanc negationem damnandus; æquè ac si omnino baptizatus non fuisset.

XIII. De Petro seorsim philosophatur. Non est ad rem, inquit; Nam Petrus cum loquitur de tempore præsenti, non comparat baptismum cum peccatis, sed tempus Christi, cum tempore Noë.

XIV. Imò est ad rem, inquam. Nam salus, non significat imperfectionē restaurationis humanæ, duntaxat inchoatæ: sed eius absolutæ perfectionem. Itaq; cùm tribuitur baptismo salus, necesse est significari, non id quod fit & in momento, & non vltrà id momentum; sed id etiam quod in futurum, sine quo salus esse nequit. De tempore præsenti; id verò non est ad rem; neque obiectum à nobis Vendat, si volet, in foro scrutario.

XV. Sextò: Per baptismum communicatur Christi puritas: Ergo effectum baptismi est perpetuum in totam vitam. Probatur consequentia; quia hæc imputata puritas semper viget, nec vllis maculis opprimitur.

XVI. Respondet; falsum esse fundamentum, iustificari nos Christi iustitia imputata. Et contrà verum, nos iustificari propria & nobis inhærente iustitia; quæ nec semper vigeat, & maculis obruatur. Sed hoc prolixè disputatum est tomo præced. in Controuersiis de Iustificatione. Itaque firmum manet Caluini argumentum.

XVII. Sextò; testis est Augustinus, de Nuptiis & Concupiscentia, lib. 1. c. 33. *Sic accipiendum est quod ait Apostolus, Christus dilexit Ecclesiam suam, & semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo: vt exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi. Sic, inquam, accipiendum est, vt eodem lauacro regenerationis, & verbo sanctificationu omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur, atque sanentur, non solùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non vt Baptisma quoties peccatur, toties repetatur: sed quia ipso quod semel datur, fit vt non solùm antea, verùm etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Epistola 50 *Neque aliquid remanet in Baptismo quod non dimittatur omnium præteritorum peccatorum, si tamen ipse Baptismus non frustra foris habeatur, si aut intus detur, aut si cui iam foris datus est, non foris cum illo remaneat: & quicquid ab eis, qui post acceptum Baptismum hic viuunt, infirmitate humana contrahitur quarumcunq; culparum, propter ipsum lauacrum dimittitur.* Hæc Augustinus, prudenter expensis Pauli verbis, quæ vim baptismi proferunt eò vsque dum sistatur Ecclesia tota sine macula: quod profectò esse non potest, si quæ postea subeuntur peccata, ad ea nihil pertinet vis baptismi.

XVIII. Bellarminus respondet, Augustinum tantùm dicere peccata futura purgari aliquo modo: quia videlicet sine baptismo, nihil prosint cætera, quæ fiant ad purgandum peccatum, *Quid enim*, inquit, *prodesset, vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea nisi præcederet?* Eundem verò alibi dicere Epistola 23. *Semel acceptam paruulus Christi gratiam non amittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus euaserit: tunc enim propriè incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.*

XIX. Aliquo modo, inquit: quasi quisquam absolutè diceret: & non etiam præsens efficacia esset ipsa etiam aliquo modo, nempe quatenus esse potest Sacramenti. Sed is modus, quis quæso? Quia sine baptismo nihil prosint cæteta. Fortè, inquam: Sed hoc ipsum sine baptismo, quid est? Sunt enim quædam causæ sine quibus non: quæ ad effectum præter nudam præsentiam nihil conferunt: vt sine ardore ignis non lucet: sine luce non ardet. Sunt aliæ, quæ aliquid conferunt præterea; vt sine ferramentis non fabricatur domus: sine alis non volat coruus. Quid ergo Augustinus? Audi? Non prodest pœnitentia sine baptismo sequente; vel præcedente. En tibi causam sine qua non. Dic Bellarmine, nihilne baptismus sequens confert ad remittenda peccata; cùm sequitur pœnitentiam? Aut si confert aliquid; cur nihil; cùm præcedit eandem?

XX. Sed alibi contrà docuit. Tibi visum Bellarmine: sed mihi contrà. Dixit ille infantem amittere gratiam baptismi propria impietate. Nihil duti: nam etiam adultis commune. Sed quid obstat quominus recuperent eandem? At non per regenerationem: nimirum, inquam, repetitam; quasi essent iterum baptizandi. Sed per aliam curationem superadditam, inquito; & validam ex vi baptismi. Sic nihil erit incommodi. Nam & Caluinus memoriam baptismi coniungit fidei & pœnitentiæ.

XXI. Denique probatur efficacitas baptismi in futurum. Quia si hæc nulla sit; ergo nullis hæreticis, nullis qui cùm baptizantur obicem ponunt; vnquam prodesset baptismus. At hoc falsum. Quia & hæreticis redeuntibus ad Ecclesiam prodest: & iis etiam qui fictè susceperunt, recedente postmodum fictione. Quam ob causam non iteratur. Dominicus Soto in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 8. *Remota fictione per pœnitentiam, baptismus statim consequitur suum effectum. Probatur autoritate Augustini primo de Baptismo contra Donatistas, capite duodecimo. Tunc enim, inquit, valere incipit ad salutem baptismus; cùm illa fictio veraci confessione recesserit, quæ in corde malitia vel sacrilegio perseuerante peccatorum ablutionem non sinebat fieri.* Et paulò pòst, *Conclusio hæc omnium est doctorum vniuersalis.* Non potest vitari vis argumenti. Si nulla est vis baptismi nisi in præsens, & vt loquuntur ex opere operato: Ergo nunquam fictè baptizato remitterentur peccata. Oportet enim remitti, vel in præsens vel in futurum. At non in præsens: quia testatur Augustinus impediri ablutionem peccatorum quandiu fictio durat. Non etiam in futurum si nulla sit baptismi vis in futurum. At id falsum: Ergo necesse est concedi aliquam efficaciam baptismi, etiam longè post suam celebrationem.

CAP. VII.

Contra Baptismi efficaciam in futurum obiectiones Papisticæ.

I. OBiiciunt Papistæ apud Bellarminum. Primò, ex ad Hebr. 6. *Impossibile est eos qui sunt illuminati, iterum renouari ad pœnitentiam.* Non vult Apostolus, non posse lapsos vllo modo redire ad pœnitentiam. sed non posse renouari ad pœnitentiam, quomodo renouantur, qui baptizantur: interpretibus, Ambrosio, Chrysostomo, aliis. Et confirmatur ex verbis, *illuminati, renouari, crucifigentes Filium Dei:* quæ sunt propria baptismi, in quo illuminamur, renouamur, & imitamur Christi mortem.

II. Optandum erat, vt vim argumenti Bellarminus distinctiùs oculis obiecisset. Nam quid hæc nuda recitatio potest habere virium? Porrò, de eo loco varia sunt iudicia: quæ aliàs sunt à nobis non indiligenter expensa. Alij putarunt negari iterationem baptismi: alij naturam exponi peccati in Spiritum Sanctum. Et his fauet phrasis; impossibile renouari ad pœnitentiam: quæ non vnam pœnitentiæ speciem excipit, sed vniuersaliter pœnitentiam tollit. Itaque si coërceri debet; profectò præstat in altera parte exceptionem quæ is; nempe in iis qui illustrati: quod Caluinus fecit. Sic enim, non in vniuersum baptizatis aufertur spes pœnitentiæ; sed quibusdam duntaxat; nempe peccantibus in Spiritum Sanctum; quibus eodem sensu Christus abstulerat spem veniæ. Hinc credo nihil sibi commodi potuit sperare Bellarminus.

III. Ergo potius ex iteratione baptismi. Quomodo? Nam si dicas, Non potest iterari baptismus: Ergo nullum habet effectum in futurum; nos constanter consequentiam sumus negaturi. Et contrà, verisimiliùs speremus dictum iri, Si non possit iterari: ergo habere effectum in futurum. Nam is certè plurimus vsus est, vt quæ semel sumpta efficaciam breuem habeant, sed vtilem, repetantur. Concedimus ergo neminem sic posse regenerari post baptismum, vt qui baptizantur, id est, redintegrato baptismo. Sed negamus in quibus remittuntur peccata propter baptismum præcedens, hos sic renouari. Discrimen longum. Nam qui in baptismo renouantur participes fiunt fœderis cui nondum erant adscripti. At qui postea propter baptismum obtinent remissionem nouorum peccatorum, non nouum fœdus ineunt; sed eiusdem fœderis beneficium sentiunt, cui nomen iam dederunt: itaque non vt alieni; sed vt domestici.

IV. Instat. Etsi nolitis aspersionem repeti, tamen efficaciam: vt verè per baptismum remittantur peccata postea facta; & eadem facilitate, perfectioneque, ac plenitudine, vt antea, vt non sit vllo modo laboriosior secunda reconciliatio, quàm prima. At hoc ipsum est quod Apostolus negat.

X. Continuari melius erat, quàm repeti, Bellarmine. Nam repetuntur, quæ de integro fiant, quasi penitus intercisa, intermissaque: continuantur autem, quorum ab vno initio perpetua series est. Sic ante Christum Deus testabatur, se pactum suum non repetiturum, sed confirmaturum. Sed esto tamen. Si non efficaciam, at effecta saltem repeti volumus: & si velis eadem facilitate, perfectione, plenitudine. Diceremus etiam facilitate maiori; fretus Apostolo, qui ad Roman. 5. *Iustificati*, inquit, *nunc eius sanguine, seruabimur multo magis per eum ab ira illa.* Nam & sic vsus est; vt difficilior

lior sit prima reconciliatio cum inimicis, quàm postea reconciliatos indulgentia.

VI. At hoc negat Apostolus. Ita-ne? Magnam nostram supinitatem, qui non obseruauerimus; ne nunc quidem moniti obseruare possimus: aut tuam Bellarmine impudentiam, qui quod est nusquam, tam audacter esse asseris. Quomodo negat ergo? In primis ideo noluit dicere impossibile esse iterum baptizari; sed renouari ad pœnitentiam baptismalem. Præterea propositum habuit deterrere baptizatos à peccatis, hac ratione, quia non poterunt eadem facilitate conciliari.

VII. Prius illud non intelligo: si dixerit impossibile esse renouari ad pœnitentiam baptismalem, ideo eandem facilitatem non esse. Quanquam hoc ipsum non dictum: sed simpliciter pœnitentiam. Esto nunc tamen. Sed pœnitentiam baptismalem, cur eam dicas cui baptismus iteratus addatur? Et non potiùs, eiusdem modi cum pœnitenta quæ addita olim erat baptismo; id est, quasi postliminio recipiendorum in fœdus, cui esset penitus renunciatum?

VIII. Alterum ridiculum est, propter fœdam petitionem principij: ponit enim eandem facilitatem negari, cum instituerit probare eam negari. Sic sibi sunt Iesuitæ commodè subtiles.

IX. Hæc prima fuit obiectio. Altera. Patres semper precantibus post baptismum imposuerunt grauissimos labores, antequam eos reconciliarent.

X. Dissimillimi sunt Patribus ergo Papistæ, inquam: qui & reconciliant ante labores impositos: & hos ipsos leuissimos student imponere: nec labores, sed quisquilias ineptiarum; quas scopas dicunt, id est, aliquot psalmorum cantillationes: quod obseruatum nobis aliàs. Sed ita est tamen duram fuisse in peccantes post baptismum exercitam disciplinam: magis ex humana præsumptione, quàm diuina autoritate: quæ disputatio alterius est loci.

XI. Sed enim argumenti vim Bellarminus est perficere dedignatus. Nos negamus sequi, si grauissimi labores fuerint. Ergo nullam fuisse efficaciam baptismi. Etenim Augustinum repete prius paulo auditum, *Quid prodesset, vel ante baptismum pœnitentia nisi baptismus sequeretur, vel postea nisi præcederet?* Ergo, inquam, hi tam duræ pœnitentiæ labores impositi reconciliandis, similes sunt iis qui baptizandis imponebantur; etsi, fortè, grauiores. Vtrique baptismum præsupponentes, alij futurum, alij præteritum; vtrinque efficacem.

XII. Tertia obiectio. Nulla æquitas patitur, vt æquè facilem viam habeat ad gratiam Dei, qui peccant ante baptismum, & qui post baptismum: cùm illi Deum ignorarent, isti nossent: illi non haberent gratiam, isti haberent.

XIII. Nulla æquitas patitur. Vnde hoc? Docuitne Spiritus Sanctus, an humana, siue Papistica potiùs futilitas est imaginata? Hæc cauara est, & maligna dispensatrix diuinæ gratiæ; imò φιλοχρίστου; atque adeò Deum suo subijciens examini. Sic olim quidam, *murmurabant, dicentes, Isti vltimi vnam horam opus fecerunt, & eos æquales nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstum.* Matthæi 20. Itaque seuerè coërcenda, *An non licet mihi quod volo facere in meis rebus? an oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?* Spiritus autem Sanctus diserte, *Eruabimur multo magis ab ira.*

XIV. Fuit verò hoc idem argumentum in tractatu de Satisfactionibus: nunc igitur breuiter. Posita hac difficultate, nego sequi vim baptismi nullam esse in remissione peccatorum sequutorum. Quamcunque enim dicas difficultatem, & duritiem; quemcunque rigorem; tamen remissio est; & eadem remissio quæ promissa in baptismo. Itaque efficacia perseuerans.

CAP. VIII.

Status causæ de necessitate Baptismi.

I. NVnc de necessitate Baptismi disputandum; quæ tractata Papistis istis Lindano 4. Panopliæ c. 15. Ioanni Arboreo Theosophiæ libri 2. c. 10. Tappero art. 2. Catechismo ad Parochos. Feuardentio Theomachiæ lib. 7. c. 22. Lorichio de Baptismo hæresi 4. Soto quæst. 1. dist 5. 4. Sentent. Castro de Bapt smo hæresi 9. Bellarmino lib. 1. de Baptismo c. 4. Greg. de Valentia Comment. tom. 4. disp. 4. quæst. 3. punct. 4. Beccano Aphorismo Caluinistarum 21. Vasquii in 3. Thomæ, disp. 149. & deinceps 51. 52. 53. Suari de Sacramentis, disp. 27. Cotono Institutionis libr. 3. c. 26. Moquoto in Censuræ tom. 2. tract. 5. c. 3 4. & 5.

II. Nostris verò: Caluino in Antidoto sess. 7. ad anathematismum 5. de Baptismo. Item Epistola 193. & 408. Bezæ de Cœna Domini contra Vuesphalum ad caput 36. & in Abstersione calumniarum Heshusij ad 7. calumn. Petro Martyri cap. 8 classis 4. Locorum communium. Hellopœo de tota re Sacramentaria tractat. 2. cap. 5. Vuitakero contra Duræum libr. 8. Sadeeli ad Monachorum Burdegalensium artic. 11. Molinæo in Clypeo fidei part. 2. sect. 18. & tribus deinceps. Riueto Catholici orthodoxi tractatus 3. quæst. 3. Scharpio Cursu Theologico in de Baptismo.

III. Concilij Tridentini canon 5. de Baptismo, sess. 7. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, Anathema sit.* Catechismus Tridentinus. *Nihil magis necessarium videri potest, quàm vt doceantur, omnibus hominibus Baptismi legem à Domino præscriptam esse, ita vt, nisi per Baptismi gratiam Deo renascantur, in sempiternam miseriam, & interitum à parentibus, siue illi fideles, siue infideles sint, procreentur.* Suares, *Simpliciter dicendum est, Baptismum esse medium necessarium ad remissionem peccatorum, & ad gratiam & gloriam consequendam. Conclusio est de fide.* Hæc illi absque distinctione, quam & Bellarminus voluit neglectam. Soto necessitatem distinguit finis & præcepti: sed vtramque æquè statuit.

IV. At Gregorij de Valentia minor audacia, modestior assertio. Prima, *Baptismus iis qui baptizari possunt, non ita ad salutem necessarius est, vt nullo alio modo, neq; in vllo casu sine illo reipsa susceptо salutem consequi valeant.* Secunda, *Adultus cùm baptizari possunt, ita ex diuino præcepto Baptismus reipsa necessarius est ad salutem, vt si hoc facere omittant, pecent omnino peculiari peccato mortali.* Postrema, *Paruulus ita Baptismus reipsa necessarius est ad salutem, vt secundùm legem ordinariam nequeant sine Baptismo aquæ salutem consequi, excepto vnico casu, si videlicet interficerentur pro Christo.* Vbi videt nullam absolutam necessitatem indicari, sed semper cum exceptione.

V. Et verò alij postquam egregiè disputarunt; coguntur exceptiones addere; distinguentes Baptismum fluminis, flaminis, sanguinis. Fluminis eum qui propriè Baptismus est; & re vera corpus lauat aquis; denique Sacramentum. Flaminis Baptismum dicunt siue pœnitentiæ, contritionem cordis, siue præparationem sufficientem ad gratiæ infusionem. Sanguinis autem, martyrium pro Christo, seu iustitia susceptum.

VI. Duo flaminis & sanguinis concedunt posse supplere tertium fluminis. Bellarminus, *Perfecta conuersio ac pœnitentia rectè Baptismus flaminis dicitur, & Baptismum aqua saltem in necessitate supplet.* Altenstaig tamen exceptionem addit; baptizatos hoc baptismate, licèt recipiant effectum Baptismi aquæ, quantùm ad remissionem culpæ & infusionem gratiæ, non tamen regulariter quantùm ad remissionem pœnæ. Videtur etiam Suares restringere ad solos adultos disertè asserens, non tantùm, *nullum infantem decedentem sine Baptismo saluari ex speciali priuilegio aut dispensatione:* Sed etiam, *Infantes, qui in materno vteris moriuntur, non posse saluari:* Et id esse certissimum; & ita sentire vniuersam Ecclesiam ac Theologos. Altenstaig tamen, *Baptismus flaminis*, inquit *fit quotiescunq; quis per misericordiam Dei sanctificatur à peccatis suis, siue fiat in vtero, sicut de Ieremia & Ioanne Baptista legitur siue extra vterum, siue virtute pœnitentiæ.*

VII. De Baptismo sanguinis Bellarminus, *Martyrium rectè dicitur & est, quoddam Baptisma.* Et explicat; quia configuret hominem Christi passioni & morti; quia remittat peccatum originale, & reliqua omnia si quæ sint admissa quia remittat omnem pœnam peccato debitam, tam æternã, quàm temporalem. Notat tamen horum trium capitum duo extrema esse secundo certiora: propter nonnullorum scrupulos; in quibus nihil quod nostra interfit. Altenstaig confidentior, & explicatior, *tollit*, inquit, *omnem culpam, tollit etiam omnem pœnam, adimit recidiuam, confert sine mora præmium, & tribuit maiorem gratiam & per consequens gloriam ampliorem.*

VIII. Hæc Papistarum sententia est. Nunc Catholicorum ex Caluini Antidoto, *Nos Baptismi vsum necessarium confitemur, ne cui liceat, vel negligentia, vel contemptu ipsum omittere: atque hoc modo nequaquam liberum facimus: nec fideles modò seuerè adstringimus ad eius obseruationem, sed ordinarium quoq; Dei instrumentum asserimus ad nos lauandos & renouandos, ad salutem denique nobis communicandam. Hoc tantùm excipimus, ne manus Dei instrumento sit alligata, quin possit per se hominum salutem perficere. Nam vbi deest Baptismi facultas, abundè valet sola Dei promissio.* Hellopæus in eandem sententiam scripsit, *Nos fatemur quidem ex ordinatione diuina quoddam velut correquisitum esse Baptismi Sacramentum ad salutem, neq; citra sacrilegium illud omitti posse. imò si ex contemptu omittatur, letale flagitium hoc fore, nisi seria pœnitentia sequente: sed sic necessarium dicere, vt si quis necessitate excludatur, quominus eo vtatur, de salute periclitetur, manifestum esse errorem affirmamus, neq; Sacramentorum priuationem, sed contemptum esse exitialem dicimus.*

IX. Explicabo distinctiùs. Necessitatem esse aliam absolutam, aliam secundùm quid. Illam, quæ media simpliciter substituat finis; ita vt iste nullo modo possit obtineri, nisi illis positis. Hanc verò, quæ media non simpliciter, sed positis certis circunstantiis fini suo substernat. Sacramentorum finem esse salutem omnes concedimus. Ac proinde esse necessaria: quandoquidem salus ipsa sit necessaria. Sed absolutam necessitatem negamus. Alteram secundùm quid concedimus. Sic non tantum baptismum, sed etiam Eucharistiam; imò etiam vltra Sacramenta, prædicationem verbi: imò præceptorum obseruationum: & nonnulla forte alia. Arboreus, *Baptismi Sacramentum simpliciter non est necessarium.* Paulo pòst, *Et tamen secundùm quid necessarium est ad salutem: sic quòd non debet contemni.*

X. Hanc necessitatem secundùm quid, cùm aliter fortasse describi posse, tum certè duobus præcipuè capitibus; Vno, secundùm externas circumstantias, siue temporis, siue personarum. Exempli gratia: Amor coniugalis necessarius est: sed tamen iis duntaxat, qui sunt coniuges, & quandiu sunt coniuges: Nam quibus nullum est coniugium; nullus eis amor eiusmodi necessarius. Sic obedientiam necesse est exhiberi regibus; sed si quis sub rege sit: nam ipsum Regem, nulli regi obedire necessarium. Item si quis maiori aliquo officio non impeditur; nam præstat obedire Deo quàm hominibus: itaque qui regi non obedit, propter Deum, huic nulla culpa est violatæ regiæ obedientiæ.

XI. Altero; vt ne necessitas intelligatur imposita Deo, sed tantùm hominibus. Nam hos Deus certo ordini voluit esse obnoxios: cui tamen ipse se non subiecerit: sic cùm hominem noluerit viuere absque alimentis: tamen ipse aliter aliquando sustentauit hominem. Sic cùm audiamus neminem credere absque prædicante; tamen inhumanum est credere omnes natura surdos in æternum perire.

XII. His sic explicatis credimus Baptismi necessitatem ita esse: vt eius susciendi ordinem Deus impositum voluerit; adeò vt si propria siue temeritate, siue negligentia omiserit; æquè se exponat æternæ mortis periculo; vt corporeæ, si abstineat cibo. Quare eam siue temeritatem, siue negligentiam & vehementer odimus, & seuerè castigamus: nec parentes excusamus, qui liberos suos multo tempore patiuntur alienos à baptismo. Verùm persuaderi non possumus, si quis quancunque ob causam aqua baptismi sit priuatus, Deo nullam superesse rationem prouidendi eius saluti. Itaque etsi non adeò simus audaces, vt quasi ingressi eius consilij penetralia, pronuntiemus hunc illúmve saluum fieri aut damnatum, mortuum sine baptismo; tamen credimus non omnes sic mortuos damnari: & in eo ordine fidelium liberos piè constituimus. Hæc nostra sententia est; oppositæ sententiæ Papistarum.

CAP. IX.

De necessitate Baptismi argumenta Papistica.

I. EXpendamus argumenta Papistica. Quorum primũ esto à locis Scripturę quibus remissio peccatorum Baptismo tribuitur; non neglectis Alphonso à Castro. Ad Eph. 5. *Christus dilexit Ecclesiã, & seipsum tradidit pro ea, vt illã sanctificaret mundando eam lauacro aquæ in verbo.* Ad Tit. 3. *Saluos nos*

nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, His locis lauacrum intelligitur Baptismum. Inde sequitur, paruulos non baptizatos, quia non sint hoc lauacro loti, non esse mūdos, neque regeneratos, neque renouatos: & per consequens, si absq; Baptismo moriantur, nunquam peruenturos ad illam Ecclesiam, quæ est speciosa sine macula & ruga.

II. Respondeo negari consequentiam. Videlicet ex logicorum regula, quia vniuersales affirmatiuæ non reciprocētur. Verissimum est omnem hominem esse animal: sed falsum non hominem non esse animal: quia verum aliquod animal non esse hominem. Ad eam prorsus speciem; certum est Ecclesiam mundari per Baptismum: saluos nos fieri per Baptismum: sed falsissimum non mundari, non saluos fieri sine Baptismo, nimirum externo, & quod aqua conficitur. Nam manifesta est instantia ex Baptismis flaminis. & sanguinis, in quibus nulla prorsus est aqua; & tamen conceduntur à Papistis sanctificare, & saluare, tam sunt incogitantes sui.

III. Itaque Dominus noster longe petitior legitimæ ratiocinationis, noluit conuertere: Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Cur non æquè vtrumque. Nam *τὸ credere*, repetiit negando: non repetiit, *τὸ baptizari.* Et audent monachi, quod ille noluit: & quidem tanta, tam præsente, tam vicina occasione? Recte Caluinus annotauit, *Tenendum est, non ita necessario requiri ad salutem, vt perire necesse sit, quicunque eum adepti non fuerint. Neq; enim hic fidei adiungitur tanquam dimidia salutis causa, sed vt testimonium.* Piscator disertius, *Non ita præcise Baptismum ad salutem esse necessarium, patet ex sententia sequenti huic opposita, vbi Baptismus omittitur. Si autem Baptismus æquè ac fides ad salutem requireretur, dicendum fuisset in antithesi, ὁ δ' ἀπιστήσας, ἢ μὴ βαπτισθεὶς, κατακριθήσεται, id est, qui vero non crediderit, aut non fuerit baptizatus, condemnabitur.* Similiter Gualterus homilia 138. in Marcum.

IV. Secundum argumentum eiusdem ex priore Ioannis c. 5. *Hic est ille, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine* Et paulo post, *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt.* Attende subtilitatem. Venit; quo? Non in vterum virginis: quoniam non per aquam & sanguinem simul: Ergo ad abluendas sordes filiarum Sion in spiritu iudicii, & ardoris. Hæc ablutio, est peccatorum remissio per meritum Christi: quæ nunc fit in baptizatis. Rursus vnum sunt; in nobis, inquit Beda, non natura eiusdem substantiæ, sed eiusdem operatione mysterij, quia Spiritus mētem renouat, aqua proficit ad lauacrum, sanguis spectat ad pretium. His positis. Constat, inquit, Ioannem redarguere illos omnes, qui dicunt paruulos sine baptismo posse saluari: quia Ioannes dicit tres esse testes, qui debent reddere testimonium animæ à sordibus peccatorum ablutæ. At paruulis sine baptismo mortuis deest vnus testis, videlicet aqua baptismi: Ergo illi non sunt censendi mundati. Deinde Ioannes dicit Christum venire ad nostram omnium salutem, per aquam & sanguinem simul, & non per alterum illorum tantum: & inde sequitur, vt ad paruulos, quibus aqua baptismi deficit, nunquam Christus spiritualiter veniat.

V. Vt glomerat impetus! vt ictus multiplicat! Non poteras ô bone; acutiori gladio nos interficere, si eras interfecturus; & non tam obtuso pugione lancinare? Obsistam fortius; & breuius conficiam. Tres testes sunt animæ ablutæ: Ergo, cui vnus deest, ea anima non est abluta. Hæc verò consequentia non abluta, sed diluta est: neque micam salis obtinet. Nam etiam vbi tres testes non nocent, tamen duo sufficiunt. Quid enim de flamine dicas; quid de sanguine? Nam in iis tertius ille testis, aqua, desideratur.

VI. Per aquam venit & sanguinem simul. Quid hoc est? an quia nullo vnquam momento per aquam, vt non per sanguinem? Nihil tale Ioannes dixit: nec verum: sed non in aqua sine sanguine: quod nihil obstat quominus per aquam & sanguinem disparatè. Certè cum cœpit facere & docere; non tamen quoties docuit fecit: sed aliquando docuit cùm non fecit. Et verò in hoc argumento, Latronem quomodo purgauit? Certè per sanguinem: non enim fit aliter: sed non per aquam. Non igitur sic per aquam venit & sanguinem, vt nullo momento; nullo exemplo per sanguinem sine aqua.

VII. Scio posse magnum negotium facescere de interpretatione huius loci; tam varia quàm vllius alius loci; adeò vt vix videantur duo capita consentire. Sed nihil opus, quandoquidem Alphonsi sophisma aliunde satis refutatur. Hoc duntaxat annotandum; vt aliquid videri saltem posset dicere non prorsus alienum; coactum fuisse discedere ab omnibus interpretibus cùm antiquis tùm recentibus. Reliqua qui volent, videant præcipuè apud Salmeronem, & Lorinum; quibus solenne est omnia conuasare, & lectorem onerare potiùs quàm erudire.

VIII. Tertium argumentum non vnius est proprium, sed omnibus commune; adeò vt nemo in hac tractanda quæstione fuerit, cui sit omissum. Ex 3. Ioannis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Loquitur Christus de baptismi Sacramento, inquit Suares. In illa verò conditionali loquutione intrinseca includitur necessitas: vt si medicus infirmo dixerit; nisi hanc acceperis medicinam, non sanaberis: perinde est ac si diceret, hæc medicina tibi est ad salutem necessaria.

IX. Respondeo; non posse dari loquutum Christum de baptismo in aqua: id est, aquam eo loco nominatam proprio literalique sensu pro externo & corporali elemento baptismi. Ratio eadem est quæ Papistis, à necessitate, quam significat eam loquendi formula. Quæ si supponatur, vniuersale axioma erit; neminem prorsus ingredi regnum cœlorum, cui defuerit elementum aquæ. Quod tamen esse alienum à vero consentiunt Papistæ; qui baptismo aquæ substituunt interdum baptismum flaminis, & sanguinis; in quorum neutro aqua est: imò quorum vtrique locus datur cum aqua deest. Toletus in hunc locum, *Abusi sunt hoc Seruatoris loco hæretici;* dicentes, *neminem posse saluari, qui non sit ex aqua & Spiritu regeneratus quantumuis cum contritione & desiderio Baptismi morte præuentus recedat.* Cum ergo verum sit, aliquem ingredi regnum Dei absque aqua: alterutrum necesse est, aut falsum hoc enunciatum esse, quod est blasphemum; aut aliter interpretandum quàm vt aquæ elementum dicatur ad salutem ita necessarium, vt sine eo, nemo possit admitti in regnum cœlorum. Itaque Villagudus in hunc locum, *Non putauerim tamen aqua Baptismum ad salutem per se necessarium esse; adeò vt si aqua, minister, aut aliquid necessarium abfuerit, oporteat eum, qui baptizari cupit perire.*

X. Itaque fatigant se etiam Papistæ in hoc loco explicando. Arboreus disputans non esse simpliciter necessarium hoc Sacramentum, obiicientibus hunc locum respondit, *Communis ad hanc diluendam obiectionem solutio hæc est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, scilicet Baptismo Christi, vel eo quod gerit vices Baptismi, non potest ingredi regnum Dei: modò Baptismus flaminis siue pœnitentiæ, cum quodam spontaneo proposito suscipiendi Baptismi Sacramentum, si temporis opportunitas detur: similiter Baptismus sanguinis, quo quis confitendo nomen Christi in acerrimis tormentis intingitur, subit vices Baptismi* Lombardus dist. 4. libri 4. c. 2. *Sed illud intelligendum est de illis qui possunt & contemnunt baptizari. Vel ita intelligendum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, id est, ex ea regeneratione, quæ fit per aquam & Spiritum Sanctum, non saluabitur: illa autem regeneratio fit, non tantùm per Baptismum, sed etiam per pœnitentiam & sanguinem.* Bonauentura in eandem distinctionem, *Ad illud quod obiicitur de Domini mandato, patet responsio, quia intelligitur in eo, qui facultatem habet, & non præpeditur necessitate.* Barradius c. 1. lib. 4. tom. 2. Commentariorum, *Verba Christi sunt intelligenda hoc sensu; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, reipsa si potest; si verò non potest, in voto.*

XI. Sic omnino quadruplicem habes interpretationem. Vnam, Nisi baptizatus vel baptismo aquæ, vel alio aliquo in eius vicem: hanc apud Arboreum solum legi: etsi is dixerit esse communem; quod certè re ipsa verum est; quandoquidem omnes docent flamen & sanguinem supplere vices aquæ. Alteram; baptizati aqua; si possint; nec contemnant; & hæc Lombardi est, Bonauenturæque; imò Gorrani, & Carthusiani; & Villagudi. Tertiam; baptismo aquæ; id est, ea regeneratione, quæ fit per baptismum aquæ; etsi aliter fieri etiam possit. Quartam, baptizatus vel re, vel voto.

XII. Et sanè ita oportuit eos, quæ ab aquæ elemento discedere noluerunt Sed vt liberè dicam, non admodum dignè Christo: cuius axioma vniuersale, circuncidatur manifestis exceptionibus: quæ contradictionis speciem vitare vix possunt. Cum non ea sit natura negatiuæ enuntiationis, & affirmatiuæ. Nam huic non propterea contradicitur, si quid excipiatur; vnde constet non conuerti terminos: Sic illud Ioannis 20. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*: non sit falsum, quia Thomas beatus est, qui vidit, & credidit. Sed negatiuam enuntiationem necesse est reciprocari terminis. Sic; si nullus adulter possessurus sit regnum cœlorum: oportet nullum possessurum regnum cœlorum esse adulterum. Itaque Salmero tract. 4. tom. 8 tanquam exceptionem posuit; *Tertiò,* inquit, *demendi veniunt, quotquot Baptismum sitientes, & ad illum peruenire sitientes, & ad illum peruenire festinantes: vt sunt Catechumeni, aut alij in articulo mortis constituti Sacramentum poscentes, & morte præuenti inopia ministrorum illud non sunt assequuti: nam tales votum Baptismi concipientes, pro baptizatis coram Deo habentur.* Atque inde postea legem manifestè restringit, *Solùm igitur,* inquit, *ad Baptismum suscipiendum hæc lex sub peccato eos adigit, qui prædicatione nouerunt eius necessitatem, nec temporis angustiis ab eo suscipiendo exclusi sunt: sed vel negligentia, vel contemptu illum non receperunt.*

XIII. At Caluinus religiosior, quàm vt auderet Christo contradicere; maluit interpretatione non violenta, rem totam expedire. Aquam nullam nominari elementarem: ac proinde non baptismi Sacramentum: sed tantùm regenerationem spiritualem indicari duobus vocabulis, aqua; & Spiritu: quorum istud propriè causam designet eius regenerationis: illud autem metaphoricè: nempe quia Spiritus efficacia similis sit aquæ. Hoc modo ἐξηγητικῶς aquam esse ipsum illum Spiritum ritum. Hanc interpretationem Piscator est amplexus. Ego omnino facillimam, & simplicissimam, & tutissimam existimo.

XIV. Primum enim omnem exceptionem remouet. Quia omnino verum, neminem ingredi regnum Dei nisi regenitum per Spiritum Sanctum purgantem peccata, instar aquæ. Nam rectè Caietanus in hunc locum, *Nasci siquidem ex Spiritu, necessarium est simpliciter & absolutè, ad consequendam regnum Dei ex ipsa extremorum natura.* Et in eam rem paulo antè erat à Christo dictum, *Nisi quis γεννηθῇ ἄνωθεν fuerit genitus denuò;* siue vt alij vertunt, *genitus ex alto, non potest videre regnum Dei.* Magnus hic fructus est, vt vndique constet veritas enuntiationis negatiuæ: adeò vt neque mendacij, imò ne inconsiderationis quidem vlla vel vmbra residua sit.

XV. Deinde, vsitata hæc interpretandi ratio est in aliis multis. Matthæi 19. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum Dei introire.* Non solet obiici Abrahamum, Iob; aut alius quisquam: sed exponi diues; *possidens diuitias cum amore,* apud Anselmum, *cupidus rerum temporalium, & de talibus superbiens;* apud Augustinum quæstionum Euangelicarum lib. 2. c. 47. Lucæ 14. *Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quia verum est contrà, aliquos possidentes etiam multa esse discipulos Christi; ideò Theophylactus, μηδὲν θέλοντας ἔχειν τῶν κοσμικῶν ἐμπαθῶς, *Qui rerum mundanarum nihil volunt habere cum vehementi affectu.* Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Thomas, *Si referatur ad spiritualem manducationem, nullam dubitationem habet sententia.*

XVI. Hanc tamen interpretationem Caluini non tantùm Bellarminus impugnet, tum capite tertio secundi de Sacramentis, tum quarto de Baptismo: sed etiam (qui toti in fermento) Maldonatus Commentariis, & Staplętonus Antidotis Euangelicis, in eum locum. Sed Bellarminus sua opponit argumenta: illi examinant Caluini tationes. Attendamus quomodo.

XVII. Sex argumentis Bellarminus pugnauit; quorum ordinem inuertam. Esto igitur mihi primum quod illi tertium. Coacta est; absurda, & Scripturis inusitata loquutio.

XVIII. Imò hæc potiùs stulta est, absurda, & bonis viris inusitata κακηγορία: cui refutanda nos non oportet plus impendere aut operæ, aut temporis, quàm illum confirmandæ. Nam quis ille vir est tandem, cui liceat impudenter maledicere: aut qui nos tandem, quos necesse sit ad singula eius verba tumultuari, quasi Galli essent ad portas?

XIX. Secundum. Si ita liceret ludere in Scripturis, possemus negare baptismum aquæ. Nam vbique intelligemus nomine aquæ Spiritum Sanctum, & eodem modo licebit peruertere omnia alia mysteria.

XX. Religiosissimos sacrorum apicum adoratores, scilicet! Castissimos vocabulorum diuinorum obseruatores! Et quando hæc vos religio inuasit obsecro? Heri factum, aut nudius tertius oportuit, si factum. An potiùs

non factum, sed ad momentum duntaxat odio nostri, odio veritatis simulatum? Nam quid ipsi vobis permittatis, lippis notum atque tonsoribus. Sed enim superstitiosus timor est. Nam consequentia ludicra. Dicemur, inquit, vbique aquam esse Spiritum sanctum. Vos, inquam, forte dicturi estis, vt se malitia solet in extrema præcipitare. Sed sobrii nunquam dicent; quibus nunquam persuasum, vbique aquam significare Spiritum, sed certis tantum locis.

XXI. Tertium, ex communi axiomate Theologorum; quo docemur Scriptam intelligere secundum verborum proprietatem, vbi non cogimur euidenti absurdo. Porro aduersarij nullum absurdum ostendunt, quod sequatur, si hoc per aquam intelligatur aqua, nisi quia refellitur ipsorum hæresis.

XXII. Axioma Theologorum agnoscimus: etsi fortasse alias non absque exceptione. Sed hac, si qua est, nunc valeto. Absurdum autem nullum indicari, falsum est; & quidem huiusmodi, quod non nostram tantum sententiam non refellat, quam Iesuita vocat hæresin: sed etiam Papisticam, prorsus conuellat. Illud ipsum dico incommodum, vnde deueniēdum fuit ad supplementum flaminis, & sanguinis: à quo, aut discedendum necessario, aut hic locus vel interpretatione commoda deriuandus alio; vel importuna exceptione euitandus.

XXIII. Quartum. Si hoc loco per aquam non intelligimus aquam, difficile erit statuere Sacramentum baptismi constare ex aqua. Nam cætera loca, vbi fit mentio aquæ in baptismo, vt Actor. 18 & ad Ephesios 5, probant quidem posse baptizari aqua, sed non probant non aliis liquoribus: sed & poterunt æque detorqueri ad metaphoras.

XXIV. Respondeo, negari propterea non posse probari baptismum constare aquę elemento. Superest enim locorū satis, in quibus de baptismo vere & proprie sermo est: vt quicunque docent Ioannē baptizasse in Iordane, atq; adeo ipsum Iesum. Non potest autem, ni fallor, negari in Iordane fuisse aquam elementarem. Et ille Act. 8. *Venerunt ad quandam aquam: tū ait Eunuchus, en aquam, quid prohibet me baptizari?* Postea, *Iussitq; sisti currum, ac descenderunt ambo in aquam, Philippus simul & Eunuchus, & ille baptizauit eum.* Nam quod dictum, detorqueri posse ad metaphoram, hominis est stolidius minacis, quam confidentius experti. Sed non docent, inquit, non posse aliis liquoribus. Sic, inquam, ingeniosa pertinacia est. Sed hæc testimonia sunt institutionis: quæ etsi non prohibeat totidem verbis alios liquores: tamen eo ipso, quod non ponat, excludit.

XXV. Quintum argumentum. Si aqua non poneretur hoc loco nisi ad explicandū effectum Spiritus sancti, male coniungeretur cum verbo renascendi. Consequentiæ ratio, quia aqua, si tantum inspiciatur eius significatio, non gignit, sed lauat & refrigerat. Itaque vel dicere debuisset Dominus, nisi quis mundatus fuerit aqua & Spiritu sancto: vel, nisi quis renatus fuerit ex semine & Spiritu sancto.

XXVI. Respondeo, negari consequentiā: quia si significet id effectum quod est à Spiritus regeneratione, nihil obstat quominus coniungatur cū verbo regenerandi. Nam consentiunt omnes voluisse Dominum indicare Nicodemo genus aliquod generationis aliud à carnali, cui hærebat hactenus. Itaque neutram illam Bellarmini phrasin oportuit vsurpari. Non illam in qua semen nominatur: quia nondum discussus error esset. Est enim Christus genitus ex semine & Spiritu; & non tamen hac generatione, quæ nunc vrgebatur. Non item illam, in qua mundatio substituitur; quia discessum esset à metaphora semel inchoata; & relictum ambiguum, vtrùm alius sermo inchoaretur priore non explicato.

XXVII. Sed tamen, inquit, aqua non generat. Imò, inquam, aliis aliter visum. Sed omitto: re vera enim subtilius est; & alienius ab hoc mysterio. Sed si quia non generet aqua, ideò ad Spiritus generationem ineptè adhibetur; quæ ratio, regenerationem tribuit baptismo? Et si in baptismo aqua ipsa rectè: cur hic malè nomen aquæ: & quidem per metaphoram? Nam alibi baptizari dicitur Spiritu & igne. Vbi si proprietatem ignis attenderis, ineptè coniungi dixeris ignem verbo baptizandi. Quod nemo tamen dixit, propter metaphoram videlicet, similem huic nostræ.

XXVIII. Sextum argumentum: Omnes Scriptores hactenus hunc locum intellexerunt de baptismo.

XXIX. Concedo, inquam: quemadmodum omnes illum panem qui tam sæpe nominatur Ioannis 6. intellexerunt de Eucharistia: vbi tamen & nos negamus de Eucharistia agi propriè: & ipsi Papistæ saltem concedunt non per totum: quod nunc sufficit. Et ratio non fuit longè petenda: quia etsi non de externo Sacramento; tamen agatur de interno Sacramenti effecto: de gratia, inquam, illa, cui significandæ additum fuit elementum aquæ. Quemadmodum ergo non sequitur Ioannis 6. panem non nominari metaphoricè; sic ne hîc quidem aquam.

XXX. Hæc fuere argumenta Bellarmino. A Maldonato erit septimum, ab absurdo: quia sequeretur non esse baptizandos infantes. Ratio; quia non possit aliunde probari. Nam cùm Christus dixit Matthæi 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* de infantibus non egit; sed iis qui priùs docti.

XXXI. Respondeo; nullam esse rationem consequentiæ: Si hîc aqua non sit elementum Sacramentale; Ergo non baptizandos infantes. Tam profectò, quàm nón baptizandas fœminas. Sed ira sic solet impedire animum, ne possit cernere verum. At non potest aliunde probari. Imò, inquam, Papistis persuasum, nullo Scripturæ loco posse probari: vnde nobis disputatio fuit necessaria tomo primo harum controuersiarum, libri noni capite decimo. Vide Papistarum prudentiam. Tunc nusquam poterat ex Scriptura probari. Nunc modestiùs, non aliunde quàm ex hoc loco. Sic sibi constant! Sed vtrumque falsum. Nam de Pœdobaptismo, cùm Caluinus prolixè disputauit, Institutionis lib. 4. c. 16. tum alij alibi; multis citatis Scripturæ locis.

XXXII. Præterea, quid tum si non posset aliunde? An sequeretur aquæ nomen non vsurpari metaphoricôs? Nos quidem negamus. Et verò inter alios locos, hunc ipsum Caluinus non omisit, cùm disputaret de Pædobaptismo: nec eo minùs tropum asseruit. Nempe Papistæ, ignorant quæ sit argumentandi ratio à re significata ad signum, quam tamen discere poterant à Petro, Actorum decimo.

XXXIII. Videamus nunc, qua iudicij seueritate refellant; vel potiùs bilis acrimonia insectentur Caluini argumenta, Maldonatus & Stapletonus. Primum est ab instituto Christi, *Hoc enim*, inquit, *fuisset intempestiuum. Tenendum enim semper memoria est consilium Christi, quod antè exposuimus: nempe, quòd Nicodemum hortari voluit ad vitæ nouitatem, quia Euangelij capax non erat, donec alius homo esse inciperet. Est igitur vna & simplex sententia, Nos de integro nasci oportere, vt filij Dei simus: atq; huius secundæ geniture Spiritum Sanctum esse autorem. Nam cum Nicodemus Pythagoricam palingenesiam somniaret, Christus vt hunc illi errorem eximeret, interpretationis vice addidit, non fieri naturaliter vt secundò nascantur homines, nec opus esse, vt alterum corpus inducant: sed nasci, cùm mente & animo renouantur per Spiritus gratiam. Ideo Spiritum & aquam pro eodem posuit.*

XXXIV. Hoc argumentum non confutat Stapletonus: sed carpit duntaxat illud de Pythagorica palingenesia: & de renouatione vitæ. Illam imaginariam esse, neque Nicodemo, aut cuiquam Iudæo creditam: neque de nouo corpore assumendo quæsitum fuisse, sed de eodem, iam suo à matre iterum sua progenerando. Neque Christum de ipsa vitæ nouitate solùm renouationeque necessaria informasse Nicodemum: sed de huius exordio, atque adeò ipsa regeneratione. Discrimen esse: quia regeneremur semel, *renouemur de die in diem*: per regenerationem in statum filiorum adoptionis inducamur: per renouationem opera & actiones filiorum Dei proferamus, & in nouitate vitæ ambulemus: per regenerationem Christum induamus: per renouationem imagini eius conformes efficiamur.

XXXV. Verùm vident omnes, hæc non attingere vim argumenti: sed vitilitigationes esse inanes, eorum quibus πάρεργα sunt ἀντὶ τῶν ἔργων. Itaque poterant omitti. Nam profectò nihil aliud Caluinus voluit, quàm id ipsum, quod Stapletonus in his obseruatiunculis: tantùm vocabulis vsus aliis. Pythagoricam palingenesiam non putauit aut creditam, aut etiam cognitam Nicodemo: sed ita stoliditatem traducere libuit hominis; qui tam procul discedens à spirituali mysterio, magis accedebat ad fabulosam illam deliberationem. Quòd si cui nomen displicet; mutato sanè: Neminem propterea nostrum molestum timeto. Regenerationem nullam esse renouationem, non disputat Sophista; nec nos dicimus, omnem renouationem esse regenerationem: sed regenerationem esse propriè initium renouationis, ac proinde semel fieri: renouationem verò perpetuari, atque etiam argeri. Sed qui nunquam genus audiuit positum pro specie, indignari poterit renouationem dictam pro regeneratione: cui verò nota erit metonymia, ridebit tam leuiculam iræ exornandæ captatam occasionem.

XXXVI. Maldonatus; etsi non minùs iracundus, tamen minùs λεπτόλογος. Bella est ratio Caluini, non agi de Baptismo, quia agatur de vitæ renouatione. Quasi verò vitæ renouatio alia re quàm baptismo fiat: & non dicat Paulus Christum Ecclesiam mundasse per lauacrum regenerationis: ad hunc locum nimirum alludens. Vnde enim in mentem illi venisset, vt baptismum lauacrum regenerationis appellaret, nisi intellexisset hoc loco Christum de regeneratione, quæ per baptismum fit, loquutum esse?

XXXVII. Enimverò magis bella scilicet illa Papistarum ratio est; agi de baptismo, quia agatur de vitæ renouatione: quæ non alia re fiat magis quàm baptismo. Videlicet perinde illis est argumentatio à genere ad speciem positiuè; vt à specie ad genus. Et sic illis quicunque Sophistas nominabit, non nisi Iesuitas intelliget, quibus nemo fuit vnquam magis sophista. Sed illis liceat fortè σοφοφρονεῖν. nos magis deceat σωφρονεῖν. Nego igitur eiusmodi visum esse argumentum Caluino. Is enim, non ab eo disputat, quod docetur: sed à modo potius docendi. Itaque intempestiuum dixit de baptismo loqui: vtpote nondum aut cognito, aut etiam cognitu facili huic Iudæo. Vnde propostera fuisset eius docendi ratio, ab ignotis.

XXXVIII. Quid tum autem, si Paulus hinc cognouerit quod esset lauacrum regenerationis? Nam profectò etiam nos agnoscimus hoc loco agi de regeneratione, quæ fit per baptismum. Sed tu Maldonate, debebas didicisse à Lombardo, aliud esse agere de baptismo, aliud de regeneratione quæ fit per baptismum. Et à nobis, baptismum postulare aquam elementarem, at regenerationi satis esse aquam metaphoricam. Sed hi tam sunt omnium rerum periti, vt neque à suis, nedum à nobis dignentur quicquam discere. Quin ipsum potius filium Dei doceant, & quid dicat, & quomodo.

XXXIX. Caluinus addebat: Aquam & Spiritum pro eodem poni, non esse durum aut coactum. Frequentem esse loquendi morem in Scriptura, ad exprimendam vim Spiritus; aquæ, vel ignis nomen adiungi: vt cùm dictum, Christum esse qui baptizet Spiritu Sancto & igni: nam hîc ignem nihil à Spiritu diuersum denotare: sed tantùm qualis eius sit efficacia ostendere. Et certè vtroque igni, inquam, & aqua, bene denotari vim Spiritus ille non dubitabit, qui aduerterit quod est apud Plutarchum initio problematum Romanorum: τὸ πῦρ καθαίρει, καὶ τὸ ὕδωρ ἁγνίζει. *Ignis purgat: aqua purificat.*

XL. Stapletonus; primùm notat, non probari de aqua, quod debuit: sed de igne; non ad rem: secundò de igne, semel dictum, non frequenter. tertiò notant Maldonatus, Stapletonus, Bellarminus: ignem dictum materialem, non metaphoricum: nimirum illum in linguis, quæ distributæ sunt Apostolis in Pentecoste.

XLI. Sed duæ primæ commentationes, ad λεπτολογίαν pertinent. Caluinus non vocem aquæ attendebat, sed phrasin, quum per ἐπεξήγησιν idem bis dicatur variatis vocabulis, & plerunque per tropum. Cuiusmodi multas esse in Scriptura, præsertim veteris testamenti, in quo oportuit Nicodemum esse exercitatissimum, nemo negat: & si quis neget, infinitis obrui potest exemplis. De igne autem: quod tum si semel tantum sit eo modo loquutus Baptistes? Id verò plus quàm satis est: vt vt Caluinum lapsum esse concedamus in numerando.

XLII. At ignis symbolum est Spiritus Sancti in die Pentecostes. Imò hoc fieri non potest. Nam Ioannes tradit generalem doctrinam; non particularem aliquem effectum Christi. Itaque dixit, non indefinitè, baptizabit Spiritu, & igne: sed definitiùs, *baptizabit vos*, Matthæi 3. At illud in Pentecoste nunquam iteratum: nunquam communicatum nisi paucis admodum tunc præsentibus. Barradius. *Ioannes de omnibus loquitur: non sunt autem omnes igne illo baptizati.* Itaque Chrysostomus metaphoram agnoscit, & explicat; homilia 11. in Matthæum. αὐτῇ τῇ μεταφορᾷ τῆς λέξεως τὸ δαψιλὲς

τῆς

τῆς χάριτος ἐμφαίνων. *Ipsa translatione sermonis exprimens gratiæ largitatem: non enim dixit dabit vobis Spiritum sanctum sed baptizabit vos Spiritu sancto: καὶ τῇ ἐπεξηγήσει τοῦ πυρός, πάλιν τὸ σφοδρὸν καὶ ἀκώλυτον τῆς χάριτος σύμβολον. Et addita explicatione, per epexegesin ignis, rursus gratiæ vehementia expressit & vim quæ cohiberi nequeat.* Toletus in Lucæ 3. *Quinta sententia est, hunc ignem esse eundem Spiritum Sanctum quatenus non solum sanctificat, sed purgat animam à sordibus, & flammatq; charitate, & illustrat hominum mentes.* Autores addit Euthymium, Druthmarum, Cyrillum Alexandrinum, Hieronymum, Leonem. Similiter Stella in Lucæ 3. *Ignem nō sumit pro igne materiali, sed pro igne intelligit Spiritum Sanctum, qui mētem inflammat: ficq; coniunctio ET tenetur expositiue.* Barradius tomi 2. lib. 1. c. 6. *Christus Spiritus & flammis ardente aqua, plurimumq; efficacitatis habente vos baptizabit Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto, & igni eiusdem Spiritus id est, baptizabit vos Spiritu Sancto qui ignis est.* Iansenius Concordiæ c. 13. *Per ignem hic intelligitur ipse Spiritus Sanctus. Ignis enim recte dicitur propter vim & efficaciam ipsius.* Imo sic opus est ab omnibus intelligi, quibus pro certo est comparari Baptismum Ioannis Baptismo Christi. Nam certe ignis ille Pentecostes, non fuit in Baptismo. Nihil ergo Caluino peccatum.

XLIII. Tertium erat argumentum. Non esse insolens copulam exegetice sumi, cum scilicet posterius membrum, explicatio est prioris.

XLIV. Stapletonus. Iuxta has Caluini regulas, quicquid in Scripturis coniunctiue profertur, non rerum diuersarum enuntiatio, sed rei eiusdem explicatio erit; quoties ita rem accipere contra totius Ecclesiæ iudicium, & omnium Patrum consensum cuicunque libeat.

XLV. Impudens calumnia. Nam Caluinus hoc loco nullam aut firmauit, aut indicauit regulam generalem. Quis enim illud, *Non est insolens* interpretatus est vnquam, ac si dictum: semper ita fit; imo, nunquam aliter faciendum An potius præ iræ impotentia non erat apud se Sophista? Itaque Caluinus hoc tantum voluit; non insistere se viam aliquam nouam, & nūquam visitatam. Breuiter idem dixit quod Stella, imo, quod ante Stellam Chrysostomus, Copulam, *Et* explicatiue ἐπεξηγητικῶς sumi. Quod multis locis fieri, expecto dum ausit negare Sophista.

XLVI. Postremum Caluini argumentum: contextum etiam suffragari. Nam cum mox rationem Christus subiicit, cur nos renasci oporteat, præterita aquæ mentione, solo Spiritu quam exigit vitæ nouitatem constare docet.

XLVII. Stapletonus. Eodem, inquit, argumento baptismum in vniuersum explodere licebit; ex ipso contextu verborum Christi: quia cum prius dixisset, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salus erit*; postea, præterita Baptismi mentione, dixit, *Qui non crediderit, condemnabitur:* vnde sequitur fidem & Baptismum, pro eodem accipi oportere.

XLVIII. Agnoscin' perpetuum cæcutientis iræ impetum? Nam quid est baptismum explodere? Aut quis ita loquutus, præter virulentum calumniatorem? Sciebat Caluinus, non omnium locorum eandem esse rationem: & huic loco ea opponi absurda, quæ caueri nequeant, nisi aqua metaphorice exponatur, ac per ἐξήγησιν. Si eadem, aut similia opponantur alteri, non dubium, quin simile futurum sit iudicium. Sed non sunt pares. Nam alter affirmatiuus est, quem non labefactat vlla instantia: alter negatiuus, ac proinde reciprocus. Itaque nullum incommodum est; cùm dicitur, *Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit:* neque vllum esset si dictum; si quis regenitus fuerit ex aqua & Spiritu ingredietur regnum Dei. Potuit igitur in tanta dissimilitudine Caluinus non veteri incommoda Stapletonicarum consequentiarum: & deferre argumento, vt non per se demonstratiuo, at certè εἰκαστικῷ, nec cùm aliis collato, inutili.

XLIX. Caluino quidem videbatur ea potior esse solutio: non neglecta tamen alia, cui videtur potius acquieuisse Bucerus, & Aretius. Nam istis visum aquam intelligendam κατ' ὀνομασίαν Sacramentalem: itaque propriè de Baptismo Saluatorem esse loquutum. Hi respondent distinguendum signum à re significata: & vtrumque censendum seorsim. Spiritum quidem absolutè necessarium; sine quo nulla sit regeneratio. Aſt aquam κατὰ μέτωνυμίαν, nimirum; vt in Eucharistia; de qua dictum, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in nobis.* Vbi etsi panis & vini nomina non audiantur, tamen audiuntur verba manducandi, & bibendi, quæ alludunt ad ritum Sacramentalem. Et tamen, constituta necessitate rei significatæ, non statuitur necessitas ritus Sacramentalis.

L. Hanc solutum per me quidem qui potest capere, capiat: ego me nego consequi posse: siue ea rei culpa est, siue tarditatis meæ. Neque verò locos similes esse possum concipere. Nam in comedenda carne Christi, & bibendo sanguine; tam manifesta metaphora est, quàm in renascendo per Spiritum: itaque: respondent renasci, & manducare, bibereque: item Spiritus, & caro & sanguis: sed si aquam sumas Sacramentaliter; nihil est quod ei respondeat. Viderint ergo, qui sibi eam partem selegerunt. Ego præstare non possum.

LI. Pergo ad alia Papistarum argumenta. Quartum ergo ex Suare & Feuardentio; sumptum ab originis peccato: omni nato in peccato originali, & ideo filio iræ, necessarius est ad salutem Baptismus fluminis. Aſt omnis homo, etiam infans, natus est in peccato originali, & filius iræ. Ergo omni homini etiam infanti, necessarius est ad salutem baptismus fluminis. Probatur maior à Suare, quia quicunque sic natus, indigeat aliquo remedio, quo & ab illo peccato liberetur, & Christo liberatori suo vniatur: in lege autem noua hoc medium à Christo institutum, Baptismus sit. Item ex euentu. Quia in omni lege fuerit necessarium aliquod Sacramentum fidei, ad hunc effectum, in vno quoque statu tempori accommodatum. Feuardentius maiore neglecta, totus est in probanda minore, tum ex consensu, atque adeo professione nostra, tum aliquot argumentis.

LII. Respondeo, minorem esse prorsus extra controuersiam; itaque superfluè demonstrari à Feuardentio; aut alio quoquam aduersum nos disputante. Contra Pelagianos ita oportuit: nam aduersum nos si malint, certè oderunt gratis. Nam Pelagianos odimus cane peius & angue. Viderint Papistæ, an nihil illis affines sint, qui alij infantibus beatitatis aliquod genus audent polliceri post hanc vitam, quantumuis reis originalis labis: alij saltem non pœnas æternæ damnationis; vnde nobis aliàs disputatio fuit.

LIII. Negamus ergo maiorem. Nam si omnino talibus necessarius Baptismus est; Ergo absque eo nullus eriperetur à damnatione. Aſt hoc falsum: quia & ante institutum Baptismum plurimi: & post institutum, non pauci: saltem profitentibus aduersariis, per Baptismum flaminis, & sanguinis. Ergo prius falsum.

LIV. In probatione prima, conceditur necessarium esse aliquod remedium aduersus originale peccatum. Conceditur Baptismus esse institutus ad remedium contra id peccatum. Sed inde qui concludat, Ergo necessarium esse Baptismum, is nihil nisi magnas nugas ageret; concludens affirmatiuè in secunda figura. Enim baptismus, neque solum, neque præcipuum est remedium; sed duntaxat Sacramentale, id est externum: ac proinde non absolutè necessarium: cuius abstentia non aufert necessariò gratiam Dei in qua verum est, & proprium, & vniuersale remedium.

LV. In altera: falsum est in vnaquaque lege institutum fuisse aliquod signum externum, siue Sacramentale, sine quo peccatum originis nunquam dimitteretur. Nam in lege quam dicunt naturæ nullum ostendere potuerunt Sophistæ: sed tantum diuinarunt, ex euentu in lege Mosaica, Christianâque: quodnam autem fuerit, adhuc sunt in quærendo. Ne in lege quidem Mosaica probatur absoluta necessitas: imò refutabitur suo loco, ex infantibus denatis ante octauum diem: & non circuncisis etiam adultis in deserto.

LVI. Quintum argumentum ex Alfonso de Castro. Nullus potest, neque vnquam potuit assequi gratiam, nisi præueniente aliquo bono animæ affectu proprio, aut alieno, aut per viam Sacramenti, aut ex priuilegio aliquo particulari. At paruuli ante baptismum mortui, siue in vteris, siue pòst, nullo istorum modorum iuxta legem communem à Deo datam, potuerunt habere gratiam. Ergo sine illa saluari non potuerunt. Probat assumptum à remotione partium. Non per Sacramenta: quia sine præeunte baptismo, nullum Sacramentum conferri potest. Non per proprium motum, quia sint vsus rationis penitus expertes. Non per merita aliorum, ne parentum quidem: quia nullus purus homo possit alteri mereri primam gratiam, sine illius aliquo voluntatis motu. Quare, nullum, inquit, est medium, per quod paruuli sine baptismo morientes possint assequi gratiam, & per consequens vitam æternam.

LVII. Respondeo: maiorem propositionem esse falsissimam, & contra disertissimam Scripturam. Quæ docet nos, gratiam esse eam qua dilexit nos Deus; ad Ephesios 2. *Deus diues in misericordia, propter multam caritatem suam qua dilexit nos.* Est autem misericordia, caritas, dilectio Dei, æterna: quia sunt eiusdem voluntas, siue eius voluntatis actiones immanentes: itaque nunquam mutabiles. Quòd si æterna sit gratia, ergo necessariò præcurrit omnem bonum voluntatis motum, siue proprium, siue alienum: omne etiam Sacramentum: ac proinde per ea media non potest obtineri. Propterea Paulus ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso πρὸ καταβολῆς κόσμου, antequam iacerentur fundamenta mundi*; id est, ab æterno. Quare dicendum potius, aut nunquam obtineri gratiam, aut obtineri absque his mediis. Vnde consequens, non esse impossibile, aliquem seruari, absquè iisdem mediis.

LVIII. Præterea argumentum non concludit vniuersam thesin: sed tantùm spectat ad infantes: reliquit ergo integram, quæ pertinet ad adultos; in quibus dari possunt saltem boni voluntatis motus, non ij quidem causa gratiæ; sed tamen præcedentes Sacramenta; vt in Cornelio centurione. Hæc autem vna sufficit exceptio aduersus hanc de qua disputamus Sacramenti necessitatem. Atqui hos bonos motus præcedit gratia, quam propterea præuenientem indigetarunt Theologi. Altenstaig, *Dicitur enim gratia præueniens, inquantum ipsam voluntatem facit bonam, & ideo præuenit, quia non est à libero arbitrio, sed potiùs infunditur ab ipso Deo.*

LIX. Sextum argumentum est ab autoritate Ecclesiæ: sed variè. Primum hoc esto ex Alphonso de Castro. Quia semper definitum, infantibus administrandum esse Baptismum. At nunquam, inquit, fuisset factum, si putatum esset eos sine Baptismo saluari posse. Quoniam melius tunc fuisset differre vsque ad adolescentiam, vt suo arbitrio, non ex alieno, suoque ore fidem confiterentur, non alieno.

LX. Respondeo argumenti vim nullam esse. Nam nos ipsi, qui huiusmodi necessitatem negamus, tamen contendimus, & solidè disputamus infantes esse baptizandos. Negamus itaque consultius fore expectari adolescentiam: quia nostrum non est denegare signum aquæ, iis ad quos iure pertinet promissio, cuius gratia illud est institutum. Neque enim ipsi sumus Sacramentorum institutores; neque institutionem liberam habemus vel obseruare, vel violare. Vno denique verbo; quomodo definitum est, nemini adulto denegandum esse Baptisma: & tamen non præscriptum, neminem absque eo saluari: sic, etsi constitutum infantes baptizandos esse, tamen nullum debuit diuinæ maiestati præiudicium fieri, quominus etiam sine Baptismo seruare possit infantes.

LXI. Alterum ita est, apud eundem Alfonsum. Nunquam hactenus Ecclesia pro paruulis sine Baptismo decedentibus orauit, neque pro illis vllas fecit oblationes, neque illos ad Ecclesiasticam admisit sepulturam. Ergo infantibus necessarius est Baptismus ad salutem. Ratio consequentiæ. Quicunque saluantur pertinent ad Ecclesiam. At non baptizati, non pertinent ad Ecclesiam. Ergo non saluantur. Assumptum patet; quia nunquam pro infantibus omisisset Ecclesia precari, si illos ad se pertinere credidisset.

LXII. Respondeo, posse de antecedente disputari. Certè enim nulla prohibitione constant, quæ in eo tanquam certa ponuntur. Deinde eadem ad superstitionem pertinent ad inductam in Ecclesiam, nullo legitimo principio; sed mero pruritu humanæ prudentiæ. Veruntamen, disputandi de iis alius locus esto. Nunc nego consequentiam. Hæc enim de necessitate quæstio, non est iudicanda ex Ecclesiæ ordine, aut constitutionibus: sed ex misericordia diuina: quæ se ipsam addixit nunquam ei ordini, quem hominibus præscriptum voluit.

LXIII. Quicunque saluentur pertinere ad Ecclesiam, ambiguè dictum. Nam Ecclesiæ consideratur vnitas, vel ordo. Pertinent ad Ecclesiæ vnitatem, omnia membra Christi: nam Ecclesia est corpus Christi. Pertinent ad ecclesiæ ordinem, ij quibus per hominum ministerium Deus vult salutem communicare: ac proinde quos oportet in externa Ecclesiæ societate viuere. Priore illo sensu concedimus omnes seruandos pertinere ad Ecclesiam; At posteriore, negamus. Et sanè videntur non ausi penitus negare

aduerſarij. Nam Alfonſus, *Nullus poteſt, neq; vnquam potuit aſſequi gratiam, niſi præueniente aliquo bono ab anima affectu proprio, aut alieno, aut per viam Sacramenti, niſi cui fortè ex priuilegio aliquo particulari, Deus abſq; his tribus, miſericorditer concedere voluit: ſicut fuit Ioannes Baptiſta, & Hieremias, & alij ſimiles in ventre matris ſanctificati.* Vbi vides exceptos aliquos ab ordine, per peculiarem miſericordiam. Quid ergo ſunt importuni?

LXIV. Poſtremò, multi ſunt in recitandis tum publicis decretis, tum priuatis χρείαις veterum; vnde conſtet traditum, infantes perire ſi abſque Baptiſmo de hac vita decedant. Sic in Concilio Carthaginenſi & Mileuitano apud Auguſtinum Epiſt 90. & 92. Sic in Decretalibus Romaniſtarum Pontificum Syricij prima; Innocentij primi 26. Leonis primi 80. Sic in reliquis Patribus. Irenæo, libri 3. c. 19. Origene, in 6. ad Romanos. Nazianzeno Oratione 40. Baſilio, 13 Cypriano, Epiſt. 59. Ambroſio libro 2. contra Pelagianos. Auguſtino, 1. de peccatorum meritis & remiſſione c. 16. 23. 24. & 27. Item Epiſtola 20. & 28. & lib. 2. de Origine animæ c. 2. & lib. 3. c. 9. Proſpero, 2. de Vocatione Gentium c. 8. Fulgentio, de fide ad Petrum c. 30. Bernardo, ſermone 66. in Cantica. Petro Cluniacenſi contra Petrobruſianos.

LXV. Reſpondeo: primùm horum locorum nonnullos induci præter rationem. Certè Concilium illud Carthaginenſe apud Auguſtinum Epiſtola 90. tantùm definiit; *Quicunque neget paruulos per Baptiſmum Chriſti à perditione liberari & ſalutem percipere ſempiternam, anathema ſit.* At quis non videt, quàm ſit hoc longè ab inſtituto noſtro? multumque differre eum qui dicat conſtare ſalutem baptizato; ab eo qui neget conſtare niſi baptizato? Apud Irenæum legi, *Corpora noſtra per lauacrum illud, quod eſt ad incorruptionem, vnitatem acceperunt; animæ autem per Spiritum:* & inde ſcio Feuardentium, religioſi ſcilicet ingenij virum, obſeruaſſe neceſſitatem Baptiſmi: ſed ego me Dauum profiteor, non Oedipum: certè obtuſiorem, quàm vt videam vim ſophiſmatis. Quanquam in ipſo Irenæo velim mihi explicari, quid ſit, *corpus accipere vnitatem*: non enim potis ſum concoquere: etſi videam diſparare vim aquæ, à vi Spiritus. In Origene, quid huc pertineat velim conſtantius indicari; nam ego quidem obſeruare non potui, viderint alij.

LXVI. In reliquis plus ſpeciei. Et ſcimus ſanè multa paſſim legi de neceſſitate Baptiſmi; quæ videantur, non quamlibet, ſed præciſam deſignare. Certè Ambroſius vix veniam obtinebit vel apud Papiſtas iudices: qui non hoc tantùm, *Nemo aſcendit in regnum cœlorum, niſi per Sacramentum Baptiſmatis:* ſed etiam rotundè, *Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei. Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum neceſſitate:* Cum tamen nemo ſit Papiſtarum, qui non exceptiones admittat, & quidem illam communem neceſſitatis. Quid? quod ſubiicit, *Habeant tamen illam opertam pœnarum immunitatem: neſcio an habeant regni honorem?* Cui ſimilis Nazianzenus, eos qui οὐδὲ εἰσιν ἐν δυνάμει τοῦ δέξασθαι ἢ διὰ νηπιότητα τυχὸν, ἤ τινα τελέως ἀκούσιον περίστασιν, ἐξ ἧς οὐδὲ βουλομένοις αὐτοῖς ὑπάρχει τυχεῖν τοῦ χαρίσματος: *ne accipere quidem poſſunt, vel propter infantiam fortaſſe, vel inopinatum prorſus & violentum aliquem caſum, quo efficitur, vt ne cupientibus quidem gratia potiri liceat:* hos, inquam, Nazianzenus denuntiat, μήτε δοξασθήσεσθαι, μήτε κολασθήσεσθαι περὶ τοῦ δικαίου κριτοῦ, *nec cœleſti gloria, nec ſupplicijs à cœleſti iudice affectum iri.* Quæ neque tolerabilia ſunt iis apud quos nullus medius ſtatus eſt inter regnum cœlorum, & ſupplicia: neque excuſabilia, quibus exceptiones ſunt flaminis, & ſanguinis ſaltem.

LXVII. Quòd ſi iſta tam præciſa; iſta tam durè dicta; tamen exceptionem admittunt, alia certè molliora, non poterunt excludere. Et quæ contra Pelagium diſputata ſunt maximè, ab Auguſtino, Auguſtinumque ſequutis: quibus propriè non de Baptiſmi elemento controuerſia erat, ſed de gratia diuina, quam hæretici negabant eſſe aduerſum peccata neceſſariam, quæ ipſa funditus tollebant ab infantibus, aduerſum quos erat à Baptiſmo argumentum potentiſſimum.

CAP. X.

Contra Baptiſmi neceſſitatem præciſam argumenta Catholica.

I. Contrà Catholici diſputant nudam priuationem elementi neminem arcere à ſalute æterna, ſiue regno cœlorum. Primò. Si nemo ſeruandus eſſet non baptizatus: Ergo ſine Baptiſmo gratia vel nulla eſſet, vel non efficax. At conſequens vtrumque falſum: Ergo & antecedens. Conſequentia per ſe patet.

II. Conſequentis pars prior impugnatur rationibus certis. Ratio prima. Quorumcunque eſt regnum cœlorum: eos gratiam habere neceſſe eſt. At quorundam non baptizatorum eſt regnum cœlorum: Ergo quidam non baptizati habent gratiam. Maior patet: quia omnes naſcimur filij iræ: inde damnationis rei. Itaque nullius poteſt eſſe regnum cœlorum abſque gratia. Quanquam hanc partem non oportet nunc diſputari, omnino certam, cùm apud Catholicos, tum apud Papiſtas. Minor probatur Chriſti autoritate. Matthæi 19. *Tunc oblati ſunt ei pueruli, vt manus eis imponeret, & precaretur; diſcipuli autem obiurgarunt eos. Ieſus autem ait, Sinite pueros, & ne prohibete eos ad me venire: talium eſt enim regnum cœlorum. Et cùm impoſuiſſet eis manus, profectus eſt illinc.*

III. Reſpondet Gregorius de Valentia; addendam conditionem, ſi regenerentur in Chriſto.

IV. Imò, inquam, non ſi regenerentur, ſed ſi ſint regeniti. Illo ſignificatur aliquod non tam futurum, quàm incertum: iſto autem diſcrimen inter infantes: quorum qui non ſunt in Chriſto regenit, ad Chriſtum non pertinent, neque ad eos regnum cœlorum: alij verò ſunt per gratiam regeniti. Sed non eſt tamen, quòd de vocularum momento pertinaciter digladiemur: nam etiam illud *ſi regenerentur*, poteſt commodè exponi. Concedamus ergo neceſſariò ſupponendam regenerationem. Sed eos quorum ſit regnum cœlorum, nondum eſſe regenitos; aut nullos eſſe regenitos, niſi baptizatos, prorſus abſurdum: quod poſtea videbimus. Interea conſtat, aliquorum eſſe regnum cœlorum, qui tamen non ſint baptizati. Atqui hæc phraſis, plenum ius deſignat futuræ poſſeſſionis: quod abſque ſuppoſita gratia ne cogitari quidem poteſt. Nam ad Rom. 6. τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ, *Donum Dei*, vt vertit Beza; ſiue *Gratia Dei*, vt vulgata editio: nos poſſumus, *Donum Dei gratuitum, vita æterna.*

V. Ratio ſecunda. Si nemo habet gratiam ante Baptiſmum: Ergo ante Baptiſmum nemo amatur: At falſum poſterius: Ergo & prius. Conſequentia patet: quia amor Dei non eſt à natura: quandoquidem omnes ſumus filij iræ. Itaque à gratia. Probatur aſſumptum: ad Roman. 9. *Nondum natis pueris, quum nihil feciſſent boni vel mali, vt propoſitum Dei, quod eſt ſecundum electionem, id eſt, non ex operibus ſed ex vocante firmum maneret, dictum eſt ei, Maior ſeruiet minori: ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau verò odio habui.* Vides Iacobum fuiſſe dilectum ante Baptiſmum, imò ante Circunciſionem.

VI. Quòd ſi dilectus: Ergo reconciliatus: ſi reconciliatus, ergo in gratia. Nam ſi non in gratia; ergo in ira, ſiue odio, ſi in ira; ergo non reconciliatus, ergo non dilectus. Cùm igitur non poſſit eſſe dilectus, ſine gratia: profectò neceſſe eſt eſſe in gratia, quicunque dilectus. Ad Rom. 5. *Si quum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis conciliati ſeruabimur per mortem ipſius.*

VII. Ratio tertia. Si nullus habet gratiam ante Baptiſmum: Ergo cùm baptizatus obtinet gratiam, hæc de nouo incipit, quæ nuſquam fuit. Atqui hoc abſurdum: Ergo & illud. Conſequentia manifeſta. Aſſumptio autem probatur: quia gratia Dei eſt amor, quo Deus amat peccatorem. Aſt amor Dei, eſt voluntas Dei. Quare ſi gratia tunc recens incipit, etiam amor Dei, ac proinde voluntas. At voluntas Dei, eſt actus immanens, quare in ipſo Deo aliquid recens eſſe inciperet, quod nunquam antea fuiſſet, & ſic Deus eſſet mutabilis. Quod directè eſt contra naturam Dei. Iacobi 1. παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγή, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα: *apud Deum non eſt tranſmutatio, aut conuerſionis obumbratio.*

VIII. Ratio quarta. Quicunque ſanctificatur obtinet gratiam. Aſt aliquis ſanctificatur ante Baptiſmum: Ergo aliquis ante Baptiſmum gratiam obtinet. Maior non eget probatione, vel apud Papiſtas. Minor non poteſt negari; quoniam ſunt exempla in promptu. Primò, Hieremiæ, & Ioannis Baptiſtæ, quos fatentur Papiſtæ in vtero matris fuiſſe ſanctificatos. Et habuerunt è Scriptura. Nam Hierem. 1. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua ſanctificaui te.* Lucæ 1. *Et Spiritu ſancto implebitur etiam ab vtero matris ſua.*

IX. Addimus nos Samſonem, de quo illud eſt, Iudicum 13 *Paries filium: & nouacula non aſcendet ſuper caput eius, quia Neziræus Dei erit puer ab vtero.* Nam etſi Nazarei votum erat ceremonia quædam apud Iudæos tamen diſtinguendum inter ſuſceptam ab hominibus, & impoſitam à Deo. Illa enim potuit abſque efficacia eſſe intrinſeca, ſed hæc non potuit. Addimus Dauidem. Pſalmo 71. *In te ſuſtentatus ſum ab vtero: è viſceribus matris meæ tu eductor meus.* Denique addimus Paulum ad Galat. 1. *Deus ſeparauit me ab vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam.*

X. Scio Hieremiam, & Ioannem à Papiſtis proponi tanquam eximios; & ex priuilegio, ſed nego habere ex vllis Scripturis. Nam etſi de iis peculiariter aſſertum; tamē non ideo priuilegium eſt. Nam & de Iacobo peculiariter dictum, fuiſſe dilectum Deo, antequam natus eſſet, quod tamen Paulus propoſuit tanquam argumentum probandæ vniuerſali doctrinæ, & pertinentis ad omnes prædeſtinatos. Tum autem hæc oporteret eſſe ſola exempla. Quod falſum.

XI. Rurſus exemplum eſt manifeſtum Cornelij Centurionis, & qui erant cum eo. Nam Actorum decimo dicitur Spiritus Sanctus in eos deſcendiſſe antequam acciperent Baptiſma, atque adeò Petrus inde ſumpſiſſe argumentum non differendi Sacramenti, *Adhuc loquente Petro illapſus eſt Spiritus Sanctus in omnes qui audiebant.* Et pòſt, *Num quis aquam prohibere poteſt, quominus baptizentur iſti, qui Spiritum Sanctum acceperunt ſicut & nos?* Quanquam altiùs licet aſcendere. Nam ante hoc momentum Cornelius erat *pius ac timens Deum, cum tota domo ſua; & præſtans eleemoſynas multas populo*; & aſſiduè precabatur Deum. Quod ſanè fieri non potuit niſi præueniente eum gratia Dei; vnde initium eſt omnis boni motus in homine. Quid? quòd ad eum pertinent, & eius gratia dictum fuit, *Quæ Deus purgauit, tu ne polluito*, id eſt, pollutum dicito?

XII. Hæc iam exempla non poſſunt eſſe nihili, quibus quis dubitet alia poſſe ſuperinduci? Nam & Catechumenos iam erubeſcunt aduerſarij negare, ita proficere poſſe, vt poſſint ſalutem obtinere ſi contingat præter ſpem priuari Baptiſmo. Certè Arnobium notant adhuc Catechumenum vehementes illos ſcripſiſſe libros, quibus ſe probaret Eccleſiæ, nonnihil ſuſpicanti. Sed & Auguſtinus ſe nondum baptizatum, & reliquiſſe quæ adeptus fuerat in cupiditatibus huius mundi, vel quæ adipiſci volebat; & contuliſſe ſe ad Chriſtianæ vitæ otium; nec ſcripſiſſe nulla, etiam hodie pietatem ſpirantia. Capite 1. libri 1. Retractationum. Sed & in Confeſſionibus expreſſit quos pios motus à Spiritu ſentiret in ſe excitatos; nondum initiatus.

XIII. Atque ita conſtat veritas membri prioris. Poſterius non demonſtrandum inter non inſanos. Dixit Innocentius tertius in Pſalmum 4. Pœnitential. *Fidemq; adultis ſine Sacramento proficere vbi Sacramentum non religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit: Sacramentum verò Baptiſmi ſine fide adultis non valere.* Sed dixit prior & ſolidior Auguſtinus ſuper Leuiticum quæſt: 84. *Quomodo & Moyſes ſanctificat, & Dominus? Non enim Moyſes pro Domino: Sed Moyſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum: Dominus autem inuiſibili gratia per Spiritum Sanctum, vbi eſt totus fructus etiam viſibilium Sacramentorum. Nam ſine iſta ſanctificatione inuiſibilis gratiæ viſibilia Sacramenta quid proſunt. Meritò autem quæritur, vtrùm iſta inuiſibilis ſanctificatio ſine viſibilibus Sacramentis, quibus viſibiliter homo ſanctificatur, pariter nihil proſit, quod vtiq; abſurdum eſt. Tolerabilius enim quiſque dixerit, ſine illis iſtam non eſſe, quàm ſi fuerit non prodeſſe, cùm iſta ſit omnis vtilitas illorum.* Et paulo pòſt, cùm exempla collegiſſet Moyſis, Baptiſtæ, Latronis, *Proinde colligitur, inuiſibilem ſanctificationem quibuſdam affuiſſe, atq; profuiſſe ſine viſibilibus Sacramentis.*

XIV. Sic conſtat omnibus his partibus argumentum: ſi enim detur

ſine

sine Baptismo gratia efficax; ergo potest quis salutem consequi absque Baptismo. Et sane cuiquam baptizato, quis potuit salutem disertius, constantiusve asserere, quam Ambrosius Valentiniano non baptizato? *Audio vos dolore quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, vt cum in Italiam venisset, initiaretur, & proxime baptizari se à me velle significauit: & ideo præ cæteris causis me accersiendum putauit. Non habet ergo gratiam, qui desiderauit; Non habet, quam proposcit? Certe quia proposcit accepit. Et vbi illud est, Iustus quacunque morte præuentus fuerit, anima eius in refrigerio erit?* Bene, quod non baptizato gratiam asseruit: sed bene, quod epiphonemate clausit & vniuersali gnoma, ne priuatum quis priuilegium cauletur.

XV. Aduersarij verissimum concedunt: sed in adultis, in quibus votum est, in infantibus negunt: quibus baptismi sensus nullus, nedum votum. Sed in his tamen, inquam, etiam sanguinem substituunt pro flumine. Quid ergo? Maiorne iis sensus, votumve Baptismi, extinctis propter fidem, quam aliter morientibus? Quod si non sit: ergo hæc iam altera exceptio est, vt ne pugnent; etiam sine sensu, sine voto Baptismi, quosdam seruari. Et vero quæ paulo ante numerata sunt ab vtero selectorum exempla rem firmant.

XVI. Sed inquiramus tamen vlterius. Certe si ad nullos infantes gratia pertingat absque Baptismo: nulli etiam infantes absque Baptismo pertinent ad fœdus diuinum: At hoc falsum: Ergo & illud. Consequentia probatur, quia cum fœdus sit, quo Deus acceptat homines in populum suum: hoc autem fieri nequeat absque gratia: profecto absque gratia nemo intelligitur ad id fœdus pertinere: Esaiæ 55. *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordiæ Dauid fideles.* Ieremiæ 31. *Istud est fœdus, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dixit Iehoua. Dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum describam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: nec docebunt vltra vnusquisque fratrem suum, dicendo cognoscite Iehouam. Omnes enim cognoscent me à minimo eorum, dixit Iehoua: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.*

XVII. Assumptum probatur. Nam si nullus infans absque Baptismo pertinet ad fœdus diuinum; ergo falsa sunt verba fœderis. Geneseos 17. *Et statuam & pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te.* Ratio consequentiæ: quia hoc axioma, vel vniuersale est, vel indefinitum. Si vniuersale, ergo omne semen Abrahæ oportet esse in hoc fœdere, absque exceptione. Sin autem indefinitum: Ergo si non omnes, saltem multos, saltem quosdam. Nam si omnino nullos; cum vero siue vniuersale sit, siue indefinitum, non potest non esse falsissimum. Quod est absurdum. Cum sit autem certum, non vniuersale: quia non verum omnes ex Abrahamo natos obtinuisse salutem, saltem oportet esse indefinitum.

XVIII. Eodem pertinet Circuncisio; quam nefas erat celebrari ante diem octauum. Non sit verisimile tamen; aut nullum infantem expirasse ante diem: aut quicunque expirarent, omnes damnatos fuisse. Nam & ipsi Papistæ ob eam causam inquirere ausi, nunquod iis remedium esset institutum peculiare: quod etiam de fœminis quæsierunt. Quæ dubitatio ab eodem fonte nata, vnde hæc nunc necessitas, quam confutamus, quod scilicet existimatum sit, neminem seruare posse absque externo remedio. At nos eodem fundamento vtramque reiicimus: quod Dei gratia possit absque externa ope suis animabus prouidere. Alioquin quid spei futurum mortuis, antequam natis? Sed & in ipsis adultis nullus locus futurus flumini, si absque æterno remedio perit omnis anima: nam quicquid dicas, tamen non est externum quid.

XIX. Sed & Paulus 1. ad Corinth. *Maritus infidelis sanctificatus est in vxore, & vxor infidelis sanctificata est in viro: alioquin certe liberi vestri ἀκάθαρτα impuri essent, nunc autem sancti sunt.* Quibus verbis manifestum est liberos fidelium parentum; imo etiam alterutrius parentis fidelis, sanctos esse; Quod etsi vniuersale non sit enuntiatum, tamen non potest non esse indefinitum, & nihilominus verum.

XX. Longa hæc materia est: & Papistis vehementer impugnata. Primum illa de fœdere; secundo de non-circuncisis: tertio de liberis sanctis. Quæ nos oportet non relinquere indiscussa. De fœdere ergo dicunt primo, nullam fuisse promissionem remissionis peccatorum, sed peculiaris protectionis, & gubernationis, ac terrenæ felicitatis. Sic Bellarminus, sic Stapletonus, sic Beccanus.

XXI. Sed Vasques contradicit, & diserte, *Eo loco*, inquit, *non tantum Deum promisisse peculiarem curam, & protectionem terrenæ felicitatis Abrahæ & semini eius: sed remissionem etiam peccatorum, & vitam æternam, licet sub figura terræ peregrinationis, vt constat ex illo ad Hebræos 11. & siquidem ipsius ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant tempus reuertendi: nunc autem meliorem acceperunt, id est, cœlestem: ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum, parauit enim illis ciuitatem, nempe cœlestem. Sensus est, Abraham, Isaac, & Iacob, cum se fatebantur peregrinos esse, non solum se peregrinos à Mesopotamia, vnde exierunt, sed etiam à cœlesti patria, quam sibi promissam inquirebant, confessos fuisse: quia sciebant sibi à Deo cœlestem patriam fuisse præparatam. In illa igitur promissione Geneseos 17. vbi promissa fuit Abrahamo & semini eius peregrinationis terra intellexit Abraham, promissam sibi quoque esse cœlestem beatitudinem.*

XXII. Et vero mirum est potuisse quicquam simile in mentem venire, cui sit Abrahami vita non incognita. Nam certe promiserat Deus, se futurum eius Deum; non tantum seminis eius. Si ergo de felicitate terrena nec nisi de ea promissio esset, tum vix vllus ad eum fructus rediisset, non ad filium Isaacum, non ad Iacobum, qui agnouerunt se non tantum peregrinos, sed etiam infelices. Nam Iacobi verba fuere Genes. 47. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali.* Aut igitur in iis mendax fuit promissio, quod horrendum cogitatu, vel non tota fuit de temporali felicitate; etiam secundum literam.

XXIII. Nam illud, *Deus tuus & seminis tui.* Christus directe exponit de felicitate post hanc vitam; Matthæi 22. *De resurrectione mortuorum, non legistis quod nobis dictum est à Deo, dicente, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Deus non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Itaque fœdus conceptum his verbis; *Ero Deus tuus, & seminis tui:* perperam explicatur de terrena felicitate, siue præcipua, siue sola. Agnosco statim annecti promissionem terræ Canaan, sed hoc nullum argumentum est excludendæ beatitudini cœlesti. Non enim id fœdus est, sed fœderis appendix: nempe, vt pietati factæ sunt promissiones vitæ præsentis & futuræ; teste Paulo 1. Tim. 4.

XXIV. Et sane ipsos illos aduersarios oportuit concedere saltem mystico sensu promitti hoc loco remissionem peccatorum, ac vitam æternam. Quid ergo? Iterum respondent: Bellarminus, hanc promissionem ad nos descendere, non per carnalem, sed per spiritualem generationem: sic enim Apostolorum docere ad Romanos 4. & 9. ad Galat. 3. & 4. eos esse Abrahæ filios, non qui carnis, sed qui filij fidei. Tunc ergo incipere nos esse filios Abrahæ, cum incipimus esse fideles. Infantes autem incipere esse fideles, cum baptizantur, teste Augustino primi de peccatorum meritis & remissione capite 27. Id confirmari ratione. Non enim posse nos fieri filios Abrahæ per carnalem generationem, cum parentes nostri ab Abraham non descenderint: sed quia Christus sit vere filius Abrahæ, tunc nos etiam fieri filios Abrahæ, cum incipimus esse CHRISTI, siue filij, siue fratres: id autem fieri per Baptismum. Itaque Gregorius de Valentia addit, hinc concludi potius necessitatem Baptismi.

XXV. Atqui primo, non refutatur argumentum. Nam si daremus non pertinere hoc fœdus ad illos Christianos; tamen exemplum esset potentissimum. Neque enim fœdus, ad quod Christiani pertinent, durius est fœdere isto, quo fruebantur Israelitæ: neque causa est, cur excludantur à suo fœdere liberi Christianorum: magis quam à suo liberi Iudæorum. Cum ergo constet liberos Iudæorum comprehensos fuisse in fœdere: omnino inhumanum fuerit omnes infantes Christianorum excludi.

XXVI. Deinde concedo nos esse filios Abrahæ secundum fidem, non autem secundum carnem. Concedo igitur non propagari ad nos hoc fœdus per carnalem generationem. Quid tum autem? Nam ne apud Iudæos quidem. Alioquin, quia omnes secundum carnem nati, erant semen Abrahæ, omnibus etiam oporteret remissa peccata; omnium fuisse vitam æternam. Quod est manifeste falsum. Itaque quæ Paulus dicit, de filiis fidei: non sunt peculiaria Christianis, sed communia etiam Iudæis; quorum plerosque non approbauit Deus, prioris ad Corinthios decimo. Quorum nonnullos Christus negauit esse filios Abrahæ, imo asseruit filios Diaboli, Ioannis 8. Roman. 9. *Non omnes qui sunt ex Israele, sunt Israel. Neque quia sunt semen Abrahami, ideo omnes sunt filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen. Hoc est, non qui filij carnis, ij Filij Dei: sed qui sunt filij promissionis, censentur in semine.*

XXVII. Quid ergo habent de nobis concludere; quod non de ipso illo Abrahami semine? Abrahami filij, & huius & fœderis iure iidem erant Dei filij: & tamen non erant Dei filij per carnalem generationem, neque tamen non Dei filij ante circuncisionem: cur non minus hodie ante Baptismum?

XXVIII. Sed nulli filij Dei, nisi fideles. Quomodo, inquam, fideles? Actune, an potentia? Nam si actu; negatur. Etenim ne baptizati quidem infantes, actu fideles: quia nemo credit nisi compos rationis. Sin autem potentia, nihil contra nos: nam sic fideles sunt omnes, qui filij Dei: sic fidelis fuit Iacob, qui amatus Deo antequam natus: sic fideles Hieremias, Baptistes, alij in vtero sanctificati.

XXIX. De Circuncisione, habet Alfonsus de Castro peculiare responsum. Frmiter negamus, inquit, paruulum Iudæum ante Octauum diem mortuum sine Circuncisione posse saluari. Quia est contra Scripturam, dicentem, *Masculus cuius caro præputij circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*, hoc est in libro viuentium non scribetur, nec connumerabitur in populo Dei. Nam ob hanc solam causam Salomon dicit se fuisse filium vnigenitum matris suæ, quamuis alium maiorem peperisset Bersabe mater sua ex adulterio: nempe quia ante Circuncisionem mortuus, non habuit magis nomen apud Deum, quam si non fuisset genitum.

XXX. Sed firmiter id negauit Alfonsus, quod omnes alij negare horruerunt. Biel in 4. distinct. 1. quæst. 4. artic. 2. concl. 1. *Circuncisio fuit masculis de domo Abrahæ de necessitate salutis, nisi excusaret impossibilitas, aut dispensatio Dei specialis.* Et aliquanto post, *Adduntur duæ exceptiones, vna, vbi excusaret impossibilitas, scilicet parendi præcepto Circuncisionis octauo die fiendæ, quæ additur propter pueros ante octauam diem defunctos. De illis quidam dixerunt, de quorum numero videtur fuisse magister, sicut nunc ante Baptismum defuncti in peccato originali perierunt.* Et paulo post, *Sed hoc dictum nimis durum est; nec veritati consonum, quod masculi ante octauam diem nullum haberent remedium salutis contra originalem culpam: & fuissent deterioris conditionis sub lege Moysi, quam sub lege naturæ, & similiter quam femella.* Itaque nec Bellarminus pugnat: nec alij, non Pererius in Geneseos 17.

XXXI. Et sane contra Scripturam asseri falsum est. Nam etsi dictum, masculum cuius caro præputij non sit circuncisa, perituram: tamen ea pars legis intelligenda ex tota lege. Erat autem prius dictum, *Infans octo dierum circuncidetur in vobis.* Itaque subintelligenda eadem temporis circunstantia repetita ex superioribus.

XXXII. De Salomone; vnigeniti nomen est à Latino interprete à quo decipi Alphonsum facile fuit, Græce, Hebraiceque imperitum. Salomo dixit, *Filius fui patri meo: tener* רך ויחיד לפני אמי *& vnicus coram matre mea.* Vbi non vnigenitus proprie dicitur, id est, præter quem nemo fuerit genitus: sed vnicus, qui esse potest, etiam si alij sint siue prius, siue post natus genita; dummodo denati. Itaque frustra Alfonsus vim facit in nomine vnigeniti. Hoc tamen loco; ne pro vnico quidem accipiendum, constat enim non fuisse Salomonem vnicum matri suæ, ex 3. 1. Paralipo. Denique hoc quicquid est explanant: Pererius in 17. Genes. & Iansenius in Prouerbiorum 4. Iansenij hæc verba sunt, *Vnigenitum coram matre sua dici hoc loco intelligendum est, non quod vnicus fuerit filius matris suæ Bersabeæ, quemadmodum quidam hoc loco falso asserere conati sunt* (Lyranus & post Lyranum Alfonsus) *Nam primi Paralipomenon tertio aperte dicitur, In Hierusalem nati sunt ei filij Simmaa, & Sobab, & Nathan,*

& Salomon, quatuor de Bethsua filia Ammiel. Vnigenitus ergo dicetur coram matre, quod tanquam vnigenitus à matre tenere & vnice diligeretur. Nec est Hebræis, vnigenitus, sed vnicus: nec dicit vnicus matri meæ; sed vnicus coram matre mea, vel vt habent Hebræa, in facie matris meæ, hoc est, quod mater eum sic haberet & diligeret, ac si vnicus fuisset. Proinde septuaginta id sentientes tantum verterunt ἀγαπώμενον ἐνώπιον μητρὸς, hoc est dilectus in facie matris.

XXXIII. Frustra fuit Alfonsus. Bellarminus primo multis veterum negatum Circuncisionem datam in remedium contra peccatum. Deinde nesciri an ante octauum diem fuerit infantibus Iudæorum aliquod remedium; & quodnam. Denique, non esse eandem rationem Christianorum & Iudæorum. Nunc enim determinatum esse à Christo certum remedium, & communissimum, & facillimum, præter quod non liceat aliud fingere: tunc autem quid fieret, certo sciri non posse, cum Scriptura nihil dicat.

XXXIV. Atqui non multis: sed paucis veterum negatum, & male negatum Circuncisionem datam in remedium contra peccatum. Nisi forte nullum remedium sit sigillum iustitiæ fidei: sed hæc quæstio disputata fuit iam antea, imo impugnatur à plerisque Scholasticis. Quanquam quid ad rem? Nam siue id remedium fuerit, siue non fuerit: tamen non circumcisi quidam erant in fœdere, quod nunc volumus, imo tanto magis esse poterant, si verum in Circuncisione nullum esse remedium aduersus peccata quia omnino in fœdere oportet id remedium fuisse.

XXXV. Nesciri an fuerit aliquod remedium contra peccatum ante octauum diem superstitio est eorum, qui gratiam Dei non magis operantem sine externa ope concipere possunt, quam cœcum ambulantem absque scipione. Iis autem qui Sacramentis nullam nisi voluntariam aut institutionem, aut significationem, aut efficaciam inesse sciunt, facile conceptu est, *spiritum quo velit spirare.* Et qui significat infantes in vtero non expectare tarda Sacramentorum auxilia.

XXXVI. Non est eandem Christianorum & Iudæorum rationem scimus: sed illorum potiorem, quia scilicet ampliorem gratiam. Itaq; quemadmodum recte concluditur, si Iudæorum infantes erant circuncidendi, multo magis Christianorum baptizandos, sic certe non male, si Iudæorum salus non erat nulla ante Circuncisionem, multa magis Christianorum ante Baptismum. Vtrunque enim ad gratiam pertinet amplificandam: vt vitari non possit, quominus contractiorem fatearis apud Christianos si consequentiam neges.

XXXVII. Sedenim determinatum nunc remedium & communissimum, & facillimum, præter quod non liceat aliud fingere. Quasi post institutam Circuncisionem licuisset: & non potius in rebus diuinis omnis humana fictio sit abominanda. Quasi, qui olim ante Circuncisionem non esse certam omnium damnationem dicant, ij noua fingant remedia. Quasi qui hodie non patiuntur à gratia diuina excludi omnes fidelibus natos, nec assequutos Baptismum; quicquam excogitent noui, nunquam ve auditi remedij. Imo Bellarmine, noua hæc remedia, si non tua sunt, sunt saltem tuorum Sophistarum, qui etsi humaniores te, non possunt pati omnes infantes damnari; tamen iidem audaciores æquo non possunt gratiam Dei agnoscere absque exteino adiumento. At Catholici, & te humaniores & tuis Sophistis modestiores, nullum fingimus remedium, sed idipsum amplectimur, quod ipsa indicant Sacramenta: Gratiam Dei, sine qua Sacramenta nihil sint, ipsam tamen absque Sacramentis efficacem, imo potentissimam.

XXXVIII. Nam quod remedium dicis communissimum, facillimum; quid ad rem? Imo contra hypothesin: quæ necessitatem carendi supponit. Atqui, quibus non potest communicari Baptismus, iis neque communem, neque facilem esse oportet. Qui in voto Baptismi moriatur, hunc tu negas damnari. Qui martyrio vitam finierit sine Baptismo, hunc tu in cœlos rapi contendis. Quid ita? An quia eis neque communissimus neque facillimus Baptismus? Nugator, cur vllam nunc difficultatis, imo necessitatis rationem nos habere non pateris; qui tibi tam secure permittas? En tibi Sophisticum ingenium, virorum scilicet bonorum, & dignorum, quibuscum in tenebris mices.

XXXIX. Supersunt filii sancti; de quibus magni sunt, tragicique clamores. Atque inde calumnia de infantibus fidelium exemptis ab originali peccato; quam pridem compressimus tomi 3. libr. 5. cap. 1. vt nunc nihil opus sit repetere. Nunc soluunt varie. Prima solutio est apud Tapperum. Quod nascantur sancti, filii, & hæredes Dei, quotquot ex fidelibus nascuntur parentibus, scripturis aduersatur; quæ testantur omnes nasci filios iræ, & peccato, ac damnationi obnoxios: nam iudicium ex vno ait Paulus, in condemnationem, & per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; in quo omnes peccauerunt.

XL. Insto: non esse contradictoria, nasci filios iræ, obnoxiosque peccato originis, & esse sanctos, atque hæredes Dei. Nempe quia alterum naturæ sit, alterum gratiæ. Atque adeo Paulus non dixit, nos natura fuisse, sed esse filios iræ: nimirum quia in quibuscunque fidelibus, cuiuscunque ætatis verissimum sit, & certissimum, eos esse natura filios iræ: qui tamen non sunt propterea non filij Dei: nimirum accedente gratia, quæ naturalem illam condemnationem tollat. Sic sine dubio Iacobo erat & nascebatur filius iræ, quem tamen antequam nasceretur Deus amabat: sic Hieremias, sic Ioannes Baptista: sic omnes omnino, neque enim quisquam nunquam exceptus, præter omnium Seruatorem. Non possunt capere Sophistæ. Quid ad nos? aut potius, quid ad veritatem? Nam hanc certe non decet eius stupiditatis pœnas luere.

XLI Non lædunt nos igitur, quæ siue ex Paulo, siue aliunde aut colliguntur, aut colligi possunt de corruptione humana: quæ oppositissime torqueri possunt in Pelagianos: imo etiam in Papistarum nonnullos; qui nihil esse volunt in infantibus, cui vera insit ratio peccati; sed tantum alienæ nequitiæ imputationem. Dicam amplius. Nemo Papistarum, tam vehementer vrget hanc naturæ corruptionem quam nos; qui eis visi sumus immane quantum excedere, cum confitemur, *Nos miseros peccatores, conceptos & natos in iniquitate, & prauitate: ad nequitiam procliues, ad omne autem bonum opus inutiles:* adeo vt dare pœnas oportuerit, non tantum rediuiuo Aristophani; sed etiam seriis, scilicet, seueriisque Catonibus, Feuardentio Cordigero, Iesuitæque Mocquoto, nec aliis nullis. Sed sunto illi sane siue rigidi censores; siue ridiculi moriones; tamen nos non nescimus omnes omnino homines, nullo penitus excepto præter Filium Dei; esse peccato originali infectos: eamque ob causam, non tantum pœnæ damni, vt grauissimi scilicet illi hostes peccati loquuntur, cum durissime; sed etiam pœnæ sensus, id est, igni æterno obnoxios: neque liberandos nisi gratia Christi; cuius Sacramentum esse agnoscimus Baptismum. Sed qui adeo sumus tetrici in damnanda natura; iidem non desinamus admirari diuinam misericordiam, excedentem & captum nostrum. In quo hoc accidit instar miraculi; vt nos tam duri simus in exaggeranda corruptione nostra, tam vehementes in celebranda gratia diuina: at contra Papistæ, tam difficiles ampliandis gratiæ beneficiis, tam molles in naturæ peccatricis ponderanda deprauatione. Videbunt, quibus non erunt *φρένες ἄφρονες*, quid hoc sit miraculi.

XLII. Alia solutio; ex Augustino de peccatorum meritis & remissione, libri 2. cap 26. & 3. 12. quicquid per hanc sanctitatem designetur, non posse vllo modo intelligi, filios fieri sanctos sine Baptismo: sic Bellarminus. At Valentianus; non esse tamen eam, quæ gratia & iustitia contineatur; quasi hoc ipso, quod de parentibus fidelibus paruuli sint procreati, assequantur gratiam. Vasques vero: non sufficere ad remittenda peccata, nisi Christiana institutione, & Sacramentis efficiantur fideles. Addit argumentum Bellarminus; quia ibidem Paulus dicat, sanctificari coniugem infidelem: & tamen stultissimum esset credere, coniugem infidelem sine conuersione ad Deum, & Baptismo Christi posse peruenire ad remissionem peccatorum hoc solo, quod adhæret coniugi fideli.

XLIII. Verum solus Vasques Augustini verba retinuit, reliqui sua pro arbitrio substituerunt. Bellarminus inconsiderate dixit; quæcunque intelligatur sanctitas, tamen non posse intelligi filios sanctos absque Baptismo. Nimis sane confidenter. Nam quid de iis dicat qui pro sanctis legitimos dicunt? Istamne sanctitatem, non obtineri sine Baptismo? Quid de iis, qui sanctitatem ceremonialem imaginati sunt non genitorum in matre menstruata? Quam vtramque expositionem ignorare non potuit, qui vtramque enumerauit. An habebat animum in patinis cum hæc scriberet? An potius confidentiæ temeritate delatus in aera, nihil sibi non facile existimauit, terrendis nobis, ludendis lectoribus?

XLIV. Valentianus, quid imaginabatur, cum negaret sanctitatem istam intelligendam, quasi eo ipso quod nati sint ex parentibus fidelibus, assequantur gratiam; Nam id neque contra Pelagianos est, quos impugnabat Augustinus: ij enim tantum abest, vt obtineri gratiam dicerent, vt hanc potius negarent; dum assererent nasci sine peccato infantes. Neque aduersum nos, qui & scimus & profitemur neminem eo ipso quod nascatur à fidelibus assequi gratiam: imo gratiam esse præter & supra natiuitatem, & omnino ab alio principio, quam à natiuitate, à qua nihil oppositum gratiæ. Etiam si doceamus concurrere cum natiuitate gratiam, vt simul nati ex fidelibus, simul pertinent ad fœdus gratiæ. Quod quomodo obscurum esse potest, iis qui & baptistem, & Ieremiam ante sanctos, quam natos agnoscant? Nam hi certe hanc sanctitatem, hanc gratiam non sunt assequuti eo ipso quod nati ex piis parentibus. Videlicet in eo toti sunt Sophistæ, vt calumniis vincant, quas argumentis non possunt vel mouere.

XLV. Augustini sententiam, quam Vasques retinuit, fatemur esse nostræ oppositam: quia statuat nemini remitti peccata ante Baptismum, quod nos dare non possumus, nec Augustinus sumere, tamque præcise enunciare, cum haberet in oppositum illa ipsa quæ diximus exempla Ieremiæ, & Baptistæ, quibus ante omnem Circuncisionem & Baptismum, oportet fuisse remissum peccatum originis, aut ipsos non fuisse sanctificatos. Sed hoc vtilius disputabitur, si constet, quænam sanctificatio sit intelligenda, in quo fuit Augustinus incertus. Itaque hoc potius agendum, bona cum venia boni venerandique patris, qui non solebat à se dissentientes tam dure habere, quam qui hodie eius nomine imporenter abutuntur ad *κακοζηλίαν*.

XLVI. Sed enim coniux infidelis sanctificatus dicitur. Sed enim coniux infidelis sanctificatus dicitur. Ita est omnino inquam; At is, addit Bellarminus, non peruenit ad remissionem peccatorum; eo ipso quod hæret coniugi fideli. Fateor & hoc inquam. Ergo neque infans, eo quod nascatur. Dissimulo calumniam de qua dixi, & repono: Ergo neque infans cum nascitur. Respondeo autem; Paulum dicere; *Maritus infidelis sanctificatus est in vxore & vxor infidelis sanctificata est in viro.* Quid hoc est? fuere qui dicerent, frequenter euenire vt infidelem fidelis Christo lucrifaciat. Quod quidem verum, sed alienum ab instituto: primum quia incerta ratio est, etsi enim nonnunquam ita factum, tamen plerumque etiam aliter. Itaque de hac re Paulus longe aliter loquitur, *Ecquid enim nosti vxor an virum sis seruatura? aut ecquid nosti vir, an vxorem sis seruaturus?* Nempe rem incertam significans. At contra *ἡγίασται ὁ ἀνὴρ ὁ ἄπιστος: ἡγίασται ἡ γυνὴ ἡ ἄπιστος, Sanctificatus est vir ille infidelis: sanctificata est mulier illa infidelis.* Non autem sanctificabitur, in præteritum dixit, rem iam constitutam. & peractam; non autem in futurum rem incertam, aut optandam, aut exspectandam. Deinde idipsuum esset præter hypothesin: quandoquidem agatur de coniugio fidelis, cum infideli, quemadmodum ergo fidelis supponitur, constans in fide: sic infidelis, etiam si non recedat ab infidelitate, vt sensus sit; non debere dissolui coniugium cum infideli, etiam si maneat infidelis, quia etiam sic sanctus sit.

XLVII. Itaque necessario is sensus est, quem expressit Iustinianus in paraphrasi, *Eiusmodi coniugia nullo modo censenda esse impura, sed eorum vsum alterius coniugis sanctitate purgari, fierique sanctitatis eiusdem quodammodo participem.* Et in annotationibus, *Sanctificationem coniugis non intelligit Apostolus eam, qua quis fit vere iustus & sanctus, sed qua vsus coniugij honestatur.* Et Salmero, *Quæ significatio circa coniugium intelligitur.* Itaque voluit Apostolus coniugem infidelem sanctificatum esse eo ipso, quod adhæreat alteri fideli. Vnde si vis vlla consequentiæ esset; contra potius inferendum; Ergo filios eo ipso sanctos esse, quod nascantur ex parente fideli. Contra quam Bellarminus existimabat. Sed re vera consequentia nulla est, propter homonymiam sanctificationis, quam tamen phrases distinguunt, non enim vt sanctificatus est vir in muliere, ita dictum liberi sancti sunt in parentibus, sed absolute *ἅγια ἐστι* sancti sunt.

XLVIII.

XLVIII. Fruſtra ergo Bellarminus negabat coniugem infidelem ſine conuerſione ad Deum, & Baptiſmo peruenire ad remiſſionem peccatorum. Quandoquidem hæc ſanctificatio nihil ad hanc pertineat remiſſionem peccatorum, & tamen ſi pertineret, dicendum fuerat abſolute, poſſe peruenire ad eam: nimirum propter hypotheſin, quam diximus quæ ſupponat infidelem manentem in infidelitate, quomodo ne per Baptiſmum quidem peruenitur ad remiſsionem peccatorum. Sedenim, ſicut non poſſumus concludere, ſi coniux infidelis eo ipſo ſanctificatus ſit, quod adhæreat coniugi fideli: Ergo infantes eo ipſo ſancti, quod naſcantur ex parentibus fidelibus, ſic neque Bellarminus, ſi non ſit coniunx infidelis ſanctus ſine Baptiſmo, ſic neque infantes. Quia ſcilicet obſtat homonymia.

XLIX. Tertia tandem ſolutio eſt ab interpretatione ſanctitatis, ſecundum quam nati ex parentibus fidelibus poſſint dici ſancti. Tres ſententias Bellarminus numerauit, quatuor Vaſques, neuter collegit omnes. Certe enim vehementer laboratum eſt in his paucis verbis, ſiue exponendis. Omnes complecti conabor, & examinare. Sanctitatem alij politicam imaginati ſunt, alij ceremonialem, alij religioſam, ſic enim liceat mihi diſtinctionis gratia, vocitare.

L. Prima ergo expoſitio eſt: liberos ſanctos dici politice; id eſt legitimos, & non adulterinos. Sed & hoc bifariam, quaſi diceret Paulus ſi illegitima eſſent veſtra matrimonia, ergo veſtri etiam liberi eſſent illegitimi: At non ſunt: Ergo neque illa. Sic Ambroſium, Thomam, Anſelmum expoſuiſſe. Et hunc Suarez appellat literalem ſenſum. Veruntamen Vaſques dictum arbitratur de liberis ſuſceptis è ſecundo matrimonio. Nemo, inquit, coniugem infidelem relinquat, ſi ille vult pacifice habitare, & in matrimonio perſeuerare; neque alteri ſe matrimonio coniungat, alioquin ſi quis veſtrûm oppoſitum faceret, filij veſtri ex tali ſecundo matrimonio, immundi, hoc eſt, ſpurij, & illegitimi eſſent, eo quod potius ſcortatio, quam verum coniugium foret, nunc autem dum in primo perſeuerastis, filij quos inde habetis, ſancti, hoc eſt, legitimi ſunt.

LI. Sanctitatem ceremonialem ita explicat Bellarminus, ſanctificari coniugem infidelem per fidelem, quia diſcebat leges coniugij, & non abuti matrimonio, infideles enim ſæpe abuti, non abſtinentes copula tempore menſtrui, neque ſemper naturalem modo ſeruare. Inde pollui coniugium, & filios naſci immundos. Porro ab ea pollutione liberari parentes, & liberos; cum infidelis conſentit habitare cum fideli, & ſeruare leges caſti matrimonij.

LII. Sanctitatem Religioſam dixi eam, quæ definitur ex religione Chriſtiana. Sed hanc alij futuram, pendentemque ab euentu. Videlicet, inquit Vaſques, quod coniux fidelis cum infideli perſeuerans, facile lucrari poſſit filium, vel obtinendo vt paruulum baptizet; vel adultum ſuo conſilio ad fidem conuertendo, cum contra ſi diſceſſio fieret, & filij remanerent apud infidelem, in infidelitate perſeuerarent.

LIII. Alij præſentem maluerunt, ſed varie. Vaſques eo quod altero coniuge fideli cum infideli perſeuerante, & ipſum ad meliorem frugem renocante, efficitur vt filij ex vtroque iam fideli nati, mundi naſcantur, hoc eſt omnino in Dei cultum ab vtroque parente deſtinati: cum tamen ſi alter illorum in ſua infidelitate perſeueraret, neque a fideli lucifieret, naſcerentur immundi, ſaltem ex dimidia parte, quia ab altero ad cultum idolorum deſtinati naſcerentur. Si autem exponere Theophylactum, atque Oecumenium, ex Chryſoſtomi homil. 9 in eam Epiſtolam.

LIV. At Salmero. Quæ ſit ſanctitas puerorum, qui ex parentibus Chriſtianis originem ducunt, reſpondemus nihil aliud eſſe, quam quod filij ad Eccleſiam Dei pertineant, quaſi ex vtroque parente fideli nati eſſent, non aliter atque olim Iudæorum cum eſſent poſteri Abrahæ, dicti ſunt in Dei fœdere includi, quia promiſit Deus Abrahæ, velle ſe non tantum eius, ſed etiam ſeminis eius Deum eſſe.

LV. Hæ ſunt, quæ mihi apud Papiſtas occurrerunt huius loci explicationes variæ; de quibus diligentius iudicandum: hoc obſeruato, Bellarminum è tribus quas enumerat, non indicare quam cui præferat: quaſi nihil intereſſet: Suarem prætuliſſe primam, quæ Vaſqui quarta eſt: Salmeronem poſtremam, quæ ipſa Caluini eſt, cuius hæc eſt notatio in eum locum, *Vniuerſalem eſſe propagationem & peccati & damnationis in ſemine Adæ. Omnes igitur ad vnum ſub hac maledictione includi, ſiue ex fidelibus, ſiue ex impiis deſcendant. Neque enim fideles liberos generant ſecundum carnem, quatenus ſpiritu ſunt regenerati. Aequalis eſt igitur in omnibus natura conditio, vt ſint tam peccato, quam æternæ morti obnoxij. Quod autem hic tribuit liberis fidelium ſpeciale priuilegium Apoſtolus, id fluit ex beneficio fœderis, quo ſuperueniente detegitur natura maledictio; & Deo per gratiam conſecramur, qui naturâ profani erant. Hinc argumentatur Paulus* 11. *ad Romanos, totam Abrahæ progeniem eſſe ſanctam, quia fœdus vitæ Deus cum illo pepigerat. Si radix ſancta, inquit, ergo & rami ſancti. Et Deus filios ſuos vocat omnes, qui ex Iſraele ſunt progeniti.* Nec Martyr diuertit; aut Beza, aut Aretius, aut Piſcator. Sic factum nouum miraculum, vt magni nominis Ieſuita, ſit factus Caluinianus.

LVI. Sed omiſſis perſonis, rem inſpectemus. Primum omnium, ponimus hoc quicquid eſt pertinere ad filios fidelium. Id apparet; quia cauſam agat Paulus non omnium coniugatorum; ſed fidelium cum infidelibus, quorum erat conſulendum conſcientiæ: quæ nonnihil ſcrupuli inueniebat in matrimonio cum infideli, ſine dubio ipſius pietatis prætextu. Itaque huic ſcrupulo eximendo neceſſaria erant argumenta ex pietate. Vnde in præcedentibus, *Sanctificatus eſt vir infidelis in vxore*, & contra: ea ſanctitas intelligitur, quæ reſpondeat pietati coniugis fidelis, non tantum in vſu communi. Quomodo ſcilicet alias dictum, *Omnia pura puris, polluta autem & infidelibus nihil eſt purum; ſed polluta eſt eorum & mens & conſcientia.* Quinquam enim impuris etiam hominibus idem ſit vſus rerum naturalium, & piis communis, tamen conſcientiæ impuritas eum ipſum vſum polluit. Simili ratione etſi non ſint illegitima matrimonia infidelium: tamen hac ipſa infidelitate polluuntur, quomodo quicquid ſit ſine fide peccatum eſt. Sanctitas ergo illa pertinebat ad pietatem. Similiter & iſta liberorum. Vbi etiam notandum, nuſquam liberos infidelium appellari ſanctos. Imo hîc deducitur ſanctitas liberorum, à ſanctitate coniugij, *Maritus infidelis ſanctificatus eſt in vxore, & vxor infidelis ſanctificata eſt in viro, alioqui certe liberi veſtri impuri eſſent, nunc autem ſancti ſunt.*

LVII. Itaque refutatur plene prima expoſitio ſanctorum pro legitimis. Nam hoc genus ſanctitatis non eſt proprium matrimonio fidelium, ſed commune omnibus. Tam enim legitimus erat Pilatus, quam Baptiſtes, etſi non tam ſanctus. Addo, non poſſe dari exemplum huius notionis, vt vſquam alibi ſanctus ſignificet legitimum filium. Argumentum: Hæc ſanctitas propria eſt liberis fidelium. At legitimatio non eſt propria liberis fidelium. Ergo legitimatio non eſt ea ſanctitas.

LVIII. Bellarminus reſpondet, legitimum quidem eſſe coniugium duorum infidelium: ſed cum alter eſſet fedelis, dubitari potuiſſe an foret legitimum coniugium propter religionum diſparitatem, quia videatur fidelis pollui ob cohabitationem cum infideli. Itaque Paulum monere etiam tum legitimum eſſe matrimonium.

LIX. Sed Vaſques, *Recentiores aliqui Theologi*, inquit, *reſpondent ad obiectionem Petri Martyris, eiuſque vim infirmare contendunt. Eorum tamen reſponſo omiſſo, quod mihi omnino non probetur, reſpondeo, vocari ſanctos, non tantum, quia ex legitimo matrimonio geniti: ſed quia etiam ex maiori parte ſub creatoris, & veri Dei cultu procreati ſunt, quod quidem non conuenit procreatis ab infidelibus parentibus etiam ex legitimo matrimonio.* Sic Ieſuitæ Ieſuita contradicit, non certe in gratiam noſtri; ſed ſaltem in emolumentum cauſæ.

LX. Sed tamen, inquam, Paulus eam quæſtionem non diſputat. Nam quid eo pertineret; vir ſanctificatus in vxore: & vxor in viro? Etenim in legitimo matrimonio non neceſſe eſt ſanctificari coniuges: alioquin in non ſanctificatis nullum eſſet legitimum. Et tamen non tantum eſſe ponit Bellarminus; verum etiam negat de eo dubitari potuiſſe. Quid ergo opus erat fidelem alterum eſſe? Nam etſi Græce non addatur, tamen certum eſt, eum eſſe ſenſum, quem Latina editio habet, *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem. Et ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem.* Νικᾷ, inquit Chryſoſtomus, ἡ καθαρότης τῆς γυναικὸς τὴν ἀκαθαρσίαν τοῦ ἀνδρός. καὶ νικᾷ ἡ καθαρότης τοῦ πιστοῦ ἀνδρὸς πάλιν τὸ ἀκάθαρτον τῆς ἀπίστου γυναικός, *Vincit munditia mulieris, viri immunditiam, & rurſus munditia viri fidelis vincit immunditiam mulieris infidelis.* Cum igitur in legitimo matrimonio neutram neceſſe ſit perſonam eſſe ſanctificatam, oportet aliam quæſtionem eſſe de legitimo, aliam de polluto: vt etiam legitimum pollui potuerit. Vnde potuit eſſe ſcrupulus: quem ſoluit Paulus, non ducens eſſe legitimum; ſed duntaxat non pollutum: quam ad rem ineptum erat reſpondere de legitimis filiis, qui ſemper ſunt a legitimo coniugio; ſiue id pollutum ſit, ſiue minus. Merito igitur diſplicuit hoc ſolutionis Vaſqui diligentius diſputationem Pauli conſideranti.

LXI. Secundo ponimus, quicquid hoc eſt ſanctitatis, debere præſens intelligi. Vidit Auguſtinus de peccatorum meritis & remiſſione libro tertio, capite duodecimo, *Magis verba Apoſtoli videntur ſonare, & quodammodo cogere, vt aliqua illic intelligatur ſanctificatio, qua ſanctificabantur vir vel mulier infidelis in coniuge fideli, & qua ſancti naſcebantur filii fidelium.* Et ſane alioquin non erat ſoluta quæſtio, exemptus ſcrupulus. Nam ſi argumentum eſt ſanctificati matrimonij, liberi ſancti: Ergo his non ſanctis, videtur pollutio manere. Et hoc effectu relicto incerto, ſanctitatem incertam matrimonij oportet eſſe. Quid autem dignum eſſet Apoſtolo; ſi prohiberet fidelem diſcedere, quia fortaſſe liberi eorum futuri ſint ſancti.

LXII. Deinde; vis phraſeos Apoſtolicæ eſt in oppoſitum. Sanctificatus eſt vir, ſanctificata eſt mulier, filij ſancti ſunt. Quæ phraſes vt monuimus non deſignant futurum & incertum, ſed præteritum, præſensve & certum. Sic nulla fidelium matrimonia ſunt polluta: Ergo non diſſoluenda prætextu pietatis. Probatur antecedens. Nulla matrimonia polluta, ſiue impura, generant liberos ſanctos: At fidelium matrimonia generant filios ſanctos: Ergo non ſunt impura.

LXIII. Hoc argumento excluditur ea ſanctitas; quam nonnulli prætulerunt ab educatione; nam ab iſta penitus delumbatur argumentum Apoſtoli. Hæc enim incerta eſt. Norunt enim omnes, & docet experientia, neque omnes viros lucrifieri; quod etiam innuit Apoſtolus: neque omnes liberos obſecundare ſanctæ educationi. Præterea ſi qui obſecundent; tamen hic effectus eſt accidentalis, non autem ex ipſius matrimonij natura. Quid enim? Nonne ſcimus A Deo datum, Auguſtini filium natum ex concubitu non legitimo, fuiſſe bene educatum? Imo nonne Iephthes filius meretricis, Iudicium vndecimo, numeratur inter fideles ad Hebræos vndecimo? Conſtat igitur ex paſſiua venere generari etiam filios ſanctos, ſanctitate illa, quæ pendet ex ſequente educatione. Propterea ne adulter infidelis ſanctificatur in adultera fideli? Apage.

LXIV. Reſpondet Bellarminus: coniunctionem cum ſcorto rem eſſe per ſe malam: & ideo non poſſe fieri ſanctam, aut laudabilem & retinendam: etiam ſi inde nati filij, fiant Chriſtiani. At coniugium etiam infidelium rem eſſe bonam, & ideo poſſe fieri meliorem, ſi alter eorum conuertatur ad fidem: & poſſe commendari, ſuaderique perſeuerantiam in tali coniugio, ob bonum, quod inde ſequitur, vt filij Chriſtiani fiant.

LXV. At nos Sophiſtam ridemus, vera dicentem, ſed extra rem. Nos enim de re ipſa non diſputamus; ſed de argumenti efficacia. Neque perſuaderi nobis patimur, Apoſtolum operam dediſſe magiſtris Ieſuitis, vt in re vera luderet auditores futilibus argutationibus. Concedimus ergo matrimonium etiam infidelium eſſe non malum. Concedimus fieri melius, & conuerſione viri, & educatione ſancta liberorum. Concedimus poſſe, imo debere ſuaderi in eo iam contracto perſeuerantiam. Concedimus ſcortationem per ſe eſſe malam, nec poſſe fieri bonam. Omnia denique concedimus quæ ſophiſta poſuit. Quid ergo? Meminiſſe iubemus ab eo in præcedente ſolutione dictum, dubitari poſſe, an coniugium ſit legitimum in religionis diſparitate. Atque hunc fuiſſe Corinthiorum ſcrupulum: nam qui putat ſi diſcedendū à coniuge propter diſparitatem religionis ſupponit omnino in ea diſparitate matrimonium non eſſe ſanctum; ſiue id pollutū interpreteris ſiue legitimum. Huic ſcrupulo eximendo hoc argumē tum oportet accommodari. Itaq; docere, non ex bono fieri melius, ſed non

eſſe

esse malum. Ast id non fieri constat exemplo scortationis: tam certo, tam firmo, vt contradictionem non patiatur. Hinc enim constat, copulationem viri & mulieris malam, non fieri bonam per succedentem liberorum educationem, quantumuis laudabilem. Itaque si coniunctio mulieris fidelis, cum infideli viro, mala est, prout Corinthii saltem suspicabantur, non poterat euinci ab Apostolo fieri bonam per eandem institutionem.

LXVI. Tertio, ponimus hanc sanctitatem constare etiam manente religionis inter coniuges. Patet; quia hæc mens est Apostoli; vt doceat fideli non discedendum à coniuge infideli consentiente in cohabitationem. Cui rei conficiendæ ineptum est æque ac paulo ante, argumentum ab euentu incerto, & per accidens. Hinc refutatur illa sententia, quæ imaginatur tandem cum etiam infidelis conuersus erit, generatum iri filios sanctos. Nam quid si nunquam fiat? Tum autem manifesta ratiocinatio est, si coniugium fidelis cum infideli non esset sanctum; essent liberi impuri. Quis dubitet liberos intelligi ex coniugibus quorum impar sit religio? At nunc sancti sunt. Quinam? Alii nescio qui? an ij ipsi potius? Vel cæcus palpet.

LXVII. De sanctitate illa ceremoniali, quid dicam? Venit in mentem Augustino. Sed Deus bone, quam aliena? Profecto quædam sunt tam absurda, vt refutari non mereantur. Euge. Dixit Apostolus si non sanctificetur maritus infidelis in vxore fideli, futurum vt filii inde nati, sint impuri. Ergo omnes sic nati sunt impuri, aut falsum dixit Apostolus. Quid ergo? Omnesne nati ex iis parentibus quorum alter non sanctificatur in altero; geniti sunt in menstruis? Nunquamne infideles vtuntur vxoribus nisi menstruatis? Ita oportet sane, aut hanc ridiculam esse interpretationem. Tum autem in lege veteri, cum maxime prohibebantur viri accedere ad menstruatas, velim doceri vbi dicti sunt filii sic cõcepti, impuri, ἀκάθαρτοι? Quod si nihil sit præter humanæ coniecturæ diuinationem, quis pro demonstratione admittat? Neque vero Augustinus docet vsquam eo sensu dici impuros, sed tantum ex Ezechielis 18 non esse figurate accipiendam prohibitionem accedendi ad menstruatam, quod procul abest ab hoc negotio.

LXVIII. Refutatis omnibus interpretationibus, sola illa remanet Salmeronis, imo sola illa remanet Caluini, & omnium nostrorum. Nam cur Caluinum sua laude fraudemus, in Salmeronis gratiam: adeo ingrati, vt per quem profecerit, ne nominare quidem dignetur? Huic expositioni nihil est quod possit opponi, ea optime quadrat Apostoli disputationi. Denique à Papistis non refutata, imo ne impugnata quidem, nisi per impudentem calumniam.

CAP. XI.

De Personis in Baptismo.

I. DE personis nunc agendum cum patientibus, tum agentibus. Quanquam in patientibus nihil sit controuersum. Nam vtrique consentimus omne genus homines, cuiusuis ætatis capaces esse Baptismi. Itaque Anabaptistas negantes Pædobaptismum, nostri refutant. Caluinus Instit. libr. 4. c. 16. Beza Confessionis maioris c. 4. sect 48. Zacharias Vrsinis in Bezæ argumentorum defensione. Hellopæus de tota re Sacramentaria tract. 2. c. 8. Zvvinglius in Catabaptistarum strophas, & libro de Baptismo, & contra Balthasarum Huebmerum. Melanchthon, & Musculus in Locis Communibus? Bulingerus aduersus Anabaptistas lib. 6. Denique Confessio Gallica artic. 35. *Quamuis Baptismus sit fidei & resipiscentiæ Sacramentum, tamen cum vna cum parentibus posteritatem etiam illorum in Ecclesia Deus recenseat, affirmamus infantes sanctis parentibus natos, esse ex Christi autoritate baptizandos.* Similiter Papistæ. Concilium Tridentinum sessio. 7. canone 12. 13. & 14. de Baptismo: Catechismus ad Parochos: Bellarmin. de Baptismo c. 8. Vasques in 3. Thomæ, disput. 154. Gregor. de Valentia Commentariorum tomo 4. disp. 4. quæst. 3. Suares de Sacramentis dispu. 25. Dominicus Soto in 4. distinct 5. art. 9. Ioan. Faber Episcopus Viennensis dispu. contra Balthazarem c. 2. & sermonibus aduersus Anabaptistas.

II. Infantes tamen non omnes omnino, sed duntaxat fidelium, id est, baptizatorum. Nam qui infantes sunt infidelium nos quidem negamus admittendos, quandoquidem non pertinent ad Ecclesiam, in eius fœdere non comprehensi. Papistæ vero hactenus consentiunt, vt non absolute negent baptizandos: sed certis exceptionibus: de quibus disputant, Vasques in 3. Thomæ, disp. 155. & Dominicus Soto in 4. dist 5 art. 10. Distinguunt enim infideles in liberos, & seruos. Illorum negant baptizandos inuitis parentibus. Istos vero posse à principib. bello captos. At nos non solemus tam subtiliter inquirere in singula. Dicam tamen quod sentio. Serui si sint vere serui, quales olim; non diffitear: nam Abrahamo legimus imperatum, vt circuncideret suos omnes seruos. Sed quales hodie nos seruos habemus vt plurimum; quia vere liberi sint, non putem sic tractandos, ne eos quidem qui iure belli fiunt subditi principibus: nam hoc genus subditorum tamen liberum manet. De natis ergo ex parentib. infidelibus liberis, si consentiant parentes; distinguendum putem. Consentiunt enim vel ipsi facti fideles, ac tunc nulla difficultas quin sibi & liberis ius acquirant in societatem Ecclesiæ: vel perseuerantes infidelitate: ac tum non putem baptizandos: quia scilicet neque à parentibus, neque à seipsis id iuris acquirant: itaque exspectandum donec ipsi suam fidem testari queant. Sed hæc tamen non sunt eius generis quæstiones, quæ pertineant ad nostras Controuersias.

III. Rursus personas distinguimus in baptizatas, & non baptizatas Has censemus admittẽdas ad Baptismum: illas rursus distinguimus, in legitime: legitime baptizatas: & non legitime: Legitime baptizatas dicimus, in quib. nihil omissum quod sit Baptismo essentiale; quod ad materiam, & quod ad formam; & has nullas credimus iterum admittendas ad Baptismum: quia videlicet hoc Sacramentũ iterati non debeat. Quæ autem non erunt legitime baptizatæ, has admitti posse. Atque sic iampridem definitum cum aduersus Nouatianos, Donatistas ve atq; alios. Nec dissentiunt Papistæ.

IV. Ergo in personis baptizandis nihil est controuersiæ. In baptizante; consentiunt omnes personalem ministri indignitatem, non nocere aut Baptismo, aut baptizato. Quia videlicet tota Sacramenti efficacia à Deo sit, nõ ab homine; cuius partes nullæ sint, nisi in exteriore ministerio. Sed hæc assertio pertinet ad generalem doctrinam de Sacramentis; vbi etiam à nobis posita est.

V. Hoc consensu posito, deinceps controuersa duo sunt capita 1. de Io. Baptismo, alterum de legitimo ministro baptismi.

CAPVT XII.

De Baptismo Ioannis status quæstionis: & argumenta Catholica.

I. DE Ioan. Baptismo, disputatum Zvvinglio in libro de Baptismo c. de 1. Baptismi Origine. Caluino Inst. t. 4. c. 15. § 7. Bucero in Matth. 4. Musculo in locis Communib. c. de Baptismo. Bulingero Decadis 5. sermone 8. & aduersus Anabaptistas lib. 6. c. 1. Chemnitio Examinis Trident. parte 2. ad Canonem 1. de baptismo. Sadeeli ad art. 10. Burdegalensium. VVitakero contra Duræum lib 8. Riueto tract. 3. Catholici Orthodoxi, q. 2. Ioan. Scharpio in cursu Theologico de Baptismo Controu. 2.

II. Papistis, præter Scholasticos in 2. distinct. 4. Sententiarum; Lindano Panopliæ lib. 4. c. 16. Tiletano defensionis Tridentinæ parte altera, ad Canonem 1. de Baptismo. Polygrano in Assertionib de baptismo, errore 1. Eckio Homil 7. de Sacramentis. Arboreo Theosophiæ lib. 2. c. 2. Stapletono in Promptuario Catholico, Dominica 3. aduentus. Rubeo in dist. 2. quarti. Bellarmino c. 29. de Baptismo, & quatuor proximis. Dominic Soto in 4. dist. 2. q. 2. Gregor. de Valentia tom. 4. Commentariorum de baptismo disp. 4. q. 4. punct. 1. Cotono Institutionis lib. 3. c. 28.

III. Tridenti Canon primus de baptismo sessione 7. ita fuit, *Si quis dixerit, Baptismum. Ioan. habuisse eandem vim cum Baptismo Christi anathema sit.* Breuius æquo. Sed alii prolixius. Bellarmin. gemina propositione rem expediuit. Priore, *Baptism. Ioan. non fuit Sacramentum idem cum Baptismo Christi.* Altera, *Baptismus. Ioan non habuit eandem vim & efficaciam, quam habet Baptismus Christi.* Deniq; omnes constanter longe alium fuisse, non numero tantum, sed etiam specie. Imo Stapletonus toto genere. At nostri contra; *non alium sed eundem, quem Io. Baptismum discipulos Domini postea administrasse* (verba sunt Bulingeri) *Et cum post resurrectionem Domin. discipulos iussit aqua baptizare, non alium nouum instituisse, sed eum quem Ioan. inchoarat iussu Dei, Apostolos in totum orbem propagare & omnes gentes baptizare iussit.* Caluinus, *idem fuisse prorsus Iohan. ministerium, quod Apostolis postea delegatum fuerit.*

IV. Sic Papistæ: sic Catholici αὐτοφαντικῶς. Hinc perpetuus in ore Sophistarum sycophantiæ spiritus, exhalandæ suæ virulentiæ ansam non omisit. Nam Stapletonus, *Hoc non ideo faciunt*, inquit, *vt Ioan. Baptismum extollant, sed vt Christi Baptism. deprimant: neq; vt illam remittendi peccata efficaciam Ioan. Baptismo tribuant, quam in Christi Baptismo Scriptura nos docet, sed vt illam infirmitatem & in efficaciam, nudamq; ceremoniam in Christi Baptismo esse doceant, quam in Ioan. Baptismo esse manifestum est.* Audin ex imo Tartaro halitum pestiferum? Agnoscisne calumniam germane Papisticam? Enimvero constabit ex ipsa disputatione; potius euehere Io. Baptismum, quam Christi deprimere. Recte & grauiter Vuitakerus, *Multo magis Campiano & tibi*, Duræo, *vitio vertendum est, quod Io. Baptismum nihil nisi nudam ceremoniam faciatis, quasi Ioan. id tantum egerit, vt tanquam balneator aliquis multorum corpora abluerit. Christi nos baptismo nullam iniuriam facimus, si Io. baptismo quod suum est tribuamus, vos vero Ioan. ministerio partem præstantissimam detrahitis, quando ex illius baptismo gratiam omnem & remissionem peccatorum excluditis.*

V. Cæterum recte Chemnitius monet, cum nemo hodie baptizetur baptismo alio quam qui Christi sit, superfluam videri de baptismo Ioannis controuersiam. Et iis quæstionibus annumerandam, in quibus opinionum diuersitas, vel etiam leuis alucinatio, non inferat iacturam fidei & salutis. Sed & Beza parte altera Quæstionum, *Quæstionem illam*, inquit, *vt hodie inutilem velim prætermitti.* Et sane ita esset consultius, nisi Papistæ suam illam retinentes superbissimã tyrãnidem, vt nolint cuiquam à suo sensu diuersum sensum esse; etiam patientissimos irritarent suis anathematismis.

VI. Scimus autem magnum illis esse à Veteribus prætextum, quos ferme omnes habent sibi præeuntes. Sed in re non præcipui momenti; non iniquã libertatem existimamus; sepositis personis, rationibus potius adhærere: & iis quidem, quas ipsi illi Veteres suis suffragiis non parum iuuenit.

VII. Nobis primum argnmentum. Omne lauacrum aquæ in pœnitentiam & remissionem peccatorum per Christũ diuinitus institutũ Ecclesiæ Christianæ, est baptismus Christi: At Ioan. baptismus, tale fuit lauacrum: Ergo fuit baptismus Christi. Maior patet à natura definitionis, quam oportet cum definito reciprocari. Assumptio igitur est demonstranda per partes.

VIII. Primum igitur fuisse lauacrum aquæ nemo contradicit; quia res est in aperto. Matth. 3. *Et baptizabantur ab eo in Iordane. Ego baptizo vos aqua. Et baptizatus Iesus ascendit statim ex aqua.* Marc. 1. *Et baptizabantur omnes ab eo in Iordane fluuio.* Vbi habes constanter vtramq; materiam, tum remotam, aquam; tum propinquam, baptismum, siue lotionem. Quomodo in baptismo Christi: Act. 8. *Venerunt ad aquam quandam: tum ait Eunuchus, En aquam, quid prohibet me baptizari* Et 10. *Num quis aquam prohibere potest, quominus baptizentur isti?* Et ad Ephes. 5 habe λουτρὸν ὕδατος, *lauacrum aquæ.* Hoc ergo iam capite paria sunt baptismata Christi & Ioannis.

IX. Secundo; probatur institutio diuina ex Ioan. 1. *Qui misit me, vt baptizarem aqua, ille mihi dixerat, super quem videris Spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Id est, iuxta Toletum, *Deus qui misit me, hoc tunc mihi signum dedit. Quasi diceret; si meo baptismo datis fidem, & eum recepistis tanquam à Deo, sciatis illum eundem à quo missus sum baptizare, mihi hoc signum dedisse.* Villagudus, *Videamus Ioan. humilitatem; non ingerit se huic officio. Non mea autoritate, ait, sed diuina huc prodeo: nam misit me Deus.* Augustin. tract. 5. in Ioan. *Quis ergo misit Ioannẽ: Si dicamus Pater, verum dicimus: si dicamus Filius, verum dicimus: manifestius autem vt dicamus, Pater & Filius.* Ferus in Matth. 21. *Baptismum Ioannis nemo dubitat è cœlo fuisse. Sic enim prædictum fuit; Ecce ego mitto angelum meum ante te.* Denique Salmero tract. 58. tom. 8. *Dici posset esse Dei, quia à Deo institutus est, & Ioannes Minister.* Ambrosius de pœnitentia libr. 1. cap. 7. *Baptizaturus in Spiritu sancto & igni, per Ioan. Baptismatis Sacramenta præmisit.*

X. Tertio

X. Tertio, probatur institutum fuisse Ecclesiæ Christianæ, Primo, quia totum ministerium Ioannis pertinebat ad Euangelium. Testis Marcus c. 1. *Principium Euangelij Iesu Christi Filij Dei. Vt scriptum est in Prophetis, Ecce ego mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te. Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, complanate semitas eius. Baptizabat Ioannes in deserto, & prædicabat baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum.* En tibi principium Euangelii repetitum ab ipsa Ioannis prædicatione, atque adeo à baptismo. Lucas Burgensis in ea verba, *Initium Euangelij Iesu scilicet huiusmodi fuit, sic se habuit, tale fuit, quale sequitur. Nam lex & Prophetæ vsque ad Ioannem; à Ioanne autem incipit Euangelium regni cœlorum. Docet itaq; Euangelista, Euangelij initium fuisse pœnitentiæ denuntiationem à Ioanne Baptista præcone factam.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. ἀρχὴ τοῦ κόσμου τὸ ὕδωρ· καὶ ἀρχὴ τῶν εὐαγγελίων ὁ Ἰορδάνης, *Principium mundi aqua: & principium Euangelij Iordanus.* παλαιᾶς τὸ τέλος, καὶ τῆς καινῆς διαθήκης ἀρχὴ τὸ βάπτισμα. Ἰωάννης γὰρ ἦν ἀρχηγός, οὗ μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν οὐδεὶς. τέλος μὲν προφητῶν· πάντες οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου· τῶν δὲ εὐαγγελικῶν πραγμάτων ἀπαρχή· ἀρχὴ γὰρ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τὰ ἑξῆς. *Veteris Testamenti finis, & Noui est principium baptismus. Ioannes erat dux eius, quo maior inter natos mulierum nullus: qui finis erat Prophetarum: omnes enim Prophetæ & lex vsq; ad Ioannem. Et idem erat rerum Euangelicarum principium. Initium enim Euangelij Christi & quæ sequuntur.*

XI. Idem probatur ratione. Omnino enim baptismum Ioannis oportuisse, vel nullius religionis, vel pertinere ad Vetus Tastamentum, vel ad Nouum. At nullius religionis, absurdum est, quandoquidem institutum à Deo; ministratum ab Angelo Dei: & seruiens pœnitentiæ ac remissioni peccatorum; vitandæque iræ Dei. Veteris Testamenti esse non potuit: quia omnes eius ceremoniæ legitimæ, institutæ per Mosem: tum autem, quid opus erat ceremoniis augeri fœdus iamiam antiquandum? Nam nouo obstrinxisset vinculo homines in eius obseruationem. Superest ergo, vt pertinuerit ad Nouum Testamentum; ac proinde ad Ecclesiam Christianam. Itaque recte Athanasius in Parabolis, quæst. 1. *Abeuntes in ciuitatem quæ sita nobis est è regione, hominem inuenietis, testaceum vas aquæ portantem. Quænam ciuitas est? Ecclesia. Quod aquæ testaceum vas? Sanctum Baptisma. Quis ille homo? Præcursor. Quod cœnaculum? regnum cœlorum.*

XII. De Pœnitentia & remissione peccatorum, quod est quartum in definitione; vtrumque manifestum Marci 1 *Prædicabat Baptismum* μετανοίας *resipiscentiæ, siue pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum.* Quomodo Act. 2. *Resipiscite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Concilium Nicenum in Symbolo, ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum.* Basilius 1. de Baptismo, cap. 2. Τὸ δὲ Ἰωάννου βάπτισμα πολυπλάσιον ὑψηλότερον, *Ioannis Baptisma multis modis excelluit* baptisma Mosis. Κατ' οὐδὲν εἰς μηδὲν ἀναβολῆς γινομένης ἐπὶ τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, ἅμα τε προσῆλθέ τις ἐξομολογούμενος τὰς ἁμαρτίας, ὅσας δή ποτ' ἦν καὶ οἵας δή ποτ' ἦν καὶ ἐβαπτίζετο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ, καὶ εὐθὺς ἐλάμβανε τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων, *Nulla prorsus facta dilatione per gratiã Dei & Christi ipsius, simul atque accesserat quis, & peccata sua quantacunq; & qualiacunque fuissent, confessus fuerat, in Iordane flumine baptizabatur, & confestim peccatorũ remissionem accipiebat.* Gregorius Nyssenus in funebri Basilii. Τὰ παντοδαπὰ μιάσματα, καὶ τὰ ποικίλα τῆς ἁμαρτίας δεσμά, *Multiplicia piacula, variosque peccati modos:* πάντα τὰ τοιαῦτα τῷ τε κηρύγματι τῆς μετανοίας, ἐκλύων, καὶ τῷ περιρραντηρίῳ ὕδατι κατὰ τὸν Ἰορδάνην ἐκπλύνων, *Omnia eiusmodi tum prædicatione pœnitentiæ dissoluit, tum aspersiua aqua ad Iordanem eluit.*

XIII. Quam ad rem Ioannes ipse clamabat, *Progenies viperarum, quis vobis præmonstrauit, vt fugeretis ab ira ventura?* Quæ ad eos dicta qui veniebant ad suum baptismum, ostendunt finem huius baptismi hunc esse, vt effugeretur ira æterna. Quod si non factum; ergo mendaciter Ioannes prædicauisset. Cyrillus Catechesi 3. πρῶτον ἐδείκνυον τὰ τραύματα εἶτα ἐπῆγεν ἐκεῖνος τὰ ἰατρεύματα, καὶ τοῖς πιστεύουσιν ἐδίδου λύτρωσιν αἰωνίου πυρός· καὶ εἰ θέλεις αὐτὸς τοῦτο πεισθῆναι ὅτι λύτρωσις ἐστὶ τὸ βάπτισμα Ἰωάννου πυρὸς ἀπειλῆς, ἄκουε λέγοντος αὐτοῦ, *Primum nudabant* illi Iudæi *vulnera: tum ille* Ioannes *adhibebat medicamenta; & credentes liberabat ab igne æterno. Ac si velis hoc tibi probari, quid Baptismus Ioannes ab igne comminationis liberabat, audi ipsum dicentem, Genimina viperarum, quis monstrabit vobis fugere à futura ira?* Prudentius καθημερινῶν septimo, *Sacrato in flumine Veterum pietas lauit erro rum notas. Sed tincta postquam membra defæcauerat Cœlo refulgens influebat Spiritus. Hoc ex lauacro labe dempta criminum Ibant renati non secus, quam si rudis Auri recocta vena pulchrum splendeat, Micet metalli siue lux argentei Sudum polito prænitens purgamine.* Iuuencus lib. 1. *Zachariæ soboles desertis vallibus omnes. Ad deponendas maculas clamore vocabat Fluminis vt liquidi caperent miranda lauacra. Queis animæ species abluta sordæ niteret.*

XIV. Quod in definitione erat de remissione per Christum non indiget, opinor, noua demonstratione. Nam quæ posset alia dari remissionis ratio? *Nec enim est in alio quoquam salus. Nec aliud nomen est sub cœlo quod dictum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari.* Actorum quarto. Ac sane Baptistes hoc ipsum exserte prædicabat, & quantum lateribus valebat, inclamabat, *Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi.* Ioannis primo. Quæ summa est vniuersæ doctrinæ Christi. Villagudus in eum locũ, *Quod in vniuerso Euangelio quæri potest, quam remissio peccatorum: quam qui habet omnia habet, nam Christum habet.* Vt non sine causa Caluinus hinc collegerit eandem fuisse Christi, Ioannisque doctrinam: ideoque & Baptismũ. Quem imitatus VVitakerus; Qualis inquit, Ioannis doctrina fuit, talem quoque baptismum fuisse constat. Veram autem Ioannes pœnitentiam docuit, & peccatorum remissionem proposuit: Ergo huius baptismus in vera pœnitentia susceptus remissione peccatorum minime caruit.

XV. Huic argumento potẽtissimo à definitione opponuntur Papistarum argumenta præcipua, quæ commodius examinabuntur proximo capite. Nunc ea tantum quæ speciem habent refutationis eorum quæ iam asserta sigillatim; excepto primo, cui contradicere nemo potuit.

XVI. De quarto & quinto nonnihil nugantur. Ad illud respondet Bellarminus, Ioannis baptismum passim dici baptismum pœnitentiæ Matthæi tertio, Marci 1. Lucæ 3. Actor. 3. & 19. At Baptismum CHRISTI, nunquam. Porro eo differre hunc ab illo, quod Ioannis Baptismus prouocaret ad pœnitentiam: Christi autem, supponeret pœnitentiam tanquam dispositionem præeuntem: contrario nempe modo. Deinde; remissionem peccatorum non esse immediatam & proximum effectum baptismi Ioannis; sed pœnitentiæ: vt sensus sit, Ioannem prædicasse baptismum pœnitentiæ, id est, quod incitaret & inuitaret ad pœnitentiam, quam qui agerent vt oporteret, consequerentur remissionem peccatorum. At baptismi Christi pœnitentia describitur effectus immediatus.

XVII. Sed in primo lusus est vocabulorum: nihil amplius. Fatemur dictum baptismum Iohannis, baptismum pœnitentiæ. Sed baptismum Christi non itidem dictum; non verum, nisi totidem numeratis syllabis. Nam alioquin idem est reapse, baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum; quod est; *resipiscite & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Neque aliud discrimen, quam quod Matthæus expressit quid doceret Ioannes; Petrus autem, quid præstare deberent accedentes ad baptismum. Ideo æque vterque prouocabat ad pœnitentiam. Præterea baptismus Christi appellatur lauacrum regenerationis: At pœnitentia re idem est cum regeneratione, ratione tantum differt, quia regenerationis nomen sumptum à causa; pœnitentiæ vero ab effectu eius causæ. Nam Spiritus sanctus regenerat nos, efficiendo in nobis mutationem illam à malo in bonum, quæ pœnitentia dicitur. Itaque baptismus regenerationis & baptismus pœnitentiæ idem est.

XXVIII. Baptismum Christi supponere præuiam pœnitentiam; Ioannis autem subsequentem, discrimen est commentitium. Nam certum est baptismo Ioannis præiuisse pœnitentiam. Matth. 3. *Baptizabantur ab eo confitentes peccata sua.* Cyrillus paulo ante, πρῶτον ἐδείκνυον τὰ τραύματα. εἶτα ἐπῆγεν ἐκεῖνος τὰ ἰατρεύματα, *Illi primum nudabant vulnera: tum iste adhibebat remedia.* Iansenius cap. 13. Concordiæ. *Quem vere pœnitet suorum peccatorum, quique tenetur desiderio remissionis eorundem, nihil cunctatur, nihil veretur ea exponere ei per quem sperat se optatam consequi posse vel consolationem vel remissionem: non minus quam ægrotus morbum suum detegere ei, à quo se sperat obtinere posse desideratam salutem.* Atqui vel Papistis testibus confessio pars est pœnitentiæ: quam contritio præcedit. Habes igitur ad Ioannem accedentes Contritos, habes Confessos; antequam baptizarentur: & negas pœnitentes nisi post baptismum?

XIX. Sed & falsum, pœnitentiam præire tantum baptismo Christi, non etiam sequi. Nam Ioannes de pœnitentia post baptismum suum ita loquitur, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Hi autem fructus qui sunt? Τὰ ἀντικείμενα τῇ ἁμαρτίᾳ ἔργα δικαιοσύνης. *Opera iustitiæ opposita peccato* inquit Basilius regula 287. in breuioribus: quod meminimus fusius dicere cap. 10. libri 25. tomi 3. Atqui iidem hi fructus debent sequi baptismum Christi. Itaque Paulus Act. 26. eadem phrasi est vsus, *Annuntiaui vt resipiscerent se ad Deum, opera facientes digna pœnitentia.* Quare vtrumque baptismum itidem præcessit, itidem sequuta est pœnitentia. Quid igitur discriminis?

XX. At remissio peccatorum non immediatum effectum Baptismi Ioanis, verum Christi. Imo vel neutrius; vel vtriusque eodem sensu. Si intelligas effectum immediatum, vt fiat etiam nulla posita pœnitentia in adultis: falsum est, sic remissionem esse effectum immediatum baptismi Christi. Nam vtrinque similiter habes τὴν μετάνοιαν requisitam. Non tantum enim Ioannis baptismus fuit pœnitentiæ; adeo vt qui accederent, confiterentur peccata sua: sed etiam Petrus accessuros ad baptisma CHRISTI iussit resipiscere, & Paulus similiter. Quod si aliter, vt supposita pœnitentia remissio sit à gratia baptismi; negatur hoc modo remissionem non esse immediatum effectum baptismi Ioannis. Nam contra demonstratum; in eo ipso & promitti & dari. Itaque rursus discrimen nullum: quia nec baptismus Christi promittit remissionem, nisi supposita pœnitentia: & baptismus Ioan. hac supposita dedit remissionem.

XXI. Ad quintum Bellarminus respondet bis peccari. Primo, in antecedente. Neque enim fuisse doctrinam Ioannis eandem & Christi, nisi hoc sensu, quod nihil Ioannes docuerit contrarium Christo. Sed tamen nihil docuisse de Christi resurrectione; ne de passione quidem expresse. Nam quod agnum Dei vocarit, posse referri ad innocentiam, & mansuetudinem; etiamsi victima non fuisset. Secundo, in consequentia. Neque enim doctrinam quicquam facere ad Sacramenti essentiam & veritatem. Probat hoc, quia alioqui hæretici, qui habent falsam doctrinam, haberent falsa Sacramenta: qui est error Donatistarum. Sicut igitur diuersitas doctrinæ non facit diuersum baptisma: sic doctrinæ similitudinem non facere baptisma vnum.

XXII. Monstrum nouum: Non fuisse doctrinam Ioannis eandem & Christi, nisi quod nihil habuerit contrarium. Quomodo scilicet eadem doctrina Aphorismorum Hippocratis, Elementorum Euclidis, Almagesti Ptolemæi, Catonisq; de re Rustica, dici potest cum doctrina Christi. Egregiam sane laudem, & dignam præcursore: dignam eo, qui venit vt præpararet vias Domini. Scilicet hic Iesuitarum triumphus est! Atqui primum vtraque est eiusdem generis, vtpote religiosa: adde eiusdem speciei; religionis Christianæ; denique amplius: Doctrina Ioan. initium Euangelii, summa Euangeli?. Cur ergo tantum eadem, quia non contradictoria?

XXIII. Atqui nihil de resurrectione Christi, nihil de passione. Primo, de passione falsum. Nam agnum dicere qui tollit peccatum mundi, non potuit, vt non passionem significaret. Quia hæc inde metaphora sumpta est Propter innocentiam, & mansuetudinem concesserim equidem: sed propterea duntaxat, absurdissimum: quia hæc sola non tollat peccatum mundi. Alcuinus in hunc locum, *Quomodo autem peccata mundi tollat, quo ordine iustificet impios Apostolus Petrus ostendit; qui ait, Non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni incontaminati & immaculati Iesu Christi.* Theophylactus, τοῦ Θεοῦ λέγεται ἀμνὸς ὁ Χριστός, εἴτε τοῦ Θεοῦ ὡς προσδεξαμένου τὸν ἐπὶ σωτηρίᾳ ἡμῶν θάνατον τοῦ Χριστοῦ, εἴτε ὡς τοῦ Θεοῦ δόντος αὐτὸν ὑπὲρ ἡμῶν εἰς θάνατον, *Dei agnus dicitur Christus, siue tanquam Dei acceptantis Christi pro salute nostra mortem: siue tanquã tradentis eum pro nobis in mortem.* ὥσπερ εἰώθαμεν λέγειν τόδε δὲ τὸ θῦμα τοῦ δεῖνος ἐστὶν, ἀντὶ τοῦ ὁ δεῖνα τοῦτο προσήγαγε· οὕτως ἂν καὶ ὁ κύριος

ἐκ῀ λέγεται ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὡς τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς διὰ τοὺς περὶ ἡμᾶς ἀγάπην δόντος αὐτὸν εἰς σφαγὴν ὑπὲρ ἡμῶν, *Prout solemus dicere. Hæc est huius hostia;pro eo quod est, hic istam obtulit Sic igitur Dominus dicitur agnus Dei, nempe Dei Patris propter nostri dilectionem tradentis eum inoccisionem pro nobis.* Pererium vide, & Toletum.

XXIV. Præterea;cui bono? Nam baptismum Christi inchoasse volunt Papistæ ab ipso Iordanæ cum Christus est baptizatus. Bellarminus cap. 5. *Baptismus Christi institutus est, quando Dominus ipse in Iordane à Ioanne baptizatus est.* Atqui tunc temporis nondum quicquam prædicauerat Christus aut de morte, aut de resurrectione sua. Fuitne igitur tunc aut doctrina Christi, non doctrina Christi, aut baptismus, non baptismus Christi? Denique ad baptismi veritatem; non exacta requiritur omnium doctrinæ capitum enucleatio: sed elementaris; vt c. 6. ad Hebræos nominatur βαπτισμῶν διδαχὴ inter Christianitatis στοιχεῖα.

XXV. Doctrinæ veritas, inquit, nihil ad baptismi essentiam. Vehementer falsum. Nam quis nescit *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti* legitime administrandum baptisma, & non legitime in Patrem solum Deum; & Filium Patris ministrum? Atqui hoc ipsum pertinet ad doctrinæ veritatem. Et quis nescit in hæresi inutiliter haberi baptismum? Atqui vtilitas baptismi ad essentiam pertinet, quandoquidem Sacramentum est regenerationis.

XXVI Sed si est doctrina de essentia: ergo quibus falsa est doctrina, baptisma nullum Imo doctrina, inquam, vel baptizantis est, vel baptizati. Sed baptizantis, negatur consequentia. Nam veritas doctrinæ quam baptizatus amplectitur; sufficit, vt sit verum baptisma: & vt veritas doctrinæ sit necessaria baptismo. Sin autem doctrina est suscipientis baptismum; consentitur baptisma esse nullum, quantum ad effectum, id est, inutiliter possideri, vt amat Augustinus loqui: quantumuis externa cæremonia non sit ludicra. Quod si verum, doctrinæ veritatem requiri ad efficaciam baptismi; profecto verum est eandem necessariam, adde essentialem baptismo. Etsi enim non est repetenda ablutio; tamen addenda veritas doctrinæ, vt integrum possideatis Sacramentũ, constans ex signo & re significata.

XXVII. Denique illud si diuersitas doctrinæ non faciat diuersum baptismum: Ergo identitatem non facere vnum; dicitur absurde. Quia diuersitas doctrinæ nunquam est tanta inter eos qui baptizant, vt non sit aliquid identitatis remanens ex veritate: à qua peti debet identitas baptismi; quæ corrumpi non potest adhærente falsitate; quia per accidens Ast in identitate doctrinæ nihil est contrarium. Si ergo aliquid veri identitatem baptismi efficit, multo magis tota doctrina vera.

XXXVIII. Hactectenus argumentum nostrum primum. Alterum nunc. Christ⁹ Baptizatus est baptismo nostro. At idem baptizatus est baptismo Ioan. Ergo baptismus Io. est baptismus noster: id est, idem cum eo quo baptizantur Christiani: hi autem baptizantur baptismo Christi. Itaq; baptismus Io. est baptismus Christi. Minor est certa, testib. tribus Euangelistis. Marc. 1. breuiter, *Venit Iesus à Nazareth vrbe Galileæ, & baptizatus est in Iordane à Ioan.* Lucas 3. *Factum est autem quum baptizaretur omnis populus, & Iesus baptizatus esset, & precaretur, vt apertum sit cœlum.* Matth. 3. *Aduenit Iesus à Galilea in Iordanem ad Ioan. vt baptizaretur ab eo. At Io. obnixe prohibebat eum; dicens; Ego necesse habeo à te baptizari, & tu venis ad me? Respondens aũt Iesus dixit ad eum; Omitte nunc: ita enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc omittit eum. Et baptizatus Iesus ascendit statim ex aqua, & ecce aperti sunt cœli.*

XXIX. Maior probatur, primum ratione; deinde autoritate. Ratio hæc est: Quia Christus suscepit in sese reliqua Sacramenta; Circuncisionem, Pascha, Eucharistiam: Ergo similiter Baptismum.

XXX. Veteres consentiunt. Nazianzenus oratione 48 ὄψει καὶ καθαιρόμενον Ἰησοῦν ἐν τῷ Ἰορδάνῃ τὴν ἐμὴν κάθαρσιν, *Et Iesum purgatione mea in Iordane purgari videbis.* Ad quem locum Elias, *Breui, inquit, futurum est, vt Christum mea causa purgari videas, ea purgatione, quam mihi adhiberi cõueniebat, vtpote peccatis fœdato. Nam nostri vice baptizatus est:* τὴν ἐμὴν κάθαρσιν nota. Nõ enim internam: quandoquidem purus esset ab omni macula: Ergo externã, id est Sacramentalem. Sacramentalis autem nostra purgatio nulla, nisi baptismus Christi Necesse est ergo eundem esse baptismum Io. & Christi. Ad eandem mentem Emisseno homil. 1. de Epiphan. dictum, *Nobis vel ex Virgine natus est quod stella monstrauit, vel ex baptismo renatus est, quod Iordanis alueo consecrauit.* Nam nobis renatus quomodo, si per baptismum nullo genere eundem cum nostro?

XXXI. Rursus dicunt plurimi, baptizari voluisse Christum, vt Ecclesiæ baptismum consecraret; & in eũ finem aquas consecraret purgaretq;. Quod nos profecto intelligere non possumus, si toto genere diuersum baptismũ suscepit: quomodo certe nobis Circumcisionem nõ consecrauit; non agnum Paschalem. Nazianzenus oratione 38. dixit Christũ ἁγιάζοντα τῇ καθάρσει τὰ ὕδατα, *Aquas purificatione sua purificantem.* Thom. Catena in Matth. *Chrysostomus super Matth. Non vt ipse remissionem peccatorum acciperet per Baptismum: sed vt sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis. August. Saluator enim ideo baptizari voluit, vt non sibi munditiam acquireret, sed vt nobis fluenta mundaret.* Emissenus homil. 1. de Epiphania, *In Iordanis alueo aquas omnib. gentibus ad salutem humani generis suo Baptismate consecrauit.*

XXXII. Nec nulli dixere consecratum baptismum. Hilarius Canone 2. *Per illum in aquis ablutionis nostræ erat sanctificanda purgatio.* Cyrillus Catechesi tertia, ἡγίασε τὸ βάπτισμα ὁ Ἰησοῦς βαπτισθεὶς αὐτός, *Sanctificauit Baptismum Iesus, cum ipse Baptizatus est.* Ἀναμάρτητος ὢν ἐβαπτίσθη, ἵνα χάριν θείαν καὶ ἀξίαν παράσχῃ τοῖς βαπτιζομένοις. *Etiamsi peccato non esset obnoxius, baptizatus est, vt diuinam gratiam & dignitatem præstaret iis qui baptizarentur.* ὥσπερ γὰρ τὰ παιδία ἐπειδὴ κεκοινώνηκεν αἵματος καὶ σαρκὸς, καὶ αὐτὸς μετέσχε τῶν αὐτῶν, ἵνα τῆς ἐν σαρκὶ παρουσίας αὐτοῦ κοινωνοὶ γενόμενοι, καὶ τῆς θείας αὐτοῦ χάριτος κοινωνοὶ γενώμεθα· οὕτως ἐβαπτίσθη Ἰησοῦς, ἵνα καὶ διὰ τούτου πάλιν ἡμεῖς τῇ κοινωνίᾳ λάβωμεν μετὰ τῆς σωτηρίας τὴν ἀξίαν, *Quemadmodum enim, quia participes fuerunt corporis & sanguinis, ipse etiã factus est eorum particeps; vt præsentiæ illius in carne nos participes, eiusdẽ diuinæ gratiæ fieremus participes, sic baptizatus est Iesus, vt hoc etiã modo per participationem vna cum salute gloriã obtineamus.*

XXXIII. Nazianzenus orat. 40. postquã triplicẽ enumerasset generarionẽ. τὴν ἐκ σωμάτων, τὴν ἐκ βαπτίσματος, καὶ τὴν ἐξ ἀναστάσεως: addit ταύτας δὴ τὰς γεννήσεις ἁπάσας παρ' ἑαυτοῦ τιμήσας ὁ ἐμὸς Χριστὸς φαίνεται, τὴν μὲν τῷ ἐμφυσήματι τῷ πρώτῳ καὶ ζωτικῷ. τὴν δὲ τῇ σαρκώσει, καὶ τῷ βαπτίσματι, ὅπερ αὐτὸς ἐβαπτίσατο· τὴν δὲ τῇ ἀναστάσει, ἧς αὐτὸς ἀπήρξατο, *Has cunctas natiuitates honore à Christo meo affectas fuisse constat, primam, per primam illam & vitalem insufflationem: secundam per incarnationem & Baptismum, quo ipse baptizatus est: tertiam denique per resurrectionem, quam ipse auspicatus.* Hic videbatur mihi Billio fuisse potius actiue dicendum, *baptizauit*, ἐβαπτίσατο: Verum scrupulum amouit, & Elias vertens passiue, *Incarnatus, ac secundum carnem baptizatus, neque enim aliter quam cum carne baptizari licuisset, Baptismum quoque honore & gloria cumulauit.* Et Damascenus libri 4. cap. 10. qui varia baptismata enumerans, Πέμπτον, Inquit, τὸ τοῦ κυρίου βάπτισμα, ὃ αὐτὸς ἐβαπτίσατο· βαπτίζεται δὲ οὐχ ὡς αὐτὸς χρῄζων καθάρσεως ἀλλὰ τὴν ἐμὴν οἰκειούμενος κάθαρσιν, *Quintum est Domini Baptisma, quo & ipse baptizatus est. Baptizatur autem, non quod ipse egeret purificatione, sed meam sibi approprians purificationem* Cyprianus de Baptismo Christi, *Veniebat Christus ad Baptismum, non egens lauacro, in quo peccatum non erat; sed vt Sacramento perennis daretur autoritas.*

XXXIV Sic autoritas testatissima res est; Christum fuisse baptizarum à Ioanne: ac proinde illo ipso baptismo, quo Ioannes vtebatur; & de quo nunc quæstio est. Fuisse autem eo ipso actu consecratum baptismum nostrum; nostram purgationem. Quid igitur superest, quominus concludamus, illum ipsum baptismum quo Ioannes vtebatur, fuisse nostrum baptismum, nostram purificationem?

XXXV. Opponit Bellarminus. Sic gloriam Christo detrahi, imo contumeliam & iniuriam irrogari: neque posse baptismum Christi Christo tribui absque iniuria. Nam cum sit lauacrum regenerationis & adoptionis filiorum; videretur indiguisse Christus regeneratione & adoptione: quæ maxima est in Christum blasphema. Secundo magis gloriosum fuisse Christo non accipere suum baptisma, quam accipere. Dum enim confert & non accipit, Imperatorem se & principem huius militiæ ostendere, quippe characterem suum aliis imprimentem. Quod si acciperet, videretur ipse etiam ad militiam adscribi. Tertio; Antequam baptizaretur Christus, nunquam apparuisse columbam: nunquam apertos esse cœlos, nunquam auditam vocem, aut sanctificatas aquas: & tamen fuisse baptismum Ioannis, qui postea fuerit. Non igitur eundem fuisse cum nostro: videlicet, quia illũ non instituerit, sed acceperit: hũc vero nõ acceperit, sed instituerit.

XXXVI. Sed contra sunt Veteres: Et quidem diserte Damascenus; qui cum quarto loco baptismum Ioannis constituat; quinto autem baptismum Christi: tum vero hoc quinto baptizatum Christum διαῤῥήδην asseruit. Sed & Nazianzenus, τὴν ἐμὴν κάθαρσιν: & imitatus est Damascenus: quod nullo modo intelligi potest nisi de nostro baptismo. Tum autem quem absurdum est suo Baptismo Christum sanctificasse aquam nobis baptizandis & tamen non accepisse nostrum baptisma? Monstri id quidem simile: nec facile rationem Bellarminus est expediturus: quantumcunque suæ sophisticæ confidat.

XXXVII. Videtur indiguisse regenerationis & adoptionis. Proh! cæcitatem Iesuiticæ sophistices! Atqui idem Christus communicauit Eucharistiæ: quæ ipsa Sacramentum est incorporationis cum Christo. An tolerabilius videri indiguisse incorporationis? Imo, ne discedamus ab hoc ipso baptismo Ioannis. Certè is fuit pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et qui postulabant, fugiebant iram venturam. Cur, quæso, non visus Christus indigere pœnitentia, & remissione peccatorum, & liberatione ab ira, dum suscepit baptismum Ioannis: & visus tamen indigere regeneratione & adoptione, si suscepit baptisma suum? Aut si æquè vtrumque, cur indignum videri posterius, non indignum prius?

XXXVIII. Sed Veteres præscripserunt: nec negauerunt videri: sed negauerunt indiguisse. Eo ipso indicantes indignitatem non in eo esse, vt videretur; sed in eo vt indigeret: itaque illud non negandum; hoc serio impugnandum Videri autem, etiam in Ioannis baptismo. Chrysostomus homilia 12. in Matthæum, ἐπειδὴ γὰρ βάπτισμα μετανοίας ἦν, καὶ εἰς κατηγορίαν τῶν πλημμελημάτων, ἐνῆγεν, *Quia enim erat Baptisma pœnitentiæ, & in accusationem peccatorum inducebat.* Nihil hic audis quod de baptismo Ioannis non certum, vel Papistis testibus. Quid ergo? Negatumne videri quicquam eiusmodi posse? Imo additæ cautiones ne videretur, ἵνα μή τις νομίσῃ ὅτι καὶ αὐτὸς μετὰ τῆς τοιαύτης γνώμης ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην ἔρχεται, *Ne quis putaret ipsum etiam cum tali proposito ad Iordanem venire.* Quid actum ô bone? προδιορθοῦται αὐτὸ τῷ τε ἀμνὸν καλέσαι, καὶ λυτρωτὴν τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην ἁμαρτίας ἁπάσης, *præmuniuit hoc; tum vocando illum Agnum, tum Redemptorem omnium in toto orbe peccatorum*, ὁ γὰρ τὰ παντὸς τοῦ ἀνθρώπων γένους ἁμαρτήματα δυνάμενος ἀνελεῖν, πολλῷ μᾶλλον αὐτὸς ἀναμάρτητος ἦν, *Qui enim cuncta humani generis poterat peccata delere, multo magis absque omni erat ipse delicto*, ἵνα μετὰ τοῦ τοῦτο κἀκεῖνο μετὰ πάσης δέξῃ πληροφορίας, καὶ δεξάμενος ἴδῃς, ὅτι ἑτέραν τινὰ οἰκονομῶν ἐπὶ τὸ βάπτισμα ἔρχεται, *Vt vna cum eo & illud cum omni certitudine admittas: videasq; alia quadã dispẽsantẽ venisse ad Baptismũ.*

XXXIX. Attende; Obiectio erat. Quisquis baptizatur, est peccator: At Christus baptizatur: Ergo est peccator. Solutio quęnam est? Papista: Distinguo, inquit, baptismum Ioannis, à baptismo Christi. De illo conceditur minor, negatur maior: de isto conceditur maior, negatur minor. Satin acute? At contra, de baptismo Ioannis probatur maior. Quisquis pœnitentiam profitetur, & remissionem quærit, est peccator: at quisquis baptizatur baptismo Ioannis pœnitentiam profitetur, & remissionem quærit: Ergo quisquis baptizatur baptismo Ioannis est peccator. Sic abiit in ventos Sophistarum subtilitas. At Chrysostomus argumentum concedit esse verisimile, negat necessarium. Itaque distinguit aliter: Accedere ad baptismum Ioannis, alios propter susceptionem baptismi; at Christum propter dispensationem aliquam. Illos omnes esse peccatores: hunc minime.

XL. Hæc notanda solutio est. Nam etsi idem Chrysostomus oratione de Baptismo Christi, neget Christum baptizatũ baptismo nostro, sed Ioannis: tamen vident omnes hoc quem citauimus loco, obiectionem sumi ex natura baptismi Ioannis; qui erat pœnitentiæ, & inducebat ad confessionẽ peccatorum. At proinde solutionem ei obiectioni accommodari debere: vnde sequitur frustraneum esse Bellarmini acumen, quasi de baptismo Ioannis non possit idem incommodum timeri; quod de nostro. Præterea apparet nihilo magis virium esse ei incommodo in baptismo nostro. Neque enim propterea cessabat œconomia; aut desinebat Christus esse agnus qui tollit peccatum mundi.

XLI. In

XLI. In Imperatoriæ dignitatis ratione diffidendum credo Iesuitis; quorum in Sophisticæ ludicris exercitatior ætas. Nam contra hactenus inauditum est, Imperatorem suum ipsius characterem non sumere, suisque militibus solis imponere. Certe nostris Regibus in bellis æque cruces hærent candidæ; Hispanis rubeæ, ac quibusque in exercitu militibus: & equestris dignitatis insignia, quis in eorum vestibus non videt? Quid? quod ipse testatus est, à se oportere impleri omnem iustitiam? Nonne hæc est militia Christiana? Et quem vides adscriptum militiæ (nam & factum sub lege negare non potes) ei indecora clames insignia militiæ? Quid? quod Maldonatus testatur tunc ad Ioannem accessisse Christum, non vt Imperatorem, sed vt priuatum? Denique ridiculus est Iesuita: qui contendat magnificentius Christum non vsum suis Sacramentis: qui tamen non neget aliena suscepisse. Heus tu qui indignum putasti si adscriberetur suæ militiæ, censen esse magnificentius, vt in alienam nomen daret.

XLII. Tertiam eandemque postremam subtilitatem fateor non assequi. Dauus enim sum, non Oedipus. Non apparuit columba nisi tunc, & tamen idem fuit baptismus Ioannis qui prius: Ergo baptismus, quem Christus habuit à Ioanne, non est idem cum nostro. Concedo sane quicquid est in antecedente: sed consequentiam quid est, quod saltem reddat probabilem? An iuuabit breuiator Baptistæ? *Apparuit Spiritus Sanctus & vox audita est; ad commendandam Christi personam & dignitatem: ad figurandum effectum Baptismi instituti. Quæ omnia cum baptizantur fideles, non contingunt.* Hæc ille: in quibus tantundem tenebrarum.

XLIII. Sed hoc habet à se clarius in aliis à Ioanne baptizatis, non adfuerunt eiusmodi signa: Ergo non fuit in illis efficax; nec similis nostro.

XLIV. Sed quam inepte? Conceditur antecedens. Sed unde consequentia? Neque vera hæc ad signa efficaciam baptismi pertinebant: sed ad baptizati prærogatiuas. Vin scire? Baptismi efficacia est remissio peccatorum. Quare si hæc signa concludunt efficaciam baptismi à Christo accepti; necesse est Christo remissa fuisse peccata; quod est blasphemum. Itaque in nostro argumento nulla hæc signa fuerunt: quæ neque acciderunt in baptismo, sed post eum.

CAP. XIII.

Contra Baptismum Ioannis argumenta Papistica.

I. HÆc Catholicorum fuerunt argumenta. Nunc Papistarum omnino quatuor. Primum ab institutione: alterum à forma: tertium ab effectu: quartum à superaddito baptismo Christi.

II. Primum ita est apud Bellarminum. Baptismus Ioannis, ab ipso Ioanne institutus erat. Non ergo erat Sacramentum præsertim nouæ legis. Consequentia patet, quia nullus homo purus Sacramenta instituere potest, præsertim nouæ legis. Antecedens probatur; quia passim vocetur baptismus Ioannis. Matthæi 3. & 21 Marci 11. Lucæ 20. Actor. 1. 18. 19. Quæ denominatio non potest significare Ioannem ministrum tantum fuisse, sed autorem: alioqui baptismus Christi potuisset etiam vocari baptismus Petri, Pauli, Philippi, & aliorum: quod Scriptura cauit diligenter.

III. Respondeo, institui aliquid, vel tanquam à summo autore; vel tanquam à summi autoris ministro. Priori modo institutam fuisse Abrahamo Circuncisionem; & Apostolis Eucharistiam. Ast altero, Israelitis Pascha & Sacrificia, & Nouilunia, & alia per Mosem. Ecclesiæ libertatem à legalibus per Apostolos in Concilio Hierosolymitano. Sic multi Papistæ tenent, Confessionem, extremamque Vnctionem, quas in Sacramentis numerant institutas à Christo, per Iacobum Apostolum.

IV. Hoc posito nodus est facilis. Nam de autore summo, negatur antecedens. De Ministro, negatur consequentia. Non tantum enim Ioannes dixit se missum vt baptizaret aqua: sed etiam Christus Matthæi 21. innuit hunc baptismum fuisse è cœlo. Lucas Brugensis, *Tacite dat huiusmodi responsum, se ea autoritate hæc gerere, quam Ioannes, homo citra controuersiam missus à Deo, ipsi attribuerat: autoritate, inquam, è cœlis à Deo immediate profecta, quali & Ioannes ipse fuerat vsus.* Stella sic sensum expressit in Lucæ 20. *Conferte facta mea cum factis illius: & expedite, an si non dubitatum est de autoritate illius conueniat de mea dubitare.* Et Barradius cap. 2. libri 8. tomi 3. *Quemadmodum Ioannes à vobis facultatem baptizandi, & docendi non postulauit, sed à Deo habuit: ita & ego facultatem faciendi hæc, quæ facio, à vobis non postulaui sed habeo à Patre.* Constat ergo autoritate Christi baptismum Ioannis etsi ab eo sit, tamen esse tanquam à summi autoris ministro: ac proinde vere esse à summo autore Deo. Quod ipsum sic euincitur: Quia nullum Sacramentum potest institui ab homine puro, vnde petita confirmatio consequentiæ: Quare si Ioannis baptismus fuisset à solo Ioanne puro homine, nullum fuisset sacramentum. Quod est absurdum.

V. Nam quod Bellarminus obiicit, Deum solum in genere inspirasse, & ita mandasse vt baptizaret: sed ritum in particulari Ioannem ipsum instituisse; non à Deo præscriptum; nihil habet præter desperatam audendi temeritatem. Quis enim ferat à Deo baptismum esse; non esse baptizandi ritum? Quasi baptismus ipse non sit baptizandi ritus? Aut quasi non & baptismum & baptizandi ritum Dominus comprehenderit, id est, talem baptismum qualis celebratur; cum Iudæos hac interrogatione perculsit, vnde is baptismus esset. Baptismus, inquam, Ioannis: quem propterea à Ioanne institutum audent mentiri, quia Ioannis dictus sit. Scilicet vltra communem sortem sapiunt Iesuitæ. Atqui diserte dixit *Ioannes* se missum vt baptizaret aqua: quo nihil potuit efficacius dici.

VI. Sed enim Ioannis baptismus; quia Baptistes autor. Itane? Cuius ergo legem Mosis dicimus? Autoris an Ministri? Nam profecto non sæpius baptismum Ioannis legas, quam legem Mosis. Itaque potest ea phrasis aliquid in Ioanne peculiare significare, quod non in reliquis baptizantibus: sed non tamen autorem asserere, ministrum negare. Nam quod subiicit, potuisse similiter dici baptismum Pauli, aut Petri: ego ero itidem potuisse Euangelium dici Petri, Paulive, itidem vt legem Mosis. Vnde ergo factum vt legem Mosis dicamus, non dicamus Euangelium Pauli? Doce hoc me Sophista: vt ego te vicissim doceam illud. Denique Matthæi 21. cum dixit, *Baptismus Ioannis vnde erat, è cœlo an ex hominibus?* docuit baptismum Ioannis dici posse, qui tamen esset è cœlo.

VII. Secundum argumentum à forma. Baptisma Christi habet inuocationem Trinitatis: At baptismus Ioannis non habuit inuocationem Trinitatis: Ergo baptisma Ioannis non est baptisma Christi. Assumptionem probat Bellarminus, quia neque Scriptura, neque vlla Patrum traditio docuit habuisse. Non possumus autem in eiusmodi rebus, nisi valde temere aliquid fingere sine testimonio Scripturæ aut traditionis.

VIII. Miramini nunc tandem miri hominis castitatem, sanctitatem in rebus religionis? Vnde, aut quo tam extraordinario motu? Nisi forte non à se finxerit, sed a Scriptura, traditioneve didicerit, quod iamiam oraculum effudit; Ioanni Baptistæ inspiratum tantum vt baptizaret: non indicatum baptizandi ritum. Hoccine dixit Scriptura? Hoccine tradidit Augustinus, tradidit Tertullianus? Næ aut mihi nulla est Iesuitici ingenii notitia, aut tantæ huius subtilitatis laudem, ne oblato quidem auro quantum Tagus voluit, cuiquam Veterum concesserint Loiolitica perfectionis affectatores. Quid ergo? Nempe hæc nulla religio est, sed inuidia, eorum qui cum sibi suos fontes velint patere; nobis nostros riuulos non clausos esse pati nequeunt.

IX. Sed ad rem. Probanda erat minor, nullam fuisse inuocationem Trinitatis, in baptismo Ioannis. Argumentum ei rei negatiuum: quod tamen illi quoties libet, quam ludicre exsiliunt? Et in nobis nuper; cum neque Scripturam, neque ante Lombardum Ecclesiam diceremus numerasse septem sacramenta, quid habuimus ponderis, apud istos nunc seuerissimos Censores? Sic verum, *non in re, sed in verbo tantum esse virtutem.*

X. Neque Scriptura, inquit, neque traditio habet, in baptismo Ioannis fuisse Trinitatem inuocatam. Sed quomodo, inquam? Totidemne syllabis; vt nunc nuper cœpit Gonterius, & post eum Moquotus, & Raconis, necnemo præterea, exigere à nobis scripta testimonia; explosis simul & semel omnibus consequentiis? Fatemur sane. Et cur in Ioanne plus à Scriptura postulemus, quam in Apostolis? Nam etsi crebro Scriptura dicat Apostolos baptizasse; tamen nunquam reliquit legendum inuocasse Trinitatem in baptizando. Et tamen omnes factum credimus: hoc est, non tantum persuademur Apostolos inuocasse Trinitatem in baptizando: sed etiam confidimus doceri in Scripturis. Nimirum, quia ineptum est vbi res alioquin constet, in voculis sophisticationum tricas nectere.

XI. Quod si igitur à nudis syllabis Sophistæ patiuntur viris bonis aliquod esse πρὸς τὴν διάνοιαν perfugium; tum vero nos inuocatam fuisse Trinitatem à Ioanne conficimus cum ex Scriptura, tum ex Traditione: quod neutrum sperabat fieri posse Bellarminus. Primum, eodem argumento, quo vti necesse est in Apostolis. Dixit Paulus se baptizasse Crispum & Caium, & Stephanæ domum, 1. ad Corinth. 1. Non dixit inuocasse Trinitatem: sed ego tamen inuocasse dico: quia hæc esset forma baptismi: quod probo ex Matthæi 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Simili prorsus ratiocinatione, dico Ioannem baptizando inuocasse Trinitatem: nimirum quod hæc esset forma baptismi. Quid habes quod opponas? An esse hanc formam baptismi Christi, non Ioannis? Ridicule: nam hoc ipsum disputatur: & nos contra, fuisse formam baptismi Ioannis: quia sit forma baptismi Christi. An nondum ita imperatum? Nugæ. Nam Apostoli ante mortem Christi baptizabant baptismo Christi: id est, ante hoc mandatum: si mandatum non repetas altius quam notatum Euangelistis.

XII. Secundum nobis argumentum: Quicunque orthodoxus baptizat in nomen Christi, baptizat in nomine Trinitatis: At Ioannes orthodoxus baptizabat in nomen Christi: Ergo in nomine Trinitatis. Maior probatur facile, quia quicunque Christum Orthodoxi nouerunt; iidem Trinitatis mysterium non ignorarunt: quandoquidem Filium sciuerunt; qui sine Patre esse non potest. Sed neque Orthodoxus vllus ignorato Spiritu Sancto. Tum autem etiam Ioannes norat Christum, cui tam luculentum testimonium reddidit, Ioannis 1. itaque norat Patrem; sed & Spiritum Sanctum; quia audiuerat, *Super quem videris Spiritum descendentem ac manentem, hic est qui baptizat Spiritu Sancto*: Ioannis 1.

XIII. Minor probatur: tum ex traditione, tum ratione. Ambrosius c. 3. libri 1. de Spiritu Sancto, *Ioannes in remissionem peccatorum in aduenientis Iesu, non in suo baptizauit nomine. Et ideo Spiritum nesciebant, quia nec Baptismum in Christi nomine, sicut Ioannes baptizare solebat, acceperant. Ioannes enim licet non baptizaret in Spiritu, tamen & Christum prædicabat & Spiritum.* Gregorius Thaumaturgus in Sancta Theophania, Baptisten ipsum sic loquentem inducit Christo, τοὺς ἄλλους βαπτίζων, εἰς τὸ σὸν ὄνομα βαπτίζω, ἵνα πιστεύσωσιν εἰς σὲ τὸν ἐρχόμενον μετὰ δόξης· σὲ βαπτίζων τινὸς ἐπιμνησθήσομαι; εἰς τίνος δὲ ὄνομά σε βαπτίσω; εἰς τὸ τοῦ πατρός; ἀλλ᾽ ὅλον τὸν πατέρα ἔχεις ἐν ἑαυτῷ καὶ ὅλος ὑπάρχεις ἐν τῷ πατρί· ἀλλ᾽ εἰς τὸ τοῦ υἱοῦ; ἀλλ᾽ οὐκ ἔστι παρὰ σὲ ἄλλος φύσει υἱὸς θεοῦ· ἀλλ᾽ εἰς τὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος; ἀλλὰ σύνεστί σοι διὰ παντὸς ὡς ὁμοούσιόν σοι καὶ ὁμόβουλον, *Alios dum baptizo, in tuo nomine baptizo vt in te cum gloria venientem credant. Te vero baptizans, cuius mentionem faciam? In cuius te nomine baptizabo? An in nomine Patris? At totum habes Patrem in teipso: & totus in Patre es. An in nomine Filii? At non est præter te alius natura Filius Dei. An in nomine Spiritus Sancti? At semper vna tecum est, vt consubstantialis tibi, & eiusdem voluntatis.*

XIV. Et sane ita Lucas scripsit Actor. 19. *Qui vero audierunt*; scilicet Ioannem, *baptizati sunt in nomen Domini Iesu.* Sed de hoc statim disputandum. At hoc saltem dissimulari non potest: *Ioannes baptizauit Baptismo resipiscentiæ, dicens populo, vt in eum qui venturus erat post ipsum crederent.* Vnde sine dubio ortum, vt baptizasse dicatur in nomine Christi. Eckius homilia 7. *Quæras, qua forma sit vsus Ioannes in baptizando? Ea sane, qua dixit, Ego baptizo te in nomine venturi. Id adeo ex Paulo colligimus, qui ait, Ioannes baptizauit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent.*

XV. Atqui hæc ipsa phrasis, *in nomine Christi*, satis fuit describendo Apostolorum baptismo, Act. 10. *Iussit* Petrus *eos baptizari in nomine Domini.* Quæ phrasis crebra: 2. 8. 19. Et potest, inquit Bellarminus, cap. 3. intelligi in fide Domini Iesu, vel autoritate Domini Iesu, vel baptismo a Christo instituto, vel denique in nomine Domini Iesu, sed non solius, verum adiuncto Patre, & Spiritu Sancto. Cur in Apostolis, sic in Ioanne longe aliter?

XVI. Instat Bellarminus. Primo, probabile esse Ioannem nulla verborum formula vsum fuisse. Et Paulum significasse duntaxat admonuisse populum vt crederent in venturum populum. Deinde ridiculum futurum fuisse, si Christus baptizasset in nomine venturi

XVII. Sed quod Bellarmino probabile videtur; idem aliis, idem maxime nobis ridiculum, absurdum, insanum videtur. Nam quomodo baptizasset in rem ssionem peccatorum? quomodo baptismo pœnitentiæ? Nam baptismus in aqua per se & simpliciter neque pœnitentiam significat, neque remissionem, aut promittit, aut efficit. Quæ autem sic sunt ex se indeterminata signa; necesse est verbo determinari, ipso alias docente Bellarmino. Quare nullo addito verbo, nihil Ioannes nisi impostoris partes esset functus, & incognitis signis populo illusisset. *Etenim si incertum sonum tuba dederit quis apparabitur ad bellum?* Prioris ad Corinthios decimo quarto.

XVIII. Christum baptizare in nomen venturi ridiculum fuisset. Atqui primum; venturus, & qui venit non sunt essentiales differentiæ, sed tantum modales. Deinde, quid venturum dicis? Nasciturumne? Nimis malitiose: & quidem in baptismo, in quo mortem oportuit annuntiari; ad quam proprie remissio pertinet. Atqui hoc modo etiam Christum oportuit esse ridiculum. Nam certe ante suam crucem oportuit baptizare in Christum moriturum, id est, hoc saltem modo venturum. Nec Ioannes potuit Christum dicere absolute venturum absque distinctione; qui iam esset natus, & quidem annos circiter triginta. Secundum quid autem natus si alias intelligatur, cur hic sit ridiculum?

XIX. Tertium argumentum ab effectu nemini omissum. Axioma ponunt, *Baptismum Ioannis non habuisse eandem vim, & efficaciam cum Baptismo Christi.* Intelligunt præter aquam, externamque ex ea cutis ablutionem nihil fuisse in eo. Diserte Polygranus, *Ioannis Baptisma tantum fuit corporalis ablutio in aquis.* Quasi qui thermas aperiunt; nisi quod iste frigidam suffunderet. Itaque poterat puto æra poscere, absque Simoniæ metu, quando nihil spirituale vendebat. Sed enim quid erat tanti, vt turmatim accurrerent ad desertum homines, totaque Iudæa migraret sedibus suis, tantum in spem euocati refrigerandi corpusculi, purgandæve cuticulæ, quod domi poterant; quod domi solebant quotidie? Et non pudet, virum, quo nullus erat maior inter natos è mulieribus, ex Baptista balneatorem facere? Magnum hoc, magnæque dignitatis artificium; & dignum præcursore Christi; dignum quod Scribæ ambigerent è cœlo esse, an è terra.

XX. Ei rei argumenta duo. Prius ab ipso Ioanne profitente. Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3. *Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* Sic enim suum ipse baptismum distinguit à baptismo Christi, vt suo solam tribuat aquam; ast Christi, Spiritum Sanctum.

XXI. Respondeo, falsum sumi: distingui baptismos: nam contra potius distingui baptizantes: id est, quænam virtus esset aut efficacia Ioannis, in baptizando, quæ Christi. Quæ distinctio perpetua, & pertinens ad vniuersum ministerium; de quo Paulus 3. prioris ad Corinth. *Ego plantaui, Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit.* Etenim certum est quoscunque ministros nihil efficere in sacramentis conferendis, quam id quod exterius est, & ad corpus pertinet. Augustinus in Ioannem tractat. 5. *Potuit Dominus noster Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui seruo suo, vt daret Baptismum suum tanquam vice sua, & transferret à se baptizandi potestatem, & constitueret in aliquo seruo suo, & tantam vim daret Baptismo translatio in seruum, quantam vim haberet Baptismus datus à Domino. Hoc noluit ideo, vt in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent.* Paulo post, *Baptizauit ergo Paulus tanquam minister; non tanquam ipsa potestas. Baptizauit autem Dominus tanquam potestas.* Chrysostomus in 2. ad Timotheum homilia 2. οὐκ ἔστι τοιαῦτα ἃ χαρίζεται ὁ θεὸς, ὡς ὑπὸ ἱερατικῆς ἀρετῆς αὐτὰ· τὸ πᾶν τῆς χάριτός ἐστι· τούτου ἐστὶν ἀνοῖξαι τὸ στόμα· τὸ δὲ πᾶν ὁ θεὸς ἐργάζεται· σύμβολον τοῦτος πληροῖ μόνον, *Non possunt quæ Deus ipse largitur, velut sacerdotali virtute perfici: omnia quippe diuina sunt gratiæ. Huius tantum munus est aperire os, cæterum Deus cuncta operatur: symbolum iste tantummodo implet.* Tum expendit Ioannis exemplum. Non descendisse Spiritum nisi illo baptizante: & tamen non id ipsum effecisse: ἵνα μάθῃς ὅτι σύμβολον ὁ ἱερεὺς πληροῖ, *vt scias sacerdotem symbolum implere tantummodo.* Descendit tamen Spiritus ἵνα μάθῃς ὅτι τὸ πᾶν ὁ θεὸς ἐργάζεται, *Vt discas Deum omnia operari.* Hieronymus in Esaiæ 4. *Ioannes Baptista in Euangelio loquebatur, Ego baptizo vos in aqua: qui autem post me venit, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne. Ex quo discimus, quod homo tantum aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum: quo & sordes abluuntur, & sanguinis peccata purgantur.* Augustinus in Ioan. tractat. 6. *Antequam veniret ad fluuium, cum multi ad Ioannem currerent baptizari ait illis, Ego quidem baptizo vos in aqua: qui autem post me venit, maior me est; cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni. Iam & hoc nouerat. Quid ergo per columbam didicit: nisi quandam proprietatem in Christo talem futuram, vt quamuis multi ministri baptizati essent, siue iusti siue iniusti, non tribueretur sanctitas baptismi, nisi illi super quem descendit columba; de quo dictum est, Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto? Petrus baptizet: hic est qui baptizat. Paulus baptizet: hic est qui baptizat. Iudas baptizet: hic est qui baptizat.*

XXII. Manifesta res est: significari à Ioanne; quotiescunque baptismus celebratur distinguendum diligenter potestatem à ministro. Potestatem esse Christum; ministrum, Ioannem, Petrum, Paulum, Iudam. Ministrum nunquam dare Spiritum Sanctum; id est, nunquam baptizare in Spiritu & igni. At Christum solum. Id si verum Ergo vel non disparat baptismum Ioannis in aqua, à baptismo Christi, in aqua: sed tantum baptismum Ioannis in aqua; à baptismo Christi in Spiritu. Vel æque separat Apostolorum baptismum in aqua; à Christi baptismo in aqua. Hoc autem est absurdissimum. Itaque illud potius verum. Breuius dicam, nec obscurius, Baptizare vel κυρίως ad aquæ ablutionem pertinet; vel tropice, ad efficaciam Spiritus Sancti. Nostra quæstio est de proprietate; vtrum baptisma Ioannis in aqua; differat à baptismate Christi in aqua. Negamus hoc confici isto testimonio: quia videlicet comparetur baptismus Ioannis in aqua: non baptismo Christi in aqua: sed baptismo Christi in Spiritu. Itaque Sophistæ ludunt περὶ τὴν ὁμωνυμίαν.

XXIII. Instantia, Facile, inquit Bellarminus, refellitur hæc solutio: quia Ioannes de suo ministerio loquitur in præterito tempore: de Christi operatione in futuro: Ego baptizaui; ille baptizabit. Non igitur per ministerium Christus dedit remissionem: tunc enim dicendum fuerat, ego baptizaui; ille baptizauit: sicut Paulus dixit, *Deus incrementum dedit.*

XXIV. Imo instantia nulla. Primum enim, quantumcunque sit inter præteritum discrimen & futurum; tamen non conficitur, non idem dici de baptismo Petri, Pauli, Iudæve, id est, Christi ab iis administrato: qua in re præcipuum momentum est: quod Sophistæ ne attigerunt quidem. Enimvero res est perspicua: neque enim Christus solus erat baptizaturus; sed etiam, exempli gratia, Paulus. Itaque sensus est, Paulus baptizabit vos aqua; sed Christus baptizabit Spiritu & igne. In hoc enunciato, quid habet loci Sophistica temporum? Non enim propterea concludet Bellarminus toto genere distare baptismum Christi, à baptismo Pauli. Et nos ille sperauit, suo deludendos artificio?

XXV. Deinde apparet temporum hanc grammaticationem esse importunam, & intempestiuam. De se Ioannes dixit, baptizaui. Apud Marcum, inquam: ast apud Matthæum, & Lucam diserte ἐγὼ βαπτίζω, in præsenti: nempe ad designandum totum sui ministerii cursum: & cum baptizasset iam; & quandiu porro baptizaturus esset. Et sane cum certum sit, post id momenti, adhuc baptismum celebrasse; impotens sit cerebri, qui cogitet voluisse de iis tantum monere quos antea baptizasset. Itaque rursus sensus est, Ego baptizabo in aqua: at ille baptizabit in Spiritu. Et hic iterum quid loci sophisticæ temporum?

XXVI. Futurum autem quis ignorat pro præsenti frequentissimum, maxime ex idiomate Hebræo, cum perpetuitas designatur, siue continuatio? Psalmo 1. de arbore fertili, *Fructum suum dabit in tempore suo*: Bellarminus, *Solæ illæ arbores omni ex parte perfectissimæ sunt, quæ folia, fructumque producunt, & folia semper retinent, & omnes omnino fructus tempore suo maturos præstant.* Cur non hoc loco similiter, baptizabit, pro baptizat, id est, id habet siue muneris siue potestatis, vt baptizet Spiritu? Nam & Ioannis 1. *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto*, οὗτος ἐστιν ὁ βαπτίζων, tempore præsenti.

XXVII. Imo, inquit Bellarminus, illud, *Hic est qui baptizat*, non significat quod tunc Christus baptizaret, cum Ioannes ita loquebatur: sed significat, quod Christus, quando baptizat, in Spiritu Sancto baptizat, non in sola aqua: vt Ioannes.

XXVIII. At profecto multo minus significat tunc non baptizasse Christum Spiritu, cum Ioannes baptizabat aqua. Cæterum admitto sensum, cum baptizaret, baptizasse Spiritu: sed ita vt meminerimus; primo nunquam Christum baptizasse aqua. Itaque vel in vtroque membro tropum esse; vt sensus sit, non omnes baptizasse; puta reprobos, in quos non infunditur Spiritus: vel in priore, si intelligatur baptismus aquæ, de ministris sumendum: vt sit cum ministri baptizabant; siue malis cum Christus baptizauit aqua per ministros suos, tunc ipsum baptizasse Spiritu. Sed hoc æque ad Ioannem pertinet, vt ad Petrum, Paulumve. Itaque solutio perstat.

XXIX. Maldonatus magno fastu, vt facile agnoscas eum, qui præ se omnes nihili faciat; *neque quid hoc loco Ioannes dicat, neque cur dicat, vllo modo videntur intelligere.* Nam is ille est scilicet, cui soli datum sapere; an saltem de se nimis magnifice sentire? Sed quid hoc est ergo, quod nos latuit? Quorsum, inquit, de baptismo Christi mentionem inferret, nisi vt ex diuersa baptismi conditione diuersam personæ suæ, & Christi conditionem probaret? Magnum arcanum & dignum cui aperiendo quicquid est Loiolitarum insudaret. Fuit, scilicet, incognitum Caluino, qui scripsit, *Hoc vno Lucas vberior est, quod prius admonet, qua occasione habita fuerit hæc concio: nempe quia periculum erat ne Christi honorem falsa opinione ad eum plebs transferret. Ergo vt ansam errori mature præcidat, diserte testatur se non esse Christum: atque ita se ab illo discernit, vt ius illi suum asserat.* Sed hi bipedum superbissimi, suo more faciunt; vt suis aduersariis ne hunc quidem aerem communem esse patiantur.

XXX. Christi ergo baptismi mentio est facta, vt ex diuersa baptismi conditione diuersæ personarum conditiones designarentur. Esto sane: ne nihil omnino Iesuitis gratificari velle videamur. Sed baptismum Christi, quem intelligis vir bone? In aqua. Negat, paulo importunior tibi Caluinus, *Hoc præcipuum est, inquit, quod Christum facit Baptismi spiritualis autorem: se vero externi duntaxat ministrum. Vnde colligimus eius consilium minime fuisse, Baptismum suum distinguere ab eo quem Christus discipulis mandauit, & cuius perpetuum vsum voluit in Ecclesia vigere: neque enim signum visibile alteri signo opponit: sed Domini & serui personas inter se conferens, docet quid proprium sit Domino & quid seruo tribuendum.* Aretius, *Ioannis Baptismus igitur est externus, vtpote solius aquæ: Christi vero est internus, & fit Spiritu Sancto ac igni. Aqua hic Spiritui & igni opponitur: ac si dicas illum externum esse, hunc internum: Ioannem conferre Sacramentum Baptismi, & symbolum externum administrare: Christum vero rem ipsam dare, mentes regenerare, innouare vitam, quod solius Christi est proprium.* Id ipsum, quod paulo ante notabimus; ludere viros astutiores, quam meliores, homonymia. Tam paruo conatu reprimenda fuit Maldonati insolentia, vt pauco puluere apicularum furor.

XXXI. Alterum argumentum Bellarmino. Ioannes erat præcursor Domini: atque ad id solum venerat, vt appararet vias eius. At parare viam Saluatori, non est dare salutem & iustificare: sed disponere ad recipiendum Saluatorem, & salutem: alioquin ipse Saluator fuisset, non præcursor Saluatoris. Facilior forma erit ratiocinationis: Nullus præcursor Saluatoris dat salutem & iustificat: At Ioannes erat præcursor Saluatoris: Ergo non dedit salutem, aut iustificauit. Rursus. Cuiuscunque baptismi idem effectus est, qui Christi; idem dat salutem, & iustificat: At Baptistes non dedit salutem aut iustificauit: Ergo Ioannis baptismi non est idem effectus, qui baptismi Christi.

XXXII. Respondeo: Dari salutem ab aliquo, vel αὐθεντικῶς vel ὑπουργικῶς. Priori modo conceditur prioris syllogismi maior: nec tantum de præcursore, sed etiam vniuersaliter de Ministro. Etenim non Ioannes tantum, sed ne vllus quidem Apostolorum dedit salutem αὐθεντικῶς. Sed negatur in posteriore syllogismo maior. Nam omnium Christi ministrorum baptismus idem habet effectum, cum baptismo Christi: & tamen nullus eorum salutem αὐθεντικῶς: quia, vt audiuimus ex Augustino aliud est Potestas, aliud Minister,

XXXIII. At si προηγικῶς dicas, conceditur secundi syllogismi maior: sed primi negatur. Nam omnis minister Christi suo fungens ministerio dat salutem προηγικῶς. At præcursor Christi erat minister Christi: Ergo præcursor Christi fungens suo ministerio dabat salutem προηγικῶς. Atque adeo hoc erat prædictum ab Angelo: Lucæ primo, *Multosque filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum.*

XXXIV. Intelligo debuisse Ioannem præparare vias Domini. Sed nego hoc non fuisse dare salutem προηγικῶς. Imo dico hoc ipsum fuisse dare salutem προηγικῶς. Neque enim Præcursor & Apostolus effectuum diuersa genera sunt, sed tantum diuersam mensuram norant vt illius ministerium esset contractius; horum vero magnificentius. Quia scilicet præcursoris erant tantum tentamenta prima Ecclesiæ; Apostolorum autem plena ædificatio. Sed siue tentetur Ecclesia, siue ædificetur, eadem salus est. Itaque Baptistes quibus prædicabat, eos monebat fugere ab ira ventura. Sicut Petrus Actor. 2. *Seruanibus pluribus obtestabatur, & exhortabatur, dicens, Seruamini ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς à generatione ista prava.* Et 3. *Resipiscite, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra postquam venerint tempora refrigerationis à conspectu Domini.*

XXXV. Superest postremum argumentorum aduersariorum. Qui acceperunt baptisma Christi, non sunt amplius baptizandi. At qui acceperant baptisma Ioannis erant amplius baptizandi: Ergo baptismus Ioannis non erat baptismus Christi. Maiorem vtrinque esse concessam. Minorem à nobis negatam probari tribus argumentis è Scriptura: quæ sigillatim examinanda.

XXXVI. Primus ergo locus, Matth. 3. *Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* Aperte, inquit, videmus eosdem quos Ioannes baptizauerat, dici baptizandos iterum à Christo.

XXXVII. Παρεμβολὴ est. Nam nemo prorsus est à Christo baptizatus aquæ baptismo. Itaque non potest intelligi secundus additum aquæ lauacrum; postquam traditum esset à Ioanne. Sed vt diximus, significat signo visibili collato ab hominibus ministris, opus esse addi Spiritum, quem nulla hominis opera tribuit, sed sola Christi potentia distribuit. Quare eadem doctrina communis est baptismo ab Apostolis, & quibusvis aliis ministris collato.

XXXVIII. Secundus locus ex historia Euangelii & Actorum. Ibant ad Ioannem vt baptizarentur tota Hierusalem, omnis Iudæa, & regiones omnes vicinæ Iordani. Itaque rari admodum erant eo tempore non baptizati à Ioanne. At ipso die Pentecostes baptizata sunt tria millia: & paulò post, quinque, præter eos, quos Philippus baptizauit, & alii discipuli in variis locis Iudææ & Samariæ, Actor. 2. & 4. Ergo necesse est, multos à Ioanne baptizatos, iterum ab Apostolis baptizatos fuisse. Quomodo enim credibile, inter tot millia quos Apostoli in Hierusalem baptizarunt, nullos fuisse à Ioanne antea baptizatos: si verum, quod Marcus dixit vniuersos Hierosolymitas à Ioanne baptizatos.

XXXIX. Εὐγε προηγικῶς ἀκριβείας? Vniuersi Hierosolymitæ. Quasi vnus si deducatur de numero mendax sit Spiritus Sanctus. Non enim solent Iesuitæ suæ logistices obliuisci: qua autore si vel vnus desit, summa falsa est. Ad eam rationem mentitus iis iudicibus erit Marcus, qui omnes Hierosolymitas dixerit, si vel Caiphæ pedisequus desideretur.

XL. Verum non omnium Papistarum tam nequiter exactus calculus est. Lyranus, *Id est, multi de illa regione, & de Ierosolymis. Et est hyperbolica loquutio, sicut in communi modo loquendi dicitur de aliquo spectaculo, tota ciuitas vadit ad tale spectaculum licet aliquando maior pars populi non vadat.* Carthusianus, *Omnis Iudæa regio, id est, omnes habitantes in regione Iudæorum, hoc est, quidam de omnibus. Et Ierosolymitæ vniuersi, id est, habitatores Ierusalem. Ista distributio intelligenda est pro generibus singulorum, non pro singulis generum, vt sit hyperbolica loquutio iuxta quem modum ait Apostolus, Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Caietanus, *Et est sensus, non quod omnes egredientes ad eum audiendum baptizarentur, multi enim non receperunt eius Baptismum: sed quod omnes egredientes ad suscipiendum Baptismum baptizabantur non à discipulis Ioannis, sed ab illo.* Ianssonius cap. 13. *Factum statim vt omnis Iudæa, id est, maxima pars hominum totam Iudæam inhabitantium, & regionem vniuersam quæ erat circa Iordanem, & vniuersi, hoc est, plerique Ierosolymitæ, ex omni ætate, conditione & sexu ad eum conuenirent, Baptismumque ab eo susciperent.* Ne Iesuitarum quidem. Salmero, *Per Ierosolymam intelligemagnam eius partem: sed non omnem.* Sa. *Vtitur Scriptura modo loquendi vulgari. Sic solemus dicere, tota ciuitas concurrit, id est, maxima pars ciuium.* Ita vides, quid sint vniuersi Ierosolymitæ; vel plurimi, vel multi, vel etiam aliqui: at certe non omnes nullo excepto. Cur non ergo superfuerint & tria, & quinque millia, Apostolis baptizanda, non prius baptizata?

XLI. Est tamen alia circunstantia: quod Iudæi baptizari per Chiliadas non fuerint Ierosolymitani, sed Parthi, Medi, Elamitæ, & ex Mesopotamia, Iudæa, Cappadocia, Ponto, Asia, Phrygia, Pamphylia, Ægypto & Cyrene: denique tam Iudæi, quam Romani, & proselyti. Et non erat satis nominum, vt saltem tria millia Ioannis baptismum non excepissent. Sic verisimilia nouit Bellarminus; sic demonstrationes sunt Iesuitarum.

XLII. Superest tertius locus; nunc quidem instar Helepolis; ex loco expresso, inquit Bellarminus, Act. 19. vb. Paulus iubet baptizari in nomine Domini duodecim viros qui confessi fuerant se non habere nisi baptismum Ioannis.

XLIII. Et fatemur ab hoc loco aut ortam, aut certe confirmatam sententiam fuisse de discrimine baptismatum Ioannis & Christi. Sed profectò per nimiam incogitantiam: quasi factum vt negligeretur partium textura aliquin satis euidens. Quo posito, qui absurditatem eius discriminis aliunde haberent cognitam; laborarunt in explicando: atque inde abierunt in varias sententias; quas colligens Bellarminus, decem enumerauit. Primus Beza hanc negligentiam castigauit; diligenter numeratis expensisque voculis, vt attentissimum decuit interpretem. Hoc nos amplexi diligentiam, reliquas expositiones omissuri sumus: & hanc vnam consideraturi; quam vix Bellarminus attigit sub nomine Nicolai Selnecceri: Lorinus in Acta leuissime suggillauit. At Stapletonus Antidotis in Acta vitulentissime exagitauit, suo more; qui modestiam, leuitatemque Christiana vsus est nec de nomine solo nosse: adeo assecuit nihil loqui præter meros furores.

XLIV. Negamus ergo Paulum iubere baptizari in nomine Domini, quenquam baptizatum baptismo Ioannis: sed potius docuisse eos qui baptismum Ioannis accepissent, vtile fuisse baptizatos in Christum: itaque non opus habuisse nouo baptismo. Et miramur hoc tandiu non fuisse obseruatum, ab iis, quibus erat præ oculis idem textus, qui nobis hodie. Græcos dico. Nam Latinos excusat sui interpretis peccatum, cum alias sæpe sæpius, tum hoc loco nimis supini. Quanquam apud Græcos, non obseruauit tam communiter hanc assertam rebaptizationem: quam apud Latinos. Certe Bellarminus autores Græcos nominat tantum Chrysostomum, & Oecumenium: quanquam hos ipsos non certos.

XLV. Græce sic est. *Dixit autem Paulus,* Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν βάπτισμα μετανοίας τῷ λαῷ λέγων, εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν ἵνα πιστεύσωσι, τοῦτ' ἔστιν εἰς τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν· ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ· καὶ ἐπιθέντος αὐτοῖς τοῦ Παύλου τὰς χεῖρας ἦλθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτούς. Latina editio vulgata sic reddidit, *Ioannes baptizauit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum vt crederent, hoc est in Iesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et quum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* Vbi quia nulla ratio est habita particularum μὲν, δὲ, quibus vsus Lucas, Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν, ambiguitas facta est: quasi priora quidem Pauli essent verba alloquentis illos Ephesios: sed hæc posteriora: *His auditis,* Lucæ narrantis quid sit consequutum ea Pauli verba; nempe vt ii duodecim tum denique baptizati sint in nomine Christi, cum persuasi sunt à Paulo.

XLVI. At Beza sic interpretatur, *Ioannes quidem baptizauit Baptismo resipiscentiæ, dicens populo, vt in eum qui veniebat post ipsum crederent, hoc est, in Christum Iesum. Qui vero illum audiuerunt baptizati sunt in nomen Domini Iesu. Et cum imposuisset eis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus in eos.* Vnde patet, vtrumque illud membrum. Pauli esse, docentis eos qui audito Ioanne acciperent baptisma, fuisse baptizatos in nomen Christi: Lucæ autem verba successum narrantis, inde incipere, *Et cum imposuisset eis manus.* Nempe significantis Paulum nihil aliud egisse, quam cum docuisset, baptizatos fuisse in nomen Christi; eisdem imposuisse manus.

XLVII. Non potest satis laudari, viri doctissimi, viri optimi, viri piissimi, sincera diligentia. Nam etsi hodie docti facilitatem vident tantam, vt pudeat temporum superiorum: tamen fatendum est ei primo obseruatam: vt ei cuius nunc fruimur laboribus, idem conueniat, quo suos obtrectatores Christophorus Columbus fertur irrisisse proposito problemate, vtrum posset ouum rectum constitui in plano, & seipso nixum. Quod omnibus hærentibus demonstrauit facillimo negotio, vt puderet non esse visum, sed suo tamen acumine. Itaque nunc ii soli rodunt Bezam; qui soli Bezæ ne vitiorum quidem possunt sanctitatem attingere; tantum abest, vt virtutum perfectionem vel gustare queant.

XLVIII. Huic interpretationi triplicis generis argumenta video opponi ab Sophisticis: nimirum ab absurdis aliunde petitis: à contextu: à proprietate Græci sermonis. Ex primo ordine tria habet Stapletonus. Primum, inquit, necessario sequitur, Ioannem baptizasse in nomine Iesu. Atqui hoc loquendi modo solet Lucas vnicum Christi baptismum designare. Deinde, repugnat hæc forma ipsi fini & instituto Ioannis à Paulo hic expresso. Ait enim Paulus, Ioannem baptizasse dicentem, vt in Christum venturum crederent: Ergo in ipso nomine Christi non baptizauit. Præterea, perspicuum est baptizare in nomine Christi, nihil aliud significare, quam in virtute, potestate, & ex instituto Christi. Atqui redemptione humani generis necdum peracta, & baptizandi potestate Apostolis necdum data, in ea virtute, potestate, & instituto baptizare Ioannes non potuit.

XLIX. Respondeo, concedi primum illud, Ioannem baptizasse in Christi nomine: quod iam ante est absolutum. Concedi item solere hoc loquendi more Christi baptismum designari. Quid enim hoc aduersus eos, qui Ioannis baptismum non disparant à Christi baptismo? An stertebat Stapletonus, ebrius multa in viros sanctos bile?

L. In secundo par φλυαρία. Baptizabat Ioannes, dicens, vt crederent in Christum venientem: Ergo non baptizauit in nomine Christi. Nobis sane mens est in oppositum: quia docuit credere in Christum venientem: Ergo baptizasse in nomine Christi: quomodo, quia baptizarunt Apostoli in Christum, qui iam venerat: Ergo baptizabant in nomine Christi. Quanquam habemus etiam illud, *Qui misit me baptizare:* & alia quæ prius notata.

LI. Non potuisse Ioannem baptizare in nomine Christi, quia nondum esset peracta redemptio; nondum data Apostolis baptizandi potestas; quis docuit ante Stapletonum? Atqui is Stapletonus cui primo credamus? Nam quid appellat peractam redemptionem? Mortemne ipsam, & resurrectionem Christi? Non enim aliud video. Atqui ipsi Apostoli ante sic peractam redemptionem iussi sunt baptizare, & actu baptizarunt: quia Christus neminem. Quorsum autem Apostolis nondum data potestas? An quia Ioannis potestatem, ab horum potestate oportuit pendere? Ridiculum. Itaque tam absurdum, quam si diceret Apostolos nondum baptizasse in nomine Christi, quia Timotheo, & similibus Euangelistis, nondum esset data potestas baptizandi. Scilicet inter acutos Stapletonus nomen obtinuit.

LII. A contextu hæc argumenta sunt. Primum. Ergo illi Ephesii bis fuissent baptizati à Ioanne. Ait enim Paulus Ioannem baptizasse baptismo pœnitentiæ, simul docendo vt in Christum venturum crederent, & discipulos eius qui hoc audierunt, ab illo baptizatos fuisse in nomine Christi. Ergo quos iam baptizauerat baptismo pœnitentiæ, eos rursum baptizasset in nomine Christi. Secundum. Si Ioannes baptizasset in nomine Christi: Ergo illi Ephesii interrogati, respondere non debebant se baptismo Ioannis fuisse baptizatos; sed in nomine Christi. Tertium: nec Paulo necesse fuisset de baptismo Ioannis aliqua dicere ad eius extenuationem, dicendo eum in Christi venturi fidem baptizasse, & baptismo pœnitentiæ, non remissionis peccatorum, multo minus addere à Ioanne, baptizatos fuisse in nomine Domini baptizatos, si prius illorum responsum de baptismo Ioannis plenus ac perfectus Christi baptismus fuisset. Quartum: Si pendes Pauli sermo, veluti narrans quid Ioannes olim facere soleret, qui fit vt loquendi modum ita Paulus mutet vt cum prius dixisset, *Ioannes quidem baptizauit:* nunc de eodem loquens, non dicat: & sic auditores suos Ioannes baptizauit in nomine Domini Iesu: sed mutato sermone; illi vero qui sermonem audierunt, baptizati sunt in nomine Iesu. Hæc enim loquendi

forma perspicue insinuat, de alio nunc Paulum loqui baptismo, quam prius. Quintum, si adhuc pendet Pauli sermo, quæ hic esse potest cum sequenti versu connexio? Aut quid facit illa coniunctio &, præcedentem sententiam connectens? *Et cum imposuisset illis manus Paulus.* An non illa coniunctio manifeste docet, hæc Lucæ verba cum proxime præcedentibus eiusdem verbis connecti? Sextum Bellarmini est. Vel duodecim illi viri sunt baptizati iussu Pauli baptismo Christi, vel non. Si prius; id ipsum est quod contendunt Papistæ. Sin posterius, quorsum pertinet illa narratio Pauli? Certe supervacanea videtur. Non enim alia causa monuit eos qui baptizati erant solo baptismo Ioannis, Ioannem prædicasse Christum, nisi vt intelligerent esse necessarium præterea Christi baptismum.

LIII. In multiloquio vanitas. Et sane videntur Sophistæ tantum fatigare velle aduersarii patientiam: atque ita non quam bene, sed quam multa dicant satagere: vnde pleraque ita sunt, vt rationis ne micam quidem habeant. Enimvero quid illud est, quod primo positum loco, bis fuisse Ephesios illos baptizatos à Ioanne? An sunt qui etiam hodie Tragelaphos vident ludentes in aere, chimæras ve pascentes in vacuo? At nos, quibus oculorum acies sobria, semel tantum obseruamus. Non enim duo sunt, quod baptizauit baptismo pœnitentiæ, iubens credere in Christum: Et quod discipuli eius qui hoc audierunt baptizati fuerint in nomine Christi: Sed sunt vnum idemque: nempe populum illum baptizatum fuisse in nomine Christi, eo ipso baptismo pœnitentiæ, cum iuberentur credere in Christum venturum. Hoc qui geminas vidit Thebas, solus distraxerit in duos baptismos. Sed quid ad nos?

LIV. Quare non debuerunt respondere se baptizatos baptismo Ioannis? Aut quid hoc habet vitii? Si quidem verum Ioannem baptizasse in nomine Christi. Enimvero neq; illi erant plene instructi; vt scirent baptismum Ioannis conferasse homines Christo: & si maxime fuissent; nihil erat absurdi, fateri, & se baptizatos tantum; & cuius opera. Sed Sophistæ non possunt discedere à suis somnis: quæ ne ipsi quidem intelligunt; nedum aliis exponant.

LV. Ad extenuationem baptismi Ioannis quicquam dixisse Paulum? Dixisse non fuisse baptismum remissionis peccatorum? Paulum quicquam horum dixisse. Ignoscite, Sophistæ, sanioribus viris persuasis felicius fuisse Paulum regenitum, quam vt Ioannis luminibus vellet obstructum. His videtur idem esse baptismus pœnitentiæ, & remissionis peccatorum. Itaque putant contra propositum fuisse Paulo docere eundem fuisse baptismum Christi & Ioannis: hoc ipso argumento, quod esset pœnitentiæ baptismus, & iuberet credere in Christum. Reliqua somnia sunt. Non debuit, inquit, addere baptizatos fuisse in nomine Christi; si baptismus ille fuisset plenus Christi. At nos contra, debuisse putamus addere idipsum, eo ipso quod ille plenus esset baptismus Christi: & contra fortasse non debuisse, si non fuisset: tanti interest, non tantum quid videas, sed etiam quibus oculis.

LVI. Mutauit loquendi modum. Vix bene capio. An quia primo actiue, *baptizauit*, postea passiue *baptizati sunt*? Et effugiant cachinnum qui sic ineptiant! Atqui hoc quicquid est mutationis rem nullam attingit. Nam qui baptizati sunt à Ioanne, iidem sunt numero quos baptizauit Ioannes. Et impudentiæ plenum est, hac passiua forma indicari de alio baptismo sermonem esse. Necdum illa sic præscripsit Grammatica; nisi si Stapletonus suam habuit ex Vtopia.

LVII. Coniunctio &, nobis quidem nullo modo est molesta. Connectit præcedentibus. Sane? sed non proximis tantum: imo toti narrationi: cuius partes duæ: vna, quid Paulus docuerit: altera quid postea fecerit. Illam per prosopopeiam Lucas exposuit, quasi relatis Pauli verbis: hanc vero suis. Simile exemplum. Genes. 20. *Ad Saram autem dixit, Ecce dedi mille argenteos fratri tuo. Ecce is est tibi velamen oculorum, apud omnes qui sunt tecum; & apud omnes: & fuit castigata.* Nam hic postremum ונכחת verbum est Mosis: præcedentia autem Abimelechi. Et copula & connectit toti prosopopœiæ. Itaque falsum connectere postrema præcedentibus tanquam vtraque essent Lucæ: nec satis maiestatis in Sophista, vt affirmando sanciat.

LVIII Sed quorsum pertinet illa narratio? At tu sic quæris Bellarmine, vt non exspectes responsum: sed ipse tibi cauis. Superuacanea, inquis, videtur. Nempe, inquam, quia tibi persuasum stupidissimum hoc commentum, propositum esse Paulo admonere suos illos, necessarium esse aliud baptisma. Quod nos contra putamus. Nimirum voluisse Paulum persuadere non esse illis opus alio baptismo; quia scilicet baptizati essent baptismo pœnitentiæ, vt crederent in Christum. Quod pene dixerim Chrysostomo venisse in mentem. Nam etsi ἁπλῶς Ioannis baptisma ex istis colligat: tamen notauit ea dicta ab Apostolo, ἵνα διδάξῃ καὶ πείσῃ αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ βαπτισθῆναι, quæ perperam reddidit Roterodamus, *vt doceat ac persuadeat illis in nomine Iesu baptizari.* Cum tamen βαπτισθῆναι aliter sonet: nempe, *Vt persuadeat eos in nomine Christi fuisse baptizatos.* Quanquam nonnihil turber, quod statim ὃ καὶ πείθει, *quod & faciunt*: nisi possit commode, etsi paulo durius exponi, id ipsum sibi illos persuasisse. Viderint docti. Certe durius est βαπτισθῆναι interpretari per futurum.

LIX. Superest proprietas Græci sermonis; in vsu particularum μὲν & δὲ. Stapletonus notissimum asserit priorem sæpe solius elegantiæ causa inseri, & expletiuam esse, non aduersatiuam: Posteriorem quoque non esse aduersatiuam, sed frequenter transitionis notam. Lucæ 1. *Quoniam quidem multi conati sunt.* Actor. 1. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile.* Et paulo post, *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis.* Tertio, *Quem oportet quidem cœlum capere.* In his aliisque multis μὲν est solitarium. At Actor. 2. ἀκούσαντες δὲ κατενύγησαν: Latine omissa particula δὲ, *Hos auditu compuncti sunt.* Quarto, Λαλούντων δ' αὐτῶν πρὸς τὸν λαὸν, *Cum autem loquerentur ad populum.* Et paulo post, ἐγένετο δὲ ἐπὶ τῆς αὔριον, *Factum est autem in crastinum.*

LX Egregium sane vitium, & cui minerual debeat vniuersa Papistarum schola. Magnum enim docuit arcanum & ante hac, si forte, inauditum; particulas μὲν & δὲ crebro solitarias vsurpari. Et quidem miror Bellarmini ingratitudinem, qui lepidum hoc quicquid est arcani, silentio præterit. Fortasse condonandum, qui hac in re noluit cum Beza sibi esse negotium: sed illi sane sua viderint. Nos fatemur, & quidem ante Stapletonum, monitis ab Henrico Stephano, si monitione opus foret præter vsum, haud infrequenter vtramque particulam seorsim venire in vsum. Sed vicissim siue Stapletonum vellemus, siue pro eo quencunque alium audire negantem venire vnquam simul; vt miserum exemplis obrueremus. Et ex ipso quidem Luca. Euangelii 3. ἐγὼ μὲν ὕδατι βαπτίζω ὑμᾶς· ἔρχεται δὲ ὁ ἰσχυρότερός μου, *Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me.* Decimo. ὁ μὲν θερισμὸς πολύς· οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι, *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Et 11. αὐτοὶ μὲν ἀπέκτειναν αὐτούς· ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε αὐτῶν τὰ μνημεῖα, *Ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra.* Actor. 1. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι, ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.* Nono, ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς, μηδένα δὲ θεωροῦντες, *audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* 22. ἐγὼ μὲν εἰμὶ ἀνὴρ Ἰουδαῖος γεγεννημένος ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας· ἀνατεθραμμένος δὲ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ. *Ego quidem sum Iudæus natus Tarsi Cilicia, nutritus vero in hac ipsa vrbe.* Et 28. Καὶ οἱ μὲν ἐπείθοντο τοῖς λεγομένοις, οἱ δὲ ἠπίστουν, *Et alii quidem assentiebantur iis quæ dicebantur; quidam vero non credebant.* Satin ista sunt? An nondum par pari retuli?

LXI. Quid obtinet Sophista? Videlicet δὲ transitiua est, nouæque transitionis ad aliam narrationem nota. Ita esto, inquam: sed cum ante eam non legitur μὲν; cuiusmodi exempla ab eo sunt collecta. Sed cum μὲν præcedit tum vero nemo sanus neget esse aduersatiuam, & eiusdem narrationis partem alteram connectere; cuiusmodi exempla fuere nostra. At isto, quem nunc versamus loco, vtraque particula est, non alterutra. Itaque Sophistæ periit oleum, atque opera. Certe Marci 14. quicunque legit, *Dixit eis ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, Filius quidem hominis abit sicut scriptum est de eo: οὐαὶ δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ: Væ autem homini illi per quem filius ille hominis traditur*: nunquam est concessurus priore loco Christum loqui, posteriore autem Marcum; quantacunque sit Sophistarum grammaticatio.

CAP. XIV.

De legitimo Baptismi Ministro.

I. DE legitimo Ministro Baptismi disputationes legi Hosii Confessionis cap. 36. Polygrani in assertionibus. Arborei Theosophiæ libri 2. cap. 12. Dominici Soto in quartum distinct. 4. Catechismi Tridentini. Lorichii de Baptismo. Gregorii de Valentia Commentariorum tom. 4. disput. 4. quæst. 2. Vasquis in 3. Thomæ disput. 147. Suaris de Sacramentis, quæst. 67. At Catholicorum, Caluini institut. 4. cap. 15. §. 20. & proximis duobus. Bezæ contra Heshusium in abstersione calumniæ 7. Hellopæi capite 7. artic. 2. de tota re Sacramentaria. Riueti quæst. 7. tractat. 3. tertii Catholici Orthodoxi. Scharpii in Cursu Theologico, de Baptismo controu. 1. aduersus Papistas.

II. Quæritur quis sit legitimus Baptismi Minister; hoc est sitne vt prædicandi, & Eucharistiam administrandi; ita & baptizandi non promiscua vsurpatio, sed peculiaris autoritas quædam, quam sibi alii non debeant vsurpare. Concilium autem Tridentinum hanc partem dignam non censuit, quam sua definiret autoritate, suisve fulminibus sanciret: etsi Catechismus ad Parochos, *A quibus*, inquit, *ministris hoc Sacramentum conficiatur, non vtiliter modo, sed necessario tradendum videtur: tum vt ii, quibus præcipue hoc munus commissum est, illud sane, & religiose curare studeant: tum vt ne quis, tanquam fines suos egressus in alienam possessionem intempestiue ingrediatur, vel superbe irrumpat, cum in omnibus ordinem seruandum esse Apostolus admoneat.*

III. Sed vulgo distinguunt Baptismi administrationem solennem & necessariam. Illam quæ fit ordinarie, & adhibitis omnibus cerimonis. Istam quæ non nisi extra ordinem; & in periculo præsentissimæ mortis. Solennem Baptismi celebrationem nemini concedunt, præter Episcopum, & Sacerdotem. Catechismus. *Quibus datum est, vt iure suo, non extraordinaria aliqua potestate, hoc munus exerceant, quanuis Episcopi, ne graviorem illam docendi populi curam deserere cogerentur, Baptismi ministerium Sacerdotibus relinquere soliti sint.* Pulcre & eleganter: quasi diligentiores, frequentioresque sint in docendo Episcopi, quam in baptizando. Et non potius ipsum illud prædicandi munus resignarint, iis qui sunt infra presbyteros, id est Monachis, omne genus cucullatis: & nunc maxime lesuitis, quorum tamen nemo baptizare dignatur. Sed illi viderint sane suos mores qui nos neque expectant censores, neque vero etiam monitores audiunt. Soto, *Sicut ad Sacerdotem pertinet consecrare Eucharistiam, ad quod principaliter Sacerdotium refertur, ita & ad proprium officium Sacerdotis pertinet baptizare.* Quæ verba descripta sunt ex Thoma part. 3 quæst. 67. artic. 2. Suares, *Est certum Sacerdotem ex vi suæ consecrationis esse posse ordinarium Ministrum huius Sacramenti.*

IV. Conseantiuntne omnes? Dubitem. Certe Bellarminus consideratius, *Ius baptizandi, ex officio ordinario conuenire solis Sacerdotibus, id est Episcopis & Presbyteris: sic tamen vt Presbyteris conueniat cum subordinatione & dependentia ab Episcopo.* Caligatne mihi acies: an recte video non bene conuenire, quod quis suo iure, & ex vi suæ ordinationis, cum eo quod per dependentiam? Sed Papistis forte nouæ sunt iuris formulæ: quas ipsi intelligant, vt Vespertilionibus tenebræ sunt pro meridie. Nam quod Presbyteris non liceat absque licentia Episcoporum baptizare, id ad iurisdictionem pertinet, vt notat Suares: quomodo neque Episcopus potest in aliena diœcesi prædicare absque impetrata venia: & tamen Episcopi autoritatem ad prædicandum nemo dixit pendere ab alio Episcopo. Imo ne longius abeamus; etsi Sacerdos proprie ordinetur ad conficiendam Eucharistiam, tamen non potest in vlla diœcesi absque Episcopi permissu. Porro Suares, *Potestas baptizandi*, inquit, *est absoluta facultas ministerialis, ad conficiendum tale Sacramentum, quæ non solet limitari secundum substantiam vel facultatem suam ad casum necessitatis, sed simpliciter confertur.*

V. Viderint, quorum interest. Nam nos quidem censemus baptizandi munus impositum iisdem quibus prædicandi. Itaque qui Episcopos & Presbyteros prædicantes non credimus distinguendos; iure eodem vtrosque tenemus baptizare; absque vlla siue dependentia; siue subiectione, siue quid

siue quid aliud dixeris. Non solemus enim in rebus tanti momenti delectari distinctionibus nec haustis è Scriptura, nec excogitatis nisi sero & Christianitate iam multa humani cerebri audacia eunte in peius.

VI. Administrationem extraordinariam appellant in casu mortis promptissimæ, præsentissimæque, nec dilationis, vel morulam promittente. Hac posita nulli non hominum generi permittunt baptizare. Bellarminus digessit in has propositiones, *Laicis baptizatis licere in casu necessitatis baptizare. Etiam non baptizatis in casu necessitatis licere Baptismum dare, si sciant ritum. Non modo viros, sed etiam fœminas in extrema necessitate posse baptizare.* Suares & compendiosius & magnificentius, *Quemlibet hominem qui loqui possit, & lauare, posse esse sufficientem ministrum Baptismi, siue sit vir, siue fœmina, fidelis vel infidelis, baptizatus vel non baptizatus, dummodo sciat lauare, & verba proferre cum debita intentione. Hæc assertio est omnino certa.*

VII. Hæc cum statuunt tum vero alios aliis præferunt; nempe vt negent licere cuiquam laico Baptizare præsente clerico: aut vlli fœminæ, præsente viro: aut vlli infideli præsente Christiano. Sed & hoc addunt, non esse tamen irritum Baptismum collatum neglectum his canonibus; Suares, *Certum est in præsenti materia hanc potestatem talem esse, vt si quis illa vtatur extra necessitatis articulum, etiam si male faciat, nihilominus factum teneat.*

VIII. Ita se habet Papistarum disciplina. Nos contra docemus Baptismi conferendi penes eos duntaxat ius esse qui publicum munus gerunt in Ecclesia. Itaque collati à quocunque cuius præter priuatam nulla persona sit, nullam vim esse; id est, Sacramentum nullum esse, sed temerariam ludificationem, nullo modo tolerandam in Ecclesia.

IX. Primum Papistis argumentum, ab exemplo Sephoræ circuncidentis Mosis filium, Exodi 4. At Circuncisio, inquit Bellarminus, erat figura Baptismi, igitur licebit etiam mulieribus baptizare in casu necessitatis.

X. Respondeo negari consequentiam. Ratio negandi gemina, prior à re: posterior à persona. Non enim bene comparantur Baptismus & Circuncisio. Nam cum illius ministros certos legamus institutos, eosdem, qui docendi ius habent: tum vero huius nullos: siue in institutione, siue vsquam alibi. Certe institutio habet Geneseos 17. *Circuncidetis carnem præputii vestri*: absque alia vlla limitatione Vt prorsus nihil fuerit obstaculo quominus & Sephora suum natum: & suos illæ mulieres 2. Maccabæorum 6. circuncidere potuerint. Sic non legitur quicquam quo prohibeatur immolatio agni Paschalis per singulas familias fieri solita, etiam nullis adhibitis Sacerdotibus. Quare quemadmodum non sequitur, si agnum hunc quilibet laicus conficeret, Ergo Eucharistiam posse itidem à quocunque consecrari: similis ratio est Baptismi.

XI. Altera ratio, ex facto particulari, & extraordinario, non posse necessariam deduci consequentiam. Esse autem hunc actum Sephoræ particularem, probari; eo quod alias nullum vnquam occurrat exemplum Circuncisionis à muliere patratæ. Nam quæ in Maccabæis mulieres dicuntur circuncidisse suos liberos, nihil habet difficultatis: cur non enim circuncidisse dicantur, quæ procurarent circuncidi: Et ita Maccabæorum prioris 1. *Mulieres quæ circunciderant filios suos trucidabantur secundum iussum: & suspendebant pueros à ceruicibus per vniuersas domos eorum: & eos qui circunciderant illos, trucidabant*: vbi vides distinctas mulieres quæ circunciderant filios suos, ab iis qui circunciderant eos: nempe quia circuncidebant illæ procurando, isti operando.

XII. Extraordinarium fuisse docet, non tantum idipsum, quod iam obseruatum; sed etiam tota historia, quæ Sephoram repræsentat attonitam præsentissimo viri periculo: imo etiam indignabundam, atque adeo murmurantem: vnde Caluino occasio reprehendendi impotentem iræ mulierem, *Inscite, inquit, ad imitationem trahitur, quod egit stulta mulier*: tum nihil minus fuisse ei propositum, quam vt Deo ministerium præstaret, fremuisse, obmurmurasse, præputium non sine indignatione in terram proiecisse, marito conuitiatam, tantum non Deo succensuisse; quod filii sanguinem fundere cogeretur: denique præsente Mose circuncidisse.

XIII. Aduersarii reliquis omissis hanc solam postremam partem delegerunt in quam bilem suam exonerarent: valde indignati Sephoram reprehendi: qua de re quidem iam olim actum à nobis est cap. 4. libr. 28. tomi 2. cum accusarent nos Papistæ sanctorum in cœlis regnantium violatæ dignitatis: sed nunc iterum tamen resumendus labor argumenti gratia Excutiam igitur Bellarmini disputationem: sed meo ordine, commodiore, ni fallor, ad præsens institutum. Nobis negata consequentia est. Bellarminus confirmat: quia Sephoræ factum Deo placuerit: proindeque fuerit rectum & bonum. Placuisse Deo probat, quandoquidem eo fuerit continuo placatus: hoc autem colligit: quia Mosen Angelus dimiserit. Præterea purgat peccata quæ à Caluino obiiciebantur.

XIV. At nos instamus non esse bonam consequentiam: & non recte confirmari: etiamsi concederemus nihil fuisse peccatum. Non enim obstat, quominus fuerit actus & singularis, & extraordinarius: quæ duo sunt priora nostræ solutionis capita: quæ nimis supine querimur esse neglecta.

XV. Deinde nullum fuisse peccatum, non probatur. Nam placere Deo actus dicuntur proprie, qui conformes sunt legi. Hic autem non fuit conformis legi propter rationes Caluini. Nec sequitur, si Deus fuerit placatus, ideo hunc actum ei placuisse. Non enim placatur ex actionis merito, sed ex sua misericordia: itaque non raro tolerando; id est condonando non recte facta. Itaque Caluinus dixit, *Quod placatus fuit Dei Angelus postquam illa arrepto lapide filium circuncidit, inde perperam colligitur, factum illius probatum fuisse Deo: alioquin dicendum esset placuisse Deo, quem gentes ab Assyria traductæ exercerant cultum.*

XVI. Bellarminus regerit gentes illas à leonibus liberatas, quia Deum verum vero ritu colerent, edoctæ à Sacerdote Israelita: non autem quod idola simul colerent, vel ritu aliquo a se excogitato vterentur. Licet enim Deo non placerent, cum simul idola colerent: tamen indicare voluisse, quantum interesset inter cultum à se institutum, & impias gentium superstitiones: & ideo leones immisisse, cum idola tantum colerentur: repressisse autem, cum cœptus adorari.

XVII. Imo instantiam Caluini non frangit Sophista, sed ludificatur: Quæritur enim vtrum Deo placuerit Sephoræ actus; quia Deus fuerit placatus, Negauit Caluinus hoc gentium exemplo, cuius historia describitur 17. posterior. Regum. Itaque videndum vtrum Deo placuerit hoc exemplum: quod non sperauit Caluinus quenquam asserturum; contra diserta Scripturæ verba: quæ etsi obseruet à Sacerdote fuisse institutas, & timuisse Deum, vna cum idolis suis; tamen, *Vsque in diem hanc inquit, faciunt iuxta ritus pristinos: non timent Iehouam: neque faciunt iuxta decreta & morem ipsius, neque iuxta legem, & præceptum, quod præcepit Iehoua filiis Iacob.* Itaque impie dixerit, quisquis placuisse Deo factum earum gentium dixerit.

XVIII. Sed voluit indicare quantum interesset inter cultum à se institutum, & impias superstitiones. Imo, inquam, contra testatur Scriptura, hunc cultum non fuisse à Deo institutum. Pepigerat enim Iehoua cum eis pactum, præceperatque eis, dicendo, *Non timebitis Deos alienos, nec adorabitis eos, nec seruietis eis, neque immolabitis eis.* Sensus est non in eo tantum consistere Dei cultum, vt ipse colatur: sed vt solus colatur, reiectis omne genus idolis: itaque nullum esse Dei cultum, vbi copulantur ei vlla idola.

XIX. Deinde fac ita esse: vt dispescatur cultus Dei, ab addito cultu idolorum: manet tamen integra vis instantiæ: sic enim distinguenda erit Circuncisio, ab actione Sephoræ: & Deus voluerit declarare, quantum deferat Circuncisioni: quanquam non probauerit audaciam Sephoræ sibi eius Sacramenti ministerium assumentis: de quo nunc nobis disputatio est.

XX. Videamus nunc quomodo Sephoræ purgentur peccata. Negat peccasse; quod præsente viro circunciderit. Rationem quæro. Expressit; quia fecerit coacta; vel à Mose, vel à Deo. Hoc probat primo ex historia: quia Moses ipse non posset positus in angustiis maximis, & pene exanimatus. Deinde teste Caluino: qui, *Deo, inquit & marito obstrepit, quod filii sanguinem fundere cogitur.* Quod si coacta est à Deo, & à marito, non igitur temere id sibi sumpsit.

XXI. Respondeo; negari consequentiam: esse enim vtrunque verum, & coactam fecisse; & temere sibi sumpsisse. Nimirum quia coactio illa non fuit ab vllo præcepto; quæ sola ratio est legitimæ obedientiæ: sed ab imminentis periculi metu: quam coactionem solent homines nominare, tanquam sonticam suorum peccatorum excusationem. Sic enim Bellarminus c. 9. libri 4. de Pontifice, *Liberium coactum vi tormentorum fecisse, quod fecit.* Atqui hoc genus coactionis, etsi interdum personam liberet à pœna; tamen factum ipsum nunquam excusat à peccato Imo ne semper quidem à pœna. Nam 2. Samuelis 6. Vzas metuens ne arca caderet, eoque metu coactus manum extendere, vt eam sustentaret, morte fuit multatus, à Deo ob eam rem irato. Nimirum hic metus; & ab eo metu hæc coactio, non excusauit Vzam quominus temere sibi arcæ contingendæ partes assumeret. Et metui, et coactioni similis metus, coactioque fuit Sephoræ; non alia re motæ, quam præsenti periculo, nec suo quidem, sed alieno, nempe mariti.

XXII. Pergit Bellarminus: Quod Caluinus dicit, Sephoram circuncidisse filium sine proposito obsequendi Deo: & proiecisse præputium in terram, & obmurmurasse contra Deum, & contra maritum, sunt mera mendacia, sine vllo fundamento, ex mera libidine detrahendi profecta. Scriptura enim nihil tale dicit. Vnum est verbulum, quod forte Caluinum decepit adiuncta Lyrani expositione. Quod enim Scriptura dicit, *Et dimisit eum*, Lyranus ita exponit; quasi Sephora dimiserit Mosen, & recesserit ab eo indignata ob filii circuncisionem. Sed fallitur Lyranus; & quicunque ita exponit: nam ea verba non possunt referri ad Sephoram, sed ad Angelum: vnde Græca editio, καὶ ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ ὁ ἄγγελος.

XXIII. Non amo, inquiebat ille, nimium diligentes. Ast ego sane non laudo hanc Bellarmini affectatam curam inquirendi occasiones Caluini lancinandi. Nam quid ad Caluinum Lyranus? Atqui poterat Bellarminus, nisi sibi noluisset ansam præcidere calumniandi: poterat, inquam, discere ex Commentariis in quartum Exodi, Caluini mentem, referentis hæc ipsa verba non ad Sephoram; sed ad Deum, *Officium temere susceptum Deo placuisse, ex euentu patet: quia continuo post additur Deum à Mose discessisse. Ego enim sic interpretor, cessasse vel remotum fuisse Dei flagellum.*

XXIV. Videamus nunc Caluini mendacia. Nihil tale dicit Scriptura. Quomodo, inquam? An totidem literis? Habet nos confitentes An reapse? Habet negantes. Et meminisse iubemus Sophistam, a se dictum, Sephoram fuisse coactam: quod certe non legit totidem literis. Quod si permisit sibi ex historia ipsa concludere, cur inuideat Caluino, similiter elicienti ea, quæ tam confidenter durus censor appellat mendacia? Enimvero proiecisse præputium in terram cur negat? Hebraicè ותכרת את-ערלת בנה ותגע לרגליו, *Et abscidit præputium filii sui: & tetigit pedes eius.* Amphibolia est: nam verbum *tetigit*, varie referri potest. Nam vel vt Sephora ipsa tetigerit quod tamen nulla fulcitur circunstantia, nec coniici potest in quem finem. Rabbi Iarchi videtur retulisse ad filium: quem mater proiecerit ad pedes patris: השליכתו לפני רגליו של משה *proiecit eum ante pedes Mosis.* Sunt qui diuinarunt sanguinem fluentem ex Circuncisione: vt notauit Carthusianus: sed violenter: cum nusquam nominetur. Longe illi verisimilius, qui præputium ipsum. Sa, *Proiecit præputium ad pedes Mosis.* Pererius, *Mihi rectius & aptius, atque consequentius narrationi Scripturæ sentire atque interpretari videntur, qui pronomen illud eius referunt ad Mosen, ad cuius pedes abiecit Sephora præputium amputatum filio.* Nodinus, *Tunc Sephora præcisum filii sui præputium proiecit ad pedes Mosis* In has partes Caluinus iit. An propterea mentitus, quia obsistat vnus Bellarminus?

XXV. Murmurasse contra maritum, ex eo præputii iactu Caluinus colligit, *Etsi enim, inquit, aliqua ex parte, vt cogebat necessitas, se Deo subiecit Sephora, tamen impetu iracundiæ percita, contra maritum exiluit Odiose enim exprobrat sponsum esse sanguinarium.* Quia videlicet proiciendo dixisset, *Sponsus sanguinum.* Quod etsi varii varie accipiant; tamen eam expositionem nemo damnauit. Pererius, *Vel tanquam irata & fremens vt quidam exponunt, quod propter ipsum coacta esset sauciare filium, & multum eius sanguinem profundere. Vel potius quasi lætabunda, & gratulabunda; bono esse animo iubens maritum.* Vbi vides ingeminata interpretatione illam Caluini non improbari Sa, *Quasi dicat, causa mihi es fundendi sanguinis.* Nodinus, *Recessit Angelus: tuncque Sephora præcisum filii sui præputium, proiecit ad Mosis pedes, iratáque dixit ei, Sponsus sanguinum tu mihi es, id est, tui gratia, & tua reli-*

gionis r tu coacta ſum ſanguinem filii mei effundere. Comeſtor, *Vnde irata ait viro, eſne mihi vir ſanguinum! Id eſt, an ex coniugio tuo tantum ſcelus teneor agere, vt fundam ſanguinem filii mei?* Audin iratam? Viden exprobrantem ſanguinem filii ſu ?

XXVI. Et vero cenſent plerique eius culpa factum, vt filium vel vtrunque vel alterum Moſes non circuncidiſſet. Carthuſianus, *Putatur quod fœmina illa gentilis voluit vnum filiorum ſuorum tenere in ritu gentilitatis ſuæ: alterum vero iuxta legem diuinam Moſes circuncidit. Fuit quoque culpabilis, quod cum eſſet caput mulieris, permiſit eam tenere in ſuo ritu vnum ex pueris illis.* Rupertus cap. 21. in Exodum *Volebat,* inquit, *occidere eum. Quare? Quia filios ſuos non circunciderat. Verum hoc obſiſtente vxore alienigena facere nequiuerat in terra alienigena, in terra non ſua. Igitur vidente Sephora volebat Dominus occidere eum vt quo ratione noluerat adduci, præſentia periculi cognoſceret ſalutare eſſe ſemini Abrahæ, omne maſculinum eius circuncidi.* Hugo Cardinalis, *Forte alterum iam circunciderat, alterum dimiſerat circunciſum Sephora, quæ gentilis erat.*

XXVII. Quid ergo peccatum Caluino: Si iratam obſeruans, & exprobrantem, dixit murmuraſſe contra maritum? Vnde autem reliqua fluunt, *Vnde perſpicitur,* inquit ille, *quam longe à pio obediendi affectu abfuerit: quando non alia de cauſa impotenter fertur contra maritum, & iracundiam ſuam euomit: niſi quia Deus filii Circunciſionem ab ea extorſerat.* Manifeſta res. Non poterat enim in maritum eſſe irata, vt non eſſet contumelioſa in Deum, cuius vim ſentiebat præſentem. Non poterat contra Deum intemperans eſſe, & obedientiæ laudem mereri. Sed profecto Papiſtæ ſunt iniquiores debiti Deo obſequii æſtimatores. Caluinus religioſior nemini didicerat aſſentari: nec in ſua libertate ſperabat ſibi metuendas humanæ proteruiæ calumnias? itaque confidentiſſime iudicauit Sephoram vſurpaſſe miniſterium non ſuum: vnde Bellarminus non potuit quenquam ſanum deducere.

XXVIII. Tranſeo ad ſecundum Papiſtarum argumentum apud eundem. Ex Matthæi vltimo, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos.* ἐξ ἀπροσδοκήτου. Nam quis ſperaſſet inde promiſcuum concludi miniſterium Baptiſmi? Audiamus egregium acumen. Licet miniſterium verbi ſit proprium Apoſtolorum & Epiſcoporum, tamen omnibus licet: imo omnes tenentur in articulo neceſſitatis docere & inſtituere ignorantes: vt Act. 18. Aquila & Priſcilla. Ergo eodem modo, licet munus baptizandi ſit proprium Sacerdotum, tamen in neceſſitate licebit etiam laicis & fœminis baptizare: imo etiam maiori ratione; cum magis ſit proprium Apoſtolorum prædicare quam baptizare. Prioris ad Corinthios 1. *Non miſit me Dominus baptizare, ſed prædicare.*

XXIX. Admodum ſubtiliter: ſi non ipſa Papiſtarum doctrina conſequentiam refutaret: quæ Sacerdotibus non negat autoritatem docendi; & tribuit poteſtatem conficiendi corpus Chriſti; & vngendi ægrotos. Item Epiſcopis confirmandi, & ordinandi Et tamen ſolis. Quid reſponſuri quæſo, ſi obiiciam; eorundem eſſe hominem Sacramentorum adminiſtrationem; & prædicationem: itaque ſicut prædicationem, ſic eandem adminiſtrationem debere eſſe promiſcuam; maribus, fœminis, Chriſtianis, Ethnicis? Admittantne, an negent ſequi?

XXX. Et ſane, primum conſequentia eſt præter logicæ leges: quia in affirmatis enumerationibus non eſt reciproca neceſſitas: non enim vt qui manducat viuit; ita quicquid viuit, manducat. Apud Papiſtas etſi omnis Epiſcopus conſecret: tamen non quicunque conſecrat, eſt Epiſcopus Cur non ſimiliter, non quicunque doceat, baptizet, tamen quicunque baptizet doceat?

XXXI. Neque vero in re quicquam eſt difficile. Nam docere ſignificat interdum nudam & promiſcuam rei explanationem, quam diſcat aliquis: interdum autoritatem habet additam doctoris ac magiſtri in diſcipulos. Priori modo docere licet cuicunque Chriſtiano, vt non tantum Ædeſius & Frumentius olim adoleſcentes captiui, Indos, ſed etiam muliercula, Indos docuit teſte Theodoreto hiſtoriæ lib. 1. cap. 23. 24 Et tamen Paulus 1. ad Timoth. 2. *Mulieri docere non permitto*: id eſt ex paraphraſi Iuſtiniani, *Neque etiam fas eſſe duco, aut vlla ratione patior fœminam docendi munere perfungi.*

XXXII. Atqui in verbis Chriſti, docendi hæc intelligitur ratio poſterior. Agitur enim de munere Apoſtolico. Maldonatus, *Loquitur enim hic, non de qualibet poteſtate: ſed de ea, quam Apoſtolis dabat, id eſt, de poteſtate regni ſui ſpiritualis acquirendi, colligendique, quam ad rem Apoſtolos mittebat.* Salmero tractat. 33. tom. 11. *Ex poteſtate ei data, recte infertur, quod ex eadem legatos in omnem terram deſtinare poſſit, qui eadem poteſtate fungi, prout ei placuerit valeant, non ſolum hominibus, ſed & in Angelis cœli.* Et paulo poſt, *Atque ita illos miniſtros verbi & Sacramenti conſtituit, in quo eſt ſumma poteſtas Euangelica.* Itaque non male obſeruauit Beza verbũ μαθητεύσατε, & vertit *diſcipulas facite*, quia videlicet aliud ſit, quam τὸ διδάσκειν quod poſtea exprimitur. Solet enim τὸ μαθητεύειν Græcis non tantum diſcere; ſed ſe alteri in diſciplinam tradere; atque eum pro magiſtro ſuſcipere. Quare falſo pronuntiat Bellarminus miniſterium hoc verbi omnibus licere; omnibus imperari in articulo neceſſitatis. Ac proinde abiit in ventos ſubtilitas.

XXXIII. Tertium argumentum: Actor 8 Philippus Diaconus Simonem & Eunuchum: Nono, Paulum Ananias baptizauit: At horum neuter aut Apoſtolus, aut Epiſcopus, aut Sacerdos: imo poſterior plane laicus. Nam Paulus baptizatus primo anno à paſſo Domino, cum nondum eſſent ordinati vlli Epiſcopi, aut Sacerdotes; exceptis Apoſtolis. Item 10. Petrus baptizari iuſſit à fratribus, qui ſecum venerant; quos certe probabiliſſimum eſt non fuiſſe Apoſtolos, aut Diaconos. Denique 2. in Pentecoſte baptizata ſunt tria hominum millia: quod certe non potuit commodo fieri per ſolos Apoſtolos: itaque oportuit vt alii etiam baptizarent, qui laici eſſent.

XXXIV. Eia vero, quid ergo delicias facitis? Quid continetis vos intra terminos vltimæ neceſſitatis? Cur non totas laxatis habenas, & omnibus æquo iure permittitis pro arbitrio Baptiſmi miniſterium. Nam hoc argumentum aut nihil probat; aut hoc probat. Probat, inquam, nullo expectato neceſſitatis articulo poſſe quemcunque laicum baptizare: nam profecto eorum exemplorum nullum eſt, in quo vel veſtigium neceſſitatis appareat. Imo cur deferri vultis ordinibus veſtris, ne præſente clerico baptizet laicus? Nam in poſtremo exemplo non tantum Petro; ſed etiam Apoſtolis cunctis viuentibus, videntibus, laicos baptizaſſe dicitis; nec ſolum ratum Baptiſmum; ſed etiam legitimum: nec enim quicquam peccati admittitis. An pœnitebat aliquando intempeſtiuæ ſubtilitatis? An vero potius veſtras ipſi vites cædere mauultis, quam nobis non eſſe importuni?

XXXV. Sed enim Philippum fuiſſe tantum Diaconum: Ananiam duntaxat laicum, non habet docere Bellarminus. Philippum ſane Actorum viceſimo primo legimus Euangeliſtam; qui gradus erat ſupra Diaconum: nam poſter. ad Timotheum 4. legimus, *Opus perage Euangeliſtæ,* cum tamen Timotheum in confeſſo ſit fuiſſe Epiſcopum. Et in ipſo Actorum octauo idem Philippus deſcribitur profectus extra Eccleſiam in qua erat conſtitutus Diaconus: atque inibi prædicaſſe Euangelium. Vnde cur non concludamus promotum à Diaconatu ad gradum ſuperiorem?

XXXVI. Ananiam fuiſſe laicum, ne tenue quidem indicium Lucas reliquit: & tota narratio videtur repugnare: fit enim veriſimile Eccleſiam quæ eſſet Damaſci non relictam abſque vllo Paſtore: & Saulum ad Paſtorem potius ablegatum, quam ad alium quenquam. Nam quod temporis circunſtantiam Bellarminus opponit; ego quidem non definierim: quod cum Lucas expreſſum noluerit, non poteſt niſi coniecturis diuinari. Vnum dico, referri conuerſionem Pauli à Baronio in annum Chriſti triceſimum ſextum. Iuſtiniani etiam verba hæc eſſe cap. 4. diſputat. de Paulo Apoſtolo, *Vero ſimilius videtur, quod aſſerit Oecumenius, Pauli conuerſionem anno à Chriſti nece ſecundo contigiſſe: quod videlicet ab obitu Chriſti vſque ad vocationem Pauli annus integer præterierit, ſuperque menſes ferme decem.* Item Romanum Martyrologium 25. Ianuarii, notat annum ſecundum ab aſcenſione. Quid ergo ſequutus eſt Bellarminus? Quid Salmero qui tractatu 29. in Acta, decem menſes ſolos numerat?

XXXVII. Sed enim negamus nos vel decem menſes fuiſſe Eccleſiam Damaſcenam abſque vllo Epiſcopo, ſiue Presbytero relictam, quaſi neglectam ab Apoſtolis: qui tamen ſcirent non poſſe Eccleſiam ſubſiſtere abſque collectis; neque collectas abſque publico miniſtro. Nam quod negat vllos dum inſtitutos Epiſcopos, aut Sacerdotes, præter Apoſtolos, vnde habet? An quia tacuit Lucas? Atque hoc argumento conſtabit, nunquam inſtitutos: quia nunquam idem dixit inſtitutos.

XXXVIII. Fallit Bellarminus, Cornelium, & reliquos iuſſos baptizari à fratribus. Non enim ita Lucas dixit: ſed tantum iuſſos baptizari: προσέταξέ τε αὐτοὺς βαπτισθῆναι ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, *Et iuſſit eos baptizari in nomine Domini:* quibus verbis non neceſſario ſignificatur aliis quibuſdam baptizandi partes eſſe mandatas: ſed illos ipſos iuſſos eſſe, vt ſe baptizari vellent. Et vero Martyrologium Romanum ſecundo Februarii teſtatur Cornelium à Petro baptizatum. Lorinus in eum locum, *Nihil obſtat vel inſignem Cornelii perſonam baptizare Petrum voluiſſe, vel reliquos quoque familiares eiuſdem.* Sed & gloſſa interlinearis ambiguum reliquit, *A ſociis ſuis vel à ſeipſo.* Syrus interpres, *Præcepit eis vt baptizarentur* פקד לחון דיעמדון.

XXXIX. De tribus millibus baptizatis Actor. 2. mirum eſt Ieſuitæ cuiquam potuiſſe videri non potuiſſe fieri, quum Franciſcus Xauier teſte Salmerone tract. 15. in Acta iactabundus ſcripſerit non tantum intra paucos annos à ſe baptizata quadringenta millia: ſed etiam vno die quindecim millia. Item quindecim millia ab vno potuiſſe baptizari: non potuiſſe à multis tria millia! Siccine? Et inter Chriſtianos?

XL. Ad rem quod attinet, ſolutionem ſufficient etiam Ieſuitæ. Salmero illo eodem tractatu, *Sed iam quæritur qui fieri potuerit, vt tot vno die baptizari potuerint? Commode reſponderi poteſt, impoſſibile non fuiſſe.* En tibi concordes fratres. Bellarminus, *certe non potuit commode fieri:* Salmero, *impoſſibile non fuit.* Sed cur ita viſum Salmeroni? Honeſtiori certe viro, qui rationem redditam voluerit: cum Bellarminus tantum ſit effatus. Salmero igitur non vnam rationem expediuit, *Quia erant miniſtri centum viginti. Deinde probabile eſt etiam non fuiſſe baptizatos per ſubmerſionem, ſed per aſperſionem, ſiue intinctionem, & verborum prolationem: ita enim multa millia poſſunt expediri intra horam.* Similiter Lorinus, ne Salmeronem ſolitarium clames, *Non immerſione, non effuſione, ſed aſperſione: qua facile eſt multos ſimul baptizari, & aqua attingi, cuius vel gutta etiam ſufficit.*

XLI. Quartum argumentum ex Catechiſmo Tridentino Suares congruentiam appellat, & ita concipit. Quia Baptiſmus eſt Sacramentum maximæ neceſſitatis reſpectu omnium hominum: ergo expediens fuit, vt illius adminiſtratio omnibus concederetur, præſertim neceſſitate vrgente. Et confirmatur: nam propter hanc cauſam inſtitutus eſt in materia communi, quæ vbique facile reperitur, & in ſimpliciſſima actione, ac verbis Ergo eadem ratione fuit conueniens, neceſſarium miniſtrum huius Sacramenti eſſe valde communem, atque adeo miniſterium hoc cuilibet concedi. Formo. Omne Sacramentum maxime neceſſarium debet ab quocunque homine miniſtrari. At Baptiſmus eſt eiuſmodi. Ergo debet à quocunque miniſtrari. Maior probatur, quia debet facillime miniſtrari: quod ipſum confirmatur à facilitate materiæ & formæ.

XLII. Reſpondeo; primo negari maiorem: alioquin cur limitant ipſi Papiſtæ; neque admittunt ad hoc miniſterium infantes? Imo baptizandum nolunt niſi in extrema neceſſitate poſitum? Imo cur limitationes addunt: vt ne præſente viro mulier miniſtret; aut præſente clerico laicus? præſente Chriſtiano Turca Iudæusve: Nam profecto ſi ex ipſa Sacramenti huius natura educitur permiſſio quæ ratio peccati ſupererit? Quod ſi has exceptiones ſibi permittant, quid firmitatis reliquum faciunt argumento? Bene igitur congruentiam appellant: id eſt id generis argumentum; cui tantum roboris ſit, quantum quiſque volet; vt cum ſeptenarii laudes cantillabantur ad numerum Sacramentorum definiendum.

XLIII. Ad rem ipſam dico, Sacramentum dici vel externum ſignum; vel rem ſignificatam. Secundum externum ſignum, nego vllum Sacramentum eſſe maximæ neceſſitatis: atque adeo hoc ipſum, prout ante diſputatum eſt. Secundum rem ſignificatam; negatur maior. Nam Euchariſtia itidem extremæ eſt neceſſitatis; quia nemo ſeruari poteſt qui non ederit carnem, & biberit ſanguinem Chriſti: & tamen ne Papiſtæ

quidem

quidam Eucharistiæ ministerium promiscuum esse volunt. Item reconciliat o peccatoris cum Deo extremæ est necessitatis: quod absq; ea nemo seruatur: & tamen Pœnitentiæ, quanquam in Sacramentis eam numerent, solum Sacerdotem ministrum esse volunt.

XLIV. Postremum argumentum à testimoniis Veterum. Tertulliani libro de Baptismo; *Alioqui & laicis ius est baptizandi. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.* Alexandri Episcopi Alexandrini, qui teste Rufino ratum habuit Baptismum ministratum ab Athanasio puero & laico. Concilij Niceni, teste Hieronymo contra Luciferianos, statuentis Baptismum hæreticorum esse ratum. Concilij Elibertini canone 38. Ambrosij in 4. ad Ephesios. Hieronymi contra Luciferianos Augustini secundo contra Epistolam Parmeniani, capit. 13. Concilij Carthaginensis tertij, canone 100. Gelasij Epistola 1. Isidori 2. de officiis, cap. 24. Magistri cum vniuersa Schola lib. 4. dist. 6.

XLV. Respondemus; primum scire nos iam olim de laicis, ita scriptũ. Sed regeri humanam autoritatem, nulla fultam Scriptura, non esse legitimum fundamentum disputationum Christianorum: quod exemplo vicino facile docetur. Nam Eucharistiæ perceptionem necessariam esse infantibus etiam assertum. Testis Maldonatus in Ioann. 6. *Missam facio Augustini, & Innocentij primi sententiam, quæ sexcentos circiter annos viguit in Ecclesia, Eucharistiam etiam infantibus necessariam.* Et tamen statim, *Res ab Ecclesia & multorum seculorum vsu, & decreto Concilij Tridentini explicata est, non solum necessariam illis non esse, sed ne licere quidem dari.* Itaque Sophistæ debuerunt horum testimoniorum fragilitatem agnoscere.

XLVI. Nos certe dissimulare non possumus, obseruatis etiam incommodis. Nam illud quale exemplum est Athanasij? Puerum obseruauit Bellarminus, & laicum; sed dissimulauit ludentem: sic enim oportuit cautelæ gratia: sed non veritatis. Hanc enim circumstantiam ij notarunt à quibus narrationem habemus. Ruffinus historiæ libr. 1. cap. 1. *Alexander Episcopus videt eminus puerorum supra oram maris ludum, imitantium, vt fieri solet, Episcopum, atque ea quæ in Ecclesiis geri mos est.* Paulo post, *Cum adessent, quis ex ludus, & quid egissent, vel quomodo percunctatur. Illi, vt talis habet ætas, pauidi, negare primo, deinde rem gestam per ordinem pandunt, & baptizatos à se esse quosdam catechumenos confitentur per Athanasium, qui ludi illius puerilis Episcopus fuerat simulatus.* Ex Sozomeni 2. Est & apud Nicephorum cap 44. lib. 8. Horrendum auditu; vllum dari locũ in Ecclesia ludicris gesticulationibus, puerilibus nugamentis. Quid igitur restat quo minus histrionum in scena rata sint imitamenta rerum religiosarum? Cur non ergo iam tunc Episcopus Athanasius? Nam is æque in eodem lusu factus dicitur Episcopus? Tandem ergo abest, hoc exemplo moueamur, vt potius sufficere existimemus ad reprimendam superstitionis audaciam.

XLVII. Quid? quod vt primo à clericis ad laicos: ita postea à viris euentum ad mulieres? Nam primo his prohibitum. Tertullianus de Velandis virginibus, cap. 9. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui: sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officij sortem vendicare.* De Baptismo, cap. 17. *Petulantia mulierum quæ vsurpauit docere, vtique non etiam tinguendi ius sibi pariet: nisi si quæ noua bestia venerit similis pristinæ: vt quemadmodum illa Baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat.* Clemens constitutionum 3. cap. 9. περὶ δὲ γυναικῶν βαπτίζειν, γνωρίζομεν ὑμῖν ὅτι κίνδυνος οὐ μικρὸς ταῖς τοῦτο ἐπιχειρούσαις, *De mulieribus baptizantibus scitote, quæ hoc tentant, non mediocre periculũ eas incurrere:* διὸ οὐ συμβουλεύομεν· ἐπισφαλὲς γάρ, *quamobrem non hoc consilium damus, periculosum enim est:* εἰ γάρ τι καὶ ἔδει ὑπὸ γυναικῶν βαπτίζεσθαι, πάντως ἂν καὶ ὁ κύριος ὑπὸ τῆς ἰδίας μητρὸς ἐβαπτίζετο, *Quod si à mulieribus baptizari oporteret, profecto Christus à matre sua baptizatus esset:* Epiphanius Collyridianis disputat, non permissum mulieribus, ἱερατεύειν ἢ κανονικόν τι ἐργάζεσθαι ἐν ἐκκλησίᾳ, Sacerdotio fungi, aut quicquam canonicum gerere; alioquin Mariæ virgini potissimum: ἀλλ' οὐδὲ βάπτισμα διδόναι πεπίστευται, *cui tamen ne Baptismum quidem conferre erat concessum.*

XLVIII. Deniq; vin videre audaciam? In Concilio Carthaginensi 4. Canone 100. *Mulier baptizare non præsumat:* Sic enim definitum. Visum durum: itaque mollivuerunt Lombardus & Gratianus: ille distinct. 6. libri 4. iste Canone *Mulier* de Consecratione, distinctione 4. *Mulier*, inquiunt, *quamuis sancta, baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente.* Et ita deinceps contractum, quod confidentius erat definitum, & magis absolute. Est autem hic mos perpetuus Papistarum; vt ex suo, suiq; præsentis temporis sensu Veteres metiantur; ac si nõ recens additæ essent exceptiones à posterioribus: sed cum ipsis natæ patribus: tanta audacia est.

XLIX. Sed & de laicis; mirare Tertulliani rationem. *Laicis*, inquit, *ius est baptizandi. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.* Itane? Quid ergo limitationes, exceptiones anquiritis? Cur necessitatem extremam? cur absentiam legitimarum personarum? cur distinctionem solennis & priuati Baptismi? Nam profecto omne genus homines recipiunt Baptismum absq; necessitate, præsentibus quibuscunque, & in Ecclesia solenniter. Si ergo quod ex æquo accipitur, ex æquo dandi ius est, absque vlla necessitate mulier baptizabit, & præsentibus viris, Presbyterisque; & deniq; solenniter atq; in Ecclesia: quod tamen puduit concedere. Deniq; Eucharistia ex æquo accipitur. Ex æquo ne etiam licebit fœminæ Eucharistiam conficere? Ite, & adorate, quicquid Tertulliano dictum!

L. Eliberinum Concilium canone tricesimo octauo, nonnihil indulserat laicis: sed exceptionem superstitiosi sublatam voluerunt, *Peregre nauigantes*, aiebant, *aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum.* Vides non cuilibet permissum baptizare, sed baptizato, non bigamo: nec quemlibet, sed catechumenum. Fracti sunt deinceps carceres; & qua data porta ruit audacia; vt baptizati, non baptizati nullum discrimen esset; non catechumeni momentum vllum. Eadem restrictio erat Tertulliani; accessentis ius dandi à iure accipiendi.

LI. Hæc incommoda manifeste ostendunt naturam superstitionis: cui nec modus sit nec mensura; vt cohiberi nequeat quo minus in maiora sei. psam in dies præcipitet; & ex vel paruis occasionibus audendi quidlibet sibi libertatem faciat. Itaque consultissimum est intra traditionis initia cogere humanam curiositatem; & ad fontes primos redire à riuis turbidis; vt non quid fecerint, qui ante nos, obseruemus, sed quid iusserit, qui ante omnes.

LII. Sed egregium est sophisma; Nicænum Concilium statuit Baptismum hæreticorum esse ratum: at inter hæreticos aliquos non est verum Sacerdotium; proinde laici fuerunt qui baptizarent: licet fortasse dicerentur Sacerdotes. Ergo laicis licet baptizare. Veruntamen, inquam, iidem illi hæretici publice baptizabant; baptizabant solenniter, baptizabant in Ecclesia. An etiam mulieribus, laicisve itidem Papistæ permittunt? Quod si non permittant: quis prohibeat ridere consequentiæ futilitatem? Et sane idem Hieronymus, qui id constitutum obseruauit in ea Synodo: in hunc modum scribebat in eodem libro: *Orote, vt aut sacrificandi licentiam tribuas, cuius Baptisma probas, aut reprobes eius Baptisma, quem non existimas Sacerdotem.* Nimirum in ea Synodo tantum hæretici comparati sunt Catholicis, non autem clerici laicis. Itaque definitio ita intelligenda: vt Baptismus in cæteris par Baptismo apud Catholicos, eo tantum differens, quod esset hæreticus: sanciretur admittendus.

LIII. Nec est verum in hæresi vocatos ad ministerium fuisse laicos. Etsi verum, non fuisse semper vocationem legitimam: sed hæc quæstio differt ab illa. Itaq; eodem libro Hieronymus vrget eorundem hæreticorum Episcopos fuisse recipiendos, cum venirent ad Ecclesiam Catholicam: atq; adeo hæc illi quæstio erat præ manibus contra Luciferianũ negantem. Iste, *Recipis laicum, qui errasse se confitetur: & Dominus mauult pœnitentiam peccatoris, quam mortem.* Ille, *Recipe ergo & Episcopum; qui & errasse se confitetur: & Dominus mauult pœnitentiam peccatoris quam mortem.*

LIV. Summa solutionis. Discesserunt à primis patribus posteriores Papistæ in mulierum Baptismo: hinc nobis geminum momentum. Prius licere in eodem à posterioribus Papistis redire ad priores partes: aliquanto saniores: itaq; nobis muliebrem Baptismum improbari. Alterum; quæ causa visa est patribus concedere laicis Baptismum: eadem & mulieribus visa postea est communis; & induxit posse à mulieribus ministrari Baptisma; quod est absurdum: Ergo ne laicis quidem apta fuit permittere. Itaq; cum bona pace Veterum non Papistarum postremam damnamus audaciam, sed etiam veterum improbamus licentiam laicorum.

LV. Nunc erunt argumenta nostra. Primum. Iis solis baptizare competit, quibus commissio data est baptizandi: At solis præfectis Ecclesiæ data hæc commissio est: Ergo solis præfectis Ecclesiæ competit baptizare. Maior per se patet: quia Baptismi institutio pendet à sola voluntate instituentis: itaque ex hac sola metienda: quomodo Eucharistiæ: cuius administratio non aliam ob causam prohibita est laicis: minor patet ex Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

LVI. Bellarminus respondet primo: non esse certum solis id Apostolis dictum: verisimile tum dictum in die Ascensionis, cum adessent Apostolis quinguenti fratres, teste Paulo 1. ad Corinth 15. Secundo, Apostolica facta mandatum hoc exposuisse; qui tolerarint Stephanum concionantem, & Philippum, Ananiamq; baptizantem; & vt tunc vrgebat necessitate cum pauci essent ministri, ita nunc vrgere necessitatem cum quis sit in periculo vitæ, absentibus Sacerdotibus.

LVII. Sed de posteriori solutione non oportet nos esse sollicitos, qui iam examinauimus exempla Philippi & Ananiæ: ostendimusque nihil esse quod nobis obsit. Et illud de necessitate sit etiam discussum.

LVIII. Restat prior. In qua illud incertissimũ, eundem apparitionem describi à Matthæo & Paulo. Nam Matthæus disertè numerat vndecim discipulos. *Vndecim*, inquit, *discipuli profecti sunt in Galilæam.* Meminerint aduersarij, quanta vi torqueant aduersum nos, duodecim numeratos in vltima Cœna. vt efficiant nemini concedendum calicem laico: & patiantur in se verti artes suas. Rursum Paulus notauit postquam visus est quingentis illis, visum fuisse iterum Christum non tantum Iacobo sed etiam Apostolis omnibus. Cum tamen sit verisimile ita factum post Ascensionem.

LIX Sed quid ad me tamen? Demus sane alios adfuisse plurimos. An propterea non proprie dictum Apostolis? Mitto Matthæum, postquam numerasset vndecim, scribere, *Et accedens loquutus est eis:* quanquam in eo non sit vis nulla: sed res ipsa certe est manifesta. Consentiunt enim inter interpretes his verbis institutam Apostolicam autoritatem: qua de re paulo ante dictum. Itaque non possunt hæc verba promiscue pertinere ad omnes fideles: clericos & laicos.

LX. Secundo habemus analogiam functionum Sacerdotalium, in quas nihil licet non Sacerdotibus. Vt potes in alterum Sacramentum, videlicet Eucharistiæ, quam nemo Papistarum permissam patiatur cuiquam non Sacerdoti. Similiter in Pœnitentiam, Ordinationem, Confirmationem: in excommunicationem: denique in publicam prædicationem. Itaque Veteres coniungebant. Tertullianus de velandis Virginibus. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui: sed nec docere, nec tinguere, nec offerre.* De præscriptionib. cap. 41. *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere.* Clemens Constitut. lib. 3. ca. 10. Ἀλλ' οὐδὲ λαϊκοῖς ἐπιτρέπομεν ποιεῖν τι τῶν ἱερατικῶν ἔργων· οἷον θυσίαν, ἢ βάπτισμα, ἢ χειροθεσίαν, ἢ εὐλογίαν μικρὰν ἢ μεγάλην· οὐχ ἑαυτῷ γάρ τις λαμβάνει τὴν τιμὴν, ἀλλ' ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ θεοῦ. διὰ γὰρ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ ἐπισκόπου δίδοται ἡ τοιαύτη ἀξία, ὁ δὲ μὴ ἐγχειρισθεὶς ταύτην, ἀλλ' ἁρπάσας αὐτὴν ἑαυτῷ τὴν τιμωρίαν τοῦ Ὀζίου ὑποστήσεται, *Immo neq; laico* (loquutus erat de mulieribus) *permittimus facere aliquid opus Sacerdotale, vt Sacrificiũ, aut Baptismũ, vt impositionẽ manus, aut benedictionẽ siue paruã, siue magnã, Nemo enim sibi sumit honorẽ, sed qui vocatur à Domino: huiusmodi namq; gratia per impositionem manuum Episcopi datur: qui vero nõ est ad eam lectus, sed potius sibi eam rapuit, hic supplicio Oziæ afficietur.*

LXI. Respondet Bellarminus; hæc intelligenda de publico ministerio, non priuato in casu necessitatis. Ideo Tertullianum dicere, in Ecclesia non licere mulierem loqui, docere, tingere: & coniungere officium dandi Baptismi, cum officio sacrificandi, quod est semper publicum.

LXII. Sed hoc artificium illud est, quod dicebam, Sophistarum, qui ex suis commentis recentioribus metuuntur quicquid vel antiquissimum est. Nobis contra satis est, apud veteres nunquam has exceptiones additas, quas hodie quasi numeratas carminum syllabas tam religiose nostri repe-

tunt Sophistæ, cauentes omittere. De necessitate dictum paulo ante. Publicum ministerium dico, vel ex sua natura, vel ex circumstantiis censeri. Priori modo censendum ex re ipsa; nempe vt sit publicum, quod autoritate indiget publica. vt exempli gratia. Reconciliandi peccatores ministerium semper est publicum, quia reconciliantem oportet esse personam publicam, eius iuris compotem. Altero autem modo variari ex locorum, aut temporũ; aut assistentium varietate: vtpote priuatum dicatur, quod non in publico cœtu; sed in familia aliqua peragatur, aut aliter: sicut apud Papistas missæ priuatæ nominantur. Hoc posito potest administratio Baptismi priuata dici secundo modo: vt, cum Paulus baptizauit Carcerarium, Actor. 16. Philippum Eunuchum 8. sed re tamen ipsa semper publicam esse priori modo.

LXIII. Et ita dico intelligendos veteres: sic inquam coniungi officium dandi Baptismi, cum officio sacrificandi. Quia videlicet, quomodo sacrificare nemini licet non Sacerdoti, ac proinde publicæ personæ: siue id Sacrificium publice fiat coram præsente Ecclesia; siue priuatim in aliqua familia, quod apud Papistas frequentissimum: sic & baptizare. Et sic Clementem dicere, neminem sibi rapere honorem exercendi aliquod opus Sacerdotale: & qui non fuerit vocatus, easdem daturum pœnas cum Oza.

LXIV. Perperam autem apud Tertullianum Sophista connectit illud in Ecclesia, cum reliquis membris, quasi esset in Ecclesia loqui, in Ecclesia docere, in Ecclesia tinguere; quod non est ita. Tantum enim in Ecclesia loqui: repetitis Pauli verbis; quia esset absurdum simpliciter prohibere mulierem loqui. Verum reliqua disparantur, *Sed nec docere*, & quæ sequuntur; quæ apud Paulum non extant; & à Tertulliano adiiciuntur ob similitudinem rationis; itaque intelligendum; mulieri non licere loqui in Ecclesia: multo minus docere tinguere. Patet, quia itidem copulatum, offerre; quod Bellarminus omisit repetere. At hoc ipsum offerre Papistæ mulieri non permittunt neque in Ecclesia, neque alibi vsquam. Ita ridicule interpretarentur Tertullianum quasi dixisset in Ecclesia loqui, in Ecclesia docere, in Ecclesia tinguere, in Ecclesia offerre: quasi extra Ecclesiam, id est; cœtum publicum liceret mulieri offerre.

LXV. Addimus Basilium improbasse laicorum Baptismum; Augustinum non valde certum fuisse approbandi. *Basilij* locus est Canone primo, Epistolæ 1. ad Amphilochium. Λαϊκοὶ γενόμενοι οὔτε τοῦ βαπτίζειν, οὔτε τοῦ χειροτονεῖν εἶχον τὴν ἐξουσίαν, *Laici effecti* (eos dicit qui in hæresim discessissent) *nec baptizandi, nec ordinandi habebant potestatem:* διὸ ὡς παρὰ λαϊκῶν βαπτιζομένους, τοὺς παρ' αὐτῶν ἐκέλευσαν ἐρχομένους ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, τῷ ἀληθινῷ βαπτίσματι τῷ τῆς ἐκκλησίας ἀνακαθαίρεσθαι, *Quare eos qui ab ipsis baptizati essent, tanquam à laicis baptizatos iusserunt ad Ecclesiam venientes vero Ecclesiæ Baptismo expurgari.* De Cypriano loquitur, & Firmiliano, qui & hæreticorum, & schismaticorum omnium Baptismum docuerant esse irritum: quasi esset à laicis collatum: satis ostendens eam solennem fuisse inter Christianos persuasionem, Baptismum à laico collatam esse irritum: quod vidit Baronius ad annum 258. §. 47. & putauit indigere recta interpretatione, id est, papistica.

LXVI. Augustinus contra Epistolam Parmeniani cap. 13. lib. 2. *Quicquid non habetur, dandum est cum opus est dari: quod vero perniciose habetur; per correptionem depulsa pernicie agendum est, vt salubriter habeatur. Quanquam etsi laicus aliqua pereunti dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, dandum esse addidicit; nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim necessitate cogente si fiat; alieni muneris vsurpatio est: si autem necessitas vrgeat, aut nullum; aut veniale delictum est.* Compara cum Papistis hodiernis, nihil tam certo, tam constanter definientibus: & disce, nondũ inualuisse in Ecclesia hanc sententiam. Nam cur non æque audacter Augustinus cum Bellarmino, si eadem vtrinq; fuisset persuasio?

LXVII. Bellarminus negat Augustinum fuisse dubium. Nam illud, *Nescio an pie quisquam dixerit*, phrasin esse plane assertoriam: significantem, non nisi impie id affirmari. Illud autem, *aut nullum, aut veniale, delictum*, interpretandum, si nõ adhibeatur omnis diligentia vt Sacerdos inueniatur, tum esse veniale peccatum: at vero nullum si adhibeatur. Sed prioris interpretationis cur nulla adhibuit exempla? cur sola sua contentus fuit autoritate, quasi esset prætoria? Atqui si hæc sufficeret; iam primum oportuit non disputatum, sed assertum laicis licere baptizare. At nos nunquam persuadebimur perinde esse si dicat quis; se nescire vtrum quid fiat bene; & sibi certum esse fieri bene: dum nobis audacia Iesuitica non demonstrabit flumina retro fluere. Alterum est puerili; cum enim dicitur si necessitas vrgeat vel nullum vel veniale ex peccatum; quis non videt vnam eandemque hypothesin esse? At iste sublimis Sophista duas supponit. Egregium sane interpretandi artificium.

Cap. XV.

De Baptismi legitimis ritibus.

I. HActenus quæ Baptismo sunt essentialia: nunc erunt ritus qui præter essentiam. Eorum ordines duos explico; vnum legitimorum; alienorum alterum. Priorem, qui oritur ab ipsa Sacramenti natura, atque eius institutione. Generali tamen prius supposita distinctione baptizandorum in infantes & adultos: quorum illi nati ex fidelibus. Hi vero siue nati ex fidelibus, siue ex paganismo primum venientes, vt inserantur Ecclesiæ.

II. Adultorum ordo erat Catechumenorum, quibus à disciplina nomen inditum, quod audirent in Ecclesia; atque ita erudirentur dogmata eius religionis, quam professuri venirent. Isidorus de Officiis lib. 2. cap. 20. *Catechumeni sunt, qui primum de gentilitate veniunt, habentes voluntatem credendi in Christum. Et quia primum exhortationis præceptum est in lege Dei, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est: inde est vt is cui per Sacerdotem quasi per Mosen Deus primum loquitur, Catechumenus, id est audiens, nominetur; scilicet vt vnum noscens Deum, relinquat errores nefarios idolorũ.* Rabanus Maurus de Institut. Clericorum lib. 1. cap. 25. *Ante Baptismum catechizandi debet in hominem peruenire officium, vt fidei primum Catechumenus accipiat rudimentum. Nam in Euangelio secundum Matthæum legitur, quod post resurrectionem Dominus Apostolis præceperit, vt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti docerent, & baptizarent omnes gentes, id est prius fidem Dei illis insinuarent, & sic credentes in remissionem peccatorum baptizarent. Hinc est, quod secundum Marcum idem Dominus legitur præposuisse fidem Baptismati, cum dixit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Capite sequ. *Catechumenus autem dicitur, pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen Baptismum recipit. Nam* κατηχούμενος; *Græce; Latine auditor interpretatur.* Et sane audientes Augustinus appellat, de Verbis Domini, sermon. 46. *Qui inter vos adhuc Catechumeni vel audientes vocantur.* Hinc catechesis ipsa ratio instruendi, & catechistes, qui instruendis operam dabat.

III. Catechizandi modum habes, Constitutionum Apostolicarum lib. 7. cap. 40. Ὁ μέλλων τοίνυν κατηχεῖσθαι τὸν λόγον τῆς εὐσεβείας, παιδευέσθω πρὸ τοῦ βαπτίσματος, *qui initiis atque elementis Christianæ religionis imbuendus est, doceatur ante Baptismum, vt noscat Deum ingenitum, agnoscat filium vnigenitum; habeat certum plene de Spiritu Sancto. Discat ordinem diuersæ creationis, discat seriem prouidentiæ, diuersæ creationis, discat seriem prouidentiæ diuersa legis tribunalia.* Et quæ sequuntur prolixius. Ταῦτα καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα μανθανέτω ἐν τῇ κατηχήσει ὁ προσιών, *Hæc & alia consequentia discat in catechesi, qui accedit.* Eius moris nullum mihi vestigium in Dionysio Areopagita: sed frequentissimi tamen sermones sunt aliorum ad Catechumenos: Imo tota Cyrilli ad illuminatos catecheseon series eo spectat.

IV. A Catechumenis fuere qui distinguerent competentes: & eos notarent, qui eo labore defuncti, ad Baptismum sese tandem recipiendum compararent. Isidorus cap. 21. *Post Catechumenos secundus competentium gradus est. Competentes autem sunt, qui iam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant: ideoq; appellantur competentes, id est gratiam Christi petentes.* Nec aliter Rabanus Maurus: aut hodie Papistæ Bellarminus, Vasques, alij. Et habent grauem autorem Ambrosium Epistola 33. *Dimissis Catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisterii tradebam basilicæ.*

V. Veruntamen Augustinus videtur non alios intelligere quam Catechumenos: nam & hi Baptismum postulabant. Etenim de fide & operibus cap. 6. *Adeone vsque adeo dissimulamus à sensibus nostris, vt vel nos ipsos non recordemur quam fuerimus attenti atque solliciti quod nobis præciperent à quibus catechizabamur, cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc competentes etiam vocaremur: vel non intuemur alios, qui per annos singulos ad lauacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur? quanta vigilantia conueniant, quo studio ferueant, quam curam pendant.* Hæc profecto omnia ad Catechumenos pertinebant. De cura pro mortuis, cap. 12. *Dedit nomen inter alios competentes, pariter cum plurimis incognitus nobis.* Scilicet poterat esse incognitus, qui inter Catechumenos esset aliquandiu versatus. Epistola 155. *Tua me. veri scripta desidero: & te nomen dedisse inter competentes, vel daturũ esse, iam iamque cognoscere.* Cuius Epistolæ argumentum male habet, gratulari veteri amico, quod Catechumenus esset factus, & hortari; vt Baptismum accipiat. Inepte. Nam de Catechumeno quod loquatur nihil est prorsus: sed de eo tantum cui propensa voluntas est ad amplexandum Christianismum; nondum tamen prorsus expedito. Retractationum 1. cap. 17. suum librum de fide & symbolo recensens, negat in eo fieri verborum illam contextionem; *quæ tenenda memoriter competentibus traditur:* Symbolum innuit quod Catechumenis soleret tradi, reddendum ab iis qui ad Baptismum accederent. Itaque nullus ego quidem dubito fuisse Augustino competentes, eos qui alias dicerentur Catechumeni.

VI. A Leone Romano pro competentibus electos habere se putant: cum legunt Epistolæ quartæ, cap. 5. & 6. baptizandos electos. Illi viderint: Ego sane credo esse rei eiusdem alterum nomen ex his verbis sexti, *In baptizandis electis: qui secundum Apostolicam regulam, & exorcismis scrutandi, & ieiuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi.* Nostra tamen ne pili quidem interest; sitne Catechumenorum & competentium siue electorum discrimen aliquod an nullum.

VII. Vtcunque ergo illa sint, deinceps in vsu fuerunt Nominis professio, Scrutinium, Abrenunciatio; Fidei professio. Nominis professio, ritus est, quum adultus auens baptizari profitetur nomen suum. Concilij Carthaginensis canone 85. *Baptizandi nomen suum dent.* Augustinus de Cura pro mortuis, cap. 12. *Dedit nomen inter alios competentes.* Confessionum noni sexto. *Vbi tempus aduenit, quo me nomen dare oporteret.* Epistola 155. *Et te nomen dedisse inter competentes.* De verbis Domini, serm. 46. *Ecce Pascha est: da nomen ad Baptismum.*

VIII. Hæc ita professa nomina scribebantur. Dionysius Hierarchiæ Ecclesiasticæ, cap. 2. ἀπογράψασθαι κελεύει τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα καὶ τὸν ἀνάδοχον, τῆς δὲ ἀπογραφῆς γενομένης εὐχὴν ἱερὰν ποιεῖ; *Iubet Sacerdotes describere tum virum, tum eius susceptorem: & postquam scripserint, preces concipit.* Id est, interprete Pachymere, κελεύει τοῖς ὑπ' αὐτὸν πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ἐν δέλτοις ἱεραῖς ἀπογράψασθαι τὰ ὀνόματα τοῦ τε προσελθόντος, καὶ τοῦ ἀναδόχου. *Iubet sub se constitutos Presbyteros & Diaconos in sacris tabulis describere nomina tum accedentis, tum susceptoris.* Hinc Gregorius Nissenus oratione de Baptismo: Δότε μοι ὀνόματα, ἵνα ἐγὼ μὲν αὐτὰ ταῖς αἰσθηταῖς ἐγχαράξω βίβλοις, καὶ γράψω τῷ μέλανι· Θεὸς δὲ ταῖς ἀφθάρτοις πλαξὶν ἐνσημαίνηται, δακτύλῳ γράψας ἰδίῳ, ὡς ποτὲ τοῖς Ἑβραίοις τὸν νόμον; *Date mihi nomina, vt ego ea imprimam libris sensilibus, & scribam atramento, Deus autem ea signet in tabulis in quibus non cadit interitus, scribens proprio digito, vt olim legem Hebræis.*

IX. Docet autem Dionysius hæc ita data, descriptaq; nomina, postea ad aquas fuisse inclamata. Κελεύει τὸν ἄνδρα προσκομισθῆναι καί τινες ἱερεῖς ἐκ τῆς ἀπογραφῆς αὐτόν τε καὶ τὸν ἀνάδοχον ἀνακηρύξαντος, *Iubet virum proferri: ac quidem Sacerdote ex descriptione & eum & susceptorem inclamante illo à Sacerdotibus ad aquam deducitur*, ὁ δὲ ἱεράρχης ἄνωθεν ἑστηκὼς ἀναβοησάντων πάλιν ἐπὶ τὸν ἱεράρχην κατὰ τὸ ὕδωρ τὸ ὄνομα τοῦ τελουμένου τῶν ἱερέων; *Pontifex in sublimi stans inclamantibus iterum apud Pontificem ad aquam nomen initiati Sacerdotibus, ter eum baptizat Pontifex.*

X. Et sane nihil æquius; quam nomina dare Ecclesiæ, qui Ecclesiæ adscribi velint. Quanquam descriptionem crediderim non fuisse perpetuã. Non enim fuit facile eum per turbas Baptismus conferretur olim, vt tribus millibus Actor. 2. & quinq; millibus 4. Sed re tamen in ordinem redacta, videtur institutio rationabilis, vt non tantum nomina darentur, sed etiam describerentur in tabulis Ecclesiasticis.

XI. Bellarminus & Vasques præter hanc nominis professionem, addiderunt impositionem, in ritibus comitantibus Baptismum. Quam etiam

Vasques

Vasques addidit hanc semper fieri nō tantum in infantibus, quibus tunc primum daretur nomen; sed etiam in adultis priore mutato, & quidem ab antiquo tempore. Nec nos diffitemur ita nunc fieri inter Christianos, cum iampridum vix alij quàm infantes baptizantur, vt eorum tum primum nomen addiatur, quasi in actione solenni. *Et forte ex imitatione Circumcisionis*; cuius exemplum habemus Lucæ 1. in Ioanne Baptista: & 2. in Seruatore nostro. Quanquam nullum testimonium occurrat vere antiquum. Nam quod illi recitant ex Dionysio apud Eusebium lib. 7. cap. 20. in eo nihil est prorsus quod ad Baptismum pertineat, *Ioannis Apostoli multos fuisse gentiles arbitror* (Græce ὁμωνύμους) *qui propter singularem amorem quo erga illum affecti erant, propter admirationem quam de eo habebant & propter æmulationem, qua ad illud imitandum flagrabant, & quod à Domino pari ratione diligi cupiebant, etiam istam appellationem amplexati sunt: quemadmodum nomina Pauli & Petri fidelium liberi crebro ferunt.* Apud Pisanum Nicenus Canon ex Arabico 50. magis ad rem, *Vt fideles nomina gentilium filiis suis non imponant: sed potius omnis natio suis nominibus vtatur, vt gentiles suis vtuntur imponanturq; nomina Christianorum im Baptismo, dum legitur Scriptura, & baptizantur in nomine sanctissimæ Trinitatis semper colendæ & adorandæ.* Verum vnde sit hic Canon, aut cuius ætatis, incertum: certum nō esse Nicenum, Porro testatur Vasques ne in ritibus quidē Romanensibus hanc impositionem esse, *Neque*, inquit, *vlla alia nunc ceremonia pro impositione nominis vtimur, præter quàm interrogare sponsores, quo nomine vocetur cathechumenus, qui adducitur ad Ecclesiam pro Baptismo, & deinde in ipsa forma Baptismi ipsum nomine proprie compellare*,

XII. Adultis profecto non est verisimile mutata fuisse nomina. Atq; adeo, quæ exempla habemus siue ex Scripturis, siue ex historia in iis nihil apparet tale. Actor. 7. Simon: 9. Saulus 10. Cornelius 13. Sergius Paulus; 16. Lydia: 17. Dionysius, & Damaris, nomina sunt eadem baptizatis quæ prius erant. Similiter. Constantinus, Ambrosius, Augustinus, Adeodatus, Tertullianus. Cyprianus, Gregorius Nazianzenus pater ac filius, Synesius; denique apud Augustinum, cap. 2. octaui Confessionum, Victorinus. Nam quid plures nominem? Breuiter nullum exemplum est mutati nominis. Nam quod Baronius ad annum trecentesimum septimum diuinauit Hecaterinæ nomen mutatum in Dorotheam, nugamentum est puerile; cum Hecaterina nullius linguæ sit analogia, quæ tamen Græca esse debuit. Apud Areopagitam res est manifesta accidentium ad Baptismum describi nomina, sed & susceptorum; eademque postea recitari inter baptizandum. Itaq; nobis sane persuasum, profitendum esse nomen siue infantis oblati: siue adulti competentis; perindeque esse siue recens imponatur, siue vetus repetatur: in adultis tamen præstare repeti.

XIII. Scrutinium appellant examen competentium, qui postquam sedula institutione essent eruditi, ad aquas venirent. Hos enim Episcopus explorabit diligenter. Alcuinus de diuinis officiis in Sabbatho Pasche, *Fiunt scrutinia, vt exploretur sæpius, an post renuntiationem Satanæ, sacra verba data fidei radicitus corde defixerint.* Nomen ipsum recens, in ordine Romano, Alcuino, Amalario, Rabano: nullo autem vetustiore: nisi quod scrutandi verbo sunt olim vsi Augustinus, & Leo primus. Ille cap 6. de fide & operibus, *Ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur scrutantur*. Iste c. 6. Epist. 4. *In baptizandis electis, qui secundum Apostolicā regulam, & exorcismis scrutandi, & ieiuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi* Certe nemo improbare queat seriam in tam sanctis rebus non prophanandis diligentiam: ne, quantum fieri poterit, lateant Simones. Et vero præiuerunt Apostoli suis exemplis. Nam Philippus, Actor. 8 interroganti Eunucho, *Quid prohibet me baptizari?* respondit, non simpliciter, licet: sed addita hypothesi, *Si credis ex toto corde, licet.* Et Eunuchus statim, *Credo filium Dei esse Iesum Christum*: ac tum demum est baptizatus.

XIV. Abrenuntiationem dicunt cum catechumenus profitetur renuntiare Diabolo pompæq; eius atq; operibus. Dionysius, ἐμφυσῆσαι μὲν αὐτῷ τρὶς διακελεύεται τῷ σατανᾷ, καὶ προσέτι τὰ τῆς ἀποταγῆς ὁμολογῆσαι· καὶ τρὶς αὐτῷ ἀποταγὴν μαρτυράμενος, ὁμολογήσαντα τρὶς τοῦτο μετάγει πρὸς ἕω, *Iubet eum tertio Sathanam insufflare: & insuper abrenuntiationis solennibus verbis præpositis, ter professum in orientem transfert*. Cyrillus catechesi 1. mystagogica. εἰσῄειτε πρῶτον εἰς τὸν προαύλιον τοῦ βαπτιστηρίου οἶκον, καὶ πρὸς τὰς δυσμὰς ἑστῶτες ἠκούετε προστάττεσθαι ἐκτείνειν τὴν χεῖρα, καὶ ὡς παρόντι ἀποτάττεσθε τῷ σατανᾷ. *Primum ingressi estis in porticum domus baptisterij, & stantes versus occidentem mandari vobis audistis, vt protensa manu tanquam præsenti Satanæ renuntiaretis.* Et iterum. ἀλλ' ὅμως ἀκούεις τεταμένῃ τῇ χειρὶ ὡς πρὸς παρόντα εἰπεῖν, Ἀποτάσσομαί σοι σατανᾶ. *Veruntamen audis, quod protensa manu tanquam ad præsentem dicitur, Renuntio tibi Satana*, καὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις σου, *& omnibus operibus tuis*. καὶ πάσῃ τῇ πομπῇ αὐτοῦ, *& omni pompæ illius*. Constitutiones Apostolicæ, lib. 7. cap. Ὅταν ᾖ πρὸς τὸ λοιπὸν τὸ βαπτισθῆναι ὁ κατηχηθεὶς μανθανέτω τὰ περὶ τῆς ἀποταγῆς τοῦ διαβόλου, καὶ τὰ περὶ τῆς συντάξεως τοῦ χριστοῦ *Cum erit ad ipsum deuentum vt baptizetur qui catechizatus est, discito ea quæ pertinent ad renunciandum Diabolo, & conciliandum Diabolo, & conciliandum se Christo. Oportet enim prius abscedere à contrariis, tum intra mysteria fieri, purgato prius corde omni nequitia, macula & ruga, ac cum demum sacrorum participem fieri.* Ἀπαγγελλέτω οὖν ὁ βαπτιζόμενος ἐν τῇ ἀποτάξει· Ἀποτάσσομαι τῷ σατανᾷ καὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ταῖς πομπαῖς αὐτοῦ, καὶ ταῖς λατρείαις αὐτοῦ, καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, καὶ ταῖς ἐφευρέσεσιν αὐτοῦ, καὶ πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτόν. *Contestor ergo qui baptizatur in hunc modum. Abrenuntio Sathanæ, & operibus eius, & cultui eius, & angelis eius, & adinuentionibus eius, & omnibus quæ sub eo sunt.* Tertullianus de spectaculis, cap. 1. *Aquam ingressi Christianam fidem in suæ legis verba profitemur, renuntiasse nos Diabolo, & pompæ eius, & angelis eius ore nostro contestamur.*

XV. Vehementissima frequentissimaq; apud Veteres huius partis & commemoratio est, & commendatio: prorsus necessariæ, atque essentialis huic Sacramento: quo initiamur Deo & Christo, quod prorsus fieri nequit, quin desinamus esse diaboli. Certe Paulus baptizatos dixit esse mortuus peccato, vt ne viuant in eo, ad Romanos 6. Quare non mirum tam præcise exactam, & certo solenniq; carmine conceptam.

XVI. Fidei professio erat in recitatione symboli, Clemens illo loco. Μετὰ δὲ τὴν ἀποταγὴν συντασσόμενος λεγέτω, ὅτι καὶ συντάσσομαι τῷ χριστῷ, καὶ πιστεύω καὶ βαπτίζομαι εἰς ἕνα ἀγέννητον μόνον ἀληθινὸν θεὸν παντοκράτορα, *Post abrenuntiationem cum conciliatur*, dicit, *Reconcilior Christo, & credo, & baptizor in vnum ingenitum solum verum Deum omnipotentem.* Et quæ sequuntur in articulis fidei.

XVII. Sic professio fiebat in verba symboli, alias simpliciter recitando: vt colligitur ex Clemente: & manifestius ex Augustino 8. Confession. 2. *Ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis retentisque memoriter de loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romæ reddi solet ab eis qui accessuri sunt ad gratiam tuam.* Et post: *Pronuntiauit ille fidem veraeem præclara fiducia.* Et hoc puto Augustinus significauit de fide & operibus, capite vndecimo, *Cur baptizandis vel symbolum tradimus, reddendumq; reposcimus.*

XVIII. Alias vero respondendo interroganti Sacerdoti per singula, in subsidium forte pudoris, aut memoriæ. Colligitur ex Cypriano, Epist. 70. *Sed & ipsa interrogatio, quæ fit in Baptismo, testis est veritatis Nam cum dicimus, Credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum per Sanctam Ecclesiam: intelligimus remissionem peccatorum non nisi in Ecclesia dari*, Ex Hieronymo contra Luciferianos, *Cum solenne sit in lauacro post Trinitatis confessionem interrogare, Credis Sanctum Ecclesiam? Credis remissionem peccatorum?* Ex Ambrosio de Sacramentis libro secundo, capite septimo, *Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti, Credo, & mersisti. hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum Iesum Christum, & in crucem eius? Dixisti, Credo, & mersisti: ideo Christo es consepultus: qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es, Credis & in Spiritum Sanctum: Dixisti, Credo tertio mersisti, vt multiplicem lapsum superioris ætatis absolueret trina confessio.*

XIX. Hi ritus omnes ab ipsa Baptismi institutione habuerunt originem: nec debent omitti. Tantum pro ætatis ratione dispensari, Sic enim fieri non possunt nisi ab iis qui sint rationis compotes. Ab infantibus minimè. Itaque ridiculum est, cum ab iis exiguntur eodem modo, quo à viris iam olim factitatum legimus apud Augustinum, & retinetur in liturgia Romanæ Ecclesiæ. Ignoscant veteres pij Patres, Nobis hic mos non potest non videri alienus à ratione, vt cum infante haud aliter agas, quam cum viro soleas ætatis grandioris: quod in nutricibus ridentes tolleamus. Certe quod nolis facere in rebus seculi multo minore incommodo, cur audeas in religionis negotio, vbi sanctitas ipsa grauitatem flagitat, seriamque attentionem, cuiusmodi nulla esse potest, cum id verbis geritur, quod re sciunt omnes præsentes videntes, neque præstari, neque adeo posse? Denique hunc morem quis non videt, eius temporis esse, cum vix millesimus quisq; baptizabatur non adultus, & in catechumenis diligenter exercitus? Ex quo si fuit ipsa catechesis omissa, cum ventum ad infantes: neque enim quisquā fuit adeo addictus primæ consuetudini, vt his auderet catechismi laborem impendere; cur reseruata ea sunt, quæ & ex catechesi pendent: & non sunt minus aliena ab ea ætatula?

XX. His ritibus remotior ille quidem paulo, sed non inutilis tamen susceptorum, quorum vsum descripsit Dionysius eodem illo cap. de Baptismo. Qui in animum induxerit baptizari, ἐλθεῖν ἐπί τινα τῶν μεμυημένων, *venire ad aliquem iam initiatum*: & rogare ἱκετεῦσαι αὐτὸν τῆς ἐπὶ τὸν ἱεράρχην ὁδοῦ, *vt sibi præeat eunti ad Pontificem.* Hunc ἀνάδοχον appellat, eique in manus scribit tradi tandem baptizatum οἱ ἱερεῖς ἐγχειρίζουσι τῷ τῆς προσαγωγῆς ἀναδόχῳ τε καὶ ἡγεμόνι. Fideiussores appellat autor serm. 116. de tempore: *Non solum exemplis, sed etiam verbis eos ad omne opus bonum admonere debetis, præcipue tamē qui filios aut filias excipere religioso animo desiderant, & antequam baptizantur, & postquam baptizati fuerint, de castitate, de humilitate, de sobrietate, vel pace eos admonere, vel docere non desinant, & agnoscant se fideiussores esse ipsorum.*

XXI. Præclarum inuentum: nec tantum viris non inutile: sed etiam infantibus præcipue necessarium: quibus eos Tertullianus adscribit de Baptismo, cap. 18. & Sponsores appellat. Sed & Augustinus Epistola 23. *Offeruntur*, inquit, *paruuli ad percipiendam spiritalem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sint, quàm ab vniuersa societate sanctorum & fidelium.* Et paulo post testatur: *multos non offerri à parentibus. sed etiam à quibuslibet extraneis. sicut à Dominis serui aliquando offeruntur: & nonnunquam mortuis parentibus suis paruuli baptizantur ab eis oblati, qui in illis huiusmodi misericordiam præbere potuerūt: aliquando etiam eos, quos crudeliter parentes exposuerunt, nutriendos à quibuslibet, nonnunquam à sacris virginibus colliguntur. ab eis offeruntur ad Baptismum.* Cap. 4. & 21. de peccatorum meritis & remissione; *Vellem aliquis istorum qui contraria sapiunt, mihi baptizandum paruulum offerret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus per eodem paruulo quem gestaret, quia ille pro se respondere non posset.*

XXII. Illud durū fuit, quod huiusmodi sponsiones sic essent, quasi in scena ludus fieret, non in Ecclesia Sacramentum celebraretur, Nam profecto inimicū fuit, sic interrogari infantē, quasi virum: sic respondere virum quasi infantem: & quidem hunc de aliena conscientia tam confidenter: qui scrupulus male habuit olim Bonifaciū Episcopum apud Augustinum Epist. 23. cum miraretur parentes pro paruulo tā confidenter respondere, quasi aut id essent, quod eos futuros incertū erat: aut eos motus haberēt: eos ve sensus, quorum tamen nō essent capaces, *Si constituā*, aiebat, *ante te paruulū & interrogē, vtrū cum creuerit futurus sit castus, vel fur non sit futurus, sine dubio respōdebit nescio. Et vtrū in eadē paruula ætate constitutus cogitet aliquid boni vel mali, dicet nescio.* Itē, *Interrogamus enim eos à quibus offeruntur, & dicimus, Credit in Deū? De illa ætate quæ vtrū sit Deus ignoret, respondent, credit: & ad cætera sic respondetur singula quæ geruntur.* Cui difficilimæ quæstioni, non tm̄ breuiter, quod fatetur; sed ēt frigide respondet Augustinus, dici paruulos fidem habere, propter fidei Sacramentum, etsi fidei affectum non habeant: quia videlicet Sacramenta rerum suarum nomina sortiantur. Ignoscat vir sanctus, sed nimium facilis tolerare sua tempora. Non aduertebat eas interrogationes, responsionesq; fieri ante Baptismum: ac proinde eum dici credere. qui neq; affectum haberet fidei, neq; Sacramentum. Tum autem idem ipse. c 34. primi de peccatorum meritis & remissione, *Ego quidem*. inquit, *si contra eum hac sentire existimarem, nec ad Sacramentum cum paruulo intrare permitterēt*: Ex quibus verbis constat non Baptismum præsupponi, vt respondeatur, sed contra responderi, vt ne à Baptismo paruulus excludatur.

XXIII. Huic

XXIII. Huic incommodo plane satis fit, cum distinctis ætatibus, adulti quidem ipsi interrogati pro se ipsi respondeant credere: ast infantes si baptizentur, de eorum futura institutione sponsores caueant Ecclesiæ, polliciti sedulam pietatis institutionem, cui non possint esse inutiles suo si velint officio defungi. Qua parte laudamus libentes Tridentinum Catechismum, in quo sic legimus, *In primis explicare oportet, quæ caussa fuerit, cur ad Baptismum præter Sacramenti ministros patrini & susceptores adiungerentur. Quod quidem optimo iure factum esse omnibus videbitur, si meminerint Baptismum esse spiritualem regenerationem, per quam Filij Dei nascimur. Vt igitur postquam aliquis in hanc lucem editus est, nutrice & pædagogo indiget, quorum ope atq; opera educetur, ac doctrina & bonis artibus erudiatur: ita etiã necesse est, vt qui Baptismi fonte vitam spiritualem viuere incipiunt, alicuius fidei & prudentiæ committatur, à quo Christianæ religionis præcepta haurire, atq; omnem pietatis rationem institui possint.* Optime. Sed nos miramur qui factum sit, vt cordati viri de iis ipsis, quos instituendos agnoscant in fide, haud aliter respondentes, quam si iampridem plene instituti forent, se sperarint non futuros ridiculos.

XXIV. Longe etiam absurdius istud ex eodem Catechismo. *Sanctissime à Sancta Ecclesia constitutum est, vt non solum is qui baptizat cum baptizato: sed etiã susceptor cum eo, quem suscipit, & cum eius veris parentibus affinitatem deuinciatur: ita vt legitima nuptiarum fœdera inter hos iniri nõ possint, atque inita dirimantur.* Sanctissime, inquit: nec tamen sanctitatis vllius vel indicato vestigio, cum soleat alioquin satis prolixe verbosus esse. Verum ita scilicet, quod desperauit demonstrandum maluit speciose affirmationis dignitate commendare. Sed hoc scilicet cogitabat Augustinus, cum diceret, paulo ante solere parentes suos ipsorum liberos suscipere. Hoc nunc obiter: nam alias tractata controuersia fuit.

Cap. XVI.

De Baptismi ritibus alienis.

I. Alterum genus rituum diximus Alienorum: qui non vt priores ab natura, vlla ve Baptismi necessitate educti; sed ab aliis caussis siue occasionibus deriuati, atq; etiam accersiti, & ἐκ περιουσίας anquisiti. Valafridus Strabo de rebus Ecclesiast. cap. 26. *Sciendum primo simpliciter in fluuiis vel fontibus baptizatos credentes.* Et paulo post: *Sicut autem supra ostendimus, crescente processu temporum religionis honore, institutionum Ecclesiasticarum vsq; ad plenitudinem decus creuisse: ita & huius mystici lauacri gradatim per temporum augmenta in maius celebratio creuit. Addiderunt alij chrismatis vnctionem: alij exorcismos, alij consecrationem fontis, alij salis vel salinæ infusionem, alij catechumenorum ordinabilem instructionem, alij scrutinia diligentissima ad tantum mysterium præparationis statuerunt. Sed & multa alia, quæ & exemplis diuinorum actuum, vel dictorum inuenta sunt, & congruentissimis spiritualium profectuum significationibus plena noscuntur: sicut copiosa priorũ de eisdem rebus documenta demonstrant. Celebratur autẽ ipsum Baptisma verum non nisi in nomine summæ Trinitatis.* Sic scilic. in cumulum paulatim res abiit. Sed enumerabo singula capita: post discutiam.

II. Primum omnium tempora fuere olim assignata baptismo solenni. Ea tempore fuisse Paschæ, & Pentecostes Sabbatha, constat ex Epistolis Siricij 1. Leonis primi 84. Gelasij 1. Ex Cyrilli catechesibus factis in Quadragesima: Hieronymo ad Pammachium de erroribus Ioannis. Augustino de cura pro mortuis, cap. 12. Et aliunde. Rationes instituendi Suares explicauit ex Leone, Tertulliano, Thoma: Quia baptismus ex Dominica passione habeat efficaciam, delendi peccata; & instar resurrectionis transferat nos de morte in vitam: itaq; merito celebretur in Pascha, cum passio Christi, resurrectioque est consummata. In Pentecoste autem, quod illo toto tempore resurrectio Domini & Paschalis festiuitas celebretur, ibique consummetur: vel quia tunc gratia Sancti Spiritus copiosius diffusa sit? vel quia tunc baptismus publice ab Apostolis prædicari atq; administrari cœperit.

III. Sic tamen assignata constat, vt exciperetur necessitas vrgens, quo casu nulla fuit vnquam, nec prudenter esse potuit, inquit Suares, temporis limitatio determinata. Quanquam in Thessalia Socrates lib. 5. cap. 22. Græci Codicis scripsit etiam necessitatis curam nullam fuisse, ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα μόνον βαπτίζουσι· διὸ σφόδρα πλὴν ὀλίγων οἱ λοιποὶ μὴ βαπτισθέντες ἀποθνήσκουσιν, *Diebus festi Paschatis duntaxat baptizant: ob quam caussam omnes paucis admodum exceptis absq; Baptismate moriuntur.* Veruntamen alibi ægrotantiam ratio solebat haberi; vt etiam in lecto baptizarentur, vnde Clinicis nomen; Vide Cypriani Epistolam 76.

IV. Tamen factum iam pridem vt eorum dierum solennitas hæc obsoleuerit. Suares notauit durasse adusque Caroli Magni tempora, autoribus Rhenano & Pamelio in Tertulliani de Baptismo: postea cœptam abolerí, iamque esse omnino antiquatam; exceptis quibusdam vestigiis, cum Romæ specialis quædam retineatur solennitas. Rationem mutationis repetit ex Ruperto 4. de diuinis officiis, *Postquam Christianitas creuit, & sagena illa verbi Dei de piscibus impleta est, quia periculosum erat tantam multitudinem differre propter occasiones mortis, quæ in multitudine hominum multa sunt, maximè propter turbam infantium ex Christianis parentibus succrescentium, quorum tenera vita persæpe leui occasione succiditur, visum est Sanctæ Ecclesiæ, passim indulgentia baptizandi concessa, imo oblata, cuncta antevenire pericula: Baptismi tamen solennitatem, vel in paucis cum Dominica resurrectione, cui similis est, celebrare.*

V. Secundo. Aquæ consecratio est. Vasques, Antiquæ Ecclesiæ consuetudine obtentum est, vt aqua pro baptismo, seu fons aqua plenus benedicatur, non solum sacris orationibus, & inuocationibus, sed etiam vnguenti & Chrismatis trina perfusione. Quæ benedictio fieri consueuit in Sabbathis Paschæ & Pentecostes; vnde tunc baptizabantur adulti reseruabatur autem quædam eius aquæ particula baptizandis reliquo anno infantibus, & infirmis.

VI. Tertio, signum crucis in fronte, & in pectore sola manu sacerdotis, non oleo, aut chrismate, quod obseruat Vasques: ad significandum, inquiunt Colonienses, quod baptizandus nomen dat Christo crucifixo, in quo confidat, quem publicitus confiteri non erubescat. Imo, inquit Rabanus Maurus, vt ipse apostata Diabolus in vase suo pristino suæ interemptionis cognoscens signum, iam sibi deinceps sciat illud esse alienum. Colonienses addunt idem signum super oculos, vt intelligamus baptizandũ præparari ad videndum caritatem? super aures quoque, vt intelligamus eum consecrari, vt audiat verbum veritatis Dei; super nares, vt percipiat suauitatem odoris Dei; super pectus, vt credat in eo, quia corde creditur ad iustitiam: super scapulas, vt suscipiat iugum seruitutis Dei: super os denique, vt confiteatur illi; quia ore confessio fit ad salutem.

VII. Et sane apud Veteres Crucis frequentissima mentio; sed in fronte, non alibi; quod quidem viderim. Ac Bellarminus & Vasques frontis meminit duntaxat, & pectoris; reliquis omissis partibus: Augustinus de catechizandis rudibus, cap. 22. *Cuius passionis & crucis signo in fronte hodie tanquam in poste signandus es, omnesq; Christiani signantur.* Autor serm. 19. de Sanctis apud Augustinum, *Eiusdẽ crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt.* Constitutionum Apostolicarum, cap. 17. libr. 3. Datur Baptismus in mortem Filij Dei: aqua adhibetur pro sepultura: oleum pro Spiritu Sancto: ἡ σφραγὶς ἀντὶ τοῦ σταυροῦ, *Signaculum pro cruce.* Dionysius, primulum accedentem, σφραγισάμενος ἀποχρώσαντα κελεύει, *signatum iubet describi.*

VIII. Quarto, Exorcismus est, qui, testibus Coloniensibus, verbo & exsufflatione peragitur: quanquam a Bellarmino, atque aliis exsufflatio seorsim numeretur. Sed Vasques etsi numero distinxit tamen re maluit annexam. *Sexta*, inquit, *ceremonia est exorcismus, seu adiuratio dæmonis, cui annumerari solet & septima Exsufflatio, cum tamen hæc annectatur exorcismis, & sit pars quædam illorum.* Fit exorcismus, vt spiritus immundus à baptizando expellatur, vtque per purum sacerdotis ministerium Spiritui Sancto cedat fugiens spiritus malignus: quæ verba sunt Coloniensium. Similiter Rabanus Maurus, *Postquam se per confessionem veræ fidei in alterius commendauerit dominium, & per abrenuntiationem à prioris possessoris se alienauerit seruitio, exsufflatur ab eo sæua potestas, vt per pium Sacerdotis ministerium Spiritui Sancto cedat fugiens spiritus malignus.*

IX. Ritus est antiquus; quanquam eius non meminerit Dionysius, vtcunque laudatus Bellarmino testis; nec Clemens quidem in Constitutionibus: qui tamen duo videri voluerunt antiquissimos, atq; adeo Apostolicos ritus explanare. Adde nequidem apud Tertullianum inueniri. Veruntamen alij non pauci testimonium ei perhibent. Nazianzenus oratio 40. μὴ διαπτύσῃς ἐξορκισμοῦ θεραπείαν. *Ne exorcismi medicinam respue:* βάσανος ἐστὶ καὶ αὐτὴ τῆς περὶ τὸ χάρισμα γνησιότητος, *Nam id quoq; velut lapis lydius est, ad quem explorantur quàm sincero quisq; pectore ad Baptismum accedat.* Augustinus de fide & operibus, cap. 6. Sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eam gratiam percepturi sunt suis nominibus datis, abstinentia, ieiuniis, exorcismisq; purgantur, cum suis legitimis & veris vxoribus se concubituros profiterentur. Cyrillus Catecheseon præfatione, τοὺς ἐπορκισμοὺς δέχου μετὰ σπουδῆς· κἂν ἐμφυσηθῇς, κἂν ἐπορκισθῇς, σωτηρίαν σοι τὸ πρᾶγμα νόμισον εἶναι, *Exorcismos studiose suscipe. siue insuffleris, siue exorcizeris, existima rem eam tibi esse saluti.* Sic enim vertendum, non vt Godrecius.

X. Nec in adultis solis, sed & infantibus vsitatum constat ex Augustino, de peccato originali contra Pelagium, libri 2. cap. 40. *Ipsa sancta Ecclesiæ Sacramenta satis indicant paruulos à partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli seruitio liberari. Exceptio enim quod in peccatorum remissionem non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur: etiam prius exorcizatur in eis, & exsufflatur in eis potestas contraria, cui etiam verbis eorum à quibus portantur, se se renuntiare respondent.* Similia legas 6. contra Iulianum, cap. 2. & cap. 20. primi de nuptiis & concupiscentia: & 18. secundi. Item apud Gennadium Massiliensem de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 21. sic habes, *Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo Sancta Ecclesia vniformiter agit, non otiosa contemplamur intuitu: cum siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum non prius fontes adeant, quam exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.*

XI. Quinto, Salem volunt consecratum in os dari, vt per sal typicum conditus iniquitatis fœtore careat, id est, carere significetur: vt quæ à vermibus peccatorum vltra ne putrefiat, sed magis illæsus ad maiorem gratiam recipiendam seruetur; ac ad sapientiæ saporem præparetur; quæ verba Colonienses mutuati sunt ex Rabano, & Iuone. Veteres autem testes nominat Bellarminus Originem homil. 6. super Ezechielem: & Concilij tertij Carthaginensis canonem 5. & forte Augustinum 1. Confessionum 11.

XII. Sexto, admotam saliuam naribus atque auribus, addito verbo, *Quod Iesus*, inquit Rabanus, *quando surdum & mutum sanauit tangens cum sputo linguam eius, & mittens digitos suos in auriculas eius dixit, Epheta, quod est adaperire. Hoc enim Sacramentum hic agitur, vt per saliuam typicam sacerdotis & tactum, sapientia & virtus diuina salutem eiusdem catechumeni operetur, vt aperiantur ei nares ad accipiendum odorem notitiæ Dei, vt aperiantur illi & aures ad audiendum mandata Dei sensuq; intimo cordis reponendũ.* Iuo Carnotensis, *Saliua quippe à capite descendit in os, supernam significans sapientiam, cuius tactu & aures cordis aperiuntur ad intelligendum verbum Dei, & nares ad repellendum fœtorem noxiarum delectationum.* Colonienses. *Saliua typus est sapientiæ, & gratiæ Dei, & discretionis fidei, cuius acceptio in auditu, & discretio in naribus significatur.* Autorem haberi Bellarminus sperauit, Ambrosium 1. de Sacramentis cap. 1.

XIII. Impositionem manuum saliuæ subiiciunt ac benedictionem sacerdotalem. Bellarminus, & Vasques: omissam non tantum Rabano, & Iuoni, sed etiam Coloniensibus, Eius meminisse Dionysium 2. de Hierarchia Ecclesiastica. Clementem septimi constitut. 39. Concilium quartum Carthaginense, can. canone 85 Cyprianum in Actis Concilij Carthaginensis in testimonio Vincentij à Tibari. Augustinum de peccatorum meritis cap. 26. Denique Dominum imposuisse manum paruulis Math. 19 Apostolos frequenter iis super quibus orarent Actor. 8. 9. & 13.

XIV. Nec noluerunt vnctionem præsto esse ante Baptismum, oleo benedicto; In pectore, *Vt nulla reliquiæ*, inquit Rabanus; *latentis hostis in eo resideant, sed in fide sanctæ Trinitatis mens eius confortetur.* Inter scapulas, *vt vndique muniatur; & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.* Iuo, *Vngitur Catechumenus oleo sacro in pectore, tanquam muniatur aduersus hostem inuisibilem ne ei immunda & noxia persuadeat desideria. Vngitur*

gitur & inter scapulas, vbi est vigor portandi oneris, vt fortitudinem accipiat ad portandum pondus diei & æstus, sicut bonus athleta. Testem nominat Dionysium eodem loco. Clementem libro tertio. Chrysostomum Homilia sexta ad Colossenses.

XV. Et ne non satis esset vnctionis, alteram adhibent post baptismum in vertice ex chrismate. Introductam putat Bellarminus, quod non semper adsit Episcopus, vt continuetur baptismati confirmatio. Sed Rabanus, *quia Spiritus sanctus, qui per illud chrisma sua virtutis admixtione sanctificat credentes baptizato Iesu; statim super illum in columbæ specie descendit: cuius videlicet typum præferebat columba illa, quæ in diluuio ad arcam reportauit ramum oliuæ virentibus foliis, significans vtiq; quod Spiritus sanctus per chrismatis vnctionem in Baptismate virorem confert fidelibus cælestis gratiæ.* Colonienses aliter, *In capite vngitur baptizatus, vt norit se capiti Christo insitum, vt sciat se iam à Christo nomen accepisse, se Christo nomen dedisse, hoc est, Christi militiæ esse inauthoratum. A chrismate enim nomen habet Christianus, sicut & chrisma à Christo, in cuius nominis inuocatione, ad eum quem diximus inungendi vsum præparatum est chrisma.* Porro huius vnctionis meminisse olim Damasum in vita Syluestri: Innocentium primum epistolæ 1. cap. 3. Ambrosium 3. de Sacramentis, cap. 1. Hieronymum contra Luciferianos: Iustinum quæst. 137. Nazianzenum orat. 40.

XVI. Ante baptismum rursus abstinentiam notant vini & carnium, atque rei vxoriæ; aliaque opera pœnitentiæ: non ad satisfaciendum, inquit Bellarminus, sed vt paratiores accedant ad baptismum: sic enim operibus, ait Vasques, exercendum esse Catechumenum, vt ita probetur an tanto Sacramento dignus sit, neq; vllum sit periculum dandi sanctum canibus docet Augustinus libro de fide & operibus cap. 6. & Concilium Carthaginense quartum canon. 85. Bellarminus addit testem Cyrillum Catechesi 1. Quot autem, quantaq; huiusmodi opera pœnitentiæ esse debeant, negat Vasques certa lege definiri posse, sed arbitrio prudentis relinqui.

XVII. Peracto baptismo; dari osculum paucis, in signum fraternitatis, & huius meminisse Cyprianum Epistola 59. Sed hunc ritum olim fuisse, quomodo Ciceroni dictum vixisse; qui in carcere perierant.

XVIII. Cereum item accensum traditum in manus baptizati, apud Nazianzenum oratione 40. & Augustinum in Psal. 65. Mysterium eius Bellarminus explicat & Vasques; signum fidei & gratiæ acceptæ, translationisq; potestate tenebrarum ad lumen & sortem Sanctorum. At Iuo, *Quatenus doceatur implere illud Euangelij Sic luceat lux vestra corā hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Quod si perseueranter fecerit, non cum fatuis virginibus extincta lampade, à ianua sponsi repelletur, sed cum prudentibus glorificandus colligitur.*

XIX. Superest vestis candida, data ascendentibus de fonte nudis, gestanda adusq; Dominicam in albis, quæ proxima est post diem Paschæ. Meminisse huius Dionysium capite de Baptismo. Ambrosium de iis qui initiantur, cap 27. Augustinum de Tempore. serm. 157. Mysterium detexit Iuo, *Vt qui prima natiuitatis decorem vetustatis pannis obfuscauerat, habitu regenerationis gloriæ præferat indumentum.* Sed Vasques puritatem animæ denotari dixit: Colonienses, manumissionem & libertatem.

XX. Seruari hanc ceremoniam Romæ monet Vasques in baptismo solenni adultorum in Sabbato Paschæ. In aliis vero baptismis successisse in locum illius aliam, vt baptizati & vncti caput operiatur veste candida. Verum Iuo aliter, *Tegitur,* inquit, *etiam post sacram vnctionem eius caput sacro velamine, vt intelligat se diademate regni & sacerdotali dignitate potiri.*

XXI. Notant & exolesos ritus. Deliberationem lactis & mellis; quæ tamen hoc tempore nō est in vsu, inquit Bellarminus, & confirmat Vasques. Testem habent Tertullianum de corona militis capite tertio, & primi contra Marcionem, cap. 14. item Hieronymum contra Luciferianos: qui tamen in 55. Esaiæ vinum dixit & lac. Solitum etiam pedes lauari baptizatis notat Vasques ex capite sexto de iis qui initiantur, & tertij de Sacramentis cap. 1. apud Ambrosium: sed non Romæ, verum Mediolani: quanquam etiam in Hispania coniicit ex Eliberitano, Canon. 48. quo abrogatur.

XXII. Hi ritus sunt, quibus operosior facta est baptismatis celebratio quam vlla fuerit vnquam aut Mosaica constitutio, aut etiam Ethnica superstitio. De quibus nostra constans professio, nec primo fuisse prudenter inductos, cumulatosve: & deinceps merito à piis abrogatos, reiectosque. Et præiuerunt in quibusdam ipsi Papistæ, quantumvis & curiosissimi harum rerum inquisitores, & superstitiosissimi obseruatores. Nam quo illis prætextu abrogati sunt non tantum hi postremi; lactis & mellis degustatio, aut vini, & pedum lotio: sed etiam alij; vt vestis candida, velamenque capitis, & pacis osculum, & abstinentia carnium, vinique, & temporum assignatio? Enimuero, si argumentum solidum est ab antiqua introductione; cur hæc desierunt: ergo non est solidum id argumentum: nec tam tyrannice orbi Christiano imperitare debent Sophistæ; vt nisi se solos, neminem potiantur non esse talpa cæciorem.

XXIII. Denique certissimum fundamentum Sacramenta nihil sunt nisi ab institutione: Hanc autem diuinam esse necesse est. Quare ad Sacramentum non pertinent, quæ humanitus inuenta fuere. Hos autem ritus inuentos fuisse ab hominibus, non institutus à Deo, agnouit Valafradus Strabo: Imo etiam Thomas Valdensis, cap. 47. tituli 5. de Sacramentalibus: *Ritus sacros, & Sacramentales obseruantias reuerenter vt traduntur, tenere iubemur, quos omnes vt Apostolicos colit Christiana fidelitas, quia ab Apostolis, vel succedentibus in eorum sedem Episcopis indistincte eos accepimus.*

XXIV. At hoc argumentum, inquit Vasques, capit. 1. disput. 166. in tertiam Thomæ; non modo inane esse: sed etiam si alicuius esset momenti etiam in nos conuerti. Vtrumque videamus: Quomodo ergo inane? Quia non omnia, quæ Ecclesia merito seruat, & in more habet, scripto commendata sunt: sed satis est si antiqua traditione non scripta à maioribus illa acceperit.

XXV. Sed nos potentissimum esse defendimus; & sentiunt ipsi aduersarij. Nam de variis obseruationibus quo dicunt, dicunt non sine impostura. Fatemur non esse in Scripturis quæcunq; obseruantur in Ecclesia: sed propterea retinenda quæcunq; obseruantur absq; Scripturis, nemo dixit, nisi qui humanæ temeritati voluit omnia licere in Ecclesia. Itaq; tenendum, quod Veteres dixerunt confidenter ea omnia quæ ad fidem, moresq; Ecclesiæ pertinent, petenda esse è Scripturis? Ast Sacramentorum institutionem pertinere ad fidem; quis negat? Est ergo potens argumentum.

XXVI. Sed quomodo in nos conuertitur? Quod etiam visum Bellarmino, *Cum ipsi hæretici,* ait Vasques, *aliqua etiam in Baptismo efficiant, quæ neque præcepto; neque exemplo in Sacris literis tradita sunt, eodem argumento & ipsi reuinci possent.* Quænam autem illa sunt, quæso? Primum est, infantem adferri ad baptismum die Dominico, aut certo alio die, cum populus ad concionem conuenerit: secundum, qui deferunt interrogari, an spondeant se infantes illos instituros in doctrina fidei & morum. Tertium, imponi nomen infanti. Quartum, formam baptizandi pronunciari lingua patria. Quintum, recitari symbolum, & orationem Dominicam, aliasque preces.

XXVII. Sed istæc αὐτοκατάκριτος diluta est: nam qui accusantur, quasi occidissent hominem; obiiciunt nos quasi acu pupugisse. Satin sanæ re? Atqui, quæcunq; nos sic obseruamus, ea Sacramenti nullæ sunt partes; sed honestæ celebrationis circumstantiæ; in quibus quis negauit quicquam licere Ecclesiæ extra Scripturam? Non nos sane: neque eam ob causam Papistis fuimus vnquam importuni. Sed in hoc capite merito damnamus, qui ea addiderint, quibus mysteria affinxerint, propriasq; significationes. & quidem eorum effectuum, qui pertinent ad aquam baptismi: quasi bis terve eandem rem agi oportuerit: & aut nihil, aut non satis actum esset instituto diuino, nisi humana temeritas accessisset.

XXVIII. Secundo, monemus eorum rituum nonnullos falso honestari antiquitatis titulo, Nam primo benedictionem aquæ, ante ipsam Sacramenti præsentemque celebrationem nemo prorsus Veterum nominauit, aut indicauit; quicquid Pamelius huc impudentiæ contulerit, notatione 27. in Tertulliani de Baptismo: quam & deprehendit, & publicauit Vasques cap. 2. disputat. 6. in tertiam Thomæ, *Pro consuetudine seruandi aquam benedictam,* inquit, *citat ipse* Pamelius, *aliquot Patres, in quibus nihil pro ea inuenire potui.* Et vero vide artificium. Obseruat loquutos Veteres de consecratione aquæ baptismi: Cyprianum Epistola 70. *Oportet, mundari & sanctificari aquam prius à Sacerdote, vt possit Baptismo suo peccata hominis qui baptizatur, abluere.* In Concilio Africano apud eundem, sententia 18. quæ est Sedati, *Aqua Sacerdotis prece in Sacerdotis prece in Ecclesia sanctificata, abluit delicta.* Hæc quis neget? Verum ergo sanctificari multis ante baptismum; aut diebus, aut mensibus: quis inde colligat sanus.

XXIX, Nam ipsa illa baptismi celebratione quis nescit aquas sanctificari? Alioquin & Apostoli Actorum 2. & 3. & postea Petrus, ac Philippus, & Paulus baptizassent aqua non consecrata. Et vero Dionysius ille Areopagita, quem in testibus suis Pamelius numerat, aquæ sanctificationem nullam describit, nisi in procinctu, & postquam datum est nomen, imo ipse catechumenus signatus, atque vnctus παντελῶς, Relege, *Inchoata vnctione* διὰ τῆς σφραγῖδος τρίς, *ter repetito signaculo, deinceps sacerdotibus toto corpore tradit vngendum.* αὐτὸς ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας ἔρχεται, *ipse ad matrem adoptionis.* (fontem sic vocat) *progreditur*: καὶ τὸ ταύτης ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καθαγιάσας, καὶ τέλει τῶν παναγεστάτων μύρων συνθήμασι χύσεσι τελειώσας αὐτό, *atque eius aquam sacris inuocationibus sanctificans tribusque sacri vnguenti effusionibus in modum crucis consecrat*: & statim, κελεύει τὸν ἄνδρα προσκομισθῆναι, *Iubet deferri hominem.* Viden omnia præsentia, & perpetua actione? Quod etiam significauit Ambrosius de Sacramentis, lib 1. cap. 5. *Forma Baptismatis & vsus hoc habet, vt ante fons consecretur, & tunc descendat qui baptizandus est. Nam vbi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit: secundo super creaturam aquæ inuocationem, postea & precem defert, vt sanctificetur fons, & assit præsentia Trinitatis æternæ.* Vide prolixiorem in hac refutatione Vasquem.

XXX. Signi crucis plurima mentio apud Veteres; sed siue chrismate factum nemo dixit; ne eorum quidem quos proferunt testes, vnico excepto Dionysio; qui notauit Pontificem inchoare vnctionem, διὰ τοῦ σφραγίσαι τρίς, ter repetito signaculo: quod tamen ipsum Vasques alio refert.

XXXI. Sed profecto salis & salinæ tantundem apud Veteres, quantum in ouo pilorum est. Vasques cap. 4. *Pro hac ceremonia citant aliqui,* (Bellarminus) *Originem homilia sexta in Ezechielem, & Augustinum libri primi Confessionem capite vndecimo, vbi tamen non meminerunt de hac ceremonia salis pro catechumenis, sed alio sensu de sale diuina gratia loquuntur, vt quisque facile videre poterit.* Nam sane sola opus est lectione. Augustini verba sunt. *Audieram enim ego adhuc puer de vita æterna nobis promissa per humilitatem Domini Dei nostri descendentis ad superbiam nostram, & signabar iam signo crucis eius & condiebar eius sale, iam inde ab vtero matris meæ, quæ multum sperauit in te.* Et hinc quisquam extundat salem in baptismo? Quasi Augustinum non constet virum fuisse baptizatum.

XXXII. Origines interpretatur illud *Neque sale salita. Et hac crimen est,* inquit, *Hierusalem, quia non fuerat digna sale Dei. Ego si credidero Domino meo Iesu Christo ipse me sal faciet, dicetq; mihi, Vos estis sal terræ. Si credidero Spiritui qui in Apostolo locutus est, sale conditor; & possum præceptum custodire, dicens, Sermo vester sit semper in gratia sale conditus. Grande opus est insaliri. Qui sale conditur gratia plenus est. Nam & in communi prouerbio salsus dicitur gratiosus, & è contrario insulsus, qui non habet gratiam.* Et paulo post: *Oportet ergo eum qui renascitur, vtique in Christo renascentem rationabile & sincere lac desideret, debet sale saliri. & pannorum inuolucris colligari ne dicatur ad eum, sale non es salitus, & pannis non es inuolutus.* Viden ludere Originem suo more allegoriis; non hærere sali cuiquam materiali? & deniq; etiam pannos sali adiungere? Cur non ergo Sophistæ vna ceremonia nobis Baptismum magis solennem affecerunt.

XXXIII. Sed in Carthaginensis Concilij, tertij canone legerunt, *Placuit, vt etiam per solennissimos Paschales dies Sacramentum catechumenis non detur nisi solitum sal: quia si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec catechumenis oportet mutari.* Vasques, *Cuius canonis verba non parum obscura sunt. Nonnulli putant, per Sacramentum eo loco intelligi Eucharistiam, huius loco, inquiunt, catechumenis sal dabatur. Ego per Sacramentum intelligo panem benedictum, qui sane catechumenis loco Eucharistiæ tempore Augustini dabatur, & dicebatur Sacramentum. Cum igitur hoc fuisset in more tempore Augustini, videtur in eo Concilio, sublatum; cumq; etiam in diebus Paschatis*

vetitum

Vetitum fuerit, videtur etiam pro omni alio tempore interdictum, ita vt pro Sacramento, quod gustari deberet, nihil catechumenis relinqueretur, nisi sal etiam benedictum, quod omnibus dari consueuit ante Baptismum: Ergo, inquam, nihil habes certi, cum sit obscurus locus, & varie explicandus. Nihil solidi; quandoquidem non partem aliquam baptismi audis, sed nescio quid obseruari solitum non in baptismo, sed per Paschales dies: cuius ratio tanto est obscurior: quando hic locus vnicus est in tota antiquitate & solitarius ea de re: adeo vt ei tuto credi non debeat.

XXXIV. De saliua vnicum Ambrosium potuit nominare Bellarminus. Et tamen non testem. Vasques, *Eius ceremoniæ tangendi nares & aures, meminit Ambrosius, quamuis de saliua, cum qua tanguntur, nihil dicat.* En tibi vnicum testem de saliua, qui de saliua nihil dicat. Taceine? At dicit tamen de tactu narium, & aurium. Esto: At Cyrillus Hierosolymitanus eiusdem meminit; & tamen non saliuam dicit, sed oleum; quod tute agnoscis, Vasques. Est autē locus ex Catechesi tertia mystagogica; cum agit non de oleo, vt tu dixisti: sed de vnguento, περὶ τοῦ ἁγίου μύρου. Ille igitur, πρῶτον ἐχρίεσθε ἐπὶ τὸ μέτωπον, *Primum vngebamini in fronte*: εἶτα ἐπὶ τὰ ὦτα, *post ad aures*. εἶτα ἐπὶ τὴν ὄσφρησιν: *Postea ad nares*: μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὰ στήθη *postremum in pectore*, Sic ille: quam tu ceremoniam apud alium legisti neminem. Sed quid tum? Nam multo minus illam saliuæ ceremoniam.

XXXV. Quid? Cereum tu ex Augustino habes? Res ge ex in Psalm. 65. *Noli festinare ad aquam. Per ignem transi ad aquam, vt transeas ad aquā. Propterea & in Sacramentis & in catechizando, & in exorcizando adhibetur prius ignis. Nam vnde plerumq; immundi spiritus clamant, ardeo, si ille ignis non est? Post ignem autem exorcismi venitur ad Baptismum: vt ab igne ad aquā, ab aqua ad refrigerium.* Pudetne? An nihil dum? Certe cereus Augustino nullus, sed ignis. Hic ignis ante baptismum: tuus cereus non nisi post baptismum. Vno verbo ignis exorcismi. Et nihil pudet? At Vasquen certe. Solus Nazianzenus lampadum meminit, αἱ λαμπάδες ἃσπερ ἀνάψεις, *Lampades, quas accendes, illius φωταγωγίας, luminum gestationis figuram gerunt, cum qua splendidæ & virgines animæ splendidis fidei lampadibus Christo sponso obuiam prodibimus.* Inane? Vnicus in tota antiquitate testis tibi sufficiet? At non nobis si sapimus. Accedit, quod lampadem ipse baptizatus accendebat apud Nazianzenum: cum autem Papistas cereus accensus tradatur in manus baptizati.

XXXVI. Tertio, obseruamus eorum rituum partem esse absq; vllo prorsus in Scripturis vestigio, partim è Scripturis occasionē habuisse; quod vix dicas vtro maiore peccato. Alieni prorsus à Scripturis sunt crucis signū. Sal, Aquæ consecratio, abstinentia carnium, vinique & vxoris. Quorum ne audacissimi quidem Papistæ potuerunt vel vestigia notasse in libris Canonicis. Vnde coniectura facilis, exercuisse se otiose curiosos quosdam, lusisseq; in rebus non suis, sed Dei, suas adinuentiones obtrudentes Ecclesiæ, atque ita facilitate plebis abutentes; contra quam oportuit.

XXXVII. A Scripturis Exsufflatio, Exorcismus, Vnctio, Sputum, Vestes candidæ. Nam Christus insufflauit in Apostolos, Ioannis vicesimo. Et exorcistas legimus Actor. 19. ac plerunq; alias spiritus immundos corporibus pulsos. Et Christus dicitur ab vnctione: & Ioannis 9. facto luto ea saliua Christus cœcum curauit; Marcique 7. mutum ac surdum, Apocalypsis 3. vestimenta candida dantur vincenti. Denique cereos repetunt ex Virginibus decem, Matth. 25.

XXXVIII. Hic vero lususne, an quid peius? Nam, quæ ratio persuasit quicquid alicubi occurrerit dictum, factum in Scripturis, id transferre ad Sacramenti, & huius Sacramenti celebrationem? Quis quenquam sperasset tam audacem, vt primus induceret in animum: quis quenquā tam stupide Christianum, vt sibi persuaderi pateretur? Certe odimus qui baptismo ignem addunt; quanquam habeant, Matth. 3. Christum baptizaturū Spiritu & igni. Et ij tolerentur qui longe leuiori prætextu corradunt ex Scripturis quod libet? Et, quæso, cur qui sputum amauere, non etiam lutum habuere in deliciis? Cur qui insufflationem in baptismo esse iusserunt; in ordinatione respuerunt; vbi tamen à Christo adhibitam esse volunt? Breuiter dico, illa omnia in Scripturis legi, sed neq; ad baptismum pertinere, neque ad baptismi celebrationem: sed vt plurimum ad miraculorum patrationem, quorum ratio alienissima à Sacramanto.

XXXIX. Quarto: Rationes quam futiles sunt! quam inanes! quam pueriles! Christianus dicitur à chrismate: Ergo in baptismo chrisma adhibendum. Primo, falsum ponunt. Nam Christiani dicuntur à Christo, *sicut Platonici à Platone*, inquit Lyranus in Actor. 11. Iustus Orgelitanus in Cantica, *Quicunq; Christiani, à Christo nominantur.* Theofridus Abbas sermone de Veneratione Sanctorum *Christiana religio vocabulum trahit à Christo.* Et olim maius nomen Athanasius contra Arianos disput. 1. οὐδὲ πώποτε λαὸς ἀπὸ τῶν ἐπισκόπων εἶχε τὴν ἐπωνυμίαν, ἀλλὰ ἀπὸ τοῦ κυρίου, εἰς ὃν καὶ τὴν πίστιν ἔσχομεν· τῶν γὰρ μακαρίων ἀποστόλων διδασκάλων ἡμῶν γενομένων, καὶ διακονησάντων τοῦ κυρίου τὸ εὐαγγέλιον, οὐκ ἐξ ἐκείνων ἐκλήθημεν, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ Χριστιανοὶ καὶ ἐσμὲν καὶ ὀνομαζόμεθα, *Nunquam populus ab Episcopis suis, sed à Domino, in quem creditum fuit, nomen accepit. Certe à beatis Apostolis præceptoribus nostris, ministrisq; Euangelij Saluatoris nostri, appellationes adepti non sumus, sed à Christo, Christiani & sumus & nuncupamur.* Hoc verum etymon. Sed à chrismate Christus. Ita est, inquam: non tamen à chrismate Christianos: quomodo ἀπὸ τοῦ πλάτους Plato, nec tamen ἀπὸ τοῦ πλάτους Platonici.

XL. Et tamen esto sane: quid tum? A chrismate Christiani: *Ergo* in baptismo chrisma vsurpari oportet. Cuiusmodi hoc genus consequentiæ? Nam à chrismate Christus: & tamen in eius baptismate nullum est adhibitum chrisma.

XLI. Christiani lucem oportet lucere: Ergo baptizato dandus cereus. Christianus non debet putrefieri vermibus peccatorum; oportet igitur salem præberi. Saliua à capite descendens in os, sapientiam significat: Ergo nō debuit sine saliua baptismus celebrari. Quid plura colligam? nam omnia sunt eiusdem farinæ. Enimuero saliua, quo autore sapientiam significauit? An sufficit quia descendat à capite? Atqui etiam narium purgamenta. Tum autem descendit vt excrementum; & vt eiiciatur: istane prudentiæ conuenire? Sed aperiri nares saliua; & aperiri vt bonum odorem percipiant; quis vidit, quis audiuit, quis naturæ tam diligens perscrutator, vt obseruarit, aut tradiderit: Deniq; saliua oculi aperti, lingua etiam soluta, Sed Christi saliua. Cur non subsistis; & ab ea ad cuiusq; hominis saliuam expatiaris?

XLII. Exorcismus profecto assumi non potuit, nisi ab iis qui de industria nescirent quid sit exorcismus. Accepisse Ecclesiam à Deo potestatem coercendi dæmones per exorcismos, testes multos Bellarminus laudat, & Vasques: Iustinum in Dialogo cum Tryphone: Tertullianum de Corona militis, & ad Scapulam; & in Apologetico: Cyprianum ad Demetrianum: Minutium in Octauio: Lactantium lib. 1. c. 16. alios. Fuisse etiam ordinarium officium, constare ex Concilij Antiocheni, cap. 10. Carthaginensis quarti 7. Laodicei 29.

XLIII. Varie peccatur. Primo, quis ait Ecclesiam accepisse? Siccine, vt dicimus, accepisse Baptismum, Eucharistiam; potestatem ligandi & soluendi? Nempe hoc sensu, vt ea charismata publica sint, & pertinentia ad ordinem Ecclesiæ. An vero, vt accepisse Prophetas, atq; Apostolos, dona linguarum atq; sanationum? Videlicet, quia pauca quædam Ecclesiæ membra eam facultatem habuerint, & extra ordinem, quanquam ad Ecclesiæ vtilitatem. Nam posterius si dicunt: concedemus facile: alterum negabimus vt falsissimum: quia exorcismus erat inter dona miraculoso: quæ nunquam ordinaria. Itaq; Clemens Constitutionum c. 18. 27. ἐπορκιστὴς οὐ χειροτονεῖται· εὐνοίας γὰρ ἑκουσίου τὸ ἔπαθλος, καὶ χάριτος θεοῦ διὰ Χριστοῦ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος· ὁ γὰρ λαβὼν χάρισμα ἰαμάτων δι' ἀποκαλύψεως ὑπὸ θεοῦ ἀναδείκνυται, φανερᾶς οὔσης πᾶσι τῆς ἐν αὐτῷ χάριτος, *Exorcista non fit ordinatione. Est enim liberæ voluntatis præmium, & gratia diuinæ per Christum & aduentum Spiritus Sancti. Siquidem qui donum acceperit sanitatum, per reuelationem declaratur à Deo, cum gratia quæ in eo est, sit in omnibus manifesta.* Vnde manifesta deerratio eorum qui exorcistas accensuerunt ordinibus Ecclesiasticis.

XLIV. Deinde fallunt æquiuocatione. Nam Exorcistæ non dicti quicunq; in spiritus immundos potestatem habuerint: sed qui ex corporibus obsessis pepulerint, vt patet Actor. 19. quo vno loco Exorcistæ nominantur in sacris libris. Nec vnquam expulsio dœmonum aliter intelligitur in iisdē. Itaq; Alcuinus de diuinis officiis, cap. 94. *Exorcistæ erant, qui exorcismis, id est, adiurationibus à Salomone compositis* (hoc habuit à Iosepho) *dæmones ab energumenis effugabant: quales leguntur in Actibus Apostolorum fuisse septem filij Sceuæ.* Capite 36. *Exorcismus Græce, Latine dicitur sermo adiurationis siue interpretationis, & inde exorcista, adiurator. Illarum officium est, vt ponant manus super dæmoniacos, & per inuocationem nominis Dei repellant dœmones* Amalarius Fortunatus de Ecclesiasticis officiis libr. 1. c. 9. *Quando ordinatur accipit libellum, in quo scripta est exorcisatio; & audit ab Episcopo, vt habeat potestatem manum imponendi super energumenum.* Isidorus de Ecclesiasticis officiis libri 2. cap. 13. *Accipiunt de manu Episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, accipientes potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue catechumenos.*

XLV. Sic igitur olim contracta fuit potestas ad energumenos; id est, eos, quorum dæmon occupabat corpora. Itaque numeratum charisma fuit inter miraculosa dona. Isidorus ibidem, *Exorcistas memorat Apostolus; cum dicit, Nunquid omnes habent donationes sanationum?* Vnde mens patet Clementis paulo ante citati.

XLVI. Sed immutata postea definitio est, & inflexa ad vsum subsequutum Rabanus institutionis lib. 1. c. 10. Ἐξορκισταὶ *ex Græco in Latinum adiurantes siue increpantes vocantur. Inuocant enim super catechumenos, vel super eos qui habent spiritum immundum, nomen Domini Iesu, adiurantes per eum vt egrediantur ab eis.* In sermone de excellentia sacrorum Ordinum, *Sequitur ordo exorcistarum, qui super catechumenos faciunt Sacramenta apertionis, & habent spirituale imperium super spiritus immundos ad eiciendos eos de corporibus obsessis.* Viden mutationem? Primis Exorcistis imperium erat in energumenos, siue ii baptizati essent, siue catechumeni: Posterioribus geminata iurisdictio, in energumenos. Credo ita factum, ne essent κωφὰ πρόσωπα, vel potius locum occuparent nuda nomina in Ecclesiæ hierarchia.

XLVII. Sed hinc iam manifesta fraus est. Accepit Ecclesia potestatem in dæmones: *Ergo* baptizandi sunt exorcizandi. Negatur, inquam, consequentia. Nam accepit eadem Ecclesia potestatem sanandi morbos: nec tamen baptizandi sunt vngendi oleo illo extremæ Vnctionis, quam vocarunt iidem, qui exorcismos noluerunt antiquatos. Nimirum quia tum non omnes baptizandi ægrotant: tum etiam si ægrotarent, non hoc tamen agatur in baptismo, vt morbi curentur. Quæ ratio hic valet etiam. Nam nec omnes baptizandi sunt dæmoniaci, siue energumeni: & si essent quidam; non tamen hoc baptismus agit, vt corpora liberentur hac peste.

XLVIII. Itaque longe olim prudentius; apud Clementem Constitutionum 7. cap. 32. ἐὰν δέ τις δαίμονα ἔχῃ, διδασκέσθω μὲν τὴν εὐσέβειαν, μὴ προσδεχέσθω δὲ εἰς κοινωνίαν πρὶν ἂν καθαρισθῇ, *Si quis dæmonem habeat doceatur quidem pietatem, sed non admittatur ad communionem priusquā mundetur: si tamen mors instet, admittatur.* Sic enim distinguebantur exorcizandi baptizandiq; munia, & tamen per accidens concurrebant. Sed nimia profecto fuit imprudentia; exorcismum & produci ad eos omnes, quibus sanum corpus, & lege perpetua baptismo copulari. Nam cur non etiam Eucharistia, cui non magis apti Energumeni quam baptismo.

FINIS LIBRI QVINTI.

LIBER SEXTVS:

De EVCHARISTIA.

Caput Primum.

DE EVCHARISTIAE ET COENAE NOMINIBVS.

ALTERVM Ecclesiæ Christianæ Sacramentum, est institutum in panis esu, viniq; potu ad communionem corporis & sanguinis Christi, mortui pro nostris peccatis, suscitatique pro nostra iustificatione. In quo mirificè lusit Satan, quasi collectis omnibus viribus experturus quid summũ posset in dementandis hominibus, atque abducendis quam longissime ab optimis initiis. Vnde Factum vt nulla religionis parte tam prolixæ tam animosæ, tam præfractæ disputationes fuerint: hæreticorum contra Catholicos: & videantur Papistæ tandem id sibi operæ prerium constituisse, ac suę Theologiæ summam: vt cum in reliquis capitibus non sint adeo diligentes, tum vero hic seipsos longe superarint: adeo nihil fecerunt reliqui, aut in Theologiâ, aut in humana Philosophia; quod non huc collatum seruire coegerint suis placitis; quasi Christo propositum existimarent & fidei & naturæ adeo ipsius naturam euertere, vt huic vni Babeli locus daretur. Denique eo deuentum, vt cum olim in sanctiore, sincerioreq; antiquitate, præter sermones quosdam haut adeo prolixos, nullus extet tractatus ex professo de hoc Sacramento: hodie tandem vix plaustra plurima sufficiant immanibus disputationibus; hunc vnicum lapidem agitantibus.

II. Piget me sane cuncta nomina profiteri mihi cognita, quæ in aliis controuersiis libentius enumerata sunt; quia breuius. Nam hic quis finis erit, si omnes exprimere voluero? Tum ad ostentationẽ potius quam vsum vllum magnum. Itaque certum est non immorari singulis recensendis. Præcipua satis sunto. Et hic quidem, qui ex professo corpus integrum laborarunt absoluere. Nam quibus partes quædam attentatæ suis locis indicabuntur. Catholici ergo: Caluinus Institut. 4. cap. 17. & 18. Melanchthon in locis communibus de Cœna Domini, & de Sacrificio. Petrus Martyr, tractatione de Eucharistia, & Defensione contra Gardinerum. Wolffgangus Musculus in Locis Communibus, cap. de Cœna Domini. Iuellus aduersus Thomam Hardingum. Rodolphus Hospianus in Historiæ Sacramentariæ parte priore. Chemnitius Examinis part. 2. cap. de Eucharistiæ Sacramento. Plessæus de Sacra Eucharistia. Polanus Syntagmatis lib. 6. capite 56. Riuetus Catholici tract 3. quæst. 17. & septem sequentibus. Ioannes Scharpius in Cursu Theologico.

III. Papistæ, præter Scholasticos, in 4. Sententiarum distinctiones ab 8. ad 13. Et Thomam part. 3. à distinctione 73. ad 83. Recentiores; Sanctesius Repetitionibus de rebus Eucharistiæ controuersis. Hosius Confessione à cap. 39. ad 43. Tapperus Articulis Louanensibus a 13. ad 17. Klingius Locorum libri 4. capitibus ab 11. ad 36. Dominicus Soto in 4. Sententiarum, distinct. 8. & seqq. Salmero tomo 9. qui est de sermone Domini in Cœna. Bellarminus libris sex de Eucharistia. Gregorius de Valentia, Commentariorum tomo 4. disputat. 6. quæst. 11. Vasques in 3. Thomæ. Suares de Sacramentis in 3. Thomæ, à disput. 39 ad 88. Goppetus in Enchiridio: & Catechismus Tridentinus. Ioannes Baptista Scortia libris quatuor de sacrosancto Missæ Sacrificio. Eckius de Sacramentis, ab homilia 26. ad 30. Petrus Cotonus Institut. lib. 4. à cap. 44. ad 56. & Discursibus de Sanctissimo & Augustissimo Sacramento sacrificio Missę: Petrus Michaelis Iesuita Controuersiis de SS. Eucharistiæ Sacramento. Croquetius Catechesi 124. & seqq

IV. In disputando placuit aliis alia methodus, vt amat fieri. Ego dictam primum de nomine, secundò de re, dum mihi pergat adesse Christus propitius, qui hoc Sacramento ingens nobis reliquit amoris sui pignus, quo plenè confirmati securiores constantioresq; expectemus, quicquid est in spe repositum; scientes in quem crediderimus.

V. Huius Sacramenti nomina variarum linguarum congerunt plurima tum Cotonus, & Vasques, tum alij: ad ostentationem magis quam ad vsum: interdum etiam inepte non nomina, sed periphrases, epitheta, synonyma, varie variis vsurpata, priuato instituto, præsenti occasione, vel oratoria eloquutionis affectatione. Ast ego censeo inepte diligentes esse, qui in eo ludunt operam. Nomina enim rerum inuestiganda, quæ publico vsu sint eis particulariter affectata: atq; ita, non Philosophorum principem, non naturæ genium, non Alexandri præceptorem, non Stagyritam senem, sed Aristotelem fuisse nomen proprium. Sic vna mihi opera multæ amputentur nugationes, in quibus vt non inuitus patior ostentare suam polyhistoriam curiosos: ita non libens bonas meas horas impendam. Tria deligam, hac extra digna, Eucharistiam, Cœnam Dominicã, Missam.

VI. Eucharistiam dixerunt plurimum Veteres. Iustinus Apologia 2. καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία; *Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia.* Cyrillus Catechesi mystagogica 1. ὁ ἄρτος ☜ ὁ οἶνος τῆς εὐχαριστίας; *Panis & vinum Eucharistiæ.* Tertia, ὁ ἄρτος τῆς εὐχαριστίας: *Panis Eucharistiæ.* Gregorius Nissenus orat. 19. περὶ τῆς εὐχαριστίας ῥήματα, *Eucharistiæ verba.* Basilius de Spiritu Sancto, cap. 27. περὶ ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἁγιασθέντι ☜ ἄρτῳ τῆς εὐχαριστίας; *Inuocationis verba cum conficitur panis Eucharistia.* Irenæus lib. 4. cap. 34. *Nostra consonans est sententia Eucharistiæ: & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram.*

VII. Nominis etymologiam Thomas dixit bonam gratiam; artic. 4. quæst. 73. *Dicitur Eucharistia, id est, bona gratia, quia gratia Dei vita æterna; vel quia realiter continet Christum qui est plenus gratia.* Et ita inualuit apud Papistas. Sed qui Græce sciunt norunt Eucharistiam non significare bonam gratiam. Itaq; Veteres aliam rationem reddiderunt. Irenæus lib. 4. c. 4: & 30. *Qui est à terra panis percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia,* Iustinus Apologia 2. μεταλαβεῖν ἀπὸ τῆς εὐχαριστηθείσης ἄρτου, ☜ οἴνου ☜ ὕδατος. *Vt participent eum in quo gratia acta sunt panem, vinum & aquam.* Et post πλὴν διὰ εὐχῆς λόγου εὐχαριστηθῶσιν τροφὴν. *Alimentum in quo per precationis verbum acta sunt gratia.* Videlicet quia Lucas cap. 22. & Paulus 1. ad Corinth. 11. recitantes institutionem, dicunt Christum εὐχαριστήσαι, quum Marcus 14. & Matth. 24. εὐλογῆσαι: vt non à gratia contenta; sed à benedictione nomen sit ductum. Vnde Paulus 10. prioris ad Corinthios dixit, τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, *Poculum benedictionis, cui benedicimus:* A. Fulgentius de Fide ad Petrum, cap. 59. *In hoc sacrificio gratiarũ actio & commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit.*

VIII. Sanctesius Repetitionis 6. cap 1. nos abhorrere ab hoc Eucharistiæ nomine impudenter calumniatur: quod præter eum nemo vidit, nemo dixit: etsi non solum agitarit rabies, nobis maledicendi. Potest autem infinitis experimentis confutari, nostrorum hominum qui ipsi in scribendo eam nuncupationem libere vsurpant; imo etiam ex professo. Certe Plessæus disputationem suam inscripsit de sacra Eucharistia: & suam Chemnitius in 2. part. Examinis. Et Martyr suam defensionem, suamq; tractationem. Confessio Heluetica, cap. 21 *Cœna Domini, qua & mensa Domini, & Eucharistia, id est, gratiarum actio, nuncupatur.* Anglicana art. 12. *Duo Sacramenta, quæ eo nomine proprie censenda sint, agnoscimus, Baptismum, & Eucharistiam.* Et paulo post: *Eucharistiam esse Sacramentũ, hoc est, symbolum consparsũ corporis & sanguinis Christi.* Hoc mihi satis contra tam importunum furorem.

IX. Alterum nomen est *Cœna Dominica*, quo nunc omnes libentissimè vtimur; vt aptissimo, & diuino. Diuinum enim cur non appellemus, quod ex ipsa Scriptura? Nam Paulus 1. ad Corinth. 11. cum abusus, qui circa hoc Sacramentum in eam Ecclesiam irrepserant, reformari vellet. *Non est,* inquit, *Dominicam Cœnam edere* οὐ γὰρ ἴδιον κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν. Et cur non vt alterum Sacramentum, sic istud nomenclationem deberet Scripturæ? Aptissimũ autem apparet ex alterius analogia, cui ab externi signi vsu, Baptismo nomen est: quia videlicet adhibeatur aqua ad lotionem: vnde factum, vt in omnibus nomenclatutis, ea sit, fuerit semper maxime solemnis. Cur non eadem hic ratio, vt quoniam panis ad vescendum, poculum apponitur ad bibendum; non aptissime Cœna dicatur Christi? Certe Salmero tract. 2. magnificentissime exsultat, ac lasciuit in allegoria conuiuij, ex 25. Esaiæ.

X. Et cum mouimus Papistis nonnullis hoc nomine: Sanctesius Repetitionis 6. c. 1. præter quam quod impostura nostram inclamat, negat institutioni tanti Sacramenti proprie competere; negat è Scripturis prodire: negat purioribus Ecclesiæ seculis frequens fuisse. Addit sese huic comitem Croquetius Catechesi 124. *Nomen,* inquit, *quo vno, ac solo hæretici suum nuncupant Sacramentum; est Cœna Dominica. In quare attendant catechumeni, quantum stultitiæ sit ac veneni.* Sed & Maldonatus in Matthæum virulentam linguam hac occasione in nos exseruit: ridiculam esse nostram inscitiã, qui quasi satis non haberemus si rebus; nisi etiam verbis hæretici essemus, noluerimus Eucharistiam, sed Cœnam appellare, vt nos non solùm religionis, sed etiam linguæ reformatores profiteremur.

XI. Alij mollius: qui in vocabulo nihil compertum habentes vnde improbari queat; nostri tantum causa remouent. Colonienses, *Quod hodie hoc Sacramentum exemplo diui Pauli, Cœnam Dominicam malunt appellare id non admodum improbandum, modo nouandi studium abesset.* Suares in art. 4. quæst. 73. *Quod pertinet ad vsum huius vocis, quam vim in illa per se nullam sit periculum, tamen hoc tempore, quo hæretici illa aliquantus ad insinuandos suos errores, ideo vel abstinendum est omnino, vel parce & prudenter illa vtendum.* Gregorius de Valentia punct. 1. quæst. 1. *Petrus Soto non male admonet ab hac appellatione nobis merito abstinendum esse, vel certe non ea vtendum sine cautela. Ratio est: quòniam Sectarij communiter eo vocabulo abutuntur.*

XII. Verum, tum hi tum illi, nihil nisi immaniæ produnt cacoethes. Ille enim Catechismus Tridentinus nec improbat, & repetit ex vsu veteri *Vetustissimi Patres,* inquit: *Apostoli autoritatem sequuti Cœnæ etiam nomine sacrum Eucharistiam interdum vocarunt, quod in illo nouissima Cœnæ salutari mysterio à Christo Domino sit instituta.* Dominicus Graminea Thesauro 1. de Sacramento Eucharistiæ haud procul à fine, *Appellatur Sacramentum Eucharistiæ, Cœna Domini, & mensa & conuiuium, in quo sese nobis exhibens Dominus dominantium, & Rex regum omnia sua bona communia ipsis communicantibus offert. Cœna insuper Domini appellatur, non propterea quod vel illa tantũ hora, vel quod non nisi ab opiparè saturis, & vino ebriis celebrari debeat: sed quia hæc, quæ nunc celebratur in Ecclesia, eadem est, quæ celebrata fuit à Christo cum discipulis licet nõ eodem tempore & hora celebretur. Nam enim hic alia esca, & alius potus proponitur, sed omnes quotquot ab ipsius Cœnæ institutione, vsq; nunc & ad diem quoq; iudicij hoc Sacramentum sumpserint, nonnisi illam Dominicam Cœnam celebrant & omnes eandem escam, & eundem potum sumunt.*

XIII. Sed enim nostrum in eo vocabulo quod peccatum est? Imo multa peccata notauit Croquetius. Interuerti sacrificium: quia si Cœna sit,

non sit locus rei diuinæ. Si Cœna, ergo nefas esse asseruare: nefas circumgestare. Cœna poscit cibum: Ergo frustra ieiunos accedere. Sanctesius alia. Ergo non nisi vesperi celebrandam: nec nisi ab accumbentibus: Ergo tolli priuatas cœnas: Ergo non nisi sub vtraque specie.

XIII. Quid audio? Nosne sic argumentari à nomine *Cœnæ*? Atqui primum manifesta calumnia est; quia omnes ieiuni celebramus, & matutino tempore: accubantes nulli quod sciam: sed nonnulli duntaxat considentes, in Anglia, &c. si forte, alibi. Tum autem quos habent nominare, quibus hæc à solo nomine confecta sint negotia? Nam à re ipsa; id est, à conuiuio si quidam concluserint; aliud est, nec tam facile euitabile. Nam, quid tum, si nolint Papistæ nomine profiteri, quod ipso facto consentiunt. Non enim possunt negare esse instar conuiuij. Itaque hæc consequentiarum genera non debent solo χλευασμῷ impugnari. Sed de iis alias erit dicendi locus.

XIV. Cur non placeat seueris, si forte, censoribus videamus. Prima ratio, quod nō competat proprie Sacramenti institutioni. Quamobrem? Cœna enim Domini generaliter comprehendit typicas & vulgares, spiritales & cœlestes epulas, quibus Christus Apostolos aut populum pauit, aut se refectutum beatos metaphorice pollicetur. Tum ambigua vox est ad enunciandum cibum ipsum, apparatum, aut eius vsum & esum: quemadmodum scribitur, hominem fecisse cœnam magnam, de qua ex vocatis nullus gustauerit. Aut etiam conuocatorum numerum & cœtum ex etymologia nominis. Extenditur etiam ad temporis cibo capiendo deputati spatium, vnde venire aut abire, aut aliud agere sub cœnam vel à cœna. Nullus autem horum significatuum satis exprimit quid Christus proprie & præcipue in hoc Sacramento gesserit & dederit: nam potissimum quæritur de re & natura cibi, quem Christus in hac Cœna apposuerit.

XV. Proh, quantum laboris sibi sumunt hæretici, vt ne Catholicis suam quietem permittunt. Nam hæc profecto non potuerunt facile excogitari, aut etiā cogitata prodire in publicum, vt non sit sępius frons perfricta, ne residui esset quicquam pudoris. Mirare tamen tanti laboris exitum. Vasques in 3. Thomæ, disput. 73. articulo 4. *Ratio, quia probat Claudius, hoc nomine non esse tenendum, quia nimirum voce illa comprehendantur typicæ & vulgares, spirituales & cœlestes epulæ, quibus Christus Apostolos, & populum pauit, aut se refecturum beatos in cœlo pollicetur, mihi non probatur. Nam quamuis hæc omnia ea voce possint significari, nihilominus per antonomasiam hæc ad significandum hoc Sacramentum deseruire nobis posset.* En tibi infra Iesuitæ iudicium, iudicium Episcopi.

XVI. Sed quid ergo? Nomen est ambiguum & variis rebus significandis adhibitum. Ita esto sane. An vero nullum tu nomen ambiguum aptum putas nuncupandis Sacramentis? Quid igitur Baptismo futurum, Sanctesi, doctor eximie? Aut quid ais? Negasne Baptismi nomen nisi vni rei adhiberi solidum? Negasne protendi ad typicas, ad vulgarès lotiones? Vnde ergo Marcus 7. dixit: *βαπτισμοὺς ποτηρίων, καὶ ξεστῶν, καὶ χαλκίων, καὶ κλινῶν? Baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum?* Paulus ad Hebræos 9. *διαφόροις βαπτισμοῖς, varia Baptismata?*

XVII. Non exprimit quid Christus proprie, & præcipue in hoc Sacramento gesserit, & dederit: Ergo tu nobis exprome, vir quantiuis pretij; quid in Baptismi nomine fiet, vnde tu extundas id quod proprie & præcipue in Baptismi Sacramento gesserit, ac dederit. Aut apud tuos: Pœnitentiæ, vnctioniq; Extremæ Sacramentis: vnde quæso nomina? Nisi forte in iis aut aliud nihil, quam pœnas & vnguentum velitis quæri, aut hæc saltem præcipue. Sed neq; ea lex vlla est, aut etiam consuetudo vt nulla nomina non exprimant id quod in re significata præcipuum sit. Alioquin omnino paucissima in eo censu essent. Neq; id non nouit Sophista: sed nobis exercendis voluit solennia nugari. Itaque nos oportet suauiter ridere: & vt in Circumcisione, ac Baptismo videmus rerum maximarum designationem desumptam ab externo ritu quanquam minimo in institutione; sic in isto non indignari ab externorum symbolorum vsu tantum nuncupari mysterium.

XVIII. Secunda ratio, negabat id nominis esse ab vsu Scripturæ. Quasi Eucharistia esset magis: aut etiam Missa. Sed ille scilicet nostræ modestiæ insultat, de sua securus intemperantia. Sed quid ergo fiet verbis Pauli? Negat per *δεῖπνον κυριακὸν* intelligi à Paulo Sacramentum vllum; in quo socium habet Croquetium: habet Coffetæum in defensione Sanctæ Eucharistiæ: habet Maldonatum; habet alios fortasse: qui omnes agi volunt de conuiuiis, quibus Agapis nomen erat. Argumenta; vnum, quod saturitatem atque ebrietatem taxarit Apostolus: quod vtrumque vitium longè sit ab Eucharistiæ celebratione: neque enim vnquam adhibitam tantam vim vini, aut panis: neque vero cuique permissam sumptionem: sed distributionem factam à præside: Alterum ab autoritate Veterum Græcorum, Chrysostomi, Theophylacti. Etiam Caluinum Croquetius addit negantem ibi agi de Eucharistia.

XIX. Quid ergo reuerebuntur viri contumaces; si neque Concilij Tridentini, id est, Pij quinti Catechismo mouentur, neque Coloniensi Enchiridio, testibus certe non nostris? Catechismus dixit, autores vetustissimos secutos Apostoli autoritatem. Enchiridion exemplo diui Pauli nos facere: Vin' addi alios? Lindanus Panopliæ lib. 4. cap. 37. *Cœna Dominica ex institutionis tempore à D. Paulo dicitur.* Salmero in eum locum Pauli, *Exprimitur causa prædicti abusus: nam conuenientibus illis in vnum, scilicet locum, ad celebrandam Cœnam Dominicam, quasi vnius patrisfamilias familiaribus, iam non est, vel non licet Dominicam Cœnam edere, quomodo olim Christus discipulos vna mensa omnes excepit.* Paulo post: *Et notantur Corinthij. quod in sacro epulo & spiritali, profana symbola commiscerent.* Antiquiores. Lombardus, *Dominicam Cœnam dicit acceptionem Eucharistiæ, quam non debent pransi sumere.* Thomas, *Non est, id est, non licet, vel non competit vobis Dominicam Cœnam manducare, id est, sumere Eucharistiæ Sacramentum, quod Dominus in Cœna discipulis dedit: hoc enim Sacramentum, vt Augustinus dixit super Ioannem, est Sacramentum vnitatis & caritatis.* Et iterum postea ad illud, *Ego enim accepi à Domino. Dixi quod iam non est vobis Dominicam Cœnam manducare, Sacramentum Eucharistiæ Dominicam Cœnam vocans.* Carthusianus, *Dominicam Cœnam manducare, id est, Eucharistiam sumere, quæ in Cœna nouissima fuerat instituta.* Baronius anni trigesimi quarti §. 45. *Constat Cœnam Domini (sic enim Patres appellare consueuerunt institutionem sacratissimæ Eucharistiæ, idemque esse manducare Cœnam Dominicam, quod Eucharistiam sumere Augustinus demonstrat) fuisse distinctam à Cœna Agni Paschalis.* Et sane Augustini verba sunt Epist. 118. *Apostolus alibi dicit, Conuenientibus ergo vobis in vnum, non est Dominicam Cœnam manducare: hanc ipsam acceptionem Eucharistiæ Dominicam Cœnam vocans.*

XX. Nam Caluinum quare nominauit Croquetius? Quasi non extent eius Commentarij: in quibus hæc diserta. *Nunc taxat abusum, qui in Cœnā Domini obrepserat apud Corinthios: quod sacro & spirituali epulo profana symposia permiscerent* (quæ totidem syllabæ descriptæ sunt à Salmerone) *idque cum pauperum contumelia. Dicit Paulus hoc modo non edi Cœnam Domini: nō quia vnus abusus omnino aboleret, aut in nihilum redigeret sacrosanctā Christi instituti nem: sed quia perperam mysterium tractando, polluebant.*

XXI. At ebrietas, saturitasq; non competunt celebrationi Eucharistiæ. Fateor, inquam. Cur enim reprehenderet Paulus. Itaq; superinducebantur ex abusu, & nimia Corinthiorum audacia. Nonne enim dictum Caluino, & Salmeroni, sacro epulo prophana symposia admixta? Hoc igitur Paulus voluit, eos qui illis symposijs saturarentur, atq; inebriarentur; ideo non celebrasse Cœnam Domini, id est, Eucharistiam. Quasi diceret, non esse ad eum modum celebrandam. Vnde constat Eucharistiam nominatam Cœnam Dominicam. Et sane Sedulius etsi annotarit à Corinthiis Cœnam aliquam vsurpatam ante oblationem, tamen etiam Cœnam Dominicam nominat, *Indigne hæc comedetis*, inquit, *si pauperes confundatis, siq; etiam aliquam ante spiritualem & Dominicam Cœnam sumatis.*

XXII. Quod Chrysostomus & Theophylactus dicuntur aliter exponere; primum nihil habet vitium: quia possunt iis alij opponi; tum Græci tum Latini: vt postea dicam. Deinde quia hoc ipsum aliter videtur. Certè Chrysostomum ita lego, *Non dixit, conuenientibus vobis, non licet communiter manducare, non licet inter vos conuiuari: sed rursus aliter, & multo terribilius eos tangit, dicens, iam non est Dominicam Cœnam manducare:* ἐκείνῃ παραπέμπων αὐτοὺς ἐντεῦθεν ἤδη τῇ ἑσπέρᾳ καθ᾽ ἣν τὰ φρικτὰ μυστήρια παρέδωκεν ὁ Χριστὸς, *eos ad illam transmittens Vesperam in qua Christus reuerenda mysteria tradidit. Propterea & prandium vocauit Cœnam. Etenim illa cœna habuit omnes communiter accumbentes. Atqui non tantum interest inter diuites & pauperes. quantum inter magistrum & discipulos. Cogita quantum interesset inter præceptorem & proditorem: sed tamen ille quoque cum eis accumbebat,* καὶ οὐδὲ τοῦτον ἐξέβαλε, ἀλλὰ καὶ ἁλῶν αὐτῷ μετέδωκε, καὶ τῶν μυστηρίων κοινωνὸν ἐποίησε, *neq; eum expulit, sed etiam sale impertiit, & Sacramentorum fecit participē.* Certe in his nō minus exprimitur Eucharistia, quam reliquum conuiuium. Neq; Theophylactum verisimile est ab eo discedere; etsi mysteriorum non meminerit, cum reliqua describeret.

XXIII. Sed Sanctesio tertia causa erat, quod id nominis purioribus Ecclesiæ seculis non fuerit frequens. Ego vero quo modio frequentiam metiatur, ignoro: sed rem tamen iubeo discere à suæ religionis testibus: si à locis ipsis non potuit. Suares hoc ipsum refutans argumentum. *Ego vero*, inquit, *video antiquos Patres sæpe hoc nomine appellasse Sacramentū hoc, vt constat ex Basilio in regulis breuioribus in trecentesima decima. Nazianzenus oratione secunda vocat Cœnam Euangelicam: & Nicetas super Nazianzeni oratione quadragesima secunda, §. & illi quidem. vocat Cœnam mysticam. Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 12. vocat Cœnam Dominicam: idem Epistola centesima decima octaua, & habetur in capite Liquido de Consecratione distinctione 2. & sermone trigesimo tertio de verbis Domini, ita exponit parabolam Lucæ 14. de homine, qui fecit cœnam magnam.* Suntne hi satis multi? Adde istos. Tertullianum, a quo habes *Conuiuium Dominicum*, secundum ad vxorem, cap. 4. Chrysostomum homilia 24. in 1. ad Corinthios. Τὸ μὴ κοινωνεῖν τῶν μυστικῶν δείπνων ἐκείνων, λιμὸς καὶ θάνατος, *Mysticarum illarum Cœnarum non esse participes, est fames & mors.* Theodoretum in illud ad Corinthios, *Dominicam Cœnam vocat Sacramentum Dominicum.* Oecumenium, κυριακὸν ᾗ δεῖπνον τὸ δεσποτικὸν καλεῖ μυστήριον. Cyprianum, quicunque sit ille, & Bernardum, qui sermones ediderunt de Cœna Domini, in quibus præter Eucharistiam nihil explicetur. Nilum in Parænetícis, cap. 12. *Ab omni corruptione abstine, & mysticæ Cœnæ omnis particeps fias. Sic enim Christi corpus nostrum fieri incipit.* Autorem sermonum septem de proditore & mysteriis Cœnæ; apud Chrysostomum in 1. *Qui sacrata huius Cœnæ indigne participatur accubitu, non cum Petro perueniet ad salutis portum: sed sustinebit cum Iuda sine reparatione naufragiū.*

XXIV. Renatus Benedictus in Panoplia ad 11, prioris ad Corinthios, Corporis Christi mànducationem, non debere dici Cœnam, docet Scriptura sacra, quæ affirmat Christum consecrasse, & dedisse Apostolis suum corpus manducandum Cœna iam facta, Lucæ 22. *Similiter dedit calicem postquam cœnauit.* Ioannis 13. *Cœna facta surgit Christus, & ponit vestimenta.* Item Paulus: *Similiter & calicem postquam cœnauit.* Et ne argumento pondus detrahat author obscurus, repetit Maldonatus in Matthæi vicesimum sextum.

XXV. Imo in confesso est, eadem noctis hora Christum cœnasse cœnam Paschalem; & instituisse Sacramentum Eucharistiæ. Itaque quod Lucas Paulusque notarunt Cœna facta datum calicem (quod itidem de pane intelligendum consentit Caluinus) interpretes exponunt, non de Cœna absolute, sed de Cœna Paschali. Iansenius capit. 130. Concordiæ, *Certum est non sic intelligendum hic Cœnam dici factam, quasi absoluta iam fuerit & consummata. cum aperte Ioannes testetur Dominum post ablutos pedes iterum accubuisse, & dedisse intinctum panem, ac de seipso postea dicat, quod recubuerit in Cœna supra pectus Iesu.* Et post aliquanto. *Magis ergo verisimile est, illud Cœna facta, significare Cœnam iam captam, quemadmodum dies dicitur factus, cum exortus est Sol, & dies inceptus, vt significetur Dominum surrexisse cum iam cœnari captum esset, atque inter cœnandum: quod apertius significatur apud Græcos, cum pro illo surgit à Cœna, habent ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου, id est, surgit ex Cœna. Si ergo inter cœnandum Dominus surrexit ad abluendum pedes suorum, quid relinquitur dicendum probabilius, quam lotionem hanc factam post esum agni, & ante Eucharistiæ institutionem? Ex his enim duabus maxime partibus Cœna hæc constabat.* Baradius in Concordiam tomo quarto, libr. tertij, capite secundo.

Quam,

Quamuis totum Sacramentum post Cœnam institutum fuerit, in ipsius tamen cœnæ fine institutum est, cum adhuc discumberent, & manducarent. Nam mox duxerunt cibos alios. quousq; ad manducationem cœlestis cibi ventum est: neq; Matthæus & Marcus aiunt, Manducantibus ipsis effectum esse Sacramentum. Adhuc enim manducabant cum Dominus accepit panem, benedixit, & fregit. Lucas Brugensis in Matthæum, *Non de actu cœnandi, aut conuiuandi intelligendum est, sed de Cœna siue conuiuio ipso: quasi dicat, Cœna adhuc durante, mensa nondum ablata. Non est verisimile, quod nouum ac sacrosanctum corporis sui cibum, miscuerit Iesus cum cibo profano, quum sui comederint absoluto esu Paschatis figuratiui: sed quod eum dederit, postquā sui satisfecissent naturæ, mensa tamen ciborumq; reliquiis nondum remotis: vt cui comedere adhuc potuissent, qui voluissent, sub finem cœnæ, quando non comedere, etsi cibus adhuc adsit: sed suauibus colloquiis familiares operam dare solent: quo tempore & durat adhuc cœna, quia cibi nondum ablati sunt, & perfecta est, quia non amplius comeditur.* Maldonatus etiam sui oblitus: tres eodem tempore actiones fuisse, quæ tres Cœnæ vocari soleant, Paschalem, communem, & eam qua Christus panem & vinum in corpus suum consecratum præbuit.

XXVI. Nihil ergo incommodi. Nam si fuit pars Cœnæ: & pars Cœnæ itidem Cœna appellatur; vt apparet ex Paschali, quam alteram partem nemo negat Cœnam dici: cur non & ipsa Eucharistia dicatur Cœna? Quanquam da sane non esse partem Cœnæ: tamen negare non potes institutam fuisse vesperi, & hoc satis. Chrysostomus, λέγων, οὐκ ἔστι κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν, ἐκείνῃ παραπέμπων αὐτοὺς ἐντεῦθεν ἤδη τῇ ἑσπέρᾳ, καθ' ἣν τὰ φρικτὰ μυστήρια παρέδωκεν ὁ Χριστὸς. *Dicens, iam non est Dominicam Cœnam manducare, eos ad illam transmittens vesperam, in qua Christus reuerenda tradidit Sacramenta:* διὰ τοῦτο καὶ δεῖπνον τὸ ἄριστον ἐκάλεσε, *Propterea & prandium vocauit Cœnam.* Maldonatus tamen diserte, tres actiones eodem tempore fuisse, quæ tres cœnæ vocari solent.

XXVII. Nouum argumentum sufficit Iacobus Hilarius in Conuersione Huguonotorum, cap 29. Cœna Domini illa prima, non potest iterū fieri: Ergo Cœnæ nomen non conuenit Eucharistiæ. Probatur consequētia? quoniam passionis nomen non est aptum, quoniam mors & passio in cruce facta non potest iterum fieri in altari.

XXVIII. Respondeo, negari consequentiam: quoniam non ea tantum; quæ iterantur, sed etiam quorum memoria renouatur, nomen suum communicant actionibus sequentibus. Sic Agni Paschalis immolatio, dicta fuit transitus Domini: quoniam instituta in memoriam eius historiæ. Sic apud Papistas creberrima sunt festa dedicationum: non quod iterum dedicentur Ecclesiæ: sed quod memoria renouetur dedicationis olim factæ. Sic natalitia Sanctorum apud eos perpetua; etsi semel omnino nati fuerint cœlo, Deniq; Conceptio Mariæ Virginis redit in orbem annuum: & Decollatio Baptistæ: & alia plurima. Vt omnino rudem oportuerit esse Hilarium Papismi, tunc sibi primum professi, cum illæc scriberet.

XXIX. Atque adeo exemplum illud ipsum passionis Dominicæ directe refutatur ab Augustino Epistola 23. *Sæpe ita loquimur, vt Pascha propinquante dicamus, crastinum vel perendinam Domini passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit.* Nos ergo contra. Si quamuis passio Domini semel olim peracta fuerit: tamen id nomen id nominis quotidie vsurpatur ad id designandum tempus, quo celebratur eius passionis memoria: Ergo etiam Cœna Domini poterit legitime vsurpari ad nominandam Eucharistiam, cum eadem sit ratio. Et vero Papistarum is vsus est semel quotannis saltem. De Consecratione distinct. 3. cap. 18. *Inuenimus quosdam Episcopus, non per singulos annos in Cœna Domini Chrisma conficere.*

XXX Pergit obseruando, Cœnam primam vespere factam olim: at nunc mane. Quare nomen non conuenire.

XXXI. Nego consequentiam. Non enim à tempore, sed à re nomen deductum, imo deducendum fuit Sic olim transitus Domini vnde Paschæ nomen, factus ipso noctis medio: at Agnus semper immolatus inter duas vesperas.

CAP. II.

De Missæ nomine.

I. QVare nos quidem satis tuti sumus siue à Scriptura, siue à ratione, siue à traditione, in vsurpando Cœnæ nomine. Ad Missam venio, quod nomen tantum non adoratur à Papistis. à nobis non libenter vsurpantur; cum quia non à Scriptura, ne quidem à prima antiquitate; tum quia nihil habeat, quo pars vlla, aut efficacia Sacramenti delineetur; ac ne apud Papistas quidem Sacramento proprium sit. Quanquam Germanos scio non esse auersatos; neque nos putemus cuiquam bono licere esse in nudis vocabulis superstitioso. Verum. Papistæ nō solent esse tam liberalis ingenij: Itaque disputant hanc etiam partē non segniter. Lindanus Panopliæ li. 4. c. 37. Demochares de Sacrificio, lib. 2. c. 1. Polygranus in Assertionibus. Cotonus de Sacramento sacrificio discursu 4. & discursus 6. c. 26. & seqq. Matthæus Galenus de Missæ sacrificio. cap. 2. Bellarminus de Missa lib. 1. cap. 1. Genebrardus Liturgiæ cap. 3. Richeomus Missæ lib 1. cap. 6. & seqq. Zacharias Bouetius examinis fidei Lutheranæ & Caluinianæ censura 13. Suares disput. 74. sect. 3. Vasques disp. 221. cap. 1.

II. Missæ nomen ergo commendant omnes magna contentione primæ antiquitatis prætextu. Et primū ab etymo, post à testibus. Etymum fuere qui repeterent à lingua Græca. Notauit Suares. *Quidam*, inquit, *existimant esse vocem Græcā, vt Couarruuias.* Et Genebrardus subindi. at factum, ἀπὸ τῆς μυήσεως paucis mutatis: hac autem voce vti Areopagitam.

III. Alij altius philosophati tantum non deierant esse vocabulum Hebraicum; & quidem purum putum. Mira dicam. Adeste animis, ô vos quotquot estis μεμυημένοι & ἐπόπται, Deut. 16. legerunt, *Celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo:* מסת נדבת ידך *oblationem sponsaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui.* Εὑρήκαμεν, εὑρήκαμεν, exclamant Demochares, Cotonus, Bouetius. Eodem sono, iisdem syllabis מסה Hebraice, *Missa*, apud Romanenses; oblatio voluntaria: imo si Cotono credas, *Missa noua*. Confirmant; quia teste Durando lib 4. rationalis, cap. 1. Missa celebrata fuit Hebraice plus quam centum annis à tempore Apostolorum vsque ad tempora Adriani Imperatoris, quo tempore Græce celebrari cœpit. Non est autem verisimile toto illo tempore fuisse absque nomine. Tum autem Apostoli tunc primum Missam celebrarunt, quum Spiritu Sancto repleti, quo ritu esset celebranda edocti sunt: nimirum in ipsa Pentecoste.

IV. Sufficiebat reliquis is locus: at Cotono visum duos addere: ex Psalmo 72. & Esaiæ 25. In priore פסת בר בארץ יהי: *Erit pugillus frumenta in terra.* Vbi & prophetice Pissah est Missa; mutato Mem in Peh. Nam hunc in Psalmum a Rabbinis exponi de diebus Messiæ, teste Salomone.

V. In altero: *Et faciet Dominus omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ.* Conuiuium משתה: & quia He in fine quiescit, manifestum est purum putum remanere vocabulum, Missa.

VI. Hæc illi. Sed nos dicimus in eiusmodi etymologia concurrere oportere, tum soni, tum rei similitudinem: quæ si desint vel ambo, vel singula, ludibrium debere; quia vix sit quicquam quod non deducatur vndecunque. Nemo sanus dixit terram Latinis nominatam, ex Hebræo ארץ aut Græco γῆ: quia etsi hæc idem significent, tamen sonus est alienus. Rursus etsi verum teste Augustino 2. de doctrina Christiana, c. 24. *Beata vno eodemq; sono, apud Græcos litera, apud Latinos oleris nomen esse*: tamen nemo dixit alterum ab altero deriuatum. Sic quamuis concurrant in similitudinem soni λώτ, apud Hebræos nomen viri: & apud Græcos λωτὸς nomen fruticis: tamen ne Iesuitæ quidem vtriq; vnam assignauerint etymologiam.

VII. Porro Missæ nomine significari docet Bellarminus, primo missionem: secundo diuinum officium lectionum, precum, & aliorum id genus, quod celebratur ante dimissionem catechumenorum: tertio, illam partem liturgiæ, quæ ab offertorio vsq; ad finem: quarto, totam celebrationem diuini officij; quinto, ipsas collectas, seu preces in liturgia.

VIII. His positis; negamus Missam, aut Græcam esse aut Hebraicam. Græcam negauit etiam Suares, *Non est*, inquit, *verisimilis opinio: quia nullum eius vocis fundamentum in Græca lingua reperitur: vnde neque vsum eius in Græcis Patribus legimus.* Vasques etiam Couarruuiam excusauit contra Suarem: Non tantum enim non ita dixisse; sed etiam Albericum reprehendisse tanquam ignarum linguæ Græcæ; quod dixissent vocem Missæ Græcam esse, cum nullum vel leue fundamentum in lingua Græca inueniri possit

IX. Bene, nullum fundamentum. Neq; enim sonus. Nam quid simile inter μύησις, & Missa? Tantundem ferme quantum facetus aliquis dixit inter Platonem & Chopinum: aut certe inter Titanem & titulum apud Thomam Aquinatē. Nec scio vtrum condonandum sit Genebrardo, existimanti Græcum sonum esse *missis*: in hoc tam eruditorum virorum seculo; qui sciunt quod paulo ante dicebam Græcis Beta esse; ac proinde *myesis*. Sed si quid concedendum deprauatæ consuetudini; quæ obtinuit cum restituerentur Patrum nostrorum æuo studia Græca; at profecto cogitandum erat Missam esse vocabulum eius temporis, cuius exempla omnia sunt in opposito. Quis enim Catigoriam dixit, aut alligoriā? Aut Acadimiam? Certe Phronesium dixit Plautus; Virgilius Alesten: Plinius Cerachaten: Seneca Ceroma: Apud Tertullianum, quis non legit Valentini Pleroma? Vt mille præterea taceam. Ad eam rationem debuit Myesis dici Genebrardo; qui sonus quid ad Missam?

X. Sed nec sensus alludit. Nunquam enim μύησις dicta est de hoc Sacramento. Imo, inquit Genebrardus, inuenitur in Theoria Dionysij. Sane, inquam, semel; sed pro baptismo: Τούτων οἱ μὲν ἀπεσχοινισμένοι καθ' ὅλου τῶν ἱερῶν τελετῶν, οὐδὲ τὰς εἰκόνας ὁρῶσιν, ἀναιδῶς ἀπειράμενοι τῆς σωτηριώδους τῆς θεογενεσίας μυήσεως, *Horum quidem qui sanctorum Sacramentorum omnino ignari sunt, nec figuras quidem & imagines cernunt: quod imprudenter salutarem diuini ortus disciplinam repudient.* Enimvero frequens huic autori θεογενεσίαν baptismum dicere: & hoc loco notat morem antiquum non admittentem non baptizatos, vel ad spectanda Eucharistiæ mysteria.

XI. Sed & ratio nominis aliena. Nam μύησις dicitur relate ad homines, qui sacris quibusdam initiantur: nunquam autem ad res anima carentes. At missa non dicitur ratione hominum; qui non sacrificantur. Cum igitur neque sonus concurrat; neque significatio colludat, profecto non potuit non ineptum veriloquium esse.

XII. Venio ad Hebræa; quæ pluribus placuerunt. Et vero in primo saltem conatu negari nequit similitudinem esse saltem sonorum. Veruntamen displicuit sanioribus subtilitas, *Non videmur*, inquit Bellarminus, *Apostolis in vsu fuisse hoc vocabulum Hebraicum: multoq; probabilior est eorum sententia qui vocent Missam esse vocem Latinam.* Vasques, *Probabilius multo est vocem nullo modo Hebraicam esse, aut ab Hebraica deriuatam.* Et nos quid facimus, audent cum talia fures: Longe securiores ridemus hominum ridiculorum vafritiam, qui vt gigantes appareant soccos induunt, vel potius vt est in nostrate prouerbio, grallas: quibus sane id accidit quod dicunt: Simiam, quo altius euehatur hoc impudentius nates ostentare.

XIII. Nec nobis qui paulo sunt cordatiores Papistæ suam tantum authoritatem commodant; imo simul rationem sufficiunt. Lindanus, *Quanquam præclari quidam huius ætatis scriptores ex Hebraismo extorquere maluit: cogit me tamen veritatis amor candidè, quod equidem sentio, in medium adferre, quo simplex et veritas ob propositam maiorem in amorem accuratiusq; indagandi studium apud philomusos excitet. Missa igitur cum apud Theologos Græcos aut vllos alios, quod equidem meminerim, non legatur, mirum cur ex Hebraismo eius originationem repetimus altius. Sanè si à priscis nostræ religionis autoribus fuisset vsurpata, eius profecto aliquod extaret in omnibus omnium linguarum sacrificiis vestigium.* Suares, *hanc opinionem suspectam facit* (inquit etsi alioquin probabilem dixisset) *autoritas negatiua patrum Græcorum & Syrorum qui nunquam ea voce vsi sunt: cum tamen soleant frequenter vti illis vocibus Hebraicis, quas Ecclesia Latina retinuit.* Vasques, *Si vox hæc Hebraica esset, aut ab Hebraica deriuata, eam omnes Christianæ nationes, sicut alias huiusmodi retinuissent, quales sunt Amen, Alleluia, Sabbaoth: Nam & Græci his omnibus vtuntur, voce autem Missæ non item: sed pro Missa.* Λειτουργίαν *vocant Et quod caput est. Syri & Maronitæ, qui Chaldaica lingua Missam celebrāt, vocem missæ non habent.* Bellarminus, *Si vox ista Hebraica in vsu Apostolis fuisset, certe retinuissent eam etiam Græci & Syri, atq; aliæ nationes, vt retinuerunt alias similes voces, vt Amen. Alleluia, Sabaoth, Osanna, Satan, Sab-*

batum, Pascha. Vocabula enim Hebraica per Græcos ad nos deuenerunt, cum ipsi etiam Apostoli, & primi Ecclesiæ Doctores Græcè scripserint. Porro apud Græcos, nulla est mentio huius vocis Missæ. Paulo post, *Syri & Maronitæ, qui Chaldaica lingua celebrant diuinum Sacrificium, non habent Missæ vocabulum. Et tamen si Hebraica vox apud vllos conseruari debuit, apud eos maxime. Adde quod viri docti linguæ Hebraicæ Origenes, Epiphanius, Iustinus, Hieronymus hac voce nunquam vtuntur, quod merito admirandum videri posset, si ea vox esset Hebraica.* Argumentum hoc tale est cui horum δεξιόφων nemo aut satisfecit, aut satisfacere potuit: ne conatus est quidem Noua victoriæ ratio, vt fingant non videre hostes.

XIV. Addit alteram Bellarminus, quod si vox illa esset Hebraica, non Missa; sed Missah dicendum esset: quomodo tamen nemo scribit, nec loquitur. Verum hoc est ex nimia imperitia. Nam aspiratio illa quam addendam dicit, est non originis, sed terminationis: itaque non necessario retinenda. Nam alia exempla contra proscribunt, Genes. 3. *Heua:* quarto, *Ada*, & *Sella*, & *Noema* 17. *Sara*: & infinita alia. Itaque nos quidem absit tam pueriliter pugnare.

XV. Enimvero, quod Cotonus notauit, & Bouerius: centum annos post Apostolos Missam fuisse celebratam Hebraice, quid est? An apud omnes Christianos cuiuscunque linguæ quomodo hodie Latine volunt? An vero apud Hebræos tantum, vt apud Græcos Græce: apud Latinos Latine? Posterius hoc conceditur prolixè: & ridemus additam temporis circumstantiam: qui scimus longe vltra eum terminum Christianos fuisse in toto Oriente, & nominatim in Syria, & Palestina, Prius autem, manifeste falsum. Nam Apostoli scripserunt Græce: & quidem huius ipsius mysterij institutione, vt cæterorum: certe Paulus ad Corinthios; vnde quis non colligat Corinthi celebrationem fuisse Græcam? Et si apud Corinthios, cur non apud alios? Certè Ignatius intra eos terminos vixit? in cuius Epistolis non habentur nulla de hoc Sacramento.

XVI. Veruntamen quid hoc ad rem? Fatemur Hebraicum aliquod fuisse huic Sacramento nomen: etsi pure Hebraicum non sit necesse; sed scimus non sequi, si fuerit aliquod, ideo propalatum per vniuersum terrarum orbem. Nam cur hoc magis quam Baptismi? quam reliquorum mysteriorum fidei? Nam certè Fidei, Caritatis, Spei, Iustificationis, Sanctificationis, Pœnitentiæ, oportuit totidem esse nomina in Ecclesia Hebraica: & tamen constat non propagata. Tum autem si propagatam Missam apud Latinos oportuit, tanto terræque marisque dissitos spatio: cur non apud vicinos, Æthiopas, Ægyptios, Maronitas, Syros, Arabas? Atqui Cotonus, & Genebrardus, qui videri voluerunt omnia habere cognita, apud has omnes gentes, cum inquisierunt nomina, Corbon, Curbono, Curbo, Anaphoro. Alcorban, Algumaah, Toda: cum hanc inquam, nominum quasi συζυγίαν decurrerent tamen nullo loco repertum illis hoc Missæ nomen. Quid Græcos dicam, non tam vicinos Hebræis, quam permixtos: adeo vt in mediis ipsis Hierosolymis conciones, catecheſesque haberentur Græce: hiscine saltem verisimile est id nominis tam celebre, tam solemne, tum sacrum, tam mysticum, tam adorandum, non fuisse communicatum, non vsurpatum? Atqui iidem diligentissimi συνώνυμα obseruarunt ἱερουργίαν, σύναξιν, κοινωνίαν μόνην, μυσταγωγίαν, λειτουργίαν. τελετὴν, θεῖον μυστήριον, μυστικὴν εὐλογίαν, μυστικὴν λατρείαν. Et quid non? Vt id alia potius omnia Græci videantur ire voluisse, quam in Latinorum exemplum. Tam vani, tam futiles sunt Sophistæ.

XVII. Nunc singulos locos attendamus. Deut. 16. habemus נדבת מסה ita sane. Sonus constat. An etiam significatio? Vasquen audiamus, *Quæ Claudius adducit ad probandum prædictum nomen ab Hebraica voce deriuatum esse, omnia illuc spectant. vt ostendant vocem Hebraicam significare oblationem; & radicem illius significare munus: denotare etiam onus personale; seu tributum, idque in sacrificium altaris, quod pro nostra salute Deo offertur, conuenire. Quæ quanvis admitteremus, non satis essent ad probandum vocabulum Missa, ab illa dictione Hebraica deriuare.* Negat hic consequentiam, id est, si etiam significatio congruat, ideo deriuationem eam esse. Sed Croquetius vehementior fuit, *Hoc nomen in vniuerso Hebræo Testamento nusquam occurrit, licet quædam interdum similitudo videatur; sed ea re vera nulla est. Quod autem nonnullis visum est proferre ex Deuteronom. 16* מסה *natum à* מסס, *vnde &* מס*: illud tamen nec eo loco nec vsquam alibi habet vllam cum sacrificio cognationem* Audiuntne Sophistæ? an obturant aures, vt ne audientes audiant? Pergit ille, *Nunquam enim eius loci oblatio proprie significat Sacrificium. Nam & si vulgus offerat, vt ibi ab Hieronymo in versione vulgata facere dicitur, nequaquam tamen vnquam sacrificat Denique Sacrificium est quidem species oblationis: sed ea differens à reliquis, prætertim eum vulgo communibus.* Et postquam disseruit eius vocis significatum, concludens, *Ergo*, inquit, *non est somniandum hinc ductum Missæ Christianorum nomen Eamq; deducendi rationem propterea libentius fugere debemus, quod tributi originatio, quæ in* מסה, *atq; alius à* מסס *deriuatus est, exposita videatur hæreticorum calumniis:*

XVIII. Non male ille quidem vt Papistæ captus fuit. Nos solidius. Missa illa à Mose nominata, est oblatio facta à singulis è populo. At Missa Christiana non est oblatio facta à singulis è populo, Ergo Missa illa Mosis, non est Missa Christiana. Maior patet ex ipso textu, *Celebrabis solemnitatem hebdomadum Iehouæ Deo tuo,* מסת נדבת ידך אשר תתן *oblationem spontaneam manus tuæ, quam dabis, prout benedixerit tibi Iehoua Deus tuus.* Nam hæc phrasis significat id quod quisq; sponte sua confert; & quidem manu sua: & reuera agitur de manipulis messis offerendis Deo à singulis Iudæis pro sua abundantia: non autem ab vllo Sacerdote. Minor autem probatur tum ex sensu Papistarum, qui mallent cœlum terræ misceri, quam concedere suũ Sacrificium offerri ab vllo laico: tum à sensu Catholicorum, qui negant Sacramentũ Eucharistiæ institutum, vt quicquam offeratur Deo à Christianis: sed à Deo potius offerri, id est, donari Christianis: qui in de panẽ Domini edere dicuntur: qua de re suo loco disputandum erit plenissime.

XIX. Prætereà quicquid id est siue Sacrificij, siue oblationis: pertinet ad festum Pentecostes: At Sacrificium Eucharistiæ, non pertinet ad Pentecosten: Ergo Sacrificium illud, non est Eucharisticum. Imo neq; Eucharisticũ debuit ab illo nominari. Nam denominationem oportet sumi vel à re ipsa, vel ab aliqua insigni circumstantia. Res autem ipsa, nihil habet commune cum festo Pentecostes, ne eo quidem, quod obseruatum inter Christianos: testibus ipsis aduersariis, qui nihil vrgent simile. Et notum est Christianos hoc festum obseruare propter miraculosam illam Spiritus communicationem: cuius nullum mysterium in Eucharistia.

XX. An ergo circumstantia erit aliqua? Ita volunt nunc Sophistæ: scilicet, quia tunc Apostoli primum Missam celebrarint. Atqui tunc celebrasse, id est ipso die, neque Scriptura dixit, neque vllus Veterum. Sed duntaxat Lucas obseruauit perseuerasse in fractione panis: quod pertinet indefinite ad multos dies. Verum esto tamen. Sed hæc circunstantia, quid ad rem? Nam Baptismum etiam tum primum celebrarunt post Christi mortem; & ipso die, teste Luca. Cur non ergo Baptismo impositum nomen aliquod à Pentecoste? Aut cur potius Eucharistiæ? Deinde huic circumstantiæ longe præualet non tantum ipsa institutio, sed etiam institutionis circunstantia. Nisi forte magnum peccatum peccarint Veteres, qui in hoc Sacramento agnum dicant immolatum; quod erat Paschæ.

XXI. Hoc confutato etymologiæ commento, piget duo reliqua attingere. Nam quis Cotonus est tandem, qui propriis sibi somniis decitat occupatos? Quasi non ille imperitiam suam vbiq; locorum ostendat; atq; ex eo τὸ θεόφορ; Psal. 72 פסת pro מסה. Qua analogia, inquam? aut quo mysterio? Nam habent Iudæi varias suas mutandarum literarum rationes: alias ex analogia Grammatica; alias ex Cabala. Et istas אבגד vel אלבם vel אתבש vel denique גמטריא. Sed hæ nihil ad istam. Quis porro concessit nouo homini, & tam hospiti in Hebraicis literis nouam sibi rationem comminisci? imo nouam nobis legem imponere, vt ne audeamus delirantis somnia non adorare?

XXII. Nec sanius alterum ex Esaia somnium. Nam quis pudor, à משתה Missam deducere? Nec sonus idem, nec sensus. Somnum abiudicant aures: & Grammatica discernit analogia: Nam & ה etsi quiescat, quod notandum putauit Cotonus, tamen non est simile ei, quod obseruauit iterum quiescere in מסה. Nam erat non ab origine prima, sed ab inclinatione: at in משתה est ab ipsa originis necessitate: sed & ה in מסה à flexione obliqui casus. in משתה radicale: sic enim loquuntur Hebræi Grammatici. Deniq; longum discrimen inter שין ימין; & Samech. Deniq; מ prima litera in מסה substantialis, in משתה formatiua. Quare nulla Grammaticæ analogiæ similitudo patitur Missam, & משתה idem esse vocabulum.

XXIII. Possit fortean sensus subsidio esse iste Cotono, non impugnante Cœnam. Verum ei longum discidium futurum cum suis συμμύσταις, quibus nostra displicuit Cœna. Quis autem nos Cotono iussit in disciplinam dari, potius quam aliis? Tum autem quid promouet? Nam Missam omnes negant significare hoc Sacramentum, quatenus est communio: sed quatenus est Sacrificium. At משתה nullo modo significat Sacrificium, sed communionem potius.

XXIV. Non est igitur Græca: non est vox Hebræa; Missa. Superest vt sit Latina. Et sic visum Bellarmino, Suari, Vasqui, Lindano, Croquetio forte aliis. Sed quam antiqua? & qua significandi ratione? Hæc enim duo problemata disputantur. Et antiquitatem quidem ab ipsis Ecclesiæ primordiis arcessunt Cotonus, Richeomus, Garetius in assertione Missæ Scortia dixit cum ipsa pene Romana Ecclesia natum. Testes citans ex primo seculo Clementem *Epist.* 3. Euaristum Epist, 2. Ex secundo, Alexandrum primum Epist. 1. Telesphorum in decretali ad omnes Episcopos, c. 2. Hyginum. Ex tertio Iulium Africanum in vita Sancti Matthæi. Hippolytum de consummatione seculi. Ex quarto, Syluestrum in generali Concilio Romano: Concilium Carthaginense secundum c. 3. Quartum Canone 88. Mileuitanum canone 12 Ambrosium lib. 5. Epistola 33. Hieronymum in Prouerb. 11. Augustinum de tempore, sermonibus 91. 137. 231. Ex quinto, Concilium Agathense, cap. 21. & 47. Leonem Epistola 81. ad Dioscorum, cap. 3. Et octuagesima octaua ad Episcopos Germaniæ: Cassianum libro tertio, de horis. cap 37. & 8.

XXV. Nobis non negatur antiquum nomen esse; sed negantur tam alte repetenda eius secula. Nullum enim eius vestigium apparere tribus primis seculis, non obscurum, non suspectum. Nam Epistolas illas decretales, quicunq; habent pro legitimis iampridem exsibilantur à choro doctorum: nec in iis laudandis absque pudore versantur primi nominis Papistæ, Baronius, & Bellarminus: Sed & illud obiicio. non constare, quæ fuerit earum lingua prima. Cotonus in Sacramento Sacrificio discursus 7. §. 14. *Censen*, ait, *Archetypa fuisse Latina? Decretales, vir bone, primo fuerunt scripta Græce à Papis primis, & antiquissimis: tum translata in vulgare idioma, quales nunc habemus.* Ast hoc si verum tum profecto Missæ nomen in iis esse oportet ex versione, quam esse procul à primis seculis docet Latinitas. Iulius Africanus is est, qui Abdiæ Babylonij historiam certaminis Apostolici interpretatus est. Hic autem profecto non scripsit Latine: quare Missæ nomine non est vsus. Itaq; testimonium hinc nullum peti potest nisi quantum erit eius qui Latine edidit, incognitus autor. Quanquam quid eum moremur librum; quem Andradius Defensionis Tridentinæ lib. 2. testatur à Paulo quarto tanquam supposititium fœtum fuisse repudiatum? Bellarminus in Scriptoribus Ecclesiasticis, *Vita Apostolorum, quæ sub eius Abdiæ nomine circumferuntur, fabulis similiores sunt, quam veræ narrationi. Sed neque eius Abdiæ aut libri eius vllam in Veteribus mentionem inuenio.* Vide Riuetum cap. 6. lib. 1. Critici sacri. Hippolytus ille de consummatione seculi, sitie de Antichristo; præter suspectam fidem iam omnibus eruditis Græce scriptus est. Nam eius autoris nulla alia opera commemorantur nisi Græca. Itaque Latinum interpretem oportuit esse cognitum, vt ex eius ætate; de testimonij pondere possit iudicium fieri. Et tamen denique apud eum nusquam id verbi legitur; vt Cotonum oportuerit mire fuisse deceptu facilem.

XXVI. Deinceps in vsu fuisse constat. Sed in quarto seculo nullo teste nisi Ambrosij vnico loco illo ex Epistola 33. & Africanis Conciliis. Nam Concilium illud Romanum sub Syluestro: & Augustini sermones de tempore supposititij sunt fœtus. Illos in Prouerbia Commentarios Hieronymi non esse: sed Bedæ vix dubitat quisquam. Tam rati testes argumento sunt, id vocabuli tunc temporis primum irrepsisse in Ecclesiasticum vsum. Sed certum vndecunque, aut quandocunque hæc initia fuerint, tamen progredientibus seculis; & quidem eiusmodi, vt barbaries magis ac magis inualesceret, hoc etiam nominis celeberrimum euasisse: ac quinto plurimis: deinceps plerisq; omnibus in deliciis fuisse.

XXVII. Con

XXVII. Concedimus ergo non esse nouum nomen: concedimus esse antiquum. Nam profecto quatuordecim seculorum ætas sufficit antiquitati vocabulorum, aut nihil sufficiet. Verum. quærat aliquis, cur nos ergo non recipiamus. In promptu ratio est; quia nobis antiquiora & augustiora suppetant; Cœnæ videlicet, atque Eucharistiæ: quorum illud ab Apostolis ipsis, hoc proxime post Apostolos, & quidem non in vno Occidente; sed tum in Græca, tum in Latina Ecclesia, & forte etiam Syriaca: præterea augustiori significatione, magisq; digna tanto mysterio. Patiantur Papistæ, qui quoties libet, antiquitatis vniuersalitatisq; tantam haberi volunt rationem, præferri hoc saltem loco, id quod est antiquius, quod est vniuersale magis. Vt taceam abusum Sacrificij: hic tantum, vt Missam ne Papistæ quidem nominent, nisi quatenus Sacrificium existimarunt esse: quod nobis intollerabile. Certe nos omnium hominum minime vocabula odimus: sed omnium hominum minimè vocabula odimus: sed omnium hominum minime iidem patimur vocabulorum prætextu Christianis imposturam fieri. Sed Richeomus certe mentitur nos occasione vocabulorum fidem deserere: Nam nostrum aduersus Papisticam superstitionem nullum argumentum est à nudo vocabulorum defectu.

XXVIII. Verum iis relictis nugis de significatione dicamus. Missam Latinum nomen Latina *Etymologia* dictam à mittendo; nemo dubitat. Nam quod Bouerius obiicit; apud Latinos haberi sane missionem, vel missum: At Missam fœminino genere nunquam hactenus lectam esse; pondus aliquod habiturum erat olim apud teretes illas Latinorum aures quibus Terentij, Cicerones, Cæsares, Salustij magistri erant dicendi. Sed postmodum cum inclinata est Latina lingua in barbariem; quis mirabitur, Missam substantiue dictam; qui apud Tertullianum legerit contra Marcionem libro 4. cap. 18. *Diximus de remissa peccatorum.* Et apud Cyprianum Epist. 10. *Qui blasphemauerit in Spiritum Sanctum non habet remissam.* Et de bono patientiæ, *Dominus baptizatur à seruo, & remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lauacro regenerationis corpus abluere.* Enimuero cur non ætas subsequens & magis diuertens à proprietate Latinismi non eadem siue ratione siue licentia dixerit Missam pro missione: qua dicta remissa pro remissione? Cum itidem legamus collectam, siue pro collatione eleemosynarum prioris ad Corinthios decimo sexto: siue pro cœtibus Ecclesiasticis Leuitici vicesimo tertio, & alias: siue denique pro pedibus publice factis, vt frequenter in ordine Romano, quod certe non elegantius, quàm Missa.

XXIX. Quænam fuit ergo significationis analogia? Fuere qui deducerent à Sacrificio: quia scilicet res sacrificata mittatur ad Deum; siue preces sint, siue quid aliud. Alcuinus de diuinis officiis, capite quadragesimo: *Missa autem dicitur, quasi transmissa: Vel quasi transmissio: eo quod populus fidelis de suis meritis non præsumens, preces & oblationes quas Deo omnipotenti offerre desiderat per ministerium & orationem Sacerdotis ad Deum transmittat.*

XXX. Lombardus longe aliter, distinctione 13. quarti: *Missa dicitur eo quod cœlestis nuntius ad consecrandum viuificum corpus adueniat, iuxta dictum Sacerdotis dicentis, Omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum. Idcirco nisi Angelus venerit, missa nequaquam iure vocari potest.* Sed, *minus probabiliter*, inquit Scortia, *Etsi enim Angelos huic tanto mysterio assistere omnino credendum sit: non ob id tamen Missam appellatam existimo. Id enim nimis extrinsecum est Sacrificio: aliæque plures sunt actiones, quibus intersunt Angeli, quæ Missæ nomen haud obtinuerint.* Notandum tamen Bonauenturam in eum Lombardi locum: non Angelum quemcunque exponere: *Cœlestis iste missus*, ait, *sicut exponit Innocentius, est magni consilii Angelus. Iste, inquam mittitur ad consecrandam: quia iste est Sacerdos inuisibilis, qui consecrat, & conficit hoc Sacramentum, vbicunq; conficiatur.*

XXXI. Veruntamen pars maior in eam abit sententiam, vt origo nominis sit à dimittendo populo; quod bis fiebat: primum enim dimittebantur Catechumeni, & quibuscunque non liceret interesse sacris mysteriis: postea iterum vniuersus populus omnibus perfectis. Augustinus sermon. 237. de tempore: *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis: manebunt fideles.* Vide oppositionem; fit illis Missa: isti manebunt. Quis locus ambigendi? Isidorus Originum lib. 6. cap. 19. *Missa tempore sacrificii est, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Leuita, Si quis Catechumenus remansit, exeat foras. Et inde Missa: quia Sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur.* Alcuinus de diuinis officiis, capit. 11. *Vel Missa vt Isidorus dicit, dicta est ab emittendo. Tempore enim quo Sacerdos incipit consecrare corpus Dominicum, dicendum est à Diacono post Euangelium, Si quis Catechumenus est, procedat foras. Et qui tunc emittuntur Catechumeni ab Ecclesia qui non debent interesse sacris mysteriis, eo quod non sunt perfecti.* Idem cap. 40. *Finitis omnibus adstantes & obseruantes populo ab ostio datur, inclamante Diacono, Ite Missa est. Missa ergo nihil aliud intelligitur: quàm dimissio, id est absolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus esse pronuntiat, cum populus à solenni obseruatione dimittitur. Vnde & Missam Catechumenorum canones dicunt, quoniam post Euangelij lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria, quibus nullum nisi baptizatum interesse licet: tunc enim clamante Diacono, iidem Catechumeni mittebantur foras. Missa ergo Catechumenorum fiebat ante actionem Sacramentorum. Missa fidelium post confectionem & participationem eorundem Sacramentorum.* Innocentius tertius de mysteriis Missæ lib. 6. c. 12. *Officium diuiditur in Missam Catechumenorum, & fidelium Missam. Missa Catechumenorum est ab introitu vsq; post offertorium, & dicitur Missa ab emittendo: quia tempore quo Sacerdos incipit Eucharistiam consecrare Catechumeni foras de Ecclesia emittuntur. Missa fidelium est ab offertorio vsq; post communionem. Et dicitur Missa à dimittendo: quia tunc ad propria fidelis quisque dimittitur.* Acquiescunt Bellarminus, Suares, Vasques, Croquetius, Scortia, Lindanus.

XXXII. Ex his facile est iudicare, quam peruerse hoc nominis hodie tantum non adoretur; certe præferatur aliis omnibus: cum tamen ad hoc Sacramentum nuncupandum sit omnium ineptissimum, & indignissimum, Vtpote desumptum à nulla essentiali parte: imo omnino à nulla parte eius mysterij. Non enim à materia siue remota, siue propinqua: non à forma: ne à ritibus quidem tum materiæ, tum formæ additis: non ab vllo effectu. Vnde ergo? Tantum à re omnium maxime accidentali; cuiusmodi dimissio est plebis. Cum Eucharistia, si minus à materia, si minus à forma saltem propinqua; quandoquidem contineat esum & potum, diserte præceptum. Adde Cœnam vocabulum Apostolicum, atque ab initio Ecclesiæ: Eucharistiam si minus inde, at certe haud ita multo post. Et quisquam nos hodie damnet, qui sumpta occasione ab abusu crassissimo, prorsusque ab Ecclesia remouendo, remouimus vocabulum non Catholicum; quia Latinis proprium: recentius, quia ab quarto duntaxat seculo: denique indignissimum, ineptissimum? Nam quid tum si Catholici partes admiserunt: Nec nobis quidem cura fuisset amouere, si permansisset innoxium, nihil habens præter consuetudinis popularis tyrannidem, cuius maximum in nomina.

XXXIII. Repete & vrgeo. Missa id significabat, quod fiebat ante Sacramentum: & id rursus quod fiebat post absolutum Sacramentum Rursus: Si Missa est siue Sacramentum siue Sacrificium: At hoc falsissimum? quia Catechumenis non licebat adesse siue Sacramento, siue sacrificio: vno verbo, mysteriis: Ergo & illud. Sic est Papistarum ὁ θησαυρὸς ἄνθρακες. Sic illi pro carnibus venantur vmbram.

Cap. III.

De aqua miscenda.

I. Actum est de nominibus breuiter: neque enim tantum erat momentum vt aut seuerius discrepantes: aut prolixius disputantes pateretur. Sed de re huius siue Cœnæ, siue Eucharistiæ, siue Missæ, infinitus, vt ita dicam labyrinthus est quæstionum, immensa controuersiarum vehementia. Locos distinxerunt Papistæ duos: vt primo agant de Eucharistia quatenus Sacramentum est: deinde quatenus Sacrificium: quam distinctionem & nos seruare oportebit: etsi commentitiam. Tum autem in Sacramento primo quicquid externum; post quicquid internum. Illud quicquid corporeum est, sensibileque complectitur. Illud quicquid spirituale & diuinum. Priori capite continentur Sacramenti elementa; & horum vsus.

II. Elementa Eucharistiæ gemina sunt, non numero tantum, sed etiam genere disparata, panis & vinum: quorum ille solidus est, & ad cibum pertinet; hoc vero liquidum & seruit potui. Vnde non tantum materia remota designatur, sed etiam propinqua constat. Nam institutio diserta est apud Matth. 26. *Edentibus eis accepit Iesus panem: & quum benedixisset; fregit, dedit que discipulis, & ait, Accipite, comedite: hoc est corpus meum. Et accepto poculo, ac gratiis actis, dedit eis dicens, Bibite ex eo omnes: Hoc est enim sanguis meus.*

III. Consentimus vtrique & si duo sint signa; ac proinde formæ duæ, tamen esse vnum Sacramentum: ea videlicet significatione, qua olim diximus per Sacramentum significari non signum peculiariter: sed actionem quandam sacram. Nam alioqui scimus & apud Græcos ἀντίτυπα dici plurali numero; & apud Latinos Sacramenta. In Liturgia Basilij προσθέντες τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου, *Proponentes antitypa sacri corporis & sanguinis Christi tui.* Nazianzenus oratione 11. εἴ τι που τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος, ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν; *Si quid vspiam antityporum pretiosi corporis ac sanguinis manus reconderat.* Gelasius aduersus Eurychen, *Sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi diuina res est.*

IV. Verum nihil obstat, quo minus quæ secundum eam notionem duo dicuntur Sacramenta, id est signa; eadem secundum aliam conficiant vnum Sacramentum: vnde nobis confirmatum olim duo tantum Christiana esse Sacramenta, vnico nomine designatum siue Cœnæ, siue Eucharistia Nec res difficilis; Nam Cœna id habet, vt constet ex cibo & potu, & tamen vnum sit conuiuium, nimirum aggregatione. quomodo vna domus ex fundamento, parietibus, & recto imo vna Ecclesia ex multis fidelibus; siue ex laicis & clericis. Quare quicunque Scholastici de hoc capite litem mouerunt, etiam suum misere corruperunt.

V. In elementorum materia remota, quam vocant; damnantur ab vtrisque Artotyritæ, qui teste Augustino in hæresibus panem offerebant & caseum: Cataphryges & Pepuziani, qui *Sacramenta perhibentur funesta habere*, inquit Augustinus, *Nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemq; inde facientes.* Denique Aquarij, qui teste Alfonso de Castro, pro calicis consecratione asserebant non esse apponendum vinum, sed solam aquam. *Et* certe nemini hominum permittendum est institutioni Dominicæ tam proterue contradicere.

VI. Sed cum Papistis habent Catholici duo capita disputanda: vnum de aqua, alterum de genere panis & vini. Nam illi vino consecrando admiscent aquam; quanquam exigua quantitate. Quæ diligens cautela est; propter miras difficultates obiectas transsubstantiationi quam negant posse fieri ex aqua, nisi mediante vino: cui nulla vis est, propter nimiam aquam, quod sentiunt Potores bibuli media de nocte falerni. *Quando ergo prodominatur vinum* (verba Bonauenturæ recito) *soluitur species aquæ: & cum soluta est, & conuersa in vinum: & sic conuerti potest. Non enim conuerti potest nisi panis vel vinum.* Itaq; digna canonibus cura est visa: vnde Thomas artic. 8. quæst. 74. part. 3. citat. Extra. de celebratio. Missarum, *Perniciosus in tuis partibus inualuit abusus, videlicet quod in maiori quantitate de aqua in Sacrificio ponitur, quàm de vino: cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum.*

VIII. Volunt autem adhiberi non ex integritate Sacramenti, sed ex congruitate; atq; adeo non omitti sine peccato mortali. Verba Bellarmini, *Ecclesia Catholica semper credidit, ita necessarium esse aquæ vinum misceri in calice, vt non possit sine graui peccato omitti.* Quin etiam addit, vtrum sine aqua Sacramentum consistere possit, non esse adeo certum: nulla addita nihilominus dubitandi ratione. Sed contra Soto, *Appositio aquæ non est de necessitate Sacramenti.* Et olim Bonauentura quæst. 3. dist. 11. quarti sententiarum, *Dicendum, quod de integritate Sacramenti huius sunt quatuor: scilicet materia & forma, & ordo, & intentio consecrantis. De congruitate autem &*

bene esse, sunt quæ sunt his annexa: neq; ergo cur non sit aliquid horum, non est de necessitate: sed annexum est materiæ; scilicet vino, quia adiungitur vino : & in ipsum conuertitur. Thomas art.7 quæst.77 part.3. *Consequens est quod appositio aquæ non sit de integritate Sacramenti.* Biel lectione 35. in Canonem: *Aquæ admixtio non est de necessitate Sacramenti, licet sit de necessitate ministri consecrantis,* Cui assertioni conficiendæ adhibuit argumentum: quia alioquin qui obliuione aut ignorantia omisisset, non excusaretur. Quia Græci dicantur aquam non apponere, & tamen conficere, Item, quod quicquid est de necessitate Sacramenti remaneat, vel secundum substantiam, vel secundum accidens; quorum neutrum fit in aqua; cuius & substantia transit in vinum: & neq; odor neque sapor remanet, Quod nullo id Euangelio legatur aqua apposita. Quod quicqnid est de substantia Sacramenti efficiat, quod figurat: At aqua nihil; quoniam neq; corpus Christi verum: neq; mysticũ. Hæc illi Verum suos Papistæ morbos curanto si velint, aut possint. Qualemcunq; tamen necessitatem disputarunt Bellarminus de Eucharistia lib. 4. cap. 10. Suares sect. 2. disput. 45. Gregorius de Valentia punct. 1. quæst. 2. de Eucharistia, Dominicus Soto in 4. distinct. 9. quæst. 1. art. 6. Alphonsus de Castro contra hæreses lib. 6. hæresi 7. de Eucharistia. Colonienſe Enchiridium. Vasques disput. 176.

VIII. Nostri vix hanc disputationis partem attigerunt: excepto quem viderim Chemnitio in canonem nonum Tridentinum de Eucharistia: parte secunda examinis. Sic autem sentimus. rem esse mere indifferentem: ideoque libere vsurpandam, omittendam: dum ne turbetur ordo Ecclesiæ. Tantum ergo reprehendimus in Papistis, quod nullo præeunte verbo Dei peccata & quidem mortalia fingant. Nam si possent aliorum Christianorum libertatem tolerare, nihil esset hac quidem in re, quod cum eis verbum commutaremus: fortasse ne discessissemus quidem: vt qui non solcamus in rebus huiusce generis aut Ecclesiam occupare: aut adeo nobis laborem creare. Sed profecto liberanda semel fuit Ecclesia hoc immanis tyrannidis iugo: quæ sibi nihil relinquit inausum: nullam omittit vel tantillam occasionem impotentes dominandi superstitiosis conscientiis.

IX. Præcipuum illis argumentum est ab vsu perpetuo Ecclesiæ cuius colligunt infinita testimonia, iam ab ipsis primis repetita Patribus. Sed hæc nulla nos latent: nulla negantur. Tantum opponimus, inde non sequi vllum necessitatis genus, quo creatur peccatum. Viddlicet cũ a nullius Patris, nullius Concilij sit autoritas diuina: sed tantum Ecclesiastica: cum rerum agendarum potest ordinem, & εὐταξίαν dirigere, cum qua nihil habet hæc aqua commune. Itaq; ne fatiganto seipsos congerendis locorum plaustris.: Nam qui scimus antiquissimum morem lactis & mellis fuisse gustandi in Baptismo: postea tamen abrogatum fuisse, persuaderi non poterimus quicquam humani additamenti necessarium esse Eucharistiæ celebrandæ. Habent mentem nostram: desinant esse importuni.

X. Rationes addunt. Earum prima hæc esto, ex facto Christi. Dominus vinum aqua mixtum consecrauit. Igitur & nos ita facere debemus.

XI. Respondeo primum negari consequentiam. Nam in Cœna lauit pedes Christus: & nemo tamen concludit id faciendum sub pœna peccati mortalis. Imo consecrauit vespere & post Cœnam: quod tamen etiam prohiber Ecclesia Romana. Rursus consecrauit accumbens mensæ: quod iamptidem nemo facit. Antecedens ergo contrahendum, vt intelligantur ea facienda in huius Sacramenti celebratione, quæ in eo facta sunt a Christo non per accidens; sed propter ipsius Sacramenti plenitudinem: ad quam neque lotio pertinet, neque vespera, neque accubitus: ac ne hæc quidem aquæ mistio.

XII. Deinde; antecedens non certo constat; itaque Soto sic proposuit. *Quia sic Christus probabiliter creditur consecrasse.* Imo Concilium Tridentinum Canon. 8. *Quid Christum Dominum ita fecisse credatur.* Et sane nullum aquæ vestigium in vllo institutionis loco: Atqui ex antecedente tantum verisimili, non potest argumentum vllum certum educi.

XIII. At Bellarminus contra. Antecedens illud non minus certum esse, quam quod Dominus vinum consecrauerit; non siceram, aut aquam solam. Videamus igitur, inquam, quid potuerit Bellarminus doctius somniare quam Soto. Ratio hæc est illi. Ex Euangelio, & Paulo expresse non habetur, nisi calicem sanguinis propinatum: nulla addita mentione vini Eucharistici.

XIV. Verum id præter desperationem nullum habet momentum. Nam legimus, *Non bibam de hoc genimine vitis: donec illud bibam nouum in regno Dei.* Nam quod negat Sophista pertinere ad calicem Eucharistiæ; papistice facit, non sincere; & refutatur nõ tantum ex Euangelistis, præcipue ex Marco, sed etiam à Maldonato. Tum autem alias à nobis examinandũ erit. Itaq; certum, à Domino fuisse vinum adhibitum: non ita aquam,

XV. Et vero ratio solet afferri. Sobrietas, & mos patrius: quibus si quod inest pondus id pertinet ad promiscua conuiuia; in quibus periclitari sobrietas poterat; & mos publicus violari. Sed neutrum in Sacramento. Etenim quantitas ipsa cauet sobrietati satis superque. Mos autem nullus vnquam aut Iudæis aut aliis vllis gentibus fuit Sacramentum hoc celebrare: quod tunc primum instituebatur.

XVI Secunda ratio: quia de latere Domini exiuit sanguis & aqua, Ioannis decimo nono. Nos autem in calice representamus sanguinem hunc effusum. Cum igitur repræsentetur in calice id quod fluxit ex latere. At fluxit ex latere sanguis & aqua. Ergo non solo vino, sed etiam aqua repræsentatur.

XVII. Respondeat pro me Bonauentura quæst. 3. distinct. 11. quarti, *Dicendum, quod per aquam illam, non signatur aqua ista, nec è conuerso: sed aqua illa, aquam Baptismalem signat,* Quæ sententia confirmatur multis Patrum autoritatibus, de quibus actum, cap. 5. lib. 4. Instat Bellarminus: aliud esse repræsentari & significari; aliud repræsentare & significare: sed autem non dicere, sanguinem & aquam significasse mixtionem vini & aquæ? sed significari potius per hanc mixtionem. Sed præuiderat. Bonauentura versutiam: itaq; dixerat nõ significari, nec è conuerso. Et sane æque vtrumq; infirmum est, nec nititur nisi autoritate Bellarmini.

XVII. Secundo, fallit Bellarminus ab accidente. Nam verum quidem est repræsentari sanguinem Christi fusum ex latere. Et verum sanguinem fluxisse cum aqua: sed non verum repræsentari sanguinem & aquam. Ratio, quia Christus non iussit: nec post Christum quisquam potuit. Simile: Per panem repræsentamus corpus vt crucifixum. At hoc corpus crucifixum fuit spinis coronatum: nec tamen spinas quicquam est, quod repræsentet.

XIX. Tertio respondeo aliud proponi, aliud concludi: quod vix puero dignum. Debuit enim hoc modo ratiocinatio confici. Quicquid fluxit è latere, repræsentatur in calice. At sanguis & aqua repræsentatur in calice. Ergo sanguis & aqua repræsentatur in calice. At Sophista pro ista conclusione, conclusionem aliam reponit. Ergo non solum vino, sed etiam aqua repræsentatur: cum de vino nihil esset actum in antecedente.

XX. Quarto dico, sanguinem & aquam ex latere Christi, repræsentari per calicem vini: itaque nihil opus esse aqua. Ratio antecedentis non est obscura: quia æque aptum est vinum repræsentandæ aquæ illi, ac sanguini. Videlicet; quia repræsentatio est in fluxu, & potu: nimirum vt bibendum nobis exhibeatur id quod fluxit ab illo diuino latere: æque autem vtrumque occurrit in vino: Nec quisquam in hoc est, quod magis referat sanguinem illum, quam aquam illam. Et sane si nos oportet bibere vtrunque illud quod exiit de latere; ne potest, nisi seorsim vtrumque repræsentetur scilicet per vinum & aquam. Ergo aquam istam oportet esse de necessitate Sacramenti: contra quam Papistis definitum.

XXI. Tertia ratio. Mysterio Eucharistiæ significatur vnio Christi cum Ecclesia. Id autem aptissime fit, cũ admiscetur aqua vino. Vinũ enim Christum, aquæ populos significant, Probatur hæc ratio autoritate, Cypriani, Iulij Papæ, Eusebij, Isidori, Rabani, & Conciliorum Bracarensis, ac Tributiensis.

XXII. Respondeo concedi antecedens: sed prudenter conclusionem esse à Bellarmino occultatam: quia nulla possit inde elici. Et primum, non est necesse omnia in Euchatistia vsurpari, quibus significari potest ea vnio. Significatur enim per Baptismum: in quo Paulus testatur nos induere Christum. Eusebius Emissenus homilia quæ est Dominica prima in quadragesima, *Qui per Baptismi Sacramentum eius corpori vniti sunt.* Et Pelusiota Epistola 195. lib. 3. etiam συσσώμους ait Christo fieri per Baptismum. Vnimur ergo per Baptismum Christo. Vin tu igitur Cœnæ Baptismum admisceri?

XVII. Deinde nego per mistionem aquæ significari vnionem nostram cum Christo. Ratio, quia neque naturaliter, neque ex institutione diuina. Nam institutionem humanam iampridem præscriptum in Sacramentis momenti nihil obtinere. Esse ex institutione diuina nemo docet. Nisi forte traditores fuerint Euangelistæ, traditor Paulus; qui hanc tam vtilem partem reticuerint. Non naturaliter, quia alioquin quoties in conuiuio etiam prophano miscetur aqua vino; toties significatio illa obtineret; quod est falsissimum.

XXIV. Sed aquæ, aiunt, populos significant. Semperne, inquam, an aliquando? Nam fateor aliquando, vt Apocal. 17. *Aquæ quas vidisti vbi meretrix sedet, populi sunt & turbæ, & gentes & linguæ.* Sed doceat me aliquis siue veterum Patrum; siue recentium Papistarum; quodnam sit hoc conclusionis genus; si semel, aut fortasse iterum, aqua significet populum. Ergo & in Eucharistiæ Sacramento. Nam cur nõ etiam in Baptismo? Tum autẽ non aqua, sed aquæ: nam hæ multæ sunt: & turbulentæ; itaq; possunt populos significare: sed hæc aqua exigua est, & diserte cautum, *Semper tutius est, parum de aqua apponere,* quæ verba sunt Dominici: non potest ergo populum significare. Quid? quod nunquam inuenias per aquas significari populum fidelem: quo tamen nunc opus?

XXV. Denique, quod opus significari hoc modo populi vnionem cum Christo; quæ multo melius, & quidem ex institutione Christi significetur per communionem; id est hauriendo vinum? Consuluerint sane sibi vafre, qui communionem detraxerunt; vt saltem pictura reliqua fieret populo, quomodo is qui pane non poterat liberos salutare, saltem fistula delectabat: sed qui cauent ne Christi violent institutionem, allegoricam hanc non quærunt coniunctionem, cum realem obtineant.

XXVI. Quarta ratio: Quia Calix Eucharistiæ non solum figuratus fuit in Veteri Testamento per vinum: sed etiam in aqua quæ fluxit è Petra.

XXVII. Respondeo, nego sequi adhibendi aquam fuisse Eucharistiæ: Nam similiter, panis Eucharistiæ significatus fuit: non solum per manna panem cœlestem: & per panes propositionis, sed etiam per agni paschalis carnes. Ergone pani Eucharistico adhibendæ carnes fuere? Augustinus docuit nihil obstare quo minus vt variis vocabulis, sic diuersis multiplicibusq; signis eadem res significetur. Sed nunquam tamẽ docuit, quoties res eadem significatur, omnia debere conglobari, siue verba siue signa.

XXVIII. Quinta ratio: Quia Eucharistia est cibus ac potus spiritualis: Ergo dari debuit sub specie cibi & potus corporalis. At hic potus maximè conueniens naturæ humanæ, est vinum aqua admixtum, vt docet.

XXIX. Imo etiam vinum purum est potus corporalis maxime conueniens humanę naturæ, exhilarans cor hominis. Tum autem vino addi aquã, duntaxat copioso, q̃ in hoc Sacramento, nullum est, vt aqua carere potuerit facile. Deniq; aquam misceri vinõ non minimam: sed vix pauciorem vino, maxime iis regionibus vbi institutum hoc fuit Sacramentum. Itaq; Papistæ discesserunt à naturali ratione potus, cui nos voluerunt subiicere.

XXX. Sexta ratio: Ad significandam duarum naturarum in Christo vnionem. Quam rationem ponit Nicephorus lib. 18 cap. 50.

XXXI. Sed quid opus fuit, inquam, in hoc Sacramento designari hanc vtriusque naturæ in Christo coniunctionem? Vbi Christus instituit? Quis iussit Apostolus? Atqui non est pium omnia percurrere scriptorum somnia, conuertentes in Eucharistiam. Nec tantus Theologiæ Nicephorus autor, vt quicquid scripserit, pro oraculo habeatur. Quid? quod non vident ineptiam Papistæ? Primo, quod signum nobis hic homonymum obtrudunt, ideoque non determinatum, ac proinde incertum; etenim hanc eandem mixtionem iam dixerunt denotare vnionem populi cum Christo. Deinde periculum hæreseos cur pro nihilo habent? Non enim quocunque modo naturæ humanæ vniuntur in Christo: sed ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, contra Eutychianos: atqui aqua vino sic vnitur vt misceatur: & si Papistis credimus, etiam mutetur in vinum. Quid igitur obstat quo minus Eutychi faueant, qui tam alte somniare didicerunt? Sic merentur decipi, qui suis imaginibus plus æquo fidunt.

CAP.

CAP. IV.

De Azymo & Fermentato.

I. ACcedo ad qualitatem materiæ, in qua controuersia est de Pane azymo, & fermentato; hoc est debeatne Panis ad Eucharistiam assumi fermentatus, an potius sine fermento. Disputatur apud Democharem lib. 4. cap 25. Alphonsum de Castro de Eucharistia, hæresi 2. Dominicum Soto in 4 distinct. 9. quæst. 1. artic. 4. Croquetium 129. Scortiam libro de Missa 4 cap. Bellarminum de Eucharistia lib. 4 cap. 1. Suarem disput. 44. sect. 3. De Valentia tomi 4. disput. 6. punct. 1. Vasquen in 3. disput. 172. 173. & 174. Disputauit etiam Marcus Antonius de Dominis lib. 5. de Rep. Ecclesiastica, cap. 6 § 258 & deinceps.

II. Græci vtuntur fermentato. Hieremias Constantinopolitanus responso 1. ad Confessionem Augustanam cap. 10. ὀφείλει ὄντως δηλαδὴ ἔνζυμος εἶναι ὁ ἄρτος, καὶ οὐκ ἄζυμος, *Vt panis sit fermentatus, non absque fermento.* Et responso 2. cap. 4. προσφέρομεν δὲ οὐκ ἐν ἀζύμοις ἀλλ' ἐν ἐνζύμοις· ὅ ἐστιν ἄρτος ἐν ἀληθείᾳ, *Offerimus porro non azymis, sed fermentato: quia hic re vera panis est.* Et extat tomo 6. Antiquarum lectionum Canisii Epistola Michaelis Constantinopolitani ad Ioannem Cannensem Episcopum; & Niceræ Pectorati scriptum, in quibus aduersus Latinos hæc res disputatur animose.

III. Etsi autem vtrique illi scripto atrocissime respondent Humbertus Episcopus Syluæ Candidæ: tamen Latinorum sententia moderatior est definientium ad naturam Sacramenti nihil interesse azymo vtaris an fermentato. Itaque Græcos hæreticis annumerari testatur Alphonsus de Castro, non quod in fermento conficiant: sed quia sic conficientes putent in azymo non posse confici. Cui accedit Gregorius de Valentia, *Græci*, inquit *in eo quod vtuntur fermentato non sunt schismatici, sed propterea quod putant non nisi in fermentato posse & debere Sacramentum confici.* Hoc tamen posito addunt, necessitate præcepti Ecclesiastici obligantis sub peccato (verba sunt Gregorii de Valentia) debere esse azymum in Ecclesia Latina, & fermentatum in Græca: siue quando Eucharistia celebratur ritu Ecclesiæ Latinæ debere esse azymum: quando autem ritu Ecclesiæ Græcæ, fermentatum.

IV. Nos itidem sentimus: & vtrouis pane confici sacramentum posse: & retinendum cuique esse suæ Ecclesiæ morem. Verum addimus primo, optimum esse, omnes Ecclesias etiam hac parte conformes esse, tum testandæ vnionis gratia, tum vt infirmiorum conscientiæ consulatur. Deinde optimum videri & proximum instituti sacramenti scopo, vsurpari fermentatum. Itaque hoc potius vtimur, paucis Ecclesiis exceptis; quibuscum non est propterea nobis non vnanimis consensus. Quo argumento constet, ne à Papistis quidem nos fuisse recessuros, si non alio longe periculosiores errore coegissent.

V. Hic igitur status est quæstionis Catholicos inter & Papistas; Vtrum sit conuenientius; panem azymum vsurpare, an potius fermentatum. Nam hunc Papistæ præferunt: nos vero illum malumus: & tanto malumus, quanto illi confidentius azymi prætextu deuenerunt tandem ad non panem; sed farinacea folia; quæ neque panis formam habent; neque pro pane vnquam vsquam gentium fuere vsitata.

VI. Nobis prima ratio est: cum nusquam nisi panis mentio sit; nulla addita circunstantia; panem intelligi vsitatum & communem. Sic enim solere tum Scripturam, tum vulgus hominum: vt panem quoties peculiariter notare volunt extra ordinem, nec vsu communi tritum; aut nomen proprium vsurpent, aut addant epitheton. Sic Geneseos 16 quia לחם non panis est ordinarius, sed quoddam panis genus subitarium; quod Græci dixerunt ἐγκρυφίας; Latinus reddidit *panes subcineritios.* Nam alias quoties Panis absolute nominatur (nisi forte circunstantia obsit) non alius intelligitur quam ordinarius. Sic Geneseos 18. Melchisedec proferentem panem & vinum, nemo somniauit vsum azymo. Nec me necesse est locos huic similes colligere, qui occurrunt innumeri. Constat autem azymum panem fuisse extraordinarium, nec vulgo vsitatum. Itaque cum eius fuit initiendus vsus, peculiari præcepto opus fuit, vbi non panis nominaretur absolute; sed peculiariter ille designaretur qui careret fermento. Cuius testimonium est luculentum in institutione Paschatis Exodi 12.

VII. Cum ergo in Eucharistiæ Sacramento non nisi panis absolute vsurpetur; nunquam autem panis azymus; sufficienter nobis concluditur, non tantum nullum genus panis excipi: sed etiam illud potissimum indicari, qui sit in vsu maxime. Vt cum legimus Esaiæ 58. *Frange esurienti panem*; nullum nos quidem panis genus excipi credimus: sed existimamus tamen eleemosynis maxime aptum esse communem panem. Hæc igitur prima causa est, cur putemus præponderare panem fermentatum.

VIII. Addimus ipsam Sacramenti naturam, quæ est in significanda communione nostra cum Christo, per similitudinem alimenti corporei. Quæ significatio tum maxime efficax est, cum typus sumitur, cui maxime congruit alimenti ratio. Hæc autem magis congruit fermentato, propter vsum communiorem: quæ ratio seruata in vino est. Nam etsi aqua aptissima sit potui: tamen vinum est vsitatius.

IX. Tertio, panis azymi vsus ex præcepto pertinebat ad ceremonias Iudaicas: quæ omnes antiquatæ sunt in Nouo Testamento. Itaque cum huius Sacramenti celebratio sit pars Testamenti Noui, oportuit in eo hanc aboleri circunstantiam.

X. Huic argumento Bellarminus respondet. Non esse Iudaizare, vti iisdem rebus cum Iudæis, dum non eodem ritu, aut ad eundem finem. Itaque azymo vti ad Sacramentum Eucharistiæ, & significandam Christi puritatem & sinceritatem, quæ fuit, & fit, non esse Iudaicum. Alioquin non fore vtendum aqua in Baptismo, quæ adhibebatur Iudaicis purificationibus: imo ne fermentato quidem: quum idem Iudæi vterentur eo, vt patet Leuitici 7. & 23.

XI. Sed non respondet. Non enim vsum diximus: sed vsum ex præcepto: cum eripitur libertas in vtramque partem: & alterutra sancitur sub peccato. Possunt autem suis institutis varia prætexere superstitiosi homines: sed omnia illa factum non excusant. Itaque Paulus simpliciter damnat eos: qui subiiciunt sese elementis inanibus. Nec Eustathiani olim excusari, cum abstinerent cibis communibus: etsi alio fine, quam Encratitæ. Nec Papistæ etiam accusant Nicolaismi, qui Sacerdotibus vxores hodie permittunt: etsi longe aliam permistendi causam habeant. Et tamen ita esto sane. Liceat interdum alio fine, aliove ritu, iisdem vti instituris cum populo Iudaico: ast vnum quærendum restat, vtrum solennibus, sed tamen præter autoritatem diutnam. Nobis enim persuaderi non potest.

XII. Baptismi, & fermentati longe alia ratio. Nimirum, quia Iudæi, tum aqua, tum fermentato non vtebantur tanquam Iudæi, sed tanquam homines: id est ex vniuersali iure pertinente ad omnes homines: cum azymo vsi sint tanquam Iudæi. Itaque nihil prohibere potuit, quominus aqua Baptismo adhiberetur non ex Iudaismi instituto: sed ex vniuersali more lauandi aqua, quæcunque impura sunt. Et similiter fermentum Eucharistiæ, quod omnes vbique terrarum fermento vtantur ad corporis alimentum: vt nulla Iudaismi ratio possit esse suspecta.

XIII. Addimus quarto, in vniuersa veteri Ecclesia nulla prorsus apparere vestigia vsurpati communiter azymi in huius Sacramenti celebratione. Vnde ne aduersarii quidem, quicquid impenderint diligentiæ, vltra Anselmum, aut certe Gregorium potuerunt ascendere.

XIV. Nam quod vnicum habuerunt ex Epiphanio testimonium in Ebionitis, non puto ab iis bene expensum. Vasques, *Epiphanius plane testatur ritum in azymo consecrandi ab Apostolis & eorum successoribus seruatum fuisse.* Et repetit, quasi totidem verbis legisset, *Quod sane non solum de Latina, sed etiam de Græca Ecclesia intelligit quando hunc ritum Apostolis, & eorum successoribus tribuit.* Quid ergo ille tam disertum legit in Epiphanio? quos Apostolos? quos Apostolorum successores? En tibi, Μυστήρια δὲ ἄγουσι πλῆθος κατὰ τὸν μιμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπ' ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ ἀζύμων· καὶ τὸ ἄλλο μέρος δι' ὕδατος μόνης, *Mysteria faciunt ad imitationem sanctorum in Ecclesia ab anno in annum per azymos: & alteram mysterii partem per aquam solam.* Atqui hæc verba, præter quam quod de Apostolis nihil, aut eorum successoribus; ne loquuntur quidem de perpetua mysteriorum celebratione, sed annua duntaxat, ἀπ' ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτόν. Quomodo cum Papistæ Cœnam Domini nominant, nihil aliud habent in animo, quam semel recurrentem quotannis solennitatem. Sicut ergo, cum in hac pedes lauant, non id referunt ad celebrationem Eucharistiæ, sic non sequitur, quum quotannis semel azymus vsurparetur, id factum ex Sacramenti ingenio. Quid? quod ambiguum vtrum illa sanctorum imitatio ad azymum pertineat, an ad annuam solennitatem tantum? Hoc sensu; vt dicantur imitati sanctos in eo, quod de anno in annum celebrarent; etsi id haberent proprium, vt in azymo? Et ita videtur colligi ex altero membro, quod est de aqua.

XV. Papistæ obiiciunt primo Christi factum; de quo prolixe disputant aduersus Græcos. Hi enim contendunt vsum Christum fermentato: & hoc vt obtineant, enixe disputant anticipasse tempus Agno edendo constitutum. Id est, decima tertia Luna comedisse; cum esset comedendus decima quarta. Vnde inferunt vsum fermentato, quia non fermentati vsus inchoaret tantum decima quarta. Papistæ diligentissime disputant contra hanc anticipationem: & suo legitimoque tempore celebratum fuisse id Paschæ festum, cum exterminaretur ab vniuersa Iudæa fermentum. Quare isto Christum non esse vsum. Itaque consultius esse vti azymo.

XVI. Aduersum nos intempestiua disputatio est de anticipatione, quam ne verisimilem quidem putamus. Persuaderi enim non possumus tam manifeste legem fuisse violatam in re maximi momenti, à quo videmus curiosissime obseruatam in minoribus. Lex autem erat diserta, vt non ante 14. Lunam fieret solennitas: nec fieret, nisi in azymo. Alio tamen modo docti anticipationem factam docent: nempe, quia mos fuerit apud Iudæos festa concurrentia in continuos duos dies, copulari in posteriorem: Itaque tunc temporis Pascha incidens in decimam quartam Lunam feria quinta, sub vesperam, cum inchoaretur Iudæis sexta, translatum in Sabbatum cui initium Iudaicum à vespera feriæ sextæ, quæ erat Luna decima quarta. Tunc igitur Christum neglexisse Iudaicam consuetudinem; & rediisse ad legis præscriptum, exacteque obseruasse Lunam decimam quartam. Certo enim certius est, ex Euangelistarum narratione, postridie Iudæos celebrasse, quam Christum.

XVII. Sed hæc anticipatio nihil obest azymis. Itaque nos sane fatemur Christum, etiam in hoc capite, legem exacte obseruasse; exterminato scilicet fermento ex sua familia. Neque enim fit verisimile, qui in illo capite nollet violatam legem, in altero voluisse scandalo esse omnibus.

XVIII. Quid igitur ad argumentum Papisticum regerimus? Hoc facillimum: fuisse vsurpatum azymum peraccidens, sicut agnum: nempe ex temporis circunstantia? Quare, quomodo non est necesse agnum adhiberi, sic neque azymum. Sic in Baptismo, lotus est in flumine, non quia necesse esset, sed quia Ioannes lauaret in flumine. Obuio igitur pane vsus, non autem peculiari, propriaque diligentia apparato in vsum Sacramentalem; docuit & nos obuio vti. Bene Suares, *Constat iure diuino neutrum horum esse præceptum: quia solum Christi factum non satis est ad inducendum præceptum. Nam licet consecrauerit in vino albo, verbi gratia, aut hora noctis, non ideo præcipit nos ita consecrare.*

XIX. Secundum argumentum Papistarum: quia panis azymus significet puritatem & sinceritatem corporis Christi: vel eam quam habere debent, qui ad Sacramentum accedant. Rationem addit Vasques. Siquidem panis azymus nullam omnino patitur corruptionem: contra vero fermentatus, hoc ipso quod fermentatur, aliquo pacto corrumpitur. Vnde Suares obseruat Paulo dictum 1. ad Corinth. 5 *Epulemur, non in fermento veteri, sed in azymo sinceritatis & veritatis.*

XX. Hæccine igitur legitima regula est, vt quicquid habere poterit aliquid mysterii, id conuehatur in Eucharistiam? Atqui nobis certum in eo Sacramento, vt in reliquis, nihil esse posse mysterii, nisi quod institutio iusserit; quæ nullius hominis esse potest; ne omnium quidem simul hominum. Itaque, vel hæc μικρολογία nobis videtur sontica causa amouendi huius moris: ne vel aliis, vel nobis ipsis hanc audendi licentiam indulgeamus.

XXI. Sed enim azymus puritatem significat. Atqui primo; quis iussit in pane tantum puritatem affectari, & non in calice? Nam profecto, sanguis Christi purus ac sincerus: atque ad eum qui accedit minime tolerandus impurus. Cur ergo vino miscetur aqua? Nam ita fieri vinum impurum nemo ignorat. Et testatur Scriptura, Esaiæ 1. *Vinum tuum*

mistum est aqua. Quod si in vino subtilitas est intempestiua, magnum quid sibi Papistæ imponunt, probatum in pane esse necessariam.

XXII. Deinde puritatem corporis Christi quomodo significari dicitis? Antene quam facta sit consecratio; an postea? Nam ante, quomodo, cum nullum sit Sacramentum; ac proinde non corpus Christi? Postea autem non potest, cum nihil sit azymi: quia nihil panis. Nam, vt sit azymus, non est, credo, accidens sine subiecto remanens, vt color, odor, sapor, quantitas, reliqua. Imo, quid fermentum nocere potest? Nam substantia est quædam panis: quandoquidem eius pars est. At si panis nullus, profecto neque fermentum: ideoque post consecrationem semper azymus erit: quia fermentum in aura abierit: & tunc puritati suus futurus locus. Nisi forte somniatio hæc est, & nihil amplius.

XXIII. Tertio, quomodo puritas significetur accedentium, neque ego video, neque Sophistæ dignati sunt docere. Atqui non de nihilo mihi scrupulus. Etenim rationem oportebit eandem esse panis ad τὸ ἄζυμον, quam accedentis ad puritatem: & alternate; panis ad accedentem, quam τὸ ἄζυμον ad puritatem. Quomodo ergo τὸ ἄζυμον typus est puritatis, ita panis accedentis. Atqui nunquam erat auditum inter Theologos panem esse typum nisi corporis Christi.

XXIV. Tertiam rationem Suares Laconice concipit; panem azymum magis esse immunem ab omni corruptione. Sed explicatius Thomas: Fermentum habet aliquid corruptionis: & ex pane corrupto non potest confici hoc sacramentum. Posset itaque tanta esse corruptio fermenti, quod ex eo non posset confici sacramentum.

XXV. Atqui similis ratio in altera specie: Ipsi enim docent tantum posse infundi aquæ, vt non possit fieri sacramentum. Et tamen non excluserunt aquam: sed cautelam adhibuerunt, vt minimum aquæ admisceretur. Cur non hic? Interea patet infirmitas argument: Etenim, cum possit esse vel tantundem periculi in aqua, vel æqualis cautela in fermento: profecto vel aqua debuit itidem exterminari: vel fermentum itidem permitti. Sed non hic solum patefacit ipsa sese Papisticæ Theologiæ inconstantia.

XXVI. Veruntamen, corruptionem quam intelligunt, quaso? An quæ ipsum panem corrumpat, vt desinat esse panis: an quæ aliquo modo alteret naturam materiæ, vnde fit panis? Etenim, si hanc, concedimus sane aliquid esse corruptionis in fermento: sed hanc negamus mutationem officere sacramento: alioqui negamus vnquam fieri posse sacramentum. Etenim triticum ipsum, quandiu manet triticum, non potest fieri panis: nec potest aptus esse consecrationi. Cum ergo necesse sit non manere triticum; etiam necesse est corrumpi: ac proinde in omni pane, semper est aliquid corruptionis: nec tamen propterea omnis panis ineptus consecrationi.

XXVII. An igitur confugient ad alteram corruptionem? Atqui negamus in fermento vllam esse corruptionem, quæ possit efficere vt non fiat panis: nisi quæ sit fortasse, vt ipsum desinat esse fermentum: quo casu cessat Sophistarum subtilitas: nam si desit esse, nihil dabit fermentatum. Sed in omni fermento, quæ corruptio intelligitur, eam oportet esse, quæ fermento constituendo necessaria sit. Atqui hæc nunquam panem destruit.

XXVIII. Fallor? an immunem a corruptione Suares dixit eum panem, qui difficilius corrumpi queat, postquam factus est panis? Sed nos negamus azymum sic difficilius corrumpi: quum potius experientia quotidiana sit in oppositum. Tum autem in Eucharistia metus nullus: quæ nonnisi in vsu consistat præsenti: quod suo loco disputaturi sumus, Deo dante. In vsu autem præsenti nullum periculum eiusmodi corruptionis. Cur enim in pane potius, quam in vino? Itaque quomodo vinum, quod tamen facillime corrumpi queruntur, non iusserunt exsclare, sic neque fermentum debuerunt.

XXIX. Quartam rationem ex Anselmo Suares itidem mutuatur: quia panis azymus facilius, purius, ac decentius conficitur: Nequid vero breuius Suares, quam Anselmus ipse: vt nemo possit, aut axiomatis tam dissertiveritatem intelligere: aut vllam consequentiæ necessitatem concipere.

XXX. Facilius, aiunt, conficitur azymus. Ita est, inquam: quia prius fermentum conficiendum, post ex eo panis. Sed quid? putamusne instituendo sacramentum, pistor am instituisse, & iussisse tum fieri panes, in procinctu, cum essent consecrandi? an potius factis, paratisque vsum? Nempe etiam facilius aqua paratur quam vinum: & tamen aquam non assumpsit; sed vinum: denique quanto facilius vinum conficitur quam panis? Et non sunt ridiculi, qui has subtilitatum quisquilias conquirunt?

XXXI. Purius ac decentius. Atqui id vel ad naturam panis ipsius pertinet, vt azymus, quatenus panis sit purior ac decentior fermentato: vel ad religionem; vt azymus sit aptior religioni Christianæ, quam fermentatus. Illud fateor me non posse concipere. Et si conciperem, negarem tamen ad Eucharistiam pertinere. Hoc vero simpliciter nego: quia ad religionem nullus panis pertinet, nisi sacramentalis: quatenus videlicet consecratus. Itaque omnis eius puritas, & decentia pertinens ad religionem, pendet a consecratione; quæ, cum non sit aut alia aut fortior in azymo, non potest etiam maiorem puritatem decentiamve conflare.

XXXII. Supersunt rationes duæ, quas miror a nostris Sophistis omissis. Vnam habet Anselmus: alterum Humbertus de Sylua candida. Ille ita dixit: In diuina per ea, quæ digniora cognoscimus, exsequi debemus: cum Sacrificium de quo agitur, de panis siue azymi siue fermentati substantia, constet esse celebrandum, quem panem digniorem æstimamus ad faciendam dominici corporis veritatem, nisi illum quem vetus lex elegit ad significandam, & Euangelium ad exhibendam eandem veritatem?

XXXIII. Sed primum repeto signorum sacramentalium nullam dignitatem esse, nisi a consecratione: itaque azymum consecratum nihilo esse dignius fermentato consecrato: solumque dignitatis discrimen esse inter consecratum, & non consecratum: ideoque digniorem esse fermentatum consecratum, azymo non consecrato & contra. Deinde nego, azymum aut in veteri lege assumptum ad significandam Christi veritatem: aut in noua ad exhibendam. Non in veteri; quia nullum eius rei extet vestigium: nam azymus paschæ, notum est, quid significarit. Non in nouo, quia nusquam scriptura dixit panem azymum fuisse delectum: sed simpliciter vsurpatum, ex præsenti temporis circunstantia, colligendum reliquit.

XXXIV. Humberti ratiocinatio sic habet. Quod passio & mors Christi conuenientius annuntietur azymo quam fermentato, ex hoc comprobatur, quod Dominus ipse azymo discipulis memoriam sui agendam tradidit. Et, quod in lege panis afflictionis dicitur: vt per hoc præmoneamur affligere animas nostras, & pariter offerre Sacrificium Deo spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum; illud Apostoli recolentes, *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operemini.* Et, *Si compatimur & conregnabimus.*

XXXV. Respondeo negari mortem Domini conuenientius annuntiari azymo. Ratio negandi, tum quia nulla institutionis parte insinuatur; tum quia, vt iam aliquoties dictum; signorum conuenientia nulla, nisi a consecratione.

XXXVI. Confirmationes sunt inutiles. Nam Christum tradidisse memoriam sui agendam azymo, si factum illud indiuiduum significet, conceditur sane: sed negatur quicquam concludi; vt alias dictum: sin autem legem in posterum, hoc vero ne Papistæ quidem concedunt. Spiritum contribulatum, nego Christum voluisse nobis significatum per azymum: sed tantum in Veteri Testamento: cui sunt eiusmodi figuræ relinquendæ non reuocandæ in Christianum vsum. Tum autem non in Eucharistia sola offerendum eiusmodi contribulati spiritus sacrificium: sed tota vita. Cur non ergo concludunt superstitiosi homines tota vita vsurpandum azymum? Quod si horrent; quid habent, quo quenquam vigeant? Neque enim verum toties vtendum azymo, quoties eius officii sumus admonendi.

CAP. V.

De Consecratione.

I. A Remota materia panis & vini, transimus ad propinquam, quæ describitur eorum vsu; quem ex Institutionis verbis sic habemus. *Edentibus eis accepit Iesus panem: & quum benedixisset, fregit deditque discipulis & ait, Accipite, comedite: hoc est corpus meum. Et accepto poculo: ac gratiis actis dedit eis dicens, Bibite ex eo omnes: hoc est enim sanguis meus Noui illius Testamenti, qui pro multis effunditur.* Ex quibus verbis audimus primum agi gratias: deinde dari elementa accipienda, vtrunque secundum suam naturam, nempe panem frangi, & edi: vinum distribui & potari: tradi autem a Christo, accipi a discipulis.

II. Inde quæstiones de consecratione elementorum: tum eorundem vsu externo, cuius multa capita sunt futura.

III. Notauimus olim consensum communem, elementa ex quibus sacramenta constant, res esse naturales, a se ipsis nihil habentes quo fiant sacramenta: itaque necessariam institutionem esse qua fiant quod non sunt. Id generaliter dictum, est in Eucharistia verissimum. Itaque Augustinus contra Faustum libri 20. cap. 13. *Noster panis & calix certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamuis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis.* Ambrosius de iis qui initiantur cap. 9. *Non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit.* Et 4. de Sacramentis, 4. *Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione.* Consecratio igitur vocabulum est solenne significans id quo fit, vt hæc signa visibilia, quæ per se profana sunt, & aliena a mysteriis religiosis, fiant sacramenta corporis & sanguinis Christi: siue sint corpus & sanguis Christi.

IV. De hac consecratione disputarunt: Bellarminus de Eucharistia libri 4. cap. 12. 13. & 14. Salmero tomi 9. tractat. 13. Suares de Sacramentis disput. 58. Gregorius de Valentia de Eucharist. a quæst. 6. Vasques in 3. Thomæ disput. 197. Claudius Sanctesius Repetitionis 7. cap. 5. De capite Frontium Archiepiscopus Cæsariensis tractatu de necessaria correctione Theologiæ Scholasticæ. Croquetius Catechesi 130.

V. Papistas vehementer exercuit hæc palæstra, distractos in varias opiniones. Fuere qui nullis verbis Christum dicerent consecrasse, sed absoluta potestate, & voluntate, vel tactu, vel aliquo signo externo. Huius sectæ autores nominantur Innocentius tertius, Innocentius quartus, Franciscus Maironis, Gabriel Biel, Godefridus Pictauiensis, Guillelmus Durantius Mimatensis, Ambrosius Catharinus.

VI. Alii omnino aliquibus verbis Christum vsum volunt. Sed nonnulli hæc nobis incognita dixere; cui sententiæ autorem nullum Suares assignauit; sed Archiepiscopus ille Cæsariensis Albertum commentariis super Euangelium. At contra plerique omnes verba consecrationis expressa dixerunt in institutione apud Euangelistas, & Paulum assignaruntque ista, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Sed hoc ipsum varie.

VII. Fuere enim qui bis prolata in agitarentur: semel secreto, nempe antequam panem acciperet, daretque discipulis: & iterum clara voce prout ab Euangelistis recitantur. Autor notatur Stephanus Episcopus Heduensis. Alii semel tantum dicta, prout semel ab Euangelistis recitata: sed nonnulli negant ab Euangelistis seruatum ordinem rerum: Christum enim ea verba protulisse ab initio, cum notatur benedixisse. Alii vero sic protulisse diuinarunt; vt ab initio consecrationis pertingerent ad finem distributionis: id est prolationem durasse, dum Christus benediceret, frangeret, & daret. Hanc ille Cæsariensis imputat Thomæ. Rursum Scotus & Caietanus tenent eundem fuisse ordinem rerum, & narrationis apud Euangelistas: sed consecrasse Christum, non dum benedixit, sed cum dedit. Denique alii dicunt sine vllo ordine omnia simul a Christo facta fuisse, dictaque: sed non potuisse Euangelistas semel omnia narrare, *Hanc,* inquit ille Cæsariensis, *opinionem aliqui nunc apud nos Theologi sequuntur.* Sic numerantur omnino septem opiniones.

VIII. Necdum finis tamen. Superest enim gemina dissensionis occasio, quam vtramque describam ex illo Cæsariensi. De capite fontium, *Est igitur alia quæstio, an solis quatuor verbis, Hoc est corpus meum, fieri consecratio possit. Hic iterum in duas dissecti sunt opiniones. S. Thomas & illius opinionem sequentes tenent quod sic. Scotus tenet oppositum, dicens opus esse aliis verbis, per quæ Christi verba ad materiam applicari declaretur. Scoti opinionem sequuntur Angelus in summa Angelica: Pelbartus in Rosa in Theologia. Landulphus in quartum. Mathu[illegible] us Bretius, Dorbellius, & multi alii, qui aiunt verba, quibus Christi verba ad materiam applicari significatur, esse benedictionis Ecclesiæ verba, quibus petitur vt oblata munera panis & vini fiant corpus & sanguis Christi. Hanc opinionem sequuti sunt Theologi Colonienses in suo antididagmate contra Lutherum. & Lindanus Episcopus in sua Panoplia, & Catharinus in duobus de hac materia libellu R[i]-*

bellis Romæ ab eo editis. Colonienses & Lindanus tenent cum Angelo & Pelbarto, quod nihil omnino fieret, si quis sola verborum prolatione sine Ecclesiastica prece consecrare attentaret.

IX. *Rursum alia agitatur inter Scholasticos quæstio: An verba Christi materialiter, an vero significatiue in consecrationis forma sumantur. Hic iterum magna reperitur opinionum diuersitas. Bona pars tenet, quod materialiter sumantur: sed diuisi hi inter se sunt: quia dicunt, quod materialiter tantum sumantur: alij vero quod simul materialiter & significatiue, vt diuus Thomas & sui sectatores: alij quod partim materialiter, partim significatiue. Sunt alij, qui ea significatiue tantum accipi asserunt, vt Marsi ius in quartum. Innocentius autem tertius & Innocentius quartus, & Glossa in canonem, Timorem, de Consecratione distinctione 2. tenent quod materialiter tantum sumantur: quos sequuntur multi ex Scholasticis; vti Durandus, Godefridus Pictauiensis, Maioris, Brulefer, Picus Mirandula, Gabriel Biel, Catharinus. Qui vero ea significatione sumi asserunt, diuisi sunt in tot varias opiniones, vt vix eas numerare sit. Certe Guido Brianzonus super quartum sententiarum numerat nouem; & suam adiicit, quæ decimam facit.*

X. Sic omnino oportuit, nec aliter potuit iis accidere, quibus solenne est subtilitate ipsos sese pascere, aliis illudere. Hodie modestiores videntur facti: & omnes docere, illa tantum verba, quæ formalia dicunt, siue Sacramentalia pertinere ad consecrationem. Sic enim Bellarminus, sic Suares, sic Vasques, sic de Valentia. Veruntamen Salmero etsi hanc sententiam non improbet; tamen alteram longe prolixius demonstrare conatus est: & iis verbis, vt facile constet eo inclinare, vt consecratio amplior sit, quam vt iis tam paucis verbis contineatur. Concilium Tridentinum rem vniuersam silentio prætermisit: vt solet pleraque alia inter suos controuersia.

XI. Nos in eo sumus, vt Consecrationem distinguamus à forma Sacramenti, vt totum à parte. Consecrationem dicimus esse in tota Christi institutione: vt quicquid ille fecerit ad eam pertinens, nosque iusserit facere, eo ipso consecrari credamus Sacramentum; ne exclusis quidem Ecclesiæ precibus; quibus idipsum à Deo postulatur fieri, quod ea institutione continetur. Formam non diffitemur illis verbis contineri, quibus effectum consecrationis indicatur, nempe vt panis fit corpus, calix vero sanguis Christi. Quod cum nulla alia verba designent præter hæc, *Hoc est corpus meum; Hoc est sanguis meus*; haud est difficile concludere, his tantum contineri formam Sacramentalem; id est, illud peculiare discrimen, quo fit, vt panis iste, calix iste longe sit alius ab alio quocunque pane, & calice. Sed hoc ipsum discrimen ab his duntaxat fieri, non possumus concedere.

XII. Itaque in Sacrosanctæ Cœnæ solennitate religiose obseruamus, vt & preces concipiamus ad Deum, rogantes vt quæ Christus sanctificauit nobis prosint ad salutem: & recitemus ad verbum primam huius Sacramenti institutionem ex Paulo: cui recitatæ attexinus exhortationem ad præsentem populum, vt nec ignoret quid acturus vocetur, & accedat ita dispositus, vt tanto dignum est mysterio.

XIII. Quare Ioannis Albini cap. 8. lib. 1. de Sacramento altaris impudens calumnia est disputantis aduersum nos, quasi Consecrationem panis damnantes; & opponentis aliquam multos veterum locos, qui vel consecrari dicunt elementa, vel verbis diuinis mutari. Adeo manifestum est nihil istis Sophistis esse pensi dum odiose declament aduersum nos. Potuit ille quidem in nostros incidisse improbantes magicam illam vim quam Papistæ verbis ipsis tribuunt, quasi iis indita quædam potentia mysterium peragat; & aliter operetur, quam per significationem in animis humanis; eaque atque adeo haud alia notione consecrationem nominant. Sed longe aliud est huius absurditatis detestatio, quæ absurditas nulli venit vnquam in mentem Catholico, nedum Veteribus: aliud ipsius consecrationis improbatio; quam Consecrationem non potes tollere; nisi vel simul Sacramentum tollas, vel dicas esse naturale: quorum vtrumque æque absurdum.

XIV. Sed è nostra sententia video tria disputanda. Vnum, quod institutionem sumamus ex Paulo: alterum quod totam sumamus pro institutione: tertium quod totam alta voce pronunciemus ad populum. Duo prima reprehendit Sanctesius in hunc modum. *Redarguuntur*, inquit, *quod in suis cœnis iam non recitent institutionem Domini ex Euangelistis, à quibus est edita sed contra omnium Christianorum morem, & omnium liturgiarum ritum, Apostoli Pauli de Cœna narrationem seligant, & per eam panem & vinum consecrent. Deinde quod toti institutionis enarrationi consecrationem deberi opinentur, quasi verba ista Christi solennia, Hoc est corpus meum, non sufficiant.*

XV. Sed in priori cap. quæsiuit cacoethes potius ansam calumniæ, quam solidæ quicquam disputationis. Nam illud quid est, *In primis obseruandum desertores Ecclesiæ tam impotenti odio in illam exarsisse, vt omnes ausi fuerint ab Euangelistis descriptam institutionem repudiare, & ei suę ponere quidnis aliud.* Mitto desertores Ecclesiæ; mitto impotens odium in Ecclesiam, qui canini latratus sunt, non vllæ accusationes sani hominis: illud vero, repudiasse descriptiones Euangelistarum; non iam caninum est, sed diabolicum: substituisse quiduis aliud, non tam in nos contumeliosum, quam in Paulum blasphemum. Enimvero quis pudor est, quia Paulum legamus, ideo à nobis Euangelistas repudiari? Aut quid si nos dicamus quia apud Papistas Euangelistæ leguntur, ideo Paulum repudiari? Imo verius, quia neque Euangelistæ leguntur neque Paulus, Ergo & Euangelistas, & Paulum reiici? Toleretne Papista modestia: aut etiam Sanctesianus furor?

XVI. Habet tamen pro argumento in Ecclesia contra factum; vt ex Euangelistis potius recitatio esset, *Constat*, inquit, *etiam à Iustino Martyre ad nos vsque verba adhibita ad consecrationem Eucharistiæ nominatim à Scriptoribus repeti ex ipsis Euangelistis, & non ex Paulo. Ambrosius id aperte indicat. Nam recitans Missæ canonem ait omnia illa verba Euangelistæ sunt, vsque ad, Accipite, siue corpus siue sanguinem: inde verba sunt Christi, Accipite, bibite ex eo omnes. Certe ex quarta Catechesi Cyrilli Hierosolymitani apparet, quod cum Catechumeni seu recenter baptizati instituebantur de Eucharistia, textus Apostoli de Cœna proponeretur, quasi de lectione publica exponendus, & quasi esset religio ipsamet Euangelistarum verba in vulgus edere, ac non potius pro mysteriis colere, & ad ipsa referunt.*

XVII. Imo falsum supponit Sanctesius. Nulla enim recitatio fuit vnquam institutionis sumpta ad verbum ex vllo Euangelista, sed ex tribus, atque ex Paulo concinnata, additis etiam nonnullis, quæ visa non extra rem. Experimenta hæc sunto. Liturgia Petri. Ὃς πρὸ μιᾶς ἡμέρας τοῦ πάθους αὐτοῦ λαβὼν ἄρτον εἰς τὰς ἁγίας καὶ ἀχράντους χεῖρας αὐτοῦ, ἄρας τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν πρὸς σὲ τὸν θεὸν καὶ πατέρα αὐτοῦ τὸν παντοδύναμον, σοὶ εὐχαριστῶν εὐλόγησεν, ἔκλασεν ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ λέγων, λάβετε, φάγετε· τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. Ὁμοίως καὶ πάλιν μετὰ τὸ δειπνῆσαι λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ εὐχαριστήσας εὐλόγησεν, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς, λέγων πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου· τοῦτο ὁσάκις ποιῆτε, ἐν τῇ ἐμῇ μνήμῃ ποιεῖτε, *Qui pridie eius diei qua passus est, accipiens panem in sanctas & immaculatas manus suas, oculosque in cœlum leuans ad te Deum & Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens, Accipite, comedite; Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Similiter rursum postquam cœnatum erat, accipiens calicem & gratias agens benedixit, dedit sanctis suis discipulis, dicens, Bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus. Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facite.* Variant in nonnullis aliæ Liturgiæ, Marci, Iacobi, Basilii Chrysostomi. Denique Canon Romanus sic habet, *Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas: & eleuatis oculis in cœlum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, dedítque discipulis suis, dicens, Accipite & manducate ex hoc omnes; Hoc est enim corpus meum. Simili modo postquam cœnatum est accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas; item tibi gratias agens benedixit, deditque discipulis suis, dicens, Accipite & bibite ex eo omnes: Hoc est enim calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis.*

XVIII. Iubeo Papistas aduertere; primo, nullas liturgias iisdem prorsus verbis hanc institutionem primam recitare: sed omnes variare. Habet illa Petri, *Qui pridie eius diei qua passus est*: & Canon Romanus, *Qui pridie quam pateretur*. At Marcus, τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδου ἑαυτὸν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, καὶ τὸν ὑπὲρ πάντων ὑφίστατο θάνατον σαρκί, *Qua nocte tradebat seipsum pro peccatis nostris, & mortem pro omnibus subibat carne*. Basilius, τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδου ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, *Qua nocte seipsum tradidit pro mundi vita*. Chrysostomus, τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο, μᾶλλον δὲ ἑαυτὸν παρεδίδου ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. *Qua nocte traditus est: imo potius ipse se tradidit pro mundi vita*. At Iacobus omisit. Est autem particula sumpta à Paulo; apud quem legas, ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο, *qua nocte proditus est*. Nam Euangelista Matthæus & Marcus habent, *Et edentibus eis*

XIX. Rursus; liturgiæ coniungunt εὐχαριστεῖν & εὐλογεῖν; quod nullus Euangelista fecit. Etenim Matthæus & Marcus habent εὐλογήσας: Lucas & Paulus, εὐχαριστήσας. Λαβὼν omnes dixerunt, tum Euangelistæ, tum Paulus: at Liturgiæ addiderunt, manus ἁγίας, ἀχράντους; ἀμώμους, ἀθανάτους. Omnes item Græci habent, Τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ἡμῶν κλώμενον, *Hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur*: quod manifeste sumptum ex Paulo. Denique illud, *Hoc quotiescunque feceritis*, in Latino Canone, in Liturgia Petri, & Iacobi, & Basilii, à nullo est Euangelista sed à Paulo, à quo etiam Marci Liturgia descripsit; *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem meam annuntiate.*

XX. Quorsum istæc? nempe manifesta res est; mentitum Sanctesium, qui non nisi ex Euangelistis recitatam institutionem ausus asserere: cum neque eorum vllus propositus fuerit à quo solo describeretur; & tribus fuerit admistus Paulus. Quid ergo nos peccauimus? qui in iis omnibus religiosiores non sumus ausi ipsi seorsim narrationem tessellatam contexere: quia maluimus ab Spiritu Sancto contextam desumere?

XXI. Nec vero non frustra Iustini, Ambrosii, Cyrilli nominibus confidit; quorum nemo dixit solis Euangelistis locum fuisse, nullum Paulo. Iustinus, οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν, ἐντετάλθαι αὐτοῖς τὸν Ἰησοῦν, *Nam Apostoli in Commentariis à se scriptis, quæ Euangelia vocantur ita tradiderunt præcepisse sibi Iesum.* Vere: sed num quia Euangelistæ tradiderunt, Paulus non tradidit? Tum autem, si sic tradiderunt; num ab iis solis repetitam oportuit in Liturgiis institutionem?

XXII. Ambrosius scripsit, *Omnia illa verba Euangelistæ sunt, vsque ad accipite*. Nec negare possumus ita legi. Sed ô Sophista; ergone non Pauli? Atqui res est contra. Lege ipsam Ambrosii narrationem, *Dicit Sacerdos: Fac nobis* inquit, *hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem, quæ est figura corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Qui pridie quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad cœlum, ad te Sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit; fractumque Apostolis suis & discipulis suis tradidit, dicens, Accipite, & edite ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur.* Sic habet Ambrosius: quam tu recitationem, siue institutionis totius, siue ipsorum Christi verborum si doceas acceptam κατὰ λέξιν ex vllo Euangelista, tum tibi ego permittam non alios Ambrosio nominatos Euangelistas dicere, quam Matthæum, Marcum, & Lucam.

XXIII. In Cyrillo Alexandrino, deficiunt me verba, quibus audaciam exagitem Sanctesii. Textum Pauli solitum fuisse proponi quasi de lectione publica; religionem fuisse Euangelistarum verba in vulgus edere, & non pro mysteriis colere. Proh fidem! hæc apud Cyrillum esse: hæc ex Cyrillo erui? Dixerit Sanctesius; alias crebro mentiri solitus. Ne credito si quis non fuerit emotæ mentis. Tum autem quis nescit apud Veteres crebro legi in arcanis habita verba illa, in quibus dicitur esse forma Sacramenti? Sed quæ apud Euangelistas sunt potius, quam quæ apud Paulum, nemo ante Sanctesium somniarat; nemo post Sanctesium credidit. Nec vero tunc attinuisset ad Cyrillum, cui res erat cum baptizatis, non cum Catechumenis. Illis autem erant omnia patula.

XXIV. Sanctesius ergo disputauit impudenter. Nobis nihil admodum remoti prætenditur, aut arcani. Credidimus institutionem inserendam celebrationi in quo habemus adstipulatores omnes Veteres, quorum liturgiæ eam habent solennem obseruationem. Hoc posito selecta est Pauli narratio. Causa; quia nec omnium poterat Euangelistarum recitari: & à nobis nouam conferruminari, minus erat authenticum: magis etiam expositum calumniis aduersariorum. Itaque ea selecta, quæ plenior

visa, non

visa, non tantum rei ipsius narratione, sed etiam necessariis admonitionibus: cuiusmodi, sine controuersia, Paulina est.

XXV. Nec sperauimus posse merito quenquam conqueri reliquas esse neglectas. Non enim inter se ita committendi sunt autores sacri, vt vnius honor aliis deroget. Alioquin quid Veteribus erit veniæ, qui neque Euangelistarum narrationem vsurparunt neque Pauli: & multa inseruerunt extrinsecus; quæ fortasse non nocuissent, si non fuissent adiecta?

XXVI. Non potuit hæc simplicitas placere Sanctesio. Itaque impugnauit mirificis argumentis. Apostolus nec Cœnæ rem gestam proponit, tanquam pro legitima consecrationis formula, nec totam historiam institutionis probat, aut affirmat esse sanctificandi panis veram & perfectam rationem: neque de eo inter Corinthios lis erat: sed de rei natura, & Eucharistiæ veritate atque substantia, quam vt definiat ex Dei mente, ad institutionem prouocat. Neque Apostolus insistit vllo pacto in Institutionis prolatione, aut omissione; neque in consecratione panis, aut consecrationis sermone: quia id non erat positum in controuersia: sed vrget de panis consecrati esu & diiudicatione, vt intelligatur quid ex institutione intenderet decidere & componere. Præterea in sacramentorum confectione non ipsa institutionis narratio forma est consecrationis, sed hæc ex verbis in ipsa institutione traditis, & ad hoc præscriptis peti debet. Etenim aliud est verbum institutionis Baptismi, aliud verbum quo accedente ad aquam, celebratur Baptismus. Ad Baptismum ministrandum, non rite depromuntur institutionis verba, *Euntes in mundum vniuersum docete omnes gentes*: aut, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: sed apta forma iuxta regulam huius institutionis exhiberi debet. Eodem pacto statuere oportet de legitima Eucharistiæ consecratione, vt ipsa verbis ab institutione traditis perficiatur, sed non ipsamet institutione. Sit ita, vt Apostolica narratione oculis etiam cernatur legitimus Cœnæ vsus, qui sub Apostolis viguerit: an propterea licebit scriptum eius Euangelistarum monumentis anteponere? An satis est Cœnam ad Apostolos, an non potius ad ipsum Christum eius autorem referre? Sufficiat sane ad efformandam religionem, videre qualiter Cœnam Domini Apostoli agitarint: si tamen licet & ipsum Christum sua verba resonantem, & Cœnam suam instruentem, quasi in præsentia spectare, & oculatos testes eius Euangelistas audire, an non ad credendum plenius afficit, & ad persuadendum aliquem aculeum relinquit? Cur ergo hoc omisso ad aliud recurretur?

XXVII. Descripsi prolixiorem orationem, quam solidiorem disputationem. In qua triplex argumentum expedio: vnum à scopo Apostoli: alterum à differentia consecrationis, & institutionis: tertium ab autoritate Apostoli. Prima hæc vis est. Non disputat Paulus de legitima consecrationis formula: sed de veritate ac substantia Eucharistiæ; deque panis consecrati esu & diiudicatione: Ergo ea Pauli narratio non est legitima consecrationis formula. Sed hæc negatur consequentia. Nam quia institutio Eucharistiæ, vniuersam eius naturam, substantiamque complectitur; eadem aut omnes, aut ferme omnes de Eucharistia quæstiones diiudicat. Itaque variis potest institutis deseruire. Enimvero contra Marcionitas Tertullianus disputat de veritate corporis in Christo. Contra Gnosticos Irenæus Christum esse Dei veri Filium. Contra Aquarios Cyprianus, non esse aquam solam offerendam: & omnes tamen his vtuntur verbis Institutionis: imo vero illis ipsis, quæ Sanctesius admittit pertinere ad consecrationem, & quidem sola: nec tamen iis vlla disputatio erat de legitima consecrationis formula. Satin inde constat, non propterea non esse consecrationis verba, quia non disputetur de consecrationis formula?

XXVIII. Alterum argumentum. Non ipsam institutionis narrationem, formam esse consecrationis: sed hanc peti à verbis in institutione traditis. Ridicule. Nam quid est forma consecrationis? Cui aliquando nominata? Nam Sacramenti formam dixerant hactenus omnes. Deinde quis dixerat ipsam narrationem institutionis formam esse? Enimvero ne ipsius quidem consecrationis narratio: aut etiam formæ. Et tamen neque consecratio, neque forma habetur nisi à narratione, siue Pauli, siue quam ille mauult Euangelistarum. Cæterum, siue consecratio, siue forma, Euangelistarum neque est, neque esse potest. Quid ergo nugatur Sanctesius? cur monstra fingit, quibuscum pugnet? Ad hæc formam qui signorum distinguunt ab institutione, tamen institutionis partem sciunt eam formam. Itaque vel formæ causa necessariam esse institutionis recitationem. Denique qui institutionem negat esse consecrationem; peccat τὸ ἐν ἀρχῇ.

XXIX. Nec nos sane aliter de Baptismo censemus: in cuius consecratione nihil effici posse putamus ab homine quoquam; sed à solo Christo: Itaque quicunque Baptismum administret, ei pronunciamus necessario proferendam esse institutionem repetitam ab ipso Christo: non enim aliunde posse. In distribuenda vero aqua, fatemur iis solis verbis locum esse, quibus exprimitur forma: quemadmodum & in distributione specierum Eucharistiæ. Sed nimirum aliud est signa distribuere, aliud consecrare. Quod imperite Sanctesius confudit.

XXX. In tertio argumento, quis furor, Euangelistis Paulum postponere? Quasi non æque Apostolum cum Matthæo & Ioanne? quasi non æque testem vniuersi Euangelii. Denique non hic diserte testantem se accepisse à Domino, quod tradidisset? Iustinianus in ea verba, *Non ille quidem cum ceteris Apostolis tanti mysterii institutioni affuerat: eius tamen rationem diuinitus acceperat. Et eam Corinthiis voce tradiderat.* Thomas, *Ego enim accepi à Domino, scilicet Christo, qui fit auctor huius doctrinæ, non ab aliquo puro homine: ad Galatas primo, Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum.* Et hæc cum ita sint, ab Apostoli narratione formulam institutionis desumere, erit subsistere in Apostolis, & non ad ipsum Christum autorem ascendere? Et qui ex Paulo audiat; non ipsum Christum audiat sua verba sonantem? Hoc Sanctesius, hoc Christianus quisquam potuit inducere in animum? Nugentur, ineptiant, somnient, blasphement, quantum volent, siue Sanctesius, siue Papistæ; at nos profecto quoties locum illum legimus ex prioris ad Corinthios vndecimo, toties Christum ipsum præsentem videmur videre; nec Apostolum cogitamus; sed ipsum illum Filium Dei, qui postridie eius institutionis pependit pro nobis. Et negamus plus aculei esse ad fidem faciendam; non tantum in Marco, & Luca; sed vel in αὐτόπταις, Matthæo & Ioanne.

CAP. VI.

De Verbis Consecrationis, argumenta Papistica.

I. VErum solennius disputatur alterum caput, & à pluribus Papistis; nam illud prius peculiaris furor fuit Sanctesii. Inclinant ergo plerique omnes Papistæ, ac præsertim Iesuitæ in eorum partes, qui hæc duntaxat verba dixerunt esse consecratoria; *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*. Vasques. *Catholica sententia est verbis illis, absque vlla alia oratione, perfici consecrationem panis & vini.* Argumenta excutiamus.

II. Primum est ab Ecclesiæ Latinæ traditione. Nam in ipso Missæ sacrificio, simul atque Sacerdos prædicta verba protulit, panem & vinum consecratum, tanquam verum corpus & sanguinem Christi populo adorandum proponit. Quod fit similiter in Ecclesia Græca, teste Bessarione, in libello de Verbis Consecratoriis.

III. Mitto de Adoratione dicere; cui paulo post suus locus erit: & respondeo, nullam esse vim argumenti: hoc est, etsi demum prolatis iis verbis, ostentetur panis & vinum tanquam mutatum, & adorandum; tamen non sequi iis solis verbis fieri consecrationem. Ratio manifesta, quia etsi idem sit mos Græcorum; tamen Græci in hoc capite distent à Papistis; & profiteantur consecrationem fieri non iis solis verbis. Marcus Archiepiscopus Ephesinus, ἡμεῖς ἐκ τῶν ἱερῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν διαδεξαμένων αὐτοὺς διδασκάλων τῆς ἐκκλησίας, τὴν τῆς μυστικῆς λειτουργίας ἔκθεσιν παρειληφότες, παρ' οὐδενὶ τούτων εὕρομεν ὑπ' αὐτῶν τῶν δεσποτικῶν ῥημάτων, καὶ μόνων ἁγιάζεσθαι καὶ τελειοῦσθαι τὸ τῆς εὐχαριστίας δῶρον, καὶ πρὸς αὐτὸ τὸ δεσποτικὸν σῶμα καὶ αἷμα μεταποιεῖσθαι, *Nos qui à sanctis Apostolis, eorumque successoribus doctoribus Ecclesiæ, mysticæ liturgiæ accepimus expositionem; apud neminem inuenimus ex ipsis dominicis verbis, iisque solis sanctificari & perfici Eucharistiæ munus; mutarique in ipsum dominicum corpus & sanguinem* Hæc ille: quanquam nullo teste opus fuit: cum aduersus Græcos hac ipsa de re iidem cogantur disputare, qui aduersum nos, Bellarminus, Vasques, Suares, alii.

IV. Præterea, Latina consuetudo non euincit vniuersale dogma; sed particularem duntaxat obseruationem. Nam, quid tum, si ab ea vnica pertendant Papistæ vniuersalem Ecclesiam pendere? Certe neque ab ea processit Spiritus, neque in eam desiit. Latina igitur Ecclesia suum Canonem ita ordinauit; vt ante institutionem recitatam precaretur, *Quam oblationem, tu Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, vt nobis corpus, & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi.* Ast aliis alius ordo. Nam in Liturgia Marci, post institutionem recitatam, interpositis nonnullis, precatur Sacerdos, emitti, ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τοὺς ἄρτους τούτους, καὶ ἐπὶ τὰ ποτήρια ταῦτα τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἵνα αὐτὰ ἁγιάσῃ καὶ τελειώσῃ ὡς παντοδύναμος θεὸς, καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα, τὸ δὲ ποτήριον αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος καὶ παμβασιλέως ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *super nos, & super panes & calices istos Spiritum Sanctum tuum, vt eos sanctificet & consecret tanquam Deus omnipotens: & faciat, panem quidem corpus: calicem autem sanguinem Noui Testamenti ipsius Domini & Dei & Seruatoris, ac Summi Regis nostri Iesu Christi.* Similiter in Clementis Constitutionibus, lib. 8. cap. 12. aliquanto post eandem Institutionem recitatam, atque in ea hæc ipsa verba, de quibus contentio est, καὶ ἀξιοῦμέν σε, ὅπως εὐμενῶς ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, *Ac te precamur, vt in hæc munera coram te proposita beneuole aspicias tu Deus nullius indigens*: καὶ εὐδοκήσῃς ἐπ' αὐτοῖς, *& beneplaceas in eis, in honorem Christi tui: & mittas super hoc sacrificium Sanctum tuum Spiritum testem passionum Domini Iesu*: ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου Turrianus reddiderat ad verbum, *vt ostendas*: sed in editione Parisiensi nouissima; mutatum est, *vt efficias panem hunc corpus Christi tui, & calicem hunc sanguinem Christi tui.* Chrysostomi Liturgia, eodem ordine, εὐλόγησον δέσποτα τὸν ἅγιον ἄρτον· ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου· εὐλόγησον δέσποτα τὸ ἅγιον ποτήριον· τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, *Benedicito Domine, sanctum panem. Facito hunc quidem panem venerabile corpus Christi tui. Benedicito Domine sanctum poculum: id autem, quod est in hoc poculo,* facito *venerandum sanguinem Christi tui.* Nec aliter Basilii Liturgia, vt non opus sit describere.

V. Hi omnes, post diserte pronuntiata illa verba, quæ sola libuit Papistis vrgere, precantur Deum, vt benedicat, vt consecret proposita munera: eaque faciat corpus & sanguinem. Quorsum, si iam confecta res fuerit? Nos quidem nihil interesse putamus, siue ante fiant preces, siue post: sed profecto non putamus potuisse post consecrationem factam, quenquam bonæ mentis adhuc precari vt fieret: neque id vnquam commissuros Papistas; etsi non prudentiores veteribus illis. Nos igitur censemus, qui ab initio confecerunt Canonem Latinum ne ipsos quidem superstitiose attendisse ordini: non enim desierunt postea precari: *Iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu diuinæ maiestatis tuæ*: quod est absurdissimum de ipso corpore & sanguine Christi: sed facile coniicimus posteriores iam dementatos scholasticis nugis noua quadam sibi subtilitate vidisse opus esse. Viderint ii quorum interest. Apud nos, neque priuata consuetudo canon est fidei: neque nouus error præscribere potest veritati.

VI. Secundum argumentum; exemplum Christi; qui non consecrauit vlla prece aut oratione, sed illis solis verbis: tametsi gratiarum actionem, & benedictionem præmiserit. Quo igitur fundamento, inquit Vasques, dici potest non solis verbis illis, sed addita etiam oratione consecrare debere, cum nomine Christi, & ad illius imitationem consecremus atque ille? Sic Vasques breuiter: sed fusius explicant Bellarminus & Suares.

VII. Nos negamus antecedens: & dicimus Christum tota illa actione consecrasse; hoc est, effecisse panem & vinum Sacramenta sui corporis & sanguinis. Atque adeo Suares ostendit inter ipsos Papistas esse varias sententias de gratiarum actione, benedictione, & consecratione. Primam; idem esse benedictionem, gratiarum actionem, & consecrationem: autores Thomam, Durandum, Marsilium, Gabrielem Bessarionem, Hugonem, Remigium, Brunum, Lyranum. Secundam; Gratiarum actionem & benedictionem, non

nem, non distingui inter se, sed à consecratione. In ea Bonauenturam esse; & Soto, & Armacanum, & Bedam, Glossam ordinariam, Caietanum, Titelmannum, Iansenium. Tertiam; benedictionem & consecrationem eandem esse: sed distingui gratiarum actionem à consecratione, ita sentiente Alano. Quartam sibi valde probabilem; benedictionem, gratiarum actionem, consecrationem omnes distingui. Vbi notandum, primum, non esse argumentum certum apud omnes Papistas: imo quartam dici tantum probabilem. Secundo, plures multos autores nominari primæ sententiæ; quam reliquarum, non tantum singularum, sed etiam omnium: nec plures tantum, sed etiam antiquiores, & celebriores.

VIII. Et vero consideremus argumenta. Benedictionem distingui à consecratione probat, primo, ex Concilii Tridentini his verbis Sessionis 13 cap. 1. *Redemptorem nostrum hoc Sacramentum in Cœna instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suum corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis, testatus est:* vnde concludit Christum verba consecrationis protulisse post benedictionem. Secundo, ex canone Missæ & omnibus Liturgiis, in quibus ante consecrationem semper benedictio aliqua præmittitur, veluti præparatio ad consecrationem. Tertio, id consentaneum esse narrationi Euangelistarum, & propriæ significationi illius verbi, facillimeque, ac sine vlla figura explicare contextum: nullumque habere incommodum. Denique verisimile esse, Dominum, ante operationem tanti mysterii, præparasse animos discipulorum, præmissa aliqua oratione, & inuocatione.

IX. Sed, primum, & secundum argumentum manifeste petunt principium: quam supponunt sola illa verba esse consecrationem. Nam alioquin concedimus benedictionem & gratiarum actionem præcessisse illa verba: quod testantur, tum Euangelistæ ac Paulus, tum omnes Liturgiæ. Verum, si tota actio fuit consecratio; totius autem actionis hæ partes fuerunt: Ergo falsum est has partes præcessisse consecrationem; sed verum inchoasse: quæ nostra sententia est.

X. Etsi autem in Concilio Tridentino non sit multum momenti; tamen ex eo nihil tale colligitur: atque adeo De-Capite-Fontium, ex eiusdem verbis iisdem, tanquam proprio fundamento, disputat, consecrationem à Christo peractam ante prolationem formalium verborum. Locum recito, *Hic nunc dispicio quid ex his sequatur verbis*, nempe illis Tridentinis, *Primo, video sequi Christum benedictione consecrasse. Neque enim sequeretur post consecrationem esse verum Christi corpus, ex eo quod post benedictionem Christus testatus est se suum corpus præbere, nisi per benedictionem facta fuisset consecratio.* Sic ille, & plura alia in Epistola ad Sixtum quintum: item postea capite tertio. Vide quantum homo distet ab homine: ab Archiepiscopo Iesuita.

XI. In tertio argumento nihil perspicui: nisi idem peccatum peccetur, vt consecratio significet tantum illa verba. Nam alioquin nihil euincitur; nisi discrimen esse inter benedictionem; & illa verba. Sed nos longe aliud quærimus; nimirum, vtrum hæc sola verba sint consecratiua: quod neque narratio Euangelistarum docet, neque propria significatio verbi: vt propterea necesse sit vllam figuram induci.

XII. In quarto nihil est certi; sed tantum verisimile quid: cuius solet mensura esse cuiusque imaginatio, prout occupata est. Itaque potuit negligi. Sed tamen negamus necessariam fuisse vllam præparationem animorum ante consecrationem; sed duntaxat ante distributionem, siue sumptionem signorum: id autem fieri tota consecratione; ac proinde etiam gratiarum actione, benedictioneque.

XIII. Rursum probat Suares; probabilius videri gratiarum actionem fuisse distinctam à consecratione. Primo, autoritate Anselmi in Matthæi 16. & 1. ad Corinth. 10. dicentis aperte gratiarum actionem præmissam fuisse ante consecrationem. Item Theophylacti & Euthymii in Matthæum: Iustini Apologia secunda, qui diserte Christum ait actis gratiis dixisse, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Chrysostomi homil. 83. in Matthæum; & 28. in 1. ad Corinthios. Secundo, ratione. Nam gratiarum actio proprie refertur ad Deum, consecratio vero ad panem: Sunt ergo actiones distinctæ.

XIV. Sed Patrum illa nomenclatura frustra est, imo fictitia. Nemo est enim, qui consecrationem illis locis vel nominarit, nedum dixerit ei præmissam gratiarum actionem. Anselmi in Matthæum nihil est, quod huc pertineat. In priorem ad Corinthios hoc tantum, *Gratias egit Patri de reparatione hominum futura per passionem eius, ac per Sacramentum corporis, & sanguinis eius.* Theophylacti hæc: εὐχαριστεῖ δὲ μέλλων κλάσαι τὸν ἄρτον, *Gratias agit fracturus panem.* Euthymius, *Egit gratias, & nunc ante panem, & postmodum ante poculum.* Quid hæc ad disparationem consecrationis & benedictionis? Imo quid erat necesse, aut ex iis aut ex Iustino docere, quod multo certius liquet ex Euangelistis & Paulo, nimirum gratias actas ante panem distributum? Nam profecto Euangelistæ actas notant statim initio actionis. In Chrysostomo ad Corinthios quid legerit Suares, ipse viderit. In Matthæum hoc legi duntaxat, Εὐχαριστεῖ διδάσκων ἡμᾶς ὅπως δεῖ τὸ μυστήριον τοῦτο ἐπιτελεῖν, *Gratias egit, vt nos instrueret quomodo mysterium hoc facere debeamus.* Quid me oportet laborare? Nam ipsa verborum lectio, mihi est ἐναργεστάτη ἀπόδειξις.

XV. Nec ratio potentior. Actio gratiarum proprie refertur ad Deum. Fateor, inquam; sed nihilne ad panem pertinet? Vnde ergo Iustino, μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος? Et iterum, τὴν δι᾽ εὐχῆς λόγου εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν? Et apud Irenæum, cap 13. libri 4. *Eum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius?* Nisi forte venenum lateat in eo quod proprie referri dixit. Sed neminem id mouere debet: cum non grammatice quæramus eius verbi significationem: sed tantum quo sit sensu vsurpatum in hac institutione. Nec enim dubito, quin insolens apud Grammaticos phrasis Iustini, ἄρτος εὐχαριστηθεὶς: sed ille Theologice maluit.

XVI. Tertius Suari labor, Benedictionem panis, & gratiarum actionem, secundum proprias rationes & significationes, distinctas fuisse, quamuis simul, & fere vna & eadem actione perfectas. Probat eodem rursus argumento, quia gratiarum actio referatur ad Deum, benedictio ad panem.

XVII. Nobis superfluus est disputandi labor hac de re aduersus Papistas agentibus: quia perinde est, affirmes an neges diuersas esse, dum ne separes à consecratione: quæ cum non consistat in momento, debuerit habere partes distinctas; potuit etiam habere diuersas: puta primum gratiarum actionem ad Deum; deinde benedictionem signorum; denique clausulam indicantem quid ea tota actione effectum sit. Potest etiam fieri, vt benedictionem solam, cum ea clausula. Itaque Suari possumus suum otium permittere securi quamcunque in partem hæc res cadat.

XVIII. Veruntamen nos quidem aptius censemus gratiarum actionem; & benedictionem pro eodem sumi, id est, non differre in hac institutione verba Græca εὐλογεῖν καὶ εὐχαριστεῖν: vt Beza diserte notauit in Matthæum, *Hæc duo pro eodem vsurpantur, sicut hoc loco accipere necesse est: nisi velimus non poculum sed panem duntaxat fuisse consecratum.* Nec Caluinus omiserat, *Marcus*, inquit, *& Matthæus benedicendi verbo vtuntur: sed cum eius loco legatur apud Lucam verbum εὐχαριστήσας, in sensu nulla est ambiguitas.* Monuerat & Bucerus in Matthæum.

XIX. Sed habemus etiam Papistas συμψηφιζομένους, vt vim videas veritatis: eosque ne paucos; nec nullius nominis: iisdem armatos argumentis, quibus & nos vti necesse est. Itaque recitabo confidentior, in disputationis compendium. Maldonatus 26 Matthæi, *De verbo quidem εὐλογεῖν, benedicere, quo & Matthæus hoc loco, & Marcus de pane loquens vsus est, non dubium quin apud Euangelistas, idem sit quod εὐχαριστεῖν, quod proprie significat gratias agere. Nam quod hoc loco Matthæus & Marcus dicunt εὐλογήσας, post de calice loquentes dicunt εὐχαριστήσας, cum gratias egisset: & quod Matthæus & Marcus loquentes de pane, dicunt εὐλογήσας, Lucas & D. Paulus dicunt εὐχαριστήσας: & quod Matthæus de septem panibus & duobus piscibus scribens, dicit εὐχαριστήσας; Marcus de panibus dicit εὐχαριστήσας, de piscibus εὐλογήσας. & quod Matthæus, & Marcus & Lucas de quinque panibus dicunt εὐλόγησε, Ioannes dicit εὐχαριστήσας: & D. Paulus idem vocat εὐλογίαν & εὐχαριστίαν. Si, inquit, benedixeris spiritu ἐὰν εὐλογήσῃς πνεύματι, qui supplet locum idiotæ quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ?* Stapletonus Antidoto huius loci, *Sciendum est hæc duo verba, benedicere & gratias agere in Scripturis Euangelicis promiscue, & vnum pro altero quasi indifferenter accipi: quod non solum ex verbis huius mysterii iam citatis patet, sed ex vna sententia Pauli priore ad Corinthios decimoquarto.* Salmero tomi 9. tractat. 12. *Et benedixit Græce autem legitur, εὐχαριστήσας, id est, cum gratias egisset: quo verbo Lucas & Paulus vtuntur. Marcus vero & Lucas in fine Euangelii cum de benedictione panis loquuntur, alio verbo vtuntur, nempe εὐλογήσας, quod est cum benedixisset: atque ita hæc duo verba vnum & idem valent. Quod etiam alia ratione ostenditur; quia cum alibi apud Matthæum Dominus dicatur benedixisse quinque panibus & duobus piscibus; Ioannes tamen ait, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: vbi Cyrillus admonet, idem esse benedicere, quod gratias agere. Item in priori ad Corinthios dicitur calix benedictionis, cui benedicimus, id est, cui benedicendo Sacerdotes consecrant in altari, vt exponit B. Remigius ibidem. Et tamen idem Paulus cum dixisset de pane, Accepit panem & gratias agens fregit, confestim subiungit, similiter & calicem postquam cœnasset, scilicet gratias egit: nam id significat verbum illud, similiter. Sunt ergo illa duo verba, benedicendi & gratias agendi, vnum. Vnde & Ecclesia Latina pro eodem accipiens has voces, illas simul coniunxit.*

XX. Non dissimiliter Iansenius & Franciscus Lucas. Tantum iste comparato vtroque, concludit prævalere τὸ εὐλογεῖν; *Tantum abest*, inquit, *vt εὐλογεῖν benedicere accipiendum sit pro εὐχαριστεῖν, & vertendum gratias agere: vt potius contra εὐχαριστεῖν, gratias agere accipiendum sit pro εὐλογεῖν benedicere.* In quo nugator est. Nam τὸ εὐλογεῖν benedicere, ad vtrumque est commune; vt patet ex vsu Septuaginta Interpretum, qui Hebræum ברך sic reddiderunt ferme vbique; id est, non tantum quum signat alicui benefacere effectiue, vt cum Deus benedixit creaturis, Geneseos 1. & 2. v. 24. seruus Abrahami, *Adoraui*, inquit, *Dominum, benedicens Domino Deo Domini mei Abrahami, qui perduxit me recto itinere.* Psalmo 16. *Benedicam Deum, qui tribuit mihi intellectum*: Et 102. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Et alias sæpe.

XXI. Itaque nihil erat quo tantopere indignarentur Sophistæ; cum Caluinus Matthæi εὐλογήσας vertit, gratias agens: Nam Titelmannus vehemens Papista idem ausus, *Tenens manibus primum benedixit, id est, gratias egit Patri cœlesti; tum pro illo quem tenebat manibus pane corporali, maxime vero pro illa legalium consummatione.*

XXII. Redeo ad argumenta Papistarum. Et esto hoc tertium. Si non fieret consecratio simul atque illa prolata sunt, sed postea per orationem Sacerdotis: non posset ex veritate eorum verborum colligi conuersio panis & vini, in corpus & sanguinem, neque ipsa verba in ore Sacerdotis vera esse. Nam qua ratione vere dicere posset Sacerdos in nomine Christi, Hoc est corpus meum, si adhuc finita prolatione maneret panis?

XXIII. De mutatione, siue substantia panis nihil nunc dicam; cum sit proprii loci disputatio. Esto nunc ea quæcunque esse debet; nam ne nos quidem aliquam fieri negamus: sed qualis sit disputamus. De argumento hæc nostra sententia est: etiam preces pertinere ad consecrationem: nec interesse vtrum concipias ante, an post recitata illa verba: dum ante communionem: quanquam nos solemus concipere ante omnem Institutionis recitationem. Quomodo concidit vis argumenti, oppugnantis duntaxat eos qui preces concipiunt post ea verba solennia. Veruntamen in Græcis Liturgiis contra fit. Itaque negamus consequentiam. Etenim, si vera sint ea verba; ergo ex iis colligitur effectum consecrationis. Esse autem vera, quis negauit? nos quidem minime?

XXIV. At non sunt vera, inquit, si nondum est facta conuersio. Negatur, inquam: quia veræ sunt enuntiationes, quæ aliquid, quod ex instituto fit, significant; etiam si paulo post futurum, sed certo. Exempli gratia: Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Viden cognitionem illam dici non futuram, sed esse (αὕτη δέ ἐστιν:) vitam æternam? Et tamen reapse non est, sed tantum ratio acquirendi vitam: nec quisquam mentitum arguit Christum. Denique facilis sensus, Hic panis sic consecratus, sic sumptus est corpus meum. Quemadmodum Circuncisio est σφραγὶς δικαιοσύνης: nimirum quia ita institutum, vt quicunque circuncideretur legiti-

me, is

me, is certus esset suæ iustitiæ. Non enim necesse est, hæc verba, *Hoc est corpus meum*, id designare, quod tunc præcise efficiatur; sed vniuersaliter denotare quæ sit efficacia institutionis, quoties legitime vsurpabitur. Itaque Tertullianus dixit quarti contra Marcionem 40. *Acceptum panem & distributum suis discipulis, corpus suum illum fecit; hoc est corpus meum dicendo.*

XXV. Hoc modo nihil est absurdi. Et præterea notum est tempus præsens iis etiam competere quæ sunt in fieri, vt vulgus loquitur; atque adeo ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς. Sic enim Christus dixit; apud Matthæum, *Hoc est sanguis meus, qui pro multis effunditur*; τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον. Et apud Lucam, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Nimirum quia in eo erat vt corpus iamiam traderetur; sanguis effunderetur, etsi actu vere nondum fieret: quod vidit Latinus Interpres vertens, *Qui pro vobis effundetur*: à quo non discessit Canon Romanus: & solet intelligi de cruce. Gorranus, *Effundetur, id est, extra fundetur, Patre ordinante, Filio volente, Spiritu Sancto dante, Iuda tradente, Iudæis procurante, Pilato iudicante, Gentili exequente.*

XXVI. Quartum argumentum apud Bellarminum. Eadem ratio est Baptismi & Eucharistiæ. At in Baptismo id quod Sacramentum facit non sunt humanæ preces, sed illa Domini verba, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; quæ dicuntur dum infunditur aqua: adeo vt si quis iis verbis baptizetur, absque vllis precibus, censeatur recte baptizatus: Ergo & in Eucharistia, id quod Sacramentum facit, non sunt preces humanæ: sed verbum Domini, *Hoc est corpus meum*: alioquin vnum Sacramentum conficeretur verbo Domini; aliud autem verbis hominum.

XXVII. Respondeo; omnium Sacramentorum, eandem esse rationem, quatenus Sacramenta sunt. Sed argumenti vim infirmari tamen ab ipsis Papistis: qui in magno illo Sacramentorum numero, habent nonnulla in quibus nullum est verbum Domini. In confirmatione formam dicunt, *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quæ neque sunt, neque esse potuerunt verba Christi; qui crucis signo nunquam vsus. Item forma Vnctionis extremæ: *Per istam sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum.* Quæ nulla verba sunt Christi operantis, sed hominis deprecantis. Similiter matrimonii formam dicunt, consensum mutuum partium, siue verba eum consensum exprimentia, quæ nec sunt, nec esse possunt Christi. Et qui tot Sacramentorum conficiendorum vim non denegant verbis humanis, qua noua nunc religione terrentur, vt de solis duobus longe statuant aliter?

XXVIII. Deinde in Baptismo, verba, *Baptizo te*, non sunt verba Christi, quomodo in Eucharistia illa sunt, de quibus disputatur: Nam hæc verba sunt Christi; non tantum quia Christus iussit ea vsurpari: sed etiam quia dicuntur in persona Christi, & relatiue, ac per προσωποποιΐαν, figuram rhetoricam. Quod ipsi Papistæ vrgent vehementer. Sed illa verba Christi sunt tantum quia iussit vsurpari; nam cæterum sunt verba hominum administrantium Baptisma. Certe non illa sola *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, consecratoria sunt, imo neque formalia, sed tunc consecratoria, tunc formalia, cum præcessit illud, *Baptizo te*, quod non est Christi, verbum, sed hominis. Ad quam rationem si similitudo retinetur, non illa sola, *Hoc est corpus meum*, quæ certe Christi sunt, formalia esse debent, aut consecratoria; sed etiam ista altius repetita, *Accipite, edite*: quæ nunc sic erunt verba hominis, quomodo illa, *Baptizo te.*

XXIX. Et tamen non creditum olim vim consecrandi in iis fuisse verbis solis: sed in precibus etiam præeuntibus. Ambrosius de iis qui initiantur, cap. 3. *Aqua sine prædicatione Dominicæ crucis, ad nullos vsus futuræ salutis est: cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad vsum spiritualis lauacri, & salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum, hoc est, Propheta: ita & in hunc fontem sacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam.* Concilium Nicænum in Diatyposi 3. ἐν πίστει τοῦ βαπτίζοντος, καὶ ἐν πίστει τοῦ βαπτιζομένου διὰ τῆς ἱερᾶς ἐπικλήσεως, πλήρη τοῦ ἁγιασμοῦ τοῦ πνεύματος καὶ τοῦ θείου πυρὸς νοεῖ τὰ ὕδατα. *In fide baptizantis, & fide baptizati, per sacram inuocationem plenas sanctificationis Spiritus, & ignis diuini aquas intellige.* Basilius cap. 27. de Spiritu Sancto: εὐλογοῦμεν τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, *Consecramus aquam Baptismatis*, ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; *ex quibus scriptis?* Cyprianus Epistola 70. *Oportet mundari & sanctificari aquam prius à Sacerdote, vt possit Baptismo suo peccata hominis qui baptizatur, abluere.* Apud eundem in Concilio Carthaginensi, cap. 18. *Aqua Sacerdotis prece in Ecclesia sanctificata abluit delicta.* Ambrosius primi de Spiritu Sancto cap. 7. *Quid hoc typo angelus, nisi descensionem Spiritus Sancti nuntiabat, quæ nostris futuris temporibus aquas sacerdotalibus inuocata precibus consecraret?* Mille sunt similes loci.

XXX. Argumentum quintum: Sacramenti confectio debet esse certissima, siue à bono, siue à malo ministro: Ergo non debet pendere ab humana prece, nisi constet de pacto absoluto & promissione facta eiusmodi precibus à Deo. Nam sine eiusmodi pacto preces humanæ non sunt necessario impetratoriæ, præsertim si à malo ministro fiant. Non constat autem tale aliquod pactum factum esse à Deo de exaudienda oratione.

XXXI. Atqui primum odiose dicitur pendere à prece consecratio, quæ fit per preces. Nam etsi quæcunque Dei beneficia, per preces obtineantur; tamen nulla dicuntur pendere à precibus: Exempli gratia, Iacobus docuit preces seruaturas τὸν κάμνοντα: & tamen nemo est hominum, qui dixerit sanitatem ægrotorum pendere à precibus cuiusquam. Et sane fieret iniuria Deo: quasi non posset aliter conferre sua beneficia. Quare amoueat Bellarminus odiosum illud pendere, & concludat, Ergo non fieri per humanas preces. Nam sic nos docemus: qui tamen nunquam admittamus pendere ab iis precibus.

XXXII. In antecedente posset controuersia esse. Nam confectionem debere esse certissimam, intelligi queat absolute de elementis ipsis; quasi ea per se & in se conficiantur Sacramenta: atque adeo sensus sit, quicquid postea sequatur; quicquid fiat, aut non fiat, tamen fit Sacramentum: exempli gratia, in Baptismo, sic consecratio aquæ sit certissima, vt siue laues aliquem, siue non laues, tamen Baptismus fit. Qui sensus est absurdissimus; in Baptismo quidem ipsis confitentibus Papistis; in Eucharistia vero itidem nobis defendentibus: quia panis fit non sibi sed nobis mysticus: non sibi sed nobis corpus Christi. Veruntamen, quia ea controuersia est separata cui suum debetur tempus, dicamus certissimam debere esse consecrationem cæteris omnibus legitime positis: vt in Baptismo precibus consecretur aqua, nimirum ea, qua quis sit abluendus est: & itidem panis in Eucharistia certissime consecretur, in eos vsus quibus est ex institutione designatus, siue nobis, siue pixidi futurus corpus Christi, siue etiam cani. Nam hæc etsi nobis horrenda, tamen Papistis deliciæ sunt; nondum tamen nobis disputata.

XXXIII. Sic igitur argumentum concipiendum: Sacramenti confectio debet esse certissima: Ergo non debet fieri per humanas preces. Respondeo, negari consequentiam. Nam & Baptismi consecrationem omnino certissimam esse oportet; & tamen fieri per preces iam docuimus. Certum est sine prænio pacto, aut promissione nihil esse certi in precibus: tamen etsi alias aduersarii non curent, vt cum agitur de ea quam appellant Continentiam: cui non aliter sese obstringunt spe precum ac ieiuniorum, ac si totidem verbis sibi promissam legerent. Sed nos absit, vt temere nobis quicquam certi polliceamur de precibus nostris nisi præeunte diuino promisso. Itaque dicimus in hoc negotio prouisum esse fidei Christianæ certissima Dei promissione; imo etiam præcepto, *Accipite, comedite; hoc est corpus meum: Accipite, bibite, hoc est sanguis meus. Hoc facite in mei commemorationem.* Hoc, inquit, quidnam? Benedicite, siue gratias agite, & reliqua. Et non erit hæc promissio? Non erit sufficiens causa certitudinis.

XXXIV. Legerat aliquid eiusmodi Bellarminus apud Cabasilam, addentem exemplum extremæ Vnctionis, cuius forma sit in Sacerdotis precibus. Hoc ille responsum sic oppugnat. Dissimiles esse hanc Vnctionem & Eucharistiam: quandoquidem in illa habeatur promissio diuina: hanc autem sufficere, dummodo forma habeatur, siue à Scriptura, siue ab Ecclesia. Atqui preces Sacerdotis esse formam Eucharistiæ, non constare neque à Scriptura, neque ab Ecclesia. Addit autoritatem Augustini ex capite vicesimo quinto sexti libri de Baptismo contra Donatistas: Nam cum obiecissent quidam, precibus hæreticorum non posse aquam sanctificari; & ideo Baptismum ab hæreticis datum non esse ratum: respondisse Augustinum, quicquid sit de precibus illis, quæ simul cum verbis Euangelicis in Baptismo dici solent, Deum adesse verbis Euangelicis, quibus iussit Baptismum dari: & ideo si illa verba recte pronuntientur, Baptismum ratum esse; etiam si preces adiunctæ non solum ab hæretico dicantur, sed etiam fortasse hæreticæ sint: quia nimirum promissio diuina alligata est verbis Euangelicis, non humanis precibus.

XXXV. Sed formam non haberi Eucharistiæ ex Scriptura, falsum manifeste: quia, vt diximus, differunt consecratio, & forma, vt pars & totum. Itaque nihil obstat quominus valeant preces huic formæ præeuntes quam in Vnctione olim; cuius neque forma, neque preces è Scripturis habentur, ideoque nulla pars consecrationis.

XXXVI. Augustinus non dixit, verbis illis Euangelicis alligatam esse promissionem: sed negat, non consecrari per male compositas preces, propter addita verba Euangelica, sine quibus non consecratur Sacramentum. Verba sunt, *Si non sanctificatur aqua cum aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit, multi non solum mali, sed etiam boni fratres in ipsa Ecclesia non sanctificant aquam.* Et post, *Plerunque precis vitium superat precantis affectus: & quia certa illa Euangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari, tantum valent, vt per illa sic euacuentur quæcunque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur.* Iterum, *Deus adest verbis Euangelicis suis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest, & ipse sanctificat Sacramentum suum.* Hæc Augustinus; aperte quidem negans sine verbis Euangelicis Baptismum consecrari, quod & nos constanter tenemus: sed iis solis nunquam dicens consecrari: imo per preces etiam malas propter illa verba, quæ nostra fides est.

XXXVII. Sextum argumentum. Sacerdos consecrat in persona Christi, siue Christus per os Sacerdotis At non loquitur Christus per os Sacerdotis nisi hæc verba: Ergo non fit consecratio nisi per hæc verba.

XXXVIII. Imo non tantum illa, *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*: sunt verba Domini; sed etiam illa, *Accipite, edite: accipite, bibite: Hoc facite in meam commemorationem.* Damascenus cap. 14. lib. 4. *Deinde frangens panem dedit illis, dicens, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangetur in remissionem peccatorum. Similiter accipiens calicem ex vino & aqua, tradidit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes: hic meus est sanguis Noui Testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem Filii hominis annuntiatis, & resurrectionem eius confitemini donec veniat*: εἰ τοίνυν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ζῶν ἐστι καὶ ἐνεργής, καὶ πάντα ὅσα ἠθέλησεν ὁ κύριος ἐποίησεν, *Si ergo verbum Dei viuens est, & efficax, & omnia quæcunque voluit Dominus fecit*; οὐ δύναται τὸν ἄρτον ἑαυτοῦ σῶμα ποιῆσαι; καὶ τὸν οἶνον καὶ τὸ ὕδωρ αἷμα, *nonne potest panem sui ipsius corporis facere; & vinum aquamque sanguinem?* Efficacia igitur verba sunt, non illa tantum pauca, quibus hærent Papistæ; sed plura, quæ nos retinemus.

XXXIX. Deinde, per os Sacerdotis Deus benedicere, etiam cum inuocatur per preces. Nam is ille est profecto qui efficit: non autem qui precatur. Sic ad preces Sacerdotis Deus benedixit aquam Baptismi. Ad Philippens. 1. *Vt hoc mihi cedat saluti per vestras preces.* Ad Philemonem, *Spero me per preces vestras donandum vobis.* Quis dubitet in extrema Vnctione Deum sanasse ægrotantem? Et tamen non male Iacobus, *Oratio fidei seruabit infirmum.* Quare? quia Deus seruabat infirmum per preces Presbyterorum: etsi Presbyteri non pronuntiarent vlla verba in persona Christi. In Baptismo nulla profecto verba proferuntur nisi in persona Pontificis. Etenim, *Ego te baptizo*, actionem eius significat; neque vnquam à quoquam dictum, dixisse Christum, *Ego te baptizo.* Quare, cum similia sint Baptismus & Eucharistia, vt paulo ante Bellarminus ipse posuit, non est alienum à vero, Deum sic consecrare panem per os Sacerdotis, quomodo aquam, id est, per inuocationem Sacerdotis. Quare non tantum quærendum vtrum loquatur per os Sacerdotis; sed etiam vtrum exaudiat Sacerdotem: quod non attingit argumentum Bellarminianum. Et certe Canon Romanus precatur Deum,

Deum, *benedictam, ratam, rationabilem, receptabilemque facere digneris, vt nobis corpus, & sanguis fiat Filij tui.* Quod ipsum Liturgiæ Græcæ faciunt, sed post illa solennia verba; vt ante notauimus.

XL. Septimum argumentum. Si ea vera esset sententia, ergo simul fierent corpus & sanguis Domini. Quia videlicet vna oratione vtraque species consecratur. At Dominus seorsim & diuersis verbis consecrauit, primo corpus, deinde sanguinem.

XLI. Respondeo, negari consequentiam. Etenim consecratio nulla est nisi ad eos fines, quos institutio circunscribit. Sic aqua Baptismi nemini est consecrata, nisi qui ea lauatur. Similiter ergo nemini panis est corpus, nisi comedenti: aut vinum sanguis nisi bibenti. Itaque cum successiue comedatur panis, & bibatur vinum; non potest simul vtrumque fieri corpus & sanguis.

XLII. Denique ad Veteres confugiunt; ex quibus aliquot excerpunt locos, qui omnes sigillatim sunt attendendi. Iustinus chorum ductat, qui Apologia 2. dixit panem fieri corpus Domini per preces verbi Dei. Quæ sint autem preces statim exposuit, cum dicit haberi in Euangeliis, & esse illa verba, quæ Dominus dixit, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Irenæus lib. 5. cap. 2. mixtum calicem & panem percipere verbum Dei, & tunc fieri Eucharistiam. Gregorius Nyssenus oratione Catholica, c. 37. sicut corpus humanitatis Christi per diuini Verbi in ipso inhabitationem ad diuinam dignationem transmutatum est; eodem modo nunc panem verbo sanctificatum in corpus Dei transmutari, *Et hic similiter panis sicut dicit Apostolus, sanctificatur per verbum Dei, & orationem, non per cibum & potum procedens ad corpus verbi; sed à verbo, quemadmodum dictum est, transmutatus* nempe, *Hoc est corpus meum.* Chrysostomus 2. homilia in 2. ad Corinthios, *Quemadmodum verba quæ loquutus est Christus, eadem sunt quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant; ita & oblatio eadem est. Eadem quoque Baptismi ratio est.* Idem homilia de proditione Iudæ, *Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia: Hoc est, ait, corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur: Et sicut illa vox, quæ dicit, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesia vsque ad hodiernum diem, & vsque ad eius aduentum, præstat sacrificio firmitatem.* Damascenus cap. 14 quarti, *Dixit Dominus, Hoc est corpus meum, & hoc facite in meam commemorationem: & omnipotenti eius præcepto efficitur, donec veniat.*

XLIII. Ambrosius de Sacramentis lib. 4. cap. 5 *Cum venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi.* Capite quinto, quod est transcriptum in homiliam Augustini 28. de Verbis Domini, *Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur in altari, panis dicitur: vbi verba Christi deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Tertullianus contra Marcionem libr. 4. cap. 40 disertis verbis ait, Christum acceptum panem corpus suum fecisse, dicendo, *Hoc est corpus meum* Cyprianus sermone de Cœna Domini, *Manducauerant & biberant de eodem pane secundum formam visibilem: sed ante verba illa, cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, & vita corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo à Domino dictum est, Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, & hic est sanguis meus: quotiescunque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existit.* Augustinus apud Gratianum de Consecratione distinct. 2. canone *Verum*, dicit eandem esse Eucharistiam à bono & malo consecratam, quia non merito precantis, sed verbo efficit Creatoris. Emissenus sermone 5. de Pascha, *Inuisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit; ita dicens, Accipite, & edite, hoc est corpus meum: & sanctificatione repetita, Accipite & bibite, hic est sanguis meus.* Hesychius lib. 6. in Leuiticum cap. 22. *Per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum, quæ videntur, tam sanctificata sunt, quam tunctum carnis sensum excedunt.*

XLIV. Nimium id quidem laboris est, in re tam facili. Quo enim ista redeunt omnia? Vt intelligamus iis Christi verbis consecrari panem & vinum. Ast, ô hominum nugacissimi, cui id mauultis magno sudore euincere, & quasi vi violenta aufferre à nobis, quod poteratis obtinere gratis? Ἀμοχθὶ licebat esse beatis. Noluerunt: innata præsumptione; qua cum persuasissimum habeant generosius esse mereri salutem, quam habere ex gratia; ne Deo quidem voluerunt debere paradisum. Enimvero nobis certum his ipsis Dominicis, siue Euangelicis verbis, Sacramentum confieri: quod manifeste docent hæc vetera testimonia. Sed iis solis confieri neque hæc testimonia docent; neque nos possumus concedere: Vtriusque veritatis causa manifesta, quia hæc ipsa verba partem efficiunt consecrationis: Non essent autem, nisi consecrarent: nec essent si sola consecrarent; qui essent tota consecratio.

XLV. Quid igitur? Nempe vtraque pars antecedentis vera est: tum verbis Domini consecrationem fieri: tum hæc sola esse verba Domini; sed conclusio est ridicule sophistica: Ergo his solis verbis consecrari: cuiusmodi iocus est in scholis; Titium esse bonum virum: & eundem esse musicum: Ergo Titum esse bonum musicum. Etenim quomodo hic bonus etsi ad eundem pertineat Titium; ad quem etiam, musicus, tamen non pertinet ad musicum: sic nunc, sola, tamen etsi pertineat ad eadem verba; ad quæ consecratio pertinet; tamen non pertinet ad consecrationem: itaq; sicut dicendum erat: Ergo aliquis musicus est vir bonus; ita nunc, Ergo quædam verba quibus consecratio fit, sunt verba Christi; Verum Papistis, puto, non expedit tam ad viuum singula resecare.

XLVI. Nec longe argumentum repetendum. Etenim bona pars testium, Græci sunt: at Græcis creditum, fieri consecrationem etiam per preces: vt paulo ante testati aduersarij Et expressit Nyssenus illo eodem c. 77. Catecheseos, *Sanctificatur per verbum Dei & orationem*, ἁγιάζεται διὰ λόγου θεοῦ, καὶ ἐντεύξεως. Item Damascenus, ὁ τοῦ σώματος ἄρτος· οἶνος τε καὶ ὕδωρ διὰ τῆς ἐπικλήσεως καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπερφυῶς μετατίθεται εἰς τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ καὶ αἷμα, *Panis iste propositionis, vinumque, & aqua per inuocationem & aduentum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutantur in corpus & sanguinem Christi* Irenæus, qui lib. 5. dixit, *Panem percipere verbum Dei*: lib. 4. cap. 34. dixerat, *Qui est à terra panis percipiens inuocationem Dei*; (sic restituente Feuardentio) *iam non communis panis est, sed Eucharistia.*

XLVII. Sic non est mentitus, qui dixit Christum fecisse corpus suum, dicendo, *Hoc est corpus meum:* Tertullianus: Non qui, hoc verbo proposita consecrari: non qui ex eo esse corpus Christi; ex quo dictum est, *Hoc facite.* Non qui per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum sanctificata esse quæ videntur. Non denique quicunq; his verbis consecratum dicunt. Nam quia præsente Ioanne, Iacobo, & Petro, transfiguratus fuit Dominus, Matthæi 17. non mentitur qui præsente Petro dixerit: sed mentiretur, quicunque illo solo præsente contendereret; reliquos excludens. Non mentietur qui dixerit Petrum hortatum Iudæos, dicentem; *Seruamini ex ista natione prauâ:* Actor. 2. sed qui aliis verbis vsum negarit, ab eodem Luca refutabitur. Denique sunto memores Papistæ, se, aduersus Patres enumerantes canonicos eosdem, quos & nos; respondisse, hos quidem asseruisse, alios non negasse: aduersus nominantes duo Sacramenta: non exclusisse plura: aduersus asserentes justificationem ex fide: non reiecisse bona opera. Et multa alia similiter. Profecto qui totum dicit, partem comprehendit: & qui partem ponit, non excludit totum.

XLVIII. Addo Papistas abuti nonnullis locis. Iustinus dixit, τῶν ἐφ' οἷς λόγῳ τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθέντων τροφῶν, *Cibum in quo gratiæ actæ sunt per preces verbi quod ab eo*, factum carnem. Vnde quid sibi speranit quisquam Sophista? Certe εὐχὴ non potest significare illa solennia verba; in quibus nihil est precationis. Nec vero Iustinus has contineri dixit in Euangeliis: hoc enim mentitus est Sophista. Ille dixit, *Incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse, edocti sumus. Nam Apostoli in Commentariis à se scriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Iesum: Eum enim pane accepto cum gratias egisset, dixisse, Hoc facite in mei recordationē. Hoc est corpus meum.* Hæc vero series, quicquid tandem comminiscantur Papistæ, non significat postrema verba fuisse consecratoria: minime vero omnium fuisse sola consecratoria: sed indicat his verbis eruditos fuisse Apostolos consecratum panem esse corpus Christi. Cum enim dixisset, τὸ εὐχαριστηθὲν τροφὴν esse corpus Christi: vnde patet gratiarum actionem sumi pro consecratione: nunc addit Christum εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν, postquam gratias egisset dixisse, *Hoc est corpus meum.* Non consecrantem: sed postquam gratias egisset: quæ vel consecratio est, vel certè pars consecrationis.

XLIX. Cyprianus ille dixit, *Calix benedictione sacratus*: Quo quis non videt respectum fuisse ad εὐλογήσας, quemadmodū apud Irenæum, ad εὐχαριστήσας, per *in quo gratiæ actæ sunt*? Nec dissimiliter Emissenus: per, *Et sanctificatione repetita*; cum de sanguine agit, non potuit aliud habere in animo, quam τὸ εὐλογήσας: etenim verba dicta peculiariter ad panis formam exprimendam non fuere repetita in calice: sed vere benedictio fuit repetita: Nam apud Matthæum habes λαβὼν ἄρτον καὶ εὐλογήσας: Sumpto pane, postquam benedixisset, καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ εὐχαριστήσας, *acceptoque poculo atque actis gratiis.*

CAP. VII.

De Consecratione argumenta Catholica.

I. CAtholici Papisticis hæc opponunt argumenta: pauciora, sed solidiora. Primum, ex diserto Euangelistarum textu. Si tota consecratio esset in his verbis, *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*: Ergo ante eorum verborum prolationem Christus non consecrasset: At Christus consecrauit ante eam prolationem: Ergo tota consecratio non consistit in iis verbis. Consequentia est per se manifesta.

II. Assumptum probatur à verbis Euangelistarum. Qui dicunt, λαβὼν ὁ ἰησοῦς τὸν ἄρτον καὶ εὐλογήσας ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς, καὶ εἶπε λάβετε, φάγετε· τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου· καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ εὐχαριστήσας, ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου: Quæ sunt in editione vulgata reddita perperam, *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite, & comedite, hoc est corpus meum: & accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus.* Quæ versio vniuersum ordinem partium institutionis confundit: quasi eodem momento omnes fuerint peractæ: & simul acceptus panis, benedictus, traditus, cum hæc verba pronuntiarentur; Cum tamen vis Græcorum vocabulorum ea sit, vt gradatim à primis processus fiat ad vltima: Nempe prius accepto pane quam consecrato: prius consecrato quam tradito: pronuntiatisque iis verbis. Itaque Beza vertit, *Quum accepisset panem: & benedixisset, fregit eum, deditque discipulis: & ait, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum. Et accepto poculo: ac gratiis actu, dedit eis, dicens, Bibite ex eo omnes: Hoc est enim sanguis meus.*

III. Cui versioni assentiuntur quicunque græcè sciunt: & non segniter attendunt temporum in verbis efficaciam. Valla, annotationibus in priorem ad Corinthios 11. *Græcè est, & cum gratias egisset*, εὐχαριστήσας. Item Erasmus, *Id est, actis gratiis, vel cum egisset gratias.* Maldonatus in Matthæum, *Et benedixit*: καὶ εὐλογήσας, *cum benedixisset.* Salmero tom. 9. tractat. 12. *Et benedixit: Græcè autem legitur* εὐχαριστήσας, *id est, cum gratias egisset.* Et postea, *Marcus & Lucas alio verbo vtuntur, nempe* εὐλογήσας, *quod est, cum benedixisset.* Caietanus in Paulum, *Et gratias agens, pro & gratiis actis fregit: ita quod prius gratiarum actiones egit, quam fregerit panem in tot buccellas, quot erant Apostoli.*

IV. Imo aliis haud paucis locis hanc temporum distinctionem non neglexit ipsa illa editio Latina, Matthæi 4. καὶ νηστεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα καὶ νύκτας τεσσαράκοντα, ὕστερον ἐπείνασε, *Et quum ieiunasset* (non ieiunans) *quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Ioannis sexto, καὶ εὐχαριστήσας διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, *Et quum gratias egisset distribuit discumbentibus.* Actor. 27. καὶ κλάσας ἤρξατο ἐσθίειν, *& cum fregisset cœpit mandutare.* Quamquam neglexit etiam frequentissime. Marci 7. πτύσας ἥψατο, *Expuens tetigit*: Octauo, πτύσας εἰς τὰ ὄμματα αὐτοῦ, ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ ἐπηρώτα, *Expuens in oculos eius, impositis manibus suis interrogauit.* Sed siue neglexerit, siue minus, tamen illa est genuina interpretatio, quæ distinguit tempora. Nam alioquin res est manifesta. Nam Marci 8. καὶ ἀφεὶς αὐτοὺς, ἐμβὰς πάλιν

πάλιν εἰς τὸ πλοῖον, ἀπῆλθεν εἰς τὸ πέραν. *Et dimittens eos, ascendit iterum nauim, & abiit transfretum.* Hic clarum prius recessisse; tum ascendisse nauim; denique abiisse transfretum. Sic apud exoticos: Georgium Gemistum Hellenicon 2. τῶν μὲν λόγου ἀξίων περιελὼν τὰ τείχη, τὰ δ' ἱερὰ συλήσας, καὶ τὸν Ἄπιν καταθύσας τε, καὶ εὐωχηθεὶς μετὰ τῶν φίλων ἐς τὰ σφέτερα ἐπανῆκε βασίλεια, *Vrbium nobilium dirutis muris, sacris spoliatis, Api immolata, & hilari celebrato conuiui cum amicis, ad sua rediit palatia.*

V. Suares sectione 2. calumniatur à nobis distingui hanc benedictionem, gratiarumq; actionem, à consecratione, vt dicamus nihil aliud fuisse, quam communem benedictionem, ad vsualem cœnam & cibos communes: quo nihil potuit impudentius fingi. Nam nos, vt dixi, non disparamus vt diuersi prorsus generis res: sed tantum distinguimus, vt totius partes diuersas. Totam igitur institutionem esse consecrationem, cuius initium à benedictione, siue gratiarum actione, finem in ea verba quæ formalia dicuntur. Vnde manifesta iniuria. Nam profecto nos confitemur institutionem esse non vsualis Cœnæ, sed sacramentalis. Hoc enim sensu nobis cum aduersariis conueniebat olim Sacramentis necessariam esse institutionem. Cum ergo institutio sit nobis consecratio sacramentalis: & institutionis pars hæc benedictio: profecto hanc benedictionem oportet nobis esse consecrationem sacramentalem. Itaque Caluinus, *Memoria tenendum est hanc gratiarum actionem spirituali mysterio esse coniunctam. Neque enim vt gratias Deo agere iubentur fideles, quia eos in hac caduca vita sustentet; Christus duntaxat ad promiscum victum respexit, sed intentus fuit ad sacram actionem, vt pro æterna humani generi salute gratias Deo ageret. Nam si alimenta quæ in aluum descendunt, hortari nos & stimulare debent ad paternum Dei fauorem laudandum, quanto nos vehementius excitat, imo inflammat ad hoc pietatis officium, vbi animas nostras spiritualiter pascit.* Beza in Matthæum, *Verum est nos Consecrationis voce totam illam sacram actionem intelligere, qua res alioquin communes in Sacramenta mutamus, agentes quæ præcepit Dominus: cuius sacræ actionis pars est duntaxat istud, quod hic benedictionis & gratiarum actionis, id est, solennium precum nomine intelligitur.* Quid ergo? Nempe non nunc primum Iesuitarum ira furor est. vtinam breuis.

VI. Sed de argumento, sectione 3. Valde incertum est, fueritne Christi benedictio oratio præuia, à consecratione distincta; & qualis fuerit: Verba autem ad consecrationem necessaria certa esse oportet. Tum etiam adhiberi potuit illa oratio solum propter exemplum. Tertio, non omnia, quæ tunc fecit Christus de necessitate consecrationis sunt: alias omnino necessarium esset sumere panem in manus, lauare oculos, gratias agere, & similia.

VII. Valde incertum, inquit: quasi demonstrasset ἀναντιῤῥήτως: & non misere nugatus esset conquisitis variis etiam fanaticorum hominum sententiis. At nobis religiosior cura verbi diuini: ex quo tum re, tum vocibus constat distingui; non quidem benedictionem, à consecratione; nos enim id non dicimus, sed siue benedictionem, siue gratiarum actionem ab iis verbis, quibus solis nunc hærent aduersarij: & quia decreuerunt hærere, ideo reliqua omnia in controuersiam vocant. Sed hi sunt recentissimi quique: nam & Veteres, & qui aliquanto ante postremos aliter opinantes vidimus: quibus addas licet & hos recentes: Tiletanum elucidatione in Matthæi vicesimum sextum, *Accepit in manus suas illas sacras & venerabiles panem, quem tenens manibus primum benedixit, id est, gratias egit Patri cœlesti: post benedictionem autem fregit panem illum quem tenebat, deditque discipulis manducandum, dicens, Accipite.* Odonem Cameracensem in Epitome Canonis, *Benedixit, suum corpus fecit; qui prius erat panis, benedictione factus est caro.* Vides his testibus benedictionem esse non distinctam à consecratione. Et tamen præeuntem verbis illis formalibus: quod noster nunc Sophista incertissimum esse queritur.

VIII. Salmero tomi 9. tractatu 13. *In primis dicitur, quod Dominus accepit panem, deinde benedixit, siue gratias egit, id est, benedictum fecit, & postea fregit, & dedit discipulis suis, dicens, Hoc est corpus meum: & idem dicitur de calice siue de vino. Cum igitur benedictio Domini non sit superflua, aut vana; nec dederit purum panem, nec hortatus fuerit ad illum accipiendum: sequitur quod cum dedit, iam facta erat transmutatio: & verba illa, Hoc est corpus meum, quid contineretur indicabant in pane, non quid fieret.* Hæc ille ex persona Græcorum, quorum sententiam vt probabilem recitat. Sed deinceps certe ex sua, *Respondent quidam, Euangelistas non semper eundem ordinem obseruasse in historia enarranda; sed quosdam recapitulatione vsos. Sed profecto hic omnes penitus Euangelistæ eundem seruarunt ordinem. Qui ergo exponunt, Accepit panem, & benedicens, dixit, hoc est corpus meum, deinde fregisse, & dedisse discipulis, profecto non exponunt, sed mutant verba textus.* Manifeste improbans eos, qui quo ordine narrarunt Euangelistæ, eodem processisse negarent actionem Christi.

IX. Quare tum Veteres, tum suos Vasques impugnat, dum ea valde pronuntiat incerta, quæ constat vnanimi consensu trium Euangelistarum, & Pauli. Neque enim maiorem obtendere possunt in quatuor illis vocibus, quod tamen cum libet faciunt magnifice. Sed enim si tanta est incertitudo; cur subito tantum, tam fixum in ea benedictione nullam esse consecrationem? Aut potestne quisquam hoc habere pro certo, & illud pro incertissimo? Enimvero si quid sit residui bonæ mentis: & nulla omnino consecratio ante has quatuor voculas, alterutrum prorsus necesse est, vel nihil illam benedictionem habere consecrationis, vel non differre ab iis voculis. Et contra, si vtrumque hoc incertum; ne certum quidem esse illas solas voculas pertinere ad consecrationem.

X. Potuit, inquit, adhiberi oratio solum propter exemplum. Recte, inquam: sed institutionis exemplum. Itaque imitandum posteris omnibus ex eadem institutione idem Sacramentum vsurpantibus. Itaque Christus diserte sanciuit: *Hoc facite*, nempe quod me vidistis facere. Alioqui cur non omnia similiter cauillamur facta ad exemplum? & sumptum panem; & fractum; & pronuntiata verba; & alia omnia? Denique constans Ecclesiæ vsus documento est. Etenim non tantum Paulus repetens hanc institutionem non omisit eam partem; sed & omnes liturgiæ; cum Græcæ tum Latinæ diligenter imitatæ sunt: vt nunquam fuerit absque precibus consecrata Eucharistia.

XI. Non omnia, quæ tunc fecit Christus sunt de necessitate consecrationis. Esto, inquam: vt lauare pedes; accumbere mensæ; & si quid similes neque nos sane ita argumentabamur. Verum, si non omnia, ergo ne hoc quidem esse; fuit probandum Sophistæ: Nam alioquin cur non nos item dicamus, ne ipsam quidem vocularum prolationem esse de necessitate consecrationis? Sed enim solenne est apud Sophistas cum libet: *omnis Christi actio, nostra est instructio.* Certe Theophylactus in 26. Matthæi, εὐχαριστεῖ δὲ μέλλων κλάσαι τὸν ἄρτον ἵνα καὶ ἡμᾶς παιδεύσῃ μετ' εὐχαριστίας τὸν ἄρτον προσφέρειν, *Agit autem gratias fracturus panem, vt nos doceat cum gratiarum actione panem offerre.* Prior dixerat Chrysostomus in Matthæum, Καὶ εὐχαριστεῖ διδάσκων ἡμᾶς ὅπως δεῖ τὸ μυστήριον τοῦτο ἐπιτελεῖν, *Gratias egit, vt nos instrueret quomodo mysterium hoc facere debeamus.*

XII. Secundum nobis argumentum. Si hæ quatuor voculæ solæ consecrent panem: Ergo nullæ orationes Sacerdotis: At hoc falsum: Ergo neque illud verum. Consequentia patet: quia illæ voces, neque formam vllam precationis obtinent, quandoquidem neque postulent, neque agant gratias: neque si haberent, essent Sacerdotis preces: sed ipsius Christi. Nam etsi recitentur à Sacerdote, tamen per προσωποποιίαν, &, vt vulgo loqui mos est, relatiue. Itaque non magis preces sunt Sacerdotis, quam preces sunt Matthæi Euangelistæ, *Confiteor tibi, Pater Domine cœli & terræ, quod abscondiris hæc à sapientibus, & intelligentibus,* cap. 11. aut Ioannis cap. 17. *Pater quos dedisti mihi, velim vt vbi sum ego, & illi sint mecum.* Et similia plurima.

XIII. Assumptum autem facile probatur. Primo enim Paulus dixit prioris ad Corinthios 10. Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, *Calix benedictionis, cui benedicimus*: quomodo postea, τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, *Panis quem frangimus.* Vbi manifestum, sic nos dici benedicere, quomodo frangere: nimirum vt actione nostra frangere, sic nostra itidem benedicere. Non enim ideo frangimus, quia Christum dicimus fregisse: sed quia ipsi per nos ipsos. Itaque Oecumenius, ὃ εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν, *Quem benedicentes aptamus.* Lombardus, *Calix benedictionis, cui benedicimus, id est, potus calicis, qui non solum à Christo in Cœna est benedictus, sed cui etiam nos Sacerdotes, quotidie benedicimus.* Thomas, *Cui benedicimus, id est, quem nos Sacerdotes consecramus.*

XIV. Deinde testimonia sunt diserta, & plurima. Iustinus Apologia 2. Ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν· καὶ ἡ διάδοσις, καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, *Præfectus, quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit, populus fauste acclamat, dicens Amen: & distributio, communicatioq; fit eorum in quibus gratiæ actæ sunt.* Origenes 8. contra Celsum, ἡμεῖς τῷ τοῦ παντὸς δημιουργῷ εὐαρεστοῦντες, καὶ τοὺς μετ' εὐχαριστίας καὶ εὐχῆς τῆς ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι, προσαγομένους ἄρτους ἐσθίομεν, σῶμα γενομένους διὰ τὴν εὐχὴν ἅγιόν τι, καὶ ἁγιάζον τοὺς μεθ' ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους, *Nos qui rerum omnium conditori placere studemus, cum precibus & gratiarum pro beneficiis acceptis actione oblatos panes edimus, corpus iam per precationem factos sanctum quoddam & sanctificans vtentes eo cum sano proposito.* Cyrillus mystagogica 3. Ὁ ἄρτος τῆς εὐχαριστίας μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος οὐκ ἔτι ἄρτος λιτὸς, ἀλλὰ σῶμα χριστοῦ, *Panis Eucharistiæ post Sancti Spiritus inuocationē non amplius est panis communis, sed est corpus Christi.* Theophilus Alexandrinus Paschali 1. *Non recogitat aquas in Baptismate mysticas aduentu Spiritus Sancti consecrari; panemq; Dominicum, quo Saluatoris corpus ostenditur, & quem frangimus in sanctificationem nostri, & sacrum calicem, quæ in mensa Christi collocantur, & vtique inanima sunt, per inuocationem & aduentum Sancti Spiritus sanctificari.*

XV. Theodoretus Dialogi 2. cap. 24. Τί καλεῖς τὸ προσφερόμενον δῶρον πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως: τὴν ἐκ τοιῶνδε σπερμάτων τροφήν. Τὸ δ' ἕτερον σύμβολον πῶς ὀνομάζομεν; Κοινὸν καὶ τοῦτο ὄνομα πόματος εἶδος σημαῖνον. Μετὰ δέ γε τὸν ἁγιασμὸν πῶς ταῦτα προσαγορεύεις; Σῶμα χριστοῦ, καὶ αἷμα χριστοῦ, *Quid appellas donum quod offertur ante sacerdotalem inuocationem? Cibum ex huiusmodi seminibus. Alterum autem symbolum quomodo nominamus? Est & hoc commune nomen potus speciem designans. At post consecrationem* (ante appellabat ἐπίκλησιν) *hæc quomodo appellas? Corpus Christi, & sanguinem Christi.* Victor Antiochenus in Marci 14. *Cum ad Apostolos dicit, Hoc est corpus meum; item, hic est sanguis meus, certo apud se statuant vult, posteaquam benedictio, & gratiarum actio ad panem vel calicem propositum accesserit, per panis quidem symbolum corpus Christi, per calicem vero eiusdem sanguinis participes fieri.* Theophylactus in 6. Ioannis, Μεταποιεῖται γὰρ ἀῤῥήτοις λόγοις ὁ ἄρτος οὗτος διὰ τῆς μυστικῆς εὐλογίας, καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος εἰς σάρκα τοῦ κυρίου, *Transformatio enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem & accessionem Spiritus Sancti in carnem Domini.*

XVI. Ambrosius 4. de Fide ad Gratianum cap. 5. *Nos autem quotiescunque Sacramenta sumimus, quæ per sacræ orationis mysterium in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem Domini annuntiamus.* Hieronymus Epistola 85. quæ ad Euagrium, *Quis patiatur, mensarum & viduarum minister vt supra Presbyteros tumidus se efferat ad quorum preces Christi corpus sanguinisque conficitur.* Augustinus tertij de Trinitate capite 4. vnde descriptus est distinct. 2. Consecr. canon 60. *Christi corpus & sanguinem dicimus illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum rite sumimus.* Epistola 59. ad 5. quæstionem, *Vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici. Orationes cum benedicitur & sanctificatur, & ad distributionem communitur: quam totam petitionem ferme omnis Ecclesia Dominica oratione concludit.*

XVII. Responsuri aduersarij de consequentia non laborant: sed assumptum negant. Obiectos locos ex Patribus dupliciter interpretantur, tum Bellarminus, tum Vasques. Vel precum, orationumve nomine totam liturgiam, siue canonem intelligi, cui insint preces, gratiarum actiones, benedictiones, inuocationes: Nempe vt sit synecdoche à parte totum denominans. Vel ipsa illa verba, *Hoc est corpus meum*, prolata à Sacerdote cum intentione faciendi Sacramentum, continere implicite inuocationem diuinæ virtutis. Hanc posteriorem interpretationem magis probat Vasques: & confirmat testimonio Theophylacti in Marci 14. *Et edentibus illis. Id quod etiam nos facimus, preces adiungendo, Hoc est corpus meum.* Vbi hæc verba preces appellantur.

XVIII. Nos instamus. Et primo priorem interpretationem posse admitti,

por

per orationes totum intelligi Canonem. Neque enim nos à consecratione excludere formales illos voces; quibus ipsis solis & nudis consecrari negamus. Itaque nolle nos alterum ab altero excludi. Preces enim solas nihil agere, absque diserta promissione Christi; quæ continetur iis formalibus verbis: neque hæc verba absque precibus: alioquin quoties illa recitarentur, toties fieret consecratio, quod est absurdissimum. Non satisfaciunt igitur argumento Papistæ, cum dicunt per preces, quibus fit consecratio, intelligi totam liturgiam. Nam hoc concesso inferimus; si tota liturgia consecret; etiam preces, à quibus ea denominatur.

XIX. Secundo, disertiora esse dicimus testimonia; & diserte describere eam partem liturgiæ, quæ in inuocatione est. Indicium manifestum; quia connectunt preces & aduentum Spiritus; nempe vt iudicent aduenire Spiritum per preces inuocatum, qui sua virtute consecret. Atqui quatuor illæ voculæ nihil habent quo inuocetur Spiritus: sed tantum significetur facta consecratio. Et rursus ea preces appellantur Sacerdotum preces. At hæc quatuor verba non possunt dici Sacerdotum preces, vt ante dixi. Tertio, Augustinus distinguit Precationes, & Orationes: illas ante benedictionem; has in ipsa benedictione: atqui vtræque pertinent ad Canonem siue liturgiam.

XX. Tertio, ridiculum est quod de intentione additur. Nunquam enim cordatus quisquam concessurus est non demonstrantibus Papistis, quæcunque recitantur à Sacerdote, cui intentio est precandi, eadem induere vim precum: vt exempli gratia; in illo ipso actu, dicit Sacerdos, *Accipite, comedite &, mortem Domini annuntiabitis:* Tamen nemo vnquam dixit his verbis peculiariter preces fundi ad Deum: quamuis eadem intentio precandi perseueret. Quis autem iussit Iesuitas sic imperare rationi, vt quæcunque iis in buccam venerint, ea pro lege sint inter Christianos?

XXI. Porro locus Theophylacti fœde atque impudenter luxatus est. Sicut enim ille scripsit, Εὐλογήσας, ἀντὶ τοῦ εὐχαριστήσας ἔκλασε τὸν ἄρτον· ὅπερ καὶ ἡμεῖς ποιοῦμεν εὐχὰς ἐπιλέγοντες. Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τοῦτο ὃ νῦν λαμβάνετε· οὐ γὰρ ἀντίτυπος τοῦ κυριακοῦ σώματός ἐστιν ὁ ἄρτος· ἀλλ' εἰς αὐτὸ ἐκεῖνο μεταβάλλεται τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, *Cum enedixisset, pro eo quod est, gratias egisset, fregit panem, quod & nos facimus, additis precibus; Hoc est corpus meum, hoc quod nunc accipitis: neque enim hic panis est antitypus Dominici corporis, sed in illud ipsum corpus Christi transfertur.* Nempe igitur ludit Sophista, παρὰ τὴν σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν. Quasi constructio esset, *Preces adiungendo, Hoc est corpus meum:* vt hæc quatuor verba preces dicantur Cum tamen illud *preces adiungenda*, finis sit periodi præcedentis. At vero, *Hoc est corpus meum;* initium nouæ, nouam explicationem exordientis, horum verborum, id est, alterius membri contextus dati.

Cap. VIII.

De secreta pronuntiatione Consecrationis.

I. Tertius restat articulus, nec maximi momenti, quem disputauit Hardingus contra Iuellum, art. 16. & Richeomus libri 4. de Missa, cap. 51. 2. 3. & Bellarminus 2. de Missa c. 12. Nostri, Iuellus eodem articulo: Chemnitius Examinis parte 2 ad canonem nonum sessionis 22. Concilij Tridentini: Hospinianus historiæ Sacramentariæ lib. 2. cap. 7. particula 3. & lib. 5. cap. 10.

II. Sed Richeomus statum quæstionis notat perperam: quasi nos morem damnemus orandi interdum summissa voce. Quod non est ita. Scimus enim distinguendas publicas preces à priuatis: & in his non tantum submissam vocem permitti, sed etiam nullam: exemplo matris Samuelis, cuius precantis nullus erat sonus; sed tantum motus labiorum; 1. Samuelis 1. capite vbi dicitur, מדברת על-לבה, *loquuta ad cor suum.* Sed & Ionas in ventre Ceti orauit, credo, non admodum libera voce. Christus autem iubet precaturum quenq; ingredi cubiculum, exaudiendum à Patre, qui aspicit in secreto; Matthæi 6. Itaque hanc in partem poterunt quietem sibi indulgere Papistæ, à nobis non lacessiti.

III. At precum publicarum alia longe ratio est: has autem definimus eas quæ fiunt non tantum in loco publico: nam & hic singuli laici precantur apud se: verum fiunt à persona publica nomine omnium adstantium. Has ergo negamus debere fieri summissa voce, quam non capiant, aut possint capere qui adstent.

IV. Nunc tamen peculiaris disputandi occasio de Consecratione Eucharistiæ; quam ita recitari mos est apud Papistas; vt præter ipsum recitantem nemo prorsus audiat; adeo vt halare videatur potius quam loqui. Quo loco aduersariorum diffidentiam iuuat attendere; qui vix ausi quæstionis nodum attingere. Nam Bellarminus, *Accusant,* inquit, *aduersarij Ecclesiam Latinam, quod pleraque in Missa submissa voce pronuntiari iubeat,* Solus Hardingus directe disputauit, coactus videlicet à Iuello, qui thesim his nominatim terminis circumscripserat, vt sibi probari iuberet intra sexcentos à Christo annos, *licuisse Sacerdoti verbo consecrandi tacite, & silentio sibi demurmurare.* Et tamen Concilij Tridentini sic fuit Canon nonus, sessionis 28. *Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars canonis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, anathema sit.* Michael Episcopus Mersburgensis in explicatione mysteriorum Missæ, *Iam inde ab initio Canonis omnia sub silentio Sacerdos peragit.* Biel Epitome in Canonem, 2. parte Missæ Catechumenorum, *Dicitur hæc pars cum sequenti canone, secretum, quia ab hac oratione incipiunt altissima mysteria, quæ populo celari debent, ne vsu communi vilescant.*

V. Porro protestatur Hardingus, hanc huius articuli rem ac materiam, neque è summis esse mysteriis, neque è maximis religionis Papisticæ clauibus: & Bellarminus negat quæri, an sit per se illicitum totam Missam alta voce celebrare: aut se ignorare modum vocis non pertinere ad substantiam Sacrificij, posseque omnia ad arbitrium Ecclesiæ immutari. Quasi tantum non clamarent inuitos se in hanc arenam trahi. Verum ne ægre ferant à se rationem exigi superstitionis inuectæ in orbem Christianum; qui etsi sua immani autoritate abutantur impotentissime, tamen nolunt videri quicquam agere absque magnis mysteriis; imo æque anathematizant, qui hic contra sentiant, quam qui in Trinitate, incarnatione, & reliquis.

VI. *Tota,* inquit, Bellarminus, *quæstio, in eo sita est, vtrum consuetudo Latinæ Ecclesiæ, quadam submissa voce pronuntiandi, repugnet Christi ordinationi, ac proinde sit mala, & necessario corrigenda.* Minime vero, inquam. Nam illud, *Quadam pronuntiandi,* nimis est laxum. Itaque corrigendum; vt designet celebrationem Eucharistiæ: & in Eucharistiæ celebratione nominatim consecrationem; quam illi non tantum Canonem appellarunt; sed etiam ab hoc silentio Secretam, siue Secretellam. Nobis contra tenentibus nulla publica verba debere summisse efferri: & omnium minime ista.

VII. Rationes non tantum Hardingus, Richeomus, Bellarminus: sed etiam priores collegerant. Innocentius tertius cap. 1. lib. 2. de mysteriis missæ. & Durandus Rationalis lib. 4. cap. 35. Has nos omnes examinatum imus sigillatim: effecturi cum Deo, vt earum si non pudeat viros superstitionis præiudicio liberos, nihil tam sit absurdum, quod quisquam merito desperet persuaderi posse.

VIII. Prima. Christus ad consecrationem corporis sui venturus secrete & solus orabat ab hora Cœnæ, vsque dum suspensus est in cruce. Has orationes hoc silentium significat. Item Christus postquam honorifice fuit receptus & magnificatus a turbis cum palmis & laudibus, abiit, & abscondit se. Hoc latibulum, hoc secreto silentio repræsentatur.

IX. Et nugaces nugas nemo deprehendat? Primo, quid opus erat? Imo quis iussit hæc tunc, hæc ita significari? Nam si Christus, cedo tabulas: tibi enim nemo credit, ne erres. Sin homo: vnde homini autoritas instituendi, mutandi, peruertendi res tam sacras? tam solenni institutione commendatas? Non pateris tuas Ecclesiæ consuetudines, plerumque ab obscuris initiis deductas, per negligentiam prælatorum, & priuatam αὐθάδειαν: non pateris, inquam, has sollicitari: & cuiquam permissuros credis pios viros tam manifeste, tam publice grassari in Christi instituta? Sed putarunt videlicet impotentis audaciæ Sophistæ, histrionicam fabulam esse Eucharistiam: itaque permiserunt sibi poëtarum in morem, omnia vndique colligere, quæ in passione Christi fuerunt: siue præuia, siue consequentia, vt egregie tandem mimos agerent, & pietatem verterent in theatricum lusum.

X. Deinde quanta ineptitudo? Christus orabat, secrete & solus. Optime. Nam cum vox proprie non nobis inseruiat, abunde gnaris nostrorum cogitatuum: sed aliis quibus communicare nos necesse est nostros conceptus: sane si solitarij oremus nihil verbis opus est. Ast hic Sacerdos secrete coram omnibus: imo secrete apud omnes. Quantum hoc monstrum? Christus, abiit, & abscondit se: at nouus Roscius, & venit & ostentat se: omnino, inquam, nollet non videri. Pariane? Sed hic perpetuus istorum mos est: vt ridiculi tum sint maxime, cum maxime videri volunt serij. Ex Durando: si sedent, significant Apostolos sedentes in cœnaculo tristes de nece Domini: si stent, Mosen orantem manibus expansis sustentatis ab Aarone & Hur. Si tres cruces faciunt super oblatam, designant Christum ter traditum, à Deo ex gratia, à Iuda ex auaritia, à Iudæis ex inuidia: vel, perinde est enim quicquid somnietur, ter crucifixum, in voluntate persequentium, in voce clamantium, in crucifixione manuum. Si osculentur altare, Thuanus dicet fieri propter coniunctionem Christi cum Ecclesia: sic imagines Trinitatis, significari tres personas cooperatas esse in creatione. Et similia plurima: quasi dicerent, si baculus stet in angulo, ergo hominem esse animal rationale.

XI. Tertio. Significant, aiunt. Mitto, quod dixi, non esse sonticam causam vsurpandi, si quis alte stertens potuit significationem aliquam aliquo modo comminisci. Sed enim, quibus quæso significant? Nam ita est significatio, quomodo lumen: semper relationem includens. Nunquam lucet Sol nisi iis qui illuminantur. Nunquam quisquam significatur, nisi iis qui signata concipiunt. Quibus ergo silentium hoc tam doctum sua mysteria significat? Plebine, an ipsi Sacerdoti? Non enim, credo, Deo aut Angelis. Quod si Sacerdoti soli, quid opus in publicum prodire, tanta pompa vestium, & vtensilium: vt ipse sese denique doceat? Ergone plebi? At hæc eorum mysteriorum tantundem capit, quantum musices asini Arcadici, nisi prius exacte docti. Ad hæc, quomodo significant? Similitudine an institutione? Non similitudine; cum nihil sit determinati; quo magis Christus absconditus designetur, quam Pythagoricus ἐχεμυθίας, aut etiam Ianus latens in Latio. Quomodo autem ex institutione, cuius nemo admonetur, sed tantum gesticulatione illuditur? Denique non siletur; sed murmuratur, aut exhalatur nescio quid. Quomodo autem murmur potuit id silentij, siue etiam latibuli denotare?

XII. Præterea; vnde hoc? Orabat secrete venturus ad consecrationem corporis sui. Vnde, inquam, hoc habuerunt Sophistæ? Quis Euangelistarum dixit? quis veterum est ariolatus? Proh fidem! Quid est impudentem esse! Habemus in Euangelio Christum oraturum secessisse. Sed post Cœnam; & non in eodem loco, vbi Cœnam habuisset: sed in Olìueto, Lucæ 22. *Et egressus profectus est de more in montem oliuarum.* Isti religiosi scilicet viri dicunt ante consecrationem. Secrete autem? Ita credo legisse alicubi: sed deceptum non vulgata Latinitate, intellexerunt de voce summissa, quod de loco potius debuerunt, *Auulsus est,* ait Lucas, *ab eis quasi ad iactum lapidis* Miram solertiam!

XIII. Denique dato hoc quicquid est & silentij, & significationis; etsi ridiculum, ineptum, absurdum. Quid tum autem? aut quæ vis consequentiæ? Significatur, aiunt, Christum secrete orasse. Ergo oportet silentia proferri. Atqui in promptu negatio est consequentiæ. Quid enim? In Euangelio, quæ pars hoc factum docet; ea nonne significat à Christo fuisse oratum secrete? Et quidem ex professo. Quis ergo iussit vnquam hanc ipsam partem summissa voce murmurari? Quis vetuit alta efferri, vt omnes audirent? Deus bone! Hic vbi ex professo significatur silentium, alteri vox permittitur: & vbi non nisi per accidens, silentium imperatur. Viditne quisquam vnquam quicquam peruersius?

XIV. Secunda ratio. Sacerdos intrare debet cubiculum cordis: & ostio sensuum corporis clauso, Deum Patrum orare, qui exauditor est clamoris cordis, non vocis. Vnde Anna typum gerens Ecclesiæ, non petitione clamosa, sed tacita deuotione, quod petijt, impetrauit. Et quare volunt (Richeomus exclamat) Sacerdotem semper orare voce clara?

XV. Dicas nullius nisi sui ipsius habendam rationem Sacerdoti. Tunc enim forte ponderis aliquid hæc haberet ratio. Sed cur plebis nullam? cuius tamen gratia hoc quidquid est Sacramenti dicitur institutum; imo & celebrari. Itane solum Sacerdotem opus est orare, & quotquot absunt frustrari harum precum deuotione: Exaudit Deus orantem in secreto. Ita est, teste Christo. Sed non exaudit non orantem, ne in publico quidem. Quid ergo speret plebs se exauditum iri; cui Sacerdos obstaculo est ne precetur? cui Sacerdos, inquam, preces inuidet? Orat Sacerdos, *Vt nobis corpus, & sanguis fiat dilectissimi filij tui.* Et nominatim *nobis*, ait, vt se ostendat non precari pro se vno, non precari solum; sed & pro omnibus, & cum omnibus. Quantum scelus est hanc precum partem inuidere populo? cuius tam solenniter agitur negotium. Imo solennia mentitur: Negat enim se solum orare, *Te igitur, clementissime pater, per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus, & petimus*. Omnes dicit orare: cum tamen solus, & silentio, & secrete precetur.

XVI. Tertia. Non clamat Sacerdos, ne clamando his quæ arguntur minus intendat.

XVII. Sed nihil ne periculi est, inquam, ne plebs ipsa non intendat? Cur ergo hortamini, *Sursum corda*; vt respondeat, *Habemus ad Dominum*? Cur olim Græci clamabant in Marci Liturgia ἐκτείνατε, *intendite*, Atqui si nihil audiat, quomodo poterit intendere? Et tamen quænam hæc ratio est. Nam profecto qui clamat, non propterea non est attentus. Alioquin quas fuisse dicas preces Dauidis, qui tam crebro testatur se clamauisse ad Dominum? Psalmo 3. *Voce mea ad Dominum clamaui.* Et 8. *Inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.* Et alias frequenter. Sed & mirum si in Litaniis, vbi valde sunt vocales Sacerdotes Papistici, profiteantur ipsi se non attendere, quæ tunc fiant. Nam *vox* illa *clamantis in deserto*, Matthæi 3. non intendebat animum iis quæ agebat: neque 15. mulier Chananæa, cum clamauit, dicens, *Miserere mei Domine fili Dauid*; non temere agebatur. Denique furiosi erant qui 20. quanto magis vtebantur à turba tanto magis clamabant, *Miserere nostri, Domine, fili Dauid.*

XVIII. Quarta. Ne vox Sacerdotis nimio clamore deficiat.

XIX. Euge sane: apud Papistas inter nimium clamorem, & infimum silentium nihil medium. Videnturne sapere? Delicati homines, qui si iubeantur paulo altius vocem intendere, vel ad exiguum momentum: neque enim tam prolixius est Canon, continuo conquerantur ilia dolere, frangi ramices: & quid non? Atqui Esdras, Nehemiæ octauo, legit ab aurora ad meridiem, ita vt populus vniuersus & audiret, & attenderet, quanto spacio decem missas perageret sacrificulus; nec tamen sibi querebatur vocem deficere. Este vero bono animo, viri Papistæ: nemo à vobis exigit stentoreos clamores; nemo vel Demosthenis firma latera, nemo, vt cum Cicerone, quantū poteritis, voce cōtēdatis. Vox sufficit, vox mediocris, vox clara, vox distincta: vox deniq; quę distet à silentio, ab obscuro murmure.

XX. Quinta. Ne sacra verba vilescant. Nam Apostolos, & Patres, qui initio Ecclesiæ leges sanxerunt, mysteriorum existimationem illibatam conseruasse, dum ea occultarent & celarent. Non enim esse mysterium, teste Basilio, quod ad aures populares proferatur: & ei quod publicatum est, & per se apprehendi potest, iminere contemptum: ei vero quod remotum ac rarum, etiam naturaliter quodammodo esse coniunctam admirationem: atque ita Christum prohibuisse ne margaritæ porcis proiicerentur. Olim solitos Catechumenos, Energumenos, Pœnitentes, arceri, ne saltem viderent huius Sacramenti celebrationem. Denique triste olim esse exemplum editum: pastores in agris nescio quos, aut vbinam gentium, panem posuisse super lapidem, vsurpasse verba solennia, mutasse panem in carnem: tum vero derepente ignem de cœlo descendisse, pastoresque redegisse in cineres: inde edictum fuisse silentium.

XXI. Quasi certum sit, quęcunque publicentur, eadem vilescere. Quid igitur futurum verbis Baptismi, quæ tantum abest vt iubeantur silentio obrui: vt potius obtrudantur ediscenda omnibus clericis, laicis, maribus, fœminis, viris, pueris, Christianis, paganis, vt possint in casu necessitatis baptizare, etiam ludicre, vt olim Athanasium ferunt? Nihil forte, nihil interfsit rei Christianæ hoc Sacramentum pro nihilo haberi. Quanquā Chrysostomus, φρικτὸν μυστήριον dicat, æque cum Eucharistia, Catechesi ad illuminandos. Τὸν τοῖς ἱεροῖς τούτοις καὶ φρικτοῖς μέλλοντα προσιέναι μυστηρίοις ἐγρηγορέναι χρή. *Ad sacra hæc & tremenda mysteria accedentem oportet vigilem esse.* Quid rursus futurum vniuerso Euangelio, cuius quot clausulæ, tot pene mysteria? Itane oportebit aut nemini publicari, aut vilescere natum de Virgine, crucifixum sub Pilato; delatum in cœlos, venturum in iudicium? aut quicquam reliquorum articulorum? Improuidos Patres, inconsultos Apostolos; qui Papistis nostris non impetrarint silentium, quasi cum poëtæ fingunt Somni regiam, vbi nihil mutiat. An superstitiosos Papistas potius, qui somnia fingant sibi, vt videantur Patribus; vt videantur Apostolis prudentiores, cautiores; cornicum oculos confixuri. ἀλλ' οἱ μὲν οἰδ' ὅ κρώζει.

XXII. Basilius, 37. de Spiritu Sancto, dixit non esse mysterium, quod ad aures populares proferatur: siue, vt recitat Bellarminus, multum conferre ad dignitatem & reuerentiam conseruandam mysteriorum, vt non assuescant homines eadem sæpius audire. Et tamen, inquam, Basilius Græcus fuit: & constat confessione aduersariorum apud Græcos nunquam in vsu fuisse huiusmodi silentium. Imo in eius Liturgia disertum. Sacerdos εὐλογεῖ τὸν ἅγιον ἄρτον ἐκφώνως λέγων, *Benedicit sancto pani, alta voce dicens, Dedit sanctis suis discipulis & Apostolis, dicens, Accipite, manducate, Hoc est corpus meum.* Quid hoc portenti est? Qui dixit non esse mysterium, quod profertur ad aures populi, quod assuescunt homines sæpius audire: idem ille iubet hæc ipsa mystica verba recitari ad populum, & recitari non μυστικῶς, submissa voce: sed ἐκφώνως elata, vt omnes audiant; vt omnes sæpius assuescant audire.

XXIII. Imponit nobis: imponit Hardingus: imponit Bellarminus. Nam Basilius de silentio apud populum ne per somnium quidem loquutus est. Vide verba. Οἱ τὰ περὶ τὰς ἐκκλησίας ἐξ ἀρχῆς διαθεσμοθετήσαντες. Ἀπόστολοι καὶ πατέρες ἐν τῷ κεκρυμμένῳ καὶ ἀφθέγκτῳ τὸ σεμνὸν τοῖς μυστηρίοις ἐφύλασσον. οὐδὲ γὰρ ὅλως μυστήριον τὸ εἰς τὴν δημώδη καὶ εἰκαίαν ἀκοὴν ἐκφερόμενον, *Qui ab initio res Ecclesiasticas ordinauerunt Apostoli, & Patres, in occulto silentioque mysteriis suam seruauere dignitatem: neque enim omnino mysterium est, id quod ad popularem ac temerarium auditum effertur.* Audis silentium. At non absolute, & quodlibet: κατά τι: nempe vt sileatur, non quod nemo audiat: sed quod non omnes promiscue, ac temere nullo prorsus discrimine, puta prophanorum, & initiatorum: hoc enim sensu nominat δημώδη καὶ εἰκαίαν ἀκοήν.

XXIV. Vin conuinci? Contextum altius repete, *Benedicimus aquam Baptismatis, & oleum vnctionis, præterea ipsum, qui Baptismum accipit*: ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; *ex quibus scripturis?* οὐκ ἀπὸ τῆς σιωπωμένης καὶ μυστικῆς παραδόσεως; *nonne à tacita secretaque traditione? Ipsam quoque olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem vnde ex Scriptura haustum? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo, veluti renuntiare Sathanæ, & Angelis eius, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex doctrina, quam Patres nostri silentio quieto minimeque curioso seruarunt?* Καλῶς ἐκεῖνοι δεδιδαγμένοι τῶν μυστηρίων τὸ σεμνὰ σιωπῇ διασώζεσθαι. ἃ γὰρ οὐκ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις, τούτων πῶς ἂν ἦν εἰκὸς τὴν διδασκαλίαν θριαμβεύειν ἐν γράμμασιν; *Pulcre quidem illi nimirum docti arcanorum venerationem silentio conseruari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conueniebat horum doctrinam publicitus circunferri scripto?*

XXV. Attende primum, agi de Baptismi ritibus, tum circa elementa, tum circa competentem. Atqui certum est nunquam auditum non prolata esse vlla Baptismi verba; cautumve ne competens, aut etiam populus audiret: neque adeo id vnquam vel Papistæ ausi docere. Quid mali est in Eucharistia, quæso, vt quæ verba in Baptismo non significent demurmurationem consecrationis; eadem Eucharistiæ solam relinquant inhalationem?

XXVI. Attende secundo; non perpetuum id silentium fuisse, sed tantum præmiæ traditionis: itaque non in ipsa celebratione, sed in origine celebrationis. Clarius dico. Non docuit Basilius hoc mysteriosum silentium retineri, quoties baptizetur quisquam, vt nihil aut ipse, aut adstantes auribus concipiant: sed olim duntaxat, & ab initio non fuisse scriptis publicatam. Itaque silentium hoc quodcunque sit, non opponi voci, sed scriptioni: vt non sit sensus, non debuisse pronuntiari, proferri Sacerdotis alta voce: sed tantum, non debuisse scripto tradi. At scriptio aliena est à celebratione Sacramentorum.

XXVII. Attende tertio, idipsum factum ne τοῖς ἀμυήτοις, id est, non Christianis, siue initiatis, patefierent; quæ non liceret intueri. Vnde facilis conclusio, nihil huiusmodi silentium pertingere ad Christianos; ad initiatos, ad eos quibus licet ἐποπτεύειν.

XXVIII. Attendo denique quicquid hoc est silentij, de iis ritibus dici, qui non constent ex Scriptura Sacra: sed ex non scripta traditione duntaxat.

XXIX. Enimvero istæc omnia procul abeunt ab hoc silentio, quod nunc tractatur. Nam vt à postremo incipiam; ea verba cum primis tacentur, imo taceri iubentur, quæ maxime constant ex Scripturis. Etenim hæc solenia consecrationis verba, quorum causa tota hæc est adornata tragœdia, vt constat exemplo illorum pastorum: hæc, inquam, verba nullus habet ἐκ σεσιωπημένης καὶ μυστικῆς παραδόσεως; ἀπὸ ἐγγράφων. Quis hic lusus est, vt quod Basilius dixit de traditionibus non scriptis, transferatur impune inscriptas? Nam id quod vos veremini Sophistæ, iam factum, si fieri aliter non potuit. Nolebat Basilius eam traditionem θριαμβεύεσθαι ἐν γράμμασιν, atque id periculosum existimabat τῷ σεμνῷ τῶν μυστηρίων. Hæc autem verba iam θριαμβεύονται ἐν γράμμασιν. Quid ergo vobis cautionis superest?

XXX. Deinde silentium hoc non est ab initio indictum, institutum: sed longo post inuectum tempore, ipsismet fatentibus aduersariis, repetentibus ab iis pastoribus fabulosis, qui causam dederunt edicto. Durandum audi, *Fertur enim quod cum antiquitus publice & alia voce canon diceretur* (Ergo ab origine) *omnes pene per vsum illum sciebant, & in plateis, & in vicis decantabant. Vnde cum quidam pastores illum in agro cantarent & panem super lapidem posuissent, ad verborum ipsorum prolationem panis in carnem conuersus est: ipsi tamen diuino iudicio igne cœlitus immisso percussi sunt. Propter quod patres statuerunt verba ista sub silentio dici.* Eheu vos ô stupidi, jamne intelligitis tandem, quid nobis Basilius prosit? Is dixit, ea quorum dignitati contraria publicatio est, fuisse ab initio tradita per silentium. At vos fatemini ista mysteria non fuisse ab initio tradita per silentium: sed potius omnibus permissa audiri. Quid igitur ad hæc verba pertinet Basilius.

XXXI. Denique quomodo, quando, apud quos hæc tacentur verba? Volebat Basilius apud ἀμυήτους, οἷς οὐκ ἔξεστιν ἐποπτεύειν. Volebat ideo taceri extra celebrationem. At vos, ô portentum! vultis taceri in media ipsa celebratione: taceri vultis apud τοὺς μεμυημένους; apud ἐπόπτας. Atque hos ipsos tanto habitos indignius, quanto impudentius porcis æquatos; quibus non obiici margaritas Christus monuit, *Ante porcos, id est*, inquit Gorranus, *homines carnales, de quibus Paulus, malæ bestiæ*, inquit, *ventres pingues.* Eia vero notate: porcos appellatis eos apud quod negatis alta voce pronuntianda mysteria. At hæc eadem negatis pronuntianda apud plebem communicaturam ijs mysteriis. Ergo vos mysteria communicatis porcis. Eia negate jam porcis vos obiicere margaritas.

XXXII. Arceri solitos ab huius olim Sacramenta celebratione Catechumenos, Energumenos, Pœnitentes, notius est, quam vt oportuerit moneri: Veruntamen quid hoc ad rem? Atqui non agimus de excludendis, sed de illudendis iis, qui admittuntur. Nam Veteres quidem nihilominus apud reliquos alta voce consecrationem pronuntiabant; quod nos volumus. At Papistæ, neque excludunt hodie, quenquam; & apud assistentes silentio vtuntur altissimo, religiosissimo. Quid simile? Docuerunt Veteres eo exemplo, quicunque assisterent celebrandis mysteriis, eosdem non indignos, qui audirent mysteria: & qui indigni essent, qui audirent, eosdem indignos qui viderent. At sapientissimi nostri Papistæ, vt supra humanitatis captum cautissimi; æque dignos indignosque permittunt videre: æque dignos indignosque prohibent audire. Nouum profecto, atque admirandum religionis, prudentiæque genus.

XXXIII. Ab ea exclusione alia nata cautio; vt ne facile præsentibus iisdem sermo haberetur de iisdem mysteriis, etiam extra celebrationis tempus. Theodoretus Dialogi secundi capite quarto & vicesimo, *Quid vocas oblatum donum ante inuocationem?* οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν. εἰκὸς γάρ τινας ἀμυήτους παρεῖναι, *Non est aperto sermone vtendum: fieri enim potest vt adsint aliqui nondum mysteriis initiati.* αἰνιγματωδῶς ἡ ἀπόκρισις ἔστω, *Proponatur*

tur ergo in forma ænigmatis responsio. Et sunt huiusmodi Veterum testimonia plurima.

XXXIV. Sed eandem omnium ratio: neque enim apud omnes æquè is mos fuit: sed apud illos ἀμυήτους. Quo præiudicio manifestum est initiatorum priuilegium contra esse; vt ne quid apud eos reticetur. Quis enim non intelligit, qui neget apertè loquendum propter prophanos, eundem libere loquuturum si præter initiatos nullus adsit? Et sane, quorsum silentium apud gnaros? Augustinus de Verbis Domini sermone 46. *Sicut audiuimus, cum Sanctum Euangelium legeretur, Dominus Christus Iesus exhortatus est promissione vitæ æternæ ad manducandum carnem suam, & bibendum sanguinem suum. Qui audistis hæc nondum omnes intellexistis. Qui enim baptizati & fideles estis, quid dixerit, nostis: qui autem inter vos adhuc Catechumeni, vel audientes vocantur, potuerunt esse, cum legeretur, audientes, nunquid & intelligentes?*

XXXV. Præterea, cur silentium in consecrando, solum in Eucharistia solenne est, si pendet ab hac ratione, hocve exẽplo: cum hæc profanorum cautio sit non ei peculiaris, sed communis Sacramentis? Sacramentis; inquam, non huius proprijssimæ definitionis, quæ Baptismo cum Eucharistia peculiaris: sed etiam latioris illius? Habeo testes. Dionysius ille Aeopagita, si credere fas, Hierarchiæ Ecclesiasticæ initio, præfatur toti libero, vbi de Baptismo, de Eucharistia, de vnguento, de ordinatione, & ordinibus, de monachis, de exequiis prolixe agit; præfatur, inquam, in hæc verba. ἀλλ' ὅρα ὅπως οὐκ ἐξορχήσῃ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, εὐλαβηθήσῃ δὲ, καὶ τὰ τοῦ κρυφίου θεοῦ τιμήσεις νοεραῖς καὶ ἀοράτοις γνώσεσι, ἀμέθεκτα μὲν αὐτὰ καὶ ἄχραντα τοῖς ἀτελέσι διατηρῶν, ἱεροῖς δὲ μόνοις τῶν ἱερῶν μεθ' ἱερᾶς ἐλλάμψεως ἱεροπρεπῶς κοινωνῶν. *Vide autem ne Sancta Sanctorum enunties sed reuereare potius: & quæ occulta Dei sunt, cognitione mentis & animi in honore habeas ac pretio: ita vt ea & non initiatis non tradas, atque cum iis solis, qui sancti erunt, cum sancta illustratione pro sacrarum rerum dignitate communicet.*

XXXVI. Sic ille de omnibus mysteriis generaliter. Nunc de Baptismo Chrysostomus in 4. ad Galatas. τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ διὰ τοῦ ἱερέως λεγόμενα ἅπερ ἴσασιν οἱ πιστοὶ, ταῦτα ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ τῶν ὑδάτων, καθάπερ νηδύν τινι διαπλάττει καὶ ἀναγεννᾷ τὸν βαπτιζόμενον, *Verba Dei, quæ norunt fideles, hæc in aqua lauacro per Sacerdotem pronuntiata tanquam in vtero quodam formant ac regenerant eum qui baptizatur.* Clarius in priorem ad Corinthios homilia quadragesima. Ἀναμνῆσαι βούλομαι τοὺς μεμυημένους ὑμᾶς, *Vobis qui mysteriis estis initiati volo in memoriam reuocare eam dictionem, quam in illa vespera iubente vos dicere* οἱ μυσταγωγοῦντες ὑμᾶς *qui mysterio initiant,* Καὶ βούλομαι μὲν σαφῶς αὐτὸ εἰπεῖν· οὐ τολμῶ δὲ διὰ τοὺς ἀμυήτους· οὗτοι γὰρ δυσκολωτέραν ἡμῖν ποιοῦσι τὴν ἐξήγησιν, ἀναγκάζοντες ἢ μὴ λέγειν σαφῶς, ἢ εἰς αὐτοὺς ἐκφέρειν τὰ ἀπόρρητα· πλὴν ἀλλ' ὡς ἂν οἷόν τε ᾖ συνεσκιασμένως ἐρῶ: *Et volo quidem aperte hoc dicere: non autem propter eos qui non sunt initiati: ii enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, vt qui nos cogant vel non aperte dicere, aut eis arcana enuntiare. Sed tamen dicam, quo ad eius à me fieri poterit, tecte & adumbrate.* Cyrillus contra Iulianum 7. vltima refutat. *Vt igitur non in aures eorum, qui non initiati, occulta proferens, impingam in Christum dicentem, Ne detis sancta canibus, neque proiiciatis margaritas vestras ante porcos: profundioribus relictos, conuertam me nunc potius ad ea, ex quibus videre licet aduersarium temere nugari.* Paulo post, *Dicerem sane de his etiam multa alia, & vera demonstrans, per Mosen & Prophetas præfiguratum esse hoc Sacramentum, & non nouum & nupere ortum, & à nobis inuentum, nisi, sicut iam prædixit, reuererer non initiatorum aures.* Viden in Baptismo æquam cautelam? Nimirum ex eadem causa. Concilium Arausicanum primum canone decimo nono, *Ad Baptisterium Catechumeni nunquam admittendi.*

XXXVII. Chrysostomus homilia septuagesima nona ad populum Antiochenum de oratione disserens, *Quod hac sit oratione potentius, quæ columnam & Ecclesiæ turrim* Petrum *adiuit? Et Catechumenis quidem permissum hoc nondum est, quoniam nondum hanc peruenere fiduciam: vobis autem & pro terrarum orbe & pro Ecclesia, quæ vsque ad terræ terminos extenditur, & pro gubernantibus ipsam, & præsidentibus iubetur orationes emittere.* Patet ergo hunc olim morem fuisse, vt non omnibus potestas fieret vt interessent mysteriis Baptismi, Eucharistiæ, aut etiam precibus Ecclesiæ solennibus: quæ tamen certum est non agi consueuisse, cum agerentur, obscuro silentio, sed alta voce, vt audirent omnes, quibus dabatur adesse: cum tamen id silentium quo de nunc agimus, eo fiat, vt ne adstantes quantumuis initiati percipiant verba consecrationis.

XXXVIII. Porro illam quæcunque fuit cautelæ diligentiam, nunc pridem obliteratam esse tota Christianitate manifestum: adeo vt nec apud superstitiosissimos Papistas vllum retinuerit vestigium. Nam quis nescit vbique extra celebrationis tempus, vbique & apud quoscunque impune differi disputarique de mysteriis quibuscunque? Videmus in sermonibus ad populum Chrysostomi εὐλάβειαν: vidimus Theodoreti, in scriptis disputationibus. Quis nescis contra, conciones hodiernas Papistarum in pulpitis: quis ignorat disputationes scriptas: quis non interfuit disputationibus publicis, apud omne genus auditores? quis, inquam, ignorat vbique hæc ipsa sacratissima verba; has ipsas paucissimas syllabas, in quibus prora, & puppis Sacramentorum tam impune efferri, disceptari, examinari, repeti, inculcari, quam quæ maxime publica sunt & prophana? Mentiar si vel voculam reticuerint Panigarolla, Vigor, Hilaretus, alij homiliastæ. Et sane caussa remouendæ superstitionis non latet. Olim propter non initiatos metus fuit; nempe quia plurimi baptizabantur non nisi adulti. At nunc nemo Christianus, qui non à prima infantia initietur. Si ergo libere mysteria efferantur apud initiatos: & initiati sint omnes: quis locus esse potest ei timori? Itaque etiam antiquata illa denuntiatio, quæ jubebat excesse Catechumenos, & energumenos. Quare mirabilis est Papistarum peruersitas, apud quos adeo præposterata disciplina est; vt tum silentium pertinacissime seruent, cum alta voce opus est: tum contra vtantur alta voce, cum silentium olim videbatur necessarium.

XXXIX. Addo, ne illius quidem silentij vsum, quem apud Veteres obseruauimus, fuisse ab initio. Primo enim non tantum in Christi institutione simile nihil apparet: cum contra constet, omnia sic dicta, vt à communicaturis audirentur: quod ipsa series indicat: Dixit, *Accipite, edite; Hoc est corpus meum: Accipite, bibite, hic est enim sanguis meus:* quæ verba non potest vlla Sophistice negare fuisse ad Apostolos directa. Non erat autem tam alienus ab humanitate Dominus, vt quos alloqueretur, eos nollet audire quæ diceret. Non tantum, inquam, ita Christus: sed & Paulus aliquot annis postea ad Corinthios, id est promiscue ad eos qui crediderant ex Corinthiis scribens eam Epistolam, quæ elata voce legi solita in Ecclesiis, nihil reticuit eorum quæ maxime mystica sunt, essentialiaque. Quo exemplo, quis neget præiudicatum fuisse potentissime aduersus silentium? Non enim minus erat periculi ne inciderent eius scripta in omnium manus, quam quæ scripsit Theodoretus, aut quisquam alius.

XL. Rursus post Paulum, cui, quæso hominum generi interdictum fuit operibus Iustini, Tertulliani, Irenæi, Origenis, Cypriani? Ast in iis etsi describantur hæc secretissima, sic enim volunt, verba; tamen nullum apparet silentij, imo ne ænigmatis quidem vestigium, nulla obscuritatis religio. Et quidem Iustinus eo animo scribebat Apologiam, vt incideret in manus non initiatorum: imo aperte infidelium; atque adeo paganorum. Denique Beletus diuinorum officiorum cap. 44. *Secreta dicitur, quia secrete pronuntiatur: cum tamen alias alta voce diceretur, ita vt ab omnibus facile laicis teneretur.*

XLI. Supersunt Pastores miraculosi testes, si testes, quorum nihil præter cineres; si tamen etiam isti. Sed alioquin ignoratæ personæ, neque obseruati temporis, neque loci designati: sed repente ἀψυχαλόγητοι, quasi de cœlo depluti, in nullum alium finem, nisi vt iuberent silentium. Sic Æsopus solebat suis fabulis præfari. Ἄνθρωπός τις εἶχεν ἵππον καὶ ὄνον. Ἄνθρωπός τις πρὸς σάτυρον φιλίαν ποιησάμενος. Ἄνθρωπός τις ξύλινον ἔχων θεόν. Ἔχων τις γυναῖκα: & similia plurima, quæ fingebat facta, nunquam tamen facta. Quid enim facilius? Ac sane Papistica religio euasit hoc modo officina miraculorum: adeo vt nullum problema tam ex improuiso possit proponi, cui non sint in promptu miraculorum myriades. Beatos homines nouo artificio, noua libertate: quibus cum semel efflatum, nec profecto inhalatum, sed ἐκφώνως boatum grande illud, *Vnde fertur*, nulla insuper fides præstanda: nihil dubij supersit, quominus iacta sint immanium fidei articulorum solidissima fundamenta.

XLII. Sed recitauit Sophronius, cuius temporibus id accidit: & citatur iste in Niceno Concilio secundo; item oratione 3. de imaginibus à Damasceno. Ipsa autem historia etiam ab Alcuino de diuinis officiis, cap. de celebratione Missæ. Sic Richeomus fabulæ fidem conatur adstruere, ne prorsus esset deserta. Ego in Alcuino vidi; sed eodem artificio, *Vnde fertur.* Sophronium non ignoro autorem laudatum in illo Conciliabulo, & apud Damascenum. Sed de imaginibus garrientem, itaque non tantum, aut nomine, aut re, vt ineptæ fabulæ fidem possit conciliare. Nam & tunc temporis idololatria flagrans, multiplicabat miracula sine fine, & modo.

XLIII. Sed pergamus, *Propter quod*, inquit Durandus, & succinit Hardingus, *Patres statuerunt, verba ista sub silentio dici.* Eia Patres. Vtopicos sine dubio. Nam Ecclesiasticos habent prorsus nullos; non singulos, non in Synodo. Immanem audaciam! fingunt miracula, vt terreant; quot, quanta volunt: supponunt decreta Patrum, vt imperent, pro libitu. Quid superest ad criminis cumulum? Sed enim propterea statuerunt. Quasi legitima causa esset, ab eo abusus exemplo; quod vnicum acciderit, si accidit, ab orbe condito, longam solennemque consuetudinem immutandi; imo diuinæ institutionis autoritatem pessundandi. Tum autem quis diceret propterea ignem delapsum, quod ea verba fuissent prolata: & non potius, quod prolata super pane? Consequens erat igitur, vt sicut indixerunt silentium, boni paterculi; prohiberent etiam panem in celebrando spectandum proponi. Nam hæc ratio propria huius peccati: cum alioquin sine pane liceret impune pronuntiare; atque adeo tunc per compita vulgo cantarentur, absque vllo igni periculo. Quid? cur non dixerunt factum, propter locum prophanum? Nam nec sacrificuli ausint nisi super altari, saltem portatili: ita enim appellant frustum marmoris in eos vsus paratum.

XLIV. Quare autem in cineres tam misere redacti; quod noluit iis euenire Christus, qui se excluserant hospitio, Lucæ nono? Quia panis in carnem mutatus. Scilicet τῶν ψευδομένων ἀνδρῶν ἔλεγχος τὰ πράγματα γίνεται; aiebat olim Æsopus, magnus Papista, qua magnus fabulator. Sic & suo perit indicio sorex. Nempe Transubstantiationis γνήσιον φρόνημα. Non opus est pluribus.

XLV. Vnum moneo, caueant viri astutissimi ne ipsi seipsos iugulent. Pronuntiatis, aiunt, verbis mutatus est panis in carnem: illam videlicet quæ iis significabatur verbis: nam quomodo in aliam? Itaque ea verba suum habuere effectum. Nam si credimus Papistis doctoribus, id effectum est verborum consecrationis in hoc Sacramento, vt transubstantientur elementa. Biel Epitome in Canonem, ad illud, *Hoc est enim: Consecratio nihil aliud est, nisi prolatio verborum, siue verba prolata, quibus fit conuersio panis in corpus, & vini in sanguinem Christi.* Sed enim qui pronuntiabant, pastores erant ouium, non Sacerdotes. Atqui si non proferant Sacerdotes, negant harum rerum consultissimi Papistæ quicquam fieri. Bellarminus capite decimo sexto quarti, *Semper in Ecclesia pro indubitato habitum est, ita necessariam esse ordinationem Sacerdotalem ad Eucharistiam conficiendam, vt sine ea nullo modo confici possit.* Suares disputationis sexagesimæ primæ sectione tertia, *Vt hæc verba sint efficacia necesse est, vt à Sacerdote consecrato, & rite ordinato proferantur. Hoc est de fide.* Soto in distinctionem 13. quæstione 1. articulo 1. ex Thoma, *Proprium est Sacerdotum conficere hoc Sacramentum.* Et probat. Nemo potest conficere nisi in persona Christi: nemo in persona alterius agere quicquam potest, nisi per potestatem ab ipso illi collatam. Itaque Solis Sacerdotibus, cum ordinantur, confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi. Et postea ex Isidoro, Concilioque Florentino, *Solis Presbyteris facultatem inesse consecrandi: ita vt si quis extra ordinem Sacerdotalem hoc Sacramentum consecrare tentaret, nullum esset Sacramentum.* Gabriel Biel Epitomæ in Canonem, capite secundo, *Nullus, qui non est Sacerdos, celebrare potest, id est Eucharistiam conficere, licet omnia ageret intentione, verbis, & gestibus, quæ Sacerdos consecrans agit. Vnde nec Angeli, nec mulieres, nec laici consecrare possunt.* Katnkouski thesi 2. controuersiæ quintæ, *Eos omnes, qui nequaquam sunt Hierarchica potestate in opus Domini per impositionem manuum Presbyterij segregati, cer-*

tissimum habemus rem solam quidem, sensibilem paniſque naturam, & proinde panem solummodo pistorium, Sacramenti vero nihil, nec percipere, nec ministrare Hæc cum ita sint, videant Sophistæ: vtrum præstet, Sophroniine fabulam mendacij arguere; an suos articulos retractare.

XLVI. Negat Bellarminus panem mutatum in carnem. Cur ? Nam alii affirmant. Beletus quadragesimo quarto diuinorum officiorum, *Contigit vt quodam tempore Pastores panem super lapidem quendam ponerent, qui dum huius secreta verba proferrent, in carnem conuersus est, & forsitan transubstantiatus, vt sic loquar, in corpus Christi.* Durandus similiter, *Ad verborum ipsorum prolationem panis in carnem conuersus est.* Biel in Canonem, lectione decima quinta, *Cum quidam Pastores in agro pane lapidem posito canonem dicerent, ad prolationem verborum illorum, panis conuersus est in carnem.*

XLVII. Denique Pastores in agris omnes consumpti. Quis ergo Patribus illis nuntiauit, vt resciren t, rem tantam, tam in solitudine gestam? Negat interfectos Bellarminus: sed tantum attonitos. At Beletus, *In quo diuinitus facta est acerrima vindicta: nam ad vnum omnes percussi sunt diuino iudicio diuinitus immissio.* Vter splendidius mentitur? Bellarminusne nouos Zacharias in scenam producens, aliquanto tempore mutos : an Beletus, quasi Sodomiticam vindictam renouans? Amplietur sane consultatio. Ego pergo ad aliasrationes.

XLVIII. Sextam Richeomus exhibet. Hoc silentium homines reddit intentos Deo. Occludit enim aditus sensuum ; atque animam quieti reddit.

XLIX. Laudo curam pietatis. Sed, ô boni, vultisne id nobis persuasum occludendos omnes sensuum aditus, vt intenti fiant homines Deo? Quid ergo apud vos imagines faciunt; Nam hæ non occludunt aditum visus. Et tamen subinde occinitis, per imagines dirigi animam in Deum. O impudentes: Quæ vestri sunt sceleris, ea mordicus tenetis : quæ instituti sunt diuini, hæc vero excogitatis commentis impugnatis. Quod si etiam auditum excipitis, vnde apud vos ipsos tantum musicæ studium, vt nihil nisi cantetis in vestræ pietatis actibus & cum intentissime vos putatis Deum orare? Rursusne verum vos in vestris rebus ne trabem quidem sentire in diuinis institutis, etiam festucas calumniari ? Cæterum falsum est, omnes excludendos sensuum aditus, cum intendendum est Deo. Certe Maria, quæ meliorem partem elegerat, non occludebat aures: neque apud eum Dominus exhalabat verba; id est, vt monstrose loquebatur Durandus, non sub silentio dicebat. Et Actorum octauo: προσεῖχον οἱ ὄχλοι τοῖς λεγομένοις, *Intendebant turba his quæ dicebantur.* An quia Philippus susurrabat Imo κηρύσσων prædicabat, nimirum alta voce: nam illud est κηρύσσειν. Lyranus in prioris ad Corinthios decimumquartum, *Si populus intelligat orationem seu benedictionem Sacerdotis, melius reducitur in Deum, & deuotius respondet, Amen.* Sed & Hardingus, *Ratio clara voce pronuntiandi in Ecclesia Graca ideo vsurpata est, quo inde populus ad fidei sua confirmationem excitaretur, & admoneretur, vt ea, quæ pronuntiarentur, assentiri, atq; fidem adhibere testificaretur.*

L. Septimum rationem Bellarminus excogitauit. Habemus, inquit, exempla Latinæ, Græcæque liturgiæ; tum etiam Sacrificiorum veteris legis: denique ipsius Christi. In Græca, quædam ἐκφώνως dici, quædam, μυστικῶς, id est alta voce, & silentio. In Latina; Innocentium primum Epistola prima, capite primo, aperte indicare præcipuam partem missæ esse secretam; nec audere aperire quæ sint illa, quæ recitentur ante quam pax detur. In veteri lege, describi, Leuitici decimo sexto solenne Sactificium intensi, iuberique solum Sacerdotem intra velum ingredi, sacrificare, atque orare pro se, proque populo, omnibus aliis foris exspectantibus, & non modo non audientibus, sed ne videntibus quidem denique Christum in cruce (quod exemplar fuit omnium Sacrificiorum) in silentio oblationem peregisse, triumque horarum spatio loquutum esse audientibus circunstantibus, non nisi septem breuissimas sententias.

LI. In Liturgia Græca verum est, quædam μυστικῶς quædam ἐκφώνως fuisse prolata. Veruntamen quid hoc ad institutum præses ? Nam constat in iis quæ fuerunt in ordine secundo, esse nominatim verba consecratoria : quæ tamen isti silentio obruunt. Vos, ô vos Papistæ istæc nunc nobis restituite, qui suffurati estis: vt clamet Sacerdos, *Hoc est corpus meum*, tam alte vt plebs vniuersa audiat, intelligat: postea reliqua viderimus. De illa autem distinctione dicam capite proximo.

LII. In Liturgia Latina magnum mendacium : nihil enim tale testatur Innocentius. Loquentem audi, *Pacem ergo asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter Sacerdotes tradere, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda.* Hæc ille. Mitto, quam Bellarminus dicit magnam partem : nihil enim interest : sed eam partem esse secretam, quomodo intelligit ? Ipsane in celebratione, an extra? Hoc enim, itidem fateor vt ante, cum religio erat non initiatos admittere ad spectanda sacra : non, inquam, partem Sacramenti, sed vniuersum Sacramentum. Illud autem penitus nego. Nam Innocentius negat se tunc temporis, id est cum scriberet ad Decentium Eugubinum, debere dicere ; at non negauit se debere pronuntiare in Ecclesia. Cur enim minus quam Græci.

LIII. At si totus populus, inquit, illa audire consuesset, nihil fuisset secretum, & facile potuissent literis committi, quæ erant omnibus nota. Omnino ita est, inquam. Sed quis dixit totum populum consuesse audire? Atqui populus pars erat ἀμύητοι, pars μεμυημένοι. Illis neque videre licebat, neque audire. Et hi satis erant, vt non auderet omnia literis Innocentius committere.

LIV. De veteri lege pudet me respondere, etsi Bellarminum non puduerit obiicere. Abscondat sese sacrificulus : secedat à populo, petat arcana recessus, vnde neque videri possit, neque audiri : actum nemo silentium exprobat. Sed quamdiu tam dispar causa erit, vt publice, coram omnibus, imo cum omnibus teneatur Sacramentum celebrare; & ex instituto inuita re omnes ad comedendum & bibendum, non feret impune, qui tam maligne beneficia Dei dispensabit, vt illudat silentio.

LV. Christus in silentio peregit oblationem sui. Quomodo in silentio ? At vt loqueretur nunquam ? Ne tu quidem credis, qui loquutum agnoscis saltem verba septem. An ergo, vt hæc septem verba exhalarent duntaxat, hoc est silens loqueretur, loquens sileret ? Imo omnia voce clara; vt exaudirentur omnia distincte à circunstantibus : semel etiam exclamauit voce magna, ἀνεβόησε φωνῇ μεγάλῃ Matthæi vicesimo septimo cæterum nihil dixit. Videre ergo Papisticam peruersitatem. Profitentur imitari Christum, qui vel tacuit prorsus, id est non tantum non eleuauit vocem, sed neque inhaluit : vel voce clara, distincta, commoda loquutus est. Et tamen neque prorsus tacent, cum tacere profitentur : neque loquuntur, quum loqui affectant : sed nouo quodam monstroso que commento, cum loquuntur tacent, cum tacent loquuntur. Et non illudunt Deo, non illudunt hominibus. Quanquam exemplum non erat legitimum : Christus enim nullum Sacramentum celebrabat : sed rem Sacramenti peragebat. Non est autem par ratio. Nam res ipsa absque vllis verbis potuit peragi siue elatis, siue inhalatis : at Sacramentum nullum esse potest absque certis, conceptisque verbis ; vt alias concessum. Quare etsi Christus omnino nihil esset eloquutus in Sacrificio suo : tamen Sacerdos in eius Sacrificij Sacramento teneretur loqui.

Cap. IX.

Contra secretam pronuntiationem Consecrationis.

I. NObis instar omnium argumentorum est Institutio Christi. Exempla repetunt illi aliunde, & aliena: ac sperant recte concludere, si dixerint; Sacerdotes Leuitici semel in anno tacentes sacrificabant : Christus tacuit cum se ipsum obtulit : Ergo Sacerdos Papista tacere debet cum Missam consecrat : cum tamen antecedentia illa alterius sint generis à consequente. At nos quanto justius à Christo argumentamur, & ab eius hac ipsa actione ? Potestne iniusta ratio videri ?

II. Porro Christus sic celebrauit primus, vt ab omnibus adstantibus audirentur & omnia, & hæc ipsa consecratoria, quæ hodie appellant, verba. Iussit accipere, edere, bibere. Nam diserte, *Accipite, edite : accipite, bibite.* Hæc certe ne præfractissimi quidem Sophistæ negarint dicta præsentibus, audita præsentibus. Nam quis furor, juberi quem quid agere, vt tamen jubentis verba non audiat ? Nam profecto non mentitus est Paulus prioris ad Corinthios decimo quarto, *Si incertum sonum tuba dederit* (quanto magis si nullum) *quis apparabitur ad bellum?*

III. Inde constat, etiam ista, *Hoc est corpus meum : hoc est sanguis meus,* similiter etiam audite ; vtpote in eodem eiusdem orationis contextu : & vt Apostoli scirent quid ageretur. Non enim voluit Christus ignaros esse mysteriorum, qui mysteriorum participes essent. Quod quis in Apostolis negarit, qui audierit Paulum de Corinthijs dicentem, *Vt peritis loquor,* decimo prioris ? Et quidem in huius Sacramenti sermone. Et sane debuerunt ipsi, æque ac posteri discernere corpus Domini. Quæ autem discernendi ratio, si nulla præcessisset admonitio ? Nulla autem, quæ non audita.

IV. Imo in altera specie diserte apud Matthæum, *Bibite ex eo omnes: Hoc est enim sanguis meus.* Vnde factum vt etiam in pane similiter Canon Romanus habuerit, *Accipite, & manducate ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum.* Vt vtrinque ratio exprimatur accipiendi : nimirum cum prædicitur, quantum sit in ea sumptione beneficium : nam & propterea vtrinque additum, *Quod pro vobis frangitur : Qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Est autem peccatum aduersus sensum communem, vt quibus quid faciendum imponitur, iis quisquam velit rationem faciendi esse incognitam: Quibus beneficium commendetur iisdem beneficij magnitudinem taceri : & quidem, quod excedit omnem admirationem, non taceri omnino, sed ita dici, vt intra dentes mutitando, nihil ad aures perueniat.

V. Certe ego sic statuo ; Angelum, Matthæi 1. sic dixisse Iosepho, *Ne metuito accipere Mariam vxorem tuam* : vt non inuideret eidem, quod statim pro ratione subiunxit, *Nam quod in ea genitum est, à Spiritu Sancto est.* Similiter Petrum, Actor. 2. *Resipiscite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum ; & accipietis donum Spiritus Sancti, Vobis enim facta est promissio, & liberis vestris, & omnibus qui longe sunt.* His similia possunt exempla dari plurima : vnde constet ridiculos esse Papistas, si qui quam hominum fuit vnquam ridiculus.

VI. Bellarminus longe alia specie hoc sibi obiecit argumentum ; quam alij viderint otiosius. Ad rem respondet tripliciter. Primo, Christum ea verba pronuntiasse non solum vt consecraret : sed etiam vt Apostolos doceret ritum consecrandi. Itaque oportuisse eum loqui, vt ab Apostolis audiretur. Secundo: aliam esse rationem Sacrificij, aliam Sacramenti. Illud non in verbis, sed in oblatione consistere : ideoque Sacrificium fore verè externum, & sensibile, etiam si verba, quibus id efficitur, sentiri non possint. Nunc autem agi de Sacrificio, non de Sacramento. Tertio; ne in Sacramentis quidem necesse esse, vt audiantur verba; exemplo Baptismi, in quo infantes non audiunt.

VII. Sed nos ad primum instamus; Christum ea verba pronuntiasse non solum vt Apostolos doceret ritum consecrandi ; sed etiam, & quidem præcipua, vt ipse consecraret. Ratio manifesta, quia institutio Apostolorum consequens est consecrationis : non contra. Itaque necesse est ea verba audituris Apostolis pronuntiata, vt fieret, consecratio. Quod patet ex serie. Nam illa, *Hoc est corpus meum* ; addita sunt illis, *Accipite, comedite*; quibus imperatur vsus specierum non apud celebrantes, sed apud communicantes.

VIII. Præterea Christus nec separauit, nec distinxit, institutionem consecrandi ; à consecratione, tanquam actus duos re diuersos. Imo vnum ex alio eduxit : hoc est, eo ipso actu quo consecrauit, etiam instituit Apostolos, quomodo essent consecraturi. Itaque ridicule Bellarminus disparauit & præter Christi mentem: Addo eius disparationis nullum haberi testem in vniuersa Ecclesiæ historia : & commentum esse prorsus nouum, Bellarmino iam primum excogitatum.

IX. Ad secundum ; primum nego aliam hic rationem esse sacrificij, aliam Sacramenti. Quia videlicet nullum sit Sacrificium, nisi per Sacramenti rationem. Clarius dico, non aliter Eucharistiam dici Sacrificium, quam quia sit Sacrificij Sacramentum : quod alias disputaturi sumus plenius.

nius, cum Deo Deinde nego agi nunc de Sacrificio magis quam Sacramento: Non enim si superstitiose separant Papistæ Sacrificium à Sacramento: & vafre Bellarminus ad Sacrificium hanc quæstionem transtulit; ideo nos oportet non sentire, quoties illuditur nobis.

X. Ad tertium; nego sequi si in Baptismo non audiant infantes: Ergo in Eucharistia, non esse necesse sic pronuntiari verba, vt audiri possint. Nam contra est exemplum ipsum Baptismi. In quo etsi nihil infans capiat, tamen sic verba consecratoria pronuntiantur, vt audiri queant: neque quisquam aut mutauit vnquam, aut vocauit in controuersiam. Vnde patet, per accidens fieri, si non audiantur verba: nempe ex infantis infirmitate: non autem ex natura Sacramenti, siue eius celebratione: nam profecto adulti audiebant olim. Nec negamus posse tale aliquid accidere Eucharistiæ: alioquin surdi forent arcendi: quod nullus dixit.

XI. Institutionem Christi sequutus est similis vsus Ecclesiæ. In Liturgia Petri. Εὐλόγησεν, ἔκλασεν, ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, λέγων (ἐκφώνως) Λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον: [καὶ ἐπάγει λέγων μυστικῶς) ὁμοίως πάλιν μετὰ τὸ δειπνῆσαι λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ εὐχαριστήσας εὐλογήσεν, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς, λέγων (ἐκφώνως) πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου (ὁ λαὸς) Ἀμήν. *Benedixit, fregit, dedit Discipulis suis, dicens (elata voce) Accipite, concedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. (Deinde continuat summisse.) Similiter rursum postquam cœnatum erat, accipiens calicem & gratias agens benedixit, dedit sanctis suis discipulis dicens, (elata voce) Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus. Populus, Amen* In Liturgia Marci, *Accepit panem in sanctas, & immaculatas, & inculpatas manus suas suspiciens in cœlum ad te Patrem suum, Denique nostrum, & Deum vniuersorum, gratias egit. benedixit, sanctificauit, fregit, deditque sanctis & beatis Discipulis & Apostolis*, εἰπών (ἐκφώνως) λάβετε, φάγετε (ὁ διάκονος, ἐκτείνατε, ὁ ἱερεὺς ἐκφώνως) *dicens (elata voce) Accipite, comedite, (Diaconus, intendite: Sacerdos elata voce) Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis frangitur & distribuitur, in remissionem peccatorum. Populus, Amen.* Paulo post de poculo, *Tradidit sanctis & beatis Discipulis suis & Apostolis, dicens (elata voce) bibite ex eo omnes, (Diaconus rursus intendit: Sacerdos elata voce.) Hic est enim sanguis meus.* Et reliqua.

XII. In Liturgia Basilii. Ὁ ἱερεὺς κλίνει τὴν κεφαλὴν, καὶ αἴρων τὴν δεξιὰν αὐτοῦ μετὰ εὐλογεῖ τὸν ἅγιον ἄρτον, ἐκφώνως λέγων, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς, εἰπὼν λάβετε, φάγετε τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Ὁ χορὸς ψάλλει, Ἀμήν. Ὁ ἱερεὺς μυστικῶς. Ὁμοίως καὶ τὸ ποτήριον ἐκ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου λαβὼν κεράσας, εὐχαριστήσας, εὐλογήσας, ἁγιάσας (ἐκφώνως ὁ ἱερεὺς τὴν χεῖρα ἔχων ἄνωθεν μετὰ εὐλαβείας, καὶ εὐλογῶν λέγει) ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις, εἰπὼν πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης· τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Ὁ χορὸς ψάλλει, Ἀμήν. *Sacerdos inclinat caput & elata dextera cum timore benedicit sanctum panem, elata voce dicens, Dedit sanctis suis discipulis, dicens, Accipite, edite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum, Chorus cantat, Amen. Sacerdos secrete. Similiter & poculo & genimine vitis accepto, temperatoque, cum gratias egisset, benedixisset, sanctificasset, (Clara voce Sacerdos elata manu cum timore & benedicens, dicit) Dedit sanctis suis Discipulis & Apostolis, dicens, Bibite ex eo omnes: hoc est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum. Chorus cantat, Amen.* In Liturgia Chrysostomi. εὐλογεῖ τὸν ἅγιον ἄρτον, ἐκφώνως λέγων: *Benedicit sanctum panem, clara voce dicens, Accipite, comedite:* & reliqua. In calice ad verbum vt Basilius.

XIII. Notandum diligenter in iis Liturgiis à Sacerdote dici quædam μυστικῶς secrete, quædam ἐκφώνως alta voce: Quæ creberrima annotatio est in Basilij, Chrysostomique liturgiis. In Petri nusquam occurrit τὸ μυστικῶς: sed ἐκφώνως tantum; & quod idem est, λαμπρᾷ τῇ φωνῇ. Nec videbatur admodum necesse: quia ex vnius positu, alterum facile erat intelligi. In Iacobi Liturgia neutrum habetur.

XIV. Occurrit autem τὸ ἐκφώνως, cum peculiariter plebem oportet moneri, vt respondeat. In Petri. εἶτα ὁ ἱερεὺς λέγει λαμπρᾷ τῇ φωνῇ ὁ κύριος μεθ' ὑμῶν. Ὁ λαὸς καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου. *Postea Sacerdos dicit clara voce, Dominus vobiscum. Populus: Et cum Spiritu tuo.* In Basilij. Ὁ ἱερεὺς ἐκφώνως Εὐλογημένη ἡ βασιλεία τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ὁ χορὸς, Ἀμήν. *Sacerdos alta voce. Benedictum regnum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nunc & semper in secula seculorum. Chorus, Amen.* In Chrysostomi Ἐκφώνως· ὅτι πρέπει σοὶ πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις, τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ὁ χορὸς, Ἀμήν. *Elata voce Quoniam te decet omnis gloria, honor, & adoratio, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, nunc & semper & in secula seculorum. Chorus, Amen.* In Marci χάριτι καὶ οἰκτιρμοῖς καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ (ἐκφώνως) δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ σοὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ὁ λαὸς, Ἀμήν. *Gratia, & commiserationibus, & benignitate vnigeniti filii tui (Elata voce) per quem & cum quo tibi gloria, & imperium cum sanctissimo & bono, & viuifico spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum Populus, Amen.*

XV. Res est iam sole clarior ipso. Spero nemini vnquam persuasum in maximam Liturgiæ partem summissa voce tam inuide, tam maligne pronuntiatam fuisse; vt aut silentium esset, aut inconditum, incognitumque murmur. Nota igitur δὶς διὰ πασῶν dissentire nunc Ecclesiam Romanam ab Ecclesia pristina. Nam illa, hæc consecrationis verba taceri iubet maxime: hæc autem tum maxime Sacerdotem monebat attollere vocem, cum ad ea verba deueniret. Et hoc amplius in Marci Liturgia, monebatur plebs ἐκτείνειν intendere: nempe vt tum maximo animo præsens esset vt hanc mysterij partem assequeretur ante omnia. Proh! vices temporum! vices hominum! Adeon esse degenerem pietatem Christianam! Adeon mutasse quadrata rotundis! Adeon insanisse solennia?

XVI. Bellarminus hinc conficit licere quædam dici sub silentio. Etenim illud μυστικῶς, non significare vocem moderatam, sed plane secretam. Nec enim dici mysteria, quæ moderata voce publicentur, sed quæ omnino celentur.

XVII. Imo phrasin, *dici sub silentio*, Papistæ soli nouerunt: Veteres si audissent cachinnum tenuissent nunquam. Sed Papistis priuilegium est non raro insanire. Falsum est mysteria omnino celare; & contra omnem vsum siue Christianorum, siue paganorum etiam, à quibus primis nomen manauit. Sed verum sileri apud ἀμυήτους. Itaque μυστικῶς non significat plane secretam vocem: sed eam quæ exaudiri possit tantum ab initiatis.

XVIII. Res ipsa per se loquitur. Nam iis precibus, quæ μυστικῶς recitabantur nihil est plane, quod necesse fuerit non audiri: aut si audita fuerint periculum vllum crearent pietati. Exempli gratia. In Chrysostomi. Εὐχὴ ἀντιφώνου πρώτου μυστικῶς, *Oratio primi Antiphoni summisse. Domine Deus noster, cuius imperium supra coniecturam, cuius gloria supra captum: cuius misericordia supra mensuram, & benignitas excedit sermonem. Tu Domine pro miseratione tua respice in nos, & domum tuam sanctam, & effice erga nos, eosque qui precantur nobiscum, diuites miserationes tuas.* Quid hic est, quæso, quod non quilibet Christianus libere possit orare vbicunq; locorum & gentium? Quid ergo attinebat has preces inhalari, aut demurmurari? Sed & aliæ sunt omnes eius generis.

XIX Addit Bellarminus, Sacerdotem eas preces secreto recitare, dum Diaconus alta voce caneret Litaniam, vel dum cantores alia quædam concinerent. Proinde non potuisse populum iis attendere, quæ diceret Sacerdos: itaque hæc proprie & vere secreta fuisse.

XX. Respondeo me hæc legisse in Liturgia Chrysostomi post Antiphonum primum. Τοῦ ἱερέως λέγοντος τὴν εὐχὴν μυστικῶς ἐν τῷ βήματι ἐν τῷ αὐτῷ καιρῷ ὁ διάκονος λέγει ἔξω τοῦ βήματος τὰ εἰρηνικά. *Dum Sacerdos dicit orationem summisse in suggesto, eodem tempore Diaconus dicit extra suggestum pacifica.* Vbi ego quidem non video quod notauit Bellarminus, Diaconum alta voce canere. Et crediderim potius Diaconum summissius egisse; vtpote extra suggestum. Nemo enim nescit in suggesto solere ea dici, quæ audiri oporteat, tanquam ex loco sublimi, vnde in omnes facilius vox spargatur. Nam is proprius suggesti vsus.

XXI. Et tamen quid nugatur Bellarminus? Probet fortasse alia quædam tacita fuisse, Sed de consecratione quid? Ne verbum quidem, Ergo eius deserta causa est Nam hanc negare non potest non tantum pronuntiatam, sed etiam alta voce, quasi detonatam. At hæc nunc quæstio agitatur, Itaque Sophista nihil promouit.

XXII. Apud Richeomum alia solutio est. Vere cum morem fuisse olim: sed in Ecclesia Græca. Non sequi autem, si Græci sint vsi eo more: ergo omnes haud aliter debere. Alioquin æque contra dici posse, quia Latini summisse pronuntient; ergo Græcos similiter debere. Porro illud Augustinus valere Epistola 86. *In iis rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel instituta maiorum, pro lege tenenda sunt.* Et 118. *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos viuitur societate seruandum est.* Etenim alta summissave pronuntiatio: neque contra fidem est, neque contra bonos mores. Ergo sequendum in eo mandatum Ecclesiæ.

XXIII Atqui, inquam, argumentum nostrum non est ab Ecclesia Græca tantum, sed tanquam obseruante Christi institutum. Itaque non est par Latinæ ratio; quæ manifeste recessit à Christo: & innotauit id, quod aliter erat institutum. Hic autem, vt alibi cur non valeat illud solenne, *Ab initio non erat sic?* Et vbi illa sunt, quæ alias tam violenter torquent aduersarij in eos qui discedunt à pristinis institutis? Aut quis ignorat quam insolenter iactare soleant illud, Prouerbiorum vicesimo secundo, *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui?* Nam hic profecto effugere non possunt, quominus ream peragant Ecclesiam Latinam transgressorum eiusmodi terminorum. Nisi hoc potius verum sit, hanc eandem Ecclesiam pro patribus non agnoscere Patres illos Græcos: imo ne Christum quidem: quod nos habemus pro certo.

XXIV. Concedimus Augustino tenenda instituta maiorum, in iis rebus in quibus certi nihil præscripsit Scriptura: & quæ neque sunt contra fidem, contrave bonos mores. Sed primum negamus hoc silentium vllum esse maiorum institutum, vllum Ecclesiæ mandatum: sed nouitium commentum colluuiei superstitiosissimæ, eorum, qui æquè Deum atque homines ludibrio habent. Vin scire? Nulla id Synodus antiqua sanciuit: nullus Pater priscæ ætatis docuit: sed solum Tridentinum crepitaculum nuper orbem territauit. Egregium vero nomen: & dignum cuius occasione nobis Richeomus Ecclesiam, nobis Patres ingeminet.

XXV. Denique hoc silentium est & contra Scripturam; & contra bonos mores. Etenim celebrationis forma præscripta est disertissimè in Scriptura. Æquè enim lex est, *Hoc facite*, atque illud *Docete, baptizate*. Itaque sicut imitandus Christus in Baptismo ministrando, vt elata voce voces Baptismi proferantur, sic in Eucharistia. Sed & boni mores volunt, vt ne perperam inuertatur ordo rerum; & quæ verba instituta sunt, vt significent aliquid; instruantque animos adstantium, ædificentque conscientias, ea subito ita subtrahantur, vt non magis sint vtilia, quam si omnino nulla essent. Lyranus in prioris ad Corinthios 14. *Sine significatione vocis significatiua, & sensu loquutionis, nihil est cognitum ad vtilitatem Ecclesiæ: imo derisibile est.*

XXVI. Atque hactenus de Ecclesia Græca. Apud Latinos, quis vsus fuerit, non satis patet ex vnica illa Liturgia quæ nunc superest, cui nomen Canoni Romano. Verum colligitur facile primum ex confessis. Nam capite præcedente cum audiremus lepidam fabellam pastorum; eadem opera audiuimus, & olim solitum canonem ab omnibus audiri: & ea occasione indictum fuisse silentium. Vbi quæso indictum silentium? In ea nimirum Ecclesia vbi olim Canon audiebatur. Ergo in eadem Ecclesia solitus erat Canon audiri, in qua postea silentium imperatum. Atqui nunquam imperatum in Græca. Latinam ergo Ecclesiam oportet fuisse in qua Canon olim ab omnibus audiebatur, qui celebrationis erant participes. Itaque Gregorius Turonensis historiæ lib. 7. c. 8 *Diaconus*, inquit, *silentium populis, vt Missæ auscultarentur, indixit.* Et agebat tamen de Ecclesia Gallica; quæ inter Latinas. In Ecclesia ergo Latina mos erat à populo auscultari Missas. Auscultarine vt nihil audiretur?

XXVI. Sed colligitur id ipsum ex Ambrosio de initiatis, cap. 9. *Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur: Et tu dicis, Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat.* Viden vsum apud Latinos, vt apud Græcos? Nam in Liturgiis, illud Amen disertum ad vtramque partem consecrationis. Enim vero qui responderunt Amen Latini, ad ea verba, quibus designat Christus suum corpus & sanguinem; iidem necesse est ea verba fuisse cognita, fuisse audita Nisi nugatus sit Apostolus prioris ad Corinthios 14. *Quomodo dicturus est Amen, ad tuam gratiarum actionem?* In quæ verba Iustinianus, *Neque enim probare, aut laudare quisquam potest, quod prorsus non intelligit.*

XXVII. Liceat mihi, quæso, insistere; & mirabilem traducere Papistici silentii abusu: ditatem: Volunt suam Missam, suam Transubstantiationem, suum Sacrificium: suum denique quicquid pro arbitrio siue fingunt, siue nominant; hoc, inquam, volunt probari, volunt laudari; vt nihil æquè. Et tamen silentium indicunt tam seuere, vt si plebs vel sonum percipiat, cœlum terræ permistum credant. Quæso attendite Sophistæ, quid hoc sit rei. Negant vestri posse quicquam probari, laudari, quod non intelligatur. Et negant cum agitur de idiomate incognito. Deum immortalem qui sic de idiomate loquuntur incognito; possuntne à silentio approbationem exspectare, & laudes? Atqui cum duo sint in sermone, sonus, & sensus, quorum ille huic seruit: & ita quidem, vt sæpe solus sonus moueat, etsi sensus nullus percipiatur: tum vero in silentio, neque sensus est neque sonus. Itaque necesse est multo minus silentio moueri adstantes, quàm idiomate incognito. Tam male consuluit Ecclesiæ peruicax superstitio O tu, libera nos, Domine.

XXVIII. Desino in Iustiniano. Is, Nouella 123. in editione Haloandri, sanciuit hanc legem, *Ad hæc iubemus vt omnes Episcopi pariter & Presbyteri, non sub silentio vel tacito modo, sed clara voce, quæ à fideli populo exaudiri possit, sacram oblationem, & preces in sancto Baptismate adhibitas celebrent: quo maiore deinde deuotione in depromendis Domini Dei laudibus audientium animi efferantur. Ita enim & Diuus Apostolus docet, dicens, Enimuerosi soluumodo benedicas Spiritu, quomodo is, qui priuati locum implet, dicet ad gratiarum actionem tuam Deo, ipsium Amen? Quandoquidem quid dicas, non videt. His igitur de causis conuenit, vt inter cæteras preces, & ea quæ in sancta oblatione dicuntur, clara voce à religiosissimis Episcopis & Presbyteris Domino nostro Iesu Christo, Deo nostro, cum Patre & Spiritu sancto proferantur. Sciuris religiosissimis Sacerdotibus, quod est quid horum neglexerint, & in horrendo iudicio magni Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi de his rationem reddent: neq; nos hæc cognoscentes conquiescemus, relinquemusq; inulta.*

XXIX. Ad hanc legem variæ sunt exceptiones, prima de autore; post de re. Bellarminus negat ad Imperatorem pertinere, de ritu sacrificandi leges ferre: proinde non multum referre quid ille sanxerit.

XXX. Sed de ritu sacrificandi neque ille sanciuit quicquam, qui ne ad Episcopos quidem pertinet vllos, aut omnino ad Ecclesiam Christianam: sed de ritu celebrandi Sacramenti; quæ nostra quæstio est. Hunc autem pertinere ad Imperatorem dupliciter dici potest: vel vt ipsos ritus instituat; vel vt institutos autoritate politica sanciat. Priori modo concedimus nullum esse ius Imperatoris: neque vero etiam in vllas religionis partes. Sed altero, quisquis neget, is se probet impudentem. Sic etiam hodie reges Christiani in legibus latis cohibent blasphemias in Deum. Sic Iustinianus ipse eadem illa Nouella legitimam sanciuit ordinationem Ecclesiasticam. Sed & alias edictum edidit, magni etiamnum nominis, continens rectæ fidei confessionem, aduersus plurimas hæreses, cum de Trinitate, tum de Incarnatione, & quidem additis anathematismis. Atque adeo Nouellæ tricesimæ septimæ hoc initium est. *εἰς τὰς πολιτικὰς νόμους, ὧν τὴν ἐξουσίαν ἡμῖν ὁ θεὸς κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φιλανθρωπίαν ἐπίστευσε, βεβαίους μᾶλλον πάντων φυλάττεσθαι τῶν ὑπηκόων σπουδάζομεν, πόσῳ μᾶλλον πλείονα σπουδὴν ὀφείλομεν θεῖναι περὶ τὰ τῶν ἱερῶν κανόνων καὶ θείων νόμων διαφυλακήν, τῶν ὑπὲρ τῆς τῶν ἡμετέρων ψυχῶν σωτηρίας ὁρισθέντων; Si leges politicas, quarum arbitrium nobis Deus pro sua benignitate permisit, apud omnes nostros subditos, inuiolatas esse curamus; quanto maius studium debemus conferre ad obseruationem sacrorum canonum, diuinarumque legum, quæ sunt de nostrarum animarum salute definita?* Qui autem dixerit non multum referre, quid ille sanxerit de iis articulis, nondum est repertus quisquam. Sed nimirum redolet Bellarminus nouellam Papæ impudentiam, qui Imperatores, Regesque tantum non de solio præcipitat; vt sibi omnem arroget Dominatum. At non si Papistæ sunt impudentes, ideo Catholici sunt amentes.

XXXI. De re leuissimè, & facillimè Bellarminus & Richeomus: factum decretum contra quosdam Sacerdotes imperitos, qui ne deprehenderentur, summissa voce proferrent, quæ deberent clara. Atque ita nihil nocere Papistis. Hardingus similiter iubet referri solummodo ad Græcam Ecclesiam in qua ille vixerit Imperator, non longius torquenda.

XXXII. Verum de imperitis Sacerdotibus, nihil est in toto illo edicto, nisi vt ne promoueantur. Κληρικὸς, inquit, *οὐκ ἄλλως χειροτονεῖσθαι συγχωρεῖμεν, εἰ μὴ γεγραμματισμένος εἴη, καὶ ὀρθὴν πίστιν, καὶ βίον σεμνὸν ἔχοι. Clericos haud aliter ordinari permittimus, quam literarum peritos, & fidem rectam, vitamque honestam habentes.* Quam quidem legem credo Papistis etiam visum obligare duntaxat Ecclesiam Græcam: adeo suas Ecclesias replerunt Clericis omne genus bestiis. Viderint illi. Sed in hoc tamen ritu celebrandi Sacramenti; sic oportuit subtilissimos, adde audacissimos Sophistas comminisci tragelaphos; non vt responderent, sed ne non loquerentur.

XXXIII. Sanciri ne cum silentio dicantur, quæ elatè debent, absit vt negemus. Verum in iis non esse hanc ipsam consecrationem, nondum demonstrauit quisquam: ast Hardingus contra confessus est, *Iustinianus Imperator decreuit, vt Episcopi & Presbyteri eam ob causam sacras liturgias pronuntiarent clara, & distincta voce, qua intelligi posset ab omnibus, vt populus responderet Amen. Quod quidem, cum ad omnes Liturgiæ partes, tum præcipue ad consecrationem pertinet.* At sane manifesta sunt Iustiniani verba; *vt inter cæteras preces, & ea quæ in sancta oblatione dicuntur clara voce proferantur.* Itaque hic etiam sophistice suos lusus exercuit.

XXXIV. Vixisse in Ecclesia Græca Iustinianum concedimus: sed imperasse æque Latinis, negentne Iesuitæ? Nos etiam scimus de Romano ipso Episcopo sanciuisse. Nouella centesima tricesima prima; vt secundum Canonem Nicenum primus esset Patriarcharum. Cum igitur late pateret eius autoritas; dabat certe vtrisque cum Græcis tum Latinis leges. Vt capite *Generaliter*, in Codice, titulo libri primi, qui titulus est de Episcopis & Clericis: *Generaliter sancimus*; inquit. Et post, *Et hoc non solum in vetere Roma, vel in hac regia ciuitate, sed & in omni terra, vbicunque Christianorum nomen colitur, obtinere sancimus.* Hoc cum ita sit, tum vero lex ista nihil habet penitus, quo separentur à Græcis Latini. Neque opinor, illud; *Omnes Episcopi pariter & Presbyteri*; sonat Episcopos & Presbyteros tantum Græcos. Sed, vt semper, Iesuitæ suo non tam commodo quam arbitrio somniant eleganter, & acute.

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

De EVCHARISTIA.

Caput Primum.

STATVS CONTROVERSIAE DE ADORATIONE EVCHARISTIAE.

HACTENVS de Consecratione: nunc deinceps de consecratorum Elementorum vsu externo. Dictum enim alias, cum nihil sua natura determinatum significent; ideo non simpliciter instituta; sed adhibita certi vsus circunstantia quo sine Sacramenta non sint. Sic enim aqua, cum possit vel ad bibendum assumi, vel ad lauandum applicari, tamen Christus, vt ex ea Sacramentum faceret, potandam non iussit, sed lotioni adhibuit: vnde si potetur nullum censetur esse Baptisma.

II. Panis in Vetere Testamento asseruabatur in arca testimonii: & erat hoc modo, si minus Sacramentum nostræ definitionis, saltem typus, quales tunc erant plurimi. Sed in Nouo Testamento speciei institutæ in Sacramentum corporis & sanguinis Christi, vsum docuerunt Euangelistæ partim suis verbis, partim verbis Christi: quorum illa referunt quid fecerit: ista, quid iusserit fieri: De pane ergo, *Fregit, dedit que discipulis, & ait, Accipite, comedite.* De poculo, *Dedit eis, dicens, bibite ex hoc omnes.* Ac de isto quidem Marcus addidit, *Et biberunt ex eo omnes.* Quo dit idem intelligendum de pane, vt ederint omnes.

III. In iis verbis manifestum est, Dominum vsum pane ac poculo ad momentum præsens: ita vt vtrunque fuerit illico consumptum, id est, distributum Apostolis, vt eodem momento consumeretur, sicut consumi solent quæ in mensa conuiuis apponuntur. Et quidem panis fractus, datusque in manus discipulorum, vinum itidem distributum. Porro fuisse discipulos iam ante pastos, totius historiæ descriptio certum facit.

IV. Hinc iam copiosum excitatur examen quæstionum, quâ minorum, quâ maiorum: non enim omnium eiusdem momenti; siue apud nos, siue apud illos, non negligendarum tamen in hoc nostro instituto. Prima quæstio disputatur, vtrum aliquis vsus sit elementorum præter eum, quem siue præscripsit, siue descripsit Institutio. Et nos quidem facile respondemus, nullum dari: quandoquidem quicquid est Sacramenti pendeat ab ipsa institutione. At Papistæ censent aliter: & institutioni addiderunt, primo Adorationem: secundo Reseruationem.

V. De Adoratione disputarunt isti. Tapperus articulo decimo quarto. Pighius Controuersia 8. Lindanus Panopliæ libri quarti capite quinto & quadragesimo. Slotanus contra Velsium articulo decimo septimo. Gropperus initio tomi secundi de præstantissimo altaris Sacramento. Espensæus de Adoratione Sacramenti. De Castro de Adoratione, hæresi secunda Croquetius catechesi 151. & 152. Leonardus Rubenus de Idololatria, libri secundi cap. 3. & sequentibus Socolouius Concione 2. Dedchus discursu 7. Sanctius Repetitione nona, capite quarto. Raueſtein Defensionis Tridentinæ parte 2. ad 5. caput sessionis 13. Iulius Cæsar Bulengerus responsionis ad tractatum Orthodoxum, parte 1. segmento 17. Bellarminus de Eucharistia lib. 4. capitibus postremis duobus. Costerus Enchiridij capite 8. parte extrema. Salmero tomi 9. tractatu 24. Gregorius de Valentia Commentariorum tomo 4. disput. 6. quæst. 11. puncto secundo. Cotonus Institutionis libri 4. cap. 45. Snares ne Sacramentis disputatione sexagesima quinta. Richeomus de Missa libri secundi capite 14. & tribus consequentibus. Petrus Michael Dialogo de legitima ratione venerandi, & digne sumendi Eucharistiæ Sacramentum. Hardingus contra Iuellum articulo octauo.

VI. Disputarunt & nostri. Caluinus Institutionis libri quarti capite decimo octauo, §. 35. & sequentibus. Iuellus contra Hardingum articulis 7. & 21. Chemnitius parte 2. Examinis ad caput 5. sessionis 17. Hospinianus Historiæ Sacramentariæ libri 5. cap. 7. & 8. Ioannes Scharpius in Cursu Theologico de Sacra Cœna, quæstione 5. de Transubstantiatione. Iuellus contra Hardingum articulo octauo. Plessæus de Eucharistia libri quarti capite septimo.

VII. Tridentina Sessio 13. cap. 5. *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Ecclesia Catholica semper recepto latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento veneratione exhibeant.* Petrus Micael, *Status primæ quæstionis nostra est* (inquit Clemens) *an Eucharistia veneranda sit, eodem adorationis cultu & honore, qui soli Deo debetur.* Respondet Petrus, *Nos sane id affirmamus.* Tapperus, *Certa fide tenendum est, sacram Eucharistiam sancte à nobis adorari; siue in Missa, siue extra Missam, vbicunque reposita fuerit.* Costerus, *Ex his efficitur sanctissimum hoc Sacramentum, & iuxta nomen suum venerabile, quanta potest reuerentia, honore, celebritate, tum interno cordis affectu, tum externis ceremoniis à Christi fidelibus venerandum, colendum, & adorandum esse, summo etiam cultu quem Græci λατρείαν vocant, soli Deo conueniente.* Sic illi quidem loquuti, distincte, diserteque, vt adorari dixerint, siue Sacramentum, siue quod idem est Eucharistiam.

VIII. Veruntamen idem Concilium canone 6. haud paulo aliter, *Si quis dixerit, in Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum: atque adeo nec festiua peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem, & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem, solenniter circumgestandum, vel non publice, vt adoretur, populo proponendum, & eius adoratores esse idololatras; anathema sit.* Vbi vides adorationem nullam nominari nisi vnius Iesu Christi. Et vero Bellarminus haud aliter disputat: non Pighius; non alij plurimi.

IX. At nos primum, adorandum esse Christum θεάνθρωπον, scimus esse essentiale veræ pietati: nec omnino Christianum esse posse, qui contra senserit. Adorari autem in Eucharistia duplicem habet intellectum: vel quemadmodum adorari dicitur idem Christus in oratione: vel quomodo eidem dicitur esurienti Christo dari cibus, qui datur indigenti, Matth. 25. Nam discrimen est longum. Quia in priori, oratio illa nullo modo obiectum est adorationis: vnde nemo dixit vnquam, adorari orationem ipsam, siue preces: sed tantum siue circunstantiam; siue etiam modum adorandi. Ast in posteriore, indigens ipse obiectū est elemosynæ, quæ inde redundat Deum.

X. Priori sane modo nemo nostrum recuset testari in Eucharistia, siue in Sacramento adorare se Christum: non tantum quia, dum celebratio fit, in Christum toto feratur animo vir sanctus; quę ratio esset tantum circunstantiæ; quia vtrumque eodem fiat tempore: quæ posset esse mere per accidens; ac proinde nimis infra Sacramenti dignitatem. Sed etiam quia ipsa illa celebratio sit actus religiosus: ac proinde separari nequeat ab adoratione Christi: sicut oratio, hymnus, & similia. Vnde etiam εὐχαριστίας nomen. Nam quicunque pius agit gratias Deo, idem adorat Deum.

XI. Sed Papistæ non sic. Imo secundo modo: vnde ratio illa loquendi. Adorare Sacramentum, adorare Eucharistiam: quod profecto alias nunquā dicerent, quomodo non dicunt, se adorare suas Litanias. Sed quomodo adorant Deum in imaginibus: quia has primo; deinde per relationē, Deum: & sic Gregorius de Valentia dixit, qui censeant nullo modo ad species ipsas eam venerationem pertinere, in eo hæretice pugnare contra perpetuum vsum & sensum Ecclesiæ. Et res ipsa loquitur. Nam quæ partes sunt eius venerationis, elatio supra caput Sacerdotis, circumlatio, siue circungestatio, ostentatio: hæ omnes tantum ad species pertinent; quas pro arbitrio agunt, ferunt. Denique Sanctesius, *Nos nos pudet, nec pœnitet, totum adorare Sacramentum; quoniam ibi singulariter Deus adest.*

XII. Itaque habent nos aduersarios; ac dicam scribentes fœdissimæ idololatriæ: bona fide agnoscentes verba Cotoni. Hanc adorationem solam, vel Papistas efficere multo magis idololatras, quam vlli fuerint Ethnici, vel Catholicos, magis blasphemos, quam vlli fuerint Donatistæ. Non vt fateamur incertum esse, vtrum verius sit; sed vt testemur nullam vllius periculi conditionem recusaturos, si non probemus partem priorem. Habemus enim pro certo à Papistis stabiliri ἀρπαλαιτείαν. Nam quid tum, si panem somniarunt nullum esse? At non æque effecerunt. Itaq; si remanet panis, adoratur panis. Præterea vt non remaneat, tamen species panis, id est, accidentia dicuntur & remanere & adorari. Quid interest? Nisi quod tanto fœdior accidentium, quam substantiæ adoratio: quanto sunt substantiā accidentia.

XIII. Sed Sanctesius, acutus orator, nos grauioris reos peragit idololatriæ. Et habet argumentum. Quia relicta verborum Christi simplicitate, & proprietate, nostræ falsæ interpretationis idolum, & figmentum adoremes. Quia, teste Augustino contra Faustum lib. 20. cap. 15 satius est vel lapidi, qui quoquo modo est, aram constituere, & victimam offerre, quam id quod omnino non est, in deliramento phantasmatis adorare.

XIV. Sed nos idololatras non potuit nisi ipsissima impudentia calumniari, qui protestemur nihil prorsus adorare, præter vnicū Deum: & reapse præstemus, quod profitemur. Consentimus Augustino præstare, vel lapidem adorare, quam figmentum inanis cogitationis? Atque inde Papistas lacessimus: quod adorent accidentia sine subiecto: cui figmento nullum figmentum æquari potest. Sed qui nostrum figmentum dixerit verum sensum verborum Christi; næ is non idololatra tantum futurus est: sed etiam aliquid deterius, si quid deterius esse potest. Verum ista ex præiudicio partium, dicuntur facilius quam solidius. Omittantur sane: & res ipsa disputetur. Nam hæc calumnia non est tanti; tantum sic Æthiopes præ se putant vniuersos homines esse deformes.

CAP. II.

De adoranda Eucharistia, Papistica argumenta.

I. PAPistæ disputant his Sophismatis. Primum esto. Hoc dictat & docet omnes homines ratio naturalis, vt Deum adorent, vbicunq; illius præsentiam aduertunt: Ast Dei præsentiam aduertunt in Eucharistia: Ergo Deus est adorandus in Eucharistia. Probatur minor. Quia Christus est Deus. At Christus in Eucharistia præsens est. Ergo Deus in Eucharistia præsens est. Et magnus hic prolixusq; conatus; vt multis argumentis conficiant vtrumque, & Deum & Christum etiam hominem esse adorandum.

II. Si

II. Si vellem esse Sophista, primam propositionem non concederem facile. Et haberem infirmandi causam ex ipso Salmerone; cuius hæc verba, *Cum adorare Deum, sit primum præceptum affirmatiuum, quod non obligat omni tempore; sicut non semper Deum nobis & vbique præsentem adorare oportet: ita nec præsente venerabili Sacramento, Christum in eo existentem actu semper adorare obligamur.* Vbi vides diserte negari vbicunque Deus sit, ibi adorandum. Sed nobis non placet esse tam Sophistis. Et ingenue fatemur, vbicunque se Deus nobis præsentem exhibet, siue ex promissione, siue actu præsenti; ibidem esse adorandum.

III. Imo amplius, concedimus Christum esse Deum: concedimus Christum θεάνθρωπον esse adorandum: quomodo Thomam legimus, cum primum agnouit Christum rediuiuum exclamasse, Ioannis 20, *Dominus meus, & Deus meus.* Concedimus denique Christum in Eucharistia nobis præsentiam suam exhibere. Satin hoc futurum est aduersariis? Cur ergo tam frustra sua fatigant ingenia, vt id probent quod à nobis nunquam fuit negatum: imo quod ipsi: ipsi, inquam, probe sciunt non tam confiteri, quam constantissime profiteri?

IV. At nobis argumentatio non satisfacit: qui volumus concludi: Ergo Eucharistia est adoranda: Ergo Sacramentum est adorandum. At illi ἅμας ἀπαιτοῦσιν ἀπαρνεῦντι σκάφας: tam sublime sapiunt. Concludunt enim, Christum adorandum in Eucharistia. Sic olim ille magno conflato exercitu conchas legit in littore. An nondum suam vident stultitiam? Nunc saltem aduertant. Vbicunque Christus suam præsentiam exhibet, ibidem adorandus. At exhibet in Baptismo: Ergo in baptismo adorandus. Optime sane. Sed muta: Ergo Baptismus adorandus. Spectatum admissi, risum teneatis amici? Similiter. Deus Abrahamo testatus est suam præsentiam ad quercum Mambre: Ergo Abraham debuit adorare quercum. Hem, quam molli flatu, quam magnus apparatus disturbatus est! Sed deinceps de re dicent fortasse.

V. Secundum sophisma; à testimoniis Scripturæ. Dauid loquens de Eucharistiæ Sacramento; Psalmo 22. *Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt Dominum, qui requirent eum.* Et paulo post, *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ*: non obscure prædicens Christianos sacræ communionis tempore, venerabundos accessuros mensam Dominicam, atque adoraturos hoc corpus Domini, quod suscipiunt. Hæc Costerus. Addit Salmero. Illa coniunctio & caussalis est. Estque sensus, manducauerunt, quia prius adorauerunt. Augustinus, *Manducauerunt corpus humilitatis Domini sui etiam diuites terræ: nam sicut pauperes saturati sunt vsque ad imitationem, quia prius adorauerunt.*

VI. Iecur logicum! Comedent, & saturabuntur; & adorabunt: Ergo Eucharistiam adorabunt. Nihil potuit excogitari potentius; aut magnificentius. Lorinus in eum locum, *Pauperes spiritu, & quos dispicit mundus, qui reipsa etiam priusquam conuerterentur, veræ religionis ac solidarum virtutum erant egentes, bonis diuinis saturabuntur: inter quæ facile primum locum tenebit panis cœlestis.* Vide; non Eucharistia tantum saturabuntur, sed etiam aliis Dei bonis. Vin tu, vir bone, adorari omnia bona quæ à Deo accipiuntur? Inauditum hactenus, & absurdum. Sed facilis alioquin sensus: immensis donis cumulatum iri homines: atque ea occasione futurum vt adorent Deum: vt in priori, *Edent & saturabuntur, & laudabunt:* id est, cum comederint, saturabuntur: cum saturi fuerint, laudabunt.

VII. Nam quod de causali particula Salmero notat, ridiculum est. Vide; paucis ante verbis; *Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum, vniuersi fines terræ; & adorabunt.* Siccine reminiscentur, quia conuertentur: & conuertentur, quia adorabunt? Scimus interdum ita esse, vt causalis sit: at non ita vt posterius membrum indicet causam prioris: sed potius posterioris prius: atque adeo hoc loco ita potest. Quanquam non sit perpetuum: sæpius enim copula est simpliciter, quod ne ipsi quidem ignorant, quibus nunc imperitos commodum est ludificari. Itaque nulla vis esset, nisi confirmetur aliunde; quod nemini factum.

VIII. Tertium sophisma, ex Psalmo 99. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* In hunc locum Augustinus notat in Scripturis scabellum pedum Dei appellari terram. Christum autem assumpsisse terram, id est, corpus suum de terra. Tum, *& quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est quemadmodum adoretur scabellum pedum Domini: & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Similiter Ambrosius de Spiritu sancto cap. 12.

IX. Atqui primum, nullum id argumentum est à Scriptura, sed ab Augustini subtilitate, decepti Latiui editione. Nam Hebraice eadem phrasis est, quæ Psalmo 132. redditur, *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* Bene; adorare in loco, at non adorare locum. Sic nos facile, adoramus in Eucharistia, sed non adoramus Eucharistiam.

X. Et tamen, quid promouent aduersarij? Certe nusquam dixit Augustinus Eucharistiam adorari, quod nunc disputamus, sed carnem Christi adorari, & quidem priusquam comedatur, videlicet etiam ante celebrationem Eucharistiæ, & non comedatur à quoquam, nisi adorauerit, quod Papistis magnum mendacium, qui non ab impiis tantum, sed etiam à canibus comedi defendunt; qui tamen, opinor, adorarunt nunquam, nisi Papistico quodam adorationis genere.

XI. Quartum. Arca testamenti fuit olim adorata: Ergo Eucharistia etiam debet adorari. Probatur consequentia. Arca enim adorabatur, quia continebat, tabulas decalogi, Virgam Aaronis, & Manna. At Eucharistia continet Christum legiferum nostrum; cuius typi fuerunt & Virga & Manna.

XII. Respondeo, negari antecedens: Nunquam enim reperias in Scriptura arcam fuisse adoratam. Nunquam id, inquam, Scriptura aut iussit, aut docuit, sed posteri superstitiosi finxerunt. Denique Rubenus verbosissimus scriptor, prolixe inquirit singula quibus sperauit arcam fore commendatam; tamen neque verbo, neque exemplo illustrauit adorationem, sed supposuit, tanquam nihil haberet controuersiæ. At nos scimus adoratum fuisse ad arcam, sed adoratum Deum, non arcam, quomodo adoratum in templo, sed nunquam adoratum templum.

XIII. Quintum. Olim multus honor delatus fuit Eucharistiæ. Primum, Catechumeni ad eius aspectum non admittebantur; neque pœnitentes, neque infideles. Secundo, laborabatur ne vel minima eius particula in terram laberetur. Tertio aureis vasis, & argenteis reseruabatur; sed & consecrabantur in eius gratiam altaria, vestes, lintea, calices.

XIV. Illa vero facta omnia concedimus; & conquisita tanto diligentius, quanto prolixius recederetur ab initiis Ecclesiæ; cresceretque externorum rituum cumulus, qui tandem erupit in superstitionem; imo etiam in apertum idololatriam. Sed quorsum omnia? Vt probetur honos delatus Eucharistiæ. Abundatis otio, Sophistæ, qui quod nulla est in quæstione tam diligenter confirmare satagatis. At nobis certum, omnia Sacramenta semper in magno honore fuisse apud omnes fideles. Augustinus de Trinitate tertij cap. 10. *Honorem tanquam religiosa possunt habere.* Sacramenta, inquam, non Eucharistia sola, sed omnia. Exspecto dum adorari Baptismum quis doceat. Nam honorari quis negarit, qui sciat non tantum ad spectandum Baptisma, sed ne ad Baptisterium quidem accessisse Catechumenos? Qui meminerit etiam fontes consecratos?

XV. Sextum. Ex perpetua consuetudine eleuandi, & ostendendi Eucharistiam populo adorandam. Apud Areopagitam Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 3. Basilium 27. de Spiritu, dicentem Sacramentum hoc inuocari dum ostenditur. Item in Liturgiis tam Græcis quam Latinis. Sed & in Scripturis. Nam Psalmo 72. *Erit firmamentum in terra in summis montium.* Item in omnibus sacrificiis Mosaicis, eleuatio fuit. Et serpens ille in deserto eleuatus, in figuram Christi.

XVI. Eleuata est Eucharistia: Ergo adorata. Perpetuæ nugæ. Nonne enim eleuatio in lege vsitatissima inter sacrificandum? Norunt aduersarii, & proferunt, tum autem in promptu Scriptura. Leuitici octauo, *Tulitque pectusculum, eleuans illud coram Domino.* Vicesimo tertio, *Cumque eleuauerit eos*, agnos, *Sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino.* Numerorum quinto, *Tollet Sacerdos de manu eius sacrificium zelotypiæ, & eleuabit illud coram Domino.* Et alibi frequenter. Et tamen horum quicquam, quis ausus adoratum dicere, & quidem apud eos, quibus tam seuere interdicta, & tam constanter exosa cuiuslibet creaturæ adoratio? Fuerit ergo sane aliquando in vsu panem & poculum benedictum in altum tolli, an propterea adoratum sequitur? Qui nos Rubenus festiua Ruthenorum delectauit historia, cuius se oculatum testem perhibet. Hos solitos etiam consecrandum panem imponere capiti, siue Sacerdotis, siue alterius, deferendũ è sacrario ad altare, cum acclamationibus populi, *Gospida pamelou: Gospida pamelou*; id est, *Domine miserere, Domine miserere.* Enimuero adorantne illi, cum ita eleuant? Ergo panem, nondum enim corpus, quia ante consecrationem. Et cur tanti fecit idololatras? Sin autem non adorant: Ergo nos concludimus, ex eleuatione non concludi adorationem, & Papistas nihil nisi nugari, suo more.

XVII. Placet nihilominus de hac eleuatione paulo plura dicere. Nam Sophistæ hinc ludunt non attentos, & suum morem plausibili antiquitatis nomine sperant iri commendatum. Solent enim consecratum panem, similiter & calicem ambabus manibus in altum efferre, vt caput Sacerdotis excedat; ne videri nequeat à populo cui Sacerdos tergum (forte honoris ergo) obuertit. Sed certum est talis eleuationis neque vestigium, neque indicium extare antiquum, etsi τὴν ὕψωσιν nominatam scio.

XVIII. Morem accersunt è Psalmo illo 72. vbi firmamentum legunt in summis montium. Nec dubitant Sacerdotes suos in cautes transubstantiare, vt hæc summa montium sibi ne pereant. In firmamento sudant aliquantulum: nam versio nonnihil abludit. Itaque suæ editioni nunc valedicentes, *Hebraica translatio*, inquit Rubenus, *ponit, Erit ipse Messias memorabile triticum super capita montium.* Costerus, *Nonnulli sic interpretati sunt olim: Erit placentula panis in terra, in capite Sacerdotum.* Adduntur testes Rabbini propheticum genus scilicet, atque in primis amans Christianæ pietatis, quorum istos Cotonus produxit §. 5. discursus 4. de Missa. Rabbi Salomonem, *Magistri nostri bonæ memoriæ exposuerunt hoc esse placentarium in diebus Messiæ. Et totum Psalmum de rege Messia esse explicandum* apud Galatinum lib. 10. cap. 4. Rabbi Ionathan, *Erit sacrificium panis in terra in capite montium Ecclesiæ, id est, Sacerdotum.* Rabbi Kimchi, *Magistri nostri felicis memoriæ exponunt, quod erit transmutatio naturæ (Sinnui teba) in tritico in futurum quando venerit redemptor.*

XIX. Quod attinet ad Psalmi locum, is ita habet Hebraice, בראשהרים יהי פסת-בר בארץ, In quibus verbis, vnum illud פסת nusquam præterea occurrit: Sed eiusdem originis duo occurrunt. Geneseos 37. כתנת פסים, Septuaginta reddiderunt χιτῶνα ποικίλον, Latinus Interpres, *tunicam polymitam.* Munsterus, *tunicam discolorem.* Tigurini, *tunicam variam.* Tremellius, *tunicam versicolorem.* Nam Kimchi etiam מצבעים רבים *ex multis coloribus.* Psalm. 12. פסו אמונים. Septuaginta, ὠλιγώθησαν αἱ ἀλήθειαι. Latina editio, *Imminuti sunt fideles:* Targum, פסו מהמני'א, *defecerũt fideles.* Et hinc reliquorum interpretationem eliciunt, à finiendi, aut minuendi significatione, פס frustum esse dicunt, & partem exiguam. Vt Danielis, פס ידא sit *particula manus*, id est, manus recisa à brachio. Tunicam ergo Kimchi in ea radice versicolorem docet, שכל פס ופס מגו מצבע בפני עצמו, *quod vnaquaque particula esset* ex vno *colore per se.*

XX. Eandem analogiam sequuti sunt in Psalmo 72. non pauci; Pagninus, *Pugillus frumenti.* Itidem Munsterus, & Tigurini; Tremellius, *pugillus tritici.* Kimchi in radicibus, כלומר חלקת בר, quasi diceret, *particula frumenti.* In Commentariis vero, מלא כף תבואה, *plena manus frumenti.*

XXI. Aliis aliud excogitatum. Chaldæus Paraphrastes reddidit, סעיד לחמא: quod Richardus Cenomanus interpretatur, *firmamentum refectionis* Biblia Antuerpiensia, *substantificus panis.* Lucas Brugensis in Notationibus, *Fulciens, seu confortans panis.* Et inde videntur Septuaginta mutuum sumpsisse suum στήριγμα; indeque Latinus, *firmamentum*; omisso *pane*, nescio quo consilio. Fuere, qui densationem dicerent, vt noster Mollerus: vel, teste Luca Brugensi, multiplicationem, siue abundantiam. Hieronymus dixit, *memorabile triticum.* Quarum versionum haud facile est rationem reddere, seruata verborum proprietate. Paulo illi melius, qui *placentulam*; non enim multum recesserunt à primis.

XXII. Sed vtcunque verba sint: quid ad Eucharistiam? Magnifice hoc quidem iactatur: sed non pridem natum. Lucas Brugensis, *Hoc modo, Neotericorum complures exponunt, & ad Eucharistiæ ter maximum Sacramentum referunt.*

referunt. Lorinus, *Catholici, præsertim recentiores Eucharistiæ panem innui docent.* Recte neoterici, recte recentiores. Nam Veterum ne vnus quidem.

XXIII. Cæterum Rabbi Dauid Kimchi sic interpretatur, בעולם עד מלא כף תבואה אפילו בראש ההרים ויהיו בימי המלך הזה יהיה ברכה השבלים טובות ובריאות עד שירשו ברוח הנושבת בהם כמו שיזרע אדם עצ'הל בנון, *In diebus regis huius erit benedictio in seculo, adeo vt saturus sit homo plenā volam frumenti, ēt in capite montiū: & erūt spicæ bonæ & pingues, adeo vt commoueantur vento flante in eas, instar arborū Libani.* Quā interpretationem acceptam refert patri suo in radicibus. Abben Ezra præiuerat doctissimus Rabbinorum. Et ne videantur esse nihili: suo confirmarunt calculo nuper Papistæ. Genebrardus, *Est hyperbole,* inquit, *ex paucis granis etiam in cacuminibus montium, quæ solent alioquin esse infrugifera, maxima proueniet seges, quæ & superet Libani altissimas cedros altitudine: vel iam procera sit, vt agitata vento talem aristis sonum edat, qualem arbores Libani.* Lorinus, *Docet sub tali tantoque rege summam fore annonæ ac rerum ad victum necessariarum abundantiam, ita vt ex paucis iactis seminibus, ad ipsa montium fastigia fruges & fructus ascendant, atque densius & copiosius quam prouenire arbores in fertilissimo altissimoque Libani monte soleant, nec minorem aristæ vento agitatæ sonitum edant quam in Libano dictæ arbores, quando ventus illas agitat.* Paulo aliter Caluinus, sed seruato sensu abundantiæ, *Tantam fore copiam tritici in verticibus montium, vt metatur plena manu.* Imitatus Mollerus, *Summa erit hoc regnante agrorum fertilitas, & quidem in ipsis cacuminibus montium, qui vt plurimum non adeo sunt feraces, segetes copiose prouenient, ita vt quocunque manum extendas, eam complere aristis possis.*

XXIV. Aliis a sensu literali discessum in allegoriam. Bellarmino, *Per abundantiam frumenti hoc loco non intelligitur abundantia frumenti corporalis, sed abundantia verbi Dei. Hic igitur est sensus huius loci; alioqui valde obscuri, Erit in terra firmamentum, id est, abundantia frumenti spiritualis, quod est verbum Dei. In summis montibus, id est, etiam in locis ex se sterilibus: valles enim, non montes abundare solent frumento.* Iansenius, *Neq; sub hoc rege aliqua erit ciborum victusque inopia in terra, sed summa fertilitas. Erit enim tempore regni eius in summitate montium, in summis illis viris Apostolicis firmamentum panis, Verbum scilicet Euangelicæ doctrinæ, & sacrosanctæ Eucharistiæ cibus.* Ita recentes isti. Quid veteres? Lorinus, *Antiquiores verbi diuini panem innui docent.* Lucas Brugensis Notationibus, *Veteres Christianorum tractatores, qui sola fere Septuaginta duorum tralatione vsi sunt, non mirum nihil hic de sacris mysteriis annotasse.*

XXV. Certe Augustinus firmamentum interpretatur Christum, in quo omnes promissiones sunt, Etiam. Summa montium, autores Scripturarum Sacrarum, in quibus est Christus. Theodoretus; Christum eos qui in ipsum crediderint, confirmaturum, & fulciturum; sublimesque ac excelsos declaraturum, tanquam in ipsis montium crepidinibus collocatos. Rufinus, Omnes promissiones Dei in illo firmatas esse: & quicquid prophetatum est pro salute nostra, totum in illo esse, vel futurum adimpletum. Fideles quoque animas in hac terra positas non habere aliud firmamentum nisi Christum. Mitto Hieronymum, siue alium quempiam, & Remigium; & alios plurimos.

XXVI. Ex istis notandum primo, quicquid illud sit de Eucharistia, recens esse inuectum in hunc Psalmum: cum tamen nouitatem præ se ferant aduersarij odisse cane & angue. Secundo, illam phrasin, *Esse in capite montium,* non necessario eleuationem designare: neque enim sic Scriptura solet imponi vertici Sacerdotis. Imo neque montes designare peculiariter Sacerdotes: sed vel tumidas partes, iuxta primam interpretationem literalem: vel per allegoriam, modo Christum, modo Apostolos, modo omnes credentes, modo aliter. Potuitne infirmius esse argumentum Papisticum?

XXVII. Sed quidam tamen transtulerunt ad Eucharistiam. Primum, credo Paulum Brugensem additionibus ad Lyranum, *Proprie applicatur Sacramento Eucharistiæ, in quo sub specie placentulæ frumenti verum corpus Christi continetur. Et cum hoc concordat translatio Chaldaica, in qua vbi decitur in summis montium, expresse dicit, In capitibus Sacerdotum.* Verum, qui Bellarminum non mouit, quid apud nos habere potest ponderis? *Scio,* inquit Bellarminus, *quid Paulus Brugensis ex paraphrasi Chaldaica afferat ad probandum ex hoc loco sacrificium Missæ: sed scio quam multis fabulis Iudaicis paraphrasis illa scateat. Ideo piget ex lacunis expositionum Iudaicarum haurire, quæ nobis ex purissimis fontibus Sacrarum Scripturarum abundant.* Mirum si sit Cotono, si Rubeno, iudicium emunctius, quam Bellarmino, vt ne potuerint decipi tam facile creduli.

XXVIII. Sed translationem Chaldaicam Brugensis laudat. Quam quæso? Non enim illam quæ nunc extat in Biblis Venetis, & Antuerpiensibus: Nam illa de capitibus Sacerdotum, tantum habet, quantum de pedibus Centaurorum: quia retinuit verba Hebræa, *In capite montium.* An igitur alteram illam, quæ dicitur Ionatanis Ben Vziel? Non vidi textum ipse: quem & Galatinus testatur rarum esse. Sed citatum legi apud Galatinum cap. 4. lib. 10. & Lucam Brugensem Notationibus in hunc Psalmum: Verba sunt, יהי קרבן דעבורא בארעא בריש טוריא בשכינתא, *Erit sacrificium frumenti in terra in capite montium in Ecclesia.* Vbi rursus quæ sunt capita Sacerdotum? Et tamen ita videbatur Cotonus αὐτολεξεὶ recitare: *in capite montium Ecclesiæ, id est, Sacerdotum.* Dupliciter fallens: primum addens, *id est, Sacerdotum*: deinde reddens, *montium Ecclesiæ;* quum sit *montium in Ecclesia.*

XXIX. Brugensem sequutus est Galatinus, à quo habent hodie Sophistæ quicquid fere Rabinorum detonant; quasi autorum extra exceptionis aleam positorum. Inde placentarium Cotono ridicule, ex Salomone. Describam ex editione Veneta, פירשוהו לשון גלסקיאות לימות המשיח ורבותינו, *Et magistri nostri interpretati sunt in significatione placentarum in dies Messiæ.* Quid hic? Nimirum placuit placenta: quasi præter rotundulam hostiolam nulla esset. Sed vin videre, quam sit à Rabbinis aliena commentatio? Galatinus ipse statim post eum locum, citat librum ספרי: quo cessatura omnis negotiatio probatur ex hoc loco, כמלא פסת יד שיהו חטין מוציאין גלוסקאות, *Quoniam frumenta producent placentas sicut plenitudinem volæ manus.* Vbi mitto nullam fieri mentionem dierum Messiæ, quanquam in ferciatur à Galatino: sed profecto neq; vllius sacrificii meminit; neq; (quod Galatinus asserit) quicquā quo intelligamus Messiam futurum placentam frumenti. Imo contra verum, accipi locum Psalmi ad literā pro abundantiā ciborū. Argumento, quia cessaturā dicat vniuersam פרקמטיא πραγματείαν, negotiationem: nimirū quia tanta futura sit abundantia. Secundo, quia additur explicatio alterius partis, *Tremet sicut Labanus fructus eius,* in hunc modum, זבנו וגושרות סולתן בארץ ואתה בא ונוטל ממנה שיהו חטין מלא פיסת היד כדי פרנסתה שפות, *Quia frumenta fricabunt se inuicem, & deiicient similam suam in terram: & tu venies, & tu auferes inde plenam volam manus secundum prouisionem.* Enimuero quid est in Eucharistia concussio illa, vnde excidat simila? Quare pateat Rabbinos cum loquuti sunt de placentis גלוסקאות; nihil minus habuisse in mente quam sacrificium Eucharistiæ, aut etiam omnino sacrificium.

XXX. Verum nihil simile, Cotono citante Dauidem Kimchi, *En tibi,* inquit, *eius verba fideliter expressa ex Commentariis Hebraicis.* Virum dicas calcæ fidei; qui cum possis in tenebris micare. Commentariis, inquit, Hebraicis. Sed quibus, inquam? Iis ne, qui in hunc Psalmum? Credo sic putasse; virum qui ne legere quidem poterat commentarios Rabbinorum, vix etiam bene textum Scripturæ. Sed nihil minus. Is locus est in Commentariis in Hoseæ 14. caput, & versi. 8. in hunc modum, שנוי טבע בדגן לעתיד בבוא וכו' ויש מפרשים יחיו דגן שיהיה אותו כמו הגפן ולא יצטרכו לזרוע הדגן אלא פעם אחת כמו הגפן וכיוצא בה הגואל שיחיו, *Sunt qui interpretantur illud viuicabunt triticum, quod futura sit mutatio naturæ in frumento, in futurū cum venerit redemptor: quin viuificabunt illud sicut vitem, neque cogentur serere frumentum nisi semel, sicut vitem: & quod emergit ex ea.* Euge: titillabat Cotonum, *Sinnui teba,* sperantem ipsissimam reperire transubstantiationē; & quidem inter Iudæos: vt exclamaret ἕρμαιον. Atque vt mirere acumen: inde eductam; quod מבח sit pro מבת: mutatione enim vnius literulæ, mutationem signari naturæ. Malum sit huic imperitiæ: malum huic audaciæ; tam impune grassanti; quam si præter hoc vnum genus hominum, nemo hominum Hebraice legeret. Atqui neq; hoc loco vsquam est aut Pissat, aut Missat: & mutatio naturæ non nominata tantum, sed explicata: non quæ substantiam tritici ablegaret in Vtopiam, sed quæ rationem serendi aliam faceret. Verum Cotonus illo tantum nomine opus habebat ad imposturam: hanc explicationem omisit, ne veritati esset commodior. Astute: vt omnia ferme Iesuitica. Sed quorsum astutia contra veritatem? Denique igitur frustra fuit frumentum in montibus.

XXXI. Quid superest? Sacrificia vetera, serpens in diserto, mos veteris Ecclesiæ. Attendamus singula. In veteribus sacrificiis fiebat eleuatio: Ergo fieri debet in Eucharistia. Primum negatur consequentia. Non enim qui ritus mandantur in lege, iidem valere debent in Euangelio. Nisi forte etiam assandus sit panis, vt agnus. Deinde longum discrimen inter Sacrificium & Eucharistiam. Tertio, non concluditur quæstio, non enim eleuatio erat supra caput Sacerdotis, &, quod maximum est, adorationis causa. Neque vereor vt vllum mihi exemplum notet adoratæ rei, quæ eleuaretur: ne excepto quidem illo serpente; de quo actum alias in controuersia de idololatria.

XXXII. Eleuati serpentis ratio longe fuit alia. Quia videlicet erat eleuatio Sacramentalis; quemadmodum ablutio in Baptismo; esus & potus in Cœna. Etenim non serpens, sed elatus serpens denotabat Christum: Ioannis tertio, *Prout Moses extulit serpentem in deserto, ita extolli oportet Filium hominis.* Atqui vel concedentibus Papistis, eleuatio Eucharistiæ non est Sacramentalis, sed extrinsecus ritus, neque adeo ex institutione.

XXXIII. Morem veteris Ecclesiæ educunt ex Areopagita, Irenæo, Basilio, liturgiis. Sed primum, in eleuando nemo eorum adorationis meminit siue factæ, siue faciendæ: cuius tamen causa hoc quicquid est sermonis instituitur. Deinde Dionysius, eleuationem nullam dicit, sed ostensionem duntaxat. Locus sic habet, τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας, ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ᾽ ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων. Hæc ita vertit Lindanus, *Pontifex sacra illa opera diuinitus gesta vbi celebrarit, mox ipsa diuinissima consecrat mysteria, quæ collaudata in aspectum attollit per symbola sacre proposita.* Perionius, *Pontifex laudatis sacris Dei operibus, ea quæ diuinissima sunt rite perficit, oculisque subiicit ea quæ propositis rite signis laudata sunt.* Gropperus, *Pontifex cum diuina munera laude prosequutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ laudauerat veneranda operta, atque abdita signis in conspectum agit.* Alius fortasse aliter: sed vt plurimum ex proprio præiudicio. Nam in aspectum attolli non dixit Dionysius cum Lindano; neque cum Groppero venerandis operta signis. Ego sic malim, *Sancta hæc munera Dei Pontifex post hymnum dictum, diuinissime consecrat: tum in conspectum profert per proposita symbola, ea quæ in hymno commendabantur.*

XXXIV. Sed omissa verborum interpretatione, quam difficiliorem facit autoris, τὸ διθυραμβῶδες, verbaque sesquipedalia, vnde consequens est τὸ σκοτεινόν. Rem ipsam Maximus Scholiastes his verbis explicat, Τουτέστι, σαφηνίζει τὰ ὑμνηθέντα· οἷον ὅτι τόδε καὶ τόδε Χριστοῦ· καὶ τόδε καὶ τόδε Χριστοῦ ὑποδείκνυσι δὲ καὶ τὰς ἐπὶ τούτοις θείας δωρεάς· οἷον ὅτι εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον, καὶ ὅσα τοιαῦτα μυστικά. τάχα δὲ τὸ ὑπ᾽ ὄψιν, τοῦτο σημαίνει, ὡς τότε ἀποκαλυπτομένων τῶν ἁγίων δώρων, μετὰ τὰς εὐχάς, μενόντων δὲ κεκαλυμμένων ἕως καιροῦ μεταλήψεως· ἢ τάχα τὸν κεφισμὸν, καὶ τὴν ὕψωσιν τῆς μιᾶς εὐλογίας, τοῦ θείου ἄρτου φησὶν, ὃν ὑψοῖ ὁ ἱερεὺς, λέγων, Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐστὶν ἀληθές, *Hoc est, aperit ea quæ in hymnis erant: videlicet, Hoc & hoc Christi: & hoc & hoc Christi. Sed & subostendit his rebus adiecta diuina munera: videlicet, quod in remissionem peccatorum, & vitam æternam; & quæcunque sunt similiter mystica. Forte etiam illud in conspectum, significat tunc reuelari sancta dona post preces, quæ manebant velata adusque tempus communionis: Forte etiam, elationem, & eleuationem vnius eulogiæ dicit, nempe panis diuini, quem eleuat Pontifex, dicens, Sancta Sanctis. Quod & verius est.*

XXXV. Triplex interpretatio est: vna mystica; pertinens ad arcana signorum, & proponens populo quid vnumquodque elementum significaret, & in quem finem. Reliquæ ad ritus pertinent. Secunda, solitas esse oblationes velatas proponi in altari: vt ne videri possent: sed cum ad participationem accederetur, tum ablato velo fuisse reuelatas. Tertia; eleuationem ponit alterius tantum speciei, nempe panis. Hanc autem sibi maxime probari Scholiastes significat; & solam Pachymeres attigit. Sed Dionysius tamen neque ὕψωσιν, neque κεφισμὸν habet. Sed non di-

stinguit

ſtinguit inter panem & poculum, ſed τὰ ὑμνήμθμα dicit: quod quidem nomen æque pertinet ad vtrumque. Itaque ſi alterum tantum mos erat eleuari, profecto de elenatione non loquitur Dionyſius.

XXXVI. Sed de reuelatione habentur preces in Iacobi Liturgia, Εὐχὴ τοῦ καταπετάσματος, *Precatio veli*, Εὐχαριστοῦμέν σοι κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὅτι ἔδωκας ἡμῖν παῤῥησίαν εἰς τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων σου, *Agimus tibi gratias Domine Deus noster, quod dederis nobis confidentiam ingreſſus in Sancta tua.* Καταξιωθέντες οὖν εἰσελθεῖν τὸν τόπον σκηνώματος δόξης σου, ἔσω τε γενέσθαι τοῦ καταπετάσματος, καὶ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων κατοπτεῦσαι, προσπίπτομεν τῇ σῇ ἀγαθότητι, *Qui ergo digni habiti ſumus adire locum tabernaculi gloria tua, & ingredi velum, atque Sancta Sanctorum inſpectare, procumbimus tua bonitati.* Hæc enim nemo, opinor, non videt eſſe ἀνακαλύμματα, occaſione veli deducti, vt aſpici poſſent munera Euchariſtica. Chryſoſtomus homilia ad Epheſios 3. nominat ἀνελκόμενα τὰ ἀμφίθυρα, quæ in homil. 61. ad populum, redduntur, *vela retrahi.* Heruetus autem, *retrahi qua in oſtiis ſunt cortinas.*

XXXVII. Quanquam quid alios teſtes quæro, qui ipſum Dionyſium habeam locupletiſſimum? Ἐγκεκαλυμμένος μὲν ὁ θεῖος ἄρτος προτίθεται, καὶ τὸ τῆς εὐλογίας ποτήριον, *Inuolutus ſiue opertus proponitur diuinus panis, benedictioniſque poculum.* Aliquanto poſt, ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων· τὸν γὰρ ἐγκεκαλυμμένον καὶ ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψας, καὶ εἰς πολλὰ διελὼν, καὶ τὸ ἑνιαῖον τοῦ ποτηρίου πᾶσι καταμερίσας, συμβολικῶς τὴν ἑνότητα πληθύνει, *In conſpectum profert ea qua in hymnis celebrata fuerunt per ſymbola ſacre propoſita. Etenim panem inuolutum nec diuiſum cum reuelauit, & in plurima diuiſit; vnicumque poculum omnibus diſtribuit, ſymbolice vnitatem multiplicauit.* Nec procul hinc, Ταῦτα τοῖς ἱεροῖς δρωμένοις ὁ ἱεράρχης ἐμφαίνει, τὰ μὲν ἐγκεκαλυμμένα δῶρα πρὸς τὸ ἐμφανὲς ἄγων, *Hac Sacerdos manifeſtat per ea qua ſancte geruntur: educens in apertum dona qua erant operta.* Hęc cum ſint tam diſerta, nullus locus eſt dubitandi, nihil agere Dionyſium de eleuatione, ſed de reuelatione; in qua nihil adorationis Papiſtæ quæſierunt, neque vero etiam Dionyſius indicauit.

XXXVIII. In Irenæo neque ipſe quicquam legi huc accedens: neque à quoquam citatum excepto Rubeno; qui viderit, quid velit. Baſilium 27. de Spiritu Sancto Rubenus idem ſcribit, dicere *Sacramentum hoc inuocari cum oſtenditur.* Garetius & Coccius deſcripſerunt iſta, *Inuocationis verba, dum oſtenditur panis Euchariſtia, & poculum benedictionis, quis ſcripto reliquit?* Sed verba ſunt, Τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας, τίς τῶν ἁγίων ἐγγράφως ἡμῖν καταλέλοιπεν: Hæc Eraſmus vertit, *Inuocationis verba, cum conficitur panis Euchariſtia, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit?* Vide: ἀνάδειξιν, vertunt illi oſtenſionem: & eo triumphant. Iſte vero confectionem; id eſt, quum, vt alias loqui mos eſt, conficitur corpus Chriſti. Certe in eiuſdem Baſilii Liturgia ſic legas, σοῦ δεόμεθα, καὶ σε παρακαλοῦμεν ἅγιε ἁγίων, εὐδοκίᾳ τῆς σῆς ἀγαθότητος, ἐλθεῖν τὸ πνεῦμα σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ, καὶ ἁγιάσαι, καὶ ἀναδεῖξαι, *Precamur te, atque obſecramus Sancte Sanctorum, pro beneplacito tua bonitatis, vt veniat Spiritus tuus Sanctus in nos, iſtaque dona propoſita, & benedicat ea, ſanctificetque, atque oſtendat.* Quid? Videturne hic oſtentatio deſignari vt oculis plebis obiiciatur? Atqui ipſe Spiritus ſanctus rogatur oſtendere: qui tamen nihil obiicit oculis corporis. Itaque melius efficere quam oſtentare. Nam in Iacobi Liturgia, Ἵνα ἐπιφοιτῆσαν τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀγαθῇ καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ τὸν ἄρτον τοῦτον, σῶμα ἅγιον τοῦ χριστοῦ σου, *Vt adueniens Spiritus, ſancta bona, & glorioſa præſentia ſanctificet & faciat panem hunc corpus ſanctum Chriſti tui.* Vbi habet ἁγιάζειν & ποιεῖν, quod in Baſilio, ἁγιάσαι, καὶ ἀναδεῖξαι. Vt dubitari nequeat ἀναδεῖξαι idem eſſe quod ποιῆσαι. Clemens Romanus alio vſus verbo, dixit ὅπως ἀποφήνῃ, quod Turrianus vertit, *vt efficias:* Conſtitutionum 8. cap. 12. Et nihilominus, vt quis refragari velit, tamen ἀναδεῖξαι, non eſt neceſſario eleuare ſupra caput; ſed tantum oſtentare, oſtendere.

XXXIX. Quid? illa quanta eſt impudentia Rubeni, qui ἐπίκλησιν interpretatur, *Sacramentum hoc inuocari?* Dixit Baſilius, τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα, *Inuocationis verba.* Hominum fidem! Sciunt omnes inuocari Deum, vt mittat Spiritum, qui dona ſanctificet: & iſte audet pro hac inuocatione, inuocationem ſubſtituere Sacramenti? Nihil eſt quod non poſſit efficere audacia, ſi tantum valeat in diſputando, quantum in ſyluis.

XL. Sed enim concedimus κυφισμὸν, ὕψωσιν, ἀνύψωσιν, iam olim vſurpatam in huius Sacramenti celebratione: ſi quid tamen momenti habent liturgiæ quæ hodie circunferuntur. Nam alioquin autor nullus prætenditur apud Latinos, antiquior Amalario ſeculi noni: apud Græcos Georgio Presbytero in vita Theodori Archimandritæ, ſeculi ſeptimi: idque apud Coccium. Nam quos idem Coccius priores nominat, Dionyſium & Baſilium, iam examinauimus: Cyrillum Eremitam in vita Sancti Euthymij non videmus habere quod eo pertineat: ſed tantum ſolenne illud, *Surſum corda* & manuum eleuationem in cœlum: quæ longe eſt aliud, vt vident omnes. Itaque nouitium hoc commentum eſt: Nec antiquitatis teſtimonium legitimum ex illis liturgiis, quas ipſi Papiſtæ negare non poſſunt varie variis ſeculis fuiſſe interpolatas. Et tamen has ipſas videamus.

XLI. In Liturgiis Petri, Marci, nullum veſtigium: neque in Clementis. Sed tantum in Iacobi, Baſilij, & Chryſoſtomi. In Iacobi primum, ὁ ἱερεὺς ὑψῶν τὸ δῶρον, λέγει καθ' ἑαυτόν: ἅγιε ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος κύριε, ἁγίασον ἡμᾶς, *Sacerdos eleuans donum, dicit apud ſe; Sancte qui requieſcis in Sanctis Domine, ſanctifica nos.* Aliquanto poſt, ὅτε δὲ ἐπαίρουσιν οἱ διάκονοι τοὺς δίσκους καὶ τοὺς κρατῆρας εἰς τὸ μεταδοῦναι τῷ λαῷ, *Cum eleuant, ſiue tollunt Diaconi diſcos & crateras vt diſtribuant populo.* In Baſilij, hoc tantum, Ὁ ἱερεὺς κλίνει τὴν κεφαλὴν, καὶ αἴρων τὴν δεξίαν αὐτοῦ μετὰ εὐλαβείας, εὐλογεῖ τὸν ἅγιον ἄρτον, *Sacerdos inclinat caput, & extollens dexteram cum timore, benedicit ſanctum panem dicens clara voce, Dedit ſanctis ſuis diſcipulis.* In Chryſoſtomi ſimiliter: & ſtatim, ἐκφώνως ὁ ἱερεὺς τὴν χεῖρα ἔχων ἄνω μετὰ εὐλαβείας καὶ εὐλογῶν, λέγει, *Alta voce Sacerdos manum in alto ſuſtinens cum timore, dicit, Bibite ex hoc omnes.* Aliquanto poſt, Ὅταν δὲ ἴδῃ ὁ διάκονος τὸν ἱερέα ἐκτείνοντα τὰς χεῖρας, καὶ ἀπτόμενον τοῦ ἁγίου ἄρτου πρὸς τὸ ποιῆσαι τὴν ἁγίαν ὕψωσιν, ἐκφωνεῖ, πρόσχωμεν: καὶ ἱερεὺς, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, *Diaconus videns Sacerdotem protendentem manus, & accipientem panem ad faciendam ſacram eleuationem, alta voce dicit, Attendamus. Et Sacerdos, Sancta ſanctis.* Rurſus, Ὁ διάκονος προσκυνήσας ἅπαξ λαμβάνει τὸ ποτήριον μετὰ εὐλαβείας, καὶ ἔρχεται εἰς τὴν θύραν, καὶ ὑψῶν τὸ ἅγιον ποτήριον δείκνυσιν αὐτὸ τῷ λαῷ, λέγων, μετὰ φόβου θεοῦ καὶ ἀγάπης προσέλθετε, *Diaconus cum ſemel adorauit, accipit poculum cum timore, & venit ad ianuam, eleuanſque poculum ſacrum oſtendit populo, dicens, cum timore Dei & caritate accedite.* εἶτα λαβὼν τὸν ἅγιον δίσκον τίθησιν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ διακόνου, *Poſtea acceptum ſacrum diſcum imponit capiti Diaconi.* Hæc mihi lecta in iis Liturgiis.

XLII. In quibus non video ſane quam habeant Sophiſtæ triumphi materiam. Primum enim nulla eleuatio eſt ſuper caput, niſi Diaconi: non autem ipſius Sacerdotis: & quidem non vnius cruſtuli; ſed totius diſci, in quo erat videlicet, quicquid panis conſecrati. Atque hoc ipſum, tum cum inuitabatur populus ad communionem; & in eum finem ab altari, ſiue potius à menſa transferebatur. Aſt Papiſtæ non tantum eleuant ſuper caput Sacerdotis ipſius conficientis, ſed etiam vnicum duntaxat cruſtulum; vt facile ſciant omnes non diſtribuendum populo: nam & ipſe ſolus vniuerſum conſumit. Denique non ſolent eleuare, cum plebem admittunt ad communionem. Quanto diſcrimine? Rurſus ad communicandum Veteres, non ad adorandum. Nam & τοῦ ἄρτου ὕψωσις, non alio loco nominatur in Chryſoſtomi, quam cum diſtributurus eſt Sacerdos in partes quatuor. Audiuimus iterum eleuationem dexteræ; ſed tunc cum benedicitur panis, id eſt, cum nondum apud Papiſtas aptus eſt adorationi.

XLIII. Denique eleuationem legis; etiam Euangelij in Chryſoſtomi: & quidem ita, vt τὸ ὑψοῦν, quomodo ſit accipiendum facile doceat, εἰσέρχεται ὁ διάκονος εἰς τὸ μέσον, καὶ στὰς ἔμπροσθεν τοῦ ἱερέως ἀνυψοῖ μικρὸν τὰς χεῖρας, καὶ δεικνύων τὸ ἅγιον εὐαγγέλιον, λέγει ἐκφώνως, Σοφία ὀρθή, *Procedit in medium Diaconus, & ſtans coram Sacerdote, extollit aliquantulum manus; oſtendenſque ſanctum Euangelium, alte dicit, Sapientia recta.* Ergo, inquam, quum legimus eleuationem; non neceſſe eſt illam imaginari, quæ ſupra caput, quantum poſſunt intendi brachiorum nerui: ſed ſatis eſt moderatam; aliquantum ſupra menſam: tantum vt populus animaduertat. Quare iterum confidenter dico non videre: quid hic præſidij quærant Papiſtæ: niſi quatenus vnius aut alterius ſtrepitu verbi decipiunt imperitiores. Et redeo ad Sophiſmata.

XLIV. Septimum, Salmeronis. Si nomen Ieſu venerandum eſt propter Chriſtum, vt docet Paulus, ad Philipp. 2. *In nomine Ieſu omne genu flectatur;* multo iuſtius ipſemet in Euchariſtia exiſtens.

XLV. Mitte ſermonem de præſentia, quæ nondum diſputata: at nos certe concluſioni nihil opponimus: non enim continet Theſin, vt plurima reliquorum ſophiſmatum. Cæterum Nomen Ieſu, ſi intelligas ipſum ſonum, negamus antecedens: & nouitium ſuperſtitionis commentum in Papiſtis deteſtamur; qui quod nunquam factum in veteri Eccleſia, nunc vſurpant vel maxime, vt vnicam iſtam voculam habeant in honore; non item Chriſtum, non Filium Dei; non alia eiuſdem ſignificationis. Perperam. Etenim apud Paulum, nomen, non ſyllabas ſignificat, ſed perſonæ dignitatem, in quam illa eſt humanitas aſſumpta. Oecumenius, ποῖον δὲ τὸ χαρισθὲν ὄνομα: τὸ χριστὸς, τὸ υἱὸς, τὸ θεὸς; *Quodnam illud eſt donatum nomen? Chriſtus, Filius, Deus.* Lombardus, *Et donauit per gratiam, illi homini Chriſto, nomen quod eſt ſuper omne nomen, id eſt, honorificentiam, ſcilicet, quod vocatur Deus.* Guillaudus; *Quæres, quod nomen illi ob humanam naturam contulit Deus? Nimirum vt Filius in carne dicatur, & Deus.* Mitto alios. Itaque facile eſt intellectu; ſic in nomine Chriſti flecti omne genu; quomodo in nomine Chriſti baptizari, edi miracula: & ſi quid eſt ſimile: vbi nihil ſono, nihil ſyllabis, nihil literis accedit peculiaris venerationis.

XLVI. Octauum Rubeni & Sanctesij ex Paulo Corinthios reprehendente ob contemptum Euchariſtiæ: tanta irreuerentia vſos, vt vindicem ſceleris habuerint Deum per frequentes infirmitate.

XLVII. Optime ſane: Non eſt contemnendum Sacramentum: Ergo eſt adorandum. Sic ſcilicet ſtulti in contraria currunt. Quaſi vero nihil ſit medium? Atqui ex eodem Paulo habemus Iudæos ſeueriſſime punitos propter Baptiſmi, Euchariſtiæque typos ſpretos. Quod ne latius diſputare debeamus, effecit Rubeni confeſſio, *Vt, inquit, Iudai olim viliſſime ſentiebant de figura tanti myſterii, dicentes, Cur eduxiſti nos de Aegypto, vt morerentur in ſolitudine? deeſt panis, non ſunt aqua, anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo illo leuiſſimo.* Quid ergo? fuitne olim manna adorandum? Certe adoratum nemo dixit. Legimus apud Iacobum, *At vos contumelia affeciſtis pauperem.* An conſtat inde adorandum pauperem? Intelligo igitur à nemine Chriſtiano ſecius ſentiendum de Euchariſtia magnæ rei Sacramento. Intelligo Paulum huius contemptui oppoſuiſſe duplicem diſpoſitionē communicantis; internam vnam, vt probat ſeipſum: alteram externam, vt ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Sed nego tamen adorandam eſſe Euchariſtiam: nego quicquam eiuſmodi Paulum docuiſſe.

XLVIII. Octauum habent in Veterum teſtimonia. Quibus quid opus eſt inſiſtere? Nam pleraque loquuntur de adoratione Chriſti. Origenes in diuerſos homilia quinta iubet dicere, *non ſum dignus vt intres ſub tectum meum*, cum quis ſanctum cibum; illudque incorruptibile epulum accipit. Nazianzenus oratione 11. *Ad altare cum fide procumbit, eumque qui ſuper ipſo honorantur, cum ingenti clamore inuocat.* Chryſoſtomus homilia 7. in Matthæum, *Nihil te ad hunc regem introire prohibebit, modo vt adoraturus Dei Filium; & non quaſi conculcaturus adueneris.* Similia quædam hom. 25. in priorem ad Corinth. Denique Auguſtinum, iam ante audiuimus explicantem illud, adorate ſcabellum.

XLIX. Piget hæc omnia deſcribere: quæ theſim tractant de adorando Chriſto, etiam in Euchariſtia: nec literam habent de adoranda Euchariſtia. Quid enim toties repetendum mihi, nos cum Auguſtino ſentire, neminem comedere Chriſtum, qui non prius adorauit? Egregiam diſputandi laudem, id quod vltro datur magnifice confirmare: quod controuertitur idipſum pro deſerto habere.

L. Cyrillus Hieroſolymitanus myſtagogica 5. *Poſt communionem corporis Chriſti accede ad calicem ſanguinis illius, non extendens manus, ſed pronus adorationis in modum, & venerationis, dicens, Amen.* Atqui hæc fides eſt Cotonica. Punicam potui dicere? ſed hæc infra Cotonicam. Cyrillus

ſic

sic scripsit, προσιὼν, μὴ τεταμένοις τοῖς τῶν χειρῶν καρποῖς προσέρχου, μηδὲ διῃρημένοις τοῖς δακτύλοις· ἀλλὰ τὴν ἀριστερὰν θρόνον ποιήσας τῇ δεξιᾷ, ὡς μελλούσῃ βασιλέα ὑποδέχεσθαι· καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην, δέχου τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ἐπιλέγων τὸ Ἀμήν, *Accedens ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque disiunctis digitis, sed sinistram, veluti sedem quandam subiicias dexteræ, quæ tantum regem susceptura est: & concaua manu suscipe corpus Christi, dicens Amen.* Vbi de adoratione specierum, quid est? Aut etiam de adoratione? Tum autem hoc quicquid est, ad communionem pertinet; quam nemo exspectat Papistarum, sed præuenit adorans; accepto eleuationis signo, quod apud Cyrillum nusquam est.

L I. Origenes homilia 13. in Exodum, *Nostis, qui diuinis mysteriis interesse consueuistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione cauetis ne ex parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid delabatur.* Cyrillus mystagogica 5. *Caue ne quid tibi excidat, & cum adhuc est in ore manibus attingas, & oculos & frontem, & reliqua sensuum organa consecra.* Sed in Cyrillo mira Rubeni impostura, quanquam non ad hanc rem, Μετ' ἀσφαλείας οὖν ἁγιάσας τοὺς ὀφθαλμοὺς τῇ ἐπαφῇ τοῦ ἁγίου σώματος μεταλάμβανε, προσέχων μὴ παραπολέσῃς τι ἐκ τούτου αὐτοῦ· ὅπερ γὰρ ἐὰν ἀπολέσῃς, τοῦτο ὡς ἀπὸ οἰκείου δηλονότι ἐζημιώθης μέλους, *Sanctificatis ergo diligenter oculis, tam sancti corporis contactu, communica. Caue autem, ne quid inde excidat tibi: quod enim amittas, hoc tanquam ex proprio membro amiseris.* Hæc Cyrillus: Illa autem, vt caueat manibus attingere dum est in ore: vt frontem & sensuum organa consecret; mere Rubeniea sunt. Quid iuuat, tam impudenter mentiri?

L I I. Sed argumentum cuiusmodi est? Cauebatur ne quid excideret panis consecrati: Ergo panis consecratus adorabatur. Ineptissima consequentia. Nam primum Tertullianus de corona militis capite tertio, *Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur.* Etiam nostri: quo sensu? Non dubitat Pamelius agi de consecrato. Sed contra Salmero, & verius tractatu vicesimo primo tomi noni, *Maiores nostri, vt Tertullianus est autor, etiam communem, & vsitatum panem, ob id quod Eucharistiam aliquo modo repræsentaret, reuerentur, & si in terram cecidisset, eleuantum exosculabantur.* Vbi tamen de suo Iesuita addit, & causam, quod Eucharistiam repræsentaret: & osculum: quæ nemo vnquam, nedum Tertullianus cogitauit. Sed illud de pane communi; recte. Nam illud, *etiam nostri*, quorsum pertinet, nisi vt opponatur pani Domini? Ergo non tantum panem Domini, id est, consecratum, sed etiam panem suum fideles anxie patiebantur in terram decuti. An quia adorabant?

L I I I. Præterea Origenes illo ipso loco, hæc subiungit, *Quod si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela, & merito vtimini: quomodo putatis esse minoris piaculi verbum Dei neglexisse, quam corpus eius?* Vnde facile coniicias illam cautelam, non adorationis fuisse affectandæ, sed negligentiæ vitandæ. Itaque vereor vt illud, *cum omni cautela & veneratione*, sit ab interprete Latino exprimentis Græcum μετὰ πάσης εὐλαβείας, & vtramque partem homonymiæ repræsentantis; Nam εὐλάβειαν esse cautelam; & esse venerationem vel pueris notum. Sed hic tamen cautelam esse hæc posterior sermonis pars manifesto est argumento. Porro iam ante obseruatum, non opponi immediate negligentiam, & adorationem; vt vbi illa non sit, hæc necessario succedat. Disce ex verbo Dei: nam huius negligentiam æque taxauit Origenes cum illa corporis negligentia: & tamen adorari verbum Dei nunquam dixit.

L I V. Superest Theodoretus Dialogo secundo, Νοεῖται ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται· καὶ προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ πιστεύεται, *Intelliguntur esse ea quæ facta sunt, & creduntur. Et adorantur, quasi sint illa quæ creduntur.* Sic ille quidem, sed phrasi prorsus noua; & nusquam alibi obuia. Solitarius autem testis non facit fidem, maxime in rebus fidei. Nos benignius interpretandum putamus, ex totius Antiquitatis consensu, vt illud quicquid est προσκυνήσεως referatur, non ad elementa, siue species, vt Papistice loquar, sed ad ipsum Christum, propter Sacramentorum naturam, quæ non dantur, vt elementa, vt species, sed vt illud ipsum quod designant.

L V. Dionysium Bellarminus iterum laudat: atque eius hæc verba ex tertia parte capitis tertii de Hierarchia Ecclesiastica, *O diuinissimum & sacrosanctum Sacramentum, obducta tibi significantium signorum operimenta dignanter aperi, & perspicue nobis fac appareas, nostrosque spirituales oculos, singulari & aperto tuæ lucis fulgore imple.* Hæc sane inuocatio est: ergo & adoratio. Sed primum Græce ita legimus, Ἀλλ' ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή, τὰ περικείμενά σοι συμβολικῶς ἀμφιέσματα τῶν αἰνιγμάτων ἀποκαλυψαμένη, τηλαυγῶς ἡμῖν ἀναδείχθητι, καὶ τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις ἑνιαίας καὶ ἀπερικαλύπτου φωτὸς ἀποπλήρωσον, *At tu o diuinissimum sacrumque Sacrificium: reuelatis velaminibus quæ tibi symbolice obducta sunt, luculenter nobis appare, intellectualesque nostros oculos imple vnico & non velato lumine.* Vbi obserua, τελετὴν mutatam in Sacramentum.

L V I. Pachymeres autnm ita explicat, Ὡς ἐμψύχῳ αὐτῇ διαλέγεται, καὶ εἰκότως κατ' ὁ θεολόγος μέγας Γρηγόριος· ἀλλ' ὦ πάσχα τὸ μέγα καὶ ἱερὸν· τὸ ἡμέτερον γὰρ πάσχα, καὶ ἡ τοιαύτη ἱερὰ τελετή, αὐτός ἐστιν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, πρὸς ὃν ποιεῖται τὸν λόγον ὁ ἅγιος, *Id alloquitur tanquam anima preditus. Et merito: prout magnus Theologus Gregorius: At tu o Pascha illud magnum & sacrum. Nostrum enim Pascha, atque hoc sacrum sacrificium, ipse est Dominus noster Iesus Christus, ad quem Sanctus orationem dirigit.* Sensus manifestus; non ad ipsum hoc sacrificium, siue malis Sacramentum, sed Christum potius sermonem dirigi: nempe per Rhetoricam apostrophen: etsi Bellarminus contra asseueret, sed nullo fultus argumento; adeo vt non difficile sit Pachymerem Bellarmino præferre.

L V I I. Maxime cum circunstantiæ manifeste adiuuent. Nam quid illud est, de obductis ei symbolice velaminibus? & quidem velaminibus ænigmatum: aut quis vnquam ita loquutus de Sacramento? Nam obducta ei velamina scimus fuisse, & iam ante notauimus, ex ipso Dionysio: sed illa profecto non sunt ænigmatum velamina, verum corporalia, quibus oppansis subducuntur oculis corporalibus elementa; abductisque redduntur iisdem. Sed ipso Christo vere obducuntur ænigmatica velamina, nempe elementa ipsa; quæ subducant oculis mentis Christum ipsum, donec iisdem remotis (neque enim fidelem attendere oportet quid corporaliter videat) ipsum exhibeant contemplandum. Præterea, συμβολικῶς περικείμενα, circumducta symbolice, id est, in morem symbolorum, immane quam absurdum de pane & vino, quæ ipsa sunt symbolicum in morem vsurpata pro symbolis. Sic enim multiplicarentur Sacramenta; vt essent etiam Sacramentorum Sacramenta. Itaque hæc prorsus nulla est Sacramenti inuocatio, nulla adoratio, sed ipsius Christi, qui dictus est τελετή, prout, teste Augustino, mutuum est commercium inter signa, & res significatas.

L V I I I. Atque hæc quidem est germana Dionysii sententia: Veruntamen ipsa illa Apostrophe quamuis concederetur facta esse ad panem; non inferret tamen adorationem. Nam Ambrosius similiter ad aquam conuertit se; exclamans cap. 22 Lucæ, *Nam de aqua quid loquar? Super aquam ante ipsos mundi natales Sanctus, vt legis, Spiritus ferebatur. O aqua, quæ Sacramentum Christi esse meruisti: quæ lauas omnia, nec lauaris! Tu incipis primo, tu comples perfecta mysteria.* Et deinceps haud pauca.

Cap. III.

Argumenta Catholica contra adorationem Sacramenti.

I. NOstra argumenta contra sunt. Primum. Vsus Sacramentorum pendet ab institutione. At iste adorandi Sacramenti vsus, non pendet ab institutione: Ergo is nullus est vsus Sacramenti. Maior patet ex concessis 1. lib. huius tomi. Assumptum autem non eget nisi oculis apertis. Nam hi in vllo Scripturæ loco nihil omnino reperient dictum, pictum de huiusmodi adoratione.

I I. Respondet Salmero. Hoc genus argumenti ex negatiua sumptum parum esse neruosum apud Dialecticos.

I I I. Sed contra, apud Theologos neruosissimum. Nam, *hoc diuinare magis est, quam explanare, vbi quod dicitur, non de Scripturarum autoritate munitur*: inquit Origenes homilia decima tertia in Exodum. Et Basilius in Ethicis definit. 26. Δεῖ πᾶν ῥῆμα καὶ πρᾶγμα πιστοῦσθαι τῇ μαρτυρίᾳ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, *Oportet quicquid fit aut dicitur, confirmari testimonio diuinæ Scripturæ.* Verum Papistæ hoc pridem iure non vtuntur: quibus perinde est diuina humanaque autoritas: & æque potentia humana commenta, ac diuina instituta.

I V. Rursus respondet Bellarminus; Verbum Dei satis monere ac præcipere Christum adorari debere in Eucharistia, cum docet, illum vere esse Deum, & vere esse in Eucharistia: & alibi iubet Deum adorari.

V. Sed & Scriptura nos docet cauere ab impostoribus, qui ouina pelle lupum occultant: quales isti sunt, qui proposita Christi adoratione dissimulant Sacramenti adorationem: nempe vna manu pane porrigentes; altera lapidem torquentes. Nos docemus, Deum esse adorandum: Christum esse Deum: Christum esse adorandum: adorandum etiam in Eucharistia. Hæc, inquam, omnia vel in Scripturis diserta esse: vel ex illis disertis necessario sequi. Sed illud ergo Sacramentum adorari: neque scriptum est diserte: neque ex scriptis infertur. Et hoc tamen aduersarii si non obtineant, restim meditantur.

V I. Denique Michael respondet. Quid si hunc honorem summum, vt alia sublimiora Christus tradere noluit, sed Spiritui sancto relinquere, qui indutos virtute ab alto faceret Christum adorare in Sacramento?

V I I. Quid si potius stertentibus Iesuitis atque ita alte somniantibus nemo fidem adhibeat? An propterea perire oportet pietatem? An propterea Christianum orbem nullum esse? Enimuero quæ causa fuisset tacendi? Non enim sublimius arcanum illis quæ tradita: & ne longe abeam; non certe sublimior adoratio Eucharistiæ, quam ipsius Christi. Cur ergo adorationem sui docuerit Apostolos Christus, refugerit docere adorationem Eucharistiæ? Denique hæc Spiritus reuelatio perpetuum est nugatorum κρησφύγετον. Augustinus in Ioannem tract. *Omnes insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maxime exhorret sensus humanus, hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait, Adhuc multa habeo vobis dicere.*

V I I I. Secundum argumentum. Si adorandum esset Sacramentum, profecto Apostoli adorassent: At non adorarunt: Ergo non est adorandum. Coosequentia patet: quia & præsentem habuerint Christum, à quo monerentur: & satis habuerint pietatis, ne essent immorigeri magistro. Nam & Petrus permisit sibi pedes lauari monitus; cum primo restitaret. Assumptum patet ex ipsa narratione Euangelistarum; vbi non tantum non nominatur adoratio; sed ne vllus quidem relinquitur locus: Nam si adorassent, ergo vel ante consecrationem, vel post esum. At non prius; quia nondum erat Sacramentum: non posterius, quia nunquam auditum vel superstitiosissimos Papistas adorare species iam depositas intra suum stomachum: sed duntaxat vel ingressuras per solenne carmen, *Non sum dignus*: vel regressas in vomitu, nescio vtrum per *Tantum Sacramentum veneremur cernui*. Tertium autem non datur: tum quia non nisi facta consecratione adorandum docetur: tum quia Euangelistæ testantur simul dictum *Hoc est corpus meum*; simul acceptum panem, ingestumque in os.

I X. Respondet Salmero; Apostolos adorasse: quia crediderint dicenti, *Hoc est corpus meum.* Adorationem autem non tam consistere in externis actibus, quam in fide, spe, caritate. Illos credidisse Christo, fidisse illi, atque amasse.

X. Recurrit morbus, semper à cœpis ad allia. Atqui nemo negabat Christum adoratum ab Apostolis. Sed Sacramentum adoratum, & nos negamus, & nondum quenquam audiuimus asserentem. Et vero credidisse in species, confisos fuisse speciebus: amauisse species, magnus sit Theologus qui nos doceat.

X I. Bellarminus. Apostoli non debuerunt maiorem honorem exhibere Christo in specie panis latenti, quam in forma humana visibiliter præsenti. Non autem poterant semper prostrati cum Christo agere, & præsertim in Cœna, quando recumbere cum eo illis necesse erat. Itaque certis vicibus pronos adorasse, alias autem mente & animo veneratos esse.

X I I. Mira ratiocinatio. Non debebant maiorem honorem in Sacramento,

mento, quam alias. Ast alias non ſemper proſtrati adorabant: Ergo in Sacramento non tenebantur proſtrati adorare. Ex puris negatiuis, vbi concluditur ſyllogiſtice, Bellarmine? Apud Dialecticosne, apud quos tuus Salmero dicebat non multum valere ex negatiua? An vos fingitis, refingitis veſtro commodo Logicam diſciplinam? Sed ridebunt, quibus aliquid ſani ſupereſt cerebri. Porro ſi non ſit neceſſe in Euchariſtia proſtrationem adhibere, quid nobis ſucenſent Papiſtæ, quod ei parcamus? Nam nos ſane fide, ſpe, caritate adoramus etiam in Euchariſtia: quanquam etiam proſtrationem addimus, dum preces fundimus.

XIII. Sed reſponſio, vt alias, eſt extra rem. Chriſtum non ſemper Apoſtoli adorarunt proſtrati: ſed ſemper adorarunt. At ſpecies panis & vini nunquam adorarunt, nedum proſtrati. Itaque ſi tua aliquid valet argumentatio, Ieſuita; & non debuerint maiorem religionem pani in Euchariſtia, quam âlias: Ergo panem in Euchariſtia, nullo modo adorare debuerunt. Aut ſi debuerunt; & male fecerunt ipſi: & tu mentitus es argumentando, qui non maiorem hîc honorem dixeris requiri. Quanquam inepte maiorem dixiſti, pro alio: cum tamen adoratio (qui ſummus eſt honor) nunquam fiat maior additis externis ritibus. Sed facile linguæ peccata diſſimulantur, cum longe maiora fidei ſunt impugnanda. Veruntamen, ſi in eum vſum eſſet inſtituta Euchariſtia, vt adoraretur, profecto nulla excuſatio poterit Apoſtolos purgare: haud magis ac ſi non comediſſent panem, bibiſſentve poculum.

XIV. Tertium argumentum. Quiſquis adorandus eſt adoratione latriæ, is Deus eſt. At Sacramentum non eſt Deus: Ergo Sacramentum non adorandum adoratione latriæ. Maior patet; ex ipſa aduerſariorum confeſſione. Nam in hac ipſa controuerſia Petrus Michael recitat ex Synodi Nicenæ ſecundæ actione quarta, Anaſtaſij Theopolitani apophthegma, *Siquidem & homines, & Angelos adoramus; non autem quod λατρείαν, hoc eſt, cultum diuinum exhibeamus. Inquit enim Moyſes, Deum tuum adorabis, & illi ſibi λατρείαν præſtabis.* Aſſumptum autem negari non poteſt; cum Sacramentum, ſiue quâ elementum, ſiue quâ Sacramentum; ſit in creaturis, vel ex ordine naturæ, vel ex conſecratione gratiæ. Cum igitur Sacramentum Deus non ſit: & non Deo deferre latriam compertiſſima ſit idololatria, in promptu eſt quid ſit hac de re pronuntiandum.

XV. Reſpondet prolixe & varie Petrus Michael. Primum, Ita olim infideles & hæreticos occaſionem ſumpſiſſe criminandi Eccleſiam. Auguſtinum enim 20. contra Fauſtum cap. 13. teſtari, Chriſtianos accuſatos quod in pane & vino Cererem & Bacchum colerent: Neſtorianos, teſte Cyrillo in expoſitione Synodi Nicenæ, anthropophagiam & anthropolatriam orthodoxa ſacra compellaſſe.

XVI. Aſt ego primum dico, non eſſe æquum ex infidelium hæreticorumve rabie aduerſum Catholicos, iudicare de noſtris aduerſus Papiſtas accuſationibus. Non enim paria eſſe quæ conferuntur: neque nos infideles, aut hæreticos: neque Papiſtas Catholicos. Deinde neque infideles, neque hæreticos, criminationes ſuas ex veritate collegiſſe; ſed partim ex mera nequitia, vt qui olim caput aſininum obiectabant, teſte Tertulliano, partim ex veriſimilitudine tenuiſſima; vt qui infantem lancinari, eiuſque cruorem bibi clamabant; aut qui extincta lumina, promiſcuoque concubitus exprobrabant. Quare ſi tunc temporis innocens fuit eorum criminum Eccleſia; non ſufficit tamen eius innocentia purgandis hodie Papiſtis: qui longe lateque ab ea deſciuerunt innocentia. Et profecto nunquam illa aut Ethnicorum, aut Neſtorianorum tempore profeſſa eſt vel Sacramentum vel Sacramenti ſpecies adorare: quæ hodie magnifica eſt Papiſtarum iactantia: certe præcipuum ſpecimen pietatis.

XVII. Auguſtinus non conceſſit adorari Sacramentum. Recito, *Quomodo ergo comparas panem & calicem noſtrum, & parem religionem dicis, errorem longe à veritate diſcretum, peius deſipiens quam nonnulli, qui nos, propter panem & calicem, Cererem ac Liberum colere exiſtimant? Quod ideo commemorandum putaui, vt aduertatis ex qua vanitate veniat etiam illud veſtrum, quod propter Sabbatum Saturno dicatos fuiſſe Patres noſtros putatis. Sicut enim à Cerere & Libero Paganorum Diis longe abſumus, quamuis panis & calicis Sacramentum, noſtro ritu amplectamur: ita Patres noſtri longe fuerunt à Saturniacis catenis, quamuis pro tempore prophetiæ Sabbati vacationem obſeruarint.* Duo notanda. Vnum, Patres accuſatos quod Saturno dicati eſſent, propter vſum Sabbati: etſi Sabbatum non adorarent: Cur non ergo Chriſtianos, quaſi adorantes Cererem & Liberum: etſi panem & calicem non adorarent? Alterum; reſpondiſſe Auguſtinum, Chriſtianos ſuo ritu amplexos panem & calicem: quod certe abeſt ab adoratione: cum æque dici poſſit de aqua, quam etiam ſuo ritu Chriſtiani amplexi ſunt in Baptiſmo.

XVIII. Cyrilli expoſitionem Synodi Nicenæ nullam vidi: Vidi expoſitionem ſymboli Niceni: ſed in ea de anthropophagia, aut anthropolatria, prorſus nihil: frequenter autem alibi Arianos legi dictos χριστιανοκατηγόρους; eo quod Catholicos reos facerent idololatriæ; adorantes eum, quem tamen aſſererent purum hominem. Iuxta illud Nyſſeni in funebri Placillæ, ὁ γὰρ τὸ κτίσμα προσκυνῶν κἂν ἐπ' ὀνόματι τοῦ χριστοῦ τοῦτο ποιῇ, εἰδωλολάτρης ἐστι, χριστοῦ ὄνομα τῷ εἰδώλῳ θέμενος, *Nam qui creaturam adorat, etiam ſi in Chriſti nomine id faciat, ſimulacrorum cultor eſt Chriſti nomen ſimulacro imponens.* Quod ipſum mire quadrat nunc in Papiſtas, qui Chriſti prætextu volunt adorari Sacramenta.

XIX. Altera Michaelis reſponſio: non committi idololatriam, niſi cum latria defertur creaturæ, id eſt, in Euchariſtia pani. At nullam deferri pani: Ergo nec idololatriam admitti. Aſſumptum probat, *Tantum abeſt* inquit, *quod panem in Euchariſtia adoremus, vt omnem illius ſubſtantiam à Sacramenti præſentia certiſſima perſuaſione remoueamus; cum alias ob cauſas, quas Chriſtus inſtitutor ſpectauit, tum hac etiam, ne panis adorari videatur.*

XX. Reſpondeo, primo negari minorem: Nam etſi panis ſubſtantiam remoueant Papiſtæ, tamen non reapſe, ſed cogitatione tantum, ſiue vt loquitur Michael, perſuaſione. At hæc opinio eſt; quæ nihil ponit in re. Itaque quicquid cogitent, imaginentur, velint, tamen non propterea deſinit eſſe panis. Quomodo apud Ethnicos, etſi plurimi haud aliter conciperent ſua idola, quam Deos, quos eſſe habebant non minus perſuaſum, quam Papiſtæ ſui panis ſubſtantiam φρουδὴν γεγονέναι: tamen non minus erant ſtipites: ideoque reprehenduntur a Scriptura, tanquam adorantes ſtipites. Simili ratione Papiſtæ, quantumcunque de Tranſubſtantiatione nugentur, tamen panem adorant: Etenim ſi imaginatio hæc valeret, tum fruſtra Sophiſtæ idololatriæ periculum cauerent in Euchariſtia certis quibuſdam caſibus. Nam his omnibus certa eſſet medela cum quis cogitaret adorans, rite fuiſſe omnia peracta.

XXI. Deinde etſi concederemus panis ſubſtantiam omnino nullam manere, tamen non abſoluuntur crimine adoratæ creaturæ: quandoquidem hic latriam velint deferendam Sacramento, deferendam ſpeciebus. Atqui vtrumque in creaturis eſt. Nam ſpecies quidem accidentia ſunt, nec niſi accidentia; ſic enim placuit Dominis Scholaſticis: atqui nullum accidens Deus eſt: creatura igitur. Similiter, Sacramentum, quatenus Sacramentum, eſt ens rationis: At Deus nullum eſt ens rationis: Ergo Sacramentum in creaturis. Idololatræ ergo Papiſtę; qui colant, etſi non panem, tamen aliquam creaturam.

XXII. Denique ſi non eſſet perpetua idololatria; at certe ſubinde periculum magnum, quandoquidem velint Papiſtæ multa poſſe accidere, quę tranſubſtantiationi ſint obſtaculo: Diſce ex Biele ad verba, *Hoc eſt enim*, in Epitome ad canonem, *Non poteſt*, inquit, *eſſe euidens certitudo, neque celebranti neque populo circunſtanti de conuerſione panis in corpus Chriſti propter defectum aliquem impedientem, & contingere potentem: vt quia forte celebrans non eſt Sacerdos, ſiquidem nullus celebrans poteſt euidenter ſcire ſe eſſe Sacerdotem, quia non poteſt euidenter ſcire ſe fore baptizatum, aut legitime ordinatum: ſimiliter propter defectum alicuius neceſſario requiſiti ad conſecrandum, vtputa debita intentionis, aut errorem commiſſum in forma vel materia: & multo minus circunſtantes ſcire poſſunt infallibiliter ſub hoſtia fore Chriſtum.* Certe igitur tum cum nulla tranſubſtantiatio eſt, nullus Chriſtus eſt: & adoratur tamen, non iam ſpecies, non Sacramentum, ſed panis. Et non eſt hæc idololatria?

XXIII. Hoc abſurdum ſoluunt Bellarminus & Michael; dupliciter. Primo, ſi hoc argumentum valeret omittendam eſſe non ſolum adorationem, ſed etiam communionem ipſam: quoniam hæc ſimiliter obnoxia eſſet accipere ſolum panem, pro corpore Chriſti.

XXIV. Hoc vero, inquam, vere conſequens eſt, ſed doctrinæ Papiſticæ; quæ Capernaiticam communionem defendit, neceſſario ſupponentem elicitum è cœlo Chriſti corpus Sed Catholici, qui non niſi fide, & ſpiritualiter communicari credunt Chriſto, nihil verentur eiuſmodi. Ne apud Papiſtas quidem æqua ratio periculi. Neque enim peccatum eſt non ſumere corpus Chriſti prout fingitur recipiendum in Sacramento: ſed tantum indigne accipere. At, qui non accipit omnino, non poteſt accipere indigne. Itaque ad ſummum, qui communicabit tantum pani, credens communicare corpori, impoſturam paſſus erit: ſed qui adorauerit, non hoc tantum, ſed etiam ipſe grauiſſime peccarit, adorando creaturam: quæ etiam inſcientibus idololatria eſt.

XXV. Secundo reſpondent: Nullum eſſe periculum idololatriæ fideli ſimpliciter credenti, & ſolito more veneranti. Nam in rebus huiuſmodi ſufficere humanam certitudinem, quæ ex probabili perſuaſione ſumitur, eorum quæ recte geri putantur, & videntur iuxta declaratum per Eccleſiam cultum. Sic Iacobo Patriarchæ nihil obfuiſſe adulterij reatum, quod ignorans loco Rachelis cum Lia concubuiſſet. Nam *quando ſenſus corporis fallit* (inquit Auguſtinus, cap. 60. Enchiridij) *mentem vero non mouet à vera rectaque ſententia, qua quiſque vitam fidemque gerit, nullum eſt in religione periculum. Vel cum ſe bonum fingens, ea facit ſiue dicit, quæ bonis angelis congruunt, etiam ſi credatur bonus, non eſt error Chriſtianæ fidei periculoſus aut morbidus.* Non plus ergo in huiuſmodi errore piaculi committi, quam ſi quis à deriſore aliquo Chriſti perſuaſus Petrum aut Ioannem eſſe Chriſtum, quod cœcis poſſet euenire, pro Chriſto Petrum adoraſſet. Nam is non Petrum, ſed Chriſtum adoraſſe putandus eſſet.

XXVI. Sic, inquam, pharmaca conquiruntur, quæ non tollant idololatriam, quod profitetur religio Chriſtiana: Sed quæ idololatriæ ſopiant ſenſum: Si tectorio non reparatur ſed incruſtatur murus, vt qui ruinoſus eſt, non appareat. Sic anodina pharmaca non morbum tollunt; ſed ſenſus ſtupefaciunt. *Talis denique eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum, dicit Non ſum operata malum.* Prouerb. 30. Quanto præſtaret peccata cauere, quam excuſare! Sed non eſſe legitimam excuſationem, ipſi ſunt conſcii Papiſtæ; qui hanc adorationem iubent eſſe hypotheticam. Biel eodem loco, *Ideo adoratio fieri debet ſub conditione habituali tacita, vel actuali expreſſa, tali ſcilicet, ſi ſeruata ſint omnia ad conſecrationem neceſſaria.*

XXVII. Sufficere humanam certitudinem tum credo, cum nihil eſſe poteſt in re ipſa peccati: vt ſi quis à me eleemoſynam auferat, præferens ipſe ſe Euangelij cauſa ad inopiam redactum. Si quis ſeſe fingens paſtorem verbi à me honoretur. Nam etſi durum eſt impoſturam pati, tamen reapſe nihil à me peccatur cum cuicunque egeno largior de meo, aut cuicunque homini honorem ciuilem exhibeo. Sed cum impoſtura aliena impulſus, ipſe facio contra legem Dei; tum vero tolli peccatum nego. Humanam certitudinem habebat Ioannes cum adoraret Angelum; & tamen reprehenditur. Habebat Cornelius quandam humanam certitudinem, cum adoraret Petrum; & tamen reprehenditur. Cur non reprehendatur qui prætextu eiuſdem humanæ certitudinis, non Angelum, non Petrum, ſed panem adorabit? Nec credo Iacobo nihil nocuiſſe ſoceri impoſturam; niſi doceat me turba Sophiſtarum, ex verbo Dei.

XXVIII. Nec Auguſtinum credo tam vaſtè loquutum, vt nullum diſcrimen habuerit externi facti: ſed ſolius internæ ſententiæ: quaſi qui adulterium committeret, non peccaret, modo crederet adulterium non perpetrandum. Nunquam ego quidem tam abſurdam orationem tribuerim tam Sancto Patri. Et ſane illi ſermo eſt de Sathana transfigurante ſe in Angelum lucis; & ſic obtinente vt credatur bonus: non tamen efficiente, vt aut ipſe adoretur, aut quicquam admittatur contra ius faſque: quod in noſtro argumento contra eſt: cum non tantum impius Sacerdos imponit plebi, vt ſe Sacerdotem credat bonum ſed continuo

tinuo efficit, vt adoret fruſtulum panis. Duræ ſunt partes eorum qui perſuadere volent verè Chriſtianis ad Eccleſiam nullum inde redire incommodum. Niſi forte ex eo ſint genere qui decernebant olim, *πᾶν ὅτι βασιλεὺς Δημήτριος κελεύσῃ, τοῦτο καὶ θεὸς ἦν ὅσιον καὶ θεὸς ἀνθρώπους εἶναι δίκαιον; quicquid Demetrius Rex iuſſerit, id tum apud Deos pium, tum apud homines iuſtum fore*: quo nomine Stratocles olim μαινεὰς dictus, apud Plutarchum in Demetrio.

XXIX. Denique Canone *Præter hæc autem*, diſtinctione trigeſima ſecunda, ex Vrbano ſecundo, de concubinariis & ſcortatoribus Sacerdotibus, *Agentibus vel ſuſcipientibus hæc eadem Sacramenta contra præfatorum Pontificum inſtituta: eis, inquam, agentibus vel ſuſcipientibus intantum obſunt, vt vere idololatræ ſint.* Sanctesius Repetitionis quartæ capite duodecimo, *Oportet prius eſſe corpus Domini, atque eius Sacramentum, quam capiatur, ne ex delata ante vſum adoratione admittatur idololatria.* Nota. Oportet prius eſſe: non autem prius putari.

CAP. IV.

Status quæſtionis de Reſeruatione Euchariſtiæ.

I. DE Reſeruatione Elementorum conſecratorum ſcripſerunt Papiſtæ: Pereſius de Traditionibus, partis tertiæ conſideratione quinta. Gardinerus in Confutatione cauillationum obiecto centeſimo triceſimo ſecundo. Ioannes Fabri de Miſſa Euangelica libri quarti capitibus poſtremis duobus. Lorichius hæreſi tertia de Euchariſtia. Gropperus de altaris Sacramento, tomo primo, articulo ſecundo primario. Rauesteyn Defenſionis Tridentinæ parte altera ad caput tertium & canonem quartum de Euchariſtia. Slotanus contra Velſium articulo decimo octauo. Ioliffus & Gardinerus ad articulum Hopperi decimum ſeptimum. Caſtro de Euchariſtia hæreſi duodecima Croquetius Catechеſi centeſima quinquageſima. Klingius libri quarti capite viceſimo. Ioannes Dedehus antithetis Euchariſticis diſcurſu quinto. Bellarminus de Euchariſtia libri quarti capitibus primis quinque. Suares de Sacramentis, diſputatione quadrageſima ſecunda, ſectione quarta. Petrus Michaël de Veneratione Euchariſtiæ capite tertio. Sanctesius Repetitionis quartæ capite duodecimo. Tapperus articulo decimo quarto. Hardingus contra Iuellum articulo nono. Emanuel Vega Aſſertionibus Theologicis de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſexti capitis parte ſecunda & tertia. Turrianus quarti pro Epiſtolis capite vndeviceſimo, & annotatione quinta ad caput decimum tertium octaui Conſtitutionum Clementis. Gregorius de Valentia diſputatione ſexta tomi quarti, puncto tertio. Suares diſputatione ſeptuageſima quarta, ſectione quarta.

II. Catholici: Iuellus contra Hardingum articulo nono. Hoſpinianus hiſtoriæ Sacramentariæ libro quinto capite ſexto. Pleſſæus de Euchariſtia libri quarti capite ſeptimo. Chemnitius parte ſecunda Examinis ad caput ſextum, & canonem ſeptimum Tridentinum de Euchariſtia. Petrus Martyr contra Gardinerum obiecto 132.

III. Tridentinæ ſeſſionis decimæ tertiæ ſeptimus canon eſt, *Si quis dixerit, non licere ſacram Euchariſtiam in ſacrario reſeruari, ſed ſtatim poſt conſecrationem adſtantibus neceſſario diſtribuendam, aut non licere, vt illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema ſit.* Et prius capite ſexto, *Conſuetudo aſſeruandi in ſacrario ſanctam Euchariſtiam, adeo antiqua eſt, vt eam ſeculum etiam Niceni Concilii agnouerit. Porro deferri ipſam ſacram Euchariſtiam ad infirmos, & hunc vſum diligenter in Eccleſiis conſeruari, præterquam quod cum ſumma æquitate, & ratione coniunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum inuenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſt obſeruatum. Quare ſancta hæc Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc, & neceſſarium morem ſtatuit.*

IV. Habes duo. Prius, eas, quas ſpecies appellant panis poſt conſecrationem, non totas ſtatim conſumi, id eſt comedi: ſed partem aliquam ſaltem reſeruari in breue, imo etiam in longum tempus. Huic vſui haberi loca, ſiue vaſa peculiariter aptata. Vulgo ciborium dicunt (& ſic nominat Ioannes Fabri) Iuellus & Hardingus Conopeum. Veruntamen Hardingus aliter alibi atque alibi fieri ſignificat, *In aliis Chriſtianis regionibus*, inquit, *aliaquadam ratione ſeruatur, loco aliquo ſera & claui munito: quibuſdam in loculo in altero fine aut latere altaris: in quibuſdam vero in ſacello in hunc ipſum vſum extructo: in quibuſdam autem in ſacrario, aut in imo rinſeco aliquo & ſecreto templi loco, quemadmodum Conſtantinopoli quondam Chryſoſtomi memoria. Alicubi etiam in palatio Epiſcopi prope templum ſeruatum, atque in feſtis diebus honorifice in Eccleſiam importatum, & in altari poſitum fuiſſe legimus, qui mos poſtea fuit propter abuſus, conciliorum decreto ſublatus.*

V. Verum is cuſtodiæ (nam & cuſtodiam nonnuſquam appellari audio) locus exiguæ attentationis eſt; præut id eſt quod docent, proprie hanc controuerſiam continens. Lorichius, *In Euchariſtia conſecrata manet Chriſtus totus, quandiu illa, aut aliqua eius particula ſua ſpecie durat, vbicunque ſit, aut inueniatur.* Quæ verba, quia μυστήριον γέμει, ſunt paulo diligentius conſideranda.

VI. Primum, quod Euchariſtiam dicit, ſine dubio Synecdoche eſt totius pro parte: etenim hoc reſeruationis, quantumcunque ſit arcanum, nihil ad vinum pertinet. Nam etſi ſit ipſum pars Euchariſtiæ, tamen indignum viſum eſt hoc priuilegio: ſiue quia facile effundatur: ſiue quod acorem contrahat: ſiue alio aliquo ſiniſtro ſuo fato.

VII. In ea Euchariſtia tota ſiue in eius particula totus Chriſtus, pertinet ad Tranſubſtantiationis myſterium, de quo ſuo loco. Sed, quandiu durat ſub ſua ſpecie. Nempe quia vitium trahere ſolent interdum, ſiue ex longo tempore, vt ſunt res omnes creatæ interitui obnoxiæ: nec obtinuerunt hæ ſpecies, id quod terra, vt permaneant; etſi non hæc tantum, ſed illæ item pari priuilegio gaudeant, vt ſint ἀναπόδειον Dei. Quandiu ergo tueri ſe poſſunt ab interitu, tandiu ſub eis latitat corpus diuinum: ſed ſi corrumpantur, auolat: & quidem paulatim, contrahens ſe opinor: quia videlicet non ſubito totæ ſpecies intereunt: ſed ſucceſſiue.

VIII. Vbicunque ſint, & inueniantur. Nimirum, non tantum in ciborio, in conopeo, in ſacrario, vbi ſeruantur honorifice: verum etiam alibi. Vt, primo, in ſtomacho ſiue Sacerdotis deglubentis: ſiue laici poſt cõmunionem: Nam habet noua philoſophia, ſtomachum impleri accidentibus ſine ſubiecto: eaque ipſum pati, quod alias ſolent in ſuo ſubiecto; vt concoquantur vi caloris naturalis, atque inde corrumpantur paulatim in Chilum. Hinc corruptionem ipſam etiam excludere corpus ſacrum paulatim, alias ſerius alias citius pro viribus ſtomachi. Secundo, extra ſtomachum; vnde interdum euomitur, nimis ſubito poſt ſumptionem, ex infirmitate aliqua ſuperueniente. In quo vomitu multas neceſſe eſt ineſſe reliquias qua panis, qua vini nondum corruptas. In hoc igitur tali vomitu adeſſe etiamnum totum Chriſtum pie credit, & honorifice perſuaſum habet Romana deuotio.

IX. Hæc erant hæc deſignabantur arcana, illo tanto, tamque accurato verborum delectu Lorichii. Nobis pergendum in ſtatu quæſtionis perſpicue indicando Ioannes Fabri negat pertectionem huius Sacramenti conſiſtere in vſu; vt ſit in reliquis Sacramentis; vt, verbi gratia, in Baptiſmo aqua non ſit Sacramentum niſi accedente verbo & vſu. Tridentinum caput tertium, *Commune hoc quidem eſt*, inquit, *ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum reliquis Sacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem: verum illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur: at in Euchariſtia, ipſe ſanctitatis autor ante vſum eſt.* Perezius, *Dicere quod Chriſtus dum communicatur & participatur in Euchariſtia eſt, & quod ceſſante vſu communionis, non eſt, etiam ſi hoſtia conſecrata ſeruetur, impium plane eſt, & irrationabile.* Rauesteinſerio impugnat hanc regulam à Chemnitio propoſitam, *Sacramenta extra vſum non habere rationem Sacramenti.* Imo Suares magis perſpicue, *Dicendum ſumptionem ſeu vſum, non eſſe Sacramentum Euchariſtiæ nec partem illius.* E aliquanto poſt, *Sumptio Euchariſtiæ ſolum eſt applicatio Sacramenti, ſeu conditio neceſſaria, vt Sacramentum operetur.* Et hac notione Bellarminus concludit Sacramentum proprie rem permanentem eſſe, nimirum hoſtiam conſecratam.

X. Quare vt rem in pauca contraham; Papiſtarum hæc ſententia eſt: in Euchariſtia non ſolum adeſſe corpus Domini per ſe ipſum, quod quidem pertinet ad controuerſiam de reali præſentia: ſed etiam ſpecies panis & vini, quandiu manſerint integræ, rationem obtinere Sacramenti, quicquid iis tandem fiat; ſiue accipiantur à communicantibus; ſiue in ciborio conſeruentur, ſiue etiam cum à vermibus eroduntur, aut canibus deuorantur; muribuſve: denique cum ſiue ab homine, ſiue à cane euomuntur. Nam etiam in cane & mure aliquantulum durant ſpecies, & tum ſane magnificum eſt, & honorificum Sacramentum Eccleſiæ.

XI. Catholici contra cenſent, communionem, id eſt eſum panis, & potum vini eſſe eſſential m partem Sacramenti: ita non diſputant, cum Bellarmino, vtrum ſit Sacramentum, an res conſecrata, an potius ſumptio: ſic enim diſiungerentur: ſed diſputant; neque panem conſecratum ſine eſu: neque eſum ſine pane conſecrato, eſſe Sacramentum, aut vllam habere rationem Sacramenti. Nam is ſenſus eſt eius regulæ quam diximus, *Sacramenta extra vſum non habere rationem Sacramenti*: vt in Baptiſmo apparet; in quo aqua eſt, & lotio; neutra per ſe Sacramentum, ſed vtraque ſimul.

CAP. V.

Argumentum Papiſticum ex Inſtitutione.

I. DIſputantibus Papiſtis attendamus. Primus illis labor ab Inſtitutione: idque varie. Bellarminus. Primo, Verba illa Domini in Inſtitutione Sacramenti, *Hoc eſt corpus, Hic eſt ſanguis*, prius dicta ſunt, quam fieret actio manducandi, bibendique. Ergo ante illam actionem fuit corpus Domini præſens in cœna: & proinde Sacramentum etiam Euchariſtiæ confectum. Probat conſequentiam dupliciter: Prius: Quia, *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* At ante actionem comedendi & bibendi, verbum ad elementum acceſſit. Ergo ante actionem comedendi & bibendi, factum eſt Sacramentum. Deinde. Verba Domini, mox atque prolata fuerunt, vera fuerunt: ſed prolata ante illam actionem manducandi, & bibendi. Ergo ante illam vera fuerunt: fuitque vere corpus Domini; & proinde Sacramentum, ante illam actionem.

II. Reſpondeo negari conſequentiam. Nam in inſtituenda Circunciſione prius dictum Geneſeos 17. *Hoc eſt fœdus meum*: quam, *circuncidite vobis omnem maſculum*: & tamen nullum fœdus eſt Circunciſio ante vſum: quantumuis efficacia fuerint verba; quantumuis vera cum recitarentur. Et ſane perperam hærent Sophiſtæ ipſi actioni manducandi, ac bibendi; actu exhibitæ: at nos attendendam dicimus eandem actionem inſtitutione imperatam. Fieri enim potuit, vt ad aliquod momentum ſubſtiterint diſcipuli: nec ſtatim atque audiuerunt, *Accipite, comedite*, exercuerint actum ſuum accipiendi, vel ſaltem comedendi; ac proinde audierint ea verba, antequam comederint, aut biberint. Sed tamen certum eſt; non ediſſe, antequam audirent, ac proinde acciperent mandatum accipiendi, & manducandi, bibendique. Nam omnes Euangeliſtæ conſtanter eum ordinem ſeruauerunt, *Ait, Accipite, comedite; Hoc eſt corpus meum.* Similiter, *Dicens, Bibite ex eo omnes: Hoc eſt enim ſanguis meus.* Vnde facilis ſenſus: Hoc ita acceptum, & eſitatum; eſt corpus meum. Etenim inſtitutio Sacramenti definit non tantum elementum, ſed etiam vſum eius: vt in Baptiſmo.

III. Inſtat Bellarminus: non eſſe attendenda in hac re; quæ quibus verba præpoſuerint, poſtpoſuerintve Euangeliſtæ: cum certis de cauſis aliquando ſibi notis mutent ordinem. Sic Marcum cap. 14. dixiſſe, *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes: & ait illis, Hic eſt ſanguis meus Noui Teſtamenti* Vnde videtur ſequi, poſt peractum manducationem, pronuntiata hæc verba fuiſſe. Quod eſſet abſurdum: quia alterutrum ſequeretur, vel pronomen, *Hic*, nihil demonſtraſſe: ideoque verba fuiſſe falſa: vel remanſiſſe poſtquam omnes bibiſſent aliquid vini, de quo dictum id eſſet. His ſubiicit, quomodo ſit accipienda Euangeliſtarum narratio: quod poſt videro: vbi hoc expediero.

IV. Reſpondeo igitur, interdum ab Euangeliſtis inuerti ordinem verborum, non eſſe impoſſibile. Quanquam non bene probetur. Nihil enim

enim eſt abſurdi, ſi dixeris, quod Marcus videtur innuere, poſtquam omnes bibiſſent, tum demum dictum, *Hoc eſt ſanguis meus*. Videlicet, quia verba ipſa nihil à ſe & directe operentur, ſed tantum per inſtructionem audientium: quibus intimatur quid rei geſtum ſit. Exempli gratia, lotionem pedum, ita narrat Ioannes, vt oſtendat prius Chriſtum lauiſſe omnium pedes ac tum deſignaſſe quomodo id vellet accipi. Cap. 13. *Poſtquam lauiſſet pedes eorum, & pallium ſuum recepiſſet, rurſum diſcumbens dixit eis, intelligitis quid fecerim vobis?* & quæ ſequuntur. In hoc ipſo Sacramento apud Paulum prioris ad Corinthios 11. *Quotieſcunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Et certe tam efficacia ſunt ad fidem informandam verba poſterius recitata, quam prius. Etenim hoc veriſſimum, ea nihil operari in ipſa elementa directe, ſed oblique per intellectum eorum quibus dicta ſunt.

V. Eſt autem ridicula ſubtilitas dilemmatis: ſequitur, inquit, aut nihil ſignificaſſe, aut remanſiſſe aliquam particulam. Vtrumque falſum inquam. Nam pronomen, æquè ſignificat id quod fuit, æque atque id quod eſt. Marci decimo, *A principio creationis, maſculum & fœminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem.* Audio hoc? quodnam illud? Non certe præſens aliquid longe ante præceſſerat. Lucæ ſexto, *Nec hoc quidem legiſtis quod fecit Dauid?* Infinita ſunt ſimilia. Et hic facilis ſenſus, Hoc, quod vos iam à me acceptum bibiſtis, eſt ſanguis meus.

VI. Nihilominus vt dicebam, fieri poteſt, vt alias aliquando non hæſerint ſuperſtitioſe ſingulorum momentorum ſeriei: ſed non meretur tamen tanta omnium conſtantia facile ſuggillari; cum prorſus nihil ſit abſurdi. Neque illud Marci, ſi maxime conſtaret eſſe præpoſterum, quicquam euinceret: tum quia ſi neceſſaria eſſet conſequentia, nuſquam quicquam narratum eſſet ſuo ordine: tum vero etiam, quia omnibus potius accommodandus ille eſſet: Denique, etſi ille hanc partem præpoſteraſſet, tamen in hoc de quo agimus à reliquis non diſceſſit: itidem enim cum reliquis dixit, *Et ait, Accipite, edite, hoc eſt corpus meum.* Itaque nihil hic eſt, quod nos moueat.

VII. Videamus nunc quæ Ieſuitis ſolertia ſit interpretandæ Scripturæ. Senſus verborum (inquit) cogit vt dicamus, prius fuiſſe prolata illa verba, *Hoc eſt corpus, hoc eſt ſanguis*, quam dederit diſcipulis cibum & potum. Rationes illi. Nam ea verba continent rationem cur debuerit ille cibus comedi: vt patet ex Matthæo, *Hic eſt enim ſanguis meus*. Prius autem debuit ratio illa à Domino explicari, percipique ab audientibus, quam daretur panis comedendus. Præterea, ſi inuitantur ad bibendum: quia eſt ſanguis: Ergo prius fuit ſanguis, quam illi biberent. Tertio, apud Lucam & Paulum, *Hic eſt calix Nouum Teſtamentum in ſanguine meo*. Ergo in calice fuit ſanguis, & non ſolum in ore ſumentium: & prius in calice, quam in ore nam ex calice ad os. Quarto, apud Paulum, *Panis quem frangimus eſt communicatio corporis Domini*, vbi manifeſte indicatur panem prius cõſecrari, & mutari in corpus Domini, quam frangatur & diſtribuatur: dicit enim id quod frangitur non eſſe futurum, ſed iam eſſe corpus Domini. Quinto, cum Paulus arguit Corinthios, quod non diſcernerent corpus Domini, ab aliis cibis, ſignificat potuiſſe diſcerni, ac proinde ibi fuiſſe ante manducationem. Sexto, in antiquiſſimis Liturgiis verba Dominica multo ante pronuntiantur, quam panis ſanctificatus diſtribuatur, & manducetur.

VIII. Reſpondeo primum, nihil ad rem concludi. Poteſt enim, vt diximus, concedi prius hæc eſſe prolata verba, quam tradita elementa. Sed non tamen prius, quam iuſſa accipi, & conſumi, quod nobis eſt ſatis ſuperque. Nam olim in Paſchate inſtituendo ea ſeruata ratio eſt, vt non eodem die occiſus ſit agnus quo iuſſus edi. Et tamen ex eo mandato perpetua lex fuit occidendi, edendique. Neque contrarium euincitur vllis rationibus. Nam omnes, vt manifeſtum, concludunt contra actualem ſumptionem & conſumptionem: quæ alio pertinet.

IX. Addam amplius; nam confidentem facit non ſolum rei ipſius veritas, ſed etiam aduerſarij futilitas. Nullo argumento Bellarminus probauit, prius illa verba aut dicta, aut dicenda fuiſſe, quam elementa reapſe fuiſſent tradita, conſummataque.

X. Continent, inquit, ea verba rationem, cur debuerit cibus ille comedi. Eſto, inquam, etſi non ſit neceſſe. Sed quid tum tamen? Rationem ante oportuit reddi, quam dari cibum. Negatur hoc inquam. Nam contra Chriſtus Ioannis 13. *Quod ego facio tu neſcis nunc, cognoſces autem poſtea*: vnde conſtat prius voluiſſe Chriſtum vt ſibi Petrus ſineret lauari pedes, quam rationem lauandi intelligeret. Nimirum, quia ſufficiebat ad obedientiam autoritas imperantis, interea dum expectaretur ratio: maxime non procul differenda: ſed paulo poſt exponenda.

XI. Si ratio inuitandi, quia eſſet ſanguis, ergo prius erat ſanguis, quam biberetur. Vnde conſequentia, inquam? Ex quibus principiis? Itane ſi ſit inuitandi ratio, conuiuium, ideone oportet conuiuium prius fuiſſe? Nemo dixerit non inſanus. Omnino ita, panis ſit corpus Chriſti, cum comeditur, & ſic comeditur. Hæc ratio efficaciſſima inuitandi.

XII. Si ille eſt calix Nouum Teſtamentum in ſanguine Chriſti: Ergo in calice iam fuit ſanguis, antequam in ore. Negatur conſequentia: quam mirarer nulla prorſus ratione fultam, niſi is mos eſſet Ieſuitarum, audacter efferre, quicquid in buccam. Enimuero calicem nominatum proprie pro vaſe, ne Chorœbus quidem dixerit, ſed metonymice vas pro contento. Itaque *hic calix*, eadem ratione nominatur, qua in altera parte, *Hoc*; id eſt, hic panis. At neque panis in manibus eſt corpus Chriſti, neque vinum in calice, ſed vtrunque in ore, id eſt ſic manducatum, ſic potum.

XIII. Panis qui frangitur eſt communio corporis. Non poteſt contradici, ſed quid tum? Ergo prius mutatur, quam frrngatur. Falſum inquam: imo contra: Ergo non prius mutatur, quam frangatur: Vt ſi dicam, triticum, quod pinſitur & coquitur, eſt panis. Ergone prius panis, quam pinſatur, & coquatur? Vel panis qui comeditur, eſt cibus: Ergone cibus antequam comedatur? Panis, qui conſecratur eſt corpus Chriſti. Egone corpus Chriſti antequam conſecretur? Et non erubeſcunt, αἰνῦντες κατωπῶντες?

XIV. Potuit diſcerni corpus: Ergo fuit ante manducationem. Negatur hoc vero, inquam. Quis enim iuſſit? Quis probauit conſequentiam? An nos tam pecudes, vt iam tertio oporteat pendere à nudis Ieſuitarum ſomniis? Apage tyrannidem. Imo nihil obſtare dicimus, quominus diſcernatur ab omnibus cibis, quem ſcimus in edendo futurum corpus Domini. Quomodo aqua non ſumitur vt aqua prophana: quæ tamen niſi in abluendo, non eſt Baptiſma.

XV. In Liturgiis ante recitantur hæc verba, quam elementa diſtribuantur. Concedo, inquam. Sed ad theſin, conſequentiam nullam video. Enimvero nos non inſtituimus Sacramentum, vt Chriſtus: ſed inſtituti Sacramenti ordinem recitamus. Itaque in inſtituto tam diſpari non mirum ſi quid fiat alio ordine: vt tamen non alia Sacramenti natura. Quia videlicet ea verba, nihil efficiunt directe in elementa, ſed per intellectum. Intellectus autem æque vim comprehendit ſi ante audiuerit, ac ſi poſtea. Papiſtæ autem non argumentabantur ab eo quod fit hodie: ſed ab eo quod primum factum.

CAP. VI.

Argumentum à diſsimilitudine Baptiſmi.

I. Bellarmino ſecundum eſt argumentum à diſſimilitudine Baptiſmi & Euchariſtiæ; in hunc modum: quanquam vere potius neque in modo, neque in figura. In Baptiſmo non eſt aliqua res permanens, ſed ſola actio, quæ dicatur, & ſit Baptiſmus. In Euchariſtia contra, non eſt aliqua actio, ſed ſola res permanens, quæ dicatur & ſit Euchariſtia, ſiue corpus Domini, ſiue Sacramentum corporis Domini. Ergo Sacramenta iſta diſſimilia ſunt, & vnum in actione; alterum in re permanente conſiſtit.

II. Papæ, quantum acuminis! O Ieſuiticæ Scholæ! O Loiolitica Logica! Habet concluſionis duas partes: vnam, diſſimilia eſſe Sacramenta: quæ quidem eſt extra oleas. Quis enim negauerat? Imo ego alia argumenta diſſimilitudinis faeile proferam. In vno elementum eſt vnum: in altero geminum. In vnum lotio, in altero potus. Ergo ſunt diſſimilia. Verum non quæcunque diſſimilia, eadem nullo modo ſimilia. Pars altera: Ergo vnum in actione conſiſtit, alterum in re permanente. Miraculum. Baptiſmus in actione tantum, Euchariſtia in re permanente conſiſtit. Ergo Baptiſmus in actione tantum, Euchariſtia in re permanente conſiſtit. O Zenones! O Ariſtoteles! ô Peripatetici, Stoicive quid videtur? aut quanta Ieſuitarum prudentia? Et quidem decrepita iam mundi ſenecta. Sic iam olim quidam & facere & ſolide probauit diem eſſe, quia dies eſſet.

III. Rem videamus. Baptiſmus, inquit, nihil habet permanens: Et Euchariſtia eſt ſola res permanens. Vtrumque probat. Primo certum eſſe, aquam, quæ in Baptiſmo ſit res permanens, non dici Baptiſmum Sacramentumve Baptiſmi; ſed ablutionem, quæ eſt actio: vnde ad Epheſios quinto, lauacrum aquæ; ad Titum tertio, lauacrum regenerationis. Tum autem Auguſtinum dixiſſe cap. 13. 20. contra Fauſtum; Sacramenta non naſci, ſed fieri per myſticam precem. Atqui aquam non fieri per myſticam precem, ſed factam per creationem. Nam etſi benedicatur; tamen ea benedictio, non eſt de eſſentia: quia æque baptizari poſſet in aqua maris. Tertio definitionem Sacramenti optime conuenire lotioni: quia ſit ſignum, & cauſa inſtrumentalis gratiæ. Denique Verba Baptiſmi, non dirigi ad aquam, ſed ad hominem qui Baptiſmum recipit.

IV. Aſt in Euchariſtia contra. Neminem vnquam vocaſſe Euchariſtiam, ſiue corpus Domini; ipſam fractionem, vel conſecrationem, vel diſtributionem, vel manducationem, vel aliam actionem; ſed rem permanentem, id eſt, panem ſanctificatum. Secundo: Nullam eſſe actionem, cui conueniat tota ratio Sacramenti. Probatur hoc: Quia manducatio ſit actio ſuſcipientis, non Dei, aut Miniſtri. At Sacramenta non eſſe actiones ſuſcipientis: alioquin eſſent opera noſtra. Deinde, verba Sacramentalia, non dici à manducante, neque ad manducantem, ſed à Miniſtro ſuper panem. Tertio, ſi manducatio eſſet Sacramentum. Ergo fieri Sacramentum ab eo qui manducet; quod eſt abſurdum. Rurſus, neque fractionem, neque conſecrationem eſſe Euchariſtiam. Fractionem enim, non ſignificare gratiam inuiſilem, nec dici Sacramentum facere, qui frangat. Conſecrationem itidem, neque ſignum eſſe, neque cauſam proximam inuiſibilis gratiæ. Sic ergo conſtare, nullam actionem eſſe Euchariſtiam.

V. Iam rem permanentem eſſe Euchariſtiam, probat. Illum enim panem eſſe ſignum ſenſibile, & cauſam internæ nutritionis, atque inuiſibilis, & ſpiritualis. Deinde fieri à Deo per Miniſtrum, ritu & ceremonia à Deo inſtituta. Tertio, Elementum, & Verbum concurrere ad hoc Sacramentum, vt ad alia cuncta.

VI. Aſt ego in hoc mirifico ſyllogiſmo, nego id quod pro antecedente ſumitur. Nam ſermonem eſſe ſecundum rationem vel naturæ, vel Sacramenti. Secundum rationem naturæ, dico in vtroque Sacramento eſſe rem permanentem, id eſt, quæ per ſe ſit res naturalis, tum ante, tum poſt conſecrationem. Nam in Baptiſmo aquam eſſe, itidem vt in Euchariſtia panem.

VII. Sed aqua, inquit, non dicitur Baptiſmus aquæ. Certe Paulus ad Epheſios 5. dixit *lauacrum aquæ*. Iuſtinianus, *Baptiſmi Sacramentum expiari: hoc enim eſt lauacrum aquæ*. Et phraſis illa Baptiſmus aquæ, ſolennis ſemper fuit in Eccleſia: vnde & apud Papiſtas diſtinctio Baptiſmorum fluminis, flaminis, ſanguinis. Tum autem Baptiſmi materiam eſſe aquam, notum eſt; & diſputauit ipſe Bellarminus c. 2. de Baptiſmo. Materiam autem, non quomodo nunc volunt, panem materiam Euchariſtiæ, tanquam terminum à quo: ſed tanquam terminum in quo; ac proinde materiam permanentem vna cum forma, vt in Scriptura dicitur Arca ex lignis Sittim. Quare, ſicut lignum dicitur arca; ſic nihil obſtat quominus aqua dicatur Sacramentum Baptiſmi. Itaque Ambroſius in 22. Lucæ, *& aqua, quæ Sacramentum Chriſti eſſe meruiſti*. Etiam τὸ μυστικὸν ὕδωρ in vſu maximo, vt apud Nyſſenum de vita Moſis. Chryſoſtomus in Pſalm. 22. *Cum iſtud elementum acceperit Spiritum ſanctum, fit Sacramentum.*

VIII. Sacramenta non naſci veriſſimum eſt: ſed non eſſe ergo Sacramentum rem natura ſubſiſtentem, prorſus falſum. Et ridiculum additur, aquam non fieri per myſticam precem, ſed per creationem. Neque enim ea mens fuit Auguſtini vt diceret, ipſam illam Sacramentorum materiam,

riam, fieri per preces : ſed hanc materiam fieri Sacramentum per preces. Nam alioquin manifeſtum eſt in omnibus Sacramentis, non fieri à Sacerdote, ſed aſſumi ex rerum naturalium ordine : & ſic Irenæus dixit, eum panem, qui eſt ex creatura, eſſe Euchariſtiam: vt itidem verum ſit, vtrumque elementum Baptiſmi & Euchariſtiæ eſſe naturale. Non enim is erat ordo qui nunc apud Papiſtas, vt panis ipſe conficeretur à Sacerdote.

IX. Optimè conuenire lotioni definitionem Sacramenti; ſi ſolam dicas & per ſe, falſum. Oportet enim eſſe lotionem aquę: alioquin enim cum conſtet etiam vinum eſſe huic muneri aptiſſimum ; ergo perinde eſſet in vino quis baptizaret, an in aqua: quod ne Papiſtæ quidem tolerarint: Itaque Bellarminus ipſe diſputauit, aquam eſſe materiam ; & conſtat ex primo libro, ſine materia nullum eſſe Sacramentum.

X. Sed eſt, inquit, lotio ſignum, & cauſa inſtrumentalis gratiæ. Hoc quidem verum: ſed idipſum verum de aqua. Nyſſenus in Baptiſmum Chriſti. ὕδωρ ὑπηρετεῖ πρὸς ἔνδειξιν τῆς καθάρσεως. *Aqua ſubſeruit ad oſtendendam purgationem.* Baſilius cap. 15. de Spiritu Sancto. τὸ μὲν ὕδωρ τοῦ θανάτου τὴν εἰκόνα παρέχει. *Aqua mortis exhibet imaginem.* Nazianzenus oratione 40. *Baptizemur*, inquit, *vt victoriam aſſequamur:* μετάσχωμεν τῶν καθαρσίων ὑδάτων: *luſtralium aquarum participes ſimus ; quæ & hyſſopum extergendi facultate ſuperant.* Chryſoſtomus in Pſalmum 22. *Aqua Catholica ; in qua oſtenditur fons æternus ; qui reficit ; id eſt, iterum facit, quomodo generatio, & regeneratio reficit animas, quia innouat in fide. Abluit ſordes, tollit maculas, rudem facit aptum, expolians veterem hominem cum actibus ſuis, induens nouum eum ; qui ſecundum Deum creatus eſt.* Homilia in Ioannem 25. τὸ δὲ ὕδωρ παρείληπται, τοκετὸς τῷ τικτομένῳ γινόμενον· ὅπερ γὰρ ἐστὶν ἡ μήτρα τῷ ἐμβρύῳ, τοῦτο τῷ πιστῷ τὸ ὕδωρ. *Aqua aſſumpta, fit partus ei qui editus eſt: quod enim matrix embryoni, id aqua eſt fideli.* Quid multas? Nunquam hoc credidi.. em diſputandum aduerſus eos, quibus tam ſolenne eſt de Baptiſmo illud interpretari, *Niſi quis genitus fuerit ex aqua & ſpiritu.* Non addam plura: tantum moneo, etſi lauacri frequentiſſima mentio ſit, tamen ſi ſingula numerentur, longe ſæpius aquam apud Patres pro Baptiſmo dici, & aquæ tribui vim totam Baptiſmi : vt impudentiſſimum oporteat eſſe, qui neget aquam eſſe cauſam inſtrumentalem gratiæ. Quæ ſi cauſa eſt ſufficiens, vt dicatur lotioni congruere definitio Baptiſmi: certe eadem efficiet, vt ne negetur aquæ.

XI. Denique Bellarminus ait, verba Baptiſmi non dirigi ad aquam ; ſed ad hominem Ita eſt, inquam: Ergone propterea nonnihil habet permanens Baptiſmus? Atqui ne ad lotionem quidem: quia ad hominem. Conclude ergo Baptiſmum nullam habere actionem tranſeuntem. Placetne? Si non poteſt; Ergo illa etiam conſequentia eſt abſurda.

XII. Hactenus de ratione naturæ. Quod ſi malit ſecundum rationem Sacramenti, ſiue eius definitionem, vt ſe poſita parumper ratione ſubſiſtentiæ naturalis, tantum id conſideramus per quod elementum fit Sacramentum, tum vero dico, non magis Euchariſtiam eſſe rem permanentem, quam Baptiſmum. Etenim vt in hoc lotionem, ſic in illo, ſumptionem, & quemadmodum aqua aſſumpta eſt, non quomodocunque, ſed ad lauandum, ſic panem non quomodocunque ſed ad manducandum. Atque hæc ratio eſt vtriuſque materiæ, quam alias diximus appellatam propinquam & remotam.

XIII. At nemo, inquit Bellarminus, vocauit hunc vſum, Euchariſtiam, ſiue corpus Domini. Falſum, inquam. Nam Actor. 2 Lucas dixit, *Perſeuerebant in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus.* Ibi fractionem panis intelligunt omnes Euchariſtiam. Lorinus, *Commendantur Neophyti à perſeuerantia, verbi Dei frequentatione, & Euchariſtia, atque orationis.* Et poſt, *Mihi ſola, quam dixi, expoſitio probatur, quæ eſt etiam communior; & præter interpretes Iona Aurelianenſis, & B. Antonini: & Lutherus, atque Caluinus fatentur.* Deinde quoniam nec panis ſimpliciter, ſed manducatus, nec manducatio ſimpliciter, ſed panis, inſtituta eſt in Sacramentum ; ideoque vtrumque ſemper aut nominandum, aut certe intelligendum. Itaque frequenter patres vno nomine vtrumque explicant. Sic ex Iuſtino Bellarminus recitat, *Hic cibus à nobis Euchariſtia appellatur:* καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία. Nam cibus non dicitur panis ratione ſuæ eſſentiæ, ſed vſus, quia nutriendis corporibus aptus, non quibuſuis, ſed à quibus comeditur. Itaque cum cibus appellatur Euchariſtia, idem eſt ac ſi dicas diſerte, manducatio panis ſacri, eſt Euchariſtia.

XIV. Nullam eſſe actionem in hoc Euchariſtiæ Sacramento cui definitio Sacramenti conueniat, fateor, ſi ſeorſim ſingulas enumeres : aut etiam ſi omnes, ſeorſim ab elementis. Sed viciſſim dico nullum eſſe elementum cui conueniat eadem definitio, ſi ſeorſim ſumatur ab actionibus. Omnino ſicut in Baptiſmo : lotionem nemo eſt qui Baptiſmum nominarit, niſi aqua præſuppoſita: nemo rurſus aquam, niſi adhibitam lotioni, & conſecrationi. Aut igitur inepta eſt ratiocinatio ; aut æque contra rem permanentem, quam Bellarminus tuetur.

XV. Sed ſi actionem accipias, vt par eſt, id eſt ſuppoſitis ſupponendis, tum nihil eſt abſurdi, quominus definitio Sacramenti, & ad fractionem pertineat, & ad conſecrationem; & reliquas, itidem vt ad panem. Manducationem eſſe actionem ſuſcipientis, mihi aliter videtur. Nam exiſtimem potius paſſionem eſſe : non quod non ſit manducare genus quoddam actionis noſtræ: ſed quod ea actio eſt in patiendo: nimirum cum ſignificat modum accipiendi. Itaque connectuntur, *Accipite, comedite.* Patet ex altera parte, vbi eſt, *Accipite, bibite:* vbi manifeſtum, bibere, vix eſſe agere: etſi deſignet actionem, tamen eam quæ in ſeipſum fiat : vt etiam accipere ; vbi propriè eſt paſſio. Nam refertur ad dare. Relata ſunt igitur dare & accipere: quorum illud agere eſt in alterum; hoc vero admittere in ſe, id quod ille agat. Nihil autem prohibet, quominus ad rationem Sacramenti paſſio pertineat, vel Baptiſmi exemplo.

XVI. Deinde, vt concedamus eſſe actionem : tamen vnde habuit Bellarminus actiones ſuſcipientis non eſſe Sacramenta, id eſt, non pertinere ad rationem Sacramenti? Suos revereretur ſaltem, qui in Pœnitentia actus pœnitentis voluerunt eſſe materiam. Non enim, opinor, materiam Sacramenti negabit eſſe Sacramentum, ſuppoſita ſcilicet forma. Tum autem quæ ratio cogat actiones ſuſcipientis, non poſſe vllam partem Sacramenti à Deo conſtitui ; & poſſe tamen celebrantis? Nam æque vtræque actiones hominis ; cuius non eſt Sacramentum conficere ; quod poſtea pro abſurdo obiicitur.

XVII. Verba Sacramentalia non dici à manducante ; verum: ſed non dici ad manducantem, prorſus falſum. Nam ſi in iis ratio eſt, cur manducari debeat ; vt paulo ante annotatum ; ab ipſo Bellarmino aſſerente prius rationem oportuiſſe expoſitam, quam id quod mandaretur effectum, & à Luca Brugenſi in viceſimum ſextum Matthæi: quis negare poteſt, dicta fuiſſe ad homines? Non enim puto, aut pani, aut etiam corpori Chriſti neceſſe erat, eam rationem intimari. Quanquam non negem dicta eſſe ſuper panem: quod ſophiſtice permutauit Ieſuita, non auſus dicere dicta ad panem. Super panem ergo dicta fateor. vel potius, phraſi magis Latina, ſuper pane: quo ſenſu ille dixit olim, *Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.* Sed hic ſenſus nihil ad rem. Quanquam, vt hoc claudam, ingenue confiteor me non vigere vim argumenti : ſi hæc verba non ſint dicta ad ſuſcipientem : Ergo manducationem non pertinere ad rationem Sacramenti.

XVIII. Non fieri Sacramentum ab eo qui manducet, concedo : ſed ſi manducatio ſit Sacramentum, ideo confici Sacramentum à manducante ; pecoris ego quidem ἐνθύμημα eſſe iudico ; non vllius hominis ratiocinationem. Cur enim diſſimulem toties obuiam temeritatem eliciendi ex quolibet quidlibet? Nam etſi ipſe efficiat manducationem, tamen non efficit, vt hæc ſit Sacramentum, aut vlla pars Sacramenti, ſed Deus ſolus: ſicut neque piſtor, etſi panem conficiat, conficit Sacramentum.

XIX. Fractionem non ſignificare gratiam inuiſibilem; falſum: deſignat enim Chriſti paſſionem pro nobis: ipſo teſte Chriſto: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Sic enim ſolerit in Sacramentis nomina permutari propter ſimilitudinem. Certe verum, Chriſti corpus traditum eſt pro nobis: ſed & panis frangitur, qui eſt corporis ſymbolum: atque inde corpus ipſum dicitur frangi: nempe quia in oblatione; corporis aliquid fuerit, quod ſaltem adumbrari poſſit illa panis fractione. Caluinus in 11. prioris ad Corinthios, *Ego ſicut Paulum ad panis fractionem alluſiſſe fateor ; ita hic frangi interpretor, pro immolari; improprie quidem, ſed non abs re. Nam vtcunque nullum os mutilatum fuerit, corpus tamen ipſum primo tot tormentis & cruciatibus, deinde crudeliſſimo mortis ſupplicio expoſitum, non poteſt illæſum dici. Hoc frangi vocauit Paulus.* Iuſtinianus, *Quod pro vobis frangitur ; eſt enim Græce* κλώμενον : Et hoc ei notandum fuit, propter editionem Latinam, quæ ſuo quodam fato, reddidit, *tradetur.* Sed pergit, *Eodem modo loquitur Ambroſius, quod quidem alii ad diſtributionem referunt, quaſi dicat, vobis frangitur, alii ad mortis genus, quod fuerit Chriſti corpus grauiſſimis cruciatibus laceratum, contuſum, & fractum, idque ipſa ſpecierum fractione ſignificari volunt.* Caietanus, *Nec eſt, quod Latinis horrori ſit hæc particula: quum veriſſimum fuerit verum Chriſti corpus multipliciter fractum fuiſſe. Nam & fractum fuit quantum ad cutem cum flagellatus eſt à Pilati militibus: fractum quoque fuit quantum ad carnem, & in manibus, & in pedibus, clauis, quibus fixus eſt in cruce: & fractum demum eſt in latere, dum vnus militum lancea latus eius pupugit.*

XX. Non dicitur Sacramentum facere, qui frangit. Cur non, inquam? aut vnde probatur? Certe nos contra habemus perſuaſum; qui accipiat, qui benedicat, qui frangat, qui diſtribuat panem vt comedatur, Sacramentum facere: quia videlicet, nobis quidem arbitris, hæ partes ſunt Sacramentariæ celebrationis ex prima inſtitutione. Et quia non ſingulæ, ſed omnes ſimul: ideo concedere poſſumus non conficere Sacramentum, qui tantum frangat: ſed æque verum; non conficere, qui tantum benedicat : & de cæteris ſimiliter, ſed longe alia ratio omnium.

XXI. Conſecrationem neque ſignum eſſe neque cauſam proximam inuiſibilis gratiæ ; concedo : ſed eſſe tamen cauſam formalem Sacramenti non poteſt negari: & Papiſtæ haud aliter exiſtimant. Quantum autem portentum eſt, vt rei cuiuſquam nulla pars ſit forma?

XXII. Concludimus ergo tandem nullum poſſe Sacramentum eſſe, cuius non ſit pars eſſentialis, actio aliqua, tranſiens. Et nominatim Euchariſtiam conſtare actionibus quibuſdam tranſeuntibus, ęque cum Baptiſmo; contra quam Bellarminus ſuſceperat probandum.

CAP. VII.

Argumenta, Suaris, Lorichij, Vegæ, Perezij, Sanctesij.

I. BEllarmino ſuperſunt duntaxat autoritates Veterum : ſed nobis prius colligendæ variæ ratiunculæ, quibus vſi alii Papiſtæ, forte ſubtiliores. Enumerabo promiſcue, vt ſe offerent: neque enim in ordine multum momenti, cum non pendeant aliæ ab aliis.

II. Suares. Per conſecrationem conficitur Sacramentum Euchariſtiæ. Sed conſecratio perfecta eſt ante vſum ; & independens ab illo. Ergo ante vſum, Sacramentum eſt. Sanctesius. Prius enim ſit, & præbeatur oportet, quam eo potiamur. Aut ergo Miniſter vere conficit, nec vere exhibet Sacramentum, nec ab eo ſuſcipit communicans: aut ante vſum & ſumptionem ipſum extet neceſſe eſt.

III. Reſpondeo, primum imperite ſeparari conſecrationem ab vſu: cum ipſa conſecratio ſit vſus. Deinde, etſi conſecratio ſumptionem præcedat actu ; tamen non præcedere conditionem ſumptionis : Nimirum, quia ipſa ſumptionis conditio continetur in conſecratione. Nunquam enim dicitur, *Hoc eſt corpus:* niſi præceſſerit, *Accipite, comedite*; Ac proinde conditio accipiendi includitur in ipſa conſecratione. Eſt autem id ſolenne in omnibus ferme rebus : vt conditione deficiente, nihil ſit factum. Sic cum ſponſus ad ſponſam dicit, ſe accipere eam volentem in vxorem : etſi verba tam præſentia ſint, quam vlla alia: tamen ſi ſponſa non addat conſenſum ſuum, ea verba ſunt irrita. Similiter ergo, quia diſerte & conſtanter, dicitur, *Accipite, comedite hoc eſt corpus meum,* intelligitur conſecratio facta panis, non cuiuſcunque, ſed eius qui accipiendus ſit, & comedendus. Tum autem manifeſtum eſt formam nullam eſſe abſque materia: Materiam autem Euchariſtiæ eſſe remotam quidem panem, propinquam vero eſum.

IV. Rursus Suares. Eucharistia dicitur esse cibua animi, sumi à fidelibus, continere corpus Christi, & alia huiusmodi: quæ nullo modo possunt ipsi sumptioni accommodari.

V. Respondeo non sequi; si ea non dici possunt de sumptione: Ergo Sacramentum esse extra vsum. Ratio, quia nemo dixit, solam sumptionem esse Sacramentum: sed coniuncte sumptionem, & elementum; id est sumptionem elementi. Potest autem vere dici, Panis qui sumitur & manducatur, esse Eucharistia; continere corpus Christi, esse cibus animæ. Imo hoc postremum à nobis est prorsus Nam cibus nullus, qui non comedatur: nisi tantum potestate: quia ita factus, vt possit comedi; sicut quæcunque arbor est arca. Sed hæc ratio nihil ad præsens institutum: loquimur enim de Sacramento, quod sit Sacramentum actu, non potestate.

VI. Tertio Suares. Eucharistiæ Sacramentum à solo Presbytero integre conficitur: At vero ad vsum applicari potest, etiam à Diacono: Signum ergo est, vsum huius Sacramenti nullo modo ad illius constitutionem applicari.

VII. Imo, vt prædixi, supposito esu. confici, id est, ita consecrari, vt in edendo sit Sacramentum. Itaque nihil obstat, quominus peracta consecratione, Diaconus distribuat: siue etiam fideles ipsi inter se: vt de Calice apud Lucam, *Accipite hoc, & diuite inter vos.* Denique acceptio, vt sæpe dictum, non pertinet ad formam, vt consecratio, sed ad materiam; in quam forma operatur.

VIII. Quarto Suares. Sumptio si est de essentia Sacramenri. Ergo pars est vel essentialis, vel integralis At neutrum. Non essentialis, quia ante eam confectum est Sacramentum. Non integralis: quia nec est formæ, vt per se costat: neque materiæ: quandoquidem Concilia non vsum panis, & vini dicunt esse materiam remotam, sed ipsum panem & vinum, ratione substantiæ, seu quatenus sunt materialia elementa: proximam vero, ratione specierum continentium Christum.

IX. Ast ego nondum audieram, materiam & formam non numerari inter partes essentiales. Verum esto: Negatur assumptum. Est enim vtrumque, & pars essentialis, & pars integralis, quo sensu hic vsurpauit Suares hæc nomina. Est igitur pars essentialis, quia falsum, ante eam confectum esse Sacramentum, vt iam dixi in præcedenti argumento. Est item pars integralis: quia videlicet est materia, vt etiam dixi. Nempe propinqua: nam remota sine dubio est panis & vinum secundum suam substantiam, & quatenus sunt elementa naturalia. Falsum est autem accidentia, siue species, esse proximam meteriam, aut ita vnquam definitum ab vllo legitimo Concilio. Neque vero potest fieri. Nam accidentia illa, sunt etiam res naturales, quæ panem & vinum determinare nullo modo possunt, aut efficere vt habeant aliquam similitudinem ad corpus Christi, & sanguinem, sine qua nullum Sacramentum esse potest. Sic in Baptismo analogia signi & rei significatæ petitur non ab aqua sola; sed ab aquæ lotione: quia vt hæc sordes corporis abstergit; ita gratia Dei maculas animæ purgat.

X. Lorichius in hunc modum disputat. Primo: Vsus cuiuslibet rei posterior est eius essentia: quia videlicet omne accidens externum posterius est rei substantia: sine quo res tota esse ac subsistere potest. Itaque Eucharistia necessario antea est Sacramentum, quam sumatur: manebitque tale, etiam si non sumatur.

XI Respondeo, negari axioma: quoniam sint res quædam, quæ consistant in vsu suo. Hoc facile, ex capite præcedenti; vbi concessit Bellarminus Baptismum consistere in actione transeunte, nimirum in lotione; qui est vsus aquæ. Ita Baptismum oportet consistere in suo vsu: ac proinde non esse priorem eo. Termini natura extra vsum nulla: cum terminus non sit lapis: sed lapis sic positus. Sic verbum non est sonus, sed sonus significans, significatio autem vsus est verborum teste Augustino. Verum est igitur axioma tantum in iis rebus, quarum natura prorsus separatur ab vsu: vt panis sine dubio prius est panis, quam comedatur, sed quomodo non prius est cibus quam comedatur; sic neque Sacramentum, quia videlicet Sacramentum præsupponit cibum. Ratio in promptu, quia repræsentet cibum spiritualem, at cibi ad non cibum; nulla similitudo, quomodo cum non lotionis nulla sit ad lotionem; ideo aqua nisi adhibita ad lauandum, non potest lotionem spiritualem designare.

XII. Secundo Lorichius. Si Sacramentum hoc tantum esset in vsu, non fieret per consecrationem, sed per manducationem. Quod stultum & impium est dicere.

XIII. Respondeo; negari consequentiam: quia materia nunquam facit rem esse id quod est, sed forma. At manducatio vt sæpe dixi, est materia. Itaque fit ipsa Sacramentum; non facit. Et absurditas apparet ex Baptismo: quem æque ac Eucharistiam facit consecratio: & tamen non absque lotione; quæ nihilominus ipsa dicitur Sacramentum; & est vere.

XIV. Itaque prorsus ludicre Vega, thesi ducentesima, queritur humanæ actioni comestionis, consecrandi, conficiendique corpus Christi potestatem attribui, verbo autem Christi adimi: atque ita omnipotentiam denegari verbis Christi, comestioni arrogari. Absit enim vt nobis in mentem venerit vnquam simile quicquam. Et sane, quis tam stupidus, vt materiæ facultatem tribuerit seipsam consecrandi? Est enim manducatio materia Sacramenti, illa scilicet quam propinquam dicunt, cuius præter passionem partes nullæ sunt, non vt consecret, sed vt consecretur. Omnino sine pane, nulla est consecratio, nec tamen ad panem pertinet omnipotentia: quia videlicet pati non est omnipotentia. Haud aliud de manducatione iudicium. Verum is mos est Sophistarum, vt à seipsis, quando à re non possunt sumere, fingant monstra, aduersum quæ magnis animis pugnent, & straminea erigant tropæa.

XV. Tertio Lorinus. Si Sacramentum tantum esset in vsu, nulla ei posset exhiberi reuerentia ante manducationem. At hoc falsum.

XVI. Respondeo, deferri reuerentiam vel Christo, vel pani, siue, vt illi loquuntur, speciebus. Si Christo, falsa consequentia, quia hic semper colendus & ante consecrationem & post consecrationem, & vbique locorum & temporum. Sin autem speciebus, tum negatur assumptum. Quia re vera si debeatur pani reuerentia propter rationem Sacramenti, omnino nulla debetur ei, nisi quando, & quandiu est Sacramentum. Nos ergo libenter concedimus neque ante vsum, neque post vsum vllam deberi reuerentiam: & stulte agere, qui secus.

XVII. Quarto Lorichius. Si Sacramentum hoc tantum esset in vsu, deberet eius consecratio toties renouari, quoties Eucharistia danda esset ægroto, aut peregrino, quacunque hora dici, aut noctis. At hoc est contra totius Ecclesiæ perpetuum morem.

XVIII. Respondeo de delata Eucharistia ad ægrotos, & peregrinos paulo post disputatum iri. Interea negari consequentiam. Quia sufficiat, quæ in cœtu facta erit, si eam & nouit, & ratam sibi habeat qui suscipit. Negamus enim, etiam si consecratio peracta fuerit, tamen vllum esse Sacramentum, si nihil accesserit. Itaque etiam inter consecrationem, & sumptionem vllum esse, quantumcunque tempus fluxerit. Nimirum, quia Sacramentum sit ens, non physicum, sed rationis. Itaque non fit sibi, sed fit mihi, fit tibi, fit alij Sacramentum, neque id quod tibi, idem mihi, aut contra. In quo toto cœlo aberrarunt Papistæ, & postea nugati sunt, quasi sperantes ex suis principiis, apud Catholicos futuras potentes demonstrationes.

XIX. Nunc suas partes aget Vega. Primo Vel ante omnem sumptionem seu vsum, iis verbis à Christo prolatis, adfuit eius corpus, vel non adfuit. Si adfuit, ergo per omnipotentis Christi verbum, ante omnem vsum: si non adfuit, plane mentitus est Christus, qui proprie, non figurate loquendo, illud quod habebat in manibus, esse, non futurum, suum corpus affirmauit.

XX. Recidat in caput Sophistæ blasphemia. Nos prius membrum negamus, posterius affirmamus, sic tamen vt illud adesse interpretemur Sacramentaliter, vt in tota hac controuersia. Sic ergo adesse confitemur corpus Christi in vsu elementorum consecratorum. Sed erit igitur, inquit, mentitus Christus. Imo, inquam, Iesuitæ omnes mendaces sunto. Iesus in æternum & verus & verax. Negatur itaque consequentia. Nam quod ait, Christum proprie, non figurate esse loquutum, scit se dicere Papistice, hoc est mendaciter, quanquam id alius est controuersiæ, quæ suo loco occurret. Interea tamen possum concedere nunc, esse loquutum proprie, cum neque de transubstantiatione agitur, neque de corporali præsentia: sed tantum de veraci effectu consecrationis. Dico igitur vere ac proprie dictum, *Hoc est corpus meum*; ita tamen vt significetur esse tantum in perceptione. Scilicet quomodo dictum olim de Circuncisione; *Hoc est fœdus meum*, Geneseos decimo septimo. Et de agno Exodi duodecimo, *Est enim phase Domini.* In quo vtroque loco æque est tempus præsens: quanquam tum nihil celebraretur; sed duntaxat in posterum celebrandum imperaretur.

XXI. Iterum Vega. Si ita est, Testamentum Christi & eius veritas, ex hominum pendebit voluntate, vt si nolint exhaurire calicem, nec Testamentum sit nec sanguis, cum vtrumque tamen Christus affirmauerit. Hæc eadem ratio apud Perezium ita est. Sequitur ex hoc maledicto dogmate, quod virtus verborum consecrationis, & potestas consecrandi pendet à voluntate accipientis: quia si quis ad communionem paratus sacræ communionis particeps esse vult, Christus ibi est, & si non vult, non est. Est & apud Sanctesium. Nec enim Sacramentorum confectio, multo vero minus præsentia ac fruitio corporis & sanguinis pendere potest à re, quæ ab homine prodeat, & sita sit in eius potestate, cum vtraque sit inter ea, quæ vires hominum superant. At vsus panis & vini in hominis arbitrio consistit. Igitur & Sacramenti operatio, & corporis Dominici participatio, si ex vsu panis perficiuntur, atque inde virtus Dei, verborumque eius veritas, nec non efficacia, non tantum à fide hominis penderent, sed ab vtendi placito, nec tantum incredulitas hominis fidem Dei in verbis & actis euacuaret, sed hominis nutus & renutus, quocunque voler flecteret, ratamque vel irritam, veram vel falsam redderet.

XXII. Respondeo; vim totam prolixæ huius ratiocinationis comprehendi paucis illis Vegæ verbis: Si non sit corpus Christi nisi in vsu Sacramenti: Ergo verborum Christi veritatem pendere ab humana voluntate. Ad quam respondeo, illud pendere à voluntate humana, intelligi, vel ita vt verbis Christi voluntas humana, quasi infundat vim & efficaciam, vel vt verborum Christi illa efficacitas possit impediri. Priori modo negatur consequentia. Nunquam enim fieri potest, vt ab humana vlla voluntate, vlla Dei verba suam efficaciam accipiant. Multo minus quam fieri queat, vt à ianuis & fenestris in Solem lux vlla immittatur.

XXIII. Altero autem modo concedimus consequentiam, sed negamus in ea quicquam esse absurdi. Neque vero hoc solum argumentum est, sic impeditæ efficacitatis diuinæ. Certe enim efficacitas est diuina, vt Euangelium sit odor vitæ ad vitam. Et tamen posterioris ad Corinthios 2. *Christi bona fragrantia sumus Deo in iis qui seruantur, & in iis qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem: illis vero odor vitæ ad vitam.* Matth. 23. *Quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, & noluisti?*

XXIV. Et in hoc ipso Sacramento; etsi constantissima sit veritas verborum Christi, *Hoc est corpus, quod pro vobis traditur. Hoc est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Tamen Paulus dixit prioris ad Corinth. 11. *Quisquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculum Domini indigne, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini.* Id est, *Qui edit & bibit indigne, damnationem sibi edit & bibit, non discernens corpus Domini.* Vnde constat, etsi ex vi verborum adsit corpus, vt recipiatur in salutem: tamen ex voluntate communicantium hunc effectum impediri, & verti in oppositum, vt sumatur in condemnationem.

XXV. Præterea; docent ipsi Papistæ aliquot modis fieri, vt impediatur effectus eorundem verborum per hominis voluntatem. Primo, si Sacerdos habeat aliam intentionem quam consecrandi: Secundo si in calice reperiatur non vinum, sed quisquam altus liquor? aut etiam vinum, sed aqua nimia dilutum. Hic nunquam audias clamantes indignum facinus pendere efficaciam, Sacramentorum confectionem, præsentiamve corporis Christi, à re quæ sita sit in hominis potestate. Cur nos nunc moueat intempestiua importunitas?

XXVI. Sed

XXVI. Sed consecratio, aiunt, superat omnes vires hominum. Sane, inquam: sed vt pendeat priori modo: at non vt pendeat secundo. Etenim similiter remissio peccatorum est supra omnium creaturarum vires: & tamen pendet ab homine vt fiat, necne; secundo tamen modo. Et ipsa: hæc ipsa, inquam, consecratio similiter: quia si supponatur materia idonea, fiet consecratio; sin supponatur aliena, non fiet: vel testibus Papistis. Summa est: Non dixit Christus hæc tantum verba, *Hoc est corpus meum*: vt quomodocunque pronunciata habeant suum effectum. Sed dixit postquam accepisset panem, & addidisset, *Accipite comedite*. Itaque primum, oportet panem esse; & quidem præsentem: nam absentem negant Papistæ consecrari: quia videlicet Christus acceperit in manus suas, deinde oportet comedi. Quare quomodo si non sit præsens, sic si non comedatur, non sit corpus Christi.

XXVII. Tertio Vega. Sine verbis Christi nullum Sacramentum conficitur. Quod si ergo, requiratur, vt actu administretur, sequitur necessario, verba proferri debere, eo ipso tempore, quo Sacramentum est in vsu. Nam in Baptismo, verbi gratia; quia is constat in vsu, si quis diceret verba instituta, *Ego te baptizo*: & post vnam aut alteram horam, aquam adhiberet, baptizatus non censeretur Catechumenus. Atqui aduersarii, inquit, illud minime obseruant in Sacramento Eucharistiæ, cum primo verba recitent, deinde vna aut altera hora, interdum tribus, & quatuor post, multitudini Sacramentum distribuant.

XXVIII. Non abit longe hoc argumentum, à quarto Lorini, de quo est actum paulo prius. Respondeo autem; consultissimum esse, vt Sacramenti actio sit continua, quod etiam religiose apud nos omnes obseruatur, vt post recitatam institutionem, statim plebs vocetur, accedatque ad communionem. In quo fatemur interdum abire multum temporis, à primo ad vltimum, præcipue in maxima concione. Negamus autem apud nos admitti eum morem deferendi Sacramentum ad absentes, siue ægros, siue peregrinos, verumtamen quia olim factum à piis viris, non sumus adeo præfracti in nostra sententia, vt damnemus.

XXIX. Ad rem igitur dico non esse necesse, vt eodem momento cum porrigitur panis communicanti, pronuntientur verba consecrationis; vt diximus ad Lorinum. Causa est; quia verba non agant ipsa per se, sed per intellectum communicantis; quando quidem non fiat absolute Sacramentum, & ad se se, sed communicanti. Qui igitur consecrationis fuit particeps, etiam ante horam auditæ, aut etiam amplius; Sacramentum accipit: quod non sit sine illo ipso verbo Dei: quia id verbum ante pronuntiatum, est tamen præsens in mente eius cui Sacramentum esse oportet. Sic in illa administratione Baptismi, quæ est in secundo Actorum, cum tria millia dicuntur baptizata communis sententia est, inquit Lorinus, baptizatum fuisse per aspersionem, vt multi simul baptizarentur: adeo vt non sit dictum sigillatim, *Ego te baptizo*: tum autem aspersionis fieri participes alios citius, alios serius, prout sunt remotiores, vel propinquiores, res est per se nota: vt necesse sit non eodem momento verba illa fuisse enuntiata, quo singuli baptizati. Multo minus igitur in Eucharistia tam scrupulose momenta numeranda: sed considerauda actionis continuitas, quæ si interrumpatur, fieri non potest, vt non multiplicetur numerus actuum celebrationis. Itaque qui ad horas incertas panem seruant, sine dubio abutuntur Sacramento. Aliud est; si ex præsenti actione mittantur elementa ad absentes: nam in eo aliqua est saltem continuationis species: quanquam ne hoc quidem non discedere videretur à natura Sacramenti.

XXX. Instat Sanctesius. Non temere dictum, multa cadunt inter calicem supremaque labra. Si ergo subito, ac repentino casu, ne sumat, impediatur, aut animi passus deliquium, aut comitiali morbo correptus, quid dicent isti finium regundorum arbitri? Continuone Christum à Sacramento discedere, an expectare paulisper, dum ad se redeat communicaturus, dum respiret, dum vires colligat ad sumendum? Quod si pro sua benignitate Christus exspectet aliquantisper, scilicet isti præscribent moræ terminum; vt vnam horam, mediam, aut quartam, communicaturum impeditum, aut diutius expectet?

XXXI. Mera φλυαρία: vere λῆρος ληρώδης. Disputatio est aduersum nos ex principiis Papisticis, id est, carnali illa præsentia, quam stupidi commenti sunt idololatræ; vnde illis accessus & recessus fuit itidem commiscendus vt in mari: quandoquidem qui elicitus est vi illa verborum, eundem recedere oporteat, exactum corruptione specierum. Ita est prorsus: Quorum hi indigestæ fidei fumi perpetuo illudunt cerebro: hos oportet nihil aliud somniare. At nos, qui accessum localem nullum scimus: recessum etiam obiectum ridemus. Si quis impediatur ne sumat, eodem modo impeditur ne Sacramentum sit vsum: non quod recedat Christus: sed quod Sacramentum nullum erat: quia non communicatum. Denique nugari non est argumentari.

XXXII. Perezius: Sequitur quod nunquam possit Sacerdos scire quando consecrat, aut quando non consecrat: eo quod nequeat illi constare de veraci proposito eorum qui accipere debent.

XXXIII. Atqui iidem ipsi qui hoc obiiciunt, docent eum non baptizari, qui ponat obicem. At quis ponat obicem, non potest Sacerdos esse certus. Ergone Sacerdotem legitime obiecturi sumus nunquam scientem quando baptizarit, an minus? Rursus; cum obiicimus, nescire stupidam plebem quando Sacramentum sit, ac non, propter incertitudinem siue intentionis consecrantis, siue multorum casuum, quibus tanquam calamitatibus obnoxia est Transubstantiatio; respondent sufficere moralem certitudinem, siue coniecturam. Quid hic, malum, intercessit vt sui tam penitus obliuiscantur, & in ore suo inuictam obiectionem ostendent, quam in nobis cum audirent tam facile clusum iri sperent, quam facile sciunt e uetriculo suo muscas abigi à suo Sacramento? Atqui longe minus est periculi si Sacerdos nesciat, quam si plebs: quia hæc incurrit periculum idolatriæ; cum ille aliud nullum, nisi vt ignoret, quid sit factum: quod tamen non nunc tantum, sed alias accidit, aut certe accidere potest.

XXXIV. Sanctesius: cogemur, inquit, triplici corruptela vim Verbis & Testamento Christi afferre, nouumque sensum supponere. Nam loco, *Est*, erit, & pro corpore corporis Sacramentum substitui oportebit: & absoluta oratio, in conditionalem transibit, si volueritis vti, *Hoc erit corpus meum*.

XXXV. Sed hæc triplici corruprela, triplex est Sanctesij somnium. Secunda de Sacramento corporis pro corpore, alio pertinet, id est ad disputationem de Transubstantiatione, quam nondum attigimus. Reliquæ patent ex præcedentibus. Nam illa de futuro pro præsenti, fuit in primo argumento Vegæ. De conditionata enunciatione coincidit in secundum eiusdem. Sane hypothetica enuntiatio erit, si hypothesin dicas, quicquid materiam definiat: Sic enim potes: si panis fuerit, hoc est corpus meum. Imo ex Papistico idiomate. Si vinum fuerit non nimia aqua dilutum, Hoc est corpus meum. Si non fuerit vappa, hoc est sanguis meus: & multa similia. Nam superstitionis, imo somniorum Papisticorum nullus finis.

CAP. VIII.

Argumenta Turriani, & Gregorij de Valentia.

I. ECce vero factum male. Pene excidit Turrianus eximius ille cauillationum magister: cui tanta artis confidentia, vt si vel glebam pede pulsarit speret se facile eductum myriadas consequentiarum. En tibi miraculorum specimen. Esaiæ quinquagesimo sexto sic legimus, *Filios aduenas, siue alienigenas, qui adhærent Domino vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint ei in seruos: & omnem custodientem Sabbathum adducam illum in montem sanctum: & lætificabo eos in domo orationis meæ. Holocausta eorum & victimæ placebunt mihi super altari meo: quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Hæc verba Prophetæ Cyrillus pertinere docet ad Ecclesiam Christianam. Adducere in montem sanctum, id est in Ecclesiam Noui Testamenti. Cum igitur, de domo sensibili orationis, prophetia sit, in quam omnes gentes sensibiliter ingressuræ erant: consequens est necessario, vt altare quoque sit altare sensibile, super quod holocausta & victimæ impositæ placebunt Deo. Cum autem hæc quæ sunt super altare iubentur comedi, consequens necessario est, si corpus Christi comedunt, qui de altari communicant: corpus Christi fuisse super altari extra vsum communionis: aut si non fuerit, neque tunc esse cum communicatur.

II. Habes specimen lacinioſæ argumentationis; cuiusmodi sunt omnes ferme huius viri: cui nihil facile, nihil non longe extra captum sensus communis possit placere. Qui denique ita temperet ictus suos, vt aduersarium semper terreat metu, vt ita dicam, quem tamen interficiat nunquam. Potuit absque ambagibus res tota sic concipi, nisi vanis conatibus, ambages fuissent necessariæ. Quisquis de altari sensibili communicat corpori Christi; is corpus Christi accipit, quod jam ante erat in altari sensibili. At gentes introductæ in Ecclesiam communicant corpori, quod iam ante erat in altari sensibili. Assumptum probatur testimonio Prophetæ. Maior, patet; quia si corpus non fuisset, ergo inde non acciperetur.

III. Respondeo absque ambagibus & lacinijs, negari vtramque antecedentis partem. Assumptum quidem, habita ratione propheriæ. Quia certum, nullum fuisse altare sensibile in mente prophetæ. Sed intelligibile, ac metaphoricum, quemadmodum etiam holocausta non alia; non sacrificia. Secundo, quia nullum fuit vnquam altare sensibile, de quo omnes gentes communicarint.

IV. Atqui, inquit, si de Ecclesia sensibili; Ergo de altari visibili. Imo Ecclesia sensibilis distinguitur, in eam quæ significat congregationem fidelium in certo loco: vel in lapideam. In priori, negatur consequentia. Nam in vera Ecclesia visibili, quantumuis sensibilis sit, nullum est altare sensibile: sed tantum spirituale. In altera autem negatur antecedens. Non enim potuit Propheta loqui de vllo ædificio lapideo cum certum sit nunquam in vllum tale deductas à Christo fuisse gentes. Imo contra, ex Actorum 2. & 3. capite, multi fuere inducti in hunc montem, cum tamen nullum adhuc esset eiusmodi factum, fictum ve Christianis ædificium lapideum.

V. Rursus negatur maior. Quia nihil obstat quominus accipiatur ab altari corpus Christi, quod tamen incipiat esse in altari, tum cum accipitur. Quemadmodum de manu Sacerdotis accipitur Sacramentum Baptismi, quod tamen non est Sacramentum, nisi tum primum cum accipitur: nam hoc saltem Sacramentum ipsi fatentur aduersarij esse Sacramentum duntaxat in actione transeunte. Et infunditur à Deo anima in corpus: quæ tamen non fuit anima, nisi tum primum cum infunderetur, & ex ore hominis auditur verbum: quod tamen non erat verbum antequam audiretur.

VI. Rursus ex Ezechielis trigesimo septimo, secundum Septuaginta, *Et disponam eis Testamentum pacis: Testamentum sempiternum erit cum eis: & dabo eos, & multiplicabo eos; & ponam sancta mea in medio in perpetuum.* Hæc prophetia est de mysterio corporis Christi. Nam sancta hic vocat Dominus carnem suam viuificam, & virtute sua sanctificantem; sic enim Paulus interpretatus est Actorum decimo tertio: cum ait, *Quod autem suscitauit eum à mortuis amplius iam non reuersurum in corruptionem: ita dixit, quia dabo vobis sancta Dei fidelia.* Et alias, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et in Missa frequenter *sanctatua.* Hæc igitur sancta in medio nostrum sunt, quia in Ecclesiis reposita sunt. Tum autem aliud est, esse in eis, aliud in medio eorum. Qui negant extra sumptionem esse corpus Christi, ij nolunt vt sancta sint in medio eorum, sed tantum in eis. Nodus argumentationis ita est. Quæ sancta Dei sunt in medio Ecclesiæ; ea conseruantur sub speciebus panis & vini: At Christi corpus & sanguis sunt sancta Dei in medio Ecclesiæ: Ergo corpus & sanguis Christi conseruantur sub speciebus panis & vini.

VII. Respondeo negandam esse maiorem. Nam sancta Dei non conseruantur sub speciebus panis & vini: etsi verum sit per panem & vinum Sacramentaliter in medio Ecclesiæ Christum habitare. Etenim id intelligi-

tur de pane & vino in ſumptione. Quia ſcilicet Chriſtus non habitat in medio Eccleſiæ corporaliter ſiue localiter: ſed ſpiritualiter; per illam vnionem quam habet cum fidelibus ſingulis, quorum habitat in cordibus. Ad Epheſ. 3. *Vt habitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris.* Vnde illud etiam falſo adiectum aliud dici, eſſe in eis, & eſſe in medio eorum. Nam re vera, vtrumque idem. Quia non aliter habitet Chriſtus in Eccleſia, quam quatenus habitat in ſingulis. Sic Aggæi 2. *Et Spiritus meus erit in media veſtrû.*

VIII. Tertio argumentatur ex Aggæi 2. *Et implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercitum: magna erit gloria domus iſtius nouiſſima, plus quam prima.* Domus hæc eſt Eccleſia Noui Teſtamenti, poſt quam non erit alia in terris. Sed vnde illi gloria iſta, niſi à Domino gloriæ, qui in ea habitat ſemper? At non habitat ſemper, ſi tantum Chriſtus ſit in ſumptione: nam hac tranſacta non habitabit. Non poteſt autem dici Aggæum non loquutum de domo externa & ſenſibili nouiſſima, in qua Chriſtus externe habitet, ſed interna, quæ ſumus nos. Ratio, quia comparet eam Aggæus cum domo externa & ſenſibili, à Solomone ædificata. Itaque oportet illam quoque eſſe externam & ſenſibilem. Alioqui quomodo conuincemus Iudæos fruſtra eos inſtaurationem templi exſpectare?

IX. Reſpondeo, locum Aggæi vel ad literam exponendum, vel per allegoriam. Literalis ſenſus in Eccleſiam ſenſibilem fertur, & lapideam: ſed non Chriſtianam: quin potius Iudaicam illam, quæ erat ædificata in vrbe Ieruſalem: poſt reditum ab exilio Babylonico. Nam manifeſte comparantur geminæ ædes prima & ſecunda: & hæc deſcribitur ædificata à Zorobabel & ſummo Sacerdote Ieſu filio Ioſedek; quibus vehementi exhortatione animos addi voluit Deus, vt neque ipſi deficerent, neque populus deſiſteret ab incepto; cum videret quantum eſſet diſcriminis inter illam à Solomone extructam, & hanc poſteriorem. Eo enim pertinet hæc promiſſio futuram poſterioris gloriam illuſtriorem gloria prioris.

X. Hanc gloriam varie ſunt interpretati quidam. Rabbini nihil niſi carneum ſomniantes, magnitudinem ædificij dixerunt aliqui: alij durationem aliquot annis prolixiorem: alij denique vtramque. Chriſtiani vero vtramque exiſtimarunt indignam tanta promiſſionis pompa: cum neutra comparanda eſſet cum iis rebus, quibus abundabat prius ædificium. Et ſane quid erat, quantacunque materiæ magnificentia, quid item decem aut circiter annorum diſcrimen, ad vnicam arcam fœderis: & Vrim ac Tummim? Sed Iudæos videlicet oportuit cœcos eſſe, ne videntes viderent.

XI. Chriſtiani multo magnificentius prophetiam retulerunt ad aduentum Meſſiæ; natum ſtante adhuc ſecundo iſto templo. Nam etſi verum, fuiſſe ab Herode ædificatum; tamen conſtat fuiſſe refectum, & amplificatum, non nouum prorſus inſtitutum: Vnde illud Ioannis 2. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum iſtud*: nempe quod tunc exſtabat, & fuerat proxime inſtauratum ab Herode, annis duntaxat octo. Atque inde contra Iudæos vehementiſſime diſputant de tempore aduentus Meſſiæ, Porchetus Victoriæ contra Iudæos parte 1. cap. 9. Galatinus de Arcanis Catholicæ veritatis lib. 1. cap. 9. & denique Pleſſæus noſter admonitione ad Iudæos cap. 4. & de Veritate Religionis Chriſtianæ cap. 29. Eadem expoſitio fuit Lyrani, Pauli Burgenſis, denique Riberæ Ieſuitæ. Sed & Caluini: quanquam hic non hæreat natiuitati Chriſti, ſed complectatur vniuerſam mutationem Iudaiſmi in Chriſtianiſmum. Adde Vatablum, Munſterum, Pellicanum, Iunium, Deodatum.

XII. Veteribus quibuſdam placuit allegoria, vt per hanc ſecundam domum intelligeretur Eccleſia. Auguſtino de Ciuitate libri 18. cap. 45. diſerte explicanti de Nouo Teſtamento, & poſtea 48. *Hæc domus Dei, Chriſti Eccleſia, maioris eſt gloriæ, quam fuerat illa prima lignis, & lapidibus, cæteriſque pretioſis rebus, metalliſque conſtructa.* Cyrillo in Geneſim lib. 5. *Quod Eccleſia Chriſti clarior & pulchrior ſit priſco Iudæorum templo terreſtribus conſtructo lapidibus. Aggæi propheta verbis latiſſime patet.* Et in hunc ipſum Prophetam. οὐκοῦν ἀληθὴς ὁ λόγος, ὡς ἔσαι μείζων ἡ δόξα τοῦ τελευταίου ναοῦ, τουτέστι τῆς ἐκκλησίας, *Verum eſt igitur gloriam nouiſſimi templi, Eccleſiæ puta, maiorem fore.*

XIII. Nunc argumentum videamus Turriani. Si maior eſt gloria ſecundi templi, quam prioris. Ergo Chriſti corpus eſt ſub ſpeciebus panis ante communionem. Portentoſa conſequentia; itaque conſtanter negatur. Probat: quia hæc domus, Eccleſia eſt Noui Teſtamenti: Primo hoc ipſum negatur: quia ad literam eſt templum illud ipſum Iudaicum conſtructum à Zorobabele.

XIV. Quod ſi allegoriam mauis; inepta ratio erit, eo ipſo quod allegorica; vt ſæpe obſeruatum. Deinde rurſus negatur conſequentia. Etenim, quibus olim ea placuit allegoria, alias ediderunt gloriæ rationes. Auguſtinus, *Tanto vtique maioris eſt gloriæ, quanto meliores ſunt lapides viui, quibus credentibus renouatiſque conſtruitur.* Cyrilli in Geneſin videtur mens eadem, quantum quidem coniicere licet ex his verbis *terreſtribus conſtructo lapidibus.* Sed in ipſum Prophetam paulo aliter. ὅσωπερ, inquit, ἂν οἴοιτό τις διενεγκεῖν καὶ τῆς κατὰ νόμον λατρείας τὴν ἐν Χριστῷ τε καὶ εὐαγγελικὴν, καὶ τῶν ἐν σκιαῖς τὴν ἀλήθειαν. *Quanto quis cultum religionis legalem à cultu in Chriſto, & Euangelico: & veritatem ab vmbris differre iudicauerit.*

XV. Verum, inquit, vnde illa gloria, ſi non à Domino gloriæ, qui in ea habitat ſemper? Eſto, inquam. Negari enim non poteſt, quin hæc ſit gloria maxima: tantum dubitari vtrum hoc loco maior. Nam in priori Eccleſia Deum gloriæ ſemper habitaſſe, certum: vel ipſo teſte templo: teſte arca. Veruntamen eſto ſane. Quid tum autem? Non habitet ſemper, ſi non niſi in ſumptione. Conceditur & hoc. Sed non habitare extra ſumptionem, quis tam audax vt diceret? Non nos ſane, qui ſcimus Chriſtum habitare in cordibus per fidem: Et ſcimus non ſemper cum fide coniunctam eſſe ſumptionem ſymbolorum. Quis enim negat, nos exempli gratia fieri συσσώμους Chriſto, etiam in Baptiſmo? Itaque blaſphemos dicimus, ſi qui negent Chriſtum habitare in Eccleſia, niſi latitantem ſub ſpeciebus panis & vini. Imo hanc dicimus nullam eſſe habitationem in Eccleſia: quia ſpecies illæ, quæcunque tandem ſint, non ſunt Eccleſia.

XVI. Sed enim Aggæus loquitur, inquit, de domo externa & ſenſibili. Ita eſt, inquam, ſecundum literam: ſed inde iam receſſum: quod ea domus ſit Iudaica. Allegorice autem (& iam nos in eo ſumus) falſum. Nam Eccleſia Chriſtiana non eſt ita ſenſibilis: quia conſtat vt loquebatur Auguſtinus ex lapidibus viuis, in quibus non ſemper habitat Chriſtus per ſpecies illas; ſed tantum valde exiguo tempore: maxime in ſanis & valentibus: quibus propterea optandus eſſet perpetuus morbus, vt minus valerent ſtomacho: quanquam huius rationis obliti ſint autores lepidæ fabulæ de Petronilla.

XVII. Atqui, inquit magnus Sophiſta, comparat hanc Eccleſiam Aggæus cum templo Iudæorum. Ita ſane. Et hæc, inquit, erat lapidea. Omnino. Ergo & hanc Eccleſiam lapideam. Lapideam Sophiſticen! ita ament me boni Ieſuitæ. Sed cuius originis? An ex Mexica, vnde nobis attulerunt Ieſuitæ Logicam Mexicanam? Nam ita inſcripſerunt: etſi viſam non opinor Turriano. Quicquid hoc ſit: tamen Auguſtino iudice exſibilabitur: qui putauit comparari templo ex lapidibus mortuis, templum ex lapidibus viuis. Et alias, cui quæſo inauditum allegoriam à materialibus aſcendere ad ſpiritualia? Nec ignorabat profecto Turrianus; ſed imponebat nobis Ieſuita. Certe Paulus poſt. ad Corinth. 1. cum dixit, *Scimus ſi terreſtris huius domus noſtra tabernaculum diſſolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manufactum, æternum in cœlis:* duo comparauit domicilia, quorum tamen vnum ſenſibile eſſet, non item alterum.

XVIII. Quarto Turrianus arguit; hanc reſeruationem olim ſignificatam à Propheta Abacuc, cum dixit *in medio duorum animalium cognoſceris;* capite 3. apud Septuaginta: quem locum interpretatur Cyrillus, *Cognoſceris,* inquit, *Domine quis futuris ſit factus homo: cognoſceris, inquam, ex exemplo tabernaculi eſſe propitiatorium: fuiſti enim in medio duorum animalium, hoc eſt inter duos Cherubinos,* hos enim animalia vocat, quia vitam participant. Cognouimus itaque, inquit Chriſtum factum propitiationem, vt typice deſignatum in lege inter Cherubinos. Semper enim aſtant ei ſuperæ poteſtates. Ex iſta ſpirituali interpretatione illius veteris typi manauit, vt frequenter in noſtris Eccleſiis collocari ſoleant effigies duorum Cherubinorum ex vtroque latere tabernaculi, in quo ſanctiſſima Euchariſtia propitiatio noſtra repoſita eſt, vt comparatis rebus ipſis cum typis illis firmior efficiatur fides.

XIX. Atqui hic locus nullus eſt apud Abacuc: ſed tantum in editione Septuaginta. Nam Propheta longe aliter, *In medio annorum notum facies:* בקרב שנים תודיע. At illi deluſi vicinitate pro annis, duo legerunt: ſed animalia de ſuo ſupplerunt; & verbum paſſiue ſunt interpretati contra analogiam. Scilicet duo prophetauit animalia Abacuc; quæ ne nominauit quidem. Et hæ ſunt demonſtrationes Turrianicæ.

XX. Deinde, donemus ſane peccatum hoc quicquid eſt. Quid tum autem? Prædictam reſeruationem Euchariſtiæ, quis tam ſtupidus vt concedat? Imo Cyrillus ille in commentariis de ea nihil prorſus. Γνωσθήσῃ δὴ οὖν, φησὶν, ὦ δέσποτα τίς ἔσῃ καθ' ἡμᾶς γεγονώς. *Cognoſceris, igitur,* inquit, *ô Domine, quid futurus ſis cum apud nos fueris.* ὅτι γὰρ ἱλαστήριον, ὡς ἐκ παραδείγματος τοῦ ἐν τῇ ἁγίᾳ σκηνῇ γνωσθήσῃ σαφῶς. *Quod enim futurus ſis propitiatorium, cognoſceris perſpicue tanquam ab exemplari, quod erat in ſancto tabernaculo.* Sic Cyrillus: vbi quid eſt quod accedat ad reſeruationem: ad ſpecies? ad panem? denique ad Euchariſtiam? Imo nihil niſi propitiatorium vetus; & in eo παράδειγμα. Ex ipſo igitur illo propitiatorio dixit Cyrillus conſtare Chriſtum eſſe propitiationem. Conſtare ego non ex quoquam, quod nunc in vſu ſit in Eccleſia Chriſtiana, ſed quod in vſu in Iudaica. Quid hoc ad ſpecies panis?

XXI. Egregium vero commentum, firmandæ conſequentiæ: fieri interdum apud Papiſtas, vt ciborio appingantur duo Cherubin. Quaſi Catholicorum interſit, quo velint pictores, & maxime Papiſtici, ſuos colores conſumi. Meruerunt, aiebat Auguſtinus, decipi, qui Chriſtum in parietibus quæſierunt.

XXII. Quintum Turriani argumentum. Si tabernaculum teſtimonij, typus erat Eccleſiæ κατὰ πάντα vt loquitur Clemens conſtitutionum 2. cap. 25. Ergo quæ in tabernaculo erant (arca, in qua perpetuo manna repoſitum, menſa in qua ſemper propoſitionis panes, & alia:) neceſſe eſt vt in Eccleſia noſtra oſtendantur impleta reipſa, quorum erant illa typi, & vmbræ. Inde Eccleſiæ Papiſticæ verum manna habent, ſemper in ſacrario repoſitum: habent etiam omni tempore myſticos panes propoſitionis, tum ad adorandum, tum ad neceſſitatem viatici.

XXIII. Reſpondeo primum, argumentum eſſe allegoricum; ideoque nullarum virium: maxime non confirmatum vllo Scripturæ teſtimonio, aut etiam vllo vllius Veterum Patrum conſenſu. Deinde concedo debere in Eccleſia conſtare ea omnia eſſe impleta in rei veritate, quæ per tabernaculum figurabantur: ſed in ijs hanc eſſe reſeruationem, vehemens eſt Turrianicæ febris delirium: quod nemini Veterum: ne recentiorum quidem cuiquam ſano venit in mentem. Quid ad nos vero, quidnam Eccleſiæ Papiſticæ ſomnient, magis quam Pelagianæ, Arrianæ, Neſtorianæ, Mahometicæ? At nos longe aliter & credidimus & cognouimus. Et pridem Cyrillum audiuimus Glaphyrorum 1. de Aſer. Τρέφει ἡμᾶς ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς οὐ μάννα τὸ αἰσθητὸν καθιεὶς καθὰ καὶ πάλαι τοῖς ἐξ Ἰσραήλ. ἀλλ' ἑαυτὸν ταῖς τῶν πιστευόντων ἐνοικίζων ψυχαῖς διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Alit nos & nutrit Seruator noſter Ieſus Chriſtus, non ſenſibile manna præbens, ſicut olim Iſraelitis, ſed ſeipſum in animas fidelium immittens per Spiritum Sanctum.* Id nos & admittimus, & opponimus conſtanter cuicunque Papiſticæ reſeruationi. Et perſuaſiſſimum habemus, quicquid ſe Sophiſtæ habere nugentur, pro theſauro carbones eſſe.

XXIV. Sextum argumentum eſt. Qui tradunt ſumptionem tantum inſtitutam eſſe, eaque peracta non poſſe remanere Euchariſtiam, faciunt non differre hunc cibum cœleſtem ab aliis cibis terrenis: ſi quidem in eo euenire volunt, quod in iſtis. Vt enim cibus terrenus ore ſumptus, & in ſtomachum traiectus non amplius idem remanere poteſt: ſic apud eos Euchariſtia ſumpta ſemel non poteſt remanere. Cum tamen Iacobi Liturgia dicat, μεταδιδόμενος ἀλλὰ μὴ δαπανώμενος, diſtributus, ſed non conſumptus.

XXV. Quid audio? Quid nunc audio tandem. Deus bone! Siccine apud Ieſuitas Euchariſtiam eſu, potuve conſumptam, iterum Sacramentum eſſe? Atqui audieram ſpecies in ſtomacho corrumpi: & his corruptis, nullum amplius eſſe Sacramentum. Reuocatumne id nouo quodam per impluuium adueniente Spiritu in ſanctam iſtam congregationem, quæ Ieſu nomen mentitur? Atqui auditum erat olim, *Ille cibus, qui ſanctificatur per verbum Dei, perque obſecrationem, iuxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in ſeceſſum eijcitur,* differtne id à cibis communibus? aut poteſtne

iterum

iterum esse Sacramentum? Et non pudet impudentis sophistices? Nos vero absit Eucharistiam, secundum id quod habet materiale, aut dicamus, aut credamus esse cibum cœlestem: absit vt secundum id, quo est cibus cœlestis, aut dicamus, aut credamus, siue ore sumi, siue in stomachum traiici. Apage Capernaitica τερατεύματα. Apage Papisticos ὀνείρους.

XXVI. Illud siue Iacobi, siue cuiusquam alius, magnificum est sanctissimæ pietatis emblema; μεταδιδόμενος, ἀλλὰ μὴ δαπανώμενος. Reuera enim Christi gratia non consumitur morsibus. Sed quid hoc ad species? aut etiam ad species extra vsum? Nam species consumi omnes & fatentur etiam Sophistæ, & sentiunt stupidi. Itaque δαπανῶνται. Et rursus extra vsum, etiam sine esu, cum nimirum corrumpuntur. Et eas quisquam asserat distribui, non consumi? Imo Christus est vere μεταδιδόμενος in elementorum signis, ἀλλὰ μὴ δαπανώμενος in seipso.

XXVII. Gregorius de Valentia ne ipse quidem debet nobis indictus abire, confidentia prope par Turriano. Primum argumentum habet in hũc modum. Quod ad refectionem spiritualem in specie panis sumitur, omni eo tempore est Sacramentum Eucharistiæ, quo est corpus Christi. Sed est corpus Christi, quandiu omnino manet: atque adeo non solum quando est in illa actione, sed etiam extra illam, ac proinde vt est quiddam permanens. Ergo extra actionem quoque est Eucharistiæ Sacramentum. Probat minorem, ex illis verbis, *Hoc est corpus meum.* Nam quandiu manet illud quod demonstratur per pronomen *hoc*, tandiu manet verum, quod affirmauit Dominus. Quia non dictum restricte, *Hoc est corpus meum*, quandiu hæc Cœnæ actio & celebratio durat, sed absolute & permanenter.

XXVIII. Respondeo, concedi maiorem. At minorem negari. Dixit enim de pane hoc esse corpus suum: nec tamen verum, quandiu panis duret, tandiu esse corpus. Quomodo etsi verum dicat quis, Hic lapis est terminus agri mei; tamen falsum est, esse terminum, quandiu lapis est in rerum natura. Ratio manifesta: quia non lapis: sed lapis sic positus, est terminus: Quare etsi lapis perseueret, tamen si non sit sic positus, non est terminus. Similiter, quia non panis, sed panis sic benedictus, fractus, manducatus est corpus Christi: quandiu non erit sic benedictus, fractus, manducatus, non erit corpus Christi, quantumuis maneat panis.

XXIX. Eadem ratione patet solutio confirmationis. Non enim panem simpliciter designat pronomen *hoc*, sed panem, vt sic: Quod diserte additum in verbis Domini, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum:* quantumuis Valentinianus contradicat.

XXX. Alterum argumentum, ex omnibus nominibus, quibus in Scriptura afficitur hoc Sacramentum: quæ significant aliquid permanens & consistens extra vsum, vt, *Panis & cibus.*

XXXI. Respondeo, negari nomina vlla huic Sacramento tributa in Scriptura significare quicquam permanens extra vsum. Enimuero, Panis nunquam dicitur, sed hic panis, vt, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis. Quicquis ederit panem hunc aut biberit poculum Domini. Et ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat.* Quid autem designet hæc phrasis, indicat idem Paulus, *Poculum benedictionis, cui benedicimus: panis quem frangimus.* Atqui panis fractus nihil significat permanens: non poculum cui benedicimus: nempe quia etsi sit aliquid subsistens: tamen panis fractus connotat actionem transeuntem. Manifestior ratio est in altero nomine cibi: quod non panem proprie designat, sed quicquid comeditur: ac proinde etiam panem; sed sub ratione comedendi. Vnde phrasis, Cibum capere, non significat in manus sumere, & inde in peram condere panem, aut quid eiusmodi; sed præsenti actu comedere.

XXXII. Tertium argumentum. Quando Ministri in Ecclesia legitimi, id quod est à Christo institutum sic faciunt, vt nihil contra institutionem ipsam peccent, vere conficiunt Eucharistiæ Sacramentum. Sed hoc ita faciunt per illa verba, aliquid vt permanens, & durabile consecrant, & illud offerunt, & ipsi communicant, etiam si species quas consecrant, non distribuant aliis: Ergo verum est tunc Sacramentum. Minorem probat; quia præceptum de distributione, sit affirmatiuum: ac proinde non obliget semper, sed quatenus expediat consideratis circunstantiis.

XXXIII. Respondeo, nullam esse legitimam vllius syllogismi formam. Cæterum re vera violari institutionem si fiat consecratio non proposito fine distributionis: Quoniam hæc diserte continetur in institutione Eucharistiæ; nec minus diserte quam in institutione Baptismi distributio aquæ.

XXXIV. Fateor distribuendi præceptum esse affirmatiuum: Fateor affirmatiua præcepta non semper obligare. Neque enim necesse est semper distribui Eucharistiam: quod omnes vident designatum à Paulo; qui dixit, *Quotiescunque ederitis.* Sed argumenti vim esse ridiculam miror si quisquam sit qui non videat. Certe, *Date eleemosynam*; præceptum est æque affirmatiuum; ac proinde non obligans absolute ad actum dandi. Sed esse eleemosynam aliquid subsistens extra actum dandi, quis audiuit hactenus? Nempe sensus est; posse non semper dari eleemosynam: sed cum fiat eleemosyna, tum vero necesse esse dari: quia nisi detur nulla sit eleemosyna. Altenstaig, *Eleemosyna est opus in quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.* Omnino ad eum modum: non est necesse semper distribui Eucharistiam: nempe quia nec semper celebrari: sed si celebretur, oportet distribui. Vin aliud exemplum? Certe offerre corpus Domini, præceptum est affirmatiuum, obligans Sacerdotem non semper sed consideratis circũstantiis, & quidem volente Valentiano, maxime praxi Ecclesiæ. Sed tamen consecrari Eucharistiam absque eiusmodi oblatione, ne Valentianus quidem passurus sit; quicquid nunc nugetur. Quare? Quia teste Altenstaig, *Eucharistia est oblatio benedicta,* & reliqua.

XXXV. Quartum argumentum. Sacramentum Eucharistiæ esse permanens, amplificat beneficium Christi erga nos, & valet ad excitandam fidelium deuotionem, præsertim cum ad Ecclesias conueniunt, in quibus est ipsum Sacramentum. Neque Scriptura vbi de institutione agit, neque analogia aliorum Sacramentorum cogit aliter: Ergo ita de huiusmodi Sacramento sentiendum.

XXXVI. Respondeo, posteriorem partem de institutione & analogia simpliciter esse falsam, & meram petitionem principij. In priore, vitiosam consequentiam: quia non quicquid amplificat Dei bonitatem, statim certum est: alioquin Origenis delirium, de omnibus etiam diabolis tandem beandis, perperam damnatum esset. Deinde mendacium esse. Non enim amplificatur beneficium Christi, vllo falso dogmate: neque etiam augetur deuotio fidelium; sed potius infirmorum superstitio; vnde tandem fides obruitur.

CAP. IX.

De Veterum testimoniis.

I. VEnio ad Pompam Veterum: à quibus colliguntur tum priuata exempla, tum publica. Illa huiusmodi. Tertullianus de oratione cap. postremo, *Nonne solennior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini & reseruato, vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & exsequutio officij.* Idem, 2. ad vxorem, testatur consueuisse Christianos deferre Eucharistiam domum, vt sibi sumerent opportuno tempore, *Non sciet*, inquit, *maritus, quid in occulto ante omnem cibum sumas.* Cyprianus sermone de lapsis, *Mulier quadam cum arcam suam, in qua Sanctum Domini fuerat, indignis manibus tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est.* Basilius ad Cæsariam Patritiam testatur Anachoretas, qui non poterant commode Ecclesias frequentare, consueuisse Eucharistiam secum deferre in eremum. Nazianzenus oratione in Gorgoniam, hanc noctu ad altare procubuisse in Ecclesia, & partem Eucharistiæ, quam forte seruasset de more illius temporis, in conspectu habuisse: Ambrosius de obitu Satyri, hunc in oratorio inuolutam Eucharistiæ particulam suspendisse ad collum suum in periculo naufragij. Hieronymus ad Rusticum, Exuperium Tholosanum ob inopiam voluntariam coactum corpus Christi in canistro portare. Ioannes Diaconus in vita Gregorij, huius monachos in naui secum Eucharistiam detulisse ne in periculo naufragij sine communione decederent.

II. Iam sequuntur publica. Et primo directe ad reseruationem pertinentia. Clemens 2. ad Iacobum fratrem Domini Epistola, Presbytero, & Ministro credita esse diuinorum mysteriorum Sacramenta, vt Dominici corporis particulas, quæ à communicantibus superfuerint, obseruent, ne qua putredo in sacrario inueniatur. Item hostiarum numerum numero communicantium respondere debere; quod si quid superfuerit, clero religiose decedere, nec in posterum reiici. Cyrillus ad Calosyrium, insanire eos, qui asserant Eucharistiam, si in alterum diem seruetur, vim suam amittere. Chrysostomus priore ad Innocentium; milites ad vesperam magni Sabbati sanctuarium ingressos tantum excitasse tumultum; vt sanguis Domini effunderetur.

III. Secundo; vasa proferunt ei ministerio destinata. Clemens Constitutionum 8. cap. 13. iubet peracta communione, quod superat de corpore Domini reponi à Diaconis cum reuerentia in Pastophorio. Esse autem pastophorium, Hieronymo teste, in 22. Esaiæ, tabernaculum siue thalamum in quo Præpositus habitaret: sed hic ita vocatum vas conseruandæ Eucharistiæ. Optatus lib. 6. *Horribile hoc scelus conduplicatur, quum calices, qui Dominicum sanguinem ferunt, perfregeritis, & in massam redegeritis, adeoque publice venum exponi curaueritis.* Amphilochius in vita Basilij narrat Basilium in missa cum Sacramentum in tres partes distribuisset; vnam in columbam auream imposuisse pendentem super altare; sic autem fuisse factas pixides. Ambrosius 2. de Officiis cap. 28. calicem appellat aureum vasculum, quo sanguis contineretur. Secundo de Virginibus, corporale nominat velum in quo Christus consecratur. Sedulius in 11. prioris ad Corinthios, *Nemini fas videri, vt Dominicum corpus polluto linteolo siue vasculo excipiat.* Prudentius peri Stephanon de Laurentio, libare auro antistites, & argenteis scyphis fumare sacrum sanguinem.

IV. Tertio; iuberi obseruarunt canone decimo quarto Synodi Nicenæ primæ, apud Ruffinum historiæ lib. 10. cap. 6. absentibus Presbyteris, Diaconos Eucharistiam porrigere. Non esse autem Diaconorum consecrare: Ergo Eucharistiam fuisse conseruatam post consecrationem. Sed & in Synodo quæ dicitur Quinisexta canone 52. statutum fuisse, vt in Quadragesima solum die Sabbati, & Dominico consecratio fieret; aliis autem diebus communicaretur præsanctificatis. Vnde certum conseruatam fuisse Eucharistiam, vt minimum sex diebus.

V. Quarto; Eucharistiam delatam fuisse ad absentes, atque ægrotos. Ad absentes, ex Iustini Apologia 2. diserte, Οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. *Qui apud nos vocantur Diaconi distribuunt vnicuique præsentium, vt participet eum in quo gratia acta sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt.* Irenæus apud Eusebium historiæ libr. 5. cap. 24. testatur morem fuisse illius temporis, vt Episcopus Romanus Eucharistiã mitteret in signum pacis & communionis, ad alios Episcopos. In vita Stephani Papæ primi narratur Tharsicius deferens Eucharistiam, recusansque ostendere Paganis, occisus: ita tamen vt diuino miraculo Sacramentum disparuerit.

VI. Ad ægrotos; ex Eusebij historiæ libr. 6. cap. 36. ex literis Dionysij Alexandrini, Sophronium quendam in extremis positum, misisse puerum vt accerseret Presbyterum cum Sacramento; sed hunc cum non posset præ morbo, Eucharistiam dedisse puero deferendam. Ex Chrysostomi 6. de Sacerdotio, morientium animas, quæ prius illabefacta conscientia Sacramenti huius mysterio reficiebantur, angelico ministerio ad cœlos recta deduci; & horum etiam satellitio corpora muniri. Ex Paulino, Ambrosium noctu sub vitæ excessum Sacramentum ad grabatum suum proferri iussisse, eoque accepto sinceriter emigrasse. In Concilio Niceno primo, canone 13. præcipi, vt secundum antiquam regulam nemini denegetur sacra communio in extremis: & hunc canonem sæpe deinceps renouatum fuisse. Ex Gregorij Dialogorum lib. 2. cap. 24. cum Monachus quidam sepeliri nequiret, iussisse Benedictum, Eucharistiam ei mortuo poni super pectus; & eo facto sepultum fuisse.

VII. Hactenus Papistæ maiori hæc numero recitarunt, quam vibrarunt pondere. Purgabo primum nonnulla aliter recitata, quam accepta; à viris, fortean, bonis; nec, qui mos est, quicquam sinistri cogitantium. Præter rem præsentem ista. Irenæum testari, morẽ fuisse illius temporis, vt Papa Eucharistiam mitteret ad alios Episcopos: cũ tamen Irenæus, neq; moris vllius

memi-

meminerit, neque Papæ; ſed tantum recitarit factum Victoris. Etſi autem facile concedere poſſimus id factum ex more; tamen prudentius debuit Bellarminus à ſuo autore non recedere: multo minus nobis Papam obtrudere periculoſa ambiguitate, quaſi id eius ſolius ius eſſet: ſic enim paruo momento Sophiſtæ ſolent res magnas agere: At nos ſi morem vllum inde elicimus, publicum certe ſtatuimus, id eſt, ſolitos Epiſcopos Euchariſtiam mittere, communionis teſtandæ gratia. Chryſoſtomum libro ſexto de Sacerdotio dicere, decedentium poſt communionem corpora Angelorum ſatellitio muniri: quod Gropperus dixit, deceptus ab interprete Latino; qui hæc Græca δορυφοροῦντες αὐτοὺς, vertit, *illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus*: qui debuerat *illos* dicere, non illorum corpora. Erant hæc in præſentiarum otioſa, fateor; & ἐν παρέργοις falſata. Sed indicata tamen oportuit breuiter.

VIII. Iſta magis è re præſenti. Gorgoniam prouolutam ad altare, habuiſſe præ oculis Euchariſtiæ partem, quam ſecum detuliſſet: & quidem de more illius temporis. Cum tamen Gregorius, neque vllius moris meminerit, neque habuiſſe in conſpectu notauerit: ſed vnius ſororis factum deſcripſerit; quæ cum ægrotaret grauiter nocte intempeſta acceſſerit ad altare: quod quidem factum apparet eſſe extraordinarium: niſi ſi probent aduerſarii ſolitos ægrotantes ſic adrepere altari, nec niſi noctu. Cæterum aduolutam clamore ingenti inuocaſſe τὸν ἐπ' αὐτοῦ τιμώμενον, *eum qui ſuper altari colebatur*, Chriſtum videlicet; quem inuocatum nihil eſt neceſſe in conſpectu habere. Nam quod de antitypis dicitur, factum eſt poſt inuocationem: neque hæc illa dicitur impoſuiſſe altari, ſed lacrymis ſuis miſcuiſſe, καταμιγνῦσα τοῖς δάκρυσι, quod, opinor, non erat de more illius temporis: ſed tamen diſtinctum ab inuocatione.

IX. Tertullianus ad vxorem nihilo magis meminit domum delatæ Euchariſtiæ, aut in eo conſuetudinis Eccleſiaſticæ. Tantum enim, *Non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciuerit panem, non illum eſſe credet, qui dicitur?* Sic enim legendum puto. vtrobique per interrogationem; vt poſterioris membri ſenſus ſit, ſi audierit eſſe panem, crediturum eum eſſe qui dicitur, nempe à Chriſtianorum calumniatoribus, qui, quos rumores vulgo ſererent de infante cæſo, paſſim notum. Sed hoc tamen alterius eſſe argumenti. In priore membra, nihil eſt de domo cuiuſque: cur non enim de Eccleſia, in qua notum & conſuetum hanc communionem fuiſſe? Nam illud, ſecreto, facile & optime referas ad arcanum myſterii, ne publicaretur Ethnicis; vt diſſimulari nullo modo poſſit Croquetii fraus, qui id mutarit in *domi*. Senſus eſt; poſt communionem peractam à ieiuna alterutrum futurum, vel vt prorſus celet maritum; vel vt dicat ſe panem ſumpſiſſe: Vtrumque autem ſuſpicionis plenum eſſe. Itaque addit, *Et hæc ignorans quiſque rationem ſimpliciter ſuſtinebit ſine gemitu, ſine ſuſpicione panis an veneni?* Illud ex de Oratione, mihi quidem obſcurius eſt: nec enim video quid illud, *& reſeruato*, conferat ad loci ſententiam; quocunque modo, verſetur. Itaque nihil dico.

X. His præpurgatis addo Clementis Epiſtolas ad Iacobum fratrem Domini, eſſe ſuppoſititias, ac ſtramineas, vt alias ſæpe obſeruatum. Hæc autem quæ nunc laudatur, Deus bone, quid habet ſani? Iacobum fratrem Domini præſumit inſtruere, nam ad initium, *Te ex ordine nos decet inſtruere.* Et inſtruendo quidem, minuta iſta tradere. de reliquiis corporis Dominici, de pallis, cathedris, candelabris, velis. Magna ſcilicet myſteria, quæ ignoraret Apoſtolus Apoſtolorum. Quid? quod anathema & quidem graue et eſt alienari ab altari ſex menſibus, qui vaſa ſacra non diligenter tractari? & Presbyterum qui hunc non admonuerit; iubeat decem annis & quinque menſibus excommunicari? φεῦ τῆς ἀκρισίας!

XI. Amphilochium illum autorem vitæ Baſilianæ rurſus impoſtorem eſſe, teſtes do Baronium in Annalibus ad annum trecenteſimum ſexageſimum tertium §. 74. & annum trecenteſimum ſexageſimum nonum §. 43. & tercenteſimum ſeptuageſimum octauum §. 10. Item Bellarminum in Scriptoribus Eccleſiaſticis. Itaque aduerſus hunc teſtem legitimas exceptiones mutuabor ab ipſo Baronio, *Quæ Amphilochij falſo nomine fertur vita Baſilij haud digna ſatis habetur. quæ eruditorum auribus ingeratur, niſi adeo ſint perſpicaces, qui in eis quæ ſint vera à falſis diſquirere atq; ſecernere valeant.* Et alibi de quibuſdam ex ea fabula excerptis, *Sunt hæc plane digna riſu, quæ & fidem derogent nonnullis, quæ ab aliis accepta, in eadem vita vera eſſe probantur. Talis profecto eſt opera impoſtorum, vt cum falſa ingerant, vera mendaciorum admixtione corrumpant.* En tibi dignum autorem qui nos obiectus moueat! Sed enim viri ſunt Papiſtæ præiudicio valde vacui, vt illud de columba μυθάριον auribus primis exceptum dignoſcere potuerint à falſis: quibus nullum fabulæ genus videtur indignum ſua grauitate, dum partibus faueat. Tum autem cum Baronius in hoc authore nihil habeat pro vero, niſi quod aliorum autorum fide confirmetur; quale hoc dicemus, quod ab eo ſolo deſumptum oggeritur?

XII. Nunc ad rem venio. Nos vero ſi negemus quicquam irrepſiſſe in Eccleſiam, quo ſe Papiſtæ poſſint aduerſum veritatem armare; tum alibi, tum etiam hic; tum & Papiſtarum ingenium habeamus incognitum, & hoſpites ſimus in hiſtoria Eccleſiaſtica; imo in ipſo orbe. Verum vnum habemus pro certo, inſtitutioni Sacramentorum nullam omnino hominum conſuetudinem præiudicare poſſe, Quod Cyprianus eleganter docuit in hoc ipſo Sacramento, quanquam alia occaſione; Epiſtola 63. *Non eſt frater cariſſime, quod aliquis exiſtimet ſequendam eſſe quorundam conſuetudinem. Quærendum eſt enim, ipſi quem ſint ſequuti. Nam ſi in ſacrificio quod Chriſtus obtulit, non niſi Chriſtus ſequendus eſt, vtique id nos obaudire, & facere oportet quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandauit. Quare ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putarit, ſed quid qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem.*

XIII. Apparet hoc quanti ſit momenti in reſeruatione illa priuata; quæ ſola eſt, quæ manifeſte probatur fuiſſe in vſu. Nam hæc non tantum hodie nulla eſt, ne apud ſuperſtitioſiſſimos quidem Papiſtas: ſed etiam olim improbata. Raueſteyn, *Et conſuetudo poſtea abrogata fuit propter abuſum.* Quod ego quidem interpretor, quod ipſa per ſe fuerit abuſus: non quod ei accidentarius aliquis abuſus additus ſit. Nam in primo Concilio Toletano canon 14. ita eſt, *Si quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non conſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.* Item in Cæſarauguſtano 3. *Euchariſtiæ gratiam ſi quis probatur acceptam non conſumpſiſſe in Eccleſia, anathema ſit in perpetuum.* Etenim præterquam quod non ſolet quod per ſe pium eſt & bonum tam ſeuere improbari propter inductos abuſus: vix etiam poteſt tam præciſe lata lex in eam partem torqueri.

XIV. Hanc igitur conſuetudinem cum obtendunt Papiſtæ, quid agunt aliud, quam ex igne victum quærunt? & ſuo monſtrant exemplo quam vere olim dictum ab Nicolao Romano apud Gratianum diſtinctione 8. *Mala conſuetudo non minus quam pernicioſa corruptela, abiicienda ac vitanda eſt: quæ niſi citius radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab impiis aſſumitur: & incipiunt prauaricationes & variæ præſumptiones celerrime non compreſſæ pro legibus venerari; & priuilegiorum more perpetuo celebrari.* Glorioſum vero Eccleſiæ Romanæ operæpretium argumenta ſuæ ſuperſtitionis venari ab huiuſmodi abuſibus, quos neque ipſa retinere olim, nec hodie reſumere ſit auſa; quamuis accedente potentiſſimo argumento, noſtri odio.

XV. Publice aſſeruari *pauca* probant commode: Nam Clementis præter fidem, quam dixi ſubleſtam, ne teſtimonium quidem eſt expeditum. Scripſit in hunc modum, *Tribus gradibus commiſſa ſunt Sacramenta diuinorum ſecretorum, id eſt, Presbytero, Diacono, & Miniſtro, qui cum timore, & tremore clericorum, reliquias fragmentorum corporis Domini cuſtodire debent, ne qua putredo in ſacrario inueniatur, ne cum negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria. Communio enim corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſi negligenter erogetur, & Presbyter minora non curet admonere officia, graui anathemate, & digna humiliationis plaga feriatur. Certe tanta in altario holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant. Quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſeruentur, ſed cum timore & tremore, clericorum diligentia conſumantur. Qui autem reſidua Corporis Domini, quæ in ſacrario relicta ſunt; conſumunt non ſtatim ad communes cibos conueniant. ne putent ſanctæ portioni commiſcere cibum, qui per aqualiculos digeſtus in ſeceſſum funditur. Si ergo mane Dominica portio editur, vſque ad ſextam ieiunent Miniſtri, qui eam conſumpſerunt. Et ſi tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent vſque ad veſperam. Sic ſecreta ſanctificatione æterna cuſtodienda ſunt Sacramenta.* Debuit integer locus deſcribi: qui lacer tam miſere negligitur, vt non intelligatur: & paucis verborum captatis ſimilitudinibus detorquetur: vt aliud dicat, quam propoſuit. Ego ſane nego agi de reſeruatione Sacramenti: nego de vlla eius corruptione: nego ſanctuarium eſſe vllum locum dicatum reſeruationi conſecratorum. Denique nego quicquam eſſe, quale nunc ſomniarunt Endimiones noſtri.

XVI. Quid ergo? Nempe de reſeruatione, quomodo potuit is cogitare, qui eo ipſo loco prohibeat reſeruari in craſtinum; & iubeat clericorum diligentia conſumi, vel mane, vel tertia, quartave hora? Quæ horarum diuerſitas inde eſt, quod bis potuit miſſa eodem die celebrari in magnis Eccleſiis, feſtiſque diebus: Vt facile appareat, quiſquis ille fuit, voluiſſe, quod eſſet reſidui poſt communionem plebis conſumi eadem actione. Et hæc reſeruatio eſt?

XVII. Reſpondet Bellarminus adhibendam exceptionem earum partium quæ reſeruandæ eſſent pro communione infirmorum: nam alioquin nolle nimis multum Euchariſtiæ conſeruari.

XVIII. Ita, inquam, oportuit ſomniare, qui ex poſteriori errore priora præcepta emendant. Sed non ſi Ieſuitæ audacter ſomniant, ideo Clemens ille, quiſquis eſt, inepte balbutiit, vt neſciret, quid diceret. Certe apud eum nullum eſt indicium reſeruationis in infirmorum gratiam. Et quid intereat, quantitatis curam gerere? Quaſi intereſſet plauſtra non reſeruari corporum Chriſti: Quaſi bonum aliquod, & quidem tantum in Eccleſia multiplicari indignum eſſet. Quaſi infirmorum numerus definiri poſſet. Quaſi denique non poſſet vnius Miſſæ compendium fieri, & quarta ſextave hora communicari præſanctificatis.

XIX. Pergit. Et quæ cuſtodia adhibenda eſſe, inquit, aut quodnam putredinis periculum timendum, ſi nihil ſeruandum.

XX. Hoc ibam explicatum. Moris fuit olim oblationes admitti laicorum. Cuius rei adhuc veſtigium eſt in Miſſa Romana, cuius parti cuidam Offertorio nomen eſt ſiue Offerendæ, ante conſecrationem. Scortia de ſacrificio Miſſæ libr. 4 cap. 1. *Offertorium dicta eſt pars illa in qua populus Eccleſiæ Miniſtris oblationes ſuas offerebat.* Alcuinus de Diuinis Officiis, capite de celebratione Miſſæ. *Sequitur deinde offerenda, quæ inde hoc nomen accepit, quod tunc populus ſua munera offerat.* Nam, *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolennia aliquid Deo offerre:* Canon eſt Gregorij ſeptimi apud Gratianum diſt. 1. de Conſecratione.

XXI. Quæ ſic offerebantur, dona reponebantur certo loco ei rei deſtinato. Scortia ibidem, *Non omnium tamen indifferenter recipiebantur oblationes, ſed eorum tantum, qui & Catholicæ eſſent communionis, & vitæ integritate pollerent: ideoque antequam ad altare inferrentur, deportabantur in gazophylacium, ſeu ſecretarium, vt prius diſquiri poſſet, an oblationes dignæ eſſent, quæ Domino offerrentur.* Et quanquam huiuſmodi diſquiſitio nuſquam occurrat; atque adeo ne Scortia quidem confirmarit vllo teſtimonio, tamen de gazophylacio, ſiue ſecretario, ſiue quocunque loco dubitari non poteſt.

XXII. Nam inde deſumebantur, quæ communioni deſtinabantur ideoque etiam conſecrationi: vnde Cyprianus de Eleemoſyna, *Locuples & diues es, & dominicum celebrare te credis quæ Corbonam omnino non reſpicis, & quæ in dominicum ſine ſacrificio venis, partem de ſacrificio quod pauper obtulit ſumis.* Reponebantur in altari, ſiue menſa. Docet Dionyſius, cum poſt abſceſſum Catechumenorum ſcribit, οἱ δὲ τῆς λειτουργικῆς διακοσμήσεως ἔκκριτοι σὺν τοῖς ἱερεῦσιν ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου προτιθέασι τὸν ἱερὸν ἄρτον, καὶ τὸ τῆς εὐλογίας ποτήριον, *Qui in miniſterij officio ſunt præcipui* (Diacones deſignat) *vna cum Sacerdotibus ſuper altari proponunt ſacrum panem & benedictionis poculum.* Clemens Conſtitutionum 8. cap. 12. οἱ διάκονοι προσαγέτωσαν τὰ δῶρα τῷ ἐπισκόπῳ πρὸς τὸ θυσιαστήριον, *Diaconi adhibeant dona Epiſcopo ad altare.* Chryſoſtomi Liturgia habet τὴν ἐν τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ τῶν θείων δώρων ἀπόθεσιν, *In ſancta menſa diuinorum donorum depoſitionem.* Petri, τὸ ἀποθεῖναι τὰ ἅγια ἐν τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ, *Deponere ſancta in ſancta menſa.* Hoc ipſum Clementi eſt, *In altario holocauſta offerre.*

XXIII. Eodem illo loco (quem Clemens ſanctuarium appellat) recondebantur etiam vtenſilia altari deſeruientia, *Pallas*, inquit, *& vela*, *quæ*

qua in sanctuarij sorditata fuerint ministerio. Nempe quia eadem opera inseruiebant eorundem donorum munditiei.

XXIV. Plana nunc omnia. Etenim quæ cautio exigitur à Clemente, ea nullo modo pertinet ad consectata in altari, quæ in ipso altari iubebantur consumi: Sed ad sacrarium illud, in quo poterant & mures & aranei, & tineæ stabulari: tum pallæ, velaque, & candelabra situm contrahere, rubiginemque & putredinem. Huc igitur illa cura, *Altaris,* inquit, *palla, cathedra, candelabrũ, & velum, si fuerint vetustate consumpta incendio dentur.*

XXV. Ne objicito ergo Bellarminus, nullum putredinis periculum, si nihil conseruandum hoc nemo ignorat, qui suos norit digitos. Sed si non conseruandum corpus Domini, non propterea nihil: sed multa supellex, quæ inseruiebat altari munda esse merebatur.

XXVI. Chrysostomus ad Innocentium, reseruatum nihil dixit; sed sanguinem qui super altari, fusum in militum vestes. Vnde ergo habent reseruatum? Scilicet, quia sub vesperam diei cum non solet consecrari. Sed fallunt. Non enim nunquam consecrabatur sub vesperam. Augustinus Epistola 118. *Viaet bis offerri quinta Sabbati hebdomada vltima quadragesima & mane & advesperam.* Humbertus contra Pectoratũ, *Quotidie siue tertia, siue nona, siue quacunq; hora fiat nobis Missa, non fit nisi perfecta.* Paulo post, *Alia causa est Dominica diei, ac solennitatum, alia ieiunorum. Si ergo hora nona, aut vespertina diebus ieiunorum perfecta agitur Missa, nulla procul dubio inde contrahitur noxa.* Belet cap. 50. diuinorum officiorum, *Cantatur Missa diebus festis hora tertia, profectis sexta: & nona in quadragesima, as aliis diebus ieiunorum.* Commode. Nam qui dies Chrysostomo designatur, ieiunij fuit: nempe vespera magni Sabbathi; quæ ipsa erat in vltima hebdomada quadragesimæ sexta feria

XXVII. Et tamen vesperam non dixit, sed diem inclinantem in vesperam ὡς ἑσπέρας λοιπὸν τῆς ἡμέρας ἐπιγινομένης: Quæ inclinatio incipit inde ab hora sexta, id est, à meridie. Itaque non erat necesse amota esse Sacramenta ab altari, ex quo communio erat facta: tantum dilatam distributionem donec Baptisma foret administratum: quandoquidem constet eo tempore sic solitum fieri, vt baptizati statim admitterentur ad sacram Missam. Nimia illa profecto μικρολογία est, in longæ reseruationis argumentum, momenta singula temporis, vt ita dicam, transferri.

XXVIII. De vasis ludicra res est. In Optato calices fractos lego qui sanguinem ferrent; & apud Ambrosium, quo sanguis contineretur. Lego apud eundem Ambrosium, velum in quo consecratur corpus; apud † rudẽtium auro libare antistites, & argenteis scyphis fumare sanguinem. Quid habent mentis, qui his vtuntur? Nam vident omnes ea vasa fuisse, quæ ad consecrationem pertinerent; nullo modo ad reseruationem. Sed nec Sedulius linteum dixit, quo reseruaretur: sed in quod mitteretur Sacramentum, *Si in linteũ, vel in vas sordidum nemo illud mittere audet, quanto magis in corpollutum?* Certe & velorum & vasorum vsus erat in consecratione; vt paulo ante apud Clementem.

XXIX. Sed vrgetur pastophorium ex Constitutionibus Apostolis. Recte, si Bellarminus doceret sumptum pro vasculo. At non facit. Nos autem qui id vocabuli nusquam legimus, nisi in Interpretibus Septuaginta; horum vsum opponimus Bellarmino; quem designauit Hieronymus, asserens significari thalamum in quo habitaret præpositus templi. Scilicet quia sic expressum Hebræum לשכה, quod nomen Dauid de Pomis exponit חדר, cubiculum, thalamum, conclaue: Dauid Kimchi, היו אוכלים בה אשר, *vbi comedebatur.* Non habet autem Bellarminus vnde prohibeat intelligi delatas reliquias in domum Episcopi, vt ibi non conseruarentur, sed consumerentur à Clericis: quomodo scimus interdum factum, vt etiam puerit è schola distribuerentur, tanquam non pertinentes amplius ad Sacramentum.

XXX. In Concilio Niceno de Diaconis distribuentibus dum nullus adest Presbyter; nullum verbum est; sed duntaxat, vt cauerent ne vel Presbyteris distribuerent; vel ipsi priores sumerent. Sciuit Bellarminus, & occupauit: hanc partem extare apud Ruffinum; apud quem descriptos Canones esse ipsos veros, & authenticos testari Cyrillum in Epistola ad Concilium Carthaginense. Ast ego miror; vnde tam subita sit mutatio. Nunc non tantum veros, sed etiam authenticos Canones Nicenos à Ruffino descriptos esse: quod tamen animose contra disputatur, & cum negantur fuisse tantum viginti: & cum de sexti Canonis agitur interpretatione: de quo vtroque capite oportuit prolixe agi in disputatione de Oecumenico Pontifice. Sicunt autem omnes docti exiguam fuisse Ruffini in vertendis autoribus religionem. Sed & mentitur Bellarminus in Cyrillo teste. Nam hic Ruffinum nusquam nominat, sed Ecclesiasticam historiam, *Necesse habui,* inquit, *fidelissima exemplaria ex authentica Synodo in Nicæa ciuitate Bithyniæ habita, vestræ charitati dirigere:* ὅπερ καὶ ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ ζητοῦντες εὑρήσετε, *Quod & in Ecclesiastica historia requirentes inuenietis.* Scio equidem nullum nunc exstare librum cui titulus sit, historia Ecclesiastica, in quo descripti reperiant hi canones: sed quid si fuerit olim? Quid si ne librum quidem sic dictum Cyrillus sit imaginatus: sed in genere historiam Ecclesiæ, cuius pars esset ipsa descriptio actorum?

XXXI. Præsanctificatorum inuentum recens fuit in Ecclesiam inductum: nec facile nominatum aut etiam indicatum ante Concilium illud Trullanum, seculo demum sexto. Quæ tandem futura est Ecclesiæ conditio, si quæcunque posteriora inuexere secula; habenda sint pro authenticis? Nimirum illa Nicolai paulo ante nimium neglecta fuit admonitio. Enimvero quid decretum eo Concilio? *In omnibus sanctæ quadragesimæ ieiunij diebus, præterquam Sabbatho, & Dominica, & Annuntiationis die,* γινέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ λειτουργία, *fiat sacrum præsanctificatorum sacrificium.* Atqui Basilij tempore aliter vsus erat. Epistola ad Cæsariam Patriciam, ἡμεῖς μέν γε τετράκις καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν. ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι, καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ ἐν τῷ σαββάτῳ, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις, ἐὰν ᾖ μνήμη μάρτυρός τινος, *Quater nos singulis septimanis communicamus: Dominico die, feria quarta, in parasceue, & Sabbato: sed & per alios etiam dies, si martyris alicuius memoria celebretur.* En tibi quatuor diebus communionem, reliquis nullam exceptis festis: Ergo nulla præsanctificatorum missa.

XXXII. Absentium, & ægrotantium habitam fuisse rationem, negari nequit; adeo frequentia sunt testimonia, & exempla; eaque vel à Iustino teste, antiquissima: nam ille primus meminit suo sic factum tempore. Nec postea cessatum multi sunt, locupletesque testes. Verum quicquid id fuit, alienum est ab hac de reseruatione controuersia. Reseruatio enim opponitur communioni: & infert species esse Sacramenta etiam sine communione. Itaque nobis legitima exceptio est.

XXXIII. Reseruatio proprie dici non potest: quandoquidem & continuaretur consecrationi; & fieret communionis gratia; cui, vt dixi, reseruatio opponitur in hac controuersia. Vtrumque patet ex Iustino: apud quem disertum est; Diaconos dare præsentibus τῶν παρόντων μεταλαβεῖν, & deferre ad absentes. Vnde explicatio est tum missæ ad Episcopos Eucharistiæ, tum concessæ morientibus. Neque enim verum ad Episcopis Romanis missam fuisse in Asiam vsque; sed ad Episcopos Romam aduentantes. Et Concilium Nicenum, sic sine dubio prohibuit denegari communionem iis de quorum vita desperaretur.

XXXIV. Restitat Bellarminus; & instat tripliciter. Primo, hanc responsionem non posse aptari, nisi Iustino; nam reliqua testimonia indicare asseruationem. Secundo; si non sit Sacramentum nisi dum sit id quod Christus iussit, ergo delationem ad absentes non potuisse esse Sacramentum. Tertio; Deferentes cum erant apud absentes, ægrotosve, vel repetisse consecrationem, vel non. Si repetebant, ergo frustra panem deferebant à cœtu sacro, quem poterant habere ex domo priuata. Tum autem non erat opus; quia in delatione perseuerabat corpus Domini. Si non repeterent, ergo nihil vtilitatis conferebant: quia symbola sine verbo nihil sint.

XXXV. Sed hæc frustra. Primo, falsum est, non posse hanc responsionem nisi Iustino aptari: id tantum verum, non exprimi nisi à Iustino. Sed cum is descripserit morem Ecclesiæ; quid obstat quominus inde explicentur reliqua? Certe Concilium Nicenum non meminit nisi ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου & κοινωνίας: quæ verba nisi aliunde explicarentur possent in mille facies verti. Dico igitur, etsi exempli gratia, Irenæus nihil dixerit nisi missam fuisse Eucharistiam ad Episcopos illos; tamen hoc supplendum ex Iustino, nempe eodem tempore cum communio celebraretur in Ecclesia.

XXXVI. Secundo; verum delationem ad absentes non fuisse Sacramentum: quod etiam nemo dixit: sed delatum fuisse Sacramentum ad absentes: nempe vt quod reliquis in Ecclesia, idem ipsis absentibus, per sumptionem Sacramentum esset. Sæpe enim dictum, Sacramentum nihil esse absolutum, sed relatiuum: atque ita, quod consumeretur in Ecclesia, non fuisse Sacramentum absentibus: neque id quod ad hos deferretur, iis qui essent in Ecclesia. Sed tum præsentibus datum, tum delatum ad absentes, vt de eodem Sacramento participarent vtrique; quod aliter videbatur fieri non posse.

XXXVII. Instantiæ postremæ quis me vim docebit? Qui deferebant vel repetebant consecrationem, vel non. Ita esto, inquam. Perge: At neque repetebant; neque non repetebant. Monstrum contradictionis. Tamen perge, & perfice mirificam conclusionem, vt videamus quid ad præsentem controuersiam conferat. Sed ad rem: dico non fuisse repetitam consecrationem: sed tantum significatam: id est, declaratum huic, siue absenti, siue ęgroto, partem ad eum deferri consecratorum in publico sacroque cœtu. Verum, inquit, symbola siue verbo nihil sunt. Ista est quidem: sed hæc symbola non poterant dici esse sine verbo, quæ erant consecrata in spem communionis. Nam quid tum, si non eodem momento temporis, dummodo continuata actione? Ergo, inquiet, Sacramenta erant inter deferendum. Negatur consequentia, inquam: sed tantum consecrata, vt communicando essent Sacramenta.

XXXVIII. Hactenus exempla reseruationis. Dedehus ex Chrysostomo, & Damasceno argumentatur. Chrysostomus homilia de Iudæ proditione; docet, inquit, sicut hæc verba, *Crescite & multiplicamini & replete terram:* semel ore Dei prolata, semper retinent suam creandi, conseruandi, multiplicandi, generandique efficaciam coniunctam viribus naturæ, in finem vsque: sic verba Sacramentalia semel prolata super pane & vino, semper obtinere efficaciam, vim & veritatem etiam post communionem, quandiu Sacramentum conseruatur. Damascenus libr. 4. capite 14. Thesauri, *In principio dixit Deus, producat terra herbam virentem, & vsque nunc pluuia facta est: Producat germina, diuino condita & vigorata præcepto vsque nunc est: Sic dixit Christus, Hoc est corpus meum, hoc facite in meam commemorationem: & omnipotenti eius præcepto donec veniat efficitur. Sic enim dixit, donec veniat, & fit pluuia noua agricultura per inuocationem Sancti Spiritus, obumbrans virtus. Nam quemadmodum omnia quæcunque fecit Deus, Spiritu Sancto cooperante fecit: sic & nunc Spiritus Sancti operatione, hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides.* En tibi Dedehus exclamat, Damascenum ex comparatione creationis, & consecrationis, suadentem conseruationem corporis Christi extra & post communionem.

XXXIX. Ego contra: En tibi Papisticam imposturam: nouam impudentiam. Nam neque Chrysostomus, neque Damascenus de reseruanda Eucharistia agunt, sed de efficacia consecrationis, quæ fit per verbum Dei, illud ipsum, quod ex ore Christi exceptum fuit olim à Discipulis: quomodo per illud ipsum verbum, quod initio mundi prolatum est à Deo perseuerat ordo naturę. Certe Chrysostomus perspicuus, *Et nunc ille præsto est Christus, qui illam ornauit mensam:* nempe cui assederunt Apostoli; *ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensa Domini corpus Christi facit, & sanguinem: sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia. Hoc est, ait, corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox quæ dicit, Crescite & multiplicamini, & replete terram, semel quidẽ dicta est, sed omni tẽpore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa semel quidẽ dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ vsq; ad hodiernã diem, & vsq; ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.* Hæc ille. Ex cuius primis verbis, quis tam stipes esse potuit, vt non videret agi de consecratione: non autem de conseruatione? Et vero illud, quamdiu Sacramentum conseruatur, Dedehi mendacium est, non vllum Chrysostomi dictum.

XL. Nec obscurior Damascenus: in cuius verbis, mirum nihil fuisse mutatum: nam vt recitata sunt, nihil aliud indicant, quam quod in Chrysostomo obseruatum est, *Sic & nunc Spiritus Sancti operatione,* inquit, *hæc super naturã operatur.* Quid illud operatur? Lege pręcedentia, *Si igitur verbũ Dei viuẽs est, & efficax, & omnia quæcũq; voluit Dominus fecit.* Et paulo post,

Non

Non potest panem sui ipsius corpus facere, & vinum & aquam sanguinem? Ergo hæc operari supernaturam, significat panem facere corpus: quod quid ad conseruationem? Itaque Clicthouæus annotauit, *Deinceps ostendit author veritatem huius Sacramenti ex omnipotentia Dei in rerum creatione perspecta, neque minus valida, aut efficace ad operationem huius mysterij.* Et paulo post, *Simili pene argumento ex manifestatione diuinæ virtutis in rerum primaria productione, & humanæ naturæ assumptione, vtitur beatus Ambrosius in libro de Sacramentis, ad manifestandam huius admirabilis mysterij veritatem.* Legatur ergo Ambrosius: & si quicquam eo loci dixerit de asseruatione: si non disertissime de consecratione, trophæum Dedehus erigito. Sed hæc eludi non poterunt, ex de ijs qui initiantur: male enim Clicthouæus citabat, *Si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit sermo Christi, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt. Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt mutare in id quod erant?*

CAP. X.

Argumenta Catholica contra reseruationem.

I. COntra Papistas primum argumentum. Nullum est Eucharistiæ Sacramentum præter institutionem suam: At panis & vinum reseruata, sunt præter institutionem suam: Ergo panis & vinum reseruata non sunt Eucharistia. Maior patet; quia nullum Sacramentum est à natura sua: Itaque prorsus ab institutione. Antecedens fuit in concessis libro primo: & facile probatur, quia alioquin omnis panis, omne vinum esset Sacramentum, quod est absurdissimum. Præterea: Nulla promissio diuina cui additum est præceptum, impletur, nisi impleatur præceptum: At consecratio Eucharistiæ promissio est cui additum fractionis, acceptionis, manducationis præceptum: Ergo ea promissio non impletur, nisi hoc præceptum impleatur.

II. Probatur assumptio, tum quia in institutione nullum vel indicium est reseruationis: non magis profecto quam assationis, aut venditionis, aut emplastri: vnde certum, non magis panem asseruatum posse esse Sacramentum, quam assatum, aut venundatum, aut vsurpatum in emplastrum: tum etiam, quia designatur nominatim distributio & manducatio, prorsus oppositæ asseruationi: & multo magis quam aqua & vinum: cum inter essentias proprie oppositio nulla esse possit: possit autem in actionibus, quæ sese mutuo perimere possunt; vt hic, non potest vnumidemque & asseruari, & communicari, siue consumi. Nam asseruatio vtrumque excludit; etiam ex hypothesi Papistica. In Institutione autem contineri distributionem, siue communicationem, non est quid dubitet. Non enim sinunt tam distinctæ narrationes Euangelistarum, & Pauli, testantium, dixisse Christum, *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum: Accipite, bibite; hoc est nouum Testamentum in sanguine meo.* Quæ verba tam sunt solennia, vt nulla liturgia omiserit; nulli Patres reticuerint. Tam certum est ergo panem comedi, vinum debere bibi: quam certum in altero Sacramento aquam adhiberi debere ad lauandum. Vtrumque enim æque continetur & exprimitur in institutione.

III. Croquetius nonnihil nugatur, quo videri queat minor infirmari; quoniam conseruandi morem deducat ab ipsa institutione, *Nam si quod res est dicendum foret,* inquit, *non prius Eucharistiæ, quam eiusdem adseruandæ fuit institutio.* Quod ego quidem primo aditu visum, lectum, miratus sum prorsus ὑπόδοξον. Sed audiamus probationem, *Contendunt enim quidam Veteres; Iudam, etiam tum Apostolum, ita suscepisse vt partem absumeret, partem adseruaret, quam postea spectandam, irridendamque Christi proferret hostibus, vt suam illi fidem magis approbaret.*

IV. Egregie. Scilicet aut hic vincet, aut nullus. Hem Iudas autor. Non potuit altius iri: non religiosius cogitari. Iudas in cuius cor iam Diabolus miserat, vt Magistrum traderet. Hunc vero caue Croqueti, nos credas vobis autorem inuidere. Absit: absit. Imo etsi suboleat fabula, cuiusmodi plurimæ sunt in vita Christi: tamen in vestri gratiam, non disputabimus, siue à veteribus sit autoribus, siue à recentibus Sophistis. Quin potius omnibus persuadere conabimur, hoc quod vltro profiteris, Iudam proditorem primum autorem fuisse reseruationis huius, quam nunc Catholici constanter oderunt; Papistæ pertinaciter tuentur, beati tanto autore, tam pio, tam sancto.

V. Bellarminus negat eandem assumptionem: quia Dominus iusserit panem benedici, & manducari: sed non iusserit continuo post benedictionem manducari, præsertim totum, & ab omnibus, modo ad eum finem benedictio seu consecratio ordinetur.

VI. Sed hoc friuolum apparet ex statu quæstionis: in qua non quæritur propric; quando aut consecretur, aut comedatur, sed quando sit Sacramentum. Nam negamus nos vnquam esse, nisi cum sumitur, ne illo quidem exiguissimo momento, cum è manibus Sacerdotis transit in manus communicantis. Papistæ autem contra, non tantum in manducatione esse vere Sacramentum, sed etiam quantumcunque immani spatio inter consecrationem & manducationem. Itaque diuertit hæc solutio in alienam thesim, nec infringit vim argumenti: quod est directe contra Papistas, qui, ipso statim teste Bellarmino, docent, etiam si fiat consecratio sine ordine ad manducationem, sed ad quemuis alium finem, tamen verum Sacramentum esse, & perseuerare, quandiu ipsas species. Vnde constat, etiam si nunquam succedat manducatio consecrationi, tamen haberi vere pro Sacramento.

VII. Sed rationem audiamus negatæ minoris. Distingui essentiam Sacramenti, ab vsu. Institutionem non complecti solum essentiam, sed etiam vsum: nempe benedictionem pertinere ad illam; ad hunc autem manducationem. Porro rem non pendere quoad esse suum, ab vsu: quemadmodum si quis sedem faciat; etiam si nemo in ea sedeat, tamen est sedes. Eadem ratio est Raueschein.

VIII. Imo, inquam, manducatio non est vsus Sacramenti; sed est vsus signi, siue panis. Quomodo lotio vsus est aquæ: hoc est, aquam determinat ad eum modum, secundum quem vsurpata sit Sacramentum. Itaque etiam duplici signo suus cuique est vsus, in vno tamen eodemque Sacramento: cum si ipsius Sacramenti vsus esset, non autem signi; ipsum etiam vinum comedi oporteret. Supponit ergo falsum, cum dicit manducationem esse vsum, cum sit ipsa materia propinqua huius partis: quod meminimus sæpe fuisse obseruatum. Porro, materiam manifestum est pertinere ad ipsam essentiam: vnde necesse est nullum esse Sacramentum panis, si nulla sit manducatio: nullum vini, si nulla potio.

IX. Et tamen inconsiderate dictum, consecrationem pertinere ad essentiam Sacramenti: cum contra Sanctesius in hoc ipso argumento testetur, esse causam efficientem, *Non dubium certe, quin actione opus sit, vt fiat Sacramentum, & in rerum natura producatur; ideo ab actione illa, tanquam à sua causa efficiente, Sacramentum hoc appellatur Benedictio & Eucharistia.* Atqui causa efficiens, cum sit extrinseca effectui, nulla est de essentia effectus: sic Deus non est de essentia mundi, quem creauit: nec Abrahamus Isaaci, quem genuit. Hinc argumentum sit fortius: Nam quia panis, qua panis, non Sacramentum: Ergo necesse est vt de essentia eius qua Sacramentum est, sit vel consecratio, vel manducatio: Non autem consecratio, quia est efficiens: Ergo manducatio.

X. Maiorem à nemine impugnatam legi: tantum à Bellarmino secundam ei confirmandæ adhibitam rationem, sumptam ex Caluino. Negat enim esse promissionem additam præcepto. Primo, inquit, si verba illa continerent promissionem, certe per verbum futuri temporis expressa fuissent: vt in Baptismo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Deinde, si esset promissio præcepto annexa: ergo impletio eius promissionis non comitaretur, sed sequeretur actionem manducandi: proinde non haberent fideles Sacramentum, & ipsum corpus Domini dum manducarent, sed totum post aquam manducassent. Itaque non manducaretur corpus Domini, ne in Sacramento quidem. Probatur consequentia; quia in similibus promissionibus, semper actio præcedit, quæ fuit imperata, & tandem sequitur impletio promissionis. Etenim impletio promissionis, est effectus actionis imperatæ; at semper causa est prior effectu, saltem natura. Itaque sicut prior est imperatæ; at semper causa est prior effectu, saltem natura. Itaque sicut prior esset manducatio, quam præsentia corporis Domini. Hoc autem absurdum esse, probat ex Caluino sententia, qui dixerit, Pios dum sumunt ore corporali Sacramentum, simul sumere ore fidei ipsum verũ Domini corpus.

XI. Sed esse promissionem res ipsa manifestum facit. Nam omnis significatio futuri effectus est promissio. His autem verbis continetur significatio futuri effectus: nempe sacræ communionis & spiritualis cum Christo. Est igitur promissio. Certe Gabriel Biel Epitome in Canonem ad verba, *Hoc est enim*: sic scripsit, *Pactum fecit Christus cum Ecclesia per discipulos repræsentata, quod ad prolationem horum verborum ipse vult assistere, & panem in suum corpus conuertere.*

XII. At omnis promissio per verbum futuri temporis exprimitur. Hoc vero est falsissimum. Matthæi 28. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Caluinus, *Non in vnam modo ætatem, sed vsque ad finem mundi Dominus auxilium suum promittit.* Ergo promissio est. Nisi forte Caluinum tuo more explodas. Sed audi saltem tuos. Caietanum, *Vt intelligamus promitti nobis per hoc, non præsentiam Iesu corporalem, sed diuinã.* Iansenium, *Consolatur eos promissione suæ præsentiæ continuæ.* Et post, *Cum Apostolis promittit suam præsentiam: in ipsis Apostolis loquitur omnibus fidelibus: quemadmodum ostendit illud, vsque ad consummationem seculi. Non enim Apostoli vsque ad seculi consummationem permansuri erant in mundo, sed mediantibus illis qui tunc erant, etiam illis qui postmodum futuri essent, hanc promisit gratiam.* Lucas Brugensis, *Aduertite, & imis cordibus reponite, quam promitto, rem veram, quanquam oculis non subijciendam.* Verum cur alios, & nõ te tibi obijcio Bellarmine? Sic enim scripsisti de Ecclesia militante lib. 3. c. 13. *Aperta est promissio sine nomine Ecclesiæ, Matthæi vltimo, Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi.* Quid igitur obstat, quominus hoc exemplo concludamus aliquas promissiones concludi præsenti tempore? Sed & alio, Matth. 5. *Beati estis quum maledixerint vobis homines.*

XIII. Non comitaretur, sed sequeretur actionem manducandi. Negatur hoc etiam. Nam cum hic agatur de interuallo temporis; tum vero quæ ratione tantum priora sunt, tempore simul sunt tamen. Vt lotio Baptismi, quia est materia, sine dubio est ratione prior Sacramento: sed tamen tempore nullo Sacramentum Baptismi præcedit. Homo etsi prius sit homo ratione, quam peccator; tamen nunquam est homo ante quam peccator. Et finita alia. Itaq; non est necesse, vt prius aliquanto manducetur panis, quam corpus Christi. Quoniam, vt alias admonui, manducatio est materia Sacramenti, cui accedit forma, mutatio in corpus Christi. Necesse est autem in Sacramento simul tempore esse & materiam, & formam: itaque simul comedi à fidelibus & panem, & corpus Christi.

XIV. Concedo, in quibusdam promissionibus præcedere actionem imperatam, sequi impletionem promissionis. Sed in omnibus, prorsus falsum, atque adeo in ipso Baptismo; vt dixi. Nec verum impletionem promissionis esse effectum actionis imperatæ; nisi improprie. Solus enim promittentis ius est, vt efficiat quod pollicetur. Tum autem, vt alias docuimus, in causis Ethicis, nihil obstat quominus effecta, non tantum simul sint, sed etiam prius quam actu causa existat. Et sic interdum gratia prior est Baptismo, vt in Cornelio Centurione. Sunt autem Sacramenta, vt alias disputatum, inter causas Ethicas, nullo modo inter Physicas.

XV. Alterum argumentum contra Papistas. Nullum Sacramentum durat vltra materiam suam. At materia Eucharistiæ est momentanea: Ergo & ipsum Eucharistiæ Sacramentum. Maior patet ex sensu communi. Minor vero; quia materia propinqua, est actio comedendi: quæ est transiens non autem permanens.

XVI. Papistarum de materia huius Sacramenti perplexa opinio est. Bielis, ad illud Canonis, *Hoc est enim*, hæc sunt. *Dicendum quod Eucharistia est quædam forma scilicet species siue accidentia panis & vini, quæ per se stant, & in nullo subiecto recipiuntur: ideo non est ibi assignare formam præter species, nec ibi est aliqua materia: nam sola ista species constituunt Sacramentum Eucharistiæ. Quia tamen species illæ sunt Sacramentũ, ideo sunt signa rei contentæ: propter quod nonnulli dicunt, quod ipsa significatio specierũ sit forma Eucharistiæ; & species ipsæ velut materia. Verũ, quia significatio nõ distinguitur à signo significante secundũ probabilẽ opinionem: ideo secundum meam, non erit distinctio inter formã & materiam Eucharistiæ: eo quod sola species sint Eucharistia.*

XVII. Sed

XVII. Sed de speciebus sine subiecto disputatio non est huius temporis: hac igitur dilata; dico inepte ipsas species solas poni loco materiæ; & longe ineptius loco formæ. Primum enim in omnibus Sacramentis materia est signum aliquo modo determinatum secundum aliquam similitudinem rei significatæ: ita enim habebat communis consensus libro primo. At species panis nullam habent determinatam similitudinem ad corpus Christi: non magis quam panis ipse, aut etiam in Baptismo aqua ad sanguinem. Itaque præter eas species necesse est dari aliquid, quo determinentur ad Sacramenti naturam. Illud autem necesse est dari ex institutione: à qua nihil haberi potest præter panem & manducationem: vinum & potum. Itaque semper manet argumentum non solutum.

XVIII. Tertium argumentum, ab analogia Sacramentorum omniũ. Nam vt patet ex enumeratione, Sacramenta omnia in ipso vsu fuerunt: vt in Baptismo aqua in lotione tantum. In Pascha, agnus in esu. In sacrificiis, boues in immolatione. In suffitibus, thus in igne. Cur non similiter in Cœna Domini panis & vinum in esu & potu, iuxta proprietatem nominis, vt in reliquis?

XIX. Negant consequentiam: & obtendunt comparari dissimilia. Aquam non esse Baptismum, sed lotionem in aqua: & hanc esse actionem; illam vero rem consistentem. Ast Eucharistiæ Sacramentum, duabus rebus constare secundum suam substantiam, teste Irenæo: altera cœlesti, nempe corpore Christi, altera terrena, nempe pane & vino. Neutram esse actionem, seu vsum. Itaque Sacramentum Eucharistiæ non esse actionem aliquam, neque in actione, aut vsu aliquo, secundum suam naturam & definitionem consistere.

XX. Atqui hæc fuere plenius disputata paulo ante contra Bellarminũ: vt nunc sufficiat perstringere. Vere aquam esse Sacramentum Baptismi: non absolute & quouis modo, sed in ablutione. Vere itidem panem & vinũ esse Eucharistiam, sed in esu potu. Itaque hæc Sacramenta hactenus esse paria, quatenus ad hoc argumentum pertinent.

XXI. Nec verum magis Eucharistiam duabus rebus constare secundum essentiam suam, quam Baptismum. Quia verum, rem cœlestem eandem spiritualem esse: item terrenam & corporalem. At hanc vtramque in Baptismo esse; præterquam concedere debeant quicunque proprie de Baptismo dictum pertendunt, regenitum esse Spiritu & aqua: etiam Patres diserte docent. Nazianzenus orat. 40. διπλῆ ἡ κάθαρσις, δι᾽ ὕδατός τε, φημὶ, καὶ πνεύματος, *Gemina purgatio est, per aquam scilicet, & Spiritum.*

XXII. Et sane ita est necesse; quandoquidem positum ab initio, Sacramenta omnia propriæ huius & strictæ definitionis esse non posse absque signo & re significata: illo terreno corporeoque elemento, ista gratia Dei; quæ ipsa ne concipi quidem queat nisi cœlestis. Vnde definitio apud Papistas, Sacrum signum gratiam conferens. Quod si signum & gratia pertineant ad definitionem; quis negare potest, vtrumque esse essentiale? siue vt Rauestein loquitur, vtroque Sacramentum constare secundum suam substantiam.

XXIII. Nam quod addit, in Eucharistia neutram illam partem esse actionem, nullius est momenti. Nam ne in Baptismo quidem aqua, & gratia sunt actiones, saltem humanæ, quomodo nunc actionem nominamus. Nam alioquin certum gratiam saltem esse actionem, sed diuinam: cum fiat à Deo: quod itidem est in Eucharistia; in qua corpus dicitur, pro communione corporis, teste Paulo: quæ communio fit itidem in nobis à Deo. Sed nihil ad rem. Nam quomodo cum aquam dicimus, & remissionem, necessario intelligitur aqua cum suo vsu, vnde fit vt aqua sit Sacramentum; id est, lotione, per quam determinatur: sic in Cœna, panem haud aliter concipiendum est, quam in vsu suo: qui non minus transit quam lotio. Quare omnino paria sunt Baptismus & Eucharistia. Firmum igitur argumentum.

XXIV. Quarto, sic argumentor. Vbi nulla manducatio, ibi nullum Sacramentum Eucharistiæ. Ast vbi reseruatio est, ibi nulla manducatio. Ergo vbi reseruatio, ibidem nullum Sacramentum Eucharistiæ. Minor patet ex statu huius quæstionis; quia opponuntur manducatio & reseruatio. Maior probatur. Vbi nulla analogia est Eucharistia; ibidem nullum Eucharistiæ Sacramentum: Ast vbi nulla manducatio; ibidem nulla analogia Eucharistica: Ergo ibidem nullum est Eucharistiæ Sacramentum. Maior patet ex libro primo; & Augustini testimonio, pronuntiantis absque similitudine signi ad rem significatam nullum esse Sacramentum.

XXV. Superest minor, ne ipsa quidem difficilis probatu. Quia constat analogiam signorum Eucharisticorum ad corpus & sanguinem Domini, consistere in ratione alimenti, & nutritionis: quæ ratio nulla est absque manducatione & potu. Vtrumque patet, cum è Scriptura; tum ex Patribus. Nam Ioannis 6. perpetua allegoria est manducationis Christi. Nam cum præmisisset Christus, *Ego sum panis ille vitæ:* subiecit, *Hic est panis ille qui è cœlo descendit, vt qui ex eo vescitur, non moriatur. Ego sum panis viuificus qui è cœlo descendi: si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Et post, *Amen, amen dico vobis, nisi edideritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam & ego excitabo illum i[n] vltimo illo die. Caro enim mea vere est cib[us], & sanguis meus vere est potus.* Inde ergo manifesta similitudo panis & corporis, vini & sanguinis, quia vtrumq; cibus, vtrumque potus.

XXVI. Consentiunt Veteres. Cyprianus ille quisquis est autor sermonis de Cœna Domini, *Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus: ideoque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adiuta infirmitas, sensibili argumento edocta est visibilibus Sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quam spirituali transitione Christo vniri. Ipse enim & panis, & caro, & sanguis, idem cibus & substantia, & vita factus est Ecclesiæ suæ, quam corpus suum appellat.* Paulo post, *Sicut panis cõmunis, quem quotidie edimus, vita est corporis: ita panis iste super substantialis vita est animæ & sanitas mentis.* Iterũ, *Potus & esus ad eandẽ pertinent rationem, quibus sicut corporea nutritur substantia & viuit, & incolumis perseuerat: ita vita spiritus hoc proprio alimento nutritur.*

XXXII. Ab eo fonte sunt ista; apud Gratianum de Consecratione distinct. 2. ex sententiis Prosperi, *Cum frangitur hostia dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Domini corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur?* Et alio Canone ex Augustino, *Quia morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.* Nam hæ phrases per significationem designant illam quam diximus analogiam. Cum ergo constet significari in edendo & potando; manifestum fit eam analogiam esse in edendo & potando, ac proinde non posse esse in asserendo.

XXVIII. Eodem illud pertinet ex Canone, *Vtrum sub figura. Nihil rationabilius, vt quia nos iam similitudinem mortis eius in Baptismo accepimus: similitudinem quoque carnis & sanguinis sumamus.* Canone, *Panis est. Sed forte dicis, speciem sanguinis, non video. Sed habet similitudinem, sicut enim mortis similitudinem sumpsisti: ita etiam sanguinis similitudinem bibis.* Vbi notandum; & similitudinem sanguinis sumi, & sumi in Eucharistia, vt in Baptismo. Nam similitudo mortis in Baptismo non est alia, præter eam quam dicimus analogiam; quia in mergendo significatur mors. Quare etiam in bibendo significatur sanguis. Et sicut mortis analogia est in lotione; sic sanguinis analogiam oportet esse in bibendo.

XXIX. Quinto, profero consensum Veterum gemino capite; de Sacramento; de Sacramenti reliquiis. De priori Cyrillus (nisi sit Origines) libr. 5. in Leuiticum, *Dominus de pane, quem discipulis dabat, dicebat eis, Accipite & manducate: non distulit, nec reseruari iussit in crastinum.* Cyprianus de Cœna Domini, Panis iste *recipitur, non includitur;* nempe contra quam olim panis propositionis, qui includebantur intra arcam fœderis. Clemens, quisquis fuit, 2. Epistola ad Iacobum, *Certe tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant.* Primi Concilij Toletani canon 14. *Si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit* (forte consumpserit) *velut sacrilegus propellatur.* Cæsaraugustani tertius, *Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum.*

XXX. Quinetiam Humbertus contra Pectoratum disputat in hunc modum aduersus præsanctificata Græcorum, id est, elementa post consecrationem reseruata in paucos dies: & pugnans pro Latinorum vsu, *Quotidie, siue tertia, siue nona, siue quacunque hora fiat à nobis Missa, non fit nisi perfecta: nec reseruatur ex oblatione eius pars aliqua, vt per dies quinque agatur inde Missa imperfecta, quia nec Sancti Apostoli leguntur quicquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio sub ipsa Cœna distributo reseruasse: nec Actus eorum indicant eos aliquando tale quid egisse, aut præcepisse. Quinimo, sicut Lucas narrat. Erant fideles perseuerantes in doctrina Apostolorum, & cõmunicatione fractionis panis. Quæ communicatio qualiter & quibus diebus fieret, post pauca demonstrat, dicens, Quotidie perseuerantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem sumebant. Ecce verax Euangelista testatur sub Apostolis fideles quotidie orasse & panem fregisse. Et vos, qui estis, qui dicitis duobus tantum diebus hebdomadis Missam perfectam fieri debere, reliquis vero quinque imperfectam. Nempe hic in paucis fractione & communicatione, non nisi perfectam actionem Missæ debemus accipere: quemadmodum & ipsum Dominum legimus, non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, in pane à se benedicto, & mox fracto, atque distributo. Non enim benedixit tantum, & seruauit frangendum in crastinum: nec fregit tantum & reposuit, sed fractum statim distribuit. Vnde B. Alexander Martyr & Papa quintus ab Apostolo Petro, passionem Domini inserens Canoni Missæ, non ait, hoc quotiescunque feceritis, sed hæc quotiescunque feceritis, id est, benedixeritis, fregeritis, & distribueritis, in mei memoriam facietis: Quia quodlibet horum trium si sine reliquis fiat, scilicet benedictio sine distributione, aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam Christi memoriam non repræsentant, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione.*

XXXI. Hæc de Sacramento. Reliquiarum vero non vna fuit obseruatio. Reseruari prohibuit Clemens ille, iussitque consumi, *Tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant, quod si remanserint, in crastinum non seruentur, sed cum timore & tremore, clericorum diligentia consumantur.* Dilucide admodum: sed inuenio tamen consumendi triplicem rationem.

XXXII. Primum enim Hieronymus, siue quisquis autor Commentariorum in Epistolas Pauli, qui inter opera Hieronymi. Ille igitur in 11. prior. ad Corinth. *Hoc ideo dicit,* inquit, *quia in Ecclesia conuenientes, oblationes suas separatim offerebant & post communionem, quæcunque eis sacrificiis superfuissent, illi in Ecclesia communem cœnam comedentes pariter consumebant.* Hic ergo ijdem qui obtulerant, consumebant, vnde statim post, *Quicunque non obtulisset, non communicabat: quia omnia soli qui obtulerant, insumebant.*

XXXIII. Alias tradebantur reliquiæ pueris. In Matisconensi Concilio secundo Canon 6. *Quæcunque reliquiæ sacrificiorum post peractam Missam in sacrario supersederint quarta vel sexta feria, innocentes ab illo cuius interest, ac Ecclesiam adducantur, & indicto eis ieiunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant.* Euagrius lib. 4. cap. 35. *Vetus fuit consuetudo Constantinopoli,* ὅταν πολύ τι χρῆμα τῶν ἁγίων μερίδων τοῦ ἀχράντου σώματος Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐναπομείνοι, *Vt si quando multæ admodum particulæ puri & immaculati corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes* παῖδας ἀφθόρους. *qui scholas frequentabant, accerserentur, easque manducarent.* Nicephorus plenius lib. 17. cap. 28. *Consuetudo à multo tempore imperanti vrbi fuit, vt cum plusculum de partibus immaculati diuinique corporis Domini & Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi reliquum esset, Sacerdotes pueros incorruptos, ex eis qui præceptores in ludum literarum eunt, accerserent, qui ieiuni reliquias eas ederent. Quod quidem mihi quoque sæpenumero, quum puer admodum essem, & maxime à prima ætate in sacris ædibus versari studio haberem, contigit.*

XXXIV. Denique comburebantur. Docet Hesychius lib. 2. in Leuiticum, *Sed hoc, quod reliquum est de carnibus, & panibus, in igne incendi præcepit. Quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi, quæcunque remanere contigerit inconsumpta.*

XXXV. His obseruatis omnibus manifesta res est. Nam reliquiarum distinctio longe aliter sonat, quam Papistæ accipiant: hi enim existimant reliquias panis & vini iam consecrati; & iam mutati in corpus & sanguinem

guinem. Cum tameh nihil aliud sit præter reliquias donorum oblatorum à plebe ante consecrationem: quæ scilicet supererent post inde detracta holocausta, vt Clemens ille loquebatur, quanta poterant sufficere populo, vt communicaret. Hæ reliquiæ sic iubebantur, sic solebant varie consumi: sed ipsa holocausta, neque reseruabantur, neque sic consumebantur, sed in ipsa sancta communione.

XXXVI. Vnum durius culum: quod ex reliquiæ dicantur fragmentorum corporis Domini. Verum non est quod quenquam moueat. Nam manifestum, eundem panem appellatum. In Petri liturgia, τὰ ἅγια: in Chrysostomi θεῖα δῶρα. Apud Areopagitam, τὸ ἱερὸν ἄρτον, καὶ τὸ τῆς εὐλογίας ποτήριον: etiam si nulla præcessisset consecratio. Cur non etiam corpus Christi. Non enim aut aliter panis sanctus, quam quia corpus Christi: aut aliter corpus Christi, quam quia sacratus.

XXXVII. Bellarminus exceptiunculas colligit in singula hæc testimonia. Cyrillum siue Origenem; vere dixisse, Dominum non iussisse Eucharistiam seruari: Verum, multa Dominum per se non iussa, per Apostolos postea iussisse etiam circa Sacramentum hoc, teste Augustino Epistola 118. Origenem porro non hoc agere, vt probet non posse reseruari: sed inde concludere Deo placere sacrificium laudis recens.

XXXVIII. Atqui primum, vtrumque Origeni dictum; & non iussisse seruari, & iussisse manducari. Verba diserta, *Dicebat, accipite, manducate, non distulit, nec reseruari iussit.* Vbi nemo non videt comparari tanquam opposita membra, differre & manducare. Valeret forte prior exceptio; si tantum esset mere negatiua. Quanquam in hoc genere rerum, quæ nihil sunt, nisi ex institutione validissimam esse oporteat argumentationem negatiuam, si sumatur inde. Itaque crebra apud Veteres. Apud Gratianum distinctione secunda de Consecratione; ex Concilio Carthaginense tertio, *In Sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam quod ipse Dominus tradidit.* Item Canone *Cum omne*, ex Iulio Papa, *Cum enim magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, nulli lac, sed panem tantum & calicem sub hoc Sacramento cognoscimus dedisse. Legitur enim in Euangelica veritate. Accepit Iesus panem & calicem & benedicens dedit discipulis suis. Cesset ergo lac in sacrificando offerri quia manifestum est, & euidens exemplum veritatis Euangelicæ illuxit, quod præter panem & vinum aliud offerri non licet.* Manifestum exemplum. Christus nihil accepit & dedit præter panem & vinum: Ergo nihil aliud licet offerre. Cur non similiter; Christus non iussit reseruari; ergo non est reseruandum?

XXXIX. Veruntamen, vt dicebam, non sic Origenes: imo plenius; non tantum non iussit reseruari; sed etiam iussit accipi & manducari. Itaque plena demonstratio est. quoniam manifesta contradictio est, cum impeditur præcepti exsequutio: ac proinde violatio inducitur: quod indignum est Ecclesia: imo non tolerandum. Optime enim Ambrosius in vndecimo prioris ad Corinth. *Indignum dicit esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est. Non enim potest deuotus esse, qui aliter præsumit, quam datum est ab autore.*

XL. Sed multa per Apostolos tradidit, non per se. Forte, inquam etsi hoc axiomate subinde mirum quam impudenter abutantur Papistæ. Sed esto nunc tamen. Tradidit etiam in hoc Sacramento. Non est certum, inquam. Nam neque Augustinus significauit illa in Epistola. Verum & hoc nunc permittatur. At certe hunc morem reseruandæ Eucharistiæ non tradidit per Apostolos. Testis Humbertus; cuius hæc verba iam sunt recitata, *Nec Sancti Apostoli leguntur quicquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio sub ipsa Cœna distributo reseruasse: nec Actus eorum indicant eos aliquando tale quid egisse, aut præcepisse.* Non neque in prima Cœna, neque deinceps; aut ipsi reseruarunt, aut alios iusserunt reseruare.

XLI. De scopo disputationis Origenicæ non est quod laboremus: quem fatemur alium esse, quam vt disputet contra reseruationem; quam ille nullam audierat. Vnum sufficit, testimonium eius non infirmari, vel à Bellarmino. Itaque confidenter à nobis assumi, pro indubitato: ac proinde recte adhiberi ad impugnandam Papisticam reseruationem, inductam contra institutionem Christi. Quod si peccatum esset; profecto Bellarminus immanis esset in argumentando nugator. Quoties enim ita peccat? Certe Irenæus Epistola illa ad Victorem apud Eusebium; non hoc agit vt disputet de seruanda Eucharistia: sed tantum vt probet pacem fuisse coniunctam cum communione Christiana inter Episcopos Romanos, & Asianos: argumento sumpto à missione Eucharistiæ. Et tamen neglecto illo Irenæi scopo, abutitur Bellarminus ad probandam reseruationem. Nam disputabat Tertullianus de reseruatione; sed de incommodis coniugii contracti cum infideli. In eam rem profert hoc incommodum; quod ignoraturus sit maritus, quid vxor sumeret secreto, ante omnem cibum. Illum scopum neglexit Bellarminus: hoc de secreto cibo arripuit, & torsit ad suum institutum. Plurima sunt similia. Quis ei dedit imperium summum in artem disputandi, vt aliis leges imponat, quas ipse negligat securus?

XLII. Clementem iubentem tanta offerri holocausta, quanta populo sufficiant, respondet Bellarminus intelligendum ita, vt excipiantur eæ partes, quę seruandæ propter communionem infirmorum. Supposita, inquam, Papistica reseruatione, verum: nam ita solent ex suis ritibus metiri, quæcunque legunt, & nisi aliquantum suppuderet, libentes adderent; exceptionem earum partium quæ exemplo Benedicti imponendæ sunt pectori defuncti cadaueris. Et cur non earum, quæ exemplo Satyri, collo suspendendæ ad vitandum naufragium? & fortasse aliarum, nam fertilissimum esse agrum exceptionum nihil prohibet: etiam in altera parte Sacramenti; vt Exuperio liceat deferre in vitro. & quibusdam aliis aliter. Verum condonanto Papistæ nobis simplicioribus; qui tam nullas panis, quam nullas vini exceptiones admittimus.

XLIII. Hesychium respondet non prohibere asseruationem in vnum, duos, pluresve dies: sed tantum dicere comburi id, quod propter temporis diuturnitatem, vel aliam causam manducatione consumi nequiret, vt cautum in Concilio Aurelianensi apud Iuonem & Burcardum. Item Guitmundum libro secundo, & Algerum libri 2. capite primo, docere tunc solere absumi species igni, quando aliquid acciderit, vnde horror esset.

XLIV. Siccine nihil pudet? Et hoc iampridem multis experimentis probatum, sed ita fit, vt renouatis actibus remouentur motus animi, quomodo cum renouantur dolores; exclamationes etiam repetuntur. Enimvero nunc Bellarmino commodum sua subuenit audacia; abusa codicum infidelitate, in quibus sic locum legimus, quem non ausus Sophista recitare; ne, vel vulgo dolus pateret, *Hoc quod reliquum est de carnibus, & panibus, in igne incendi præcepit. Quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcunque remanere contigerit inconsumpta, non omnino ea quæ vna die vel duabus, aut multis seruata sunt: sicut enim apparet, non hoc legislator præcepit, sed quod reliquum est incendi iubet. Dies autem non commemorauit; vt quæcunque cuiuscunque rei causa emergente remanserint inconsumpta, siue tempus in causa sit, siue quid aliud fuerit, ignis opus, & consumptio fiat.* Descripsi fideliter ex editione Parisiensi anni millesimi quingentesimi octogesimi primi: nam alias nullas vidi. In ea editione perperam continuatur hæc particula, *Nam omnino ea quæ vna die vel duabus*, cum præcedenti: cum tamen periodo debuerit disparari. Noua est enim annotatio pertinens ad legem Mosaicam, quæ iubebat, residuum carnium & panum igne incendi. Facile enim vident cordati primum annotari eam consumptionem imperatam: deinde secundo imperatam absq; vlla limitatione temporis, causæve, sed simpliciter, vnde allegoriæ noua occasio.

XLV. Peccat igitur Bellarminus non simpliciter: Primo, cum persuadet loquentem Hesychium de consumptione reliquiarum Eucharistiæ, distinguere tempora: quod non est ita, cum hoc quicquid sit de tempore, pertineat ad legem Mosaicam. Deinde grauius: nam hic prior error, inconsiderationis fuit, & negligentiæ, sed nunc secundus imprudentis impostura, quia falsum distingui tempora; vt liceat in alteram tertiamve diem seruare, aut etiam plures; donec corrumpentur species. Nam contra illi obseruatum, nullam diem annotatam, vt nulli exceptioni locus daretur, nec quis discere posset permitti vnius saltem aut alterius diei reseruationem. Imo contra omnem omnino tolli. Nam dissertissima sunt postrema verba; vt omnem humanitatis sensum exsuisse Sophistam oportuerit, *Dies autem non commemorauit; vt quæcunque, cuiuscunque rei causa emergente remanserint inconsumpta, siue tempus in causa sit, siue aliud quid fuerit, ignis opus, & consumptio fiat.* Viden'? Audin? Intellextin? An surdo canitur? Cum Iuone, Burcardo, Guitmundo, Algero, agat vt libet: nos postreme cuiusque ætatis testimonia scimus esse deterrima.

XLVI. De pueris consumentibus reliquias, docere eas fuisse superabundantes, quia non debeant nimis multæ particulæ conseruari, nec quotidie factam earum consumptionem; sed tantum feriis quarta, sextaue renouaretur Sacramentum in pyxide.

XLVII. Egregie reliquias superabundantes, quasi vllæ essent consumptæ. Sic nugantur viri apud Papistas magni. De nimis multis reliquiis antea diximus, hîc tantum repetimus, nullas esse debuisse, nullas nominari post consecrationem. De quarta & sexta feria coniectura est, quam alia coniectura facile conuellat: videtur enim iis diebus communio fuisse Constantinopoli, non autem reliquis præter Dominicum. Nam docet Augustinus Epist. 118. variam obseruationem fuisse, & alibi singulis diebus communionem fuisse, alibi tantum Sabbatho, & Dominico: alibi tantum Dominico. Basilius Epistola 289. apud suos, τῇ κυριακῇ, τῇ τετράδι, καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ ἐν τῷ Σαββάτῳ, *Dominico die, quarta feria, in paraseeue & Sabbato.*

XLVIII. Quicquid sit hinc apparet tum temporis in vsu fuisse, vt reliquiæ consumerentur, non adseruarentur. Imo apparet reliquias non fuisse rerum consecratarum; sed, vt dicebam, oblatarum à plebe. Argumento est ætas. Nam cur pueris è ludo datæ? & quidem nullo discrimine Christianis & Iudæis? Nam hæc historia diserte notat interfuisse puerum Iudæorum, & partem sumpsisse cum aliis, quod indignum fuit ea cura, quæ apud omnes Christianos semper fuit diligens; vt ne alienæ religionis viri ad hanc communionem admitterentur. Vnde Iustinus diserte, καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία· ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μεταλαμβάνειν ἐξὸν ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι ἃ διδάσκομεν ὑφ' ἡμῶν, καὶ λελουμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ ὕστις βιώσει ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν, *Alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alij participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lauacro propter remissionem peccatorum & regenerationem ablato, & ita vt Christus tradidit viuenti.*

XLIX. De Humberto respondet; non reprehendisse morem reseruandi Sacramenti, sed Græcos sacrificium Missæ ex præsanctificatis celebrantes. Quia sacrificium vere fieri nequeat, nisi panis consecretur & consumatur.

L. Perfunctiore admodum. Concedo reprehendere Græcos, quos tamen non puduit proferri testes statuminandæ huic asseruationi, vt sibi omnia commodo esse significent, non bona tantum, sed etiam mala. Verum, non reprehendi asseruationem, falso respondit Sophista. Nam primo, hæc ipsa præsanctificata reseruabantur. Secundo, aduersus eum morem vtitur argumento Christi & Apostolorum, qui nihil reseruarant. Tertio, perfectam commemorationem constituit, non simpliciter in pane consecrato, & consumpto, sed in fracto, atque distributo: quo tollitur adseruatio, quæ contraria & fractioni, & maxime distributioni: tum diserte negat æque nullam esse benedictionem sine distributione, ac distributionem sine benedictione.

LI. De Concilio Toletano, & Cæsaraugustano, negat prohibitam asseruationem in Ecclesia: sed iussos fideles communicare in Ecclesia; non secum asportare Sacramentum.

LII. Ita est, inquam. Sed meminisse debent Sophistæ, hanc etiam asportationem prolatam in argumentum ad hanc ipsam controuersiam. Et quidem magno conatu; ex Tertulliano, Cypriano, Dionysio Alexandrino, Tharsicio, Nazianzeno, Ambrosio, aliis, nulli enim omissi fuere. Desinant igitur nunc tandem laudare morem quem agnoscunt prohibitum, & iure merito prohibitum.

CAPVT

Cap. XI.

De fractione panis.

I. NVllus ergo Eucharistiæ legitimus vsus est, non ab institutione. Nunc de eo ipso quem continet institutio disputandum. Etenim Papistæ in omnes partes contumeliosi aduersus Christum, non tantum à seipsis inuexerunt vsus peregrinos; sed illos ipsos, qui fuere præscripti, audacter migrauere.

II. Vsum iam ante monuimus esse communionem, siue sumptionem Eucharistiæ: cuius ritus habemus ab Institutione prima, designatos his verbis, *fregit, dedit discipulis, dicens, Accipite.* In quibus frangere & dare pertinent ad Sacerdotem: Accipere autem ad communicantem. De quibus ordine dicendum.

III. De fractione mirum quanta sit apud Papistas modestia: quia tamen nunquam tam leuiter discedunt à Catholicis, vt velint videri non sine magnis multisque rationibus. Ast ego hanc partem nusquam vidit disputatam: tantum obiter & paucis attentatam ab Hardingo, & quidem coacto solenni prouocatione Iuelli postulantis articul. 11. sibi probari olim *Sacerdotem in tres partes Sacramentum distribuisse, sibique vni totum reseruasse.*

IV. Christus diserte dicitur fregisse panem. Retinuerunt Papistæ: sed tantum in speciem & dicis causa. Solent enim hostiolas minutulas, tamquam folia farfari, consecrare; singulas singulis distribuendas, si opus sit: sed integras; adeo vt hac quidem parte nulla prorsus adhibeatur fractio: sed vnusquisque suum panem auferat communionis gratia. Salmero tractat. 34. tomi 9. *Ecclesia Catholica modo non frangit, sed vnum integrum Christi corpus sub forma parui panis post benedictum etiam calicem cuique distribuit.*

V. Veruntamen sacrificij causa, ex vniuerso numero folium Sacerdos vnum seligit, quod frangat propria arte: nempe primum in duas partes, deinde earum vnam iterum in duas; vt omnino tres fiant. Huius factionis varie varias inquirunt, omnes allegoricas: qui perpetuus mos & Sophistarum. Gratianus de consecratione distinct. 2. caput *Triforme* decerpsisse profiterur ex Sergio Papa: qui, *Triforme, est*, inquit, *corpus Domini. Pars oblata in calicem missa, corpus Christi quod iam resurrexit monstrat. Pars comesta ambulans adhuc super terram. Pars in altari vsque ad missæ finem remanens, corpus in sepulcro: quia vsque ad finem seculi corpora sanctorum in sepulcris erunt.* Quo loco glossa admonet aliquid fuisse mutatum, *Hodie*, inquit, *non seruatur, sed duæ partes siccæ comedentur.* Sed & Stephanus Durandus de Ritibus libri 2. c. 51. *Ritum illum tertiam partem hostiæ reseruandi vsque ad finem Missæ immutauit Ecclesia, propter pericula quæ contingere possent reseruatione illius particulæ, quare partes omnes à Sacerdote sumuntur.*

VI. In allegoria mira varietas, sibi, vt fit, suæque curiositati, quibusque indulgentibus. Innocentius mysteriorum Missæ libri 6. capit. 3. ad membra refert vniuersalis Ecclesiæ: nam, caput ipsum Christum: alterum, quorum corpora in tumultis, animæ cum Christo: tertiam, qui in passionibus adhuc, donec ab hac vita migrantes eant ad caput suum. Bonauentura in 4. distinct. 12. parte 1. artic. 3. *Quia*, inquit, *partes in corpore Christi mystico sunt in triplici differentia. Quidam enim regnant in paradiso, quidam sepulchro, quidam autem pugnant in merito.* Ioannes Fabri Missæ Euangelicæ libri 3. cap 8. designari voluit, omnes qui participes vel fuere vel futuri sunt passionis Domini: primum, qui hi vitam degunt in fide, iustitia & Sacramentorum communione: deinde, qui cum signo fidei decesserint, quiescuntque in somno pacis; nondum tamen purgatis peccatis: denique, qui admissi in hæreditatem cœlestem. Scortia libri 4. de Sacrificio capit. 24. *Significat*, inquit, *hæc diuisio in tres partes, tum diuisionem corporis Christi in passione; (Est enim vulneratus in manibus, pedibus & latere) tum tres in Christo substantias, diuinitatem, animam, & corpus: tum eiusdem triplicem statum, cum aliquando fuerit mortalis, aliquando mortuus, & nunc sit immortalis.* Nec dubito quin supersit adhuc nonnihil somniandum.

VII. Sed allegorias missas faciamus; tam crebras in hoc præsertim Missæ argumento, vt vix vnquam tot fuerint aut syluarum folia, aut pluuiarum guttulæ, aut marium fluctus. De re ad rem quid dicant videamus. Bellarminus libri 1. de Missa capit. 27. *Sexta propositio. Fractio Sacramenti ad essentiam non pertinet, sed solum ad integritatem.* Priorem partem probat insigni argumento, quia si forte dum cum ipso Sacramento signum crucis exprimitur super calicem, hostia cadat in subiectum vinum; tum omittatur fractio. Item altero, quod Dominus non videatur vsus hac ceremonia. Alteram partem probat, ex Liturgiis Græcis Latinisque. At Scortia capit. 24. quarti de Missa, *Huiusmodi partitio non est censenda de substantia sacrificij, sed omnino accidentalis.* Salmero in Acta tractatu decimo quinto, *Atque hic modus*, distribuendi, videlicet panis, in frusta iuxta numerum communicantium, *non differt ab alio. in substantia Sacramenti cum ad materiam formamue eius hæc fractio non spectet.*

VIII. Sic Papistæ. Catholici vero illam fractionem tripartitam, negant non tantum esse de essentia, sed etiam in integritate vllum habere locum, & accedunt ad Scortiam, esse omnino accidentalem: scilicet, quomodo corpori humano accidentale est carcinoma: Religioni idololatria. Denique quomodo olim dictum τῷ ἀληθεῖ προσφύεσθαι τὸ ψεῦδος, *vero adnasci falsum.* Sin dubio laruam esse, aptam illudendæ plebi; vt non fractio retineretur, sed spectrum fractionis, cum communio cœpit contemptui esse.

IX. Itaque tam nouellæ inuentionis, vt quod antiquissimum repeti potuit testimonium fuerit ab Sergio Papa, cuius sedes pertinet ad annum sexcentesimum octuagesimum septimum, si tamen primus fuerit eius nominis, quod nondum constat. Fides autem testimonij tanta, quanta esse potuit Gratiani collectoris, cui frequens peccatum autorum nomina aut confundere, aut permutare. Nam quod Hardingus ex Amphilochio recitat Basilium, Sacramentum in tres partes distribuisse, satis refellitur ipso Amphilochij nomine, de quo alias dictum: imo etiam ex Liturgia Basilij: nam Scortia probauit esse accidentalem, *quia non fit in omnibus liturgiis; verbi gratia, in Liturgia Basilij.*

X. Omissa igitur hac comica fractione, fractionem Catholici dicunt illam Dominicam, quæ tot panes, quot sufficiant plebi ad communionem singulos in varias dirimit particulas distribuendas in multos. Nam teste Iustiniano in 11. prioris ad Corinthios, *Christus duodecim ex pane fecit partes, & singulis singulas dedit.* Quæ verba sunt itidem Maldonati in 26. Matthæi. Iansenius Concordiæ capite centesimo tricesimo primo, *Fregisse panem dicitur, vt scilicet ex vno pane omnes partem acciperent, sicut omnes ex eodem bibituri erant calice.* Salmero tractatu duodecimo tomi noni, *Fregit, nimirum panem benedictum in tot particulas, quot erant Apostoli manducaturi, præter suam, quam* CHRISTVS *primus accepit.*

XI. Huic fractioni gemina causa. Vna mystica. Prior, *vt eo modo*, inquit Hardingus; *Christi passio nostris memoriis repræsentetur, in qua eius pretiosum corpus in crucem suffixum propter peccata nostra frangebatur, dirumpebatur, lacerabatur.* Thomas 3. quæst. 83. quæst. 5. ad 7. *Fractio hostiæ significat ipsam diuisionem corporis, quæ facta est in passione.* In Sententiis Prosperi apud Gratianum de Consecratione distinct. 2 cap. 36. *Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid quam Dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur?*

XII. Altera causa Communio, nempe finalis: frangebatur enim panis, vt in multos sufficeret. Thuanus in Explicatione Missæ; capit. de fractione Hostiæ, *Vsus erat eius frequens in primitiua Ecclesia pro communione fidelium affluentium.* Et non potuit Paulus alia mente dicere panem quem frangimus esse κοινωνίαν communionem corporis Christi. Idipsum etiam habeant in animo, qui Paulo ante dixere, tot particulas fuisse factas à CHRISTO, quot essent Apostoli. Et Cyrillus 4. in Iohannem decimo quarto, *Credentibus discipulis fragmenta panis dedit.*

III. Hoc igitur sensu, eoque descriptam modo fractionem Catholici dicimus omnes non esse accidentalem Sacramento Eucharistiæ, siue malint sacrificio; sed esse ex institutione, ac proinde haud aliter necessariam, quam acceptionem in manus, quam traditionem, quam Communionem. Etsi nolimus enim tam seuere de ea contendere, vt nulla societas retineri possit cum iis, qui omittunt, tamen defectum rei non exiguæ, dissimulandum non putamus: imo nec tolandum, si tolli queat.

XIV. Enimvero tam diserta fractio est in institutione, quam quicquam aliud: & tam curiose repetita ab omnibus, quibus recitata institutio est: Euangelistis, inquam, Paulo, Liturgiis cunctis. Repetamus ergo illud Ambrosij, *Indignum esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est.* Non enim video quid necessitatis retineri queat in vlla alia parte, si hic negetur esse aliqua. Vt non sit mirum apud eos fuisse violatas cæteras partes, apud quos ista non mansit integra. Nam apud Papistas, sicut in locum fractionis, successit scenica illa triformitas, vt ita dicam post Sergium, sic in locum Communionis inducta est imaginaria panis cuiusdam benedicti distributio: quemadmodum & vino substituta lotio dentium, vt nec haberet plebs, quod habere debuit, & tamen crederet habere. οὕτως ἐστὶ οὐδεὶς ὅντιν᾽ οὐ πεφενακίκασιν ἐκεῖνοι τῶν αὐτοῖς χρησαμένων: vt verbis vtar Demosthenis: Nemo iis est vsus, qui non sit lepide ludificatus.

XV. Nec institutio duntaxat ita constituit initia, sed etiam progressus obseruauit. Nam in Actibus cap. 2. habes, προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων, καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, καὶ προσευχαῖς, *perseuerantes* discipulos *in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus.* Vbi Syrus Eucharistiæ nomen דארסטי'א ובקציא *Et in fractione Eucharistiæ.* Lorinus autem notauit, *Indicat fractionis nomen consuetudinem antiquam partiendi Sacramentum pro adstantibus, siue manu, siue potius cultro.* Salmero, *Superest vt per fractionem panis intelligamus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, sic vocatum primo, propter ritum & morem primitiuæ Ecclesiæ, quæ panem vnum solita erat conficere, atque illum consecratum in tot partes frangere, quot erant communicantes, sicut & Christus in Cœna fecit, frangens panem in duodecim particulas, præter eam quam sibi seruabit.* Similis locus cap. 20. *Coactis discipulis ad frangendum panem.* Vbi rursus Syra editio habet Eucharistiam, nec aliter intellexerunt Bellarminus, de Missa libri 2. cap. 14. & 3. de cultu Sanctorum 11. Bozius de Signis lib. 13. c. 3.

XVI Idem constat ex Paulo prioris ad Corinthios 11. *Panis quem frangimus.* Significat enim id moris fuisse inter Christianos solennis. Iustinianus, *Olim, quod etiam nunc Græci vsurpant, ex vno eodemque pane consecrato delibatæ particulæ singulis tribuebantur, vt melius vnio, & coniunctio cum Christo, atque apertius significaretur.*

XVII. Apostolus sequuta est Ecclesia. Quis enim neget? Sic & aduersarij conscij. Thuanus paulo ante dixit, eius vsum fuisse frequentem in Ecclesia primitiua communionis ergo. Emanuel Sa in Matthæi 26. *Fregit. Sic, alim vnus panis consecratus fidelibus distribuebatur.* Humbertus contra Pectoratum, *Neque enim ipse Dominus panem in calice vini intriuit, & sic Apostolus dedit dicens, accipite, & cum cochleari comedite, Hoc est enim corpus meum. Sed sicut Sancta Romana Ecclesia vsque nunc obseruat, panem integrum benedixit, & fractum singulis particulatim distribuit.* Paulo post, *Luce clarius intelligi datur eundem ritum diuini Sacrificij Sanctam Hierosolymitanam Ecclesiam obseruasse antiquitus, quem Sacrosancta Romana Ecclesia obseruare non cessat hactenus. Siquidem tenues oblatas ex simila præparatas integras, & sanas sacris altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamus.* Iustinianus in 10 prior. ad Corinth. (*quod etiam nunc Græci vsurpant*) *ex vno eodemque pane consecrato delibatæ particulæ singulis tribuebantur.* Guilhelmus Durandus Mimatensis Rationalis 4. capit. 53. *Offerebant magnum panem, & omnibus sufficientem quod adhuc Græci seruare dicuntur.* Salmero tract. decimo quinto in Acta, *Quem etiam sequuntur Græci & Aethiopes.*

XVIII. Et cur dissimulassent? Sunt enim plura, disertioraque, & locupletiora Veterum testimonia, quam vt ignorari, aut celari queant: Clemens ille quisquis fuit Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 3. Τὸν ἐγκεκαλυμμένον, καὶ ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψας, καὶ εἰς πολλὰ διελὼν, καὶ τὸ ἑνιαῖον τοῦ ποτηρίου πᾶσι καταμερίσας συμβολικῶς τὴν ἑνότητα πληθύνει, *Dum opertum panem ac non diuisum detegit frangitque in multa, vnicumque poculum omnibus distribuit symbolice vnitatem multiplicat.* Bene: nam prius dictum erat. ἡ δὲ θεοειδὴς τοῦ ἑνὸς καὶ ταὐτοῦ καὶ ἄρτου καὶ ποτηρίου κοινὴ καὶ εἰρηναία μετάδοσις, ὁμοτροπίαν αὐτοῖς ἔνθεον ὡς ὁμοτρόφοις νομοθετεῖ, *Diuinissima illa vnius eiusdemque panis ac populi, communisq; & pacifica distributio concordiam iis diuinam tanquam simul educatis lege sancit.* Ad priorem locum annotauit Pachymeres, ταῦτα διὰ τῶν τελουμένων ὁ ἱεράρχης ἐμφαίνει, ἀνακαλύπτων, καὶ διαιρῶν, καὶ τῆς κοινωνίας μεταδιδοὺς, *Ea Pontifex demonstrat per ea quæ geruntur, aperiens, & diuidens, & communionem distribuens.* Cæterum illa, εἰς πολλὰ διελὼν, nescio quis reddiderat *in frustra concidens*. Inde audacia abutendi hoc loco ad triformem illam fractionem confirmandam. Hardingus, *Hæc consuetudo Apostolorum tempore fuit in Sacrificio obseruata, quemadmodum Dionysius Pauli discipulus testatum reliquit. Opertum*, inquit, *panem Pontifex aperit in frustra concidens.* Quanquam fateor ambiguum esse vtrum retulerit ad fractionem simpliciter; an peculiariter ad triformem. Sed Stephanus Durantus nihil reliquit ambigui cap, quinquagesimo primo secundi de ritibus, *Porro obiter obseruandum est, hanc fractionem* (de triformi agit) *non fuisse institutum à Sergio, vt Albertus Magnus credidit. Longe enim ante Sergium, hæc hostiæ partitio instituta fuerat, vt ex Dionysio docui.* Sed manifestum est Græce aliter sonare. Itaque Perionius vertit, *Pane enim, qui opertus erat & integer, aperto, atq; in multas partes fracto, & vnico calice diuiso inter omnes: quod vnum est signum multiplicat.*

XIX. Ignatius ad Philadelphenses, παρακαλῶ ὑμᾶς μιᾷ πίστει, καὶ ἑνὶ κηρύγματι καὶ μιᾷ εὐχαριστίᾳ χρῆσθαι. Μία γάρ ἐστιν ἡ σὰρξ τοῦ κυρίου ἰησοῦ, καὶ ἓν αὐτοῦ τὸ αἷμα τὸ ἐκχυθὲν ὑπὲρ ἡμῶν. εἷς γὰρ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη, *Obsecro vos vt vna fide, vna prædicatione, vna Eucharistia vtamini. Vna enim est caro Domini nostri Iesu Christi, & vnus illius sanguis, qui pro vobis effusus est. Vnus enim panis omnibus fractus est, vnumq; poculum omnibus distributum.* Clemens Alexandrinus Stromat. 1. τὴν εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὸν δὴ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσιν, *Eucharistiam cum quidam* (non totus populus, sed quidam ad id nominatim delecti: videlicet Presbyteri: sic enim intelligendum) *vt mos est, diuiserint, permittunt vnicuiq; ex populo eius partem sumere.* Annotatio Herueti, *Diuisa Eucharistia ab iis quorum est munus eam frangere, ij permittunt cuilibet ex populo eius partem sumere.*

XX. Chrysostomus in priorem ad Corinthios homilia 24. ὅπερ οὐκ ἔπαθεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, τοῦτο πάσχει ἐπὶ τῆς προσφορᾶς διὰ σὲ καὶ ἀνέχεται διακλώμενος, ἵνα πάντας ἐμπλήσῃ. *Quod non est passus in cruce, hoc in oblatione patitur propter te: & patitur frangi, vt omnes impleat.* Cyprianus de Cœna Domini, *Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus & partimur.* Augustinus Epistola quinquagesima nona, *Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia; vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici, orationes cum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur.* Basilius Epist ad Cæsariam. ταυτὴν τοίνυν ἐστὶ τῇ δυνάμει, εἴτε μίαν μερίδα δέξεταί τις παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ, *Perinde est, quantum ad efficaciam, siue quis partem excipiat à Sacerdote, siue plures simul.*

XXI. Nec vero alia mente dictum in sententiis Prosperi, *Cum frangitur hostia*, apparet ex altero membro, *dum sanguis de calice in ora fidelium funditur.* Nam ex isto manifestum est communionem designari, cum adstantium quisque poculo communicaret, quare in priore similiter oportet non gesticulationem illam indicatam triformem; sed hanc nostram fractionem, quæ fit communionis ergo. Cum autem *frangitur* dixit, & *funditur*, quis non percipit eius temporis consuetudinem describi? Et erat tamen Augustinus in Ecclesia Latina.

XXII. Habemus ergo, cum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ consuetudinem eiusmodi, cuiusmodi fuit institutio prima; vt frangeretur panis in Eucharistia consecratus, vt distribueretur populo. Addidit Salmero Æthiopes. Quid ergo veremur Catholicum morem appellare? Et cur non huius moris restitutione tandem beatos? Restituimus enim in omnibus Ecclesiis nostris, vt in iis videre sit expressam primæuæ simplicitatis imaginem.

XXIII. Tamen, *Latini bona ratione ducti aliter faciunt*, inquit Salmero eodem illo tractatu 15. in Acta. Differ rationem, siue bonam, siue malam, illud aliter quid sit vide. Aliter, tolero, si simpliciter significet discrimen Græcorum & Latinorum; quicunque sunt hodie, fuerunt etiam à paucis seculis. Neque enim iustum præiudicari ab vnis aduersum alios. Sed non ita est: Imo aliter quam Christus vsurparit, quam Apostoli tenuerint, quam factitarint olim Catholici Græci; Catholici Latini. O scelus! Quid est igitur apud te antiquitas? quodnam ius illius? quæ prorogatiua? Aut quid eam tanto cum libet supercilio nobis obiicis, etsi re vera non obiicis, sed videri vis obiicere?

XXIV. Sed bona ratione. Quid ergo? nonne bona ratione Christus, bona Apostoli, bona Catholici Latini olim? Cur mutatum? Cur ab iis discessum? Imo si bona mens fuisset, oportuit quod primum retentum, aut si mutatum; certe meliore ratione oportuit. Addes ergo, ô tu quisquis es Papista; & audacter loquere. Estne ita; bona quidem ratione à Christo, ab Apostolis, à primis Catholicis vsurpatam fractionem illam; meliore autem à vobis sublatam? Hoc enim exspectamus. Hoc, inquam, exspectant cuncti vestræ sanctitatis, vestræ Catholicitatis operæpretium: vt non iam cornicum, quod prouerbio, fertur; sed Apostolorum, sed Christi ipsius configatis oculos. At vos vt voletis sapite: Catholicis omnibus longe præstantius errare cum Apostolis, insanire cum Christo, si errarunt Apostoli; si insanit Christus.

XXV. Sed bona saltem ratione. Qua ergo? Lego: & describo, *Ne in fractione periculū accidat, & aliquæ micæ vel particulæ panis sacri pereant.* Tum, *Possunt Romani Pontifices variare pro loco & tempore, in his quæ ad ornamenta, & accidentia spectant.*

XXVI. Vah! quanti est sapere! Et quanto sunt astutiores Papistæ quam Christus! Nam cur Apostolos nominem, aut Apostolicos? Christus, *quemadmodum vnum calicem communem omnibus tradidit ad bibendum* (describo ex Salmeronis tract. 12. tomi 9.) *ita in vna patina panem in duodecim buccellas fractum manibus suis dispensauit.* Placuitne? Imo, *Nos vero*, inquit, *corpus Christi de custodia profundiori porrigimus.* Papæ! de custodia profundiori non in patina! Sed cur, *Ne per suspiria, aut auram, aut alia impedimenta communicantium contingat de patina excidere.* En tibi tam supinum Christum vt non cogitaret posse corpusculum suum cuilibet non Boreæ, ant Coro; sed leuissimo suspiriolo obnoxium. Rursum iussit omnes sumere vinum consecratum: nec cogitauit aut guttas in terram casuras, aut singulas singulis pilis barbæ adhæsuras; ac proinde non sanguinem modo, sed & per concomitantiam totum corpus à pilo pensurum. At Papistæ immanis cuiusdam sapientiæ proscripto, & hoc timuerunt; & resciderunt calicis communionem. Tertio, Consecratoria verba Christus elata voce protulit, nec præuidit fore vt vilescerent, at isti superbissima prudentia elati, halare maluerunt. Cautio. Ne vilescerent, quæ Christo nunquam venerat in mentem. Nunc quarto, fregit panem. O quid agis Christe! Non vides micas (si non tibi, qui miraculo doctus secare; at post te Apostolis, Apostolicisve) id est totidem tua corpora abitura in solum? At viderunt aquilæ nostræ; quas ne musca quidem fallat, itaque longe consultius fractionem inhibuerunt. Te, Christe, oportuit horum aduentum præstari, neque iis inconsultis de Sacramento instituendo cogitare. Nam quot putas corpora tua perisse, siue suspiriolo ablata, siue in terram decidua, dum nascituros Papistas expectaret Ecclesia tua?

XXVII. Potuit mutare Romanus Pontifex. Credo. Is scilicet, qui tantæ sibi conscius astutiæ, in tantum se euexit autoritatis culmen, vt iam nisi sit propitius Christo, Christus nullus sit in Ecclesia, vix in cœlo etiam securus. Sic extollitur aduersus omne numen, cum omni deceptione iniustitiæ inter pereuntes. Sed enim potest, inquit, variare ornamenta & accidentia. At nobis nondum probauit quisquam, hanc fractionem esse nihil nisi ornamentum, & quidem accidentarium. Nos dicimus in iis rebus, quæ nihil sunt nisi ex institutione; nihil esse accidens, quod quidem fit ex institutione. Tum vero tu ipse paucis interiectis, *Fractio panis vocatur*, ais, *quia præcipuus eius fructus consistit in sumptione, & vsu Eucharistiæ.* Et quomodo, inquam, fractio non nisi ornamentum, non nisi accidens, si repetita à præcipuo fructu?

CAP. XII.

De Missis priuatis status quæstionis.

I. FRegit, vt daret. Dedit iubens accipere & manducare. Hinc nouæ quæstiones pertinentes ad distributionem. Vtrum legitima sit Eucharistia sine distributione. Deinde, quomodo, denique quid distribuendum.

II. De primo disputarunt Albertus Pighius Controuers. 6. Martinus Peresius de Traditionibus 3. part. Consideratione cap. 5. *An necessaria sit adstantibus communio cum Eucharistia consecratur.* Iodocus Rauestein Tiletanus defensionis Tridentinæ parte 2. ad capit. 6. sessionis 22. Claudius Espensæus libello de Missa publica & priuata. Dedelus Antithetis Eucharistiæ Discursu 28. Hardingus contra Iuelli articul. 1. Bellarminus libri 2. de Missa capit. 9. Salmero tomi 9. tractat. 33. Cotonus Institutionis libri 3. capit. 55. Stephanus Moquotus Censuræ tomo 2. tractatus 5. capit. 31.

III. Nostri: Iuellus contra Hardingum artic. 1. Chemnitius Examinis Tridentini parte 2. capit. de Missis priuatis. Hospinianus Historiæ Sacramentariæ libri 2. cap. 1. & libri 4. cap. 2. extremo. Petrus Valadanus Apologiæ contra Episcopum Lussonensem cap. 28. Sutliuius de Missa Papistica libri 4 capp. primis septem. Marcus Antonius de Dominis de Rep. Ecclesiastica lib. 5. c. 6 §. 245.

IV. In Eucharistiæ cebratione duo sunt personarum genera. Hinc Sacerdos conficiens; inde ij qui in Canone Romano dicuntur, *Circunadstantes*, qui videlicet conficienti adsunt; non tamen ipsi conficientes, etsi compositi haud raro ex Clericis & Laicis: imo in Clericis, etiam Sacerdotibus: nam etsi horum sit munus conficere, tamen non est necesse coficere semper, quod ipsi Papistæ non eunt inficias. Quæritur ergo quæ ratio sit communionis, posita hac personarum distinctione.

V. Et primo, Sacerdotem debere ipsum communicare sanctificatis; nemo est qui nunc neget. Imo est apud Gratianum de Consecratione distinct. 2. Canon ex Toletano Concilio 12. *Relatum est nobis quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in vno die videntur offerre, si vno die plurima Dei offerunt sacrificia, omnibus se oblationibus à communione suspendunt: & in sola tantum extrema sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumunt, quasi non sit illis toties vero & singulari sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis Domini nostri* IESV CHRISTI *immolatio facta constiterit: nam ecce Apostolus dicit, Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris; Certum est, quod hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti. Quicunque ergo Sacerdotum deinceps diuino altario Sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter priuauit, gratia communionis, anno vno repulsum se nouerit. Nam quale erit Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Ergo modis omnibus tenendum est, vt quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altario immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi participem se præbeat.* Ἀποτόμως & præcise: seu addit Ioannes de Turrecremata exceptiones, *Semper ille qui consecrat, debet sumere corpus & sanguinem Christi, nisi impediatur vel per violentiam, vel mortem, vel per infirmitatem, vel aliquid huiusmodi.*

VI. De

VI. De Circumstantibus, vnum non ambigitur, posse præter conficientem alios etiam communicare. Nam neque Papistæ negant præcipuum fructum Eucharistiæ esse in communione, nec volunt eum fructum vnius esse homunculi. Neque vero etiam nos docemus omnino nunquam licere fidelibus non communicare, qui scimus nemini licere nisi præparato: imo etiam iuberi à Christo, interdum differri præsens Sacrificium, vt fiat reconciliatio cum fratre: nec putamus fieri potuisse, tum cum quotidie celebraretur communio, vt cuncta Ecclesiæ capita nullo excepto communicarant. Nec facile probauerimus Canonem illum, *Peracta Consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus*: nisi ista liminum carentia sic intelligatur, vt iubeatur, qui non erunt communicaturi, prius exire ab Ecclesia, quam consecratio perficiatur.

VII. Alioqui enim scimus neque à Christo, neque ab Apostolis perpetuam indictam communionem, & apud Veteres, vnius cuiusque arbitrio permissam. Augustinus apud Gratianum distinct. 2. de Consecratione, ex Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. nisi autor sit potius Gennadius Massiliensis, *Quotidie Eucharistiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit* Augustinus ipsius Epist. 117. *Alij quotidie communicant corpori & sanguini Domini; alij certis diebus accipiunt.* Et post, *Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quæsieris quare? Quoniam*, inquit, *elegendi sunt dies, quibus purius homo continentiusque viuit, quo ad tantum Sacramentum dignius accedat, qui enim manducauerit indigne iudicium sibi manducat & bibit. Alius contra; Imo*, inquit, *si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda sint, autoritate antistitis, debet quisque ab altario remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem autoritate reconciliari. Cæterum si peccata tanta non sint, vt excommunicandus quispiam homo iudicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare. Rectius inter eos fortasse qui quam dirimit litem, qui monet vt præcipue in Christi pace permaneant: faciat autem vnusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum.*

VIII. Sed enim his positis; vt & Sacerdos nunquam celebret, quin etiam communicet; & liberum sit adstantibus vel communicare, vel abstinere tum temporis, restat quærendum; Sitne legitima Eucharistiæ celebratio, cum præter Sacerdotem conficientem, nemo celebrat. Aiunt Papistæ. Canon 8. Tridentinæ sessionis 22. *Si quis dixerit Missas in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.* Prolixius capit. 6. *Optaret quidem sacrosancta Synodus, vt in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus vberior proueniret: nec tamen si id non semper fiat, propterea missas illas, in quibus Solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, vt priuatas & illicitas damnat: sed probat, atque adeo commendat.*

IX. At nos rationem hanc celebrandi Sacramenti probare non possumus: designamusque nomine Missarum priuatarum, quas in Christianitatem nunquam introductas optaremus: inconsulto autem siue introductas, siue acceptas, pronuntiamus missas omnino faciendas, longeque allegandas.

X. Et quod ad introductionem attinet, videmur habere Papistas non admodum iniquos; agnoscentes originem fuisse à negligentia plebis: non admodum, credo, laudato, aut certe laudabili principio. Hardingus, postquam agnouit à sua natura esse publicum epulum, *Quod autem*, inquit, *alij, cum Sacerdote communicare vulgo, & passim recusant, id ipsorum culpa, atque negligentiæ, quos nulla suæ salutis cura, aut solicitudo tangit, tribuendum est.* Coffetæus cap. 1. contra Molinæum, *Quæ causa est, cur populus non communicet? Indeuotio eius, neglectusque rerum sacrarum, minime vero pastorum votum concedentium communionem omnibus postulantibus, postquam se composuerint iuxta leges Euangelij, & Ecclesiæ.*

XI. Sed in altero tamen capite, quo negamus tolerari debere: molliter Concilium optaret vt singuli fideles communicarent. Sed præter votum nihil est, quod conferat: Neque vero quisquam alius inuentus zeli feruentioris. Cum tamen si quando, vt fit, per indeuotionem, aut aliter, cessent decimæ, tum vero cœlum terræ misceant potius, quam vt tam indignum facinu inultum patiantur. Enimvero iisdem, qui culpam reiiciunt in stuporem, vt ita dicam, plebis, tamen accurate defendunt licitas esse Missas quibus communicet solus Sacerdos; plebe procul & otiose spectante.

Capvt XIII.

Argumenta pro Missis priuatis.

I. PRo Missis priuatis argumentantur Papistæ. Primo Bellarminus, ex Concilio Tridentino. Missæ in quibus solus Sacerdos communicat, etiam si priuatæ dici possent, ratione communicantium Sacramentaliter, tamen absolute non priuatæ, sed publicæ & communes sunt: Ergo non debent vt priuatæ reiici, & damnari. Formo. Nulla Missa aliquo modo publica reiici debet. At omnis Missa priuata, est aliquo modo publica. Ergo nulla Missa priuata reiici debet. Probat assumptum. Primo, quia in iis sæpe multi communicant spiritualiter: proinde fructus est publicus, & communis & propterea Missa ex hac parte communis & publica. Secundo, quia Sacerdos publicus est minister, & pro tota Ecclesia Sacrificium offert.

II. Nego maiorem. Non enim aliquo quocunque modo; sed eo tandem oportet esse publicam, quo instituta est. Et quia indignus est Domino, qui aliter præsumit, quam institutum est ab eo: sequitur omnem Missam aliter publicam quam instituit Dominus, esse reiiciendam. Hoc autem modo publicam esse Missam priuatam, prorsus negamus. Nam Paulus 11. prioris ad Corinthios, *Cum conuenitis in vnum, hoc non est Dominicam Cœnam edere. Nam vnusquisque propriam cœnam præoccupat in vescendo.* Vbi nota propriam Cœnam describi, cum quis comedet absque aliis: quod apud Papistas manifestissime fit à Sacerdote. Nota rursus id ipsum fuisse factum publice aliquo modo; nempe cum conuenirent. Nota tertio, non esse Cœnam Dominicam. Perspicua ergo res est, quæcunque alia sit ratio communitatis, tamen exterminandam esse Missam, quæ sic priuata est, vt solus vnus communicet.

III. In confirmatione priore negatur consequentia. Non enim Missa est publica; quia cum spectatur, fiat communio spiritualis. Ratio facilis & expedita, quia apud ipsos Papistas communio tripliciter distribuitur; in Sacramentalem tantum, in spiritualem tantum, & in Sacramentalem simul ac spiritualem. Nemo autem hactenus inuentus, qui secundam dixerit esse Missam; siue Sacramentum Eucharistiæ, alioquin Eucharistia esset absque vllo pane, & vino; quod est absurdissimum. Nam omnis Eucharistia est Sacramentum, omne autem Sacramentum est signum, vbi autem nullus panis, nullum vinum, ibidem nullum signum.

IV. Itaque ridicula protestatio est Hardingi, *Omnis Missa, siue oblationem siue communionem spectes, publica est, nulla priuata.* Durandi Tholosani capit. 4. libri 2. de ritibus, *Verius est Missam omnem esse publicam, etsi nemo præter Sacerdotem communicet.* Enimvero, quis nescit varie torqueri posse vocabula, pro variis definitionibus? Certe diabolus ipse alias bonus est; quatenus videlicet natura creata, alias non bonus; quatenus peccator ab initio. Quid mirum, si potuerunt Sophistæ missam eandem alia ratione publicam dicere; quæ alia rursus ratione priuata sit? Atqui hæc quæstio est, vtrum quæ missa sit hac ratione, quam diximus, priuata, reiici debeat, etsi aliqua ratione alia sit publica, quomodo si quærat quis, vtrum Diabolus, ea definitione quæ est à peccato, malus sit dicendus, etiam si ea ratione quæ ducitur à natura sine dubio sit bonus.

V. Dicam amplius. Nego propterea missam dici publicam, quia communio spiritualis ad plures pertinet. Ratio in promptu, quia nullius rei denominatio sumi debet, ab eo quod est per accidens. Neque enim Coruus propterea albus, si totum creta obducas, neque nix nigra, si inuoluas panno nigro. Quanta enim, quæso, rerum confusio induceretur, si iuberentur cęseri ab accidentibus? At hæc communio mere spiritualis, prorsus est accidentaria missæ, quod patet; quia & absque ea potest esse missa, & ea potest esse absque missa. Addo etiam; cum fit in missa; non ex vi missæ, sed ex fide eius qui communicat.

VI. Ad secundam confirmationem respondeo; non quicquid à persona publica geritur, propterea esse publicum, sed quod ita geritur, vt debuit. Nemo enim negat multas esse priuatas actiones eius qui alioquin personam publicam gestet. Et in hoc ipso mysterio, Sacerdos communicans, priuatim sibi communicat, non aliis, vnde Chrysostomus tum negat differre à laico Sacerdotem, cum fruendum est horrendis mysteriis.

VII Verum, aiunt, pro tota Ecclesia offert. Id est, inquam, consecrat in vsum totius Ecclesiæ: at non communicat ipse pro tota Ecclesia, sed sibi soli. Concilium Toleranum 12. apud Gratianum, cap. Relatum, de Consecratione distinct. 2. *Modis omnibus tenendum est, vt quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altario immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Domini nostri participem se præbeat.* Audin, se participem præbere? In Iacobi Liturgia, oratio est Sacerdotis πρὸ τῆς μεταλήψεως ante participationem, *Domine Deus noster, panis cœlestis, vita vniuersi,* ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐνώπιόν σου, καὶ οὐκ εἰμὶ ἄξιος μεταλαβεῖν τῶν ἀχράντων σου μυστηρίων: *peccaui in cœlum & coram te, nec sum dignus qui fiam particeps impollutorum tuorum mystericorum* ἀλλ' ὡς εὔσπλαγχνος θεὸς ἀξίωσόν με τῇ χάριτί σου ἀκατακρίτως μετασχεῖν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ ζωὴν αἰώνιον: *verum tanquam misericors Deus dignare me per gratiam tuam, vt absque condemnatione communicem sacro corpori, & pretioso sanguini in remissionem peccatorum, vitamque æternam.* Et in Canone Latino, vno se fasce coniungens omnibus Sacerdos, *Vt quotquot*, ait, *ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem, sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur.* In Gregorij Liturgia, γένοιτο δὲ ἐμοὶ καὶ πᾶσι τοῖς μετέχουσιν εἰς ὑγείαν ψυχῆς τε καὶ σώματος σωτηριώδης ἑτοιμασία, *Fiat mihi & omnibus accipientibus ad sanitatem mentis & corporis salutaris præparatio.* Viden vt Sacerdos non vnus pro omnibus communicet: sed vnus sit communicantium? Hinc conclusio necessaria, non esse in communicando per do personam publicam.

VIII. Secundum argumentum eiusdem, & Cotoni. Ad sacrificium, vt sacrificium est, nihil refert, multi an pauci, vel nulli intersint, aut communicent. At Eucharistia est sacrificium. Ergo nihil refert vtrum adsit aliquis an nemo; aut communicet. Probatur maior; primum, quia offeratur Deo pro populo: deinde ex lege Veteri, cum enim offerebatur pro peccato, nihil inde manducabat is pro quo offerebatur, vt patet Leuitici 6. & 7.

IX. Respondeo primo, illegitimum esse syllogismum παρὰ τὸ κατά τι ὡς ἁπλῶς. Debuit enim concludi; Ergo ad Eucharistiam vt sacrificium nihil refert vtrum multi an pauci communicent. Cum tamen quæstio sit de Eucharistia simpliciter. Nobis in promptu similis est ratiocinatio. Ad Sacramentum vt Sacramentum interest vt aliquis saltem communicet: At Eucharistia est Sacramentum; Ergo ad Eucharistiam interest, vt aliquis saltem communicet.

X. Secundo; ambiguum argumentum est. Nam illud, sacrificium vt sacrificium, significat vel non omnia sacrificia admittere communionem, vel nullum sacrificium admittere communionem. Priori sensu admittitur maior, reuera enim quædam dari possunt in quib' illa nulla erat. Sed quid tum? Non enim legitima conclusio est, quasi diceres: Non omnia animalia sunt bipeda: Atqui bos est animal: Ergo bos non est bipes. Nam propositionem primam oportebat esse vniuersalem.

XI. Si autem altero modo dicas, falsa est maior. Nam alicui sacrificio, quatenus sacrificium est, conuenit communio, vt homo loquitur, quatenus est animal, quoniam etsi non omne animal loquatur, tamen nullum non animal loquitur, ac proinde loqui conuenit homini, quatenus est animal, quia videlicet conueniat quatenus est homo: atqui certum est, esse hominem quatenus est animal, nullus enim homo est non animal. Ad id exemplum, agnus Paschalis erat inter sacrificia, & tamen necessario additam

tio additam habebat communionem. Cur non ad idem exemplum Eucharistia?

XII. Denique respondeo, Sacrificium dici proprie, vel improprie. De sacrificio proprio, concedatur sane maior, sed negatur minor, postea suo loco plenius disputanda. Sed nunc breuiter ratio differentiæ perspicua est; quod sacrificia ab eo offerebantur, pro quo sacrificabantur, sic enim lex iubebat, vt Leuitici 6. *Propeccato suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum sacerdoti.* Atqui ad Eucharistiam, quatenus Eucharistia est nihil quisquam iubetur dare Sacerdoti, sed tantum accipere à Sacerdote. Nam etsi olim solenne fuerit etiam offerri, vt alias obseruatum nobis, tamen id fuit non Sacramenti, sed liberalitatis propriæ, itaque etiam obsoleuit; atque hodie ne apud Papistas quidem obseruatur. Quare qui Eucharistiæ communicant, non nisi accipiunt. Sic præpostera ratio est sacrificij & Eucharistiæ, quoniam hostiam peccator de suo dabat, antequam sacrificaretur, & inde sacrificium dicebat suum, at Sacramentum Christianum peccator accipit postquam est confectum, vt ita loquar. Vtrumque ab institutionis præscripto, vnde etiam ratio postulat, vt quemadmodum non poterat omitti hostiæ donatio, vt se quisque diceret obtulisse sacrificium, sic non debeat omitti sumptio, vt se quisque dicat communicasse Eucharistiæ.

XIII. De sacrificio improprio conceditur minor. Nam sane Eucharistia Sacramentum est veri sacrificis; illius scilicet oblati in cruce. Solent autem Sacramenta rerum ipsarum nominibus censeri. Thomas 3. quæst. 83. art. 1. *Celebratio huius Sacramenti imago quadam est representatiua passionis Christi, qua est vera eius immolatio, & ideo celebratio huius Sacramenti, dicitur Christi immolatio:* qua de re disputatum imus suo loco.

XIV. Atqui in huiusmodi sacrificio, negatur maior. Nam huius generis sacrificium olim fuit, Pascha: teste Paulo prioris ad Corinth. 5. *Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus.* Augustinus apud Bedam in ea verba: *Pascha transitus dicitur, propterea quia tunc primum Pascha celebrauit populus Dei, quando ex Aegypto fugientes, rubrum mare transierunt. Nunc ergo figura illa prophetica in veritate completa est, cum sicut ouis ad immolandum ducitur Christus.* Atqui ad hoc sacrificium, vt tale, pertinebat non tantum præsentia, sed etiam esus; sine quo nullum erat. Quare aut similium similis ratio non erit, aut non negandum ad hoc nostrum sacrificium Eucharistreum, quatenus tale est, pertinere, & quidem essentialiter hunc vsum manducationis. Nam & Papistæ tuentur Pascha fuisse figuram Eucharistiæ, & solenne illud est; cum frangitur panis, & calix funditur in ora fidelium, tunc significari sacrificium illud quod in cruce immolatum est: vnde constat eam fractionem. eam fusionem esse de essentia huius sacrificij, quod quidem sacrificium non sit, nisi propter hanc significationem, & hæc significatio nulla nisi in fractione & fusione.

XV. Porro probationum quibus maior confirmabatur, expedita solutio, est, ex iam dictis. Vtraque enim pertinet ad sacrificia proprie dicta, itaque nullam vim obtinent aduersus improprie dictum.

XVI. Tertium argumentum Hardingi. Vbi non peccatur, inde omne crimen abest. Quod sæpenumero contingat, vt Sacerdos nullum habeat, qui cum ipso Sacramentum percipiat, id populi demissi deuotioni, & non ipsius inuidiæ, aut malitiæ tribuendum est. Concinit Salmero. Non sunt illicitæ tales missæ, quia nihil illicitum continent: nam quod alius nolit communicare, per accidens est mihi offerenti, cum paratus sim volentes communionis participes facere

XVII. Sed non peccarisin missa priuata, negatur: non enim aliter potest, si contra institutionem admittatur, quod nos pro certo habemus, & paulo post docebimus. Sic consentiunt omnes peccatum fuisse, cum baptizarentur mortui: quia videlicet institutio habuit doceri, baptizarique gentes, in quibus mortui nulli numerantur. Sic emendatum fuit, quod olim admittebatur, vt infantibus porrigeretur Eucharistia: quoniam institutio habeat, vt seipsum probet, qui de hoc pane sit esurus: Similis omnino communionis ratio; quandoquidem dictum, *Accipite, Edite.*

XVII. Verum, aiunt, si nullus adsit, id per accidens fit, quod quidem ad Sacerdotem attinet. Mirum sophisma. Atqui primum arguitur ἀπὸ τοῦ ὅτι. Non enim concluditur nullum esse peccatum, sed non esse ipsius Sacerdotis. At ista nostra nulla quæstio est, sed alia potius, vtrum sit legitima Eucharistiæ celebratio absque communione: Vt si dicerem, nullam esse legitimam verbi prædicationem absque audientibus. Nam hic etiam vt ne sint audientes vlli peccatum erit, & tamen per accidens, si rationem habeas ipsius Ecclesiastæ, quando nullus voleraccedere. Quis tamen tolerandum dicet prædicationem apud parietes solos? Excepto forte vno Francisco, qui non putauit insolens prædicare bestiis agri, si vera canunt eius adoratores. Nos ergo, vndecunque id peccatum sit, siue à plebe, tamen illegitimam Eucharistiæ celebrationem dicimus, absque communicantibus.

XIX. Deinde nego peccatum esse mere per accidens. Nam peccatum per accidens illud esse oportet, quod imputari non possit ei, cuius habita ratione, per accidens est, vt Achami sacrilegium, fuit peccatum populi per accidens. Sed huiusmodi non Communis peccatum non est sic mere per accidens. Primum enim vere peccatum est totius Ecclesiæ Papisticæ; quæ non tantum toleret, sed etiam non improbet; imo disputationibus suis, atque adeo Canonibus fulciat, atque anathematismis sanciat. Tunc, tunc vere accidentarium diceres, cum audires frustra adstari ad altare, si nemo communicet; quæ vox erat Chrysostomi, cum Concilia sancirent, qui auerteret se à communione, hinc proiciendum de Ecclesia Catholica; quæ sententia est Bracarensis secundi. Sed apud Romanistas quid est quod non fiat; vt persuadeatur nullum esse non modo Sacerdotis, sed ne plebis quidem peccatum, si nulla sit communio? Itaque tam est eius Ecclesiæ hoc peccatum, quam erat Corinthiorum, illud incestum, quod eis tam serio Paulus exprobrabat.

XX. Tertio, quomodo nullum peccatum est Sacerdotis proprium, qui sciens volens celebrat, quantumvis certus nullos futuros communicantes? Si quis suggestum conscendens, & perspicue videns neminem adfuturum, tamen eloquentissime concionaretur; hunc quis absolueret insaniæ Itaque nullũ satis esse potest artificium excusandis missis priuatis. Et profecto, qui suæ plebis habent negligentiam tam multis experimentis cognitam, debe-

rent iam tandem tacere, neque accidentariũ dicere, id quod sciunt demum transisse in naturam.

XXI. Quare argumentum Hardingi. Erat profecto optandum, vt quotiescunque Sacerdos diuinum hoc Sacrificium facit, aliqui essent, qui, vt par est præparati, cum eo perciperent, & corpus sanguinemque Christi Sacramentaliter participarent. Quod si vero forte nulli sunt; quemadmodum nostro tempore persæpe vsu venit, non tamen propterea iugis illius, & quotidiani sacrificij vlla fieri debet intercapedo. Argumentum ita est. Si necessaria esset communio: Ergo aliquando intermitteretur iuge sacrificium; At hoc absurdum: Ergo & illud. Consequentia patet; quia non semper adsunt, qui communicent. Assumptum probatur: Cum enim in recordationem oblationis Christi semel in cruce pro totius humani generis redemptione factæ celebretur, quotidie per vniuersam Ecclesiam celebrari debet, etiam si Sacerdos nullum omnino participem sociumq; habeat. Hem præstigias. Hanc argumentationem ferme ad verbum descriptam leges apud Dedehum, sed quasi totidem verba Augustini ex Epistola 118. quæ ad Ianuarium. O risus! ô deliciæ!

XXII. Intermitti quid dicunt? Idne quod aliquantis temporum spatiis repetitur; an id quod negligitur abiicirurve? Nam hoc modo concedimus absurdum intermitti Eucharistiam, siue memoriam sacrificij in cruce peracti. Sed hoc negamus consequi, si nunquam celebretur Sacramentum absque communione. Nam cur non factum esset olim primis Ecclesiæ seculis?

XXIII. Sed negant semper adfuturos communcantes. At nobis persuaderi non potest; nullos futuros, nisi cum nulli futuri sunt fideles. Nam verum illud est potius, vbi corpus est, eo congregatum iri aquilas. Itaque apud nos fit, vt nunquam celebretur Eucharistia, absque communicantium laudabili frequentia: quibus tam cordi hæc Communio est, quam religio ipsa. Nempe, quia diligenter docentur, quanti sit faciendæ, imo docentur non in alium finem aut olim institutum fuisse, aut deinceps celebrandum hoc Sacramentum. Hæc quandiu prædicatio resonabit in auribus Ecclesiæ, nihil est periculi, quominus concursus fiat. Sed tum certe futura raritas est, cum obtinebit Papistica prædicatio, quæ ita commendabit missas priuatas, vt etsi non omnibus, tamen pro omnibus missas celebrari persuadeat; & eius fructum nihilosecius ad absentes peruenire.

XXIV. Sin autem per interualla futurum dicant, vt sit celebranda Eucharistia, concedemus posse fieri. Sed vllum id esse incommodum negamus. Etsi enim consultissimum fateamur, frequentissimam communionem esse, tamen negamus vnquam imperatam fuisse perpetuam; adeo vt nulla toleranda sint interualla. Non enim ita habet institutio. Nunquam dictũ, inquam, nec vnquam intermitteretur Eucharistiæ celebratio: sed tantum vt quotiescunque panem hunc ederimus, memoriam celebremus sacræ passionis. Itaque liberum est vel perpetuo, vel per interualla celebrare Sacramentum. Augustinus Epistola 118. non tantum communionem, sed etiam oblationem negauit vbique esse perpetuam, *Alij quotidie communicant corpori & sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi tantum Dominico.* Basilius Epist. 239. *Alexandriæ & per Aegyptum vnusquisque etiam de plebe, vt plurimum, habet domi sua communionem: ἀπαξ γὰρ τὴν θυσίαν ἐπιτελέσαντος, καὶ δεδωκότος. Nam cum semel Sacerdos sacrificium peragat, & distribuat; qui suscepit illud integrum simul, & quotidie de illo sumpserit, quod à dante acceperat Sacerdote, credere debet & tenetur, se idem suscipere & percipere.*

XXV. Atqui, aiunt, quotidie celebranda memoria est salutaris passionis. Recte, inquã: sed memoriæ ratio gemina; vel meditationis solius, vel additi Sacramenti. Illa per solam fidei contemplationem semper est necessaria, saltem secundum habitum, etsi non semper secundum præsentem actum. Non enim omnia simul & semel suscipere potest intellectus humanus, sed successiue, tenetur autem sæpe alia quædam contemplari actu, itaque non semper hanc passionem. Quare neque alteram rationem perpetuo, hæc enim est, non habitus, sed actus præsentis. Itaque etsi dictum annuntiari mortem Domini in edendo, & potando, tamen non dictum, nunquam aliter annuntiari.

XXVI. Imo vide. Hæc celebratio est in edendo & bibendo. Paulus, *Hoc facite quotiescunque biberitis ad mei recordationem. Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis, vsque quo venerit.* Augustinus de doctrina Christiana libr. 3. capit. 16. *Nisi manducaueritis,* inquit, *carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium videtur iubere, figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius, crucifixa, vulnerata sit.* Adde quæ alias citata sunt, & constabit rationem commemorationis huius esse in edendo, & bibendo. Quid igitur? Nempe alteruttrum necesse erit, vt Papistæ vel concedant, quotidie edendum esse hunc panem, & bibendum hoc poculum, ac proinde nunquam celebrandum esse absque communione, vel si aliquando celebrandum absq; communione, non esse semper commemorationem faciendam sacrosanctæ passionis: ideoq; hoc, quo nunc pugnant, argumentum inutile esse.

XXVII. Quintum rursus est Hardingi. Si nec Sacerdos, nec vllus alius homo Christianus sanctum hoc Sarmentum vnquam accipere deberet, nisi cum pluribus & in eodem loco: Ergo si summo hoc, & necessario beneficio frui vellemus, loci aliqua conditione adstringeremur. At hoc absurdum. Ergo illud. Probatur assumptum, quia Paulus, 4. ad Galatas, negat seruiendum egenis elementis; aut obseruandum dies, menses, & tempora: quibus æqua ratione addi possunt loca. Tum autem per Sacramentum copulatione vniri omnes fideles, etiam non congregatos in vnum locum, docuerunt Veteres.

XXVIII. Respondeo, adstringi aliqua conditione loci, vel indefinite dici, nempe, vt non possit hoc Sacramentum celebrari nisi aliquo loco: vel particulariter, vt hic locus, potius quam alius necessarius sit ei celebrationi. Posteriori sensu concedimus assumptum, sed negamus consequentiã: quam nulla ratione fulciuit Sophista. Quanquã merito miretur aliquis hoc in mentem Papisticã argumentum venisse, cũ negari non possit, hoc genus hominum vel maxime adstringere se conditione loci. Durand. Tholosanus

c.6. libr.2. de Ritibus, *Missa non nisi in sacratis ædibus celebrari debent.* De Consecrat. dist.1.c.15. *Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse Sacerdotij.* Et cap.11. *Satius est missam non cantare, aut non audire, quàm in his locis vbi fieri non oportet.* Atque hoc interdictum tanta superstitione custodiunt, vt cùm se viderent sæpe necessitate cogi discedere à perpetuis constantibusque locis, finxerint vaga, & mobilia; quæ dixerunt altaria portatilia. Durandus Tholosanus c.25.lib 1. de iis prolixè agit: & definit, *Altare portatile, seu portabile, nihil aliud est, quàm paruus lapis continens in se formam cum consecratione, & signo superposito.* Et notat non aliter consecrari nisi in tabulis ligneis; vel aliquo competente substratorio compacta, & fixa: vt licet ad locum portentur, non tamen de loco, in quo consecrata sunt, moueantur: à quo si euulsa fuerint, denuo sint consecranda. Tam scilicet, liberi sunt Papistæ à conditione loci.

XXIX. Sed altero sensu conceditur consequentia. Nam quia non poterit communio celebrari nisi in conuentu fidelium: nec conuentus, nisi in loco: ergo non poterit communio celebrari nisi in loco aliquo. Et eatenus necessitas erit loci, siue vt Hardingus loquitur, aliqua conditione loci adstringemur. Quia videlicet τὰ ὄντα πάντες ὑπολαμβάνουσιν εἶναί πυ; *Quæ sunt, omnes supponunt alicubi esse:* inquit Aristoteles initio quarti Acroamaticorum.

XXX. Hìc autem nihil absurdi: sed merè naturalis necessitas. Itaque Paulus dixit: συνερχομένων ὑμῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ; *Conuenientibus vobis in Ecclesiam:* Quod vrget Durandus Tholosanus c.illo 6.libr.2. *Sanctus Paulus,* inquit, *planè & perspicuè docet, vsum receptum apud Corinthios in Ecclesia Dominicam Cœnam manducare.* Iustinianus, *Locum intelligit,* ait; *in quo cœtus fidelium celebrabantur.* Et quanquam nihil necesse sit, Ecclesiam, ita interpretari vt locum ipsum designet, quomodo tandem factum: tamen necesse est locum intelligi; nam conuenire non potest aliter. Porrò nullam conditionem loci designari, Iustinianus sufficit testis; addens præcedentibus. Ij cœtus fidelium, *statim post Christi in cœlum ascensum in priuatis domibus habebantur, & in cœnaculis: dein in oratoriis, & Ecclesiis: frequenter sæuientibus tyrannis, in cryptis & cœmeteriis.*

XXXI. Atqui, inquit, damnat Paulus obseruationem temporum: & eadem ratio est locorum. Fateor, inquam: sed ea obseruatio pertinet ad secundam notionem. Non enim voluit Paulus nullo tempore, quicquam agi religiosum. Quanta enim hæc fuisset absurditas? Sed tantùm non vt apud Iudæos; qui certum aliquod definitumque tempus ita obseruabant; vt aliud non curarent. Hunc morem Paulus damnauit; qui tamen conuentibus Ecclesiasticis videtur assignasse peculiariter primam hebdomadæ, id est Dominicam diem, vt conijcere licet ex initio capitis postr.1.ad Corinthios. Eadem sit ergo ratio sane locorum: & ne præferatur quidem locus vnus alteri; quatenus locus: sed tamen aliquis omnino habeatur, quo conueniant communicaturi.

XXXII. Concedo per hanc Sacramenti celebrationem vniri fideles quacunque dispersos: Itaque concedo non necessariò in eundem locum conueniendum omnibus: sed primum hoc ipso argumento constat, rectè à nobis negatam fuisse consequentiam. Nam etsi vnus non sit locus, tamen communio est: quia videlicet Hierosolymis, verbi gratia, & Alexandriæ idem Sacramenti genus, siue potius species administrabatur omnibus: itaque quicunque communicabant Hierosolymis, & Alexandriæ, etiam inter se dicebantur communicare.

XXXIII. Quanquam hoc si dictum aliquando, intelligi debuit de effectu Sacramenti propriè, in quo omnes eundem Christum percipimus. Quæ communio non Sacramentalis est, sed spiritualis. Nunquam enim auditum, qui Hierosolymis erant Sacramentaliter communicasse cum iis qui Alexandriæ. Alioquin, quid opus erat Romanos Episcopos Eucharistiam mittere, alienis Episcopis Romam appellentibus?

XXXIV. Sextum argumentum eiusdem Hardingi. Si priuata missa eo tantum nomine improbari debeat, quòd sit priuata; hoc tunc fit propter singularem, seu priuatam communionem, id est, quia Sacerdos Sacramentum solus accipit. At singularis communio legitima est, & sancta, & pia. Ergo priuata missa, non ideò vituperanda est, quòd priuata sit, sed probanda, & pro sancta piaque habenda atque vsurpanda. Assumptum probatur ex illo veteri vsu Eucharistiam sumendi in priuatis domibus.

XXXV. Respondeo; primum negari assumptum; de quo præcedenti libro disputatum fuit, cum hæc ipsa priuata communio afferretur in argumentum reseruationis. Nam cur sublata postea, si fuit legitima? Cur etiam damnata? Si legitima, cur non à Papistis eadem pertinacia ad hoc vsque tempus seruata, quanta hæc inducta priuata missa? An quia hìc, vt semper, ratio apud eos larua est?

XXXVI. Deinde, quod argumenti monstrum? Non enim sola priuata communio causa est; sed priuata communio Sacerdotis. Hæc enim est persona publica, neque similiter iudicanda cum idiota. Quare si laico idiotæ licet priuatim & domi suæ communicare Sacramento accepto à Sacerdote, tamen non sequitur licere Sacerdoti, abs se consecrata Sacramenta soli consumere: quia videlicet non sibi, sed alijs consecret. Atqui assumpti confirmatio, probat duntaxat idiotæ communionem priuatam: nullo modo Sacerdotis. Nullum enim potest exemplum dari Sacerdotis consecrantis absque vlla communione: in illis ipsis seculis, cum licebat idiotis de manu Sacerdotis acceptam Eucharistiam deferre domum.

Cap. XIV.

Argumentum ex Veteribus pro Missa priuata.

I. Bellarminus fatetur nusquam se expresse legere Veteribus oblatum sacrificium absque alicuius communione præter ipsum Sacerdotem: posse tamen coniecturis facile colligere. Nos illud læti accipimus; isto non mouemur, qui iampridem scimus nullam esse tam desperatam causam, cui Sophistæ non habeant paratas coniecturas. Quin miramur hoc loco tam demisse de seipso sentire, qui soleat nihil ostentare præter puras putas demonstrationes. Neque facilè ab vllo alio tantum habeat modestiæ exemplum.

II. Certè Salmero confidentissimè collegit, ante Gregorium magnum in vsu fuisse has missas priuatas. Nam Fabianum apud Gratianum de Consecrat. dist. 2. Canone, *Etsi non frequentiùs,* instituisse vt ter in anno omnes communicarent: cùm tamen non sit verisimile ter tantum fuisse Missas celebrari solitas. Et Concilium Agathense, Papamque Pium, non communicantibus dedisse panem benedictum, apud Iuonem lib.2.c.137. Chrysostomum homilia 17. in Epistolam ad Hebræos testari Constantinopoli fuisse semel in anno communicatum.

III. Ast ego pro certo habeo, ne Gregorij quidem tempore Missas priuatas istius generis fuisse in vsu: de quo posteà. Sed nunc in his testimoniis nihil est virium. Fabianus dixit; ter in anno omnibus communicandum. Sanè inquam: sed primum quid si primus ipse præter ius fasque indulgens plebis negligentiæ? Nam contrà in Concilio Bracharensi, eadem distinct. decretum est ab Ecclesia proiici, qui ingressus Ecclesiam, & auditis Scripturis à communione Sacramenti abstinuerit. Quanquam hoc sanè etiam durius. Sed Fabianus ille nihil habet difficile, *Etsi non frequentiùs,* inquit, *saltem in anno ter laici homines communicent* (sic habet editio Gregoriana) *nisi fortè quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur in Pascha videlicet, & Pentecoste, & natali Domini.* Obserua; laicis tantùm imperari: cur non poterant Ecclesiastici omnium ordinum communicare, si deerant laici? At nunc ne ij quidem. Deinde, quid tum? Non enim vel laici prohibiti sæpius: sed ter minimùm iussi: Non significatur ergo præter hos dies nullos communicasse: sed tantùm negligentissimis seuera inhibitione consultum.

IV. Eadem ratio est panis benedicti. Nam is iussus dari tantum non communicantibus: non dictum autem neminem communicare. Non est autem æquum, si hoc fiat hodie in Papatu, ideò semper iudicari factum. Canon Nannetensis Concilij nonus sic habet, *Vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyteris conuenienter partes incisas habeat in vase nitido, vt post missarum solennia, qui communicare non fuerint rati, eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant.* Enimverò hæc phrasis, *Qui communicare non fuerint rati,* manifestè supponit alios qui communicare fuerint rati: itaque non significat nullos hos fuisse: sed illos in istis minimè. Deinde manifestum fit id inductum in supplementum communionis, non factæ fortè propter tardiorem aduentum, aut aliquid aliud. Ergo rursus non negatur communio.

V. Ecce verò Chrysostomum asserere semel in anno fuisse communicatum. Effrontem impudentiam? Non enim sic Chrysostomus, quasi reliquo toto anno nulla communio esset. Quid ergo? Nempe à quibusdam. Relege, Πολλοὶ τῆς θυσίας ταύτης ἅπαξ μεταλαμβάνουσι τοῦ παντὸς ἐνιαυτοῦ· ἕτεροι δὶς, ἄλλοι πολλάκις: *Multi huius sacrificij semel toto anno sunt participes: alij autem bis: alij verò sæpe:* Hoccine verò est semel in anno fuisse communicatum? Sed & Constantinopoli. Imò lege: πρὸς ἅπαντας ἡμῖν ὁ λόγος ἐστίν, οὐ πρὸς τοὺς ἐνταῦθα μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ καθεζομένους, ἐκεῖνοι γὰρ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μετέχουσι, πολλάκις δὲ καὶ διὰ δύο ἐτῶν; *Ad omnes ergo mihi sermo est: non solum ad eos qui hic sunt; sed ad eos etiam qui sedent in deserto: nam illi semel in anno sunt participes, sæpe etiam post duos annos.* Os vide! Primum non Constantinopoli, sed in Eremo rara illa communio: vel ad annum, vel ad biennium. Quid habuit causæ Iesuita; vt populosissimam Ecclesiam metiretur ex eremi solitudine. Deinde; non omnes; sed multi, siue semel, siue bis: quoniam alij πολλάκις, frequentius, cur hoc reticuit? Nempe vt falleret. Nam sufficiunt hi postremi, vt certum sit, nunquam fuisse celebratum absque communione.

VI. Et verò tertiò iam à me monitus lege paulo pòst, & recognosce morem eius Ecclesiæ, μεγάλῃ τῇ φωνῇ, φρικτῇ τῇ βοῇ, καθάπερ τις κήρυξ τὴν χεῖρα αἴρων εἰς τὸ ὕψος, ὑψηλὸς ἑστὼς πᾶσι καταδηλος γενόμενος, καὶ μέγα ἐπ' ἐκείνῃ τῇ φρικτῇ ἡσυχίᾳ ἀνακραυγάζων, τοὺς μὲν καλεῖ τοὺς δὲ ἀπείργει ὁ ἱερεὺς, οὐ τῇ χειρὶ τοῦτο ποιῶν, ἀλλὰ τῇ γλώττῃ τῆς χειρὸς τρανότερον· ἡ γὰρ φωνὴ ἐκείνη εἰς τὴν ἀκοὴν ἐμπίπτουσα τὴν ἡμετέραν, καθάπερ χεὶρ τοὺς μὲν ὠθεῖ καὶ ἐκβάλλει, τοὺς δὲ εἰσάγει, καὶ παρίστησι. *Magna voce, terribili clamore, tanquam præco, manum tollens in altum, stans excelsus, & omnibus manifestus; & in tremendo illo silentio vehementer vociferans, alios quidem vocat, alios verò arcet Sacerdos: non manu hoc faciens, sed lingua clarius & apertius quam manu. Nam vox illa in nostras aures incurrens, tanquam manus, alios quidem expellit, alios autem introducit & sistit.* Audin? magna voce vocari populum ad communionem? Hoccine verum, si semel tantum quotannis mos fuisset ad communionem laicos admittere? A nobis discite; Sophistæ, qui nunquam vocatis quenquam. Nec verò duntaxat vocari: sed etiam introduci, τοὺς μὲν εἰσάγει, καὶ παρίστησι. Deum immortalem! alios introduci, alios arceri, & neminem communicare? An potius Papismus præter impudentiam nihil habet?

VII. Bellarminus, vt dicebam, coniecturas collegit quatuor; quarum tamen prima gemina est: itaque numerabo quinque ordine. Prima hæc est; ex Concilij Nannetensis c.30. apud Iuonem part.3.decreti, c.70. vbi iubentur Presbyteri non celebrare soli Missam, nisi habeant saltem vnum secum qui respondeat. Ex quo intelligimus quosdam planè solos celebrare solitos missæ sacrificium; ac proinde sine communicantibus.

VIII. Respondeo Nannetense Concilium vnicum me reperire in Collectaneis Conciliorum editis per Binnium; eique annotatum, nesciri tempus. Occurrunt apud Iuonem aliquot ex eo Canones. Sed Iuo vixit circa finem seculi vndecimi. Itaque potuit hoc Concilium esse recens; quod etiam Binnius iudicauit, cum transtulit in postrema tomi tertij. Et certum est eo seculo iam missas has priuatas inductas, vel Testimonio Odonis Cameracensis; eiusdem seculi autore, in Explicatione Canonis, distinct.2. Itaque nullum hoc est antiquitatis indicium, sed recentis abusus: quem lepidè describit Odo, *Cum primitus,* inquit, *Missæ sine collecta non fierent, postea mos inoleuit in Ecclesia solitarias, & maximè in cœnobiis fieri missas: & cùm non habeant quam pluraliter collectam salutent, nec plurales mutare possint salutationes, conuertunt se ad Ecclesiam* (id est muros lapideos) *dicentes se Ecclesiam in Ecclesia salutare.*

IX. Sed & ipse Nannetensis Canon vehementer incandescit. Describo, *Definiuit sanctum Concilium, vt nullus Presbyter solus præsumat missam celebrare. Cui enim dicit, Dominus vobiscũ, Sursum corda, aut Gratias agamus*

Domino Deo noſtro, cum nullus ſit qui reſpondeat. Aut in Canone: Et omnium, circumſtantium, cum nemo adſit. Aut quem inuitat ad orationem, cum dicit Oremus, cum nullus ſit qui ſecũ oret? Aut ergo iſta penitus reticenda ſunt: & non ſolum non erit perfectum ſacrificium; verum etiam incurret, quiſquis ille eſt, illam terribilem ſententiam, Si quis tulerit de hoc, tollat Deus partẽ eius de libro vitæ: Aut ſi hæc muris & parietib. inſuſurrauerit, ridiculoſum erit. Quapropter illa periculoſa ſuperſtitio, maxime à monaſteriis monachorum exterminanda eſt. Prouideant autem prælati, vt Presbyteri in cœnobiis & in aliis Eccleſiis cooperatores habeant in celebratione Miſſarum. Demus ergo ſic ſolitum eſſe fieri. Sed ſi legitime, cur correctũ. Et quidem tanta cum verborum acerbitate? Sin illegitimum, quam vim habet argumenti? Imo apertum eſt pro certo habuiſſe id Concilium, non debuiſſe vllam Miſſam abſque circunſtantibus celebrari: quod & nos volumus.

X. Secunda coniectura; Ex Concilij Toletani duodecimi Canone 5. vbi grauiter reprehenduntur quidam Sacerdotes, qui ſacrificium offerentes non communicabant, *Quale erit*, inquit, *illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans participaſſe dignoſcitur?* Quæ verba ſatis aperte indicant, in eiuſmodi ſacrificio nullum omnino fuiſſe, qui communicaret. Et tamen Concilium non requirit, niſi vt Sacerdos ipſe communicet: proinde admittit tanquam rata, & vt apparet, vſitata ſacrificia, in quibus ſoli communicarent Sacerdotes.

XI. Sed illud conſequens nullius eſt neceſſitatis. Non ſequitur, inquam, nullum omnino fuiſſe qui communicaret: ſed duntaxat, non tantum alios multos non communicaſſe, ſed ne ipſum quidem Sacerdotem. Quod non obſtat, quominus aliqui communicarint. Et ſane Canon ita conceptus eſt, vt miſſas deſignet, non quaſcunque, ſed in feſtis ſolennibus multiplicatas, *In vno die*, inquit, *ſi plurima efferunt Dei ſacrificia: in omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendunt, & in ſola tantum extremi ſacrificij oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumunt.* Atqui plura ſacrificia in vno die, quis neſcit interdicta, niſi in feſtis ſolennibus, in gratiam plebis communicaturæ? Itaque non teſtatur Concilium, neminem communicaſſe: ſed hoc tantum quod dixi; cum ex plebe alij communicarent, alii minime; in iſtis etiam Sacerdotes fuiſſe. Et ſane communio non dicitur, cum vnus totum aufert.

XII. Tertia coniectura. Quidam initiabantur abſque vlla certa procuratione animarum: qui proinde non poterant vlli Sacramentum adminiſtrare, & tamen ſine dubio miſſas celebrabant. Illud probatur ex Paulino, qui ſe dicit ordinatum in Sacerdotium Domini, ſed nulli certæ Eccleſiæ alligatum, Epiſtola 6. ad Seuerum.

XIII. Atqui primo id factum contra fas, contra morem, & Concilio Chalcedonenſi improbatum Canone 6. *Μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι μήτε πρεσβύτερον μήτε διάκονον, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ τάγματι εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως ἢ κώμης. Neminem abſolute ordinari Presbyterum, aut Diaconum, aut omnia in vllo Eccleſiaſtico ordine: ſed tantum proprie in Eccleſia vrbis aut pagi.* Videlicet ea eſt miſſæ priuatæ cauſa, vt ſi quid vel conſulto peccatum, vel forte fortuna erratum ſit, id ipſum tanquam ſuum ſolidiſſimum fundamentum, rapere habeat neceſſe.

XIV. Præterea negatur conſequentia. Cur non enim apud non ſuos celebraret miſſam publicam, accepta licentia ab ordinariis? Exempli gratia, Monachi ſiue ij Ieſuitæ ſint, ſiue alij, & nominatim Dominicani, quibus inde eximium nomen Prædicatorum, ita ſunt prædicatores, vt nulli Eccleſiæ ſint addicti, & poſſint cum Paulino dicere, ſe in prædicatorium officium dedicatos, non etiam in locum Eccleſiæ. An igitur concluſerit Bellarminus morem eſſe Papiſticæ Eccleſiæ prædicari abſque adſtantibus?

XV. Quarta coniectura. Plurimi Sacerdotes quotidie celebrarent, & tamen populus in multis locis rarò admodum communicabat. Hoc probat ex Chryſoſtomo homilia 17 ad Hebræos: tertia ad Epheſios: ex Ambroſio capite quarto quinti de Sacramentis.

XVI. Sed ſumit apertè falſum Bellarminus: nunquam enim dictum, aut Chryſoſtomo, aut Ambroſio, populum non communicaſſe. Nam Chryſoſtomum vidimus paulo ante multos dixiſſe: nec aliter intelligendus eſt Ambroſius: qui, homo Latinus, non potuit noſſe meliùs Eccleſiam Græcam, eiuſve conſuetudinem, quàm ipſi Græci. Tum autem non abhorret ab vſitata phraſi; vt dicantur Græci facere, quod multi faciant; etiam ſi neque omnes, neque plures.

XVII. Quinta coniectura. Multa ſacra fiebant pro cauſa ita particulari, vt non ſit vllo modo veriſimile miniſtratam fuiſſe communionem in eiuſmodi ſacris. Auguſtinus 9. Confeſſionum c. 12. oblatum narrat ſacrificium pro matre ſua, cadauere iuxta ſepulcrum conſtituto. Et 22 de Ciuitate c. 8. vnum è ſuis Presbyteris ſacrificium obtuliſſe in domo ruſtica liberanda à malignorum ſpirituum vexatione.

XVIII. Nullo modo, inquit, veriſimile. Satis αὐθεντικῶς an potiùs αὐθαδῶς? Sic plerunque Papiſtæ. At nos non tam faciles: qui ſcimus etiam in domo priuata fuiſſe olim miſſam celebratam cum communione. Itaque quod ille ſolo nutu annuit; ſolo renutu renuimus? Et ſanè Auguſtinus notauit, ad ſe poſt exhalatam matris animam confluxiſſe plurimos. Cur non potuerunt hi, aut horum aliqui communicare? In Fuſſalenſi territorio, quid prohibuit totam familiam Heſperij? Nam etſi neutrum dixerit Auguſtinus, tamen non minor veriſimilitudo eſt, ex eo ipſo quòd ſacrificium oblatum dicatur, quàm adfuiſſe quoſdam teſtes, quos non magis nominauit Auguſtinus.

XIX. Sic diſputabat coniecturis meris, iiſque leuiſſimis Bellarminus: at Tiletanus, *Certiſſimis*, inquit, *grauiſſimis, manifeſtiſſimis, & ſolidiſſimis teſtimoniis probamus, apud antiquitatem priuatas miſſas, vbi ſolus Sacerdos communicat, vſitatas fuiſſe, tanquam Scripturæ & Apoſtolicæ doctrinæ optimè conſentaneas.* Papæ! Quanta confidentia eſt? aut quem non moueat grauiſſimorum verborum ſtrepitus, vt in veſica fabarum? Sed μορμολύκεια negligamus: rem videamus. Habet exempla duo: & aliquot canones.

XX. Exemplum prius Gregorij Nazianzeni, quem Tripartita hiſtoria, libri 9. cap. 8. teſtatur Conſtantinopoli in paruo quodam oratorio ſacra celebraſſe: de aliorum communione nullum verbum faciens. Alterum eſt Ioannis Eleemoſynarij patriarchæ Alexandrini; quem Leontius ſcripſit, cùm intellexiſſet populum egreſſum eſſe templo, & in cœmeterio otioſis fabulis vacare, ipſum quoque exiſſe, cum turba conſediſſe; & *filioli*, dixiſſe *vbi oues, illic paſtor: aut ite intro, & ingrediemur: aut hic manete, & ego quoque. Ego propter vos deſcendo in ſanctam Eccleſiam: nam poteram facere mihi miſſas in Epiſcopio.*

XXI. De Leontio neceſſe eſt me cunctanter dicere; qui illius ſcriptum nunquam viderim. Nego tamen illud, in Epiſcopio ſibi facere miſſas, inferre ipſam ſine communione; ſed tantùm ſine plebe. Nónne enim habuit familiam, quicum communicaret? Significabat ergo ſe cum ſua plebe velle ſacra facere, non tantum ſibi Epiſcopo: alioquin potuiſſe cum ſua familia: ſuóve clero.

XXII. De Nazianzeno dicam confidentiùs; cuius hiſtoriam deſcripſit Caſſiodorus ex Sozomeno libr. 7. c. 5. ἐκράτουν δὲ τῶν ἐκκλησιῶν ἔτι οἱ τὰ Ἀρείου φρονοῦντες, ὧν ἡγεῖτο Δημόφιλος· Γρηγόριος δὲ προΐστατο τῶν ὁμοούσιον τριάδα δοξαζόντων, ἐκκλησίαζε δὲ ἐν οἰκίσκῳ μικρῷ παρ' ὁμοδόξων αὐτῷ τε καὶ τοῖς ὁμοίως θρησκεύουσιν εἰς εὐκτήριον οἶκον κατασκευασθέντι; Chriſtophorſonus vertit, *Tenebant autem illic adhuc Eccleſias Arij ſectatores, quibus præerat Demophilus: Gregorius verò Nazianzenus præſidebat iis, qui Trinitatem conſubſtantialem profitebantur. Is in exigua quadam cellula cœtum ſuum colligebat, quæ per quoſdam ſuæ fidei homines, tum ipſi, tum iis qui conſimilem religionem amplectebantur, in domum precatoriam conſtructa erat.* Vide quid ſit. Τὸ ἐκκλησιάζειν vertit Caſſiodorus *ſacra facere*: non prorſus abſurde, etſi non ad verbum. Papiſtæ, quibus Miſſa, itidem vt illi olim Næuia perpetuò in mente, nihil aliud exiſtimarunt eſſe, quam Miſſam: & quidem quomodocunque ſiue ſolitariam, ſiue publicam. At Chriſtophorſonus melius, *cœtum ſuum colligere.* Langus apud Nicephorum, *conuentus agere.* Et credat aliquis Tiletano, nullos adfuiſſe Nazianzeno communicantes? Æquè potuit nullos adſiſtentes: nam apud Papiſtas ſacra poſſunt fieri præſentibus tantùm parietibus, qui ſunt illis pro collecta, vt Franciſco lupi ac vulpes erant pro fratribus. Sed profectò Sozomeno τὸ ἐκκλησιάζειν aliud ſonat: & inde nos non magis adſtantes colligimus, quàm communicantes.

XXIII. Pergo ad Canones. Soter, inquit, hoc tantùm decernit, vt nullus Presbyterorum Miſſarum ſolennia celebrare præſumeret, niſi duobus præſentibus ſibique reſpondentibus: non dixit communicantibus: ſed præſentibus tantum. Concilium Agathenſe c. 18. nihil aliud à laicis exigit, quàm vt miſſas die Dominico totas audiant, & ante benedictionem egredi non præſumant. Idem decernit Concilium Aurelianenſe canon. 28. Et nihil ſtatuunt hæc Concilia de communicatione fidelium diebus Dominicis & feſtis, niſi fideles communicent.

XXIV. Hoc verò, hoc tandem eſt Dialecticæ faſtigium: hoc Peripateticæ ſapientiæ extremum acumen. Non imperatur communio: Ergo negatur vlla fuiſſe communio. O vos illi, qui aliàs tam ſeuerè cùm libet ex puris negatiuis dicitis nihil concludi, quod habetis nunc mentis? quid animi? An vobis perinde omnia putatis licere? Magno id quidem veſtræ cauſæ compendio, ſi quantum in ſyluis, tantùm in diſputando valeret audacia. Atqui, ô boni, varia peccata variis canonibus caſtigari ſolent. Itaque non ſequitur, ſi iſtis non impetrata ſit communio, nullis aliis eſſe imperatam. Sic qui Soter hoc canone cauit duos eſſe præſentes conſecranti; non cauit eodem, vt adeſſet qui deficientis ſubitò vicem ſuppleret: an dicemus nunquam cauiſſe? Minimè verò: extat enim ea de re alius Canon, De Conſecratione, diſtinctione prima, *Vt illud.*

XXV. Quid? ſi Sophiſtarum exemplo dicam iiſdem canonibus non edictum, vt ipſe Sacerdos conſecrans communicaret: ideone ſequetur non debere conſecrantem communicare, quod aliquando factum Bellarminus docuit quarta coniectura? Scilicet notum eſt, ipſam Miſſarum celebrationem, id inferre. Itaque cùm audio Miſſarum ſolennibus adeſſe debere duos reſpondentes; intelligo Miſſam legitimè celebratam; ac proinde ita vt conſecrans communicet: quia nulla Miſſa aliter legitimè celebratur. Simile iudicium de plebis communione; quam æquè continet legitima Miſſarum ſolennitas.

XXVI. Et verò Conciliis Agathenſi & Aurelianenſi, præcipientibus, vt laici totas miſſas audiant, facile eſt addere Concilium Martini Papæ de Conſecratione, diſt. 2. *Si quis intrat Eccleſiam Dei, & ſacras Scripturas audit, & pro luxuria ſua auertit ſe à communione Sacramenti, & in obſeruandis miniſteriis declinat regulam diſciplinæ, iſtum talem proiiciendum de Eccleſia Catholica eſſe decernimus.* Ita vtrumque caput eſſe manifeſtum.

XXVII. Hardingus, *Vnum nunc inſuper locum pro priuata Miſſa adhibebo.* En tibi ſpem vltimam victoriæ, cùm res rediit ad triarios. Chryſoſtomi locus eſt ex 3 homilia ad Epheſios, ſiue ſexageſima prima ad populum Antiochenum, vix prætermiſſus cuiquam, *Multam video rerum inæqualitatem. In aliis quidem temporibus, cùm puri frequenter ſitis, non acceditis: in Paſcha verò, licet ſit aliquid à vobis patratum, acceditis. O conſuetudinem! O præſumptionem! Sacrificium fruſtra quotidianum. In caſſum aſſiſtimus altari: Nullus qui communicetur.* Argumentum. Nullus communicabat: Ergo Miſſa celebrabatur abſque communione.

XXVIII. Nego conſequentiam. Nam quis neſcit hyperbolas frequentes, maximè in vehementibus reprehenſionibus? Ioannis 3. *Et quod vidit & audiuit, hoc teſtatur: ſed teſtimonium eius nemo recipit.* Hîc Maldonatus, *Quod dicit Nemo, hyperbole eſt: nec enim nemo, ſed pauci eius teſtimonium acceperunt.* Sa, *Nemo ſcilicet ferè.* Guillaudus, *Quaſi dicat. Adeò pauci ſunt qui eius teſtimonium accipiunt, vt vix audeam pronuntiare, aliquos accipere illum, adeò paruus auditorum eius eſt numerus.* Toletus, *Verba hæc paucitatem credentium illius temporis ſignificant. Nemo*, inquit, *credit: credebant quidem tunc iam aliqui, tamen collatione eorum, qui tanto teſti credere debuerant, nemo dicitur credidiſſe.* Similiter Paulus poſt ad Timoth. 4. *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit: ſed omnes me deſeruerunt.* Salmero, *Quanquam Petrus eſſet Romæ & Lucas, dixit tamen Paulus, omnes me dereliquerunt: ſed hi non erant de numero eorum qui poſſent eum adiuuare.* Sa, *Omnes ſcilicet, qui fauere poterant* Chryſoſtomus ipſe ſermone de Pſeudoprophetis, quem Gerardus Voſſius edidit inter opera Ephremi, *At Dominus, Ego palam loquutus ſum mundo, & in occulto loquutus ſum nihil. Vides quanta contentione ac ſtudio, qualíq; loquendi libertate clamet; & nemo eſt qui intelligat?* Poſſunt addi alia exempla, ſi opus ſit. Sed non puto futurum. Eſt enim frequenti in vſu.

XXIX. Tum autem Chryſoſtomus ipſe iuuat: qui tota ea oratione inuehitur in eos qui abſtinerent à communione quotidiana; vt ſe coërcerent in paucos annuos dies. Vnde illa, εἰκῇ θυσία καθημερινή, εἰκῇ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ.

θυσιαστηρίῳ οὐδεὶς ὁ μετέχων, *Frustra est sacrificium quotidianum: frustra adstamus altari. Nemo particeps est* : Et quæ multa in eam rem, qualia nulla audiuntur hodie in toto papatu: vbi summus ille, atque adeò vix speratus *παρρησίας* gradus est; si quando vtilius audias frequenter communicare: instar eorum qui rogant in cœnam tam frigidè, vt ostendant renuntiari sibi velle. Cum contrà, Chrysostomi oratione vix possit legi quicquam vehementius: eorum qui lacernas lacerant.

XXX. Deinde sunt hæc diserta, ὅσοι μετέχομεν τοῦ σώματος· ὅσοι τοῦ αἵματος ἀπογευόμεθα, *Quicunque corporis sumus participes; quicunque gustamus sanguinem.* Qui ingressus est longæ illius ac vehementis reprehensionis. Vt facilè concipere liceat, opponi aliquantum numerum communicantium, alteri numero abstinentium: ac proinde falsum, neminem fuisse participem, si non recedas à vi verborum.

CAP. XV.

Contra Missam priuatam, argumentum ab Institutione.

I. CAtholicis inuictissimum argumentum est, vt aliàs, Institutio Christi; quæ vnicam formam, atque essentiam dedit huic Sacramento. Nullum est Sacramentum Eucharistiæ contra institutionem Christi : At Missa priuata est contra institutionem Christi : Ergo Missa priuata non est Sacramentum Eucharistiæ. Maior patet, quia, vt sæpe repetitum est, ipsum hoc Sacramentum nusquam fuit, nisi quatenus institutum ; & sic institutum. Probatur minor; quia institutio sic describitur ab Euangelistis, Pauloque; vt Christus celebrans, siue consecrans; iusserit præsentes accipere, comedere, bibereque. Non enim tantùm ab Euangelistis narrantur Apostoli edisse, bibisseque; quomodo sedisse; tum enim fortasse non posset deduci in consequentiam: sed notant disertè iussisse Christum, vt ederent, & biberent. Imò ad extremum institutionem sanciuisse his postremis verbis, *Hoc facite*; nempe quod ipse feci, quod iussi. Ioannes Fabri Hailbrunensis libri 1. de Missa c. 2. *Eo ipso id præcipiens, vt post consecrationem & etiam Sacramentum ipsum sumamus.*

II. In hoc eludendo argumento varij sunt aduersarij. Primò, Hardingus conuertit aduersum nos. Quis, inquit, ferre possit Christi institutionem ab iis tantopere vrgeri, à quibus flagitiosissimè violatur? Cum enim institutio, quod attinet hoc Sacramentum, tria contineat, Consecrationem, Oblationem, Participationem, quibus vniuersa Missæ substantia absoluitur : illi duobus reliquis antiquatis, & in suis Liturgiis ne nominatis quidem; populo nihil reliquerunt, nisi nudam communionem.

III. Sed hæc inepta ratiocinatio est. Primùm enim; quid tum si aliàs ipsi nos violamus institutionem Christi? An propterea nullum est argumentum? An propterea Papistis licet eam susque deque habere? Imò esto potiùs omnis homo mendax, Deus autem verax. Sic, sic debuerant nos Papistæ aliàs violantes institutionem Christi, si tamen violantes, diris deuouere : ipsi eam sartam tectam tueri. At contrà est: nam illi nulla anathemata in nos vibrant, nisi propter violata Ecclesiæ, imò suæ Ecclesiæ decreta. Diuina verò & ipsi sibi permittunt pro arbitrio tollere, ponere: & nobis, si tolerare queamus sempiterno silentio obrui, longam inviolatam que pacem libentes permiserint. At nobis sanam mentem Deus dedit, vt omnes homines inimicos capiundos censeamus, potiùs quàm vt latum pilum recedamus Christi mandatis.

IV. Tribus perfici substantiam huius Sacramenti, Consecratione, Oblatione, Participatione: Harum duas priores à nobis sublatas. Illud admitto: luculentissimum nostræ victoriæ argumentum. Nam si participatio est de essentia huius Sacramenti: Ergo sacrilegi Papistæ, qui eam antiquarunt: Ergo nos pij, qui restituimus.

V. Reliquas duas abstulisse, calumnia est. Certè nos consecrationem integram retinemus : & tam constanter, vt profiteamur nullum esse, aut esse posse Sacramentum absque ea. Oblationem etiam qui potuimus, qui eo ipso oblationem esse docemus, quo Sacramentum oblationis? Sed illi nimirum non institutionis Christi violationem obiiciunt, sed sua somnia nos abiecisse: imò portenta exterminasse; id verò dolent seriò, dum toti sumus in agnoscenda Dei bonitate.

VI. Videamus reliqua. Hardingus, Numerus, inquit, eorum, qui simul in vno loco communicant, nullo modo pertinet ad Christi institutionem. Christus enim post consecrationem, atque oblationem factam, Sacramentum instituit percipiendum, & comedendum, & in eum finem dixit, *Accipite, manducate, bibite.* His rebus continetur institutio. De numero communicantium, quot nempe homines in vno loco simul sumere debeant, & quonam in loco, quo item tempore, an in mensa sedentes, an stantes, ieiunive, an post captum cibum : vtrùm etiam manibus, an ore sumant, aliique consimiles ritus, mores, & circunstantiæ : hæc omnia ad edendi ceremoniam pertinent, cuius obseruatio, non ex institutione Christi, sed ex Ecclesiæ decreto pendet. Inde Augustinus epist. 118. *Saluator non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis per quos dispositurus erat Ecclesiam, seruaret hunc locum.*

VII. Mera φλυαρία: nihil enim potuit minus ad rem dici. Summa est, in Institutione quædam esse substantialia, quædam minimè. In illis valere argumentum: in istis minimè: At in istis esse numerum communicantium. Respondeo, falsam esse distinctionem: nihil enim pertinere ad institutionem huius Sacramenti; quod non sit essentiale huic Sacramento. Et probo ex ipsis illis Augustini verbis; negantis Saluatorem præcepisse quo deinceps ordine sumeretur. Si non præcepit, profectò non instituit. Quia si instituit, præcepit. Non enim potest aliter institutio concipi. Et inde dictum, *Hoc facite.*

VIII. Sed quid habet participatio, quominus tibi videatur ad institutionem pertinere, siue vt tecum loquar, ad essentiam? Quia numerus communicantium, inquis, nullo modo pertinet ad institutionem? Eia verò, inquam, Numerus communicantium : At numerum communicantium, quis in quæstione nominauit? Nósne vsurpauimus, an tu potiùs, Sophista, induisti ἀπὸ πηγῆς gratia? Hoc potiùs. Nam nos quid disputemus scimus meliùs. Quanquam quid, aut quo sensu numerum dicis? Absolutene oppositū quibusdam, an potiùs indiuiduè, hunc illúmve, putà decem, centum, mille, decem millia? Nam ista sanè notione, non est quòd tecum contendamus. Omnino ita est; nullum communicantium numerum Saluator definiuit. Nec Saluator tantùm, sed ne quidem vlla vnquam Ecclesia.

IX. At priori definitione longè aliter. Nam si nullum sanciuit numerum, ergo permisit absque vllo prorsus homine, sanciuit celebrari sacrificium: id est, vel consecrari, vel comedi. Quo enim tu verbo indicabis numerum potius aliquem sic iudicatum in consecrando, quàm in participando? Aut quæ ratio potius cogat ab vno saltem consecrari, quàm à duobus comedi; qui neque vnum potes legere, neque duos? Imò non potes legere, Consecrate, cùm nos disertissimè legamus, *Accipite, edite, bibite* : quæ verba necessariò numerum significant. Nisi fortè bardus, stupidus, mulio videatur Soter qui definiuit olim, *Hoc quoq; statutum est, vt nullus presbyterorum missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibiq; respondentibus; & ipse tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum: & illud in secretis, Orate pro me: aptissimè conuenit, vt ipsius respondeatur salutationi*, De Consecratione dist. 1. Viden tuo. um oraculorum testimonio, verba pluralis numeri, numerum designare aliquem, & vt minimum duorum? Perge, At verba Institutionis sunt pluralis numeri. Conclude: Ergo institutio designat numerum.

X. Bellarminus: iussit Dominus fieri id quod ipse fecit: sed pro loco, tempore, personis. Ea enim est vis affirmatiuorum præceptorum.

XI. Affirmatiua præcepta non obligare semper, tritum est in scholis Theologicis: sed hoc sensu, vt ne semper sint in actu. Exempli gratia; cùm iubemur eleemosynam dare; non ita est, vt nunquam aliter fiat, sed prout se dabit occasio; ac necessitas. Contra quàm fit in negantibus, quæ semper obligare dicuntur: quia nullam admittant intermissionem. Sed ea affirmantium natura; tum vera, cùm differt habitus ab actibus singularibus. Aliter non constat, & fit dupliciter. Interdum enim præcepta dantur habitum ipsum definientia: vt Deum amare : hic enim habitus est, quo nunquam vacare debet aut mens, aut voluntas nostra: itaq; semper obligat. Aliàs actibus ipsis lex imponitur; qui tamen non sint perpetui, sed recurrentes : vt obseruare Sabbatum. Et huiusmodi etiam semper obligant; nimirum supposito actu: non enim iubetur semper Sabbatum obseruari, putà cùm non est Sabbatum: sed semper obseruari, cum est Sabbatum : ita vt, qui sic Sabbatum non obseruarit, præceptum violarit affirmans.

XII. Ad hunc modum censenda celebratio Eucharistiæ. Non enim iubemur Eucharistiam semper celebrare: sed cùm celebramus, sic celebrare, sicut est instituta. Itaque rectè Ambrosius, *Indignum esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est.* Quare illud, Dominum iussisse fieri quod ipse fecit, pro loco, tempore, personis; nullum habere locum potest in hoc argumento, quo de agimus.

XIII. Peccat etiam aliter; quasi nostrum argumentum esset simpliciter ab iis, quæ Christus fecit: cum sit tamen ab iis, quæ Christus iussit fieri. Nam quæ Christus fecit, fatemur non omnia esse eiusmodi, vt necessariò sint obseruanda: Sed ea dicimus tantùm narrari vt circunstantias actionis: exempli gratia, celebrauit sub vesperam; & post cœnam, & accumbens; & ipsa die Paschæ. Horum igitur esto sanè libera obseruatio. Sed alia sunt quæ simul & gessit actu, & præcepto sanciuit, *Accipite, edite, bibite*: quorum prorsus alia ratio est. Alioquin nihil erit necesse accipi panem: quod tamen ne Papistæ quidem concesserint.

XIV. Respondet Bellarminus, non esse omnium actionum eandem rationem: consecrationem & consummationem esse de essentia sacrificij, ideo nullo modo posse omitti: sed dispensationem non esse de essentia, aut integritate.

XV. Id ego dicebam; non omnes actiones Christi similiter æstimandas. Quid ergo? Nempe illud superest vtro sit in ordine participatio: nos in iis quæ sint de essentia & integritate huius Sacramenti, siue malis sacrificij: Sophista in alteris. Iste nullo probat nisi ex præcepto affirmatiuo; quod est à nobis explicatum: nos probauimus ab institutionis natura. Itaque nostra causa melior.

XVI. Sed vide pertinaciam. Consummationem dicit esse de essentia & integritate sacrificij: negat dispensationem. Et consummationem haud aliter intelligit, quàm consecrantis: prorsus Papisticè. Nam si institutioni defertur aliquid; omnino dicendum dispensationem esse de essentia, & integritate, potiùs quàm illam consummationem. Etenim in institutione duo obseruantur, factum Christi; & præceptum: quo vtroque superior est consummatione dispensatio. Etenim dubitari non potest dispensationem à Christo non neglectam. Nam Euangelistæ notarunt sollicitè, *Dedit discipulis.* Imperatam itidem perspicuum ex verbis, *Accipite, edite, bibite.* At consummationem primò vsurpatam fuisse non constat certò: sed tantùm conii-citur, vt verisimile. Præceptum autem disertum nullum. Nam, *Accipite, edite, bibite*, pertinent ad dispensationem, quia iis dicta qui non consecrarent. Illud autem, *Hoc facite*, etsi significet ea quæ Christus gessit, tamen non significat Christū ipsum consumpsisse, nisi ex hypothesi. Itaque hæc consumptio nullam habet vim nisi verisimilitudinis. Nunquam purgaturi sunt Papistæ præposteri iudicij infamiam: qui quod liquidò, certoque est vsurpatum, & impetratum velint esse arbitrarium : dum volunt omnino necessarium, quod neque factum, neque præceptum constet, nisi per coniecturas. Rursus ergo nostra causa melior.

XVII. Rursum Bellarminus. Sine dubio non iussit Sacramentum dispensari, inuitis aut indignis.

XVIII. Concedo, inquam: sed quid tum? An propterea non iussit dispensare. Certè non iussit idem prædicare surdis: nec tamen non iussit prædicare. Quid? iussitne aliquem inuitum consecrare? Et tamen ne Papistæ quidem tolerent; si quis neget iussisse consecrare. Cur non ergo nos similiter; & si non iusserit obtrudi inuitis, aut indignis; tamen iussisse dispensari?

XIX. Pergit. Si fortè nulli sint, qui velint aut possint communicare, non tenemur Sacramentum ministrare; nec tamen ideo prohibemur à celebratione cessare. In quibus verbis Græcismus est; in prohibemur, pro iubemur.

XX. Concedo non esse Sacramentum ministrandum, si nullus sit communicans,

municans:sed non prohiberi celebrare; nunquam Bellarminus probauit;neque vllus Sophista. Nos contrà, sequi dicimus ex institutione. Nam quomodo cum non sit prædicandum lapidibus, prohibemur prædicare si nullus adsit auditor: ita cum sit Sacramentum distribuendum;necesse est aut violari naturam Sacramenti, aut cessare eius celebrationem.

XXI. Pighius Quid igitur? aliorumne tepente feruore, si quis est in caritate Dei ardentior, & viuifici illius panis quotidianam refectionem desiderat; etiam hic fraudari debet sancto illo suo desiderio, & cœlestis illius panis alimonia, nisi socium suæ illius deuotionis inueniat?

XXII. Similiter ego: quid igitur? si nullum ille caritate in Deum ardens inueniat Sacerdotem ieiunum;húnccine oportebit fraudari suo sancto desiderio? Respondete Sophistæ, quid sitis responsuri? Nam non ieiunum vestræ leges prohibent consecrare: hunc caritate ardentem fraudari, non patitur hoc argumentum. Sed illi huic argumento renuntiabunt potiùs, quàm saturum permittant celebrare. Adeò illi suorum mandatorum sunt obseruatores exactissimi;diuina susque deque habent.Nos respondemus illud solenne, *Quid si cœlum ruat?* Neque patimur particularibus calumniis, artificioseque conquisitis incommodis, fraudem fieri publicæ, diuinæque institutioni. Et quanquam non putemus futurum vnquam in Ecclesia vlla Catholica, vt quisquam tam solus caritate ardeat in Deum; vt socium nullum inueniat; tamen si hoc fieret, autores simus hunc potiùs subiicere desiderium suum institutioni diuinæ. Et hîc applicari id quod alioquin importunè vrgebant de præceptis affirmatiuis.

XXIII. Salmero Christi exemplum non est lex cogens.

XXIV. Nullúmne? Nam si aliquod, cur non istud;& in institutione:& coniunctum cum mandato? Quanquam legem cogentem,quomodo dicis? Nam si volentibus,nolentibus positam:assentimur. Sed quid ad rem?Nam neque consecrationis talis vlla lex est; quæ quenquam inuitum consecrare cogat. An tu igitur dixeris posse absque consecratione esse Sacramentum? Sin cogentem dicas,quam non liceat violare; nos verò dicimus hoc Christi communicantis exemplum eo sensu esse legem cogentem: quo consecrantis: propter eandem causam, nimirum Institutionem.

CAP. XVI.

Contra Missas priuatas, vsus Ecclesiæ Apostolicæ.

I. CHristi vidimus institutionem. Addamus Ecclesiæ vsum: & primùm Apostolicæ. Hanc haud aliter Sacramentum hoc celebrasse, quàm vt communicarent præsentes;hi docent loci. Act.2. *Additæ sunt Ecclesiæ die illo capita quasi ter mille: Erantq; perdurantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus.* Et 20. *Primo die hebdomadis, coactis discipulis ad frangendum panem, Paulus disserebat.* Prioris ad Cor.11. *Cum conuenitis,hoc non est Dominicam Cœnam edere: Nam vnusquisq; propriam Cœnam præoccupat in vescendo: & hic quidem esurit,ille verò ebrius est.* Et pòst, *Quotiescunq; ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis.* Item, *Itaque,fratres mei,cùm conuenitis ad vescendum,alius alium exspectate: quòd si quis esurit,domi edat:ne ad condemnationem conueniatis.* Et c.10. *Poculum benedictionis,cui benedicimus,nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus,nonne communio corporis Christi est? Quoniam vnus est panis, vnum corpus nos illi multi sumus: omnes vnius panis sumus participes.*

II. Hæc authentica sunt testimonia celebrationis Eucharistiæ in Ecclesia, cui præsentes aderant Apostoli. Ab iis hæc ordine argumenta. Primùm, Eucharistia nusquam, nisi in pluribus; & his quidem coactis in eum finem. Secundò, nunquam sine fractione & esu panis. Tertiò, qui non expectarent alios reprehensi, & quidem proposito damnationis metu. Quartò, de vno pane omnes comedentes. Quintò, vnum illum panem esse κοινωνίαν, communionem corporis, & poculum sanguinis Christi. Quorum capitum nullum est non aduersum priuatæ missæ.

III. Quid habent aduersarij, quod opponant? Nam coacti tam manifestis argumentis, dant factum quod volumus: Tiletanus semel, *Perspicuè Scripturam testari, quotidie Apostolos synaxin celebrasse, & discipulis credentibus dispensasse: quod & feruente credentium deuotione obseruatum fuisse certissima historia testantur.* Rursus, *In Ecclesia Corinthiaca perspicuum est ita celebratam esse Cœnam Dominicam, vt corpus & sanguis Christi sint dispensata, & distributa toti Ecclesiæ: & fideles factos esse participes mensæ Domini, non spectando, sed manducando; sicut Paulus dicit, omnes ex vno pane manducare* Bellarminus, *Nihil verius dici potest*; breuiter, sed rotundè. Nam & olim Abdias ille, quisquis fuit, in vita Matthæi, *Cùm respondissent Amen, & mysteria Domini celebrata, & Missam suscepisset omnis Ecclesia.* In Thomæ, *Benedicto pane, communicabat eum omnibus.* Hic verò noster est triumphus. Instituit Christus: obseruarunt Apostoli. Et non tacent aduersarij?

IV. Imò Tiletanus. Ex eo haudquaquam consequens est, vbi refrixit primus populi ardor, non licuisse antistiti seu presbytero celebrare Missam, & communicare sine populi communione. Iterum. Perspicuum est non dicere Paulum, si quando offeret Sacerdos pro populi totius salute, & solus sumat, manducet, bibat, scilicet populo ad communionem non parato, nec communionem requirente, eum contra Christi institutionem facturum. Bellarminus: Non sequitur non posse vnquam sacrificium sine dispensatione offerri.

V. Proh Dei atque hominum fidem; quod genus hoc hominum est? Primùm, nota Tiletanum præscribere Apostolo verba: quæ si non legat in eius scriptis, nihil credat? Quasi ille olim, Si non immisero digitum in vlcera, non credam resurrexisse Christum. Miram pertinaciam aduersus verbum Dei! Quanto molliores in suis commentis? Vnum apicem arripiunt: sollicitant singulas syllabas: torquent verba: nullam coniecturam respuunt, vt sua placita in tuto constituant. Si legant apud Paulum, ad tempus secedere coniugatos orationis ieiuniique causa: ipsissima lex est cœlibatus. Si semel audiant; non regenitos Spiritu & aqua, non ingressuros regnum cœlorum; nihil habent certius, quàm omnes damnandos, qui aquæ elemento non fuerint regeniti. Et mille similia. Hîc, hîc vbi habent prolixam, disertam, planam institutionem, & quidem quater repetitam: habent solennem Apostolorum vsum; negant quicquam sequi: negant vllam vim esse: quid non tandem negant?

VI. Et causam vide pertinaciæ. Refrixit primus populi ardor: non est populus paratus ad communionē: nō requirit communionem. Auspicatum vobis sanè populi frigus Sophistæ, tam commodum vestræ audaciæ velum. At olim Paulus quosdam increpabat, qui dicebant oportere fieri mala, vt euenirent bona. Quanto iustiùs in vos detonaret, Sophistæ; qui non ægrè fertis factum esse malum, vt malum faceretis? Malum fuit refrixisse ardorem populi: Sed hoc frigus vos alacres excepistis; vt malum hoc admitteretis mutandæ institutionis huiusce sacrosanctæ. Et non veremini Deum?

VII. Atqui si non fuit Apostolis causa idonea; ne vobis quidem esse debuit. Non fuit autem. Probo, quia etiam viuis Apostolis refrigerat idem ardor. Nonne enim Paulus suos accusat Corinthios, non celebrantes Cœnam Dominicam? Scilicet is apud Papistas adhuc ardor est, & quidem piissimus. Et tamen non mutauit institutionem Paulus. Quin potius hæc ei causa sontica renouandæ institutionis. Et non pudet, vobis nullam hanc esse causam? ô tempora! ô mores!

VIII. Mentiuntur tamen qui negant Paulum dixisse, contra institutionem Christi facturum, qui solus omnia voret. Nam qui potuit manifestiùs, quàm cùm dixit, *Cum conuenitis, hoc non est Dominicam Cœnam edere?* Cùm dixit, *Alius alium exspectate: ne ad condemnationem conueniatis.*

IX. Sed altiùs Bellarminus: Cum Paulus opponit Cœnam Domini cœnæ priuatæ, non loquitur de Eucharistia; sed de conuiuio, quod in Ecclesia olim in pauperum refrigerium fieri solebat. Rationes habet: Vnam, quòd aliqui ebrij fierent: quod non potest in Eucharistia, quæ cibus mentis, non ventris. Alterum, quia Paulus reprehendat Corinthios, quòd illa conuiuia non celebrarent ampliùs, sicut oportebat; sed diuites seorsim lautèque: pauperes seorsim & vix ad satietatem. Itaque mentem esse; illa conuiuia non repræsentare amplius Cœnam Dominicam. Cæterum in Eucharistia omnes æquè sobriè, & lautè, cum omnibus daretur corpus Dominicum in modica specie panis.

X. Sed nos agi de Cœna Domini probauimus, c.1. libr.6. multorum veterum, recentiorumque; atque adeò Papistarum testimoniis; quibus repetitis, nihil nunc opus. Et patet ex toto contextu. Nam manifestum est his verbis, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis:* nullum describi conuiuium institutum pauperibus refrigerandis: sed ipsissimum hoc conuiuiū diuinum; quo de nunc quæstio est, nec dubitare audent Papistæ. Porrò copula, *enim*, connectit præcedentibus, *Quid vobis dicam? laudabo vos? In hoc non laudo.* Quis ergo sensus? Thomas, *Postquam Apostolus redarguit Corinthiorum inordinationes, quas committebant conueniendo ad Eucharistiæ Sacramentum sumendum, hic agit de ipso Sacramento.* Videlicet quia non potuit meliùs abusus tolli, quàm proposito legitimo vsu, qui totus ab institutione. Atqui si non fuisset is abusus, nisi in conuiuio cui nihil commune cum Eucharistia; quid opus erat in eum finem Eucharistiæ formam reponere? Itaque sic connectendæ partes sunt, *Non est Dominicam Cœnam edere: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Nempe, quia Cœnæ Dominicæ ratio longè alia est; talis videlicet, qualem nunc descripturus sum.

XI. Sed non inebriat vinum Eucharisticum. Adde, inquam, moderatè sumptum. Nam alioquin tui omnes magistri, etsi omnem vini substantiam excludant, tamen admittunt omnes effectus vini: ac proinde etiam ebrietatem. Et verò Thomam audi, art.6. quæst.77. part.3. disputantem contra negantes species Sacramentales posse nutrire, *Contra est, quod Apostolus prioris ad Corinthios vndecimo, loquens de hoc Sacramento, dicit, Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Haud aliter Bonauentura in 4. distinct.12. artic.2. quæst.1. Vbi notandum hunc ipsum locum exponi de Sacramento Eucharistiæ: vnde Bellarminus nititur probare oppositum. Patet ergo solutio. Nimirum, non inebriare vinum Eucharisticum moderate sumptum; vt fit in legitima eius dispensatione. Sed Paulus loquitur de abusu: & eo abusu, quem oportuit coërceri.

XII. Fateor cibum esse mentis non ventris: scilicet quatenus signa non attenduntur quid sint, sed quid significent. Sed non obstat quominus etiam sint cibus ventris: vnde Origenes dixit in Matthæi 15. *Ille cibus qui sanctificatur per verbum Dei, perq; obsecrationem, iuxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum eiicitur.* Et Iustinus Apolog.2. τὴν εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν dicit ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, *Cibus ille super quo gratiæ actæ sunt; ex quo per mutationem sanguis, atque carnes nostræ nutriuntur.* Quanquam quid opus testibus, in re tam perspicua, & quam omnes Papistæ Theologi habent in confesso?

XIII. Concedo Paulum velle; illa conuiuia non repræsentare amplius Cœnam Dominicam: sed illam videlicet institutam in vsum Sacramentalem: & non amplius; id est, æstimatam ex abusu, qui legitimo vsui successerat: cùm tamen alioquin celebraretur in eum finem, aut saltem eo prætextu, vt essent Sacramentum. Quemadmodum nos hodie dicimus Missam Papisticam, nihil retinere de Cœna Dominica. Itaque Chrysostomus sic interpretatur, *Non dixit conuenientibus vobis non licet communiter manducare, non licet inter vos conuiuari: sed rursus aliter,* καὶ πολλῷ φοβερώτερον αὐτῶν καθάπτεται, *& multo terribiliùs eos tangit, dicens iam non est Dominicam Cœnam manducare:* ἐκείνην παραπέμπων αὐτοὺς ἐντεῦθεν ἤδη τῇ ἑσπέρᾳ, καθ' ἣν τὰ φρικτὰ μυστήρια παρέδωκεν ὁ Χριστὸς, *eos ad illam transmittens vesperam, in qua Christus reuerenda tradidit Sacramenta. Propterea & prandium vocauit cœnam. Etenim illa cœna habuit omnes communiter accumbentes. Atqui non tantum interest inter diuites & pauperes, quantum inter Magistrum & discipulos. Cogita quantum interesset inter Præceptorem & proditorum.* ἀλλ' ὅμως καὶ συνῆν μετ' αὐτῶν κατεκλίνετο, καὶ οὐδὲ τοῦτον ἐξέβαλεν, ἀλλὰ καὶ ἁλῶν αὐτῷ μετέδωκε, καὶ τῶν μυστηρίων κοινωνὸν αὐτὸν ἐποίησε, *Sed tamen ille quoq; cum eis accumbebat: & neq; eum expulit, sed etiam sale impertiuit, & Sacramentorum fecit participem.* Oecumenius manifestiùs, κυριακὸν δεῖπνον, τὸ δεσποτικὸν καλεῖ μυστήριον. ἐκείνου γὰρ πάντες ὁμοίως μεταλαμβάνουσι, καὶ οἱ πενίᾳ συζῶντες, καὶ οἱ πλούτῳ κομῶντες, καὶ οἰκέται, καὶ δεσπόται, καὶ ἄρχοντες, καὶ οἱ ἀρχόμενοι· ἔδει τοίνυν καὶ τὰς κοινὰς τραπέζας εἶναι κοινὰς, καὶ τὴν δεσποτικὴν μιμεῖσθαι, ἣ πᾶσι πρόκειται ὁμοίως, *Dominicam Cœnam, Magistri vocat Sacramentum. Huius enim omnes similiter participes fiunt; tum qui pauperem vitam degunt, tum qui diuitiis superbiunt: & famuli & heri:*

& heri: & subditi, & imperantes. Quare oportuit communes mensas esse communes, & illam Dominicam imitari, quæ omnibus æquè proponitur. Allucinatur ergo Bellarminus, quum alio vagatur.

XIV. Sed esto, inquit, intelligatur Paulus loqui de Eucharistia: nihil tamen inde sequitur. Nam cœnam priuatam vocat, à qua excluduntur alij; non ad quam non coguntur: At missæ Papisticæ non excludunt communicantes; quin potius optant Papistæ, vt in singulis communicent qui adstant.

XV. At mentitur Sophista. Nam Paulus cœnam priuatam describit, ad quam non exspectantur alij, *Vnusquisque*, inquit, *propriam Cœnam προλαμβάνει, præoccupat*, Syriace, קדם אכל לה, *ante comedit sibi*: Ipsissimum peccatum Sacerdotum Papistarum; qui cum primum consecrarunt; nemine exspectato, nemine inuitato, solis sibi omnia sumunt: Cum tamen Paulus, *Cum conuenitis ad vescendum alius alium exspectate.*

XVI. De eiusdem Epistolæ cap. 10. sic philosophatur. Apostolum eo loco non describere ritum Cœnæ Domini, vt declarat quid sit ipsa celebratio huius mysterii, vel in quo pręcipue consistat: sed tantum vt ostendat, eos qui Eucharistiam sumunt participes esse mensæ Domini, & socios Christi fieri; quemadmodum fiunt socij dæmoniorum, & participes sunt altaris idolorum, qui scienter manducant idolothyta. Ex eo non sequi Missam sine communione populi non esse licitam: vel eos qui Missæ intersunt, & non communicant, nihil vtilitatis capere. Hanc enim affirmantem propositionem esse verissimam. Qui reipsa Eucharistiam manducet, cum Christo cõiungi: istam vero negantem falsam, nec apud Paulum haberi, qui non sumat reipsa Eucharistiam, sed solo voto ac desiderio, nullo modo cum Christo iungitur, aut frustra interest sacrificio.

XVII. Non describi ritum Cœnæ, vt declaretur quid sit ipsa celebratio. Quid tum, inquam? An propterea non describi ritum ipsum? Non ausus dicere, quantumuis audax Sophista. At nobis hoc sufficit; si verum sit describi ritum: quicunque sit tandem scopus describentis. Quid enim? Cum ex Ambrosio Satyrus describitur oratio Eucharistiam inuoluens, habuitne hunc sibi scopum propositum, vt doceret, quo ritu celebraretur Eucharistia; an potius vt fratris sui laudaret pietatem? Et tamen assumptus est Satyrus in argumentum conseruatæ Eucharistiæ. Scilicet Paulini, cum se diceret designatum Sacerdotem nullius Ecclesiæ: scopus fuit vt doceret priuatas missas in vsu esse. Et tamen id Bellarmino argumentum fuit priuatæ missæ. Itaque nunc id agit quod impostores, vt quæ sibi liceret volunt, aliis interdicant.

XVIII. Et tamen non verum, duntaxat describi ritum Cœnæ: insuper verum declarari quid sit ipsa celebratio. Diserta verba, *Calix benedictionis, cui benedicimus, est communio sanguinis: Panis quem frangimus est communio corporis.* Enim vero benedicere calicem, & frangere panem; tam pertinet ad celebrationem, vt vtrumque retinuerint Papistæ, qui tamen ritum dispensationis amouerunt. Quare celebrationem ipsam Eucharistiæ Paulus determinauit esse communionem corporis & sanguinis. Atqui hæc nulla, si nulla dispensatio. Sequitur ergo celebrationem Cœnæ Dominicæ, esse dispensationem.

XIX. Quid ad me: Ergo si non exspectauit Paulus dum Iesuitæ nascerentur, Bellarminusque sibi verba præscriberet, vt diceret, qui non reipsa, sed solo voto ac desiderio sumpserit Eucharistiam, hunc nullo modo Christo iungi? An nobis propterea perire necesse est, quicquid in eius disputatione virium est? Enimvero si consuluisset Paulus quoscunque hæreticos, & ad eorum arbitrium verba sua temperasset; quid hodie commodi haberet Ecclesia? Quanquam, quis docuit nullo modo iungi Christo, qui panem Eucharistiæ non recipiat? Minimè omnium nos: qui Christo arctissimè vniri fideles asserimus, etiam extra omnem Eucharistiæ vsum. Itaque nihil nisi abducere conabatur Sophista à præsenti quæstione.

XX. Sed Paulo disertè dictum, poculum esse κοινωνίαν sanguinis: panem esse κοινωνίαν corporis: Nam communis sensus est κοινωνίαν non dici de vnico, sed de pluribus. Vnde nos concludimus, nullam esse missam priuatam; quia cùm priuatum opponatur τῷ κοινῷ, nulla possit dari communio, vbi non nisi vnus sit.

XXI. Cui argumento tanto vis maior, quanto certius huic Sacramento hoc nominis fuisse semper eximium constat: teste Areopagita, initio 3. de Ecclesiastica Hierarchia, Τὸ κοινὸν καὶ ταῖς ἄλλαις ἱεραρχικαῖς τελεταῖς, ἐκκρίτως αὐτῇ παρὰ τὰς λοιπὰς ἀνατίθεται, καὶ ἑνιαίως ἀναγορεύεται κοινωνία τε καὶ σύναξις, *Id quod commune est omnibus Hierarchicis carremoniis, huic distinctè à reliquis assignatur, & peculiariter appellatur Communio & Congregatio.* Eius rei ratatio subiicitur, οὐ γὰρ ἔνι σχεδόν τινα τελεσθῆναι τελετὴν ἱεραρχικήν, μὴ τῆς θειοτάτης εὐχαριστίας ἐν κεφαλαίῳ τῆς καθ' ἕκαστα τελουμένων τὴν ἐπὶ τὸ ἓν τοῦ τελεσθέντος ἱερουργούσης συναγωγήν, ἢ τῇ θεοπαραδότῳ δωρεᾷ τῆς τελειωτικῶν μυστηρίων τελεσιουργούσης αὐτοῦ τὴν πρὸς θεὸν κοινωνίαν, *Vix enim potest quisquam censecrari consecratione Hierarchica; nisi diuina Eucharistia, accedens ad summam omnium sigillatim celebratorum, eius qui initiatus sit, congregationem ad vnitatem consecret, & consecrantium signorum dono diuinitus instituto, perficiat eius communionem cum Deo.* Pachymeres ταύτην δὲ κοινωνίαν λέγει, διὰ τὸ τότε κοινωνεῖν τοὺς ἀξίους πάντας τῶν μυστηρίων, *Hanc etiam communionem vocat, quia omnes digni participes fiant Sacramentorum.*

XXII. Viget hoc argumentum: cui obnituntur dupliciter: Moquotus nouus ἐντεχνίτης, Supponunt, inquit, nullam esse communionem nisi plures duobus simul participent ei quod est commune. At hoc falsum: Quia inter coniugatos, communio est corporum; qui tamen non plures duobus. Illud probat ex Theodoreti Therapeuticon 3. dicentis, continentes reiecisse τῶν σωμάτων ἔννομον κοινωνίαν. Deinde, quia inter duas naturas Christi, κοινωνία fit ἰδιωμάτων.

XXIII. Sed mentitur scurra, à nobis exigi necessariò plures duobus ad κοινωνίαν. Nunquam id cuiquam nostrûm dictum. Et quid est necesse; cum missa priuata ne duos quidem admittat? Nam ne ij quidem testes, quos habent ex suorum canonum præscripto, partem accipiunt. Cùm tamen olim ex Liturgiis certissimum sit à Sacerdote semper distributam Eucharistiam Diacono delaturo ad plebem eis tam. Dicimus ergo κοινωνίαν necessariò adsignificare numerum, nec posse consistere in vno singulari, & solitario. Itaque in missis priuatis, cùm sit vnus & solitarius omnia sibi sumens, nullam esse κοινωνίαν: ac proinde nullam Eucharistiam.

XXIV. Numerum certum nullum notari, ipsi scimus; & varium esse pro locis, temporibusque. Sed quænam hæc impudentia est, quæso; quia nullus certus sit, ideo nullum omnino esse? Deinde pro variis rebus variari etiam communionis rationem. In coniugio duorum esse nec plurium. In familia interdum duorum, interdum plurium. In vrbe nunquam duorum tantùm, sed necessariò plurium: quandoquidem hæc constet ex familiis: familia autem nulla, vt non sint saltem duo. In regno plurium vrbium. Et fortasse, aliter. Violari autem communionem in regno, si non omnibus vrbibus pateat: in vrbe, si non omnibus familiis: In familia, si non omnibus personis. Iam verò in Ecclesia communionem hanc esse omnium fidelium. Ideo si non omnes fideles admittantur, violari Eucharistiam. Quod non querimur in priuatis fieri missis.

XXV. Hardingus magis ad personam Theologi, negat dici κοινωνίαν, quod multi, siue tota Ecclesia simul in vno loco communicet: sed propter effectum Sacramenti; videlicet quoniam per illud Deo coniungimur; & multi qui diuersi sunt inter se, copulentur, vnumque Christi mysticum corpus fiant. Itaque nunquam quenquam communicare solum: quandoquidem tota Dei Ecclesia vna tantum domus sit: adeò vt quicunque ederit de hoc agno dignè, cum omnibus omnium locorum & regionum Christianis communicet. Posse ergo aliquam communionem esse, etiam si, qui communicant, locorum interuallo disiungantur.

XXVI. Dixit Paulus, hunc panem esse communionem corporis Christi. Inde nostrum argumentum in promptu. Nulla communio est vnius: At panis Eucharistiæ, est communio: Ergo panis Eucharistiæ non est vnius: contra quam fit in priuatis missis. Hardingus quasi responsurus distinguit communionem; vel cum tota Ecclesia in vno loco communicat: vel cum per Sacramenti effectum Deo coniungimur. Priori modo negat apertè minorem. Altero ergo debet maiorem: si non plus quàm ineptè nugatur. Quanquam etiam sic plus quàm ineptè nugetur; qui neget communionem nullam esse vnius.

XXVII. Sed interrogo tamen quare in priore membro vnius meminerit loci. Non enim nos id in quæstione posuimus: qui censemus etiam illum veterem morem siue deferendi Eucharistiam ad absentes, ægrotosve, siue eandem asportandi domum ab iis qui in Ecclesia sumerent; & conseruare communionem; & euertere missam priuatam: quia nimirum multi sumerent à Sacerdote panem consecratum. Itaque nisi lateat anguis in herba; debuit prius membrum simpliciter dicere, cùm tota Ecclesia communicat. Quamuis ne totam quidem Ecclesiam, vrgeamus; sed tantum impugnemus vnius ingluuiem; cui potest nullus esse locus, etiam si locus vnus non sit.

XXVIII. Et est verum nihilominus dici panem communionem corporis, poculum sanguinis, propter effectum. Non enim aliter potuisset, non communio nudè, sed communio corporis Christi, communio sanguinis Christi. Quid tum autem? An propterea panis ipsius nulla est communio? Nam hoc vrgemus: & duo obseruamus. Vnum, communionem ipsius panis, & communionem per effectum, non esse in oppositis, vt sese mutuò tollant. Alterum, panem hunc esse communionem per effectum; quia ipse panis communicetur.

XXIX. Hoc probatur tum ex Paulo, tum ex Veteribus. Paulus communionem per effectum dixit, cùm dixit, *Vnum corpus nos illi multi sumus.* Omnino quo sensu Hardingus dixit, *quoniam per illud Deo coniungimur; & multi, qui diuersi sunt inter se, copulentur, vnumque Christi mysticum corpus fiant.* Sed idem dixit, *Quia vnus est panis, vnum corpus, nos illi multi sumus: omnes enim vnius panis sumus participes.* Enimvero nõ obiicit simpliciter vnũ corpus; quod inuenitur etiam extra Eucharistiam: sicut idem dicit eiusdem epist. c. 12. *Per vnum spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus.* Sed disertè proposuit, *Panem esse communionem.* Et hoc exposuit, eo fieri, quòd vnus sit panis: & de illo vno pane omnes participent. Quod non fit in missa priuata.

XXX. Inde Dionysius, τῇ θεοπαραδότῳ δωρεᾷ τῶν τελειωτικῶν μυστηρίων, *à Deo instituta donatione initiantium mysteriorum* perfici, τὴν πρὸς θεὸν κοινωνίαν, *communionem cum Deo.* Et iterum, ἡ θειοτάτη τοῦ ἑνὸς καὶ ταυτοῦ καὶ ἄρτου καὶ ποτηρίου κοινὴ καὶ εἰρηναία μετάδοσις ὁμοτρόπιαν αὐτοῖς ἔνθεον ὡς ὁμοτρόφοις νομοθετεῖ, *Sancta illa vnius & eiusdem panis ac poculi communis, pacificaq; distributio, vnitatem morum illis diuinam sancit, tanquam simul educatis.* Oecumenius, συνάπτει γὰρ ἡμᾶς τῷ Χριστῷ τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὡς μέλη τῇ κεφαλῇ, διὰ τῆς μεταλήψεως, *Aptat enim nos Christo ipsius sanguis, tanquam membra capiti, per participationem.* Et paulo pòst, ἐκ πολλῶν γὰρ κόκκων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀθροιζόμενος ὁ ἄρτος γενόμενος, καὶ ἡμεῖς οἱ πολλοὶ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἑνὸς μεταλαμβάνοντες, γινόμεθα ἓν σῶμα Χριστοῦ, *Etenim ex multis granis vnus panis constans: & nos, qui multi, eum vnum participantes sumus vnum corpus Christi.* In Liturgia Basilij edita ab Andrea Masio ex codice Syro, *Vt cùm testimonio sincero conscientiæ nostræ facti participes sanctificationum tuarum vniamur corpori & sanguini Christi tui.*

CAP. XVII.

Contra priuatam Missam, vsus Ecclesiæ post Apostolos.

I. MAgnum nobis fundamentum Institutio Christi, vsus Apostolorum. Sed accedit magnũ documentum Ecclesiæ post Apostolos multorũ seculorum. Confessus est Bellarminus nusquã expresse legi Veteribus oblatum sacrificiũ sine communione: ideoque confugit ad tenues coniecturas. At nos non tenues coniecturas sectati, sed diserta, dilucida testimonia, profitemur vbique expresse legi Veteribus non oblatum sacrificium absque communione. Quanto hæc plenior victoria? Et quidem præstò est aduersariorũ confessio. Sic enim legimus in Catechismo Tridentino, *Ac tempus quidem olim fuisse, cum fideles quotidie Eucharistiam acciperent ex Apostolorum Actis intelligemus.* Paulo pòst, *Eam postea consuetudinem, quæ intermitti videbatur, Anacletus sanctissimus martyr & Pontifex, aliqua ex parte renouauit.* Et iterum, *Diu etiam in Ecclesia, ille mos fuit, vt Sacerdos peracto sacrificio cum Eucharistiam sumpsisset ad populum qui aderat, conuersus, his verbis ad sacram mensam fideles inuitaret, Venite fratres ad communionem.* Satis luculentè quod volumus. Veruntamen interest veritatis distinctiùs annotare singula.

singula. Nam hæc etsi latè patens, tamen concisa confessio, rem minùs illustrem relinquit.

II. Primo loco constituam liturgias. Nam quis dubitet istis exprimi formam, siue ritum celebrandæ Eucharistiæ? Ast in iis omnibus constans mentio communionis. Iterum dico, nulla liturgia aliter est. Dionysius 2. parte c. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας, ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ εἰρημένα, διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων· καὶ τὰς δωρεὰς τῶν θεουργιῶν ὑποδείξας, εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερὰν αὐτός τε ἔρχεται, καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται· μεθέξων δὲ καὶ μεταδοὺς τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας, εἰς εὐχαριστίαν ἱερὰν καταλήγει, *Pontifex laudatis sacris Dei operibus, ea quæ diuinissima sunt rite perficit; & quæ dixit in aspectum prefert per signa sancta proposita: donisque diuinorum operum monstratis; ad eorum sacram communionem cum ipse venit, tum cæteros hortatur. Accepta autem dataque diuina communione desinit in sacram gratiarum actionem.* Rursus parte 3. Εἶτα τῆς θεομιμήτου ταύτης ἱερουργίας ἄξιος αἰτήσας γενέσθαι, καὶ τῇ πρὸς αὐτὸν χριστὸν ἀφομοιώσει τὰ θεῖα τελέσαι, καὶ διαδοῦναι πανάγνως, καὶ τοὺς τῶν ἱερῶν μεθέξοντας ἱεροπρεπῶς μετασχεῖν, ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνούμενα διὰ τῶν ἱερῶν προκειμένων συμβόλων. Τὸν γὰρ ἐγκεκαλυμμένον καὶ ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψας, καὶ εἰς πολλὰ διελὼν, καὶ τὸ ἑνιαῖον τοῦ ποτηρίου πᾶσι καταμερίσας, συμβολικῶς τὴν ἑνότητα πληθύνει, καὶ διανέμει. *Deinde rogato, vt dignus fiat hac sacra actione ad Dei imitationem instituta; & similis Christo diuina perficiat, casteq; distribuat; atque vt participaturi hæc sacra, digne participent; perficit quæ maxime sunt diuina: & ea quæ hymnis erat prosequutus profert in aspectum per sancte proposita symbola. Pane enim prius occultato, & infecto, reuelato dissectoque in plurima. vnicoque poculo cunctis distributo, symbolice vnitatem multiplicat, distribuitque.*

III. Clemens Constitut. 8. cap. 12. *Mittas super hoc sacrificium sanctum tuum Spiritum testem passionum Domini Iesu; vt efficias panem hunc corpus Christi tui, & calicem hunc sanguinem Christi tui,* ἵνα οἱ μεταλαβόντες αὐτοῦ *vt qui eum participarint ad pietatem firmentur.* Capite decimotertio, Καὶ μετὰ τοῦτο μεταλαμβανέτω ὁ ἐπίσκοπος, ἔπειτα οἱ πρεσβύτεροι, *Et postea sumat Episcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi, & Hypodiaconi, & Lectores, & Cantores, & Ascetici, & ex fœminis Diaconissæ, ac virgines, & viduæ; postea pueri:* καὶ τότε πᾶς ὁ λαὸς κατὰ τάξιν, *& deinde cunctus populus ordine, cum pudore, & reuerentia, sine tumultu & strepitu.* καὶ ὁ μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφορὰν, λέγων, σῶμα χριστοῦ· καὶ ὁ δεχόμενος λεγέτω, Ἀμὴν, *Atque Episcopus quidem tribuat oblationem, dicens corpus Christi: & qui accipit dicat, Amen.* Ὁ δὲ διάκονος κατεχέτω τὸ ποτήριον, καὶ ἐπιδιδοὺς λεγέτω, αἷμα χριστοῦ ποτήριον ζωῆς· καὶ ὁ πίνων λεγέτω, Ἀμὴν, *Diaconus vero accipito calicem, & distribuens, dicito, sanguis Christi calix vitæ: & qui bibit dicito, Amen* καὶ ὅταν πάντες μεταλάβωσι, καὶ πᾶσαι, *Et postquam omnes tum viri, tum fœminæ participauerint, sumant Diaconi reliquias.* Vbi Turrianus magnus ille antiquitatis mystes: & qui toties notat Apostolicas doctrinas contra Caluinum: magnifice oblitus est notare Apostolicam doctrinam communionis contra Papistas. Quasi videlicet dissimulata vulnera sanarentur.

IV. In Iacobi Liturgia; non tantum illud est, ἵνα γένηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *vt fiat omnibus ea participantibus in remissionem peccatorum.* Sed etiam ista disertiora, ὁ ἱερεὺς λέγει εὐχὴν πρὸ τῆς μεταλήψεως, *Sacerdos orationem pronuntiat ante communionem;* suam videlicet: preces enim concipit suo vnius nomine, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐνώπιον σου, καὶ οὐκ εἰμὶ ἄξιος μεταλαβεῖν τῶν ἀχράντων σου μυστηρίων, *peccaui in cœlum & coram te; nec sum dignus partem accipere purissimorum tuorum mysteriorum:* ἀξίωσόν με τῇ χάριτί σου ἀκατακρίτως μετασχεῖν τοῦ ἁγίου σώματος, καὶ τοῦ ἁγίου αἵματος, *dignum me præstato communicandi citra damnationem sacrosancto corpori & sanguini.* Postea ita, εἶτα μεταδίδωσι τῷ κλήρῳ, *tum distribuit Clero.* ὅτε δὲ ἐπαίρουσιν οἱ διάκονοι τοὺς δίσκους καὶ τοὺς κρατῆρας εἰς τὸ μεταδοῦναι τῷ λαῷ, λέγει ὁ διάκονος αἴρων τὸν πρῶτον δίσκον, κύριε εὐλόγησον, *Cum autem extollunt Diaconi Discos, & Crateras ad communicandum populo, dicit Diaconus eleuans primum discum Domine benedicito.*

V. In Liturgia Chrysostomi, μεταλαμβάνουσι τὸν ἅγιον ἄρτον, ὁμοίως καὶ τὸ ἅγιον ποτήριον· καὶ μεταλαμβάνει πρότερον μὲν ὁ ἱερεὺς τρία ῥοφήματα ἐν μιᾷ ὑποκλίσει, *Participant sacrum panem, similiterq; sacrum poculum, & prior participat Sacerdos ter sorbens unica inclinatione.* Tum vocato Diacono, λέγει ὁ ἱερεὺς μεταλαμβάνει ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ διάκονος, ὁ δεῖνα, τὸ τίμιον καὶ ἅγιον σῶμα καὶ αἷμα τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν. Dicit Sacerdos, *Participas tu serue Dei Diacone, N. venerandum sanctumq; corpus ac sanguinem Domini ac Seruatoris nostri.* Et pòst, τότε λαβὼν τὸν ἅγιον δίσκον ὁ διάκονος, *Tunc accepto Diaconus sacro corbe,* deterget spongia ἀποσπογγίζει; & operit poculum; & disco imponit operculum, καὶ ἀνοίγουσι τὴν θύραν τοῦ ἁγίου βήματος· καὶ ὁ διάκονος προσκυνήσας ἅπαξ λαμβάνει τὸ ποτήριον μετ' εὐλαβείας, καὶ ἔρχεται εἰς τὴν θύραν, καὶ ὑψῶν τὸ ἅγιον ποτήριον, δείκνυσιν αὐτὸ τῷ λαῷ, λέγων, μετὰ φόβου θεοῦ καὶ ἀγάπης προσέλθετε: *Et aperiunt portam suggestus, ac Diaconus postquam adorauit semel, poculum accipit cautè, progrediturq; ad ianuam, eleuatumq; sacrum poculum ostendat populo, dicens, Cum timore Dei, & dilectione accedite.*

VI. In Basilij, καὶ ἐν τούτῳ δὲ ὁ χορὸς τὸ αὐτὸ ψάλλει τῇ τοῦ χρυσοστόμου ἱερουργίᾳ· καὶ ὁ ἱερεὺς καὶ ὁ διάκονος, ἐν τῇ ζέσει, καὶ ἐν τῷ μελισμῷ, καὶ ἐν τῇ κοινωνίᾳ, καὶ ἐν ταῖς εὐχαῖς, καὶ θρησκείαις ταῦτα καὶ λέγουσι καὶ ποιοῦσι τῇ τοῦ χρυσοστόμου, *Hic tum chorus canit cum Chrysostomi officio: tum Sacerdos, Diaconusq;, quâ in feruente,* (id est, in mixtione aquæ feruentis, is enim mos Græcorum,) *quâ in diuisione, & communione; quâ in precibus & adorationibus, & dicunt & faciunt eadem quæ in Chrysostomi liturgia.*

VII. In Missa siue Canone vniuersali Æthiopum, *Hîc Sacerdos sumit corpus & sanguinem: & postea communicat ex eadem hostia, ministris sacrificij dicens, Hoc est corpus; & reliqua.* Tum statim, *Hoc loco, dum ministratur Sacramentum populo, psallunt docti.*

VIII. In Liturgiis Petri, Marci, Romana non est communio tam magnificè expressa: sed non omissa tamen. In Petri, εἶτα λέγει κοινωνικόν. ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἐλέησον ὑμᾶς, καὶ μετὰ τὸ πάντας μεταλαβεῖν, ὁ ἱερεὺς θυμιῶν λέγει, Ὑψώθητι ἐπὶ τοὺς οὐρανοὺς ὁ θεὸς ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν ἡ δόξα σου, *Deinde legit communionem* interpretatur Lindanus, *Orationem quæ ad sacram Eucharistiæ participationem populum præparat:* meliùs orationem dum populus communicat) *Agnus Dei qui tollit peccatum mundi, miserere nostri. Et postquam omnes communionem acceperint, thymiama spargit, dicens, Exaltare super cœlos Deus: super omnem terram gloria tua.* Sed & priùs ita erat oratum, κέλευσον ταῦτα διακομισθῆναι διὰ χειρὸς ἁγίου ἀγγέλου σου εἰς τὸ ὑψηλόν σου θυσιαστήριον ἐνώπιον τῆς θείας μεγαλειότητός σου, ἵνα οἱ ἂν δήποτε ἐκ τούτου τοῦ θυσιαστηρίου μερίδα ἁγίαν τοῦ σώματος τοῦ υἱοῦ σου, ἢ καὶ τοῦ αἵματος λαψώμεθα, πάσης ἐπουρανίου εὐλογίας καὶ χάριτος ἐμπλησθῶμεν, *Iube hæc administari per manum sancti Angeli tui in illud sublime altare tuum coram diuina maiestate tua, vt quicunq; ex hoc altari portionem sacram corporis Filij tui, siue etiam sanguinis sumpserimus, omni cœlesti benedictione & gratia repleamur.*

IX. In Marci, ἵνα γένωνται πᾶσιν ἡμῖν τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς πίστιν, εἰς νῆψιν, εἰς ἴασιν, εἰς σωφροσύνην, εἰς ἁγιασμὸν, *Vt fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem, in sobrietatem, in medelam, in temperantiam.* Et multo pòst, εὐχαριστοῦμέν σοι δέσποτα, κύριε θεὸς ἡμῶν, ἐπὶ τῇ μεταλήψει τῶν ἁγίων, ἀχράντων, ἀθανάτων, καὶ ἐπουρανίων σου μυστηρίων, ὧν ἔδωκας ἡμῖν, *Gratias agimus tibi, Dominator, Domine Deus noster, pro perceptione sanctorum, intemeratorum, immortalium, & cœlestium mysteriorum tuorum, quæ dedisti nobis.*

X. In Canone Romano, hoc tantùm, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ, vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur.* Quæ extant in Liturgia Petri. Et aliquanto pòst, *Fiat nobis sumentibus salus mentis, & corporis.* Potest etiam hæc addi coniectura: quòd post illud, *Pax tecum: & cum Spiritu tuo;* additur hæc ad populum exhortatio, *Habete vinculum pacis & charitatis, vt apti sitis sacrosanctis mysteriis Christi. Pax Christi & Ecclesiæ abundet in cordibus vestris, per Spiritum Sanctum, qui datus est vobis.* Tum statim preces aliæ, *Domine Iesu Christe:* & pòst, *libera me per hoc sanctum corpus & sanguinẽ tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, & vniuersis malis; & fac me tuis semper obedire mandatis; & à te nunquã separari permittas. Perceptio corporis tui Domine Iesu Christe, quod indignus sumere propono, non mihi proueniat in iudiciũ & condemnationem, Domine nõ sum dignus vt intres sub tectum meum. Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam, Amen.* Quæ ad panem dicuntur, sed postea ad calicem. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero* Paulo pòst, *Corpus tuum Domine, quod sumpsi, & sanguis quem potaui, adhæreat visceribus meis, & præsta, vt in me non remaneat scelerum macula, quem sancta & pura refecerunt Sacramenta.* Et statim, *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, & de munere temporali, fiat nobis remedium sempiternum, Amen.* Tum postrema clausula, *Dominus vobiscum, & cum spiritu tuo. Oremus. Ite missa est Deo gratias.* Vbi etsi preces nihil habeant, quod de Sacerdote, etiam solo, dici non possit; tamen si quis attendat, & præcedentem exhortationem ad plebem (quis enim tam bardus, vt ipsum de se ipso Sacerdotem dicere putet, *habete vinculum pacis; vt sitis apti*, & reliqua) & subsequentem gratiarum actionem conceptam plurali numero, *Quod sumpsimus Domine:* si quis, inquam, hæc attendat, vix aliter fateatur accipi posse, quam de communione plebis cum Sacerdote. Itaque Biel lectione 81. *Aptato Eucharistiæ Sacramento ad sui participationem per hostiæ diuisionem, in hac parte cõmunicaturi vniuntur. Et diuiditur in tres particulas. In prima Sacerdos communicaturis pacem optat.*

XI. In Germani Constantinopolitani expositione Liturgiæ Græcæ, *Cum timore Dei, & fide, & caritate, & accedite ad Christum Deum & regem nostrum.* Quæ inuitatio plebis est ad communionem. Tum statim, *Rectè, qui accepimus partem intaminatorum, immortalium. Id est, recta cognatione cum operibus stemus, qui percepimus, & ei meritas gratias agamus, quòd dignatus sit, vt nos gustauerimus diuina mysteria: & in regeneratione cum eo habitemus, Amen. Aliter. Nos qui communione viuifici sacrificij aut substantiæ lætamur, à terrenis ad cœlestia mentem dirigamus, & dignè ei placeamus, quia dignatus est nos participes facere pretiosi corporis & sanguinis sui.*

XII. Sic habemus solennia, & authentica testimonia vniuersi orbis Christiani. Cur non igitur legitimè dixerimus, in veteri Ecclesia, semper in actione Cœnæ Dominicæ factam esse distributionem?

XIII. Non placet Bellarmino: qui, *Contrariũ,* inquit, *constat ex tã multis exemplis, quæ nos suprà retulimus. Porrò in liturgiis fit mentio distributionis, quia semper fieri potest, ac debet Sacramenti distributio in missa, eorũ Sacerdotũ, qui curã animarum ex officio gerunt, si sunt aliqui parati ad communicandum.*

XIV. Egregiè; & Papisticè. Multa exempla. Et tamen nulla illa fuerunt missæ vllius priuatæ: sed ex quibus per coniecturas vix vi elicereruir missa priuata. Itane oportuit? Opponi publicis Liturgiis, tam disertè, tam curatè & comprehendentibus communionis ritum; & eius ritus partes explicantibus; vt vix diligentiùs panis sumptio & calicis: his, inquam, liturgiis opponi priuata exempla, ex priuatis exemplis exsangues coniecturas? Ex his exemplis, ex his coniecturis sanciri oppositũ ritũ cõmunionis priuatæ, tã frequentis vsus, vt iã miraculo sit publica? Neq; enim tã modestè insanierunt Papistæ, vt licere dixerint soli Sacerdoti communicare; atq; ita interdũ facerent: sed in naturam verterunt, vt ita dicam: adeò vt cùm dicere fortè debuerint, posse solùm celebrare; nunc contrà dicant; posse Sacramenti distributionem fieri. Nempe ergo ordinaria est missa priuata, communio autem publica, extraordinaria. O scelus! posse fieri, quod tam sollicitè præscribunt omnes liturgiæ: quod, inquam, nullæ liturgiæ omiserunt! Cur non itidem posse fieri, vt in pane celebretur? Posse fieri vt recitatis verbis Domini, consecretur?

XV. Et vide: Semper fieri potest, ac debet. Cur non simpliciter fieri debet? En tibi liberalitatem Papisticam. Si fieri debere dicerent; etsi non assererent semper fieri: cùm non fiant semper, quæcunque debent: tamen veriti sunt ne nimis dura lex esset: itaque proinde dictum, *potest ac debet.* Sed hoc tamen quod potest ac debet; quid est? Totiusne plebis communio? Minimè verò. Sed Sacerdotum. Quid? horumne saltem omnium? Ne hoc quidem; sed eorum, qui curam animarum ex officio gerunt. Bene est: apud Papistas multi sunt Sacerdotes, quibus ex officio nulla cura competit animarum. Credo: nam ipso actu docent sibi tantùm esse curam corporum: iuxta illud, *edamus, bibamus:* Pancratiasticè.

XVI. Sed seriò. Primum; quid prosunt Sacerdotes, siue hi curiones, siue etiam omnes: cùm tã disertè audias Diaconos; audias laicos? Imò audiat omnes ordines? Nihil enim omisit Clemens ille autor Constitutionum, cui nominati Episcopus, Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, Lectores, Cantores, Ascetici, Diaconissæ, Virgines, Viduæ; pueri, plebs vniuersa. Et hi quomodo? λαμβανέτω ὁ ἐπίσκοπος, *Accipito Episcopus*; imperando, non permittendo.

tendo. Vide, Ita erat olim. Omnes clerici, omnes laici accedunto. Nunc aliter; Sacerdotes, qui curam gerunt animarum, possunt accedere. Infamis mutatio, omnium in paucos, & imperij in mollissimam permissionem. Et permissionem tam mollem, tam exsanguem, tam languidam, vt non minori sit miraculo horum ipsorum Sacerdotum communio, quàm infimæ plebeculæ.

XVII. Non sunt præparati; aiunt. Immane piaculum: qui Sacerdotes sunt, ne ipsi quidem vt parati sint; qui & suæ animæ curam gerere debuerunt saltem; & aliis exemplo præire. Expectemus apud Papistas plebem communicationi aptam, apud quos rarissimi Sacerdotes sint? Quid si ne quidem præparati communicent? Testes aduoco missas illas quas festiuè Lutherus angulares dicebat. Nam is mos apud Papistas, vt in eadem Ecclesia sint multa altaria; in quibus singulis possint eadem die celebrari multæ missæ, & vt Iuellus numerabat, quinque, decem, quindecim, viginti, triginta; non negante Hardingo. Quid ais Bellarmine? Qui sic in eodem templo, eadem die, adde etiam hora; missam celebrant Sacerdotes suntne non præparati ad communicandum? Non negas. Atqui, inquam, isti ita præparati non communicant inter se, sed singuli singulas missas celebrant in suis angulis. Et tu non mentiris, Bellarmine, qui apud tuos dicas, & posse & debere saltem Sacerdotes præparatos communicare? Manifesta res est.

CAP. XVIII.

Contra Missam priuatam, de reta antiqua.

I. Illustrissima illa fuere argumenta, Institutio prima; Exemplum Apostolorum, Vsus Ecclesiæ. Quibus quis sperasset non cedendum? Addamus (ad cumulum: non enim ad momentum) varia Veterum oracula, si fas dicere. Quanquam his quis speret delatum iri, qui non modò illusum viderit publicis multorum seculorum, omnium populorum ritibus: sed etiam Apostolorum exemplum pro nihilo habitum: Christi institutionem etiam ludificatam? Sed illudant, irrideant, ludificentur quantum velint, quibus Sardonius rictus est perpetuus: at fideles & Christum instituentem adorabunt; & Apostolos obsequentes venerabuntur, & totas Ecclesias laudabunt exemplo sibi præeuntes: denique Veterum apophtegmata amabunt Christi institutioni παράλληλα, Apostolorum vsui σύμφωνα: Ecclesiarum modestiæ amantia. Papistis longum plorare dicent.

II. Sunto primum Canones. Apostolicus decimus, qui 9. apud Zonaram. Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς, καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή, *Omnes introeuntes fideles, & Scripturas audientes, non permanentes autem in oratione & sancta communione, velut inordinatum quippiam perturbationemque facientes in Ecclesia, separari oportet.* Antiocheni Concilij 2. πάντας τοὺς εἰσιόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ κοινωνοῦντας δὲ εὐχῆς ἅμα τῷ λαῷ, ἢ ἀποστρεφομένους τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν, τούτους ἀποβλήτους γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας, ἕως ἂν ἐξομολογησάμενοι καὶ δείξαντες καρποὺς μετανοίας, καὶ παρακαλέσαντες, τυχεῖν δυνηθῶσι συγγνώμης, *Omnes qui in Ecclesiam ingrediuntur, & sacras Scripturas audiunt; orationi autem cum populo non communicant, vel sanctam Eucharistiæ participationem propter aliquam insolentiam auersantur; eos ab Ecclesia expelli, donec, postquam confessi fuerint, fructusque pœnitentiæ ostenderint, & implorarint, veniam assequi possint.*

III. Apud Gratianum de Consecrat. dist. 2. similes canones sunt. Decimus octauus ex Concilio Martini Bracharensis; iisdem verbis cum Antiocheno, *Si quis intrat Ecclesiam Dei, & sacras Scripturas audit, & pro luxuria sua auertit se à communione Sacramenti, & in obseruandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, illum talem proiiciendum de Ecclesia Catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, vt possit communione percepta indulgentiam promereri.* Canon 10. ex Anacleto, *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.*

IV. Audite nunc Papisticas præstigias. Primum Bellarminus & Tiletanus, hos canones negant Sacerdoti prohibere sacrificia non præsente populo: sed duntaxat iubere plebem communicare in Missa.

V. Mirum acumen. Atqui primum etiam sic contra priuatas missas. Nam hæ non celebrantur extra conspectum populi: sed omnibus pro arbitrio præsentibus, spectantibus, audientibus, imò accurrentibus, & quidem magnis additis hortamentis Sacerdotum, Concionatorum; apud quos magni est meriti instar interesse huic officio. Maximè quoties missa noua cantatur: ita enim appellant, cùm quis primùm missam canit factus Sacerdos recens. Tunc enim curiosè etiam inuitatur plebs addita promissione nescio quantæ remissionis peccatorum. Cùm tamen præter theatricam spectationem nihil populus habeat. Itaque non tantùm non prohibent Sacerdotem sacrificare non præsente populo: sed ne iubent quidem præsentem populum in Missa communicare. Fit ergo contra eos Canones priuata missa. Et quidem videte discrimen. Olim ita celebrabatur Missa, vt inuitarentur communicaturi: tum apparatu, quum apponerentur altari tot hostiæ, quot essent satis vniuersæ plebi; vnde corbibus opus: tum verbis: admonebantur enim vt accederent: tum factis, quia Diaconi deferebant ad eos & panes, & calices. Multa hæc tamen non satisfecerunt vigilantibus Patribus: itaque cùm viderent gliscere negligentiam, seueritatem adhibuerunt, & excommunicationis comminatione terruerunt: quasi cogerent intrare. At boni isti, tam religiosi antiquitatis obseruatores; non tantùm comminatione abstinuerunt; tanquam parum digna sua comitate, sed nullo modo inuitandam putarunt plebem: & quomodo inuitarent tam exiguo apparatu, vt illud Comici exprimant, *Paululum obsoni*: atque, *Olera & pisciculos ferre obolo in cœnam seni?* Et hos aliquis dicat illorum filios?

VI. Præterea; iubent populum communicare in missa: Ergo, inquam, prohibent missam priuatam. Nam si permittunt Sacerdoti missam celebrare sine populo: Ergo impossibile est, vt iubeant populum communicare missæ. Exempli gratia, de Consecrat. dist. 1. Canone, *Vt illud*, sic habes, *Necessarium duximus instituere, vt vbi temporis vel loci, siue cleri copia suffragatur; habeat quisque canens Deo, atque sacrificans post se vicini solaminis adiutorem.* Tun' persuadeas nobis his verbis non prohiberi, ne non habens adiutorem cum copia erit, sacrificet? Leuissima profectò canonum foret autoritas, si tam leuibus summouerentur calumniis.

VII. Peresius sic maluit. Anacletus solùm id iubet fieri in solennioribus diebus, & quando Episcopus cum pompa publicè celebrat.

VIII. Quasi mihi in Antiquis legat quisquam cum pompa Missam: ac sine pompa Missam: & non sit hoc nouitium corruptæ Christianitatis carcinoma. Sed ita solenniter insaniunt Papistæ, vt ex suis moribus, mores æstiment vniuersæ Ecclesiæ. Fateor in contextu meminisse Anacletum solennium dierum: sed pompæ profectò nullius. Est autem solennitas diei aliud, quàm pompa Missæ. Veruntamen quid de Anacleto profuerit tergiuersari? Nam supersunt alij canones, in quibus neque solennitas vlla diei est; neque pompæ vel tenuissima suspicio. Itaque etsi laruatum Anacletum exsulare iubeas (nam laruatum nullus sanus dubitat) tamen affatim autoritatis erit. Balsamò in 9. canonem Apostolicum, ἄλλοι κανόνες παρομοίως διορίζονται πάντας ἑτοίμους εἶναι καὶ ἀξίους τῆς μεταλήψεως, καὶ τοὺς ἐπὶ τρισὶ κυριακαῖς μὴ μεταλαμβάνοντας ἀφορίζουσι *Alij canones similiter decernunt, vt omnes sint parati, & digni communione: & qui tribus Dominicis non communicant, segregentur.* Nimirum hi erant Anacleto solennes dies.

IX. Bellarminus, Tiletanus, Dedehus, Anacletum volunt solos obligare Clericos Episcopo in diebus solennibus sacrificanti solenniter ministrantes: quocirca si die aliquo non solenni, aut sine aliorum clericorum solenni ministerio, quis sacrificet non cogi ex hoc decreto communionem dare.

X. Ergo non satis cautè Peresius solam pompæ restrictionem obseruauit; vt spem faceret saltem in hac solennitatis pompa, concessurum imperatam plebis communionem. Sed hoc ipsum quanquam exiguum, hi viderunt non facere ad suos mores. Itaque noua accessit contractio Clericorum. Veruntamen ne sic quidem elabuntur. Nam primò, ne in his quidem solennitatibus non sunt apud eos priuatæ missæ, quæ ne clericos quidem admittant. Secundò, rursus dico, quid si sic Anacletus senserit? At non profectò Canon Apostolicus: non Antiochenus. Zonaram audi, πάντας ὁ παρὼν κανὼν ἀπαιτεῖ τῆς ἁγίας ἐπιτελουμένης θυσίας μέχρι τέλους προσκαρτερεῖν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει· καὶ οἱ λαϊκοὶ γὰρ συνεχῶς τότε μεταλαμβάνειν ἀπῃτοῦντο, *Canon præsens exigit omnes, dum sanctum celebratur sacrificium, ad finem vsque in oratione, sanctaque communione perseuerare. Siquidem tum temporis à laicis exigebatur, vt frequenter communicarent.* Item ad Concilium Antiochenum, *Quæ huius Synodi Patres decreuere, nono Apostolico canoni respondent*, Αἰτίᾳ γὰρ ἐκείνου, πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς, *Illo namque quicunque fideles Ecclesiam ingrediuntur, & Scripturas audiunt, tum precatione, sanctaque communione nondum peracta discedunt, quòd ex eo nimirum precationis officia turbentur, segregari oportere decernunt.* Canones ergo non genus quoddam hominum dicunt, sed omnes fideles: qui, puto, aliquanto latiùs patent quàm Clerici.

XI. Quanquam neque Anacleti contextus tam est in Sophistarum partes perspicuus, vt non liceat, cauillantibus reclamare. Quidni enim licuerit duobus vitiis mederi? Esto igitur prior illa de Clericis assistentibus, querela: tum altera cautio, vt omnes communicent: id est, vt non tantum adstent sacrificanti testes: sed etiam vniuersa plebs, quæ non recesserit, communicet. Nam illud, *qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus*: illum innuit morem, cùm non communicaturi iubebantur recedere: nimirum in missa Catechumenorum.

XII. Non est satis subtilitatem. Bellarminus, Tiletanus, Salmero: non damnari eos, qui absolutè non communicent; sed eos, qui certa de causa: Etenim Tiletanus illud κατά τινα ἀταξίαν, reddit, *secundùm propriam aliquam disciplinam.* Salmero, *Hæresis, vel intemperantiæ gratia.* Bellarminus, *Ob aliquam superstitionem, aut prauam opinionem.*

XIII. Sed Zonaras haud paulo felicius, κατά τινα ἀταξίαν, ἤγουν οὐ δι᾽ αἰτίαν εὔλογον, ἀλλ᾽ ἀτάκτως καὶ ἀναιτίως, *Propter aliquam insolentiam, siue non propter iustam causam, sed inordinatè, & sine causa.* Ἀποστροφὴν δ᾽ ἐνταῦθα οἱ πατέρες, οὐ τὸ μισεῖν τὴν θείαν μετάληψιν ὠνόμασαν, καὶ διὰ τοῦτο ἀνέχεσθαι τῆς κοινωνίας, ἀλλὰ τὸ ἀποφεύγειν αὐτὴν δι᾽ εὐλάβειαν τάχα, καὶ οἷον διὰ ταπεινοφροσύνην, *Auersionem porrò hoc loco Patres, nõ odium erga diuinam communionem nuncupauêre, quo impulsi quidam ab ea abstinerent; sed quandam ab ea fugam, & reuerentia fortasse ortam, quasi per humilitatem*, εἰ γὰρ ὡς μισοῦντες καὶ μυσαττόμενοι τὴν ἁγίαν μετάληψιν ἀπεστρέφοντο ταύτην, οὐκ ἂν ἀφορισμῷ, ἀλλ᾽ ἀποκηρύξει τελείᾳ καὶ ἀναθέματι κατεδικάσθησαν ἄν, *Qui namque ex odio, & abominatione sacram communionem auersarentur, eos non segregatione, sed omnino absoluta excommunicatione atque anathemate damnari oportuisset.* Ergo ἀταξία non significat propriam disciplinam; non superstitionem, aut prauam opinionem, non hæresin, non intemperantiam, sed prætextum reuerentiæ; atque deiectionis si Zonaram interroges. Sin me, haud procul inde, violationem ordinis, tunc religiosi; vt quicunque non essent communicaturi, excederent. Itaque in Canone illo Apostolico, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, *vt qui inordinationem inuehunt in Ecclesiam.*

XIV. Salmero in Canone illo Apostolico; meliùs esse ad Græcam veritatem, *Nec apud sanctam Communionem permanent.*

XV. Imò Græcè est, μὴ παραμένοντας τῇ προσευχῇ, καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει. Itaque sic παραμένοντας τῇ μεταλήψει, quomodo παραμένοντας τῇ προσευχῇ. Quid autem est *apud preces permanent?* Quis audiuit? Et non potius, *expectantes orationem?* Itaque similiter, Expectantes communionem? Quorsum autem orationem? An vt stupidus adstaret: quasi cùm asinus ad lyram? An potiùs vt particeps precum? Ergo & communionis: quomodo Chrysostomus dixit impudentem esse, qui permanens, non communicaret.

XVI. Satin Sophistas egerunt; & noui Protei vultus mutarunt in alias, atque alias formas? Frustra tamen Nam Eckius homil. 33 *Colligunt doctores tam ardentem fuisse populi in primitiua Ecclesia deuotionem, vt quotidie communicarint, quoniam sic ait Papa Sixtus, peracta consecratione*, & quæ sequũtur. Itaque tandem frontem perfricant. Tiletanus, *Hanc reprehensionem tam seueram, postea remissam esse infirmitati populi.* Bellarminus, *Decreta ista, quæ sine dubio non diuini, sed humani iuris erant, si ad populum pertinebant, progressu temporis abrogata fuisse*: Peresius, *Quamuis generalis esset institutio, cùm mores solùm concernat, & non fidei dogmata, variabilis res est: & pro loco, & tempore, fidelium infirmitate, & multitudine pensatis, ab Ecclesia mutari potuit.*

XVII. Euge! Candorem laudo. Ille dicebat olim; cùm leonina non sufficeret, pellem vulpinam esse assuendam. Isti contrà, vbi vulpina breuior est, attexunt leoninam Non potuit dari ratio vtilior, breuior, expeditior. Nam

r quæ

quæ subtilitates inquiruntur; humilis sunt animi, atque deiecti: tum autem, aduersariis semper relinquunt ansam obiiciendi, infirmandi, impugnandi. Denique vt in nodo Gordio; dum capita vestigas, desperatio succedit. At si gladio seces, cedunt omnia. Felices Papistæ! noua audacia: vt quas non possunt leges interpretari, refigant, iubeantque non esse leges. Veruntamen cur non eodem modo iussa tacere Institutio? iussæ Liturgiæ? Minori profectò negotio abrogarentur, quàm torquerentur.

XVIII. Sed enim verum est hæc decreta fuisse abrogata. Nam istis cur magis pepercisset audacia, quam aliis plurimis? Sed si non abrogata, ideo non fuerunt: & fuerunt priora: & fuerunt optima. Nisi fortè nunc primùm etiam illud abrogatum, olim celebre, Id verissimum, quod primum. Fruantur sanè sua abrogatione Papistæ: nos verò iuuit vera illa antiquitas, quæ ab initio. Et hoc magis; quòd abrogationis nullum proferatur decretum, vllius Concilij. Vt omnino factam appareat obreptione; quæ primùm negligentia fuit; deinde etiam consuetudo. Hinc autem, quid? nisi vetustas erroris? Iniquitatem videte. Nullis disertis Canonibus possumus extorquere, legem fuisse impositam communicandi. At Papistæ nullis prolatis Canonibus sperant se confecturos abrogationem communionis. Quid immanius, quam vt sibi nullis velint testibus credi: nobis quotcunque, quantiscunque productis nolint?

XIX. Sed hæc tamen abrogatio, non tam antiqua, quàm fingunt. *Constat*, inquit Bellarminus, *temporibus Ambrosii, & Chrysostomi, Græcos non nisi post annum communicare solitos fuisse.* Id est, inquam, quarto demum seculo; si verum, satis serò. Sed non verum. Neque enim vniuersalis Ecclesiæ: aut etiam omnino vllius Ecclesiæ consuetudinem describit aut Ambrosius, aut Chrysostomus: Quorundam negligentiam corripiunt, qui eam ἀξίαν inducebant in Ecclesiam. Ambrosius 4. c. 5. de Sacramentis, *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt?* Chrysostomus homilia 17. ad Hebræos, Πολλοὶ τῆς θυσίας ταύτης ἅπαξ μεταλαμβάνουσι τοῦ παντὸς ἐνιαυτοῦ· ἕτεροι δὶς, ἄλλοι πολλάκις, *Multi huius sacrificij semel toto anno sunt participes: alij autem bis, alij sæpe.* Inde sumpta occasione prolixa disputatio est aduersus hunc morem, cuius hoc κεφάλαιον. Aut dignus est, aut non. Si dignus; quotidiè debet: si indignus, ne post annũ quidem. Et ταῦτα λέγω οὐχὶ τῆς μιᾶς κὴ ἐνιαυσίου προσόδου κωλύων ὑμᾶς, ἀλλὰ βουλόμενος διὰ παντὸς ὑμᾶς προσιέναι τοῖς ἁγίοις, *Hæc dico, non ab hoc vno per annum accessu vos arces; sed volens vos perpetuò ad Sancta accedere.* Quid ais, Iesuita? Æquúmne censes priuata multorum consuetudine & hac ipsa non laudata, sed improbata; legem abrogari? Non nos quidem: non sanus quisquam.

XX. Catechismus Tridentinus notauit, *Cùm caritas & pietatis studium adeò refrixisset, vt rarò admodum ad communionem fideles accederent, sancitum fuit à Fabiano Pontifice, vt ter quotannis, Natali Domini, & Resurrectione, & Pentecoste, omnes Eucharistiam sumerent. Ad extremum cùm eo res adducta esset, vt non modò sancta illa & salutaris perceptio non seruaretur, sed in plures etiam annos sacra Eucharistiæ communio differretur, decretum est in Lateranensi Concilio, vt semel ad minus singulis annis in Pascha fideles omnes sacrum Domini corpus acciperent.* Sic ille. Quid censes? Tempus vllum fuisse cùm inter Christianos nulla omnino communio esset plurimis annis? Monstrum opinionis: Ergo sensus est, fuisse quidem singulis annis vsitatam communionem: sed non omnium tamen fidelium: itaque sanciendum fuisse, non vt saltem aliqui, sed vt omnes communicarent. Ad hoc exemplum interpretare Ambrosium, ac Chrysostomum.

XXI. Quæ autem abrogandi causa? Seueritatem Tiletanus indicauit: ex Balsamone credo; qui in Apostolicum Canonem, *Præsentis Canonis constitutio est acerbissima.* Sed an molles potiùs Sophistæ; & nimis indulgentes plebis negligentiæ? Nam acerbitas, quænam illa potuit esse, quæ vnumquemque admonuit officij? quæ ἀξίαν vetabat induci? Enimvero eorũ canonum mentem vel non assequuntur, vel fingunt non assequi. *Segregat enim eos*, inquit Balsamo, *qui in Ecclesiam conueniunt, & non ad finem vsq; exspectant, nec communicant.* Minimè verò, inquam. Nemo iussit, qui Ecclesiam intret, exspectare vsque ad finem. Licuit enim discedere in missa Catechumenorum: sed qui intrauerit, & Scripturas audiuerit; id est, non fuerit egressus cum Catechumenis, hunc iubent Canones excommunicari, vel exspectare missam fidelium, ac proinde communicare.

XXII. Addunt; constitutionem fuisse tantùm de moribus, non dogmatis: huius autem generis quæ sunt, variari.

XXIII. Mores igitur dicunt pro ceremoniis, aut ritibus. Nam de his verum, posse constitutiones variari: alioquin minimè; vt de scortatione, de homicidio; reliquis. Sed negamus omnes de consuetudinibus constitutiones, esse variabiles. Nam ipsa Sacramenta in cæremoniis sunt, vel consentientibus Papistis, vt annotatum primo libro. An ergo tolerabile, quascunque de Sacramentis constitutiones esse mutabiles? Minimè; sunt enim ceremoniæ perpetuæ in Ecclesia Christiana. Atqui Sacramenti Eucharistiæ pars est communio, & quidem essentialis: quia nullum alium in finem instituta Eucharistia, nisi communionis. Itaque aut Eucharistiam cessare oportet, aut continuari communionem.

XXIV. Huiusmodi illa fuerunt decreta, tam difficilis solutionis. Addo vnum, aduersus quod nullam contigit exceptionem videre: ipsum etiam contra priuatas missas: & ideo æquè neglectum Papistis. Apostolicus est Canon 8. aliàs nonus, Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ προσφορᾶς γενομένης μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω· καὶ ἂν ᾖ εὔλογος, συγγνώμης τυγχανέτω· εἰ δὲ μὴ λέγοι, ἀφοριζέσθω, ὡς αἴτιος βλάβης γενόμενος τῷ λαῷ, καὶ ὑπόνοιαν ἐμποιήσας κατὰ τοῦ προσενέγκαντος, *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut alius ordinis Ecclesiastici, oblationis factæ particeps non extiterit, causam dicito: & si iusta fuerit, veniam consequatur: sin minùs, à consortio segregetur, vt autor offensionis factus populo, & suspicionem præbens in offerentem.* In ea verba Zonaras, Ἑτοίμους πάντας, καὶ ἀξίους ἀεὶ τῆς τῶν ἁγίων μεταλήψεως, ὁ κανὼν βούλεται εἶναι, καὶ μάλιστα τοὺς ἱερωμένους, *Canon dignos & præparatos semper esse vult omnes ad sanctificationis communionem: maximeq; Deo consecratos ministros.*

CAP. XIX.

Contra priuatam Missam varia testimonia.

I. IN Scriptis priuatis Veteres, similes publicis illis fuere Decretis, Liturgiis, Institutioni. Hoc superest nobis nunc laboris. Illi igitur alias factum docent, alias faciendum disputant. Ab illis mihi initium.

II. Ignatius ad Philadelphenses, εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη, *Vnus panis omnibus fractus est, vnus calix omnibus distributus.* Audin', omnibus? Hoccine, vni? Iustinus Apologia 2. Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, *Postquam præsidens egit gratias; cunctusque populus fauste acclamauit, qui apud nos Diaconi vocantur, dant cuique adstantium, vt participes fiant panis, vini, & aquæ, super quibus actæ fuerunt gratiæ.* Clemens Stromat. 1. Εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὸν δὴ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσιν, *Eucharistiam aliqui* (id est, Sacerdotes consecrantes) *cum diuiserint, pro more quemcunq; è populo permittunt eius accipere partem.*

III. Chrysostomus ad Hebræos homilia 17. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ διάκονος ἐπιφωνεῖ τότε τοὺς ἁγίους καλῶν, καὶ διὰ τῆς φωνῆς ταύτης πάντας μωμοσκοπῶν; *Propterea acclamat etiam Diaconus tunc sanctos vocans, & per hanc vocem omnes instar Momi considerat.* Post: Διὰ τῆς κραυγῆς ταύτης τῆς φρικωδεστάτης ὁ ἱερεὺς τοὺς ἁγίους καλῶν καὶ ἕλκων, *Hoc clamore tremendo Sacerdos Sanctos vocat & trahit.* μεγάλῃ τῇ φωνῇ φρικτῇ τῇ βοῇ καθάπερ τις κήρυξ τὴν χεῖρα αἴρων εἰς τὸ ὕψος ὑψηλὸς ἑστὼς πᾶσι κατάδηλος γεγονώς, καὶ μέγα ἐπ' ἐκείνῃ τῇ φρικτῇ ἡσυχίᾳ ἀνακραυγάζων τοὺς μὲν καλεῖ τοὺς δὲ ἀπείργει ὁ ἱερεύς. *Magna voce, terribili clamore, tanquam præco manum tollens in altum, stans excelsus & omnibus manifestus, & in tremendo illo silentio vehementer vociferans, alios quidem vocat, alios arcet Sacerdos.* In poster. ad Corinthios homilia 18. ἔστι δὲ ὅπου οὐδὲ διέστηκεν ὁ ἱερεὺς τοῦ ἀρχομένου· οἷον ὅταν ἀπολαύειν δέῃ τῶν φρικτῶν μυστηρίων· ὁμοίως γὰρ πάντες ἀξιούμεθα τῶν αὐτῶν. *Est vbi nihil differt Sacerdos à subdito, vt quando fruendum est horrendis mysteriis: æque enim omnes ad ea admittimur:* οὐ καθάπερ ἐπὶ τῆς παλαιᾶς, τὰ μὲν ὁ ἱερεὺς ἤσθιε, τὰ δὲ ὁ ἀρχόμενος· καὶ θέμις οὐκ ἦν τῷ λαῷ μετέχειν ὧν μετεῖχεν ὁ ἱερεύς· ἀλλ' οὐ νῦν· ἀλλὰ πᾶσιν ἓν σῶμα πρόκειται καὶ ποτήριον ἕν. *Non quemadmodum in Veteri Testamento, alia Sacerdos, alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci quibus Sacerdos vescebatur. Nunc enim secus se res habet. Omnibus siquidem vnum corpus, vnum poculum proponitur.* Theodoretus Dialogi 1. cap. 11. Καὶ γὰρ τοὺς πλούτῳ κομῶντας, καὶ τοὺς πενίᾳ συζῶντας, οἰκέτας τε καὶ δεσπότας, καὶ ἀρχομένους καὶ ἄρχοντας, καὶ στρατιώτας, καὶ ἰδιώτας. καὶ τοὺς τὰ σκῆπτρα τῆς οἰκουμένης κατέχοντας, μία ὑποδέχεται κολυμβήθρα, μία πᾶσι διδασκαλία προσφέρεται, μία πᾶσι προτίθεται τράπεζα, *Nam & diuitiis elatos, & paupertate conflictantes: & dominos ac seruos: gubernatores item & subditos: præterea milites & priuatos, deniq; sedentes ad gubernacula orbis terrarum, vnus Baptismus abluit, omnibus vna doctrina proponitur, omnibus vna mystica mensa instruitur.*

IV. Augustinus apud Gratianum Canone, *Quia passus* de Consecratione dist. 2. *Et ibi vos estis in mensa: & in calice nobiscum vos estis: simul enim hos sumimus, simul bibimus: quia simul viuimus.*

V. Pachymeres in 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ; Μετὰ ταῦτα αὐτός τε μεταλαμβάνει, καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται· μεταχὼν δὲ καὶ μεταδοὺς, εἰς εὐχαριστίαν καταλήγει, *Postea tum ipse particeps fit, tum alios inuitat. Postquam verò accepit, deditq; in gratiarum actionem desinit.* Haimo in prioris ad Corinthios, *Appellatur, & ipse calix communicatio, quasi participatio, quia omnes communicant ex illo, partemq; sumunt ex sanguine Domini, quem continet in se.* Anselmus in eundem locum, *Panis quem frangimus, est participatio corporis Domini: quia ipse panis, quem multis diuidimus, est verum corpus Domini.* Amalarius in præfatiuncula 3. de Officiis, *Satis esset sine cantoribus & lectoribus, & cæteris, quæ ibi aguntur sola benedictio Episcoporum, aut Presbyterorum, ad benedicendum panem & vinum, quo reficeretur populus ad animarum salutem, sicut primæuis temporibus fiebat apud Apostolos.* Humbertus contra Græcorum calumnias, *Luce clarius intelligi datur, eundem ritum diuini sacrificij sanctam Hierosolymitanam Ecclesiam obseruasse antiquitus, quem sancta Romana Ecclesia obseruare non cessat hactenus. Siquidem tenues oblatas ex simili præparatas integras & sanas sacris altaribus nos quoq; superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur: & tunc demum calice meri & liquidi cruoris potamur.*

VI. Papistæ agnouerunt etiam ipsi ita factum: sed olim: id est, non vt Veteres, & factum olim, & fieri suo tempore: sed tantùm aliter olim factum, aliter suo tempore. Innocentius tertius libri 6. Mysteriorum Missæ cap. 5. *In primitiua quidem Ecclesia singulis diebus, qui celebrationi Missarum intererant, communicare solebant: sed excrescente multitudine fidelium traditur institutum, vt tantum diebus communicarent Dominicis. Postmodum autem, quia nec hoc dignè potuit obseruari, tertia secuta est institutio, vt ter saltem in anno quilibet Christianus debeat accipere Eucharistiam; hoc inuento remedio, vt singulis diebus osculum pacis daretur pro mysterio vnitatis.* Durandus Mimatensis rationalis quarti c. 53. *In primitiua Ecclesia omnes qui celebrationi missarum intererant singulis diebus communicare solebant, eo quòd Apostoli omnes de calice biberunt, Domino dicente, bibite ex hoc omnes. Offerebant enim magnum panem, & omnibus sufficientem, quod adhuc Græci seruare dicuntur. Sed excrescente fidelium multitudine, traditur institutum, vt tantùm diebus Dominicis communicarent: postmodum autem, quia nec dignè hoc potuit obseruari, tertia secuta est institutio, vt ter saltem in anno quilibet Christianus acciperet Eucharistiam; vel hodie ad minus in Pascha; hoc inuento remedio, vt videlicet pro eo, quòd singulis diebus communicabatur, singulis diebus osculum pacis daretur, pro ministerio* (an potiùs mysterio) *vnitatis.* Belethus similiter in Explicatione Canonis, cap. 48. *Illud certè ignorari non debet, olim in primitiua Ecclesia singulis diebus, qui Canoni Missæ intererant solitos fuisse communicare: sed postea crescente multitudine fidelium, fuisse institutum vt tantùm Dominicis diebus communicaretur: quod etiam paulo pòst, quum obseruari non potuit, abijt in desuetudinem, ac tertia subsequuta est institutio vt saltem ter in quoque anno, in Natali, Paschate, & Pentecoste, omnes Christiani Eucharistiam sumerent; inuento tamen triplici remedio, vt singulis nimirum

mirum diebus osculum pacis daretur, ac Dominicis diebus Eulogia, id est panis benedictus, & consecratus: quod in quadragesima & temporibus abstinentiæ deputatis saluo ieiunio obseruari non potuit; quare tunc huiusmodi fuit promulgata institutio vt collecta diceretur super populum sub finem Missæ. Valafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis c.22. *Relatio maiorum est, ita primis temporibus missas fieri solitas, sicut modo in parasceue Paschæ (in quo die apud Romanos missæ non aguntur) communicationem facere solemus, id est præmissa oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis eius adhibita, eos corpori Dominico communicasse & sanguini, quos ratio permittebat.*

VII. Durandus Tholosanus de Ritibus libro 2.c.50. *Antiquitus patenæ magnæ conficiebantur, vt Eucharistiam pro tanta multitudine suscipere capaces essent: hodie minores.* Cap. 55. *Non solum autem Sacerdos, vel reliqui sacri ministerii, sed & laici olim communicabant. Initio siquidem liberum erat laicis, qui in missæ sacro aderant, communicare. Actorum secundo: Perseuerantes cum Apostolis quotidie in oratione, & communione fractionis panis. S. Dionysius capite tertio Ecclesiasticæ Hierarchiæ ad singula sacra, his verbis Christianos inuitari consuetum. Venite fratres ad communionem. Et apud S. Ignatium Epistola ad Ephesios,* σπυδάζετε ἂν πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν καὶ δόξαν. *Festinate fratres ad communionem.* Cap. 58. *Initio nascentis Ecclesiæ, Christiani qui celebrationi missæ aderant, post acceptam pacem communicare solebant.* Vide item c.4. Hardingus, art.1. contra Iuellum, sect. 7. *Si homines ad tantum pietatis, atque religionis studium traduci potuissent, vt sese præparare vellent ad Sacramentum dignè cum Sacerdote quotidie sumendum; quemadmodum in primitiua Ecclesia factitarunt, dum mortem ac cruciatus singulis momentis in persecutione infidelium tyrannorum exspectarent, ne hinc sine viatico discederent, quid tum quæso haberent hi homines, quod obiicerent?* Iustinianus in 10. prioris ad Corinthios, *Olim enim (quod etiam nunc Græci vsurpant) ex vno eodemque consecrato, delibatæ particulæ singulis tribuebantur, vt meliùs vnio, & coniunctio cum Christo, atque opertius significaretur.*

VIII. Hactenus factum constat: nunc faciendum. Ambrosius in 1. ad Corinthios 11. *Ad inuicem exspectandum dicit, vt multorum oblatio simul celebretur, vt & omnibus ministretur, & si quis impatiens est, domi terreno pane pascatur.* Haimo, *Inuicem exspectate, vt multorum oblatio simul celebretur, & omnes communiter ex vno pane communicetis: quia illa oblatio vnius panis est, & communis debet esse omnibus.* Anselmus, *Quandoquidem, quisquis indignè corpus Domini percipit, iudicium sibi percipit, & multi etiam in præsenti seculo propter hanc offensam variis languoribus, aut mortibus plectuntur: itaque ô fratres mei cauete iam indignè illud sumere: cauete cum schismate ad illud conuenire: Sed cum conuenitis ad manducandum illud, per fraternam dilectionem expectate inuicem alii alios, vt multorum oblatio simul celebretur, & omnibus ministretur.* Thomas, *Ne vnusquisque Cœnam suam præsumat ad manducandum, cum conuenitis, scilicet in Ecclesia ad manducandum; scilicet corpus Christi, inuicem exspectate, vt scilicet simul omnes sumatis.* Lyranus, *Inuicem exspectate, vt simul sumatis: quia Sacramentum est Ecclesiasticæ vnitatis.*

IX. Chrysostomus in idem caput; Τὸ γὰρ κυριακὸν ἰδιωτικὸν ποιοῦσι. *Nam quod est Dominicum ipsi faciunt proprium. Quamobrem ipsi sunt primi qui probro afficiuntur & ignominia, qui suæ mensæ maximam auferunt dignitatē. Quomodo* ὅτι τὸ κυριακὸν δεῖπνον, τουτέστι τὸ δεσποτικὸν, ὀφείλει κοινὸν εἶναι. τὰ γὰρ τοῦ δεσπότου, οὐχὶ τοῦ δὲ μέν ἐστι τοῦ οἰκέτου, τοῦ δὲ οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ κοινῇ πάντων. τὸ οὖν κυριακὸν τοῦτό φησι τὸ κοινόν. εἰ γὰρ τοῦ δεσπότου σοῦ ἐστιν, ὥσπερ οὖν καὶ ἔστιν, οὐκ ὀφείλεις ὡς ἴδια ἀποσπᾷν, ἀλλ' ὡς τοῦ κυρίου καὶ τοῦ δεσπότου ὄντα κοινῇ πᾶσι προτιθέναι· τοῦτο γὰρ ἐστι κυριακόν. νῦν δὲ οὐκ ἀφίης αὐτὸ εἶναι κυριακὸν, μὴ ἀφεὶς εἶναι κοινὸν, ἀλλὰ καθ' ἑαυτὸν ἐσθίων, *Quoniam Dominica id est Domini Cœna debet esse communis. Nam ea quæ sunt Domini, non huius quidem sunt famuli, illius vero nō sunt, sed communiter omnium. Dominicam ergo hanc dicit esse cōmunem. Nam si est Domini, non debet eam tanquam priuatim auertere: sed tanquam quæ sit Domini, communiter omnibus proponere. Ea enim est Dominica. Nunc autem non sinis eam esse Dominicam, vt qui non sinas eam esse cōmunem: sed seorsum epuleris,* Oecumenius κυριακὸν δὲ δεῖπνον, τὸ δεσποτικὸν καλεῖ μυστήριον. ἐκείνου γὰρ πάντες ὁμοίως μεταλαμβάνουσι, καὶ οἱ πτωχοὶ συζῶντες, καὶ οἱ πλούτῳ κομῶντες, καὶ οἰκέται, καὶ δεσπόται, καὶ ἀρχόμενοι. ἔδει τοίνυν καὶ τὰς κοινὰς τραπέζας εἶναι κοινὰς, καὶ τὴν δεσποτικὴν μιμεῖσθαι, ἣ πᾶσι πρόκειται ὁμοίως. νῦν δὲ οὐχ οὕτω δρᾶτε, ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν. *Dominicam Cœnam Dominicum appellat Sacramentum: cuius omnes similiter participes sunt: tum qui inopē vitam degunt, tum qui diuitiis exsultant. & famuli, & heri: & magistratus, & populus: Oportuit ergo communes mensas esse communes, atque illam Dominicam imitari, quæ omnibus æque prostat. Nunc autem haud ita facitis: quisque enim propriam Cœnam occupat sumere inter edendum.* Hieronymus, *Iam non est Dominica sed humana, quando vnusquisque tanquam Cœnam propriam solus inuadit: & alij, qui non obtulerit, non impertit, ita vt magis propter saturitatē, quam propter mysterium videamini conuenire. Cæterum Dominica Cœna, omnibus debet esse communis quia ille omnib. discipulis suis, qui aderant, æqualiter tradidit Sacramenta.* Anselmus, *Quia vnusquisque vestrum præsumit in Ecclesia manducare seorsum Cœnam suam, id est, oblationem suā, cum Dominica Cœna communis esse debeat omnib. Christianis, sicut Christus cum discipulis communiter cœnauit.* Et paulo post, *Si sic,* inqnit, *cōuenitis, vt vnusquisque cibum suum sumat, domi hæc agenda sunt, non in Ecclesia, vbi vnitatis & mysterij causa conuenitur, non dissensionis & ventris. Munius enim oblatum totius populi sit, quia in vno pane omnes significantur.*

X. Verum Chrysostomus non tantum placitum commentariis explicat Scripturæ verba: sed etiam declamando tonat, vt alias, ita hic; in eorum socordiam, qui non communicarent cum Sacerdote. Homilia 3. in Epistolam ad Ephesios, cuius pars descripta fuit in homiliam 61. ad populum Antiochenum: *Multam,* inquit, *video rei inæqualitatem. In aliis quidem temporibus, plerumque ne quidem cum purifitis, acceditis,* οὐδὲ καθαροὶ πολλάκις ὄντες προσέρχεσθε, *in Paschate autem etiamsi aliquod scelus à vobis sit admissum, acceditis.* Ὦ τῆς συνηθείας! ὦ τῆς προλήψεως! *O consuetudinem! O præsumptionem!* εἰκῆ θυσία καθημερινή, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ· οὐδεὶς ὁ μετέχων, *Frustra est quotidianum sacrificium. Frustra adstamus altari. Nemo est qui participet. Hæc dico, non vt solum participetis, sed vt vos dignos reddatis. Non es dignus sacrificio, neque participatione? Ergo neque prece. Audis præconem stantem, & dicentem. Quicunque estis in pœnitentia, abite. Omnes qui participant, sunt in pœnitentia. Si es ex iis qui sunt in pœnitentia, nō debes participare. Nam qui non participat, est in pœnitentia. Cur ergo dicit, Abite, qui non potestis precari?* σὺ δὲ ἕστηκας ἰταμῶς; *tu autem stas impudenter? An non es ex his sed ex iis, qui possunt participare. Et nihil curas? Rem nihili esse putas? Considera quæso. Adest mensa regia: adsunt Angeli ministrantes: adest rex ipse* καὶ σὺ ἕστηκας χασμώμενος; *Et tu stas oscitans? Vestes tibi sunt sordidæ: & nulla à te huius habetur ratio? Sunt mundæ,* οὐκοῦν ἀνάκλιθι, καὶ μέτεχε: *Accumbe ergo & participa.* Paulo pòst; *Hæc ergo nunc quoque dicit nobis omnibus, qui impudenter & inuerecundè statis.* πῶς γὰρ ὁ μὴ μετέχων τῶν μυστηρίων, ἀναίσχυντος καὶ ἰταμὸς ἕστηκας, *Quicunque enim est, qui mysteriorum non est particeps, impudenter stat, & nimis audacter:* Paucis interpositis, *Dic mihi si quis ad conuiuium inuitatus manus lauerit, & accubuerit, & ad mensam paratus fuerit: deinde non fuerit eius particeps, annon contumelia afficit eum qui inuitauit? an non esset melius, eum ne adfuisse quidem? Ita tu quoque affuisti, hymnum cantasti, cùm dignis omnibus te esse professus, eo quòd cum indignis non recesseris. Quomodo mansisti, & mensæ non es particeps? Sum,* inquit, *indignus. Ergo illa quoque communione, & societate, quæ est in precibus, es indignus. Non enim solùm per proposita, sed etiam per cantica vndique descendit Spiritus.* Homilia 17. ad Hebræos, quum aduersus eos declamasset, qui semel per annum communicantes, aut bis, relabebantur in vitia: ταῦτα λέγω, inquit, οὐχὶ τῆς μιᾶς καὶ ἐνιαυσιαίας προσόδου κωλύων ὑμᾶς, ἀλλὰ βουλόμενος διαπαντὸς ὑμᾶς προσιέναι τοῖς ἁγίοις. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ διάκονος ἐπιφωνεῖ τότε τοὺς ἁγίους καλῶν. *Hæc dico, non ab vno, eodemque annuo accessu vos arcens, sed volens vos perpetuò ad sancta accedere. Propterea acclamat etiam Diaconus tunc sanctos vocans, & per hanc vocem in omnibus ea quæ sunt reprehendenda considerans.*

XI. Ambrosius 5. de Sacramentis c.4. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Ergo tu audis quod quotiescunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorum: & panem istum vitæ non quotidianum assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est: quia sub peccato sumus: medicina est, cœleste & venerabile Sacramentum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est.* Ex eodem cap. *Si quotiescunque,* de Consecrat. dist. 2. *Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo meritò semper accipere: qui semper pecco, debeo semper accipere medicinam.* Ex Hilario Episcopo statim, *Si non sunt tanta peccata vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare.*

XII. Humbertus contra Nicetam, *Nempe hic in panis fractione, & communicatione non nisi perfectam actionem missæ debemus accipere; quemadmodum & ipsum Dominum legimus; non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, in pane à se benedicto, & mox fracto atque benedicto. Non enim benedixit tantùm, & seruauit frangendum in crastinum: nec fregit tantùm & reposuit: sed fractum statim distribuit. Vnde B. Alexander Martyr & Papa quintus ab Apostolo Petro, passionem Domini inserens Canoni missæ, non ait, hoc quotiescunque feceritis: sed hæc quotiescunque feceritis, id est, benedixeritis, fregeritis, & distribueritis, in mei memoriam facietis, quia quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat; scilicet benedictio sine fractione, aut fractio sine benedictione, & distributione perfectam Christi memoriam non repræsentant, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione.* Valafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis c.21. *Quamuis cùm soli Sacerdotes Missas celebrant intelligi possit, illos eiusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam quibusdam responsionibus Sacerdotes exsequitur: tamen fatendum est, illam esse legitimam Missam, cui intersunt Sacerdos, respondens, offerens, atque communicans, sicut ipsa compositio precum euidenti ratione demonstrat.*

XIII. Hæc sunt neque pauca neque indiserta: vnde cuiuis manifestum fit; & quis primus vsus fuerit; & quomodo contra gliscentem abusum oppositum aliquandiu pugnatum fuerit; & quando tandem hic obtinuerit. Nam certè notatu dignum est, quicunque scripsere adusque tempora Caroli Magni; de communione loqui, vt suis temporibus vsitata. At quicunque olim aliter fuisse notatum voluerint, esse posteriores ea ætate. In quibus videtur primus Valafridus; qui fertur vixisse circa medium seculum nonum. Si tamen in iis ille: apud quem nusquam triste illud: *Fuit Ilium:* sed tantum indicatio iam deteriorati seculi; illud *cùm soli Sacerdotes celebrarent:* sed addita tamen nota; legitimas missas aliter esse: Non tam in remedium, vnde spes esset profligandi abusus: quàm in signum propediem expiraturæ sinceritatis? cui posteriores oculos clauserunt; pòst, depositam viderunt: tandem omnes audiuerunt conclamatam esse.

XIV. Iuuabit etiam pios attendere quo ardore, quàm viuis censuris tractata sit non communicantium negligentia; vt comparatio fiat eorum aduersus quos nunc nobis labor est. Nam hoc tandem seculo cœptum est scribi de frequenti communione: maximè à Iesuitis, qui vehementer affectant, vt in aliis, sic in hac parte deuotionis lauream. Sed lege, & mirare discrimen. Salmero tract. 41. tomi 9. summam complexus est, *Si bonum bono componamus,* inquit, *maius bonum est frequenter benecommunicare, quàm raro: si verò malum malo conferamus, peius est sæpe malè, quam raro communicare.* Nempe igitur frequentium communionē haud aliter commendant, quàm vt maius bonum: quomodo scilicet votum paupertatis (vt hoc exempli gratia nominem) quod tamen nunquam velint omnibus persuasum: vnde enim essent eleemosynæ? Sed veteres non tantùm sic, sed longè seueriùs; cùm impudentes dicerent, qui adstarent, nec communicarent: vt certum sit frequentem communionem laudatam, vt virtutem, contrariam verò damnatam, vt peccatum, & quidem graue.

XV. Nec illepidum vaframentum illud fuit, cùm qui conniuerunt ad populi, quam dicunt, negligentiam; compensationis loco obtruserunt alias osculum pacis, aliàs panem benedictum. Sic Deus voluit, vt haberent ab eorum ore proprio, vnde sceleris destinati conuincerentur. Quid enim de eo dicas qui puero aurichalcum pro auro reponat? Hunc ne æqui & boni retinentem? An potiùs de industria hoc agentem vt incautum decipiat? Omnino ad id exempli hoc negotium est. Non est verum Papistas Sacerdotes inuitos sacrificare sibi solis: alioquin cur populo sic imponerent? Aut quid erat opus iis qui auersarentur communionem communionis supplementum prouidere? Ne infantibus quidem aurichalcum obtruditur nisi indi-

gnantibus ſibi aurum eripi. Et tu eorum negligentiam accuſes in communicando; quibus à te oportuerit os ſublitum?

XVI. Deinde duas cauſas proferunt multitudinem, & indignitatem. Vtramque dico eſſe falſam; & euinco ab his ſupplementis, Creſcente, inquis, multitudine non potuit quotidie communicari. Cur non, inquam, æque ac patena dari: dari panis benedictus? Nam tu qui hæc excogitaſti in ſupplementum communionis; aut voluiſti, aut certe ſperaſti, eos omnes oſculatum ire patenam, & acceptum panem; qui non conuenirent ad communicandum ſacrificium. Eandem ergo multitudinem vtrinque ſuppoſuiſti. Dic ergo cur laborioſius fuerit tantæ multitudini diſtribuere panem conſecratum, quam panem benedictum. Aut ſi non potes, quid cauſæ eſt, quominus impoſtor audias?

XVII. Non ſunt digne præparati. Scelus hominis; cur indignos Sacramento dicis, quos indignos negas pace Eccleſiæ; Itane tibi videntur, qui cenſeantur in corpore Chriſti, vt indignos pronunties, qui veſcantur Chriſto? At Chryſoſtomus negabat dignos eſſe qui vel precibus intereſſent. Quodnam, quæſo, ingenium tuum eſt? Chryſoſtomi certe Catholicum: vide ne tuum non Chriſtianum.

XVIII. Pauca ſunt Bellarmino viſa quæ ſuum explicandi laborem mereantur. Illud Chryſoſtomi Fruſtra eſſe ſacrificium quotidianum: fruſtra adſtari ad altare, non ſignificare abſolute, ſed quatenus ordinetur ad communionem. Senſus eſt; celebrationem miſſæ partim ordinari ad ſacrificium Deo offerendum, partim ad populum ſacro illo pane reficiendum. Itaque cum nulli ſint qui communicent, tum fruſtra ordinari ad iſtud: non tamen fruſtra ad illud. Itaque Chryſoſtomum ipſum non propterea deſiſſe quotidie ſacrificare.

XIX. Ego quoque aſſentior non dicere Chryſoſtomum abſolute fruſtra fieri Euchariſtiam; ſed κατά τι: verum longe aliter. Nempe quia nunquam verum, neminem fuiſſe, qui communicaret. Nam certe, quia tam ſeuere populum increparet, ſuum ſaltem Clerum non tuliſſet impune negligentem. Itaque verius, ex vniuerſo populo aliquos communicaſſe; aliquos, forte etiam multos abſtinuiſſe: porro ſacerdotem adſtitiſſe altari, non tantum dum conſecraret; aut dum aliqui communicarent, ſed etiam aliquanto poſt, dum videret, an quiſquam eſſet adhuc acceſſurus. Contra quam nunc fit apud Papiſtas, vt ſubito cum abſumpſit ſua Sacerdos, ſtatim dicat, *Ite Miſſa eſt*, & vaſa colligat. Horum ergo non communicantium habita ratione ita dictum, fruſtra fieri Euchariſtiam, fruſtra adſtari ad altare. Vnde etiam vlterius progredi liceat; nempe vt dicamus abſolute fruſtra fieri; ſi abſolute nemo communicaturus accedat.

XX. De Bellarmini diſtinctione, dico primum, Euchariſtiam nullam habere ſacrificii rationem, niſi quatenus ſit Sacramentum, ſignificans Chriſti paſſionem: Cum ergo hæc Sacramenti inſtitutio non ſit abſque communione: Ergo abſque hac ſi fiat, nullam habere rationem ſacrificii. Quod aliquoties obſeruatum nobis, atque confirmatum autoritatibus Veterum, à quibus ſolis hæc phraſis orta, vt Euchariſtia dicatur ſacrificium. Quare abſurdum eſt Euchariſtiam non eſſe inutilem quatenus ſacrificium ſublata communione; id eſt ſublata ipſa ſacrificii ratione.

XXI. Præterea, ſic ſcripſit Biel in expoſitionem Canonis, *Poſt aptationem Sacramenti ad ſui participationem per eius diuiſionem, & communicantium vnionem, per pacis triplicem impetrationem, procedit Sacerdos ad principaliſſimè intentum in ſacro miſſæ officio, tremendi ſcilicet ſacrificij communionem ſiue ſumptionem.* Vide, quid ſit priuata miſſa: nempe quæ non aſſequatur principaliſſimum finem. Quid tum ergo ſi alium aliquem? Quomodo Alchymia, quæ ars tam multos habet impoſtores, ſibi omnium maximè tanquam proponit, τὸ χρυσὸν ποιῆσαι; tamen inter operandum ὡς ἐν παρόδῳ multa naturalis ſubtilitatis arcana rimatur, neque ingrata cognitu, neque vſu inutilia. Sed tamen quia ſuum illud προὔργου nunquam potuit aſſequi; meritò audit inutilis. Sic in Eccleſia fruſtra fieri dicuntur ſacræ Conciones, cùm qui audiunt non mutant voluntatem à malo in bonum: etſi alioquin fieri poſſit, vt nonnullis φιλολόγοις proſint ad eloquentiam; quomodo credo Libanium Sophiſtam admiratum eſſe ſcripta Baſilij. Imò Chryſoſtomum vide; oratione tertia de incomprehenſibili natura Dei, quærentem excidiſſe ſibi omnem Concionis fructum, ad quam tamen concurſum infinitæ multitudinis factum agnoſcat: tantùm hanc ob cauſam, quòd non remaneret eadem frequentia ad vſque Sacramenti celebrationem. Ἀπὸ τῆς ῥαθυμίας ταύτης καὶ τοὺς ἐπαίνους τοὺς ἐπὶ τῇ σπουδῇ τῶν ἀκροάσεων αὐτοῦ πάντας ἀπολλύτε. *Facit profecto iſta ſocordia, vt laudem ſtudij in audiendo omnem amittatis.* τίς γὰρ ὑμῶν οὐ καταγνώσεται καὶ ἡμῶν, ὅταν ἴδῃ τὸν καρπὸν τῆς ἀκροάσεως οὐδὲν ὑμῖν διαφέροντα; εἰ γὰρ μετὰ ἀκριβείας προσείχετε τοῖς λεγομένοις, διὰ τῶν ἔργων ἂν ἐπεδείξασθε τὴν σπουδήν. *Quis enim non & vos & nos reprobet cùm fructum omnem audiendi excidiſſe viderit? Etenim dictis ſi diligenter incubuiſſetis, operibus oſtenderitis ſtudium.*

XXII. Dixit iterum Chryſoſtomus, præſtare non intereſſe, quàm non communicare. Bellarminus explicat per exceſſum amplificandi gratia: quomodo Paulo dictum, *Contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, hos conſtituite ad iudicandum.*

XXIII. Nos verò fatemur Paulum ὑπερβολῇ vſum in his vocibus. Sed in illis Chryſoſtomum; non concedimus. Etenim licebat tunc, licuitque ſemper non intereſſe ſacrificio Euchariſtiæ: ideo enim gemina miſſa diſtinguebatur; quarum prior in non communicantium gratiam. Sed qui remanerent, vt intereſſent ſacrificio, nec communicarent, horum alia ratio fuit. Itaque impudentes vocauit, & docuit non ſine ſcelere facere. Quod autem fit ſine peccato, ſi dicas præſtare eo quod non fit ſine noxa, nemo vnquam te loqui dixerit hyperbolicè.

XXIV. Humbertum & Valafridum eadem fidelia diſtinctionis dealbat. Quatenus ſacrificium, dummodo Sacerdos conſumat, legitimum eſſe: quatenus autem nutriendus populus ſpirituali pabulo, negari non poſſe magis eſſe perfectam, & legitimam miſſam, cùm communicantes adſunt.

XXV. Ridiculè, vt priùs. Nam veteres, vt dixi, tum ſignificari dixerunt ſacrificium Domini peractum in cruce, cùm panis frangitur, & ſanguis funditur in ora fidelium. Itaque cùm non poſſit eſſe ſacrificium, niſi quatenus plebs communicat; ridiculè diſparatur ſacrificium à communione. Mitto nugatoriam ἀδολεσχίαν; cùm populus ſpirituali pabulo nutriendus, magis eſſe legitimam cum communicantes adſunt: quaſi aliud ſit nutrire populum illo pabulo, aliud communicare. Illud etiam, magis perfectam magis legitimam: quid eſt? vnde eſt? Nam Valafridus dixit legitimam: Humbertus perfectam ſimpliciter. Quis autem ſolitus eſt perfectum, legitimum, opponere minus perfecto, minus legitimo? Et non potius imperfecto, illegitimo? Et vero ſic Humbertus, diſputans aduerſus imperfectam miſſam Græcorum. Et diſertè, *Dominum legimus non imperfectam, ſed perfectam commemorationem ſuis diſcipulis tradidiſſe.*

Cap. XX.

De pane tradito in manus communicantium.

I. Conſtat non eſſe legitimam Euchariſtiæ celebrationem deſtitutam communione plurium quàm vnius. Itaque diſtributionem faciendam. Sed quomodo, & cuius rei? Sic enim propoſuimus. Prior quæſtio leuicula nec diſputata, quod quidem viderim: ſed occaſionem habens ex vſu Papiſtico. Nam ſolet panis diſtributus tradi immediatè in os laici, non in manus: quæ certè ratio eſt brutæ magis communionis, quàm humanæ. Itaque nec Chriſto vſurpata, nec veteri Eccleſiæ.

II. De Chriſto ipſos habeo teſtes Papiſtas. Maldonatum in 26. Matthæi, *In manus, an in os dederit, non conſtat: ſed coniectura non leuis eſt, in manus dediſſe: primum quod dicat, Accipite, quod ad manus potius, quam ad os pertinere ſolet: deindè quia calicem in manus dediſſe probabimus, & credibile eſt eodem modo dediſſe corpus: denique quia ſi in diuidendo pane veteris Iudæorum conſuetudinis rationem aliquam habuit, non eſt vero ſimile Iudæos diuiſum panem in os ingerere conſueuiſſe.* Sic Maldonatus: ſic Iuſtinianus in 11. prioris ad Corinthios, penè totidem verbis. Magni adulatores ſuæ conſuetudinis: itaque problematica inquiſitione contenti, cùm viderunt non poſſe contrà obfirmare.

III. Sed alii conſtantius. Sed in eundem locum. *Dedit ſcilicet, in manus.* Ianſenius c.131. Concordiæ, *Quarto diſcipulis dediſſe dicitur, & dixiſſe illis, Accipite & comedite. Quod non ſic videtur accipiendum, quaſi ſingulis ſua manu Dominus porrexerit in os eam partem, quam erat ſumpturus, quemadmodum Sacerdos ſingulis fidelibus in os porrigit Euchariſtiam: ſed potius quod fracto pane in duodecim buccellas, ſingulis in manus dederit partem à ſe ſumendam aut partibus in patena depoſitis, patenam tradiderit propinquioribus, à quibus ſucceſſiue ſequentes acceperint.* Salmero tractatu 12. tom. 9. *Apoſtoli primum manibus ſuis panem ſanctum acceperunt, & manducauerunt.* Scortiam iuuat deſcribere prolixius diſputantem de Miſſæ ſacrificio libri 4. c. 11. art. 10. *Sed illud etiam hoc loco quæres, an diſcipuli ſuis manibus acceperint, & ſibi ipſis miniſtrauerint traditum à Domino Sacramentum: an ſolum à Chriſto ſumpſerint, vt communis Eccleſiæ vſus nunc obſeruat? Et quidem Stephanus Heduenſis exiſtimat Dominum, qui venit miniſtrare, & non miniſtrari, manu ſua ad os diſcipulorum porrexiſſe, quod conſecrauerat, & manducare præcepiſſe, ſicut modo Eccleſiæ conſuetudo ſeruat. Mihi tamen non videtur id omnino certum: imo oppoſitum videtur probabilius: tum quod diſcipulis in manu datus ſit calix vt diuiderent inter ſe; quare & idem de corpore dicēdum eſt: tum quia accipiendi verbum quo Chriſtus vſus eſt, cū dixit, Accipite, comedite, ad manus potius, quam ad os refertur: tum quia in Eccleſia fuit antiquitus conſuetudo vt Euchariſtia in manus ſumentium daretur, quaſi exprimeretur Chriſti Domini factum in diſtributione vltimæ: Cœnæ tum quia diſcipuli non motè ſunt loco, vt ex contextu Euangelij colligere licet; non apparet quomodo à Chriſto Domino ſingulis in ore dari potuerit Sacramentum ſui corporis pluribus à Chriſto longe diſtantibus.*

IV. Hoc ita acceptum, diu etiam retentum, fatentur aduerſarij. Maldonatus iam citato loco, *Longo tempore etiam in Eccleſia vſitatum fuit, vt ſacrum Chriſti corpus in manus fidelibus traderetur.* Scortia, item paulo ante, *In Eccleſia fuit antiquitus conſuetudo, vt Euchariſtia in manus ſumentium daretur.* Durantus Tholoſanus, de Ritibus libri 4. cap. 55. art. 17. amplius, *Communicaturus ad exceptionem ſanctæ Euchariſtiæ manum porrigebat.* Binnius annotatione in 14 Canonem Concilij Toletani, primi, *Antiquus Eccleſiæ mos fuit, dari fidelibus Euchariſtiam in manus.*

V. Et cur diſſimularent? Nam certiſſima monumenta teſtantur. Dionyſius Alexandrinus Epiſtola 5. ad Sixtum, apud Euſebium hiſtoriæ 7. cap. 19. editionis Græcæ, deſcribit eum qui aliquandiu vixiſſet in Eccleſia, εὐχαριστίας ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ Ἀμήν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον. καὶ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετασχόντα ἱκανῷ χρόνῳ, *Gratiarum actionem* (an potius conſecrationem) *audiuiſſe, Amen vna pronuntiaſſe, aſtitiſſe menſæ, manum ad ſanctum illud alimentum capeſſendum porrexiſſe, idque recepiſſe, longo tempore fuiſſe corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti participem.* Apud Theodoretum hiſtoriæ 5. cap. 19. Ambroſius Theodoſium increpans ob cædem Theſſalonicæ paratam: πῶς τὰς χεῖρας ἐκτενεῖς ἀποστάζουσας ἔτι τοῦ ἀδίκου φόνου τὸ αἷμα. πῶς δὲ τοιαύταις ὑποδέξῃ χερσὶ τοῦ δεσπότου τὸ πανάγιον σῶμα, *Quomodo manus extendes manus iniuſtæ cædis ſanguine ſtillantes? Quomodo iis manibus ſuſcepturus es ſacroſanctū Domini corpus?* Chryſoſtomus de Sacerdotio lib. 3. Ὁ μετὰ τοῦ πατρὸς ἄνω καθήμενος, κατὰ τὴν ὥραν ἐκείνην ταῖς ἁπάντων κατέχεται χερσί, *Qui cum patre ſurſum ſedet, ea hora omnium tenetur manibus.*

VI. Auguſtinus in quinquaginta homiliis homilia 26. *Quanta ſolicitudine obſeruamus, quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, vt nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat.* De tempore, ſerm. 244. quanquam non digno tanti viri nomine, *Si erubeſcimus ac timemus Euchariſtiam manibus ſordidis tangere.* Item 252. *Omnes viri quando communicare deſiderant, lauant manus ſuas.* Cyprianus de lapſis, *Quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, Sacerdotibus ſacrilegus iraſcitur.* Quo loco Pamelius notauit, *Bis terve ſuprà, & rurſum infrà hoc eodem libro, ac de bono patientiæ, & ſupra Epiſtola ad Tibaritanos, ſatis ſuperq; indicat, ſuo tempore fuiſſe id obſeruatum, vt in manus traderetur corpus Domini.*

VII. Ne omnes colligam, Cyrillus Catecheſi 5. myſtagogica, etiam ge-

ſtum

ſtum deſcribit: προσιὼν μὴ τεταμένοις τοῖς τῶν χειρῶν καρποῖς προσέρχου, μηδὲ διῃρημένοις δακτύλοις· ἀλλὰ τὴν ἀριστερὰν θρόνον ποιήσας τῇ δεξιᾷ, ὡς μελλούσῃ βασιλέα ὑποδέχεσθαι, καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην, δέχου τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, *Accedens, non expanſis manuum volis accede, neque cum diſiunctis digitis, ſed ſiniſtram veluti ſedem quandam ſubiicias dextræ, quæ tantum regem ſuſceptura eſt, & concaua manu ſuſcipe corpus Chriſti.* Vbi moneo non expanſas illas manuum volas intelligendas comparatè: id eſt, ſic vt non ſint ipſæ manus procul vna ab altera, ſed ambæ coniunctæ, ſuppoſita videlicet ſiniſtra. In Concilio Trullano Canon 101. apud Zonaram; iubet manus in crucem componi: incertum mihi, vtrùm brachiis in decuſſem compoſitis; an potius manibus ipſis, magis ad ritum Cyrilli: Εἴ τις τοῦ ἀχράντου σώματος μεταλαχεῖν, *Si quis immaculati corporis in ſynaxis tempore eſſe particeps voluerit*, καὶ ἑνωθῆναι αὐτῷ τῇ μετουσίᾳ βούλοιτο, τὰς χεῖρας σχηματίζων εἰς τύπον σταυροῦ οὕτω προσίτω, καὶ δεχέσθω τὴν κοινωνίαν τῆς χάριτος, *Etiam antequam in communione ſit, manus in crucis formam figurans, ſic accedat, & gratiæ communionem accipiat.* Quibus ſubiicitur improbatio inductæ conſuetudinis excipiendi in vaſa quædam aurea, argenteave, quaſi non ſatis dignæ manus eſſent, & iubentur ſegregari, qui ſic accedentibus communionem impertitus erit: quibus opinor, non minùs peccabant illæ mulieres quæ ſermone 252. de Tempore dicuntur corpus Domini excepiſſe linteolo puriſſimo, adeò iam ſuperſtitio vrgebat.

VIII. Apud Euſebium hiſtoriæ 6. c. 35. iuxta Chriſtophorſanum, ex literis Cornelij habemus Nouatum, in diſtribuendo ſuis vtriſque manibus manus accipientis prehendentem, nec dimittentem niſi accepto iureiurando. Habemus item in Epiſtola Baſilij 288. quoſdam ἐν τοῖς τοῦ διωγμοῦ καιροῖς ἀναγκάζεσθαι μὴ παρόντος ἱερέως ἢ λειτουργοῦ, τὴν κοινωνίαν λαμβάνειν τῇ ἰδίᾳ χειρί, *per tempora perſecutionum cogi, Sacerdote vel miniſtro non præſente, propriis manibus percipere communionem.* Quæ duo valeant ſanè ad hanc rem probandam, quando eſt volentibus ipſis Papiſtis, omnibus: alioquin non eſſem auſus vti: non quia non habeant veriſimilitudinem: ſed quia facillimè poterant eludi: vt mille ſunt in aliis capitibus longè clariora, quæ tamen variis artibus coguntur vel non dicere, quod dicunt: vel etiam duriùs dicere, quod non dicunt.

IX. Non vocatur ergo in dubium, quominus & à Chriſto factum ſit, & à Chriſtianis vſitatum multis ſeculis, vt qui communicarent, humano more ſuis manibus vterentur, non roſtro ſolo pecudum inſtar: cuius veſtigia prima, qui altiſſimè repetunt, Pamelius in Cypriani de Lapſis, & Durandus Tholoſanus, non niſi à Concilio quodam Rhotomagenſi, cuius nulla memoria niſi apud Burcardum autorem ſeculi vndecimi. Eo Concilio cautum fuit, vt non niſi in os immitteretur à Sacerdote.

X. Et videte, quæſo, audaciam. Maldonatus in 26. Matthæi. Meliore conſilio poſtea Eccleſia, non in manus, ſed in os Sacramentum dare cœpit, quod id, & minus periculi, & multo plus haberet reuerentiæ. Quemadmodum, quamuis Chriſtus cœnatis corpus ſuum, & ſanguinem dederit, Eccleſiæ conſilium Auguſtinus laudat: quòd ea relicta conſuetudine, non niſi ieiunis dederit.

XI. Item meliore conſilio vſa Eccleſia, quàm Apoſtoli, quàm Chriſtus: & vſa poſt ſecula nouem, aut decem. At nos craſſioris Mineruæ homines, nunquam concefferimus eum fuiſſe Chriſtum, (mitto enim Apoſtolos, & horum ſucceſſores) cuius luminibus officere potuerit vlla poſterior ætas. Pericula ſcimus nunquam nominata, niſi inualeſcente ſuperſtitione, quæ tandem timuit ne deſpuendo in terram deiiceretur corpus Chriſti, malè dentibus hærens. Itaque non poteſt obtinere, quantumcunque eſt Papiſtarum, vt non rideamus ſuperſtitioſe diligentes. Plus venerationis in ore quàm manu, à quibus ſit ritualibus hauſtum libenter ignoramus: nec patiemur facilè nobis perſuaderi ſanctiùs deglubere hodie quemquam Papiſtarum, quàm olim, non dico Apoſtolos, aut Apoſtolicos viros, ſed Chriſtianos Cypriani, Chryſoſtomi, Auguſtinive æuo: quorum nos ſane malumus ſimplicitatem imitari, quàm recentium Sophiſtarum ſubtilitatem adorare.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER OCTAVVS, De EVCHARISTIA.

Caput Primum.

STATVS CONTROVERSIÆ DE VTRAQVE SPECIE.

LONGE violentior futura nunc Controuerſia, quid ſit accedentibus ad Cõmunionem Chriſtianis diſtribuendum. Non niſi panem & calicem, conſentitur vtrinque. Quandoquidem prætera nihil exprimatur in inſtitutione: quod obſeruarunt etiam Canones, apud Papiſtas authentici, De Conſecrat. diſt. 2. Canone, *Cùm omne crimen*, qui lac audebant offerre, reprehenduntur, *Cùm enim magiſter veritatis verum ſalutis noſtræ ſacrificium ſuis commendaret diſcipulis, nulli lac, ſed panem tantum & calicem ſub hoc Sacramento cognoſcimus dediſſe. Ceſſet ergo lac in ſacrificando offerri: quia manifeſtum eſt & euidens exemplum veritatis Euangelicæ illuxit, quòd præter panem & vinum aliud offerri non licet.*

II. Sed alterúmne tantùm, an vtrumque? Hic ſchiſma. Ortum pridem cum Bohemi authore Ioanne Hus vtrumque vellent. Quos contra, habemus etiamnum ſcripta Ioannis de Raguſio, tomo 3. antiquarum lectionum: Henrici Caniſij; & inter acta Concilij Baſilienſis tomi Conciliorum 4. part. 1. in editione Binnij: Item Ioannis Gerſon de Communione Laicorum: & Ioannis de Turrecremata in Canonem, *Comperimus*, de Conſecratione diſt. 2. Cardinalis Cuſani in Epiſtolis ad Bohemos.

III. Recruduit longè violentius noſtro demum ſeculo; cum in tot tantiſque Romanenſium erroribus, nec potuit, nec debuit iſte diſſimulari, ab iis qui aliunde ſumpta occaſione, à paruis initiis progreſſi ſunt in altum hoc mare Controuerſiarum: mirati ipſi tam immanem ſibi Augiæ ſtercorum molem exhauriendam. Itaque deinceps abundaturi ſumus ſcriptis in hac materia polemicis, cum vix quiſquam Theologus profeſſus ſit, qui non etiam huc conferret quicquid habuit animorum, aut eruditionis. Vt in palmariis quæſtionibus hæc ſit fermè æquo loco cum Præſentia corporali, & Tranſubſtantiatione, & Sacrificio: a quibus etiam nata.

IV. A Catholicorum partibus. Melanchthon in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ. Caluinus libri 4 Inſtitut. c. 17 §. 47. Petrus Martyr in 10. prioris ad Corinthios, ſiue c. 11. Claſſis 4. Locorum Communium. Iuellus contra Hardingum artic. 2. Chemnitius 2. parte Examinis ad quintam ſeſſionem. Hellopœus de tota re Sacramentaria part 3. c. 5. Volfgangus Muſculus in Locis Communibus, de recta diſpenſatione Euchariſtiæ, art. 4. Sadeel contra Manachorum Burdegalenſium abiurationis art. 16. Hoſpinianus hiſtoriæ Sacramentariæ libr. 2. c. 1. art. Euchariſtia integra data: & libr. 4. c. 6. & 5 c. 4. Pleſſæus de Euchariſtia libr. 1. c. 11. & 12. Riuetus Catholici Orthodoxi tractatu 3. quæſt 21. Petrus Molinæus in Defenſione Fidei Catholicæ art. 10. Sutliuius de Miſſa Papiſtica libri 4. à capite ad finem. Petrus Molinæus in Clypeo Fidei parte 2. ſect. 35. & 36. Ioannes Scharpius in Curſu Theologico de Sacra Cœna controu. 2. de Elementis. Petrus Valadanus Apologiæ contra Epiſcopum Luſſonenſem c. 29. Marcus Antonius de Dominis libri 5. de Rep. Eccleſiaſtica c. 6. §. 278. & deinceps.

V. A Papiſtis, en ſyluam nominum. Catechiſmus ad Parochos. Caietanus Opuſculorum tomi 3. tract. 12. & in 3. Thomæ, quæſt 80. art. 12. Gropperus de altaris Sacramento tomi 2. art 4 Tapperus art. 5. Pighius Controu. 7. Roffenſis ad Lutheri art. 16. Hoſius Dialogo de Communione. Ioannes Cocklæus in vigintiquinque rationibus de vna ſpecie: & Epiſtola ad quendam amicum. Franciſcus Horantius Locorum libri 5. c. 33. Eckius Enchiridij c. 10. & de Sacramentis homilia 32. ac quatuor ſeqq. Lindanus Panopliæ libri 4. c. 56. Pereſius de Traditionibus, partis 3. conſid. 5. capite de Communione ſub vtraque ſpecie. Petrus Auratus Paradox. 30. Ioannes Heſſels à Louanio, Declaratione, quòd ſumptio Euchariſtiæ ſub vnica panis ſpecie, neq; Chriſti præcepto, aut inſtitutioni aduerſetur, neq; minus fructuoſa ſit. Slotanus contra Velſium art. 22. & 23. Carolus V. Imperator reſponſione ad articulum Auguſtanum de vtraque ſpecie. Ioannes Dauentria: Ioannes Cocklæus, Ioannes Hofmeiſterus, ad eundem. Alphonſus Viruefius Philippica 17. Iodocus Raueſtein Tiletanus defenſionis Tridentinæ parte 2. cap. de Communione ſub vtraque ſpecie. Bunderius Compendij tit. 21. Conradus Brunus de Ceremoniis libri 2. c. 2. Alphonſus de Caſtro hæreſi vltima de Euchariſtia. Stanislaus Karnkowski Gneſnenſis Archiepiſcopus controuerſia 6. Iacobus Ianſonius Æmſteledamenſis in Liturgicis libri 4. c. 7. Conradus Klingius Locorum Communium libri 4. c. 13. & ſeqq. Matthias Aquenſis in Catholicæ doctrinæ aſſertione. Dominicus Soto in 4. Sentent. diſt. 12. quæſt. 1. art. 12. Sanctefius Repetit 10. Latomus aduerſus Bucerum de Controuerſiis quibuſdam. Ioannes Fabri Hailbrunenſis Miſſæ libro 3. Stapletonus Antidotis Euangelicis in Matthæi 26. Polygranus in Aſſertionibus. Lorichius in Fortalitio de Euchariſtia hæreſi 5. Bolengerus contra Pleſſæi de Euchariſtia libri 1. c. 10. Coffetæus contra Molinæum, de Euchariſtia c. 9. Iacobus Suares à Sancta Maria, vulgò apud nos dictus Portugallenſis ſermone 7. in Concionibus ſolennitatis corpore Chriſti. Ioannes Baptiſta Scortia de Miſſæ ſacrificio libri 4. c. 29. Hieremias Ferrarius Antichriſti c. 18. Zacharias Bouerius Examinis 4. generalis c. de Sacramento Euchariſtiæ, 4. propoſit. Coffetæus in Defenſione Sanctæ Euchariſtiæ c. 9.

VI. Et Ieſuitæ. Bellarminus de Euchariſtia libri 4. c. 20. & octo proximis. Coſterus Enchiridij capite 10. Beccanus tomi 2. opuſculo 6. & 7. Salmero tomi 9. tractat. 34. 35. 36. 37. 38. Gregorius de Valentia, de legitimo vſu Euchariſtiæ: & Commentariorum tomo 4. diſput. 6. quæſt. 9. punct. 5. Andradius Orthodoxarum Explicationum libro 7. Suares de Sacramentis diſput. 71. Vaſques in 3. Thomæ, diſput. 215. & 216. Petrus Michaël in Controuerſiis de Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, dialogo 4. Richeomus de Miſſa libri 4. c. 60. & deinceps. Petrus Cotonus inſtitutionis libri 4. c. 53. & 4. Edmondus Augerius c. 6. libro de Vera, reali & corporali præſentia Ieſu Chriſti in Sacramento Altaris. Toletus annotat. 27. in 6. Ioannis.

VII. Conſtat Euchariſtiæ Sacramentum duabus externis partibus: id eſt, duplici materia, pane, & poculo: neque quenquam contradicentem

pati potest disertissima relatio institutionis apud Matthæum, Marcum, Lucam, Paulum: neque perpetua Ecclesiæ traditio. De panis distributione præter illam de Missa priuata, quæstio nulla est: nec dubitatur omnibus esse fidelibus distribuendus, si qui sese bene præparatos offerant.

VIII. Ast de poculo; longè alia mens est. Nemini enim distribui patiuntur Papistæ accedenti ad Sacerdotem, communionis causa. Duos enim ordines personarum distinguunt. Vnum solitarium ipsius Sacerdotis consecrantis, siue conficientis: & hunc dicunt necessariò debere vtramq; speciem sumere. Alterum quorumcunque Christianorum, qui à conficiente communionem postulent: Hos esse vel Clericos cuiuscunque ordinis, vel Laicos: Omnibus tamen ex æquo Calicem negandum. In quam partem disertissima edicta sunt; primò Constantiensis & Basileensis, deinde Tridentini Concilij cùm molesti essent quicunque institutionem primam præferrent inducta mutilationi.

IX. Concilium ergo Constantiense sessione 10. *Declarat, decernit, & definit; quòd licèt Christus post Cœnam instituerit, & suis discipulis administrauerit sub vtraq; specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum Canonum autoritas laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit, & seruat, quòd huiusmodi Sacramentum non debet confici post Cœnam, neq; à fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à iure, vel Ecclesia concesso vel admisso. Et sicut hæc consuetudo ad euitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quòd licet in primitiua Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur sub vtraq; specie, postea à conficientibus sub vtraq;, & à laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cùm firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrũ Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Vnde cum huiusmodi consuetudo ab Ecclesia, & sanctis patribus rationabiliter introducta, & diutissimè obseruata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ autoritate prohibito mutare.* Et pòst. *Item decernit & declarat super ista materia, Reuerendissimu in Christo patribus & Dominis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & eorum in spiritualibus Vicarijs vbilibet constituris, processus esse dirigendos, in quibus eis committatur & mandetur autoritate huius sacri Concilij sub pœna excõmunicationis, vt effectualiter puniant eos cõtra hoc decretum excedentes, qui cõmunicando populum sub vtraq; specie panis & vini exhortati fuerint, & sic faciendum esse docuerint.* Paulo pòst in Concilio Basileensi sessione 30. *Decernit & declarat, quod fideles laici siue clerici cõmunicantes, & non conficientes, nõ adstringuntur ex præcepto Domini ad suscipiendum sub vtraq; specie, panis scilicet & vini sacrum Eucharistiæ Sacramentum.* Et paulo pòst, *Laudabilis queq; consuetudo communicandi laicum populum sub vna specie, ab Ecclesia & sanctis patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutissimè obseruata, & à doctoribus diuinæ legis, Sacrarum Scripturarum atq; canonum multam peritiam habentibus, iam longæuo tempore commendata pro lege habenda est, nec alicui licitum est reprobare aut sine autoritate Ecclesiæ ipsam immutare.*

X. Concilij Tridentini Sessio 21. c. 1. *Declarat, ac docet nullo diuino præcepto laicos & clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub vtraq; specie sumendum, neq; vllo pacto salua fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei cõmunio ad salutem sufficiat.* Vnde Canon primus, *Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles vtramq; speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.* Videri queunt Tridentini mollius loquuti quam Constantienses: nam cùm hi consuetudinem non distribuendi calicem sanciuerint habendam pro lege: nimirum vt nemini contrà liceret: illi tamen nihil nisi neminem obligari. Sed satisfecit Catechismus ad Parochos, vbi sic legitur, *Quod vero ad cõmunicandi ritum pertinet, doceant Parochi, sanctæ Ecclesiæ lege interdictum esse, ne quis sine ipsius Ecclesiæ autoritate, præter Sacerdotes corpus Domini in sacrificio conficientes, sub vtraq; specie sacram Eucharistiam sumat.*

XI. Sic Papistæ. At Catholici, non tantùm dicunt Eucharistiam nullam esse, si nullo sit communio; sed etiam communionem non minùs esse aut legitimam aut necessariam poculi, quam panis. Itaq; Confessio Heluetica posterior art. 21. *Accipiunt fideles quod datur à ministro Domini, & edunt panem Domini, ac bibunt de poculo Domini.* Et pòst. *Improbamus itaq; illos, qui alteram speciem, poculum, inquam, Domini fidelibus subtraxerunt. Grauiter enim peccant contra institutionem Domini dicentis, Bibite ex hoc omnes: id quod ad panem non ita expresse dixit.* Anglicanæ Confessionis art. 2. *Populo vero ad sacram communionem accedenti, vtramq; partem Eucharistiæ tradendam esse. Id enim & Christum iussisse, & Apostolos vbiq; terrarum instituisse, & omnes veteres Patres, & Catholicos Episcopos.*

XII. Hinc nata celeberrima controuersia; vtrùm sit plebi æquè ac Sacerdoti concedenda communio Eucharistica sub vtraque specie. Quod Catholici asserunt, negant Papistæ.

XIII. Quanquam Papistæ non manent intra hos terminos: sed addunt necessitatem: quasi sit quæstio concipienda in hanc formam, Vtrum distributio vtriusque speciei sit laicis necessaria. Bellarminus certè in hæc verba, *Vtrùm necessario participanda sit Eucharistia sub vtraq; specie, an satis sit sub altera.* Eckius homil. 33. præfixit hoc lemma, *An necessarium sit vtramq; Sacramenti huius speciem sumere.* Multi alij similiter. Nec desunt quibus necessitas simpliciter nominata non satisfecerit. Tapperus, *Non est laicis necessaria ad salutem communio sub vtraq; specie.* Hosius, *Vel vnum aliquem profer ex quo tempore Christus hæc verba protulit, qui sic ea sit interpretatus, vt esse de necessitate salutis diceret, omnes etiam laicos vtriusq; speciei participes fieri.*

XIV. Atqui neutra phrasis apud nos vsquam est: verum aduersarij malitiosè vsurparunt, vt solent cuniculis agere potiùs, quam aperto marte pugnare. Voluerunt sine dubio suspicionem iniicere tale quid de poculo sacro nos comminisci, quale ipsi somniarunt de Baptismi necessitate ad salutem. At nos testamur nihil tale concepisse vel per somnium. Quòd si quæ sit necessitas dicenda, tum non aliam, quam institutionis. Eandem, quam & vtrique dicimus Sacramenti ipsius: & vel Papistæ agnoscunt in altera specie, quæ panis est. Repeto. Omnino eadem necessitate plebi communicanda est vtraque species, qua necessitate eidem communicanda Eucharistia; aut in Eucharistia, panis. Hoc dum sit ita definitum, appellanto sanè indifferentiam, aut necessitatem, aut quicquid volent nostra nihil interest.

XV. Sed quando hæc est necessitas nominata, placet describere, quæ olim contra Bohemos disputauit Ioannes de Ragusio, & quidem in solenni illo Basileensi Concilio. Viderint ij quibuscum nobis nunc certamen est, ecquid sint probaturi, an contrà, *Necessarium respectu finis est tripliciter distinguendum: quia aliquid dicitur necessarium respectu finis; simpliciter & absolutè, id scilicet sine quo nullo modo potest finis obtineri: alio modo ex conditione siue ex pacto, siue ex suppositione: tertio modo necessarium accipitur pro vtili & expedienti.* Primi exemplum, posito fine salutis, volitio diuina: secundi, Baptismus: tertij consilia, quæ Papistæ nominant. Postea applicando tres sunt conclusiones, *Prima; Communio diuinissimæ Eucharistiæ sub specie vtraque scilicet panis & vini toti credentium populo non est necessaria primo modo accepta necessitate. Secunda conclusio; Communio diuinissimæ Eucharistiæ sub specie vtraq; panis scilicet & vini non est necessaria toti credentium populo secundo modo accepta necessitate, nec à Domino præcepta Saluatore. Tertia conclusio. Communio diuinissimæ Eucharistiæ sub specie vtraq; panis scilicet & vini consuetudine & statuto Ecclesiæ stantibus in oppositum, non est multum vtilis nec saluti expediens toti credentium populo, imo est multum inutilis eidem & nociua.* Mirè; & vt strenuum Papistam decuit: qui cum multa dicere profiteretur de re tam necessaria: tamen de re tam necessaria nugaretur magnificè. Nam qui quærunt vtrùm necessaria sit communio vtriusque speciei, iidem quærunt, vtrum debuerit inhiberi: & Valdenses in hoc ipso erant, vt docerent Romanistas perfidè egisse, qui inhibuerant. At iste fortis athleta inhibitionem supponit, quasi legitimam: & hac posita egregiè triumphat eam communionem non solum non esse vtilem, sed & noxiam. Et nemo admiretur scholastica ingenia? Nostris aliquanto fuit infelicius seculum: quibus idipsum probandum susceptum est, quod ille maluit supponere.

XVI. Verùm peccant aliud peccatum, cum disputant non esse necessariam vtriusque speciei communionem. Necessitas enim negari potest, etiam cum nulla est opposita prohibitio. Exempli gratia: Cum dicitur nulli esse necessarium vxorem ducere: longè id est aliud, quam cum Papistæ dicunt non esse liberum Sacerdoti ducere vxorem. Nam illud significat esse positum in cuiusque arbitrio, vt fiat, nécne: hoc verò præcisè esse prohibitum, adeò vt velit, nolit, sit obtemperandum. Itaque Papistæ in disputando nunquam ita constituent statum quæstionis, an sit necessarium Sacerdoti ducere vxorem. In hac Controuersia, cur fit aliter? Non enim calicis sumptionem tantum negant esse necessariam: sed amplius & durius: æquè prohibitam plebi, ac Sacerdoti vxorem. Mentior? an imposuit mihi Concilium Constantiense, in quo dictum consuetudinem illam habendam pro lege? Imposuit Dominicus Soto; cuius hæc totidem verba, *Posterior conclusio Ecclesiæ consultissimè ac sanctissimè interdixit populo huiusmodi sanguinis communionem.* En interdixit. Vnde & prius priuilegium, indulgentiam: quam sine interdictione intelligi nefas. Verba recito, *Quo fit vt per Ecclesiæ priuilegium possit nunc etiam indulgeri quibusdam illustribus vt Cæsari, & regibus, & Cardinalibus non Sacerdotibus vt possit cum omni decentia, & cautela sanguinem sumere.* Sed grauius longe Salmero tractatu 34. *Laici non possunt communicare sub vtraq; specie, nisi porrigentibus Sacerdotibus: rursus Sacerdotes tradere non possunt, nisi concedentibus Episcopis, quibus debent parere: rursus Episcopi etsi maximè vellent, non possunt concedere, quod aut Concilium generale, aut Catholica Ecclesia moderator Romanus Pontifex grauissima lege interdixerunt.* Vasques disput. 216. c. 4. *Reliquum est vt ostendamus iure optimo Ecclesiam Latinam vsu calicis laicos in vniuersum priuasse & communionem sub vna tantum specie illis reliquisse.* Et vos adhuc tam languidè disputatis, Sophistæ, vt probetis hoc tantum, non esse necesse? Enimverò quis non concedat non esse necesse bibi vinum? Et tamen Mahometes tum alias detestandus, tum hoc nomine odiosus, quòd vino interdixerit. Et vos, Sophistæ, quod in Mahomete non probetis; ei simile quid laudatis in vestra: quid dicam? Ecclesiane, an Synagoga? Vtrumlibet: nam & malignantium Ecclesiam legimus.

XVII. Nobis quidem legitima causa est disputandi, vtrum plebi possit iure prohiberi altera species. Nam si permitteretur cuiusq; arbitrio, tolerabilior foret Ecclesiæ Romanæ conditio: & accusatio, aut tota, aut certè grauissima recideret in capita singulorum: quorum siue negligentia; siue superstitionem, siue quid aliud in promptu esset culpare. Quomodo olim Chrysostomus, etsi nullum crimẽ exaggeraret suæ Ecclesiæ; tamen grauiter conquerebatur negligi à singulis communionem: nempe quia id peccati, quantumuis grauis, à nullo esset Ecclesiæ decreto. At nunc nos, cum videamus Romanam Ecclesiam, non modò habere non bibentes: sed etiam vrgere suis certis & violentis edictis, vt non habeat bibentes, necessitas ipsa cogit, vt iuri fidelium ne desimus aduersus tantam tyrannidem.

XVIII. Itaque, quicquid obtendatur, non patimur Costerum edicentem, *Totam quæstionem in eo versari, an huius Sacramenti institutione, vtriusq; speciei sumptionem ita omnibus mandauerit, vt citra peccatum, nulli liceat sub altera tantum specie communicare.* Nam vt obiiciantur impunè abstemij, vt Ambrosius opponatur, si fortè accepto pane expirans antequam posset calicem accipere: & huiusmodi singularia incommoda. Die Costere, vt citra peccatum possit cuiquam nedum omnibus interdici altera species, ac tum legitime disputato.

CAP. II.

Vtrum violari possit institutio Eucharistiæ.

I. NObis affirmandi, vt aliàs, immobile fundamentum institutio Christi. Quam institutionem non tantum tres Euangelistæ recitarunt, sed etiam Paulus renouauit, restituturus ordinem celebrationis apud Corinthios: & post Paulum, omnes liturgiæ: haud secus ac Nautæ in vasto pelago Cynosuram semper habent in oculis.

II. Nulla Sacramenti institutio diuina est violanda. At communio plebis sub vtraque specie est institutio diuina. Ergo communio plebis sub vtraque specie non fuit violanda. Potentissimum argumentum: quo spes erat motum iri, vel cautes Marpesias: nedum Papistas. Sed Papistæ vel cautibus Marpesiis duriores, non magis hoc argumentum curant, *Quam numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.* Armati enim solita sua sophistice adeò vertunt, inuertunt, peruertunt, tum res, tum nomina, vt vix scias, quo loco sies. Attende, tu quisquis es pietatis amans; & admirare artes non iam Pelasgas, sed Romanas.

III. So-

III. Sophisticantur varie. Sunt qui maiorem sollicitent: sunt qui minorem impugnent. Ordine nos vtrosque. Maiorem confirmamus facile Primo ex positis libro 1. huius tomi cap. 11. Sacramenta nulla esse signa naturalia, sed instituta omnia, & quidem à Deo, non ab vlla creatura. Vnde Eckio dictum, *Vnica illa diuina voluntas sufficiens nobis est causa Sacramentorum.* Quod si igitur tota Sacramenti essentia est ab institutione diuina, profecto hac violata, non potest ipsum Sacramentum consistere. Itaque potest quidem humana temeritas institutionem violare; sed simul hanc violare & Sacramenti rationem retinere, non potest.

IV. Significauit aperte Paulus II. prioris ad Corinthios, cum dixit, *Cum conuenitis eodem loci, hoc non est Dominicam Cœnam edere.* Et adhibebant tamen aliquam partem institutionis, at non vniuersam; nempe enim communionem violabant; quæ diserte continetur in institutione. Hac ego violata; non tantum dixit Paulus, non bene celebrari, sed præcisius negauit celebrari. Tum statim, vt restitueret legitimam celebrationem, repetiit institutionem. Quasi expresse diceret legem celebrandæ Eucharistiæ hanc esse. Et vero Ambrosius magnifice, alias à nobis laudatus, commentario in id caput, mentem Apostoli explicauit, *Iudignum dicit esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est. Non enim potest deuotus esse, qui aliter præsumit, quam datum est ab autore. Itaq; præmonet, vt secundum ordinem traditum deuota mens sit accedentis ad Eucharistiam Domini.*

V. Paulum imitatus Cyprianus Epistola 63. Aquarios sui temporis compescuit, proposita institutione, *Quanquam sciam, frater charissime, Episcopos plurimos Ecclesiis Dominicis in toto mundo diuina dignatione præpositos Euangelicæ veritatis ac Dominicæ relationis tenere rationem, nec ab eo quod Christus magister & præcepit, & gessit, humana & nouella institutione decedere: tamen quidam vel ignoranter vel simpliciter in calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Iesus Christus Dominus & Deus noster, sacrificii huius autor & doctor, fecit & docuit, religiosum pariter ac necessarium duxi de hoc ad vos literas facere.* Postea, *Admonitos nos scias vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit,* Et multis interpositis, post recitatam ex Matthæo & Paulo institutionem, *Quod si & à Domino præcipitur, & ab Apostolo eius hoc idem confirmatur, & traditur, vt quotiescunque biberimus in commemorationem Domini faciamus, quod fecit & Dominus, inuenimus non obseruari à nobis quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus: & calicem Domini pari ratione miscentes à diuino magisterio non recedamus. Ab Euangelicis autem præceptis omnino recedendum non esse, & eadem quæ magister docuit & fecit, discipulis quoq; obseruare & facere debere, constantius & fortius alio in loco beatus Apostolus docet, dicens, Miror, quod sic tam cito demutamini ab eo qui vos vocauit ad gratiam, ad aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi si sunt alioqui qui vos turbant, & volunt conuertere Euangelium Christi: sed licet nos, aut Angelus de cœlo, aliter annunciet præter quam quod annunciauimus vobis anathema sit;* Rursus aliquanto post, *Non est ergo, frater carissime, quod aliquis existimet sequendum esse quorundam consuetudinem, si qui in præteritum calice Dominico aquam solam offerendam putauerint quarendum est enim ipsi, quem sint sequuti. Nam si in sacrificio quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus est: vtique nos id obaudire, & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit, quando ipse in Euangelio dicat, Si feceritis quod mando vobis, iam non dicto vos seruos, sed amicos. Et quod Christus debeat solus audiri, pater etiam de cœlo contestatur dicens, Hic est filius meus dilectissimus, in quo bene sensi, ipsum audite. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putauerit: sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Iterum, *Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet soluere: quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominica passionis, & nostræ redemptionis Sacramentum pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud, quam quod diuinitus institutum sit, humana traditione mutare?* Iterum, *Cæterum omnis religionis & veritatis disciplina subuertitur, nisi id quod spiritualiter præcipitur, fideliter reseruetur.*

VI. Non potuit magnificentius; non potuit vehementius: non potuit potentius à nobis causa nostra defendi. Thesin ponit: Præcepta Domini nostri Iesu Christi esse constanter retinenda, & omni humanæ consuetudini præferenda. Addit hypothesin: institutionem Eucharistiæ esse præceptum Domini. Concludit institutionem Eucharistiæ non esse violandam. Vtinam audissent conciliabula illa Constantiense, Basileense, Tridentinum; quibus fundamentum decreti est consuetudo longa: & quidem indignissimum in modum, opposita institutione Christi, *Licet Christus, suis discipulis administrauerit sub vtraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum Canonum autoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit, & seruat;* Quam procul à Cypriano?

VII. Nam quod Billius annotauit; si per omnia fieri vellet Cyprianus idipsum quod Christus fecit, etiam post Cœnam offerre nos oportebat sacrificium: quod tamen contra disputet, negligentiam Pamelii testatur. Neque enim Cyprianus; neque quisquam Catholicus dixit omnia facienda; quæ fecit Christus: sed quæ fecit, & docuit. Verum id paulo post recurret, plenius disserendum.

VIII. Nec solus Cyprianus hac arte repressit errores: sed & Iulius Palius Papa apud Gratianum capite, *Cum omne crimen* de Consecrat. dist. 2. variis propositis in hoc Sacramento peccatis, *Quod quam sit Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt. Cum enim magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, nulli lac, sed panem tantum & calicem sub hoc Sacramento cognoscimus dedisse. Legitur enim in Euangelica veritate; Accepit Iesus panem & calicem, & benedicens dedit discipulis suis.* Nega institutionem Christi retinendam; eneruas Iulii huius argumentum.

IX. Contra maiorem tamen disputauit Roffensis & Latomus. Si quod maius est immutare potuit Ecclesia, potuit & quod minus est. Sed ea Christi institutum in re multo maioris momenti non ambiguitur mutasse. Quis igitur non intelligit Ecclesiæ licuisse nonnihil circa Eucharistiæ Sacramentum dispensare? Assumptum probat, exemplo Baptismi, qui cum sit maioris necessitatis, & iussus ministrari hac forma, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* tamen Ecclesia mutarit, & baptizari cunctos voluerit in nomine CHRISTI. Item Sabbathum mutatum in diem Dominicam: & abrogatum mandatum Apostolorum de suffocato & sanguine.

X. Respondeo. Primum negans esse necessariam consequentiam. Nam exempli gratia, si Roffensi concedamus maius esse Baptismum Eucharistia, quia magis necessarium, & licuisse Ecclesiæ mutare formam Baptismi, tamen neque nos concesserimus, neque spero Roffensis dabit, licere Eucharistiæ mutare aut materiam, vt pro pane pita substituat: aut formam, vt pronuntiet, Hæc est passio mea.

XI. Secundo, nego assumptum. Et hic primum quicquam nego maius Sacramento Eucharistiæ proferri in exemplis. Non Baptismum. Nam Roffensis ipse etsi posuerit maius, tamen non est ausus assumere, sed mutauit in maiorem necessitatem. Quod non est idem. Exempli gratia, maioris necessitatis est corpus alere, quam magistratum exercere; cum illud pertineat ad esse, hoc autem tantum ad sic esse. Et tamen maius aliquid est exercere magistratum, quam corpus alere, vnde & medico multo licent in corporis nutritionem plura, quam in magistratus officium. De Sabbato, & suffocato res ipsa loquitur. Etenim ceremoniæ Iudaicæ nullæ maiores sunt Sacramentis Ecclesiæ. Erat autem Sabbathum ceremonia Mosaica. Rursus; obseruationes temporales nullæ maiores sunt ceremoniis perpetuis, at abstinentia à suffocato, fuit obseruatio temporalis, vt alias nobis est disputatum.

XII. Rursus nego quicquam in iis Ecclesiam mutasse. Non enim in Sabbato aut suffocato, quia Spiritus ipse Sanctus immutauit; qui docuit per Apostolos non esse nobis obseruandos dies, aut tempora, non esse propter conscientiam inquirendum in cibos propositos. Nec vero vllum in eas res decretum datur Ecclesiæ, à quo primo cœperit abrogatio.

XIII. In Baptismo nulla mutatio fuit: Nam quod dicunt Apostolos baptizasse in nomine Domini, nullam Sacramenti formam designat. Photius Bibliothecæ cap. 190. ex Eulogij sermone 2. *Τὸ ἐν πράξεσιν εἰρημένον περὶ τῶν ἐχόντων τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, ὅτι ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ τοῦτό ἐστι, Quod in actis dictum est de iis qui habebant Ioannis Baptismα, postquam audiuissent fuisse baptizatos in nomen Domini Iesu, huiusmodi est. ὅτι ἐβαπτίσθησαν κατὰ τὴν παράδοσιν, καὶ διδασκαλίαν τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, Baptizatos fuisse iuxta traditionem & doctrinam Domini Iesu. τοῦτον εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐβαπτίσθησαν. οὕτω γὰρ ἐδίδαξε καὶ παρέδωκε βαπτίζειν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, Id est, baptizati fuerunt in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: Sic enim docuit, & tradidit baptizare Dominus noster Iesus Christus.* Itaque recte Caluinus in 2. Actorum. *Nego Petrum hic de forma Baptismi loqui, sed simpliciter indicare totam Baptismi virtutem contineri in Christo.* Et post, *In eo tantum posita est solutio, quod hic non agitur de certa baptizandi formula, sed reuocantur fideles ad Christum, in quo solo nobis confertur, quicquid Baptismus figurat.* Beza notatione in eundem locum; *In nomen Iesu Christi, id est dans Christo nomen, cuius mortis, sepulturæ, ac resurrectionis simus in Baptismo participes cum peccatorum remissione. Necenim hoc declarat formulam Baptismi, sed finem & scopum.* Iuellus argute sectio 9. *In nomine Christi baptizare, est ita baptizare, vt Christus, præscripsit, instituit, sanxit. Ista autem verba, in nomine Christi, nihilo magis euincunt Baptismum Christi tantum nomine fuisse administratum nec cuiusquam alterius, quam hæc; Paulus seruus Iesu Christi, Paulum Christi tantum, non etiam Patris, Spiritus sancti fuisse seruum arguunt, aut hæc verba, quæ Paulus loquutus est ad custodem carceris, Crede in Dominum Iesum, illum in alteras duas Trinitatis personas credendi necessitate liberant, atque soluunt.*

XIV. Sed & Papistæ tandem. Bellarminus de Baptismo cap. 3. *Quod autem Lucas dicit in actis baptizasse Apostolos in nomine Domini Iesu, potest intelligi multis modis, nimirum vt baptizasse dicantur in fide Domini Iesu, vel autoritate* DOMINI IESV, *vel Baptismo à* CHRISTO *instituto, vel denique in nomine Domini Iesu, sed non solius, verum adiuncto Patre, & Spiritu sancto.* Consentit Suares. Soto in 3. distinct. 4. articulo 6. *Admonebant eos quos baptizabant, non baptizare alio Baptismate, quam Domini Iesu. Non quod dicerent, baptizo te in nomine Iesu, quasi illa esset forma, sed quod admonebant eos baptizare Baptismate Domini Iesu, & in nomine & potestate eius, sed tamen sub illa forma, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti* Iansenius Concordiæ capit. 149. *Cum dicuntur aliqui in Actis Apostolicis baptizati in nomine Iesu Christi, significatur in baptizandis illis expressum tantum nomen Iesu Christi, sed eos in fide Iesu Christi aut in merito eius, & efficacia passionis eius baptizatos, quomodo Paulus in suis Epistolis dicit nos omnes baptizatos in Christo Iesu.*

XV. Quare Roffensis nimis stolide maiorem impugnauit. Hardingus paulo aliter. Restricta diuini decreti sancto sine peccato potest aliquando omitti, in huiusmodi rebus, quæ neque ex se ipsæ, neque ex legis naturæ proscripto necessario sunt obseruandæ: ita tamen vt magnæ grauesque causæ exigant. Sic Dauidem comedisse panes propositionis. Circumcisionem fuisse per annos quadraginta omissam in deserto: Maccabæos Sabbato arma sumpsisse contra Antiochum. Ecclesiam baptizare infantes non institutos, & iudicasse aspersionem sufficere. In Eucharistia ipsa, omitti lotionem pedum, & præeuntem Cœnam; & accubitum; & numerum duodenarium.

XVI. Respondeo implicari res genere discrepantes. Vnius ordinis esse illa ex Veteri Testamento, alterius ista ex Nouo. Nam illa primum facta fuere singularia, non vllius aut instituti aut consuetudinis, cum tamen hæc controuersia sit nobis cum Papistis, de stricta prohibitione alterius speciei. Dicam clarius, nunquam olim sancitum propter Dauidem, vt omnes comederent panes propositionis: nunquam propter illos in deserto, ne quisquam puer circumcideretur, nunquam propter Maccabæos, ne quis posthac Sabbatum sanctificaret. Quomodo Constantiæ, Basileæ, Tridenti, propter maleferiatam quorundam consuetudinem statutum ne

quis è populo calicem auderet contingere. Et quid est quæso, quod non possit infinitis incommodis non præuisis aliquando interturbari? Soto notat posse accidere, vt in baptizando vnius personæ prolato nomine vel infans obmutescat, nec abest à verisimili. Eya igitur decernito Concilium aliquod Tridentinum, ne post hac tres personæ exprimantur. Fieri poterat vt qui Imperator veneno sublatus est in hostia sumpto, aliquo indicio rem comperisset, quis dubitet, prudenter fuisse facturum, si abstinuisset?

XVII. Atqui Christus τὴν παράβασιν τοῦ νόμου, *transgressionem legis*. Matth. 15. longe aliter est interpretatus, *Deus iussit, Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et qui maledixerit patri, matrive moriatur.* Hoc mandatum est. Transgressio cuiusmodi? An cum necessitate qui, vltima pressus filius patri non suppeditarit necessaria? Minime vero. Sed, *Vos autem dicitis: quicunque Patri dixerit aut matri: Donum est, quocunque à me iuuari possit.* Cur non hic similiter?

XVIII. Præterea istis violandi prætexuntur magnæ grauesque causæ. Scilicet quomodo magna grauisque causa fuit fames Dauidis, periculum vitæ circuncisis in deserto, exterminium populi Maccabæis. Quæ omnes causæ, & violentæ fuerunt, & extra ordinem. Ast hic nullæ tales. Certæ nullæ violentæ, quis enim dixit? Nullæ extra ordinem, quandoquidem ex iis lex facta ordinaria. Quid? quod neque magnæ grauesque? Nam ne Papistæ quidem tales vllas notant, sed quisquilias superstitionis, quas suo loco examinaturi sumus.

XIX. Alterum genus remotissimum est ab hoc nostro argumento, baptizari infantes non institutos, quo prætextu est contra præceptum? Scimus dixisse Christum, *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Sed est ne dictum? ne baptizate eos, qui eruditionis non sunt capaces? Tunc enim transgressioni locus esset. Sed non est dictum. Maldonatus aduersus eos qui hoc loco abutebantur, vt negarent baptizandos infantes, *Non animaduerterunt Christum hoc loco nō vetare baptizari eos, qui doceri non possent; sed tantum iubere omnes qui prius docti fuerint, baptizari.*

XX. Baptismo suffecisse aspersio existimata. Nimirum, inquam, quia hæc ipsa significatur etiam per τὸ βαπτίζειν: quia fiat lauandi gratia, quanquam sine mersione. Marci septimo. ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι; *nisi loti fuerint, non edunt.* Lucæ 11. ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου, *non prius ablutum fuisse ante prandium.* Quis credat, toties immersos totos in aquam, quoties vellent prandere? An potius partem aliquam corporis, puta manus? Nam & hæ diserte præcedunt apud Marcum: qui paulo post nominat βαπτισμοὺς ποτηρίων, *Baptismata calicum*, quæ tamen sciunt omnes fieri non mergendo, sed aspergendo, & post aspersionem tergendo. Quare si qui aspergit lauat. Et lauare est baptizare, non facit contra baptizandi præceptum, qui aspergit.

XXI. Lotionem pedum, Cœnam præeuntem, accubitum, numerum duodenarium, quis probabit in iis esse quæ in Eucharistiæ institutione mandata sint? Quin vide. Tam nihil faciunt partes huius institutionis; vt Paulus institutionem repetens, ne meminerit quidem: imo neque indicarit. Cur ergo retenta essent in celebratione Eucharistiæ? Circumstantiæ fuerint. Esto sane. Sed nemo vnquam sic insaniit, vt omnes circunstantias actionum Christi dixerit obseruandas. Cyprianus inculcabat; ea quæ Christus fecisset, & docuisset. Nec nos inde auimus. Si sumpsisset panem, nec addidisset, *Accipite, edite*? nam certe importunum esset vrgere perpetuum esum; quam accubitum: & si non tantum accubuisset, sed etiam dixisset, Accumbite: tam serio accumbendum esset, quam edendum. Sed neutrum est, accubuit, non iussit accumbere: Dedit panem; & iussit edere. Itaque nemo prohibuit vnquam, edi panem à plebe. Cur aliud iudicium de poculo, quod non tantum sumpsit; sed etiam tradidit: nec tradidit tantum, sed iussit bibere? Imo vide sceleratam audaciam. Accubuit Christus, non iussit accumbere: & tamen nemo prohibui vnquam accumbere. Tradidit Christus, & iussit bibere, & ausi sunt Papistæ prohibere potum. Hoccine inceptum est Catholicum? Hoccine humanum?

XXIII. De lotione pedum, etsi non pertinet ad Eucharistiam, tamen in primam speciem plausibilior est obiectio, propter hæc verba, *Debetis alij aliorum pedes lauare. Exemplum enim præbui vobis, vt prout ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Sed habet tamen nihil solidi. Quare? Quia nulla hæc institutio: sed ipso profitente Christo, exemplum duntaxat. Est autē exemplum alicuius positæ legis, indiuiduus vsus, viam monstrans aliis. Prioris Petri secundo, *Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Non vt similiter paterentur, id est, seruatis omnibus circunstantiis iisdem: sed vt similiter prout se res dabunt: vt, etsi Christus crucifixus sit, tamen non omnes teneantur crucifigi, sed nonnullis accidat capite truncari, aliis excoriari, aliis aliter.

XXIII. Eadem ratio huius loci. Exemplum præbuit Christus humilitatis & caritatis, quæ lex est vniuersalis; cuius hic actus est indiuiduus; indicans quovsque se quisque demittere debeat, vt vere Christianam caritatem exerceat in fratres; non κατὰ πόδας lauans pedes, sed prout se res obtulerit, ne dedignatus quidem hoc ipsum vilissimum officium, si ita opus sit. Qua ratione exempla esse possunt aliunde quam à Christo. Et quidem eorum, qui nihil instituerunt, aut etiam potuerunt Iacob. 5. *Exemplum accipite laboris & patientiæ, Prophetas.* Ad Titum 2. *In omnibus teipsum præbens exemplum bonorum operum.*

XXIV. Caluinus, *Nunc facti sui rationem aperit: nempe se, qui Magister est omnium & Dominus, exemplum tradidisse quod sequantur pij omnes: ne quis ad officium, quantumuis abiectum & vile, fratribus suis & æqualibus præstandum descendere grauetur. Nec simpliciter modestiam docere voluit; sed simul præscribere hanc charitatis regulam, vt alij aliis vicissim seruiant.* Caietanus, *In vna specie officij, totum genus officiorum intelligimus. Ita quoad explicando debitum abluendi pedes; comprehenditur debitum cuiusque officij, tam corporalis quam spiritualis. Intendit ergo ad literam Iesus vt ab ipsius exemplo cognoscamus nos debitores inuicem ad mutua officia, quibus opus est, tam ad corpus, quam ad spiritum.* Maldonatus, *Suo exemplo humiles esse docet: sed speciem ponit pro genere: nam per lotionem pedum, quod omnium ministeriorum humillimum est, omnia exempla, omnia ministeria intelligit humilitatis.* Salmero tomi 9. tract. 8 *Lauare pedes sine metaphora per Synecdochen, est omne officium etiam abiectissimum, & contemptum, & opus misericordiæ corporeæ circa corpus proximi iuuandum impendere. Consueuit enim Scriptura per vnum opus multa significare. Estque sensus: Nisi tantam habeatis caritatem, & humilitatem, vt parati sitis in necessitate quacunque, etiam ad abiectissima, & laboriosissima ministeria proximo exhibenda, etiam ad lauandos pedes, salui fieri minime potestis.* Habuerunt omnes à Theophylacto, ὑμεῖς ἀναγκαίως χρέος ἔχετε ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας, τουτέστι πᾶσαν διακονίαν ἀλλήλοις ὑπουργεῖν· διὰ γὰρ τοῦ νίπτειν, ὅπερ ἐσχάτη ὑπηρεσία δοκεῖ, καὶ τὰς ἄλλας πολλῷ μᾶλλον τὰς ἐντιμοτέρας τελεῖν ὀφείλομεν, *Vobis necessarium est mutuo lauare pedes, hoc est, quodcunque ministerium mutuo præstare. Nam per lotionem, quod infimum est obsequium; etiam reliqua, multoque magis honestiora debemus exequi.*

XXV. Sed enim, inquit, Bernardus hanc lotionem appellauit magnum Sacramentum, in sermone de Cœna Domini.

XXVI. Ita sane, inquam. At non Sacramentum propriissime, id est, eiusdem definitionis cum Baptismo & Eucharistia: vt alias nominauimus. Bellarminus de Sacramentis libri 2. cap. 24. *Respondeo lotionem illam pedum, nihil habuisse commune cum Sacramentis proprie dictis, & solum posse dici Sacramentum largo modo, quemadmodum Sacramenta dicuntur omnia, quæ mysticum sensum habent, & figuræ sunt, ac typi aliarum rerum.* Rationes subiecit: postea de Bernardo, aliisque Patribus, *Facile est*, inquit, *respondere. Nam Ambrosius vocat Sacramentum & mysterium, quia in ipsius Ecclesia seruabatur, vt sacra ceremonia, & vt aliquid Sacramentale: tamen non putabat ipse esse hanc lotionem proprie dictum Sacramentum. Cyprianus & Bernardus si attente legantur, non dicunt ipsam lotionem pedum materialem esse Sacramentum, quo homines sanctificentur, sed solum dicunt illam vnicam lotionem pedum Apostolorum à Christo factam fuisse Sacramentum; quia per eam significabatur aliquid sacrum, quod in nobis quotidie fieri debet.*

CAPVT III.

De verbis, Bibite ex eo omnes.

I. NIhil igitur opponi potest; quominus lex sit Ecclesiæ prima illa institutio Eucharistiæ: quemadmodum Baptismi institutio lex est. Et olim Paschatis, Circuncisionis, Sacrificiorum. Nunc ad minorem pergo; quæ docuit distributionem poculi esse Institutionem diuinam in hoc Sacramento Eucharistiæ. Nam ne hanc quidem non impugnandam putarunt aduersarij. Nos probamus facile: nisi nolentibus, nihil posset esse facile. Probatio erit partim à iure, partim à facto. Ius partim in præcepto, partim in ratione.

II. Præceptum in verbis disertis institutionis, primum istis Matthæi 26. *Et accepto poculo, ac gratiis actis dedit eis, dicens, Bibite ex eo omnes.* Lucæ 22. *Et accepto poculo, quum gratias egisset, dixit, Accipite hoc, & partimini vobis ipsis.* Certe eandem in his verbis vim esse oportet, quam in altera parte, *Accipite, edite*, vbi manifestissimum est institui vsum panis in commune, ideoque istis etiam similiter. Nam & Lucas, Paulusque indicarunt, cum recitato priori membro; ad secundum transeuntes, dixerunt, ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον, *Similiter & poculum*: quod explicauit Syrus, *Similiter & postquam cœnauissent etiam calicem dedit.* Suares Lusitanus, *Eodem plane modo, qui dixit corpus suum præ manibus habens, manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum: ita calice accepto, dixit eis, bibite ex hoc omnes, sanguis enim meus est Noui Testamenti.* Si eodem plane modo vtrumque dictum, ergo & eadem emphasi.

III. His positis manifesta fit vis argumenti. Habebamus probare, quod erat in minore positum, communionem plebis sub vtraque specie, esse diuinam institutionem Sacramenti Eucharistiæ. Sic ergo probamus. Quicquid Christus iussit fieri in celebranda Eucharistia, id pertinet ad institutionem Eucharistiæ: At Christus in celebranda Eucharistia iussit vtramque speciem distribui: Ergo vtramque speciem distribui pertinet ad institutionem Eucharistiæ. Assumptum probatur, quia de pane dictum, *Accipite, edite*, de vino similiter, *Accipite, bibite omnes.* Tiletanus, *Quantum ad Christi institutionem attinet, communio vtriusque speciei est tam laicis, quam Sacerdotibus.* Gorranus, ad ea verba, *Et dedit illis dicens*, de calice; *Hic subditur institutio, & communicatio, vbi tangit quatuor. Primo, Sacramenti veritatem, cum dicit, Hic est sanguis meus. Secundo, dignitatem, ibi, Noui Testamenti: Tertio, vtilitatem, ibi, Qui pro multis effunditur: Quarto, communicandi generalitatem, ibi, Bibite ex hoc omnes.*

IV. Aduersarij quid agunt? Imo quid non agunt? quem non mouent lapidem? Et negatione terrent; & distinctionibus fatigant. Negant minorem vterque Suares; tum Franciscus ille Salmanticensis; tum Iacobus alter à Sancta Maria, sed varie. Porro: Hæc verba non sunt præcipientis, sed inuitantis, seu dantis, vt solet fieri in quocunque conuiuio, vt quando Christus dixit Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctum*: nihil præcepit, sed dedit, simulque explicuit, quid daret. Posterior: Addi potest obseruatio quædam non inutilis; verba scilicet Christi imperatiua, siue res spirituales, seu naturales, seu supra naturam constitutas spectent, efferri tantum ad tribuendam potestatem, ac libertatem eius rei, quæ ab eo præcipitur: sed nequaquam eum cui hæc præcipiuntur obligare. Verbi gratia, quod in Genesi legitur, Crescite, & multiplicamini super terram, & homini & cæteris animantibus dicitur; & his verbis conceditur eis potestas gignendi, & multiplicandi, nec tamen ad id agendum adstringuntur.

V. Sed quid negant, quæso? Duo enim sunt; vnum de pane, *Accipite, edite*: alterum de calice, *Accipite, bibite*: Vtrum ergo negant in posteriore tantum esse præceptum, an in vtroque? Nam si hoc: Ergo nullum est communionis præceptum. Quod tamen contra Patribus assertum. Iustinus Apologia 2. cum post descriptam Eucharistiam, & in eo præcipue communionem vtriusque speciei, *Nam Apostoli*, inquit, *in Commentariis à se scriptis, quæ Euangelica vocantur, ita tradiderunt*, ἐντετάλθαι αὐτοῖς, *præcepisse sibi Iesum.* Chrysostomus in 1. ad Corinthios homilia 27. *Paulus volens terribilem reddere orationem, Recordamini*, inquit, *quod hanc vobis dedit postremam mysterij institutionem, & in ipsa nocte, qua pro nobis erat occidendus*, ταῦτα ἐνετείλατο, *hæc mandauit.*

VI. Et ratio contradicit. Nam quia Sacramentū omne ceremonia est; nulla au-

ſtautem ceremonia ſine ritibus:& hi ritus non niſi ab inſtitutione : ergo oportuit non materiam tantum,ſed etiam ritus inſtitui. Et ita ſemper factum. Nam in Baptiſmo non tantum aqua indicata;ſed etiam aquæ vſus,ad lotionem:& inde illud, *baptizate*, intellectum eſt præceptum. Certe Maldonatus in poſtremum Matthæi, *Forma quoque Baptiſmi*, inquit, *præſcribitur his verbis:* Ianſenius Concordiæ cap.149. *Tria apud Matthæum iniunguntur Apoſtolis, quæ euntes in vniuerſum orbem facere debeant* : hæc tria explicantur, vt doceant, vt baptizent, vt doceant ſeruare omnia præcepta. Et prior Theophylactus, *In omnes gentes mittit*, ἐντειλάμενος βαπτίζειν; *iubens baptizare.* Similiter in Veteri Teſtamento omnes ceremoniarum deſcriptiones habentur pro legibus; vnde ad Epheſios 2. ὁ νόμος τῶν ἐντολῶν, *Lex Mandatorum*: vbi Iuſtinianus, *Non omnia legis præcepta intelligit, ſed illa duntaxat, quibus Iudæorum propulus à Gentilibus diſtinguebatur.*

VII. An intelligunt potius hanc partem quæ eſt de calice, nullum eſſe præceptum? Obſtat illud *ſimiliter*, quo eadem ratio adſtruitur huius, quæ illius. Et ſane nemo eſt paulo minus inſanæ mentis, cui non dura videatur laceratio contextus: vt nulla noua accedente cauſa; *Edite*, ſit præceptum, *Bibite*, vero non ſit. Denique Cyprianus epiſt. 63. *Et à Domino præcipitur, & ab Apoſtolis eius hodie confirmatur, & traditur, vt quotieſcunque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus.* Autor ſermonis de Cœna Domini, *Lex eſum ſanguinis prohibet: Euangelium præcipit vt bibatur.* Paulo poſt, *Bibimus autem de ſanguine Chriſti, ipſo iubente.*

VIII. Quinetiam oppono Papiſtas ipſos, Andradium Orthodox. explicat. 7. *Tria tunc Chriſtum imperaſſe Euangeliſtæ tradunt; vt ſcilicet corpus ſuum acciperent, & manducarent: vt omnes ex calice ſanguine ſuo referto biberent atque, vt id in ſui commemorationem facerent.* Pighium, *Iuſſit primum ſimpliciter accipere & manducare. Iuſſit, inquam, accipere & mãducare. (quod tunc præſentis temporis erat) panem illum viuum, cõſecratum in ſuum corpus, quotum illos communicabat tantum.* Hardingum ſect. 10. *Sic Catholica Eccleſia ſtatuit* (audi non priuatam perſonam, ſed totius Eccleſiæ nomen) *Catholica Eccleſia ſtatuit, Bibite ex hoc omnes, Chriſti præceptum eſſe, & neceſſario oportere.*

IX. Veruntamen, ait Suares, *Accipite Spiritum ſanctum*, nihil iubet, ſed dat duntaxat. Eſto. An igitur nunquam verba imperatiua præceptum, ſiue mandatum deſignant? Et exempli gratia; illa, *ite in vniuerſum orbem*, nihil niſi donationem continent, in quam ſe Apoſtoli haberent merè παθητικῶς? Et, *prædicate*, ſimiliter? Quod ſi abſurdum; ergo diſtinguendum; vt quædam ſaltem aliter ſe habeant: & docendum Sophiſtæ non in iſtis hoc eſſe. Quanquam; non illud, *Accipite* vrgetur à nobis: ſed etiam, *Edite, bibite*; quæ improbe ſunt neglecta: nec poſſunt eſſe niſi paſſiua.

X. Concedo tamen inuitationem eſſe: ſed hoc ſenſu; vt lex ſit inuitationis. Nam profecto nemo cogitur ad ſumendum Euchariſtiæ poculum. Quare? Quia videlicet nemo ad ipſam Euchariſtiam. Sed qui ſponte inuitationem admiſerit; id eſt, promiſerit ad hanc Cœnam, hunc Chriſtus iubet edere, & bibere: Eodem modo, inquam, iubet bibere, quo iubet edere. Itaque Chryſoſtomus iniurioſum eſſe clamabat, ſi quis accepiſſet inuitatus, adeſſetque; & tamen non participaret.

XI. Alter Luſitanus ſubtilius: Tantum tribui poteſtatem, ac libertatem: vt cum dictum, *Creſcite & multiplicamini.* Cur ergo, inquam, vos præceptum dicitis, vt Sacerdos conficiens edat, & bibat? Cur non liberum permittitis? Cur à toto arcetis, qui partem non ſumpſerit? Quod ſi omnes fatemini mandatum eſſe, vt ille edat, & bibat: Ergo falſum contenditis, verba imperatiua efferri tantum ad tribuendam poteſtatem. Et quia id præceptum, continetur his verbis, *Accipite, edite, bibite*: Ergo ruſus conceditis, hæc verba ſic prolata in hac inſtitutione plus continere, quam poteſtatem & libertatem. Sic perit, ſuo ſorex indicio: ſic mendaces oportet eſſe memores.

XII. Venio ad diſtinctiones; quas inuenio ternas. Prima mihi eſt Pighii; Pertinuiſſe hæc verba, *Bibite ex hoc omnes*, ſolum ad actum illud præſentem, & calicem quem tunc propinauit Chriſtus, & exhibuit: non vero ad normam præfixam celebrando deinceps & in futurum ſacroſancto illi myſterio. Explico. Iuberi faciendum, vel in illo tum actu duntaxat: vel in perpetuum. De illo actu concedi minorem, maiorem negari. De perpetuo autem maiorem concedi, negari minorem.

XIII. Inſanum commentum. Quanquam diſtinctionem non exagito. Non poteſt enim negari potuiſſe in eo actu quædam peculiaria, quæ trahi in legem perpetuam foret abſurdum: vt illa, de præmiſſo cibo communi, agnoque Paſchali; de duodenario numero, de cœnaculo, de accubitu, & ſi qua ſunt ſimilia, & iam obiecta, & iterum ſæpius obiicienda. Sed portenti ſimile eſt potuiſſe cuiquam in mentem venire ſumendum calicem non iuberi, niſi ad præſentem vſum vnumque adeo momentum.

XIV. Et ſane hanc ipſam de calice partem, æque in futurum eſſe Patres conſentiunt. Damaſcenus Orthodoxæ fidei lib. 4. cap 14. Μέλλων τὸν ἑκούσιον ὑπὲρ ἡμῶν καταδέχεσθαι θάνατον, ἐν τῇ νυκτὶ, ἐν ᾗ παρεδίδου ἑαυτὸν, διαθήκην καινὴν διέθετο, *Suſcepturus voluntariam pro nobis mortem, in nocte in qua ſeipſum obtulit, Teſtamentum Nouum diſpoſuit.* Recte Sed quibus? τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις, *Sanctis Diſcipulis & Apoſtolis.* Non malè. Nam ſiſic, ergo non in illud momentum, cum tam ſerio negatur adfuiſſe quoſquam præter Apoſtolos. Sed ſtatim plenius, καὶ δι᾽ αὐτῶν πᾶσι τοῖς εἰς αὐτὸν πιστεύουσιν, *et per ipſos omnibus aliis in ipſum credentibus.* De Iuſtino iam dixi, aſſerente in vſu frequenti eſſe communionem vtriuſque ſpeciei, ex præcepto. Cyprianus epiſtola 73. *Quidam vel impudenter, vel ſimpliciter in calice Domini ſanctificando, & plebi miniſtrando, non hoc faciunt, quod Chriſtus fecit & docuit.* Docuit ergo aliquid Chriſtus in illa actione, quod pertinebat ad Cypriani tempora. Quomodo? ſi tantum fecit, aut etiam docuit, in vſum præſentem. Iulius Papa, canone *Cum omne crimen*, de Conſecrat. diſtinct 2. *Non difficile ab ipſo fonte veritatis probatur, à quo ordinata ipſa Sacramentorum myſteria proceſſerunt. Cum enim Magiſter veritatis verum ſalutis noſtræ ſacrificium ſuis commendaret Diſcipulis, nulli lac, ſed panem tantum & calicem ſub hoc Sacramento cognoſcimus dediſſe. Legitur enim in Euangelica veritate, Accepit Ieſus panem & calicem, & benedicens dedit Diſcipulis ſuis.* En tibi fontem, à quo proceſſere Sacramenta. Hoc falſum, ſi vnicus ille actus erat: non enim differt à ſe ipſo. En tibi, ordinata, en tibi commendata myſteria: & hæc panis & calicis. En tibi, ab eo primo actu probari quid eſſet agendum deinceps. Quomodo? Nam contra ideo pertendit Pighius dictum de actu ſingulari, vt ne ſit conſequens etiam deinceps ſic agendum. Auguſtinus canone, *Quia paſſus*, eadem diſtinctione, *commendauit nobis in iſto Sacramento ſanguinem ſuum & corpus.* Recte, commendauit, & commendauit vtrumque; non corpus tantum, ſed etiam ſanguinem. Et commendauit quibus? Soliſne Apoſtolis? Imo, *nobis*: tot tamen poſt actum illum primum ſeculis. Itane? in vnum illud momentum; ad vnicum illum primæ celebrationis actum.

XV. Nec Veteres de nihilo. Nam quid eſt, quæſo, diſcriminis, inter *Accipite, comedite*, &, *Accipite, bibite?* Quid, inquam, cauſæ habent, vt ita diſtinguant; Accipite, edite vos, veſtrique ſucceſſores ad finem ſeculi, ſed accipite, bibite vos tantum, qui hic nunc adeſtis mecum? Aut quomodo illud Lucæ retinebitur & Pauli, *Similiter calicem*? Profecto enim in tanto diſcrimine non poteſt idem modus eſſe.

XVI. Sed Paulus nullam patitur ſycophantiam. *Similiter & poculum poſtquam cœnaſſet dicendo, hoc poculum eſt nouum illud teſtamentum per meum ſanguinem, hoc facite quotieſcunque biberitis ad mei recordationem.* Itane? Quotieſcunque biberitis, id eſt, nunc tantum, ſemel tantum? nunquam poſtea? Tum autem ſtatim. *Quoties enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis vſque quo venerit.* Hoccine ſemel tantum? Credat Iudæus appella. Non ego. Anſelmus: *vt ſcilicet nunquam ſine commemoratione paſſionis meæ bibatis eum.* Guillaudus, *Atque in his ſacris perſeuerandum erit, donec veniat ille, quem ſumitis, ſecundo ſuo aduentu, iudicaturus in maieſtate ſua viuos & mortuos.*

XVII. Et erunt ruſus obiiciendi Sacerdotes conficientes. Nam hos bibere, æque ac comedere omnino dicunt eſſe de neceſſitate Sacramenti. At ſi hæc verba Accipite, bibite, non ſunt niſi ad præſentem illam actionem dicta: Ergo non pertinent ad conſequentes actiones. Non erit ergo ex mandato Chriſti neceſſe quotidie bibi in miſſa. Et ſi non ex eo mandato, ergo non ex neceſſitate Sacramenti. Nam quis inſtituiſſet? Non enim potuit vlla creatura, ideo neque Eccleſia.

XVIII. Altera diſtinctio Sanctesij eſt. Dicimus, inquit, aliud eſſe vtramque ſpeciem, aliud vſum. Res omnes initio creantur à Deo ſuo ordine, poſt de earum vſu diſſeritur. Baptiſmus primum conſtituitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto:* & deinceps de eius vſu agitur. Præterea ſi in rerum conſtitutione declaratur vſus, aut vna præſcribitur; non tamen inde colligitur, cuilibet, aut etiam cuiquam vſum illarum certo mandari. Vinum condidit Deus in potum hominum, non tamen omnibus, aut etiam cuiquam edixit, vt vinum epotet. Sanxit in lege, vt offerretur cum victima certa vini menſura: non tamen ſanxit, vt omnis qui de ſacrificio ederet, etiam de vino guſtaret. Deus matrimonium ad procreationem hominum diſpoſuit, ſed non omnibus matrimonij iugum, nec omnes coniugatos ad dandam operam liberis obligauit. Propterea negamus ex ipſa inſtitutione Cœnæ, & vtriuſque ſpeciei, earum inſtitui, & ſi inſtituatur, negamus tamen inde ad omnes extendi. Placuit eadem diſtinctio Tappero. Ergo ita habet ſolutio Inſtitutionem intelligi vel ſpecierum, vel vſus earum. De ſpeciebus concedi vniuerſum argumentum, nempe extra Theſin. De vſu ſpecierum negari minorem.

XIX. Reſpondeo, ne nos quidem nunc agere de inſtitutione ſpecierum; quæ pertinent ad materiam huius Sacramenti, in qua conſenſum eſſe notauimus cap. 3. libri 6. De vſu ergo teſtamur conceptum eſſe argumentum; & quidem neceſſario. Nam ipſarum ſpecierum conſtitutio pertinet ad creationem. Habet enim panis vt ſit panis, & vinum vt ſit vinum nullo modo ab Euchariſtia, aut huius inſtitutione. Quare mittamus hoc ſane.

XX. Negat in inſtitutione age de vſu panis & vini. Primum inepte: Nam ipſa iam Euchariſtia eſt aliquis vſus panis & vini. Eſt enim ceremonia: quam omnino oportet eſſe poſitam in vſu humano. Et materiam naturalem conſtat ſecundum ipſum ſuum eſſe, ineptam eſſe ad Sacramentum conſtitutionem, ideoq; oportere determinari. Quare non potuit fieri, vt panis & vinum aſſumerentur in Sacramentum, vt non ſimul determinaretur eorundem vſus.

XXI. Deinde portentoſe. Nam edere quid eſt, aut bibere? Nulluſne vſus panis & vini? Quod ſi aliquis; quid eſt Soli tenebras offundere ſi hoc non eſt? iubet Chriſtus edi panem, vinum bibi; & nullum panis vinique vſum deſignat?

XXII. Res omnes, inquit, creantur primo, poſt earum vſus diſponitur. Falſiſſimum, inquam. Res enim omnes duorum ſunt generum: aliarum τὸ εἶναι, differt ab vſu, aliarum vſus ipſe eſt τὸ εἶναι. Illas verum eſt prius eſſe creatas, poſtea vſui applicatas. Prius enim abietes in Pelio monte, quam naues in mari: & prius lignum Gopher, quam arca in diluuio. Sed de alteris non idem iudicium. Nunquam terminus vllus fuit, niſi qui diuideret agros: nunquam illum conuiuium, niſi in comedendo & bibendo: nunquam vllus ſermo, niſi in ſignificatione: Ergo imponunt nobis Sophiſtæ non diſtinctis rerum generibus.

XXIII. Hic autem quid eſt de quo loquimur? An de rebus naturalibus quatenus ſunt naturales? Minime omnium. Sed de ſignis, & quidem inſtitutis. Atqui nullum vnquam ſignum, & multo minus ſignum inſtitutum, fuit abſque ſuo illo vſu ſecundum quem ſignum eſt. Hedera, res eſt naturalis, ſed eadem hedera ſignum eſt ex inſtitutione, nunquam autem hederæ ſignum eſt niſi ſuſpenſa. Ad eandem rationem nunquam panis ſignum eſt corporis Chriſti niſi in edendo, nunquam vinum ſanguinis niſi in portando. Itaque neceſſe eſt, vt qui rem naturalem quamcunque inſtituat in ſignum, idem eius rei vſui prouideat; alioqui ſignum non inſtituturus; Nec vnquam aliter factum in ſignis religioſis cuiuſcunque generis. Quis credat in Euchariſtia rationem fuiſſe diſſimilem?

XXIV. Præterea diſtinguendus eſt vſus Sacramenti; ab vſu ſignorum in Sacramento; puta Baptiſmi ad remiſſionem peccatorum, ab vſu aquæ. Itidem Euchariſtiæ ad communionem Chriſti, ab vſu panis, & vini. Quomodo? Nimirum, quia Sacramenti vſus ille proximus eſt, ſiue remiſſio peccatorum, ſiue communio Chriſti, non enim in alium finem inſtitutio fuit. Sed is idem finis elementorum non proximus, aut immedia-

tus; ve-

tus, verbum ſecundarius: nam aqua aſſumitur in ablutionem; & ſic remiſſionem ſignificat. Eodemque modo panis in eſum, in potum poculum, & ſic panis & vinum proficiunt communioni in Chriſtum. Quare etſi probarent Sophiſtæ non eadem opera inſtitutam eſſe Euchariſtiam, & vſum Euchariſtiæ (etſi non probant illi quidem) tamen nondum bene negarent inſtituendo Euchariſtiam non eſſe inſtitutum panis, poculive vſum.

XXV. Sed ſi inſtitutus vſus Euchariſtiæ, non tamen omnibus. Inſanum caput: quis hoc aſſeruit, vt tibi diſputandum eſſet? Non nos ſane, qui in liturgia noſtra alte proteſtamur Chriſtum celebraſſe Cœnam ſuam inter diſcipulos ſuos: eoque docuiſſe neminem admittendum, qui non ſit in numero fidelium, atque inde abſtinere iubemus, omnes excommunicatos. Quomodo Iuſtinus olim ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μεταχεῖν ἐξόν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτως βιοῦντι, ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν, *Nemini licet participare, niſi qui credat vera eſſe, quæ apud nos docentur, & baptizatus fuerit, viuatque prout iuſſit Chriſtus:* Ergo fruſtra huc Sanctesius diuertit. Etenim nihil de vino dici poteſt, ſecundum hanc rationem, quod non de pane.

XXVI. Sed iidem dicimus, hunc iſtum vſum panis, ac poculi cunctis inſtitutum, quibus ipſa ſit inſtituta Euchariſtia. Sic etſi non dicamus omnibus hominibus panem eſſe neceſſe edere, tamen dicimus, quicunque pane debeant nutriri, iiſdem neceſſe eſſe panem edere. Et quicunque vino ſitim ſedare volet, eidem vinum eſſe bibendum. Eſt enim eadem ratio Euchariſtiæ & Baptiſmi, quia ſicut Baptiſmi materia eſt aqua, ſic Euchariſtiæ materia eſt panis & poculum. Non eſt autem omnibus adminiſtrandus Baptiſmus, ſed quibus eſt adminiſtrandus iiſdem aqua neceſſaria eſt ad lauacrum.

XXVII. Tertia ſupereſt diſtinctio, celeberrima, adeo vt reliquæ pene deſertæ videantur. Hardingus. Sic Catholica Eccleſia ſtatuit, *Bibite ex hoc omnes*, Chriſti quidem præceptum eſſe, & neceſſario obſeruari oportet: ſed tantum ad Sacerdotibus, idque quando in Eccleſiæ ſacrificio mortis Chriſti commemoratio celebratur Bellarminus. Hæc verba dicuntur ſolis Apoſtolis, qui tum ad menſam cum Chriſto ſedebant. Diſtinctio igitur ſic habet, Imperatum omnibus vel ſic intelligitur vt fideles comprehendantur quicunque, vel Soli Sacerdotes. Priori modo negatur minor variis de cauſis. Altero, conceditur argumentum totum; quia extra theſin.

XXVIII. At nos inſtamus. Primum, hac diſceſſa diſtinctione, non concludi extra theſin. Quoniam Papiſtæ ne Sacerdotibus quidem concedunt communionem ſub vtraque, niſi conficientibus. Fiſcherus cap. 8. lib. 5. contra Oecolampadium, *Quid ampliora iniuria laicis ipſis facimus, quam nobis ipſis? Nos enim quoties extra miſſam communicamus, tantum ſub altera parte Sacramentum ſumimus.* Aſt in inſtituto Sacramenta Apoſtoli nulli conficiebant. Itaque concluditur hinc legitime, ſaltem Sacerdotibus non conficientibus deberi communione vtriuſque ſpeciei, ſi vere ſtatuit Eccleſia illa Catholica & præceptum eſſe, & neceſſario obſeruandum. Vt ſeſe magno ſcelere obſtrinxerit Eccleſia Romana, cui decretum, non teneri hos ipſos Sacerdotes, non conficientes, vtramque accidere. Niſi forte ita eſt potius Eccleſiam Romanam putare ſuo ſe iure poſſe leges diuinas figere, refigere, deque non iure ius facere. Sophiſtæ etiam ei ſeruientes nihil habeant penſi, niſi vt obiecta eludentes, ſimplicioribus illudant.

XXIX. Deinde rurſus dico; Etſi verum ſit, ſolis Apoſtolis ea verba dicta; tamen pertinere ad omnes fideles, capaces Euchariſtiæ. Non eſt enim quod fatigent ſe belli homunciones in probando, ſolos tunc Apoſtolos Chriſto adfuiſſe, cum apud Euangeliſtas ſit duodecim Apoſtolorum diſerta mentio. Quamuis hæc ipſa non concludat neceſſario nullos adfuiſſe præterea. Poteſt enim vtrumque eſſe verum; & vt duodecim accubuerint, quod notauit Matthæus; & alij non abfuerint. Certe Canon Romanus non Apoſtolos dixit ſed diſcipulos, nomen latius, *Benedixit, fregit; dedit Diſcipulis ſuis. Simili modo calicem accipiens, gratias agens benedixit, deditque Diſcipulis ſuis.* Quomodo eſt in Liturgia Petri, & Clementis, ſed in Iacobi, Marci, Baſilij, Chryſoſtomi, habes diſerte, legas Diſcipulos, & Apoſtolos. In Iacobi, ἔδωκεν ἡμῖν τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς, καὶ ἀποστόλοις, *Dedit nobis Diſcipulis ſuis, & Apoſtolis.* In Marci, τοῖς ἁγίοις καὶ μακαρίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις. In Baſilij & Chryſoſtomi, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις.

XXX. Veruntamen eſto ſane ita, vt ſoli duodecim adfuerint Chriſto inſtituenti Euchariſtiam; ſolique ab eius manibus acceperint. Quid inde, quæſo, decedit argumento? Enimvero hæc non inſtitutio eſt, ſed inſtitutionis circunſtantia, itaque non in iis quæ Chriſtus fecit, & docuit, ſed in iis tantum quæ fecit. Non enim dixit, Duodecim accipiant: ſed *Accipite.* Quis enim neſcit, quæcunque Chriſtus dixit, ea dicta eſſe præſentibus; atque etiam iis tantum? Certe ſolis duodecim dictum, *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos;* an fuit quiſquam adeo demens, vt ſolos Apoſtolos doceret potuiſſe baptizare? Imo Papiſtæ proferunt ad omnes omnino Chriſtianos, imo ad omnes omnino homines. Cur indignentur nunc nos, hanc communionem proferre in omnes Euchariſtiæ capaces? Quid; in eadem actione nonne legunt, *Qui pro vobis effunditur?* Fueruntne tunc introducti omnes Diſcipuli, qui prius excluſi? An ſignificatum ſolis duodecim dictum, nec latius patere? Certe Paulus tunc cum erat Corinthi, ſolis Corinthiis tradidit idem Sacramentum, nempe propter tum temporis, tum loci circunſtantiam, ſed idipſum tamen, quod illis ſolis, eo indiuiduo tradebat actu; non tradebat in eorum tantum gratiam.

XXXI. Salmero ſenſum hunc, quo tam exacte numerantur duodecim; videtur exiliorem exiſtimare. Nam ei ſubiicit alium pleniorem, *Iuxta pleniorem ſenſum*, inquit, *quo ſolet Dominus in vno aliquo cæteros alloqui ſucceſſores, vt agens cum Petro loquitur omnibus Pontificibus, quia officium perpetuum, & non perſonale priuilegium inſtituebat: iuxta hunc, inquam, ſenſum admitti poteſt in Apoſtolis, quos tunc creauit Presbyteros, ad omnes eorum in officio ſucceſſores verba feciſſe:* Scilicet agnouit nimiam eſſe λεπτολογίαν eorum, qui tam curioſe digitis putant duodecim Apoſtolos, nec plures nec pauciores, agnouit vlterius producendum Chriſti liberalitatem. Maligne tamen hoc ipſum: & Papiſtice: qui *admitti poteſt*, inquit, quaſi veriſimilitudo eſſet tantum; non vlla rei veritas conſtans & certa. Tantum poteſt præiudicata opinio.

XXXII. Sed eſto certum, quod alij item Papiſtæ non diffitentur; non hærendum duodecim illis perſonis, vnde Hardingus, Sacerdotes dixit; longe latius. Et quidem ex præcepto, eoque neceſſario. Quæſtio ſupereſt, qanta ſit eius amplitudo præcepti. Eſto etiam poſitum; non protendendum vltra eorum Apoſtolorum ſucceſſores. Dummodo hos ita intelligamus, ad quos idem ius pertineat, quo illos tunc temporis vti voluit Chriſtus. Nam alioquin ſucceſſores nominari ſolent ij qui decedentibus primis ſufficiuntur, quo ſenſu nunquam fuiſſet aut aliis, aut ab aliis celebrata, ante eorum obitum. Atqui, puto, celebrauit Matthias, celebrauit Paulus, celebrauit Barnabas, celebrauit Timotheus & Titus, & alij multi; quorum tamen nemo ſucceſſor Apoſtolorum, quandoquidem Apoſtolis viuis ſuo fungerentur munere, & tamen nemo in illorum duodecim numero. Celebrata itidem fuit ſaltem Corinthiis, quos miret equidem ſi Pauli ſucceſſores Papiſtæ dixerint. Sed eſto ita; hanc inſtitutionem, non ad Apoſtolos tantum duodecim pertinuiſſe, ſed etiam ad omnes quibus idem ius eſt. Hi autē qui ſint iam videndum. Papiſtæ ſolos volunt Sacerdotes conficientes, id eſt, dum conficiunt. At Catholici, omnes fideles qui ſui examinandi ſint potentes. Nam in Apoſtolis ratio gemina fuit, alia fidei, alia Sacerdotij. Fuerunt enim iidem Fideles, vtpote credentes in Chriſtum; & præterea Apoſtoli, itaque eorum dici poſſunt ſucceſſores ſecundum noſtram definitionem, non tantum Apoſtoli, Matthias, & Paulus; aut Sacerdotes, Barnabas, Timotheus, Titus: ſed etiam fideles omnes; qui admiſſi in partem eiuſdem gratiæ: vnde Petrus primo prioris, *Iis qui coæqualem* ἰσότιμον *nobiſcum fidem ſortiti ſunt.* Ioannes 1. primæ, *Vt & vos* κοινωνίαν *communionem habeatis nobiſcum.*

XXXIII. Intelligi omnes fideles tota hac diſputatione probaturi ſumus, ſed nunc eodem argumento, quod indicauit Salmero. Succeſſores à Chriſto comprehendi dum loquitur ad vnum; quoties officium perpetuum, & non priuilegium perſonale inſtitueret. Nam id inde eſt, quod verba ſint ad omnes porrigenda, ad quos iure pertinet id quod iis verbis inſtituitur. Vnde in promptu argumentatio. Quicquid Apoſtolis tanquam fidelibus inſtitutum eſt; id commune ius eſt omnium fidelium. At communio vtriuſque ſpeciei, Apoſtolis inſtituta eſt tanquam fidelibus: Ergo communionis vtriuſque ſpeciei ius eſt omnium fidelium. Maior ea ratione nititur quam dixi. Et eadem qua Papiſtas vti neceſſe eſt; cum diſputant, Apoſtolis tanquam Sacerdotibus traditam communionem, vt concludant omnibus Sacerdotibus traditam communem eſſe. Minoris veritas ſuis locis demonſtrabitur paulo poſt. Iubeo tamen obſeruari Richeomum agnoſcere Apoſtolos tunc ſuo numero repræſentaſſe omnes Chriſtianos.

XXXIV. Infirmandæ minori illud eſt Coſteri. Non enim Apoſtolos iuſſos calicem ſumere ad vtriuſque ſpeciei neceſſitatem commendandam, ſed aliis de cauſis: tum ad mæſtitiam, quam de paſſione Domini acceperant, mitigandam: tum vt illi, quos Sacerdotes ibi conſecrabat, ritum ſacrificandi in miſſæ ſacrificio vtramque ſpeciem ordinarie ſumendi, diſcerent: tum, vt qui nomine totius Eccleſiæ hoc Sacramentum à ſuo inſtitutore ſumerent, vtriuſque ſpeciei ſumptione eius caperent poſſeſſionem.

XXXV. Sed hic multa occurrunt diligentius inquirenda. Primum hoc, vtrum cuiuis liceat de ſuo quaſcunque cauſas commiſci pro arbitrio, & alii neceſſe ſit eas cauſas, quaſi ex imperio admittere. Nam ſi hoc licet; non eſt, quod deſperemus: neque enim tam in veſtigando ſteriles ſumus, vt non queamus nobis aliquid commodum reperire; vt dicamus confidenter non eas eſſe cauſas, quas vitilitigatores conſuunt, ſed alias, hanc videlicet, vt Chriſtus, qui præuidebat omnia, Papiſtas futuros tam audaces, confunderet. Quod ſi nobis affirmantibus, tantum deferatur, quantum ſibi nunc non niſi affirmanti Coſterus poſtulat, vna illa cauſa inſtar erit omnium. abſurdum eſt hoc noui generis imperium; liceat nobis ridere tertiam cauſam, nunquam hactenus cogitatam. Et ſane quid erat neceſſe, vtriuſque ſpeciei poſſeſſionem capere nomine Eccleſiæ, quæ tamen non eſſet habitura vtramque ſpeciem? Nam vident omnes ex ſenſu communi, ſi nomine Eccleſiæ vtraque fuit ſpecies data, vtramque ſpeciem ad Eccleſiam pertinere.

XXXVI. Secundo quæritur, vtrum ſit perſuaſum, non poſſe latius vſum rei inſtitutæ proferri; quam ipſas cauſas inſtituendi. Nam ſi ſit, ergo nihil ad ſucceſſores Sacerdotes hæc peruentura eſt communio. Nam prima cauſa eſt perſonalis, & propria diſcipulis, qui iam audiuerant à Chriſto eam mortem prædictam. Nec, puto, Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo, aliis plurimis, vlla fuit mæſtitia de paſſione Domini. Quod ſi, conceditur poſſe inſtitutionis vſum latius propagari, quam cauſas inſtituendi, tum vero inepta oppoſitio fuerit.

XXXVII. Tertio, & illud attendendum, ſolæne iſtæ ſint cauſæ, an etiam aliæ. Nam ſi ſolæ, fieri poterit veriſimili Coſteri diſputatio. Sed ſi aliæ, nullo modo. Nam vt iſtæ, ſi forte, cauſæ effecerint diſtributam Apoſtolis communionem, ſic aliæ fortean, concludent aliis diſtribuendam. Fuiſſe autem alias docuerunt Veteres, & eas quidem quæ latius paterent, quam Sacerdotes. Primo, remiſſionem peccatorum. Vnde canon de Conſecratione diſtinct. 2. *Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo merito ſemper accipere, qui ſemper pecco.* Secundo, commendationem mortis Chriſti. Eadem diſtinct. *Quia paſſus eſt Dominus pro nobis, commendauit nobis in iſto Sacramento ſanguinem ſuum & corpus.* Tertio, compenſationem corporis ablati. Eadem diſtinctione, *Quia corpus aſſumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſideribus, neceſſarium erat vt die Cœnæ Sacramentum nobis corporis & ſanguinis conſecraret; vt coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium.* Habes alias cauſas: nec pauciores, quam Coſterus collegit, quæ tamen cauſæ non ſunt peculiares Apoſtolis, aut etiam Sacerdotibus, ſed communes Chriſtianis. Quare ſi ille iuſſerunt dari Apoſtolis, hæ iubebunt omnibus dari.

XXXVIII. Quarto, cauſæ illæ etſi iuſſerunt vtramque ſpeciem dari Apoſtolis, ac ſi velis etiam Sacerdotibus, tamen non habent eam vim, vt prohibeant reliquis Chriſtianis. Et hæc tamen eſt propria noſtra quæſtio, quandoquidem Eccleſia Romana in tantum Sacerdotibus concedat calicem, quibus nemo negabat, ſed etiam eripiat laicis, quod nos indigne ferimus; vt debemus; nec paſſuri ſumus eſſe impune.

XXXIX. Sed nunc ſingulas breuiter examinemus. Fuit dolor mitigandus

ex morte

et morte Christi. Esto sane. Sed ergone iis solis? Annon & matri; omnibusque discipulis? Nam, *Omnes vos ista nocte scandalum patiemini in me.* Vt ritum discerent sumendi in missa. An quia Papistæ solent promouendis ad sacerdotium vtramque speciem tradere? Aut cur non poterant à Christo ipso sumente, discere? Vt vtriusque speciei possessionem caperent. Recte. Sed, quid obstat quominus eandem caperent, si futura esset publica communio? Itaq; hi fines neque omnes, neq; singuli, quicquam habent momenti.

XL. Lorichius illas Costeri aut non videns aut negligens rationes: alias inquisiuit, eadem consequentiæ forma. Non propterea, inquit, factum, vt omnes fideles illud pariter sub vtraque specie sumerent: sed ob alias rationes: primam, ob pleniorem repræsentationem passionis Christi; quod non solum pro nobis mortuus sit, sed & sanguinem suum fuderit. Secundam, vt haberet Ecclesia iuge sacrificium visibile, repræsentans sacrificium eius pro nobis in cruce oblatum, & consummatum ad cuius rationem perfectam pertinet effusio sanguinis. Tertiam, ad repræsentandum spiritualem fructum huius Sacramenti, nimirum quod faciat ad salutem mentis & corporis. Quartam, ad repræsentandam spiritualem manducationem Eucharistiæ, quæ consistit in actibus fidei & charitatis.

XLI. Has vero rationes, absit vt impugnemus; nam etsi habeant aliquid non satis Catholicum in sensu: tamen verbis concipiuntur, quæ possunt à Catholicis vsurpari. Itaque quicquid illud est suo loco reseruatum, nunc dissimulaturi sumus: vt quod instat agamus. Respondeo igitur ineptam esse disputationem, imo absurdum, & iudicii nec Theologici, nec vero etiam sani. Non factum, inquit, vt omnes fideles sumerent; sed ad hoc, istudve, & illud, & aliud. Ast ego dico contra; factum esse ad hoc, istud, illud, aliud, vt omnes fideles sumerent. Non enim pugnant. Itaque tam ridiculum est, quam si dictum; Creata est aqua; non vt esset elementum in natura; sed vt rigaret, refrigeraret, ablueret, veheret naues, pisces aleret. Institutus est sermo, non vt audiatur, sed vt doceat, delectet, moueat. Adeo sublimis est Papistica sapientia.

XLII. Vin probem non pugnare? Repræsentat non mortem solum, sed etiam effusum sanguinem. Esto. Sed distinct. 2. de Consecratione, *Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur?* Nota. In cruce immolatio: nonne hæc mors est? & tamen etiam sanguinis effusio. Vtrumque ergo significatur. Sed quomodo? Cum panis frangitur. Recte, nec dedignantur Papistæ. Sed itidem, cum sanguis de calice funditur in ora fidelium. Cur abnuunt Papistæ? cur torquent ora? cur agunt omnia, vt vnum hoc ne agant?

XLIII. Vt haberet Ecclesia iuge sacrificium visibile. Concedatur: sed cur non haberet, si quibuscunque fidelibus calix distribueretur? Aut cur non similis conclusio contra distributionem panis? Imo aduersarij separant rationem sacrificii à communione: & ante sacrificium perfici somniarunt, quam deueniatur ad communionem. Cur ergo minus sacrificium esset, si daretur calix, quam cum datur panis? Præterea Eucharistia nullum sacrificium est, nisi quatenus repræsentat sacrificium peractum in cruce: quod concedunt aduersarij. At hoc sacrificium repræsentatur, cum repræsentatur mors, & sanguinis effusio. Hæc autem vtraque repræsentatur mors, & sanguinis effusio. Hæc autem vtraque repræsentatur per communionem vtriusq; speciei: Ergo per communionem vtriusq; speciei habetur sacrificium iuge in Ecclesia, contra quam voluit Lorichius.

XLIV. Repræsentatur spiritualis fructus, ad salutem mentis & corporis. Optime. Sed quo repræsentationis genere? Theatricone, dum spectatur? Minime: sed Sacramentali, dum applicatur. Quia Sacramenta efficiunt quod significant. Repræsentant ergo ei à quo sumuntur. Quare oportet sumi ab eo, cui repræsentabunt salutem mentis & corporis.

XLV. Repræsentatur spiritualis manducatio Eucharistiæ, in fide & caritate. Etsi monstrosum est repræsentari spiritualem manducationem Eucharistiæ, neq; vnquam dictum cui quam bene sano Theologo; cum soleat potius dici manducatio corporis & sanguinis, tamen condonetur sane. Nihilominus inepte dictum manducationem tantum, non etiam potum. Et fortasse oblitus est fortuito Sophista. Sed absurdum est repræsentari vt manducationem spiritualem, nulla adhibita corporali. Itaque tam necessaria ad hunc finem est communio calicis, quam communio panis. Et denique nihil nisi nugatus est Sophista.

XLVI. Alij maluerunt laborare in coercenda vocula collectiua, *Omnes,* quam nostri obseruant expressam in calice, nec putant in eo frustra potius quam in altera parte. Videlicet prouidente Spiritu Sancto futuros olim, qui vim inferrent huic parti, potius quam alteri: ideoque impudentiæ iam tum obuiam eunte, vt aut auerterentur: aut si minus, saltem manifestior foret, atque inde inexcusatior damnatio.

XLVII. Bellarminus hanc consideratione minuit. Primi; quia sit eadem ratio alterius partis; quanquam non expressa in Euangeliis, sed non omissa tamen in Canone Romano: vbi diserte, *Manducate ex hoc omnes:* item apud Ambros. 4. de Sacramentis c. 5. ac Pascasium de Corpore Christi 15. Secundo, quia etsi non esset dictum de pane, tamen diuersitatis causa esset, quod panis esset fractus, singulisque inde partes singulæ distributæ. Calix autem vnus porrectus, vt monendi fuerint ne primus exhauriret, sed sequenti relinqueret, sic deinceps.

XLVIII. At nos pro certo habemus, idem aut dictum fuisse, aut certe subintelligendum esse in pane; quod in calice legimus. Quis enim ignorat nos vtramq; partem parem facere? Nec panem minus quam calicem de essentia Eucharistiæ? Et vero; si de pane, *Edite omnes,* praxis ipsa Ecclesiæ perpetuo ostendit, non aliter intelligendum, quam vt non solus conficiens, sed præter eum quicunque Christiani sumant panem consecratum. Cur nunc in calice tergiuersantur? quid restitant? Cur non patiuntur similium verborum parem esse sententiam?

XLIX. In altera; quid est quod nostro noceat argumento? Voluit admonere Christus, non esse ab vno exhauriendum calicem. Quid aliud volumus nos? Quid aliud peccantem accusamus Papistam Sacerdotem? Et cur non accusemus eum, qui quotidie hæc ipsa verba pronuntians; & sciens (si tamen sciat) iuberi ne solus hauriat, tamen solus hauriat? Potestne aliquod dici peccatum impudentius, desperatius?

L. Veruntamen quæcunq; causa fuerit eius voculæ, vim quamnam esse dicunt? Bellarminus. Particula *omnes* non semper in Scriptura accipitur vniuersalissime pro omnibus hominibus: sed sæpe pro omnib. certi alicuius generis vt, *Omnes quærunt quæ sua sunt. Omnes peccauerunt. Clamauerunt omnes, Crucifige:* & similia. Hic autem non potest vniuersalissime: nam sequeretur debere Sacramentum dari Turcis, Iudæis, Ethnicis: illi enim homines sunt. Oportet igitur pro certo hominum genere accipi.

LI. O laudes! ô acumen! Enimvero miram obseruationem, & dignam quę occuparet Papisticos labores, lassaret etiam Iesuitica ingenia. Nos Bataua pectora nesciebamus; communionem Eucharistiæ ad solos pertinere Christianos. Et fortuito dicebamus in Liturgia nostra, *Nos admittendos in eam, qui nō sint de Societate Iesu.* Sed esto, nunc cum tanto doctiores sumus, quid tum? Satisne factum Papistis, cum exclusi sunt Turci, Iudæi, Ethnici: vt *omnes* illi accipiantur pro reliquo hominum genere; hoc est, saltem Christianorum? Minime gentium. Non ea liberalitas est Romana, quæ sapientissimo commento illud, *Bibite omnes,* mutauit in Vnus bibat solus.

LII. Itaque pergit Bellarminus excipiendo. Si dixeris omnes viros, excludentur fœminæ, si omnes fideles includentur infantes, quos tamen etiam aduersarij excludunt. Si dicant, omnes fideles adultos, in primis gratis dicent, nec facile probare poterunt: deinde includentur abstemij, quos tamen ipsi plerunque excipere solent: tertio, repugnat Marcus, qui dixit omnes bibisse, eosdem scilicet qui apud Matthæum, atqui apud Marcum; non omnes adulti: ergo neque apud Matthæum. Quod si dicant apud Marcum intelligi omnes fideles adultos, quia in Apostolis biberint omnes: colligemus iam non obligari fideles ad calicem Domini bibendum, quia mandatum iam impleuerunt: iam enim biberunt, vt fuerat imperatum. Restat igitur, vt solis Apostolis datum fuerit mandatum.

LIII. Τῆς ἰσχνότητος! τῆς ἀγχινοίας! τῆς δεινότητος! & quisquam se componat Iesuitis? Atqui nemo dixit, omnes viros: non enim iustum excludi fœminas. Nec puto in fidelibus non esse fœminas: nisi nolint Iesuitæ, quibus inconsultis video posthac nihil asserendum. Quanquam immanis est ἀκρασία, excludi fœminas, si omnes viri intelligantur: quasi necesse sit, quod de vnis dicatur, negari de aliis quibuscunque: & quia omnes viri sunt homines, ideo nullæ fœminæ sint homines. Nemo rursus omnes fideles, quo sensu fideles late dicuntur etiam infantes: qui tamen tantum potentia fideles sunt, & propter susceptum fidei Sacramentum, si Augustino fides. Sed omnes tamen fideles; nimirum actu, cuiusmodi nemo nisi adultus. Sed esto, & Iesuitis permittamus non nihil in re leuissima, cuiusmodi verborum est vsurpatio, ne omnino nullum regnum obtineant.

LIV. De fidelibus adultis, quid habet subtilissimus rerum æstimator? Gratis dicent, nec facile probare poterunt. Nosne? Forte, inquam, tam nihili homines, vt ne si tu iusseris, ne hunc quidem meridie lucentem Solem, queamus oculis vsurpare. Verum quid tum? dum pro nobis tui; no tantum non dicant gratis (absit enim tuos gratis quicquam dicere, nedum facere) sed etiam facile probent? Guillaudus in 1. ad Corinth. 11. *Accipite, & manducate. Faciunt hæc verba, ne infantibus, stultis, dementibus, & huiusmodi Eucharistiam Ecclesia tradat. Sicut enim Baptism. natis, & non adhuc in vtero existentib. traditur iuxta præceptum Domini: ita non traditur Eucharistia his qui adhuc non possunt accipere, qui non agnoscant manducandum & sumendū: sed his, quibus vere dici potest, Accipite, & manducate.* Similiter Caietanus in Matth. 26 *Hinc habetur Eucharistiam non esse tribuendam infantibus: quibus non potest dici, accipite, comedite. Sicut enim quia Dominus dixit, nisi qui natus denuo fuerit ex aqua & Spiritu, negatur Baptism. infantibus in materno vtero, quia non potest denuo nasci, qui non est natus: ita dicente Domino in communione Eucharistia, accipite, comedite, negatur Eucharistia illis, qui adhuc non possunt accipere, qui adhuc non possunt comedere.* Idem in 3. Thomæ q. 80. art. 12. Vide Sotum in 4. dist. 12. q. 1. art. 9. Et Rubeum in 4. dist. 9. & Scortiam libr. 4. c. 29.

LV. Videmur tamen etiam nos aliquando nonnihil, quasi inaudiuisse. Certe Polanus in Syntagmate lib. 6. c. 56. *Infantes,* inquit, *quamuis baptizati ad sacram Cœnam non admittendi. Primo, quia nondum possunt per ætatem seipsos probare: Hoc argumentum suppeditat Paulus: Probet quisque seipsum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Secundo, quia infantes per ætatem memoriam Christi nondum possunt recolere, & mortē Domini annuntiare. Hoc argumentum præbet ipse Dominus: Hoc facite in mei recordationem: Quotiescunq; ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Tertio, quia per ætatem nequeunt discernere corpus Domini. Hoc argumentum Paulus monstrat: Qui edit, & bibit indigne, damnationem sibi ipsi edit & bibit, non discernens corpus Domini.* Similiter Hospinianus historiæ Sacramentariæ part. 1. lib. 5. c. 4. & c. 2. lib. 2. art. de infantibus. Sic illi, & fortasse alius aliquis haud dissimiliter. Sed quid facias? Is status est temporum; vt quod non vident: imo quod videre nolūt Iesuitæ; id ipsum iubeant nusquam esse. Contra quam suus Papa potest ex non ente facere ens.

LVI. Rursus; Excipiuntur abstemij. Ita est, inquam, extra ordinem, & propter ineuitabilem necessitatem. Quomodo à Baptismo excipiuntur, nō tantum qui adhuc in vtero: sed etiam alij, quibus ipsi subiiciunt Papistæ Baptismum flaminis aut sanguinis. Quemadmodum igitur verum, baptizandos esse homines omnes, etsi excipiantur illi extra ordinem, sic verum bibendū esse calicem sacrum omnib. adultis fidelibus, etsi non possint abstemij. Nam defectus est per accidens, quomodo surdis & mutis non est Euangelium prædicandum. Et quomodo panis non porrigendus, si quis id in pane patiatur, quod abstemij in vino: nam ego profiteor vidisse puerum annorum circiter decem, & quidem in nobili familia, cui nunquam quicquam gustatum panis, aut carnium.

LVII. Sed repugnat Marcus, ait; apud quem non omnes adulti. Cur non, inquam? Quia tum non biberunt omnes. Præclare. Quid ergo? An omnes saltem Sacerdotes conficientes. Nimirum hæc circumstantia est vnius actionis: non autem institutionis pars. At nobis iam dictum, non quæ facta sunt tantum: sed quæ facta sunt, & præcepta, ad institutionem pertinere. Neque quisquam adeo insaniit, vt voluerit vno eodemq; loco omnes communicare, cum præsentes, tum absentes. Deniq; nonne verum in altera parte subaudiendum, *& comederunt omnes:* vt fuit subaudiendum, *comedite omnes?* Quid igitur causæ est, vt non negentur per omnes, intelligendi fideles quicunque adulti? Nam certe non omnes tunc aderant: ideo non poterant comedere. An quia omnes comedisse censentur in Apostolis? Esto, sed cur non omnes bibisse in Apostolis.

LVIII. Si biberunt omnes in Apostolis, inquit, iam non obligantur fideles ad bibendum. Quare? Quia mandatum iam impleuerunt, biberunt enim, vt erat imperatum. Euge: Euge: aut hic triũphus est, aut nulla vnquam spes victoriæ. Veruntamen, nonne in Apostolis biberunt omnes Sacerdotes etiam conficientes? Ergone conficientes Sacerdotes satis fecerunt & non tenentur posthac bibere? Alterutri sine dubio peccant: vel qui dicunt; non bibendum amplius, postquam semel est bibitum, in aliena persona, vel qui Sacerdotes perpetuo volunt bibere; & quidem ter præ aliis, honoris causa. Nos audiuimus dictum, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis.* Et putamus æque cum reliquis, dictum fuisse omnibus Apostolis. Itaque habemus pro certo, imperatum Apostolis; & in his imperatum omnibus, vt sæpius ederent, sæpius biberent. Quare certum est, cum semel biberint, ederintque; non propterea mandatum fuisse impletum; vt in posterum nullam vim habeat. Paschasius de corpore Christi cap. 14. *Ne forte putares, quod de illo vllo tantum pane, & in illa vna hora hoc eum esse iusserit, sequutus adiunxit; Hoc facite in meam commemorationem.* En triumphos Iesuiticos!

LIX. Confectum est magno conatu, & vix tandem confectum solis tunc Apostolis dictum fuisse illud, *Accipite, bibite*: quanquam nemo negaret. Nam sic malunt Iesuitæ, quod volunt, vi auferre, quam à volentibus obtinere, vt ne magnos pro Romana Ecclesia labores iactare nequeant, vt ille olim pro Romana Republica; qui quas conchas in litore legisset impune quicunque ex calonibus, maluit totius exercitus ostentato terrore rapere; nec vi minore, quam Alexander olim Tyrum. Esto sane, quandoquidem facta infecta fieri nequeunt. Sed cui tandem bono? Aut qua arte concluditur aduersus nostram thesin, id est, contra communionem plebis? Nam etsi soli dictum fuerit Petro, *Dabo tibi claues*, tamen non soli datæ fuerunt; etsi soli tunc audiuerint Apostoli, *Quod pro vobis frangitur:* tamen non est pro iis solis fractum, & mille huiusmodi.

LX. Explicat Salmero. Christum in Apostolis, quos tunc creauit presbyteros, ad omnes eorum officio successores verba fecisse. Adde Richeomum. Et quanquam Apostoli suo numero repræsentarent omnes Christianos, tamen personis suis tantum pastores ac presbyteros Ecclesiæ. Quare ex his verbis nihil aliud potest elici, quam presbyteris pane & vino sacrificandum esse, non autem communicandum semper vtrique speciei. Puto mentem hanc esse: Apostolis hæc dicta esse verba sub ratione sacerdotij, vt sit argumentum integrum. Nihil imperatum Apostolis tanquam Sacerdotibus pertinet ad plebem. At hæc communio calicis, imperata est Apostolis tanquam Sacerdoti: Ergo eadem non pertinet ad plebem.

LXI. Maior sane valeat. Sed minorem miramur à quoquam posse concedi. Nos certe negamus constanter. Etenim, quæ Apostolis fuerunt iniuncta tanquam Sacerdotibus nemini Christiano è plebe permissa sunt aut in Scriptura, aut in vlla legitime instituta Ecclesia. At communio vtriusq; speciei permissa est Christianis ex plebe tum in Scriptura, tum in legitime institutis Ecclesiis: Ergo communio vtriusque speciei non fuit iniuncta tanquam Sacerdotibus. Maiorem, vt spero, nullus sibit negatum Papista: nam infirmaret maiorem argumenti propositi. Minor probatur ex Paulo ad Corinthios, item ex vsu multorum seculorum post Christum, de quo suo loco.

LXII. Illi vero nullum habent confirmationis vestigium; hoc excepto; quod tunc instituebantur Sacerdotes, quod ipsum quale sit videte. Primum vocatur in dubium; & à nobis non conceditur huic institutioni vllum talem actum fuisse coniunctum, neque verisimile putamus seorsim fuisse factos Sacerdotes, & Apostolos. Factos autem Apostolos post resurrectionem ipsi concedunt Papistæ: quod si verum, non persuadent certe nobis, non fuisse in actione laicos.

LXIII. Secundo, vt tantisper concedam fuisse in hac actione factos Sacerdotes, tamen non sequitur in hac communione fuisse. Audiamus Alphonsum de Castro. *Omitto quorundam responsionem, assignantium discrimen, quod Apostoli ordinati sunt Sacerdotes à Christo per illa verba, Hoc facite in meam commemorationem. De his enim verbis non constat Christum facta cõsecratione immediate ea dixisse, antequam Eucharistiam sub vtraque specie Apostolis dedit, vt post. Quod si prius dixit quam dederit, constat eum Sacerdotibus dedisse. Si vero illa verba Christus post datam illam Eucharistiam dixit, manifestum est illum non Sacerdotibus tunc dedisse Quod mihi ex literæ decursu magis probatur* Et sic credo verisimilius, si verum, quod prius dictum Costero, vtramque speciem datam, vt Apostolis tum dicerent, sic enim solent, opinor, Papistæ non ante consecrare suos sacerdotes, quam singula mimici spectaculi docuerint ludicra. Tiletanus scripsit, *Christum Apostolis quidem suis præsentibus, tanquam futuris Sacerdotibus mandasse, vt vtramque partem Sacramenti perciperent*: Futuris, inquit, Sacerdotibus. At certe si nondum fuerint Sacerdotes cum ederunt, & biberunt; quî potuerunt solos Sacerdotes repræsentare? cur non laicos?

LXIV. Tertio, demus amplius: id est, quicquid vel maxime optare potuerunt; Apostolos iam prius fuisse Sacerdotes, quam aut biberint, aut etiam ederint. Quid obtinebunt propterea? Solisne Sacerdotibus tradendum esse calicem? Forte: si non etiam hinc excipient non conficientes. At certe Apostoli tunc nec conficiebant, nec poterant conficere. Itaque conficientium personam gestare non poterant. At non conficientium saltem? Atqui istos Papistæ relegant ad communionem laicam, sic enim appellant: Quod si non conficientes repræsentabant, & non conficientium communionem oportet esse non aliam quam laicorum: Ergo laicorum communionem oportet esse sub vtraque. Denique dico non esse consequens, vt quicquid fit Sacerdoti, fiat tanquam Sacerdoti, id est, secundum rationem solius Sacerdotij. Nonne enim Apostolis iam Sacerdotibus dictum, vt baptizarent? Et tamen non solis Sacerdotibus Papistæ permittunt baptizare. Paschasius c 15. de corpore Christi, *Hic solus est qui frangit panem & per manum Ministrorum distribuit credentibus, dicens, Accipite, & bibite ex hoc omnes, tam Ministri quam reliqui credentes.*

LXV. Est vero elegans ingenium Richeomi, repræsentatos esse ab Apostolis omnes Christianos suo numero, at non suis personis. Dignum sane acumen, quod ei primo, imo hactenus soli, venerit in mentem. Veruntamen quibus dicet exhibitam communionem, numerone an personis? Nam si numero; ergo constabit datum fuisse non Apostolis tantum, sed omnibus fidelibus; quos repræsentabat is numerus. Numero autem fuisse datam; testatur Euangelium, *Bibite ex hoc omnes.* Nam omnes Papistæ contendunt non nisi duodecim significare; id est, numerum, quo repræsentari Christianos omnes habemus Richeomum testem, magni nominis Iesuitam.

LXVI. Finiebam hoc caput, cum noua subtilitas occurrit Stapletoni in Antidotis ad 26. c. Matthæi. Si obseruandum putat Caluinus, quod de pane simpliciter dixit, *Accipite & manducate*: illud quodque obseruandum dicimus; quod nullus Euangelista adiecit, *Et acceperunt ac manducarunt:* sicuti de solo calice adiecit Marcus, *& biberunt ex eo omnes.* Imo omnes accepisse ac manducasse non dicitur, nec omnes accipere ac manducare iubentur, ne vllo modo manducationis præceptum ad illos solos præsentes, aut eorum successores, sed in vniuersum ad omnes fidefideles pertinere ostenderetur. Ad calicis mentionem ideo tum iubentur omnes libere, tum omnes bibisse memoratur, vt intelligeretur præceptum bibendi necessario ad illos solos præsentes, atque eorum successores illis in officio pares, non autem ad vniuersum populum fidelem pertinere.

LXVII. Subtilitas sane noua: Sed estne viri sobrij? Quasi eadem ratio esset argumentandi, ab eo quod diserte dictum; & eo quod non dictum. Atqui non est: nam id quod diserte dictum, & quidem à Christo, nec potest esse non dictum; aut frustra. Ast id quod non dictum potuit esse dicendum; id est, vt nos loqui solemus, potest esse subaudiendum. Etsi fuit dicendum, habet eundem effectum, ac si esset dictum: Exempli gratia; Paulus in pane expressit, *Gratias actis, fregit, dicens, accipite, edite:* ast in calice duntaxat, *Itidem & poculum:* non expressa gratiarum actione sed subaudita, itemque verbo accipiendi. Etiam vidimus tum ex mente Bellarmini, tum ex testimonio Veterum, & intelligendum, *Edite omes*: & adiiciendum, *Ederunt omnes.* Denique vno verbo, cum nec negari possit, id quod diserte dictum; nec affirmari non possit, quod tacitum; ridicula consequentia est, si non sit dictum, *Edite omnes*, aut *Ederunt omnes:* ergo præceptum edendi pertinere in vniuersum ad omnes fideles. At, si sit dictum, *bibite omnes, &, biberunt omnes:* ergo præceptum non pertinere ad omnes fideles. Et contra potius, quia in altero dictum, in altero subaudiendum est; sequitur eodem modo de vtroque concludendum, vel non pertinere ad omnes fideles; quod aperte falsum de pane, ipse confitente Stapletono: vel contra, pertinere ad omnes fideles, quod est verius, & nos volumus.

CAP. IV.

De verbis, Hoc facite in mei commemorationem.

I. RVrsus in Institutione præceptam esse vtriusque speciei communionem docemus ex his verbis, apud Lucam post distributum panem, *Hoc facite in mei recordationem.* Apud Paulum etiam post calicem donatum, *Hoc facite, quotiescunque biberitis ad mei recordationem.* Iussit Christus Apostolos hoc facere scilicet, quod ipsum viderent facientem, in instituenda Eucharistia; & peculiariter in pane, & calice. Quare vtramque speciem iussit communicari; quoties celebraretur Eucharistia.

II. Quos c. præced. vidimus crebris motibus varias rimas conatos aperire, hîc rursum habebimus similes: huc illuc desilientes, nusquam consistentes: vere denique ostendentes, quæ quanta patiantur intra se veritatis tormenta; & tamen certos nusquam cedere. Vere dicam nusquam magis apparere, quanta sit horum hominum proteruia aduersum Scripturam. Sed eamus per singulos.

III. Beccanus; de sensu huius loci notat dissentire ipsos inter nos. Lutherani, inquit, volunt ad omnes fideles: Caluinistæ ad solos Ecclesiæ Ministros pertinere. Hunc litem primum inter se componant.

IV. Sed hîc præter Caluinistæ nominis calumniam, mendacium est, quod nullo testimonio potuit Iesuita fulcire. Ergo quidem in Caluino nihil potui tale inuenire. At in Marlorato ad 11 prioris ad Corinth. & illud, *Hoc facite. Ad totam actionem hoc referendum est, vt quod Christus tum cum Discipulis fecit, itidem & nos in sacris cœtibus factitemus, & quemadmodum Discipuli in illa ipsa vespera dispositi ab ipso Christo hoc acceperunt Sacramentum, ita & nunc disponamur.* Sadeel contra monachos Burdelenses. *Si necesse est obtemperare Christo, & Sacramentum ex eius ordinatione celebrare, necesse quoque est vtrumque signum & Sacramentum sumere, cum Christus dixerit, Hoc facite.* Hellopœus, *Quum non tantum historice recenset Euangelista mentem Christi acipientis panem & poculum, sed additum fuisse significat mandatum, Accipite, comedite, bibite ex hoc omnes, hoc facite; docet profecto velle Dominum, vt perpetuò vsque ad seculi consummationem, in pio Cœnæ Dominicæ vsu, id quod fecit ipse faciamus. Neque vero solis id præscriptum est Apostolis, vt cauillantur aduersarij.* Petrus Molinæus, *Verba Christi, Hoc facite, iubebant eos facere suis populis, quod ipsis Christus fecerat. Hæc igitur verba iubebant eos populo vtramque speciem dare.* Hi omnes, si verum eis nomen reddas Christiani sunt Catholici, sin Iesuitæ, calumniam retineas Caluinistæ.

V. Caietanus. Respondetur ad hoc, vt omnis tollatur cauillatio quadrupliciter. Dicas comparare se ex veteri formula, Inter bonos bene agier, ad sinceram disputationem, & à cauillis puram. Hoc quid sit exitus testabitur. Prima responsio, habere hæc verba vim triplicem: vnam, vt sint institutoria celebrationis Eucharistiæ: alteram, vt sint collatiua potestatis Sacerdotalis ad consecrandam Eucharistiam, quia per ea sint ordinati Sacerdotes Apostoli: tertiam, vt præceptiua, non ipsius operis, sed ordinis ad suam commemorationem; quod est præcipere ordinem operis in sui memoria. Atque hic apparatus est duntaxat. Nam solutio hæc. Si arguat quis ex vi institutoria, scilicet, quod ex hoc ipso quod Dominus instituit Sacramentum sub vtraque specie, obligamur ad seruandam eius institutionem, facile patet nullitas argumenti. Quomodo autem? Dupliciter. Primo, quia sufficit fieri ab aliquibus de Ecclesia, puta Sacerdotibus celebrantibus, ad quos solos sermo Dominicus tum dirigebatur: & patet, quia soli Sacerdotes possunt hoc facere, scilicet, consecrare. Secundo, quia ad obligandos singulos de Ecclesia sub præcepto, plus requiratur quam institutio, quod patet ex Sacramento Confirmationis, & extremæ Vnctionis, quorum neutrum est de necessitate salutis, quamuis contemptus sit damnabilis.

VI. Et ista scilicet nihil habent cauillorum Atqui secundum illud de institutione Apostolorum in Sacerdotes, est falsum. Etsi enim verum sit, dari potestatem conficiendi corpus Christi; tamen aliud est Apostolos Sacerdotes constituere. Illa enim potestas potuit constitui vniuersali propositione: vt cum dictum: *Quicquid ligaueritis in terra ligatum erit in cœlis*: etsi constituebatur Episcopalis autoritas, tamen nulli constituebantur Episcopi: sed tantum sanciebatur ius eorum, qui futuri essent Episcopi in Ecclesia; & tamen potest nunc à nobis impune concedi.

VII. In tertio duo membra sunt: vnum non esse præceptum ipsum opus: alterum esse præceptum ordinem ad memoriam: quorum hoc importune distrahitur à primo. Non enim potuit institui celebratio Eucharistiæ, vt non instrueretur hic ordo: quandoquidem Eucharistia tota nihil est, quam relatio signorum ad rem significatam: hæc autem relatio non est absque significatione: quæ cum sit rei præteritæ, nihil aliud est quam ἀνάμνησις. Alterum membrum est falsum. Nam etsi ordo significetur ad memoriam, tamen hoc facite non significat memoriam; sed id quod ordinatur ad memoriam: itaque necessario oportet, aut nihil ordinari, aut hoc ipsum significari, id est, sanciri. Sic in his verbis, *Accipite, edite, hoc est corpus meum*, est quidem ordinatio panis ad corpus: sed tamen institutio etiam panis accipiendi, & comedendi.

VIII. Hæc iam peccata sunt. Addo aliud; cum hæc distinctio siue opportuna, siue importuna, nō applicatur solutioni. Omittuntur enim duo posteriora membra, tanquam inutilia; & soluitur duntaxat argumentum ex primo. Et tamen ex omnibus, imo ex singulis, argumentū est solidum. Nam etsi instituti sint Sacerdotes, tamen instituti sunt, vt hoc faciant: Et si relatio ad memoriam sit sancita, tamen sancita est cum hoc fit. Itaque Sacerdotes, cum hoc non faciunt & violant impudenter, suam ipsorum institutionem, & ordinationem illam ad commemorationem supine negligunt.

IX. In argumento ex primo membro, negat consequentiam. Ea sic erat: Si instituta est celebratio Eucharistiæ, vt detur panis & vinum etiam non conficientibus: Ergo in celebranda Eucharistia debet vtraq; species erogari non conficientibus. Hæc vero est necessaria: nisi neges institutionem esse præceptum: qua de re actum capite præcedenti.

X. Infirmandæ tamen consequentiæ prima ratio: quia sufficiat ab aliquibus fieri. Intelligo, inquam; sed ita vt distinguantur; qui in Ecclesia sunt, in communicantes, & non communicantes. Non communicantibus, nemo iussit dari siue vtramque, siue alteram speciem: esset enim manifesta contradictio. Quod si tota Ecclesia sit in vtroque ordine: Ergo si communicantibus solis tradatur vtraque species; manifestum est sufficere, vt hoc præceptum fiat ab aliquibus in Ecclesia. Sed non ita Papistæ concipiunt: imo aliter: nempe, vt quibusdam communicantium satis sit alteram dari. Quo nos frangi dicimus vim institutionis; & scelerate violari præceptum.

XI. Probat, quia soli Sacerdotes possint conficere. Sane, inquam, sed & dare. Nam vtrumque iubentur. Hoc enim facere, refert non tantum, *benedixit*, sed etiam, *accepit, dedit*: hæc enim Christus fecit Quare, *hoc facite*, significat, Accipite, benedicite, date. Iansenius Concordiæ cap. 101. *Refertur pronomen hoc, non tantum ad sumptionem; sed & ad omnia quæ mox Christus fecisse dicitur: Mandat enim facere quod ipse fecit, nempe accipere panem, gratias agere, benedicere, ac verbis suis consecrare, dicendo in ipsius persona, Hoc est corpus meum, frangere, ac sumere, aliis q; sumendum tradere.* Caietanus in Lucam, *Non dicit, hoc dicite: sed facite: quia mandat fieri quod ipse fecit, scilicet accipere panem, gratias agere, frangere, consecrare, sumere, & dare.* Carthusianus *Hoc facite, id est, Sacramentum istud suo tempore celebrate, & conficite, date & sumite.* Guillaudus 1. ad Corinthios: *Non dicit, hoc dicite, sed facite hoc quod feci. Quid fecit? Accepit panem, gratias egit, fregit, & consecrauit, consecratum sumendum dedit. Hac ergo faciendi potestatem habet Sacerdos.*

XII. Probat rursus. Quia ad obligandos singulos, plus requiratur, quam institutio. Recte, inquam, ad communicandum; id est, sumendum Sacramentum: quo spectant illa ex Papistico errore exempla Confirmationis & Vnctionis. Sed supposita communione, sufficit profecto institutio ad obligandos singulos communicantes ad vtramq; speciem. Nec longe abeundum. Neq; enim hæc institutio Sacerdotes singulos obligat ad celebrandam missam: sed hoc posito quod velint celebrare; tum vero hæc ipsa sufficit institutio, vt teneantur celebrare sub vtraque, quod ipsi Papistæ docent. Nam ad obligandos singulos ad percipiendum calicem, nihilo amplius requiritur quam ad panem. Itaq; qui paratus ad hanc fuerit, erit ad illum.

XIII. Atq; hæc prima Caietani responsio, Pergo ad alteram. Secundo dicitur, quod posito quod præcipiatur per hæc verba Domini ipsum opus, non propterea argumentum vrget; quoniam ly hoc non demonstrat vtrumque opus, quod Christus legitur fecisse, scilicet consecrare, & tradere sumendum. Et ratio est, quia si ly hoc demonstraret vtrumq. opus, vt præceptum à Domino; sequeretur quod quilibet celebrans teneretur sub præcepto Domini ad tradendum hoc Sacramentum aliis, quod omnium Ecclesiarum pars aures offendit: cum constet multos sanctos Sacerdotes, non habentes curā animarum, & in monasteriis & extra sæpe celebrasse, & nunquam tradidisse: & quotidie sic fiat ab innumeris Sacerdotibus irreprehensibiliter.

XIV. Sed primum non demonstrari vtrumq; opus, sumitur præter rei veritatem. Contra enim constat, quatuor iam testibus e sinu Papistarum. Quid ergo moremur Caietani autoritatem? Cur non teneamur firmiter vtrumque opus æque præcipi? Enim vero si non vtrumque, cur alterum potius? Dicam clarius. Constat geminum opus fuisse, consecrare, & tradere. Constat postea dictum, *Hoc facite*: quod dicto necesse est; vel vtrumque opus referri, vel alterutrum. At non alterutrum, inquam: Ergo vtrumque. Cur non alterutrum? quia incertum esset vtrum: aut si quid certum, certe propinquius; nisi fallat Grammatica. Atqui traditio propinquior. Ordo est enim, benedixit, dedit: non contra, dedit, benedixit. Quod si sic interroges, vtrum faciendum; Consecrandumne, an tradendum? Tum vero si quis respondeat, hoc faciendum; manifestum est haud aliter concipiendum, quam vt responderit tradendum. Quod si aliter vellet, dicendum foret, illud faciendum: quia consecrare, est remotius. Dico igitur, necessario aut vtrumque intelligendum, aut hoc alterum de traditione. Videant Papistarum archisynagogi.

XV. Quod obiicitur pro incommodo, mera est principij petitio. Hoc ipsum enim disputatur; vtrum teneatur Sacerdos aliis tradere: affirmant Catholici, Papistæ negant: itaq; non debuit assumi in argumentum. Quanquam id esse piarum aurium offensiuum, non alia causa dictum, quam quia Papistæ nullas pias aures esse putent, quam suas. At nos negamus nostras esse impias; quæ tamen eo non offenduntur. Negamus impias fuisse veterum Catholicorum: quorum nos vel negligentiam potius imitari debemus, quam vllam Papistarum diligentiam.

XVI. Quod adiicitur de Sacerdotibus nōn habentibus curās animarum, eiusmodi est, cuiusmodi esse potest eorum, qui nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant. At nos, istis omnibus, quibus nulla est animarum cura, simul & in æternum dicimus; *Pascite vt ante boues*: &, *Tityre coge pecus*. Quo enim digni sint; quam vt pecoribus exemplo sint, quibus humanæ animæ non sint curæ! Enimuero qui tam fuere præfracti; vt sacerdotium voluerint sine cura; magnum est si curæ partes omnes neglexerint! An potius qui semel malus, semper malus?

XVII. Tertia Caietani responsio: Etsi ly hoc demonstraret omnē opus, scilicet consecrare, sumere, & tradere sub vtraque specie: & intelligatur præcipi omne huiusmodi opus, tamen argumentum non cogit: quoniam est affirmatiuum: at affirmatiua etsi obligent semper, tamen non pro semper, sed pro tempore necessitatis. Itaque ex hoc Domini præcepto Sacerdotes non tenentur tradere sub vtraque specie, nisi necessitas aduenerit. At in innumeris Christi Ecclesiis Romanam Ecclesiam imitantibus nunquam contingit alicui non celebranti, necessitas communicandi sub vtraque specie, quoniam, docente Spiritu Sancto: contenti sunt vna specie panis: Ergo nullus Sacerdos in huiusmodi Ecclesiis reus est violati præcepti Dominici. Nec displicuit subtilitas Gregorio de Valentia, qui, solum sequeretur inde, ait; Ministros ex præcepto quodam Christi affirmatiuo teneri generatim ad ministrandum calicem; Est autem hæc natura præceptorum affirmatiuorum omnium, vt non obligent pro omni tempore; sed pro tempore necessitatis.

XVIII. Beatam sane Ecclesiam Romanam; quæ tam probe attentē nouit, qua efficiat vt nunquam teneatur præceptis affirmatiuis. Hoc enim nunc agitur. Præceptum est communicandi sub vtraq; specie. Implendum sine dubio, si necessitas accurrat. Prouidit illa ne necessitas vnquam occurreret. Quomodo? Prohibuit communicari sub vtraque. Prouidit ergo nē vnquam teneatur hoc affirmatiuo præcepto. O euge: care! eleganter! docte! Sic ille olim; anxio quomodo rationes reddere suæ administrationis, Quin satagis potius, aiebat, vt omnino ne reddas? Hoc est videlicet iuxta prouerbium Gallicum; Diabolum decipere. Sic Monachi, & cum Monachis Iesuitæ, fatentur parentibus succurrendum in necessitate. Sed ne succurrerent parentibus magnifice cauerunt; cum se negarunt alios habere parentes, quam Iesum, & Virginem; quibus nulla vnquam necessitas. O si liceret quibuslibet esse Sophistis! Faterentur Monachis, Iesuitis esse dandam eleemosynam: sed vetarent vllos esse Monachos, aut Iesuitas. Interea meminerint Sophistæ, apud Romanos respondendum fuisse ad nomina, cum delectus haberetur, nisi quibus deessent pollices. Veruntamen, *Equitem Romanum* (narrat Suetonius August. cap. 24) *quod duobus filiis adolescentibus causa detrectandi Sacramenti pollices amputasset, ipsum bonaq; subiecit hastæ.* Sophisticen elusit Imperator ignaui ciuis seueritate sancta: & credimus Deum sophisticis offuciis delusum iri? θεὸς οὐ μυκτηρίζεται. Veruntamen Latomus contra Bucerum, *Dico operandum esse; votisq; omnibus expetendum, vt nulla res vnquam impediat quo minus Sacramenta ipsa quo ritu, quaue ceremonia à Domino instituta sunt, ita possimus integre sine omni detrimento accipere.* Coercendum omnino votum. Quis enim ferat Romanistam quenquam contra optare, quam optari velit Ecclesia Romana? Nam si impune; optabunt omnia. Si optent omnes, quid obstet, quo minus ridiculum sit tantæ Ecclesiæ sophisma: an tollerabile, vt quæ Christo ipsi illusit homunciones cohibere nequeat?

XIX. Recolamus. Est præceptum affirmatiuum: Ergo non pro semper obligat; etsi semper. Elegantiam miremur Latinæ locutionis. Imo hac omissa, non enim hæreticum, peccare aduersus Priscianum: esset saltem non absurda ratiocinatio. Est præceptum affirmatiuum: Ergo non obligat pro semper. Esto sane. Sed quid tu id appellas? Nullumne apud te discrimen est inter non semper, & nunquam? Nam eo tibi res redit, cum prohibetur communicari vtraq; species. Etenim hoc præceptum est prohibitiuum: itaque ex intimis placitis sublimis illius Theologiæ, non tantum semper obligat, sed etiam pro semper. Este Deo propitij Cardinales: este propitij Iesuitæ: vt per vos liceat aliquando legislatori esse.

XX. Sed enim partes duæ sunt, Consecratio, & Distributio: vtramq; his verbis contineri nunc concedit Caietanus. Dic igitur Sophista, adiuratus per quicquid habes sophistices, cuius generis intelligas, præceptum de consecratione sub vtraq; specie. Affirmatiuumne an negatiuum. Quanquam vereor ne me contumeliosum accuses, qui ex te quæram vtrum meridie sit dies an nox. Est enim manifestum æque affirmatiue vtrumq; præcipi. Responde igitur sodes; hoc de consecratione vtriusq; specie affirmatiuum præceptum, cuiusmodi vim habere putas? Semperne: an pro semper? Ne hoc quidem ambiguum sinit vestræ Theologiæ professio. Non enim dissentitis semper consecrandam Eucharistiam sub vtraque: & tamen nunquam vultis consecrari Eucharistiam, sub alterutra: Ergo, inquam, aliquod præceptum affirmatiuum ipsi consentitis esse obligatiuum pro semper. Cur ergo negatis istud de communione? & quidem non aliis, sed iisdem verbis comprehensum? Rursus hæc ipsa communio vel conficientis est vel plebis: & vtraq; his verbis significata, instituta, imperata. Ideoq; affirmatiue. Quid dicitis Sophistæ? Estne communio conficientis, eius generis vt semper obliget: & non pro semper? Improbitatem videte. His vnis iisdemq; verbis, vno eodemque imperio tria instituuntur: Consecratio vtriusq; speciei: Vtriusque speciei communio Sacerdotis: & plebis communio vtriusque speciei: primum secundumq; caput conceditur obligare semper, & pro semper. Tertium solum negatur obligare pro semper, sed duntaxat semper. Et hæc nulla cauillatio est? & religiosa disputatio est?

XXI. Nulla occurrit necessitas, aiunt. Imo, inquam, occurrit eadem communionis, quæ consecrationis. Ipse nempe Sacramenti celebratio. Non tenetur Sacerdos communicare sub vtraque: nisi cum celebrat missam:

Ergo ipsa celebratio missæ est necessitas communionis. Eadem ratio nobis militat. Si nulla celebretur Eucharistia, nullã necessitatem dicimus esse communionis. Sed si celebretur, contra. Rursus, si nulla sit communio, nullam esse poculi necessitatẽ damus. Sed posita communione, non patimur nullam dici poculi necessitatem. Quid nos dixi? Imo non patitur Institutio.

XXII. Atq; hactenus tertia responsio Caietani: nunc quarta. Dicitur ex ipso ordine textus Euangelici, quod hoc Domini præceptum nullibi inuenitur à Domino traditum nisi respectu Sacramenti sub specie panis tantũ: quod ly *hoc* nihil demonstrat de pertinentibus ad calicem: & propterea ex isto præcepto argumentum si efficax, est gladius est Goliat: quoniam hinc sequitur, quod sola panis sancti communio præcepto est tradenda. Et probatur, primo ex Luca, qui expresse refert Dominum ante consecrationem calicis, post consecrationem panis dixisse, *hoc facite*. Secundo ex Paulo: qui de pane dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*. At post calicem, *Hoc facite quotiescunq; bibetis, in meam commemorationem*. Nempe de pane absolute, de poculo non absolute; sed quotiescunque id facerent. Itaq; non præcipitur bibere: sed si bibatur in suam commemorationem bibi. Confirmatur ex eo, quod numero singulari dictum, *Hoc facite*, non plurali, *Hæc facite*.

XXIII. Placuit Bellarmino, & inde Coffetæo, nec sine exultatione. Audite. Mirabilis est Dei prouidentia in sanctis literis. Nam vt non haberent hæretici iustam excusationem, sustulit eis omnem tergiuersandi occasionem. Nam Lucas illud, *Hoc facite*, posuit post datum Sacramentum sub specie panis, post datum autem calicem non repetiuit, vt intelligeremus iussisse Dominum, vt sub specie panis omnibus distribueretur, sub specie vini non item. Placuit Beccano. Placuit Slotano: placuit Tileta no: placuit Hesselio; qui quasi magnum aliquid effaturus, prædixit Scripturarum non leuiter percurrenda esse verba, sed grauiter ponderanda, vt ex ijs Christi mentem intelligamus.

XXIV. Sed calamitatem vide. Displicuit Soto, qui sic scripsit in 4. distinct. 12. quæst. 1. artic 12. *Hoc Caietanus infirmare contendit* (argumentum, scilicet nostrum) *quasi non sit præceptum simpliciter sic faciendi: sed quod quotiescunque fiat, fiat in eius memoriam, vt Ecclesia refert. At vero non est negandum esse præceptum: alioqui non haberemus fundamentum præcipiendi celebrandi in Ecclesia.* Displicuit etiam Vasqui, & quidem ex professo refutanti, disput. 213. in 3. Thomæ, cap. 2. & concludenti, *Præcepit igitur Christus illa verba Luca, vt in assumptione commemoremus passionẽ eius, & non tantum, vt quoties illud sumeremus, passionem ipsius in memoriam reuocaremus: ac proinde præcipit, vt sumeremus: nam qui præcepit, vt opere aliquo commemoratio fiat alicuius beneficij accepti, ex modo ipso præcipiendi præcipit etiam vt fiat opus ipsum. Quis hoc non videat?* Importuni graculi obstrepentes tantæ exultationi? Viderint quibus ista sunt curæ.

XXV. Momentum subtilitatis in eo est: quod *Hoc facite in mei commemorationem* non sit dictum in calice: at *Hoc facite quotiescunq; biberitis*, non similiter dictum in pane. Hoc quid sit ante omnia videamus. Si syllabas numeres, extra aleam est obseruatio. neque nos pugnamus. Sed mentem iubemus attendere. Et sic dicimus de pane eandem rationem: & omnino interpretandum, Hoc facite quotiescunque ederitis de hoc pane in mei commemorationem. Attestatur ratio. Non enim iussus est panis ille edi absolute: sed tantum cum celebrabitur Sacramentum: at hoc non celebratur semper. Itaque Paulus dixit, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis.*

XXVI. Dico rursus potuisse de calice dici, Hoc facite in mei commemorationem. Ratio facilis. Quia non minus calix, quam panis quotiescunq; Eucharistia: & non rarius ad illum quam ad hunc plebs inuitata: aut etiã solicitata. Quod si in pane potuit, *Hoc facite in mei memoriam*, subaudiri illud quotiescunq; ederitis; cur non in calice, quotiescunq; bibentis, idem sit, quod in pane; edite in mei commemorationem?

XXVII. Do testes Liturgias; quæ non nisi post vtramq; speciem. Marci, *Gratias egit, benedixit sanctificauit, fregit dedit q; sanctis, ac beatis discipulis & Apostolis, dicens, Accipite, comedite, Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis frangitur, & distribuitur in remissionem peccatorum. Similiter & calicem post quã cœnauit accipiens factaq; vini, & aquæ commixtione, suscipiens in cœlũ ad te patrem suum Deumq; nostrum, & Deum vniuersorum, gratias egit, benedixit, sanctificauit, implenit Spiritu Sancto, & tradidit Sanctis & beatis discipulis suis & Apostolis, dicens: Bibite ex eo omnes, Hoc enim est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur & distribuitur in remissionẽ peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem.* Non dissonat Clemens in Constitutionibus: non Iacobus, non Basilius.

XXVIII. Petri Liturgia ordinem retinet eundem, sed numero plurali vtitur. πάντες ὁσάκις ἂν πίητε. Quod est similiter in Romano Canone, *Hoc quotiescunq; feceritis in mei memoriam facietis. Et hæc*, inquit Biel, *clausula refertur vtrauq; consecrationem tam panis quam calicis.*

XXIX. Et vero inepte Caietanus negauit dictum, *hoc facite*. Nam quid aliud Paulus, cum bis dixit, semel ad panem, iterum ad calicem? Quæso te per si quid habes sani: quid est hoc & hoc facite: aliud quam hæc facite! Et non sunt vitilitigatores sophistæ? Non præcipitur bibere, aiunt, nisi quotiescunque biberint in memoriam Christi. Recte. Quasi præciperentur edere, etiam quotiescunque non ederent in memoriam Christi. Imo non semper præcipiuntur hoc facere, sed quotiescunq; fecerint in memoriam Christi, præcipiuntur edere & bibere. Vel si malis Bielem, *Sensus est: Quotiescunq; hoc, quæ feci, id est consecrationem panis & calicis* (glossa interlinearis apud eundem, *consecrando, & sumendo, feceritis, facite in memoriam meam, id est meã sacrificij.* Vnde intelligis alterutrum, vel de pane dici non absolute; vel de calice etiam absolute.

XXX. Hactenus Caietani apparatus. Nunc colligam aliorum quisquilias. Petrus Michaelis, Bifariam hæc intelligas licet, scilicet vel de omnibus in Sacramenti institutione ab eo gestis, vel de sola Sacramenti perceptione ab Apostolis celebrata. Priori modo, Apostolis duntaxat eorumque posteris, non promiscuo vulgo, consecrandi, offerendique impositum munus atque lex est. Posteriori non alia verborum est mens atque sententia, quam non quidem, nec omnes, nec quouis tempore ad vtramq; speciem sumptionem, quæque hic fit plene per sacrificium commemorationem, lege teneri, verum ad solam Sacramenti perceptionem, non alio, quam quo pro temporum ratione, ab Ecclesia decretum fuerit modo, idque ad sui commemorationem.

XXXI. Imo absit vt de sola Sacramenti perceptione aut ipsi intelligamus, aut alios permittamus intelligere. Alterum potius de tota institutione. Non de omnibus dico, quæve gessit Christus inter instituendum: sed de institutione, id est, acceptione, benedictione, distributione. Quid ergo? Solis, inquit ille, Apostolis lex est. Negauimus olim, Sophista, & impugnauimus. Nam in distributione duo sunt necessario concipienda, vnum Sacerdotis, dare; alterum non Sacerdotis, accipere. Itaque aut nihil imperatur: aut aliquid imperatur etiam non Sacerdotibus: nempe edere, & bibere.

XXXII. Sed non omnibus, ait, neq; omni tempore, ad vtramque speciem: verum ad solam Sacramenti perceptionem, quomodo Ecclesia decreuerit. Vnde hoc, Sophista? quam habes aut Scripturam docentem, aut Ecclesiam Veterem testantem? Nam si à te, ridemus. Et tamen neq; omnes dicebamus, neq; quouis tempore. Sed Ecclesia videlicet Romana idem censet plebi non interdicere; & omnibus promiscue nõ tantum permittere, sed etiam obtrudere. Idem rursus plebem non arcere, & noctu, die: mane, vesperi; ante cibum, post cibum; omnes cogere. Tam bene mediocritatem est edocta. At nos sanius; quæ non sunt institutæ circumstantiæ, habeto sane sibi Ecclesia, vt tempus, locumque celebrandi, & si quæ sunt similia. At quæ instituta sunt, ea ne moueto. Esse autem hoc institutum, vt detur vtraque species nunc disputamus, vt quod pro certo habemus, id ipsum aduersariis persuadeamus, nisi obstet peruicacia.

XXXIII. Resumendum nunc illud est de solis Apostolis, eorumque posteris. Nam vrgetur seuerius ab aliis. Pighius sic habet. Plane est certum & euidens, non ad Christi fideles omnes, sed ad Sacerdotes solos, ea sola Christi verba spectare, ad quos solos hoc facere, quod in Cœna fecit Christus, pertinere indubitatum est, Alii disertius, his ipsis verbis factos esse Sacerdotes. Andradius; Verbis illis, Hoc facite in meam commemorationẽ, Christum præsentes Apostolos Sacerdotes creasse, illisque potestatem dedisse corpus ac sanguinem suum conficiendi, tam est compertum, vt de ea dubitare nemo sine summa proteruia possit. Et probat hoc argumento. Quoniam alioquin nullum esset in sacris literis vestigium Sacerdotalis potestatis. Quod est absurdum.

XXXIV. Respondeo plane absurdum esse ad Sacerdotes solos ea verba pertinere: alioquin ad eos solos pertinere esset necesse, vniuersam Eucharistiæ institutionem; quæ istis verbis breuiter & compendiose continetur: vt docuimus. Nec vero Iansenius tam præfracte audax, cuius hæc sunt cap. 131. concordiæ. *Proinde hæc verba non pertinent ad singulos fideles, nisi quatenus pronomen hoc refertur ad sumptionem.* Quod si aliquid est in eorum verborum sensu, quod pertineat ad singulos fideles: Ergo falsum est ea verba ad solos Apostolos pertinere. Vasques disputat. 203. in 3. Thomæ, cap. 2. *Hæc ratione verba prædicta ad vniuersos homines referre debemus, vt vniuersis per illa præceperit Christus vnam actionem formaliter, quamuis diuerso modo nimirum vt passionem suam memorarent in hoc Sacramento, vnusquisque suo modo.*

XXXV. Sed enim iis verbis creati sunt Sacerdotes. Ergo ad eos solos pertinet. Primum negatur consequentia. Iansenius autor est; cui antecedens persuasissimum: at non consequens absq; exceptione. Locus est, quem iamiam indicauimus, *Intelligimus*, inquit, *Apostolos his verbis consecratos à Domino Sacerdotes: quia per ea verba potestas illis data est faciendi, quod fecerat ipse: proinde hæc verba non pertinent ad singulos fideles, nisi quatenus pronomen hoc refertur ad sumptionem.* Res clara. Quæ verba designant sumptionem, ea pertinent ad singulos fideles. At verba quibus Apostoli consecrati sunt Sacerdotes, designant sumptionem. Ergo verba quibus Apostoli consecrati sunt Sacerdotes pertinent ad singulos fideles. Erunt igitur, dicent, singuli fideles creati Sacerdotes. Minime vero, inquam. Non enim absolute pertinent ad eos, sed κατ' ἐξ, nempe quatenus designant sumptionem, vt notauit Iansenius: & hoc satis est, vt negentur pertinere ad solos Sacerdotes: nam si id esset: ergo neque absolute, neque κατ' ἐξ pertinerent ad singulos fideles: quia negatio vniuersalis, negat eadem opera quicquid est particulare.

XXXVI. Deinde negatur antecedens; tribus argumentis. Primo Verba Eucharisticæ institutionis, eandem habent efficaciam, quam habuerunt cum primum sunt à Christo prolata. At post Christum, hæc verba nunquam habuerunt efficaciam constituendi vllos Sacerdotes. Ergo neque olim cum sunt à Christo recitata. Maior patet ex perpetua fide Ecclesiæ quæ propterea recitat ἀναλήψει hanc institutionem: certo habens id eam efficere, quod significet, Alioquin nulla esset iam pridem consecratio: nullum Eucharistiæ Sacramentum. Minor facile probatur: quoniam his verbis nullus vnquam Sacerdos est consecratus. Deinde, quia hæc verba dicuntur, vel ad omnes communicantes; vel ad solum consecrantem. Si prius: Ergo omnes communicantes fierent Sacerdotes: quod est falsissimũ. Si posterius: ergo Sacerdotes totius consecrarentur; quoties celebrarent; quod est absurdum. Secundo. Nullus Sacerdos constituitur per verba, quæ continent duntaxat partem Sacerdotij. Ergo non constituunt Sacerdotem. Maior plana est. Quoniam verba consecrationis tantum efficiunt, quantum significant. Itaq; imperfecta esset consecratio: quæ ex parte duntaxat. Minor etiam manifesta; quia præter consecrationem huius Sacramenti, cum prædicatio verbi, tum claues pertinent ad sacerdotium. Tertio, Consecratio Sacerdotis, est solennitas per se & separata: At hæc verba non sunt vlla solennitas per se & seperatim: Ergo non consecratio Sacerdotis. Maiorem cum praxis confirmat Ecclesiæ: tum non debent negare Papistæ; qui ordinationem faciunt separatum Sacramentum. Minorem quis neget, qui sciat hæc verba constituere partem institutionis? Biel lect. 53. in Canonem; *Hoc est membrum tertium secunda particulæ quartæ partis principalis: in quo post traditam priore membro formam consecrationis, additur significationis efficacia consecrati sanguinis.*

XXXVII. Sed ingens absurdum clamant. Tantamne autoritatem nusquam in scripturis describi, Modeste. Quid enim iuuat Stentores agere? At vos nõ estis in eam querimoniam admittendi. Qui præiudicastis magnas esse res posse in Ecclesia, quarum nullum in Scripturis vestigium.

Tum

Tum autem importuna querimonia est. Nam quid ad rem: Non enim idem est describi autoritatem sacerdotalem: & Sacerdotem consecrari. Itaque probatio non respondet quæstioni. Et sane falsum, aut nullum alibi, aut nullum etiam hic vestigium exstare. Etenim quæcunq; publici muneris partes sunt in Ecclesia; eædem sunt Sacerdotij. Et hic publicæ partes sunt consecrare, distribuere speciem vtramq; Eucharistiæ. Itaque tum alibi, tum hic vestigia luculenta sunt sacerdotij Christiani. Et iam si nulli sint Apostoli creati Sacerdotes, siue Episcopi, Presbyterive.

XXXVIII. Sed Sacerdotibus solis hoc facere concessum est. Concedo, inquam, si consecrare, & dare, siue distribuere intelligas. Nam si etiam sumere, edere, bibere sæpe negatum. Veruntamen, quid tum si illud? An sic: si Sacerdotibus solis concessum: Ergo creati Sacerdotes Apostoli? Ridiculum. Nam Iansenius loco iam notato, *Nisi quatenus sunt membra Ecclesiæ* (singulos fideles dicit) *quæ in Apostolis accepit, & in Sacerdotibus obtinet potestatem faciendi, quod fecit Christus*: En tibi potestatem datam Ecclesiæ: datam Sacerdotibus; An quia tunc vniuersa Ecclesia facta Sacerdos: vniuersi Sacerdotes tunc creati? Cur ergo absurdum dicere tunc designatam potestatem fuisse Apostolorum, postea creandorum Sacerdotum? Æque etiam potuit iam antea creatorum. Baptizarant enim: quod etsi non credant Papistæ Sacerdotis opus esse, tamen nos credimus. Sed & ipsi Papistæ, saltem ordinariam baptizandi potestatem Sacerdoti volunt esse eximiam. Siue autem postea fuerint creati, siue antea, sequitur non fuisse tum creatos. Nec sane verisimile est creatos fuisse aliud agendo, & non hoc ipsum.

XXXIX. Vasques peculiarem inuenit solutionem; non negans in his verbis contineri præceptum de vsu calicis: sed esse pro tota Ecclesia, non pro singulis. Quod ænigmatis ita exponit, vt multa sint præcepta, quæ toti Ecclesiæ conueniant, ita vt peraliquos, non per singulos implenda sint. Ad hunc modum præceptum esse Sacerdotibus sub vtraque specie sumere hoc Sacramentum: singulis non item.

XL. Sed contradicit Iansenius, qui diserte scripsit, *Hæc verba non pertinent ad singulos fideles, nisi quatenus pronomen hoc, refertur ad sumptionem.* Vnde quis non videt consequens esse, vt quatenus referuntur ad sumptionem, pertineant ad singulos? Et vero ridiculum, dari Ecclesiæ præceptum, & non singulis. Quid est enim Ecclesiæ per se & abstracte à singulis? Scio equidem dici quædam relicta Ecclesiæ, quæ tamen non singulis, quis enim ignorat? Verum præcepta alia sunt communia omnibus, alia peculiaria certis ordinibus. Vtraque data Ecclesiæ: sed illa singulis; vt credere in Christum; amare proximum. Ista autem non singulis quibusque, sed tantum singulis cuiusdam ordinis: vt honorare parentes, omnes obligat quibus sunt parentes, etsi non omnes Christianos: quia non omnibus sunt parentes. Si hoc de quo nunc agitur non est datum nisi Sacerdotibus; non obligabit quidem omnes sigillatim Christianos, sed obligabit tamen singulos Sacerdotes: & sane ita intelligunt Papistæ, qui non putant relaxandum, quo minus Sacerdotes conficientes nullo excepto communicent vtriq; speciei. Sed enim iam probatum hæc verba competere plebi; quare singulos è plebe comprehendunt: non tantum chimæram illam totius Ecclesiæ: sic enim merito appellem oppositam singulis. Quare, aut ne communicanto singuli, aut si communicent, ne arcentur ab altera specie. Quæ ratio est Sacerdotum, quos etsi nemo cogat confiteere, tamen si confitiant, omnes cogunt vtramq; speciem sumere.

CAP. V.

De Signo & re significata.

I. HActenus Communionis integræ demonstratum ius est, ex præcepto: nunc demonstrandum ex rationibus, vt sumus polliciti.

II. Prima hæc esto. Quicunque sunt & rei significatæ capaces; & vsus signi secundum rationem institutionis; illisdem neque signum est denegandum. At quicunque fideles adulti sunt & rei significatæ per calicem capaces, & eius calicis vsus secundum rationem institutionis: Ergo non est quibuscunque fidelibus negandum signum calicis. Maior probatur autoritate Petri Actor. 10. qui cum vidisset Cornelium, eiusque familiam participem factam Spiritus Sancti, vt reliquos Christianos, *Nunquis*, dixit, *aquam prohibere potest, quo minus videlicet baptizentur isti, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut & nos*? Vbi Lorinus, *Argumentum à maiori esse Glossa ordinaria sentit. Si enim quod maius est dedit Deus, quod est minus nullus prohibere potest.* Et vero cum Sacramenta non sint instituta nisi propter rem significandam ex definitione; sine dubio, quibus finis non denegatur, negari media ad eum finem valde est absurdum. Sic adscriptis olim ad militiam Romanam Cæsares baltheum non negabant. Sic hodie nulli Christiano non licet Baptismum accipere. Et apud Papistas, si quis Baptismum iam acceperit, ei non negantur solennia Baptismi.

III. Assumptum haud difficile probatur. Primum enim res significata calicis, est communio sanguinis, teste Paulo, decimo prioris ad Corinthios: At quoslibet fideles capaces sanguinis Christi; quis tam perfrictæ frontis Sophista vt neget? Non saltem Papistæ: qui & corporis permittant communionem; suo proprio signo: non sit autem hæc minor quam illa; vt ea concessa hæc negetur: Et omnino contendant fieri particeps sanguinis, eosdem qui corporis, excogitata in eam rem concomitantia, de qua suo loco.

IV. Secundo, Cuicunque confertur remissio peccatorum; eidem confertur sanguis Christi. At cuicunque fideli confertur remissio peccatorum: Ergo cuicunque fideli confertur sanguis Christi: Ac proinde conferendum etiam poculum est. Minorem, opinor, non opus est probare. Maiorem vna cum conclusione probant institutionis verba: *Bibite ex hoc omnes: Hoc est enim sanguis meus, Noui illius Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

V. Tertio probatur ex Ioann. 6. *Amen, Amen, dico vobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis.* Facilis ratiocinatio. Quisquis habet vitam in se, bibit sanguinem Christi: At omnis fidelis habet vitam in se: Ergo omnis fidelis bibit sanguinem Christi. Cur non sanguinis Sacramentum? Maior certa ex conuersione vniuersalis negatiuæ. Minor perspicua ex verbis Christi eodem capite, *Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam.* Et 5. *Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me habet vitam æternam, & in condemnationem non venit, sed transit à morte in vitam.*

VI. Sic probatum esse fideles capaces, imo etiam participes rei significatæ per Sacramentum calicis. Sed esse capaces vsus calicis secundum institutionem, id est, potus, estne quisquam qui neget? Exceptis abstemiis: qui extra ordinem, & summa vrgente necessitate excepti, non possunt opponi ordini: ideo neque institutioni, vt ante monui: sicut neq; subito morientes, Baptismi necessitatem impugnare nequeunt. Neq; vero Papistæ solis abstemiis prohibent.

VII. In hoc soluendo argumento non sunt prolixi. Bellarminus totum argumentum consumit in remissione peccatorum: vt sit, cuicunq; datur remissio peccatorum, eidem signum remissionis nō potest negari. Quod ne nos quidem improbaremus. Sed ille respondet, contra potius consequentiam esse: cui detur signum remissionis, eidem esse dandam remissionem, ne signum esset mendax.

VIII. At nos, hanc consequentiam esse fallacem: nostram certiorem. Constat enim multis signum dari, absque remissione peccatorum. Docuit Paulus initio decimi capitis prioris ad Corinthios: Israelitas eandem nobiscum escam edisse, eundem bibisse potum; & tamen mortuos in deserto. Imo docuit in ipsa institutione explicando, qui edant & bibant indigne, siam edere & bibere damnationem. At si detur remissio, tum multo certius concluditur dandum signum: non tantum à maiori ad minus: sed etiam à fine ad media.

IX. Sed iam de remissione ipsa: respondet idem: signum remissionis proprie non esse calicem: sed Baptismum & absolutionem: Calicem esse signum præteriti, quo peccata sint remissa.

X. Nihil hoc quidem ad argumentum nostrum, cuius alia forma est. Sed tamen dico contra esse proprie signum remissionis peccatorum: quia non sit simpliciter signum sanguinis; nempe vt est sanguis: sed pretij, vt loquitur Bellarminus, id est, vt Christus sanguinis fusi in remissionem peccatorum. Vnde etiam medicamentum olim appellatum semper sumendum ab iis qui semper peccant. Quia vero Sacramenta id efficiunt, quod significant: si hoc Sacramentum sit remedium aduersus peccata; necesse est eodem significari, remissionem peccatorum: itaque esse proprie remissionis signum. In eum rem disertissimus ille Canon 13. distinct. 2 de consecratione. *Si quoties cunq, effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, vt semper peccata mihi dimittantur.*

XI. Klingius ita philosophatur. Remissio peccatorum non promittitur ob potationem sanguinis; sed propter effusionem: nempe si quis crediderit in Christum. Quando igitur quis carnem & sanguinem sumit, nulli inuidetur remissio peccatorum.

XII. Ita est, inquam. Sed nihil hæc ad argumentum: quod his totidem verbis Klingius ipse conceperat, *Quibus remissio datur peccatorum, eis non potest negari signum remissionis.* Et certe nunquam cuiquam nostrum dictum ei negari remissionem, cui poculum non porrigatur. Quid igitur noster agit Sophista? Eruditissime: nec negat consequentiam; & antecedens concedit. O sic disputent omnes Papistæ! vt ne sint amplius aduersarij veritatis! inde nec nostri.

XIII. Locum Ioannis in tertia probatione; nemo non exagitauit, sed alia, imo aliena occasione: Ea fuit Bohemorum, quos constat vsos hoc loco ad probandum directe communionem vtriusque speciei. Refert Ioannes de Ragusio verba hæc Ioannis de Rockizana, *Quod autem communio diuinissimæ Eucharistiæ sub vtraq; specie totis credentium populo sit necessaria, patet per illud Ioannis 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis.* Asserebat namque hæc dictio, *nisi*, necessitatem præceptiuam, *non solum de comestione sed & bibitione Sacramentali, obligatiuam omnium fidelium sub parentia vitæ æternæ.* Narrat etiam rei originem Æneas Syluius historiæ Bohemicæ, capit. 35. Petrum Dresdensem adisse Iacobellum Misnensem? dixisse; mirari se vitum doctum sanctumq; non animaduertasse errorem illum communionis, iam pridem Ecclesiam pessum dedisse: cum tamen scriptum sit. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Commotum his verbis Iacobellum perquisiuisse veteres Sanctorum Doctorum codices; comperisse communionem calicis laudatam: ipsum itaq; docuisse plebem, ne calicis communionem vllo modo negligeret: & ita cœpisse hanc controuersiam, quam nondum mouisset Iohannes Hus, aut etiam Hieronymus Pragensis. Eandem historiam descripsit Cochlæus historiæ Hussiticæ, lib. 1. addens, maxime exultasse Hussitas, quod repperissent iam articulum in Euangelia lege fundatum.

XIV. Fuit hoc vehemens classicum, quo omnes vndique excitari Papistæ, pro se quisque sategerunt, quasi præsentissimo periculo ire obuiam: nec tunc solum, cum præsens pugna esset cum Hussitis: sed etiam nunc. Nam etsi tumultus ille desiit, nec enim quisquam nunc inde Papistas lacessit: Non desinunt tamen tam sollicite inde disputare Papistæ, quam si Hannibal esset ad portas. In quo lautam nobis voluptatem conciliant, & cum tam serio leuem ob causam commouentur! & cum pugnant inter se ipsi non minus quam cum Bohemis. Quod spectaculum spero fore non ingratum lectoribus, si à me repræsentetur, vt sciant quæ sint artes Papisticæ in interpretanda Scriptura.

XV. Ioannes de Ragusio primo, conatu, negauit vllum esse præceptum, *Autoritas non intelligitur præceptiue, nec inclusit in se aliquod præceptum vel mandatum.* Et explicat: quia non sit necesse vbicunque in doctrina Christi poni tur nota præcepti vel affirmatiue, vel negatiue, ibi esse obligationem ex necessitate: vt Matthæi nono, *Videte ne quis sciat.* Et decimo, *Nihil tuleritis in via.* Lucæ decimo quarto, *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ex his, inquit, patet, quod prædicta autoritas, *Nisi manducaueritis*, potest intelligi non præceptiue, non obstante nota præcepti.

XVI. Alias concesso præcepto; negarunt quidam agi de Sacramento: quidam affirmarunt. Negarunt olim Ioannes de Ragusio, Ioannes de Turrecremata. Nuper Caietanus, Eckius, Ioannes Fabri Halbrunensis. Hi omnes pugnant fortiter tum ex textu, tum ex patribus magno numero.

Cui ordini videor accensere posse eos, qui de re agi dicunt, non de signo; Hesselium, imo etiam Bellarminum, saltem in solutione prima, negantem remedium conseruandæ vitæ consistere in speciebus panis & vini: aut in modo manducandi, & bibendi: sed in sumptione corporis & sanguinis Domini, quocunq; modo sumantur, modo vere sumantur. Hesselius asserebat proprie non loqui de Sacramento, etsi de re quæ hæc Sacramento signatur.

XVII. Asseruerunt contra nec minus animose disputarunt, & à rationibus, & à Patribus, recentiores, Ioannes Roffensis proœmio quinti de Eucharistia contra Oecolampadium, Beccanus, Alphonsus de Castro: Pighius, Dominicus Soto, Gregorius de Valentia, Bellarminus capit. 5. primi de Eucharistia.

XVIII. Illis facili labore negotium peragitur: at istis maiori opus fuit artificio. Itaque etiam abeunt in varias partes. Fuere qui disiunctiue interpretarentur: Nisi manducaueritis carnem, vel biberitis sanguinem; sic enim interdum in Scripturis occurrere: Actor. 3. *Argentum & aurum non est mihi.* Ioann. 15. *Si non venissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Psalm. 1. *Non surgent impij in iudicio, & peccatores in concilio iustorum.* Hæc ex Bellarmino in solutione 2. & Gregorio de Valentia.

XIX. Sunt qui malint præceptum datum Ecclesiæ, sed implendum per aliquos non per singulos. Bellarminus solutione 3. Gregorius de Valentia. Sed Dominicus Soto non probat.

XX. Dixerunt alij denique de Sacramento agi, at non de modo: sic Lorichius, & Salmero, & Gregorius de Valentia. Sensus est expressus à Lorichio: Non referri ad modum sumptionis Sacramenti, sed simpliciter ad Sacramenti sumptionem, siue sub vna, siue sub vtraque specie. Salmero diligentius. Non intelligi ferinam manducationem, siue Capernaiticam: non intelligi Sacramentalem tantum: non spiritualem tantum: Ergo de manducatione spirituali in hoc Sacramento actu votoue suscepto: quæ non minus in vna quam vtraque specie intelligatur, Huic solutioni postremæ acquieseit Soto. Sed & Costerus notat, nullam fieri mentionem specierum, sed corporis tantum ac sanguinis: hunc autem sanguinem sub specie panis bibi.

XXI. Hæc diligentia fuit Papistarum. Quibus nos libere illud obiicimus. Non amo nimium diligentes. Nam quid opus est circuitus quærere, vbi tam facile vadum? Nos certe ij sumus, quibus persuasissimum est, hoc toto capite Ioannis 6. agi abstracte de re per Sacramentum Eucharistiæ significata, id est, esu potuque spirituali carnis ac sanguinis Christi. Itaque non probamus Bohemos directe ab iis verbis argumentantes. Caluinus hic ingenuus, vt vbique, *Grassue fuit Veterum error, qui infantulos putarunt vita æterna priuari, nisi Eucharistiam illis porrigerent: neq; enim de Cœna habetur concio, sed de perpetua communicatione, qua extra vsum Cœnæ obuenisset. Nec vero recte Boemi, quum hoc testimonio probarent vsum calicis promiscuum debere omnibus esse. Quod ad infantulos spectat, eos Christi institutio à Cœna participatione arcet: quia nondum ipsos probare, nondum colere Christi memoriam possunt. Eadem institutio calicem omnibus vna cum pane communem facit: mandat enim vt inde bibamus omnes.* Itaque nostrum nemo est vsus isthoc argumento aduersus Papistas, quod agnouit ac testatus est Bellarminus, & Costerus. Vnde notanda impudentia non tantum Beccani excipientis duntaxat quosdam Caluinistas; sed multo magis Petri Michaelis; qui cum suo Clementi partes imposuerit nostras, tum hoc etiam argumentum. Et Dominici Soto, qui Lutheranis nominatim adscripsit. Nam qui plurimi tractarunt promiscue cum nostris aliis rationibus nulla addita discretione nominum, tolerari posse videntur; quasi non nos haberent impugnandos solos.

XXII. Non est nostrum nunc disputare, vtri melius senserint, ij qui negarunt, an qui affirmarunt, agi iis verbis de Sacramento, quo fiet Deo dante alio loco: etsi iam satis præiudicamus quæ sit nostra sententia. Sed hoc tamen dicimus confidenter non tantum argumento nostro nihil præiudicare quicquid commenti sunt, cuiuscunque sint ordinis: sed etiam nugas egisse metas, quicunque in posteriori sperarunt à se confutatum iri Boemos.

XXIII. Persuaserit ille scilicet de Ragusio, nullum esse præceptum, vbi addita tam seuera pœna, priuationis vitæ. Et nullo quidem exemplo producto. Nam illa Matthæi 9 & 10. nullam habent adiunctam pœnam, vt taceam sumi non probari non esse præcepta. Illud autem ex Luca esse præceptum, & quomodo alias disputatum à nobis.

XXIV. Disiunctiua interpretatio Bellarmini, quid monstri est quæso? Nam significat illa quidem posse haberi vitam æternam si alterutrum duntaxat bibatur. Sed nunquam quisquam sanæ mentis tantam autoritatem concessurus est vlli Iesuitæ, vt hanc significationem esse iubeat huic phrasi, contradicente vniuerso humano vsu. Nam omnino copulatiua phrasis est. Hoc est simul vtrumque membrum eodem fasce inuoluens. Cum disiunctiua separet, & seorsim sumat. Exempla. *Actor. 17. Athenienses & aduenæ hospites nulli alij rei vacabant, nisi ad dicendum, aut audiendum aliquid noui.* Prioris ad Timoth. 5. *Aduersus Presbyterum accusationem ne admittito, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Nimirum sensus est alterutrum membrum sufficere ad veritatem orationis; etiam si alterum desit: vt si probatio sit duorum testium, etsi non trium, tamen sufficere: & potuit Athenienſium aliquis vacare non dicendis nouis, sed tantum audiendis, vel contra.

XXV. Ast copulatiuæ exempla omnia aliter sunt, Matth. 14, *Non habemus hic nisi quinque panes & duos pisces.* Muta; nisi quinque panes aut duos pisces, idemne cuiquam videbitur: Decimo octauo, *Nisi conuersi fueritis, & fiatis vt pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum.* Disparatio, nisi aut conuersi fueritis, aut fiatis vt pueruli, monstraloqueris in Theologia. Marci 5, *Neque permisit vt quisquam ipsum consequeretur, nisi Petrum & Iacobum, & Ioannes fratres Iacobi.* Prioris ad Corinth. 1. *Neminem vestrum baptizaui, nisi Crispum, & Caium.*

XXVI. Atqui Actorum 3. *Argentum & aurum non est mihi.* Id est, aurum vel argentum. Intelligo, longè alia ratio est. Non enim hypothetica enuntiatio est, sed Categorica, vt loquuntur scholæ. In huiusmodi autem simul negatur vtrumque membrum, etiam si particulæ sint disiunctiuæ. Itaque perinde est, si dicas, aurum & argentum non est mihi, siue, argentum vel aurum non est mihi. Itaque non particula aliam ponit, aliam tollit: sed negatio categorica vtriq; est communis. Ast in Hypothetica enuntiatione, gemina copula est, quarum alterutra, vel ponitur, vel tollitur. Hæc autem particula, *nisi*, negat copulam hypotheticam; non categoricam. Si dixeris, nisi sit tibi aurum vel argentum, non dabis eleemosynam: non negas haberi: sed negas tantum consequens, posito antecedente, quod est, non istud, haberi argentum vel aurum: sed oppositum non haberi. Eadem ratio est Psalmi 1. vbi recte expressum dicit, *non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum*: quod non nego: sed illud *neque*, esse *vel non* absit vt sophistæ concedam, vere enim copulatiua negatio est, vtrunque membrum æque tollens.

XXVII. At Ioannis 15. *Si non venissem, & loquutus fuissem*: Simile exemplum est huic loco: sed, &, positum pro, vel, non concedimus. Significauit enim Christus se vtrumq; præstitisse: scilicet & venisse, & loquutum fuisse: quia videlicet aduentus nudus, absq; vlla doctrina, nihil profuisset, ad augendum, minuendum ve crimen.

XXVIII. Gregorius de Valentia addit; ex 21. Exodi, *Qui percusserit patrem suum, & matrem suam, morte moriatur*: vbi particulam esse copulatiuam pro disiunctiua manifestum est: sed in enunciato categorico Muta: Nisi quis percusserit patrem suum, & matrem suam, ne moriatur; quis non videt quanto hæc distent interuallo? Sic solent nullo discrimine Sophistæ iungere gryphes equis.

XXIX. Ecclesiæ mandatum non singulis; alias explosimus. Sed hic explosit etiam Dominicus Soto, *Interpretatio hæc*, inquit, *non est admodum textui grata.* Vtinam neq; Papistis! Sed frustra opto: non sic solet Papistis summa cura esse quid textus velit, aut nolit.

XXX. Non agi de modo Sacramenti, sed de Sacramento, ridiculum est: quoniam Sacramentum nihil nisi modus est; cum sit ceremonia, vt alias notatum communi consensu. Atqui ceremonia & modus ceremoniæ nullo modo differunt, nisi, si forte, ratione, & hac quidem subtiliori, quam solidiori. Deinde hunc ipsum modum non exprimi falsum; quia comedere & bibere, est modus: & modus is ipse, de quo nunc disputatur. Vtrumque Christus nominauit: & vtrique assignauit eandem necessitatem. Inuitis quidem Papistis. Sed quid facias? Non erat Christus ita institutus, vt his cœcam vouisset obedientiam. Ridiculus autem Salmero. Non loquitur, ait, de ferino esu. Concedo, inquam. Non de Sacramentali tantum. Concedo, quandoquidem personam eorum nunc suscepi, qui de Sacramento interpretantur. Ergo, inquit, de spirituali in Sacramento. Et hoc eodem modo esto concessum. Quid tum? Atqui hæc non minus fit in vna, quam vtraq; specie. Recte, inquam, æque enim participatio Christi est in pane, & in calice. Sed tu, vir bone, aut non concludis quod erat in quæstione; videlicet non esse æque vtramq; necessariam: aut si concludas, quia æque in vtraque, Ergo alteram esse superfluam, siue non æque necessariam: non interpretaris locum: sed fingis tibi somnia.

XXXI. Atque hactenus in gratiam Bohemorum, aduersus eos, qui eis concedunt Christum loquutum de Sacramento. Nunc nostram rem agamus. Dixi hæc nulla commenta labefactare argumentum nostrum. Id credo ἐκ περισσοῦ διανοίας; Maior fuit. Quicunque habeat vitam in se, eum bibere sanguinem Christi. Hoccine infirment siue qui rem intelligunt, siue qui Sacramentum? Imo qui rem: ij manifeste confirmant. Qui Sacramentum, non infirmant: quandoquidem, teste Salmerone, non intelligunt Sacramentum nudum, & à re seiunctum: sed vtrumq; simul. Minor fuit. At omnis fidelis habet in se vita. Id certum: quocunque modo hæc Christi verba interpretere. Quia videlicet non ab istis confirmatio est, sed ab aliis; aduersus quæ nihil obiicitur.

CAP. VI.

Variæ rationes pro vtraq; specie.

I. CVmulabo alias rationes. Hanc secundam. Cui imperatur finis instituti poculi, eidem poculum instituitur. At plebi fideli imperatur finis instituti poculi. Ergo eidem instituitur poculum hoc Eucharisticum. Maior patet ex communi sensu: & ex pari exemplo panis: qui nunquam fuit denegatus plebi: & reliquarum omnium rerum: qui iubetur viuere, eidem permittenda sunt quæcunque ad eam vitam fouendam pertinent. Cuius sanitas optatur, eidem medicamenta sunt applicanda. Qui destinatur eruditioni, huic tradenda sunt elementa. Denique qui vocandus est ad salutem, eidem sunt articuli fidei communicandi.

II. Minor probatur: quia commemoratio Christi est finis instituti poculi. At commemoratio Christi imperatur plebi. Ergo finis instituti poculi imperatur plebi. Patet maior ex verbis Christi apud Paulum, *Hoc facite quotiescunque biberitis ad mei commemorationem.* Biel in illud Canonis, *Hæc facite. Hæc enim vna causa est institutionis huius Sacramenti, vt in Ecclesia militante esset perpetuum memoriale passionis Dominicæ.* Apud Gratianum Canon, *Quia corpus*, de Consecratione, distinctione secunda, *Necessarium erat, vt die Cœnæ Sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret; vt celeretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium.* Mitto alia plurima testimonia: res enim est manifesta.

III. Assumptio probatur etiam ex ipsis Christi verbis dicentis, *Hoc facite in mei commemorationem:* Et Pauli repetentis. *Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiatis*, siue annuntiate καταγγέλλετε, *vsquequo venerit.* Et analogia partium postulat. Nam de pane dictum est, *Hoc facite in meam commemorationem*, vnde plebi concessa ea species: itaque non dubitatum debere à plebe commemorationem hanc fieri. Cur non similiter in calice?

IV. Beccanus in hunc modum conceperat argumentum. Finis est commemoratio mortis Christi, ad quam tenentur omnes fideles. At mors Christi non potest integre significari & repræsentari per vnam speciem. Ergo sicut tenemur ad commemorandam Christi mortem: ita etiam ad vtramque speciem percipiendam. Et hanc formam sugillat, tanquam constantem quatuor terminis: cum in maiori sit commemoratio, in minori significatio. Sed primum formam quoties parabit reprehendere, doceat non à seipso finxisse: sed à nobis habuisse. Nihil enim procliuius aduersariis, quam

suum opposita sibi argumenti eneruare. Nos autem haud est æquum lucre aliena peccata.

V. Veruntamen quid hoc tandem subtilitatis est? Valde, inquit, interest se differunt commemoratio & repræsentatio. Ratione, inquam, fortasse: at profecto non re. Etenim commemoratio non est nisi rei præteritæ cogitatio redintegrata. Hæc autem fit vel immediata rei contemplatione: quoties eius imagines repetit intellectus per se: vel mediate, per aliud obiectum mouens primo sensus, & inde intellectum: Vt qui videt Iridem, redit in memoriam promissionis factæ olim nunquam futurum diluuium. Hæc ratio non est nisi per significationem: nec potest aliter concipi. Nam intellectus nihil concipit, nisi per directas imagines, quæ sunt à rebus ipsis præsentibus: vel per reflexas, quæ sunt à præsentibus ad absentes. Porro hæc quam nunc tractamus, commemoratio est secundi ordinis. Nam Christi mors non sistituripsa præsens, vt inde sint imagines directæ: sed eius loco Sacramentum: à quo reflexio sit in eam tanquam præteritam. Quare etsi alioquin verum sit commemorationem fieri posse absq; significatione: tamen in hac disputatione non debet adeo mirum videri, si promiscue nominentur.

VI. Bellarminus, dupliciter commemorari in Sacramento mortem Christi: per repræsentationem ac significationem: & per memoriam narationemque. Priorem non fieri manducando, & bibendo, sed consecrando, & offerendo Deo Eucharistiam. Posteriorem autem posse fieri in edendo & potando: quoniam qui participet, debeat cum gratiarum actione meminisse mortis Domini: sed non requiri vtramq; speciem.

VII. Sed hoc primo commentum est. Nam & Christus; & Veteres commemorationem nullam dicunt nisi in edendo & potando. Deinde est inutile. Nam hæc ipsa commemoratio quæ dicitur posterioris generis; finis est Sacramenti huius. Itaque non debet inhiberi. Sufficit altera species, inquit. Quomodo inquam? An ex institutione? Negatur hoc vero: quia institutio vtramque complectitur. Et si sic sufficiat, cur Sacerdos tenetur vtramque sumere? Si, inquam, edere & bibere non pertinet ad prioris generis commemorationem; sed tantum consectare, & offerre: cur magis ex institutione necessaria est Sacerdoti sumptio vtriusque? Aut si Sacerdoti, etiam cum non repræsentat priori modo, cur non & plebi? Nam institutio non separat.

VIII. Sed didicit ex consectatione & oblatione per eam repræsentari corpus vt mortuum. Et vbi ergo peregrinabatur Sacerdos ille, vt non disceret id ipsum: adeo vt eo magis asino, quam plebi, vtraq; species esset necessaria? Sed enim vtraq; species instituta, non ad docendam faciendam esse memoriam Christi: sed vt ipsa illa commemoratio fiat: inde edite in commemorationem: bibite in commemorationem.

IX. Huc pertinet Alfonsi de Castro commentum, quod mihi visi innuere Beecanus, & Bellarminus, magis quam ausi explicare. Ille ergo: *Memoriam Dominicæ mortis Sacerdos in altari agit, non autem ille qui à Sacerdote recipit: quapropter Sacerdos hac lege deinctus est, vt quotiescunq; celebret, nec panem sine vino conficeret, nec vnam speciem sine altera sumat: quoniam etsi sub qualibet specie totus integer Christus lateat, non tamen qualibet species totum Christum significat aut repræsentat: sed species panis solam carnem significat, species vini solum sanguinem repræsentat, eiusq; solius memoriam gerit. Quòsit vt si solum panem consecraret, aut solum panem consecratum sumeret: solius oblationis memoriam faceret, qua Christus obtulit suum corpus: nulla autem tunc memoria fieret sanguinis effusi, atque pro nobis oblati, quod species panis, etsi sanguinem contineat, non tamen sanguinem repræsentat, aut eius memoriam facit. Ad hunc eundem modum, si solum vinum consecraretur, aut illud consecratum solum sumeretur, solius sanguinis oblatio atq; effusi, & non corporis memoria fieret.*

X. Placuit describere paulo diffusius nostro commodo. Primum obserua contra Beecanum, Memoriam fieri per significationem, siue repræsentationem Id enim manifeste dicit; qui negat memoriam fieri integram in altera specie, quia hæc non integre significet. Vt facile scias Iesuitam ira magis peritum, quam ratione inductum vt sophisticatur.

XI. Deinde obserua, plus longe nobis concedi, quam aut nostrum argumentum flagitabat: aut ab aduersariis poteramus sperare. Sufficiebat argumento si daretur eis institutum esse poculum, quibus imperata mortis Christi commemoratio. At iste longe vltra largitur: facienti eam commemorationem necessariam esse vtramque speciem, Nam quid ad me, quod de solo Sacerdote conficiente intelligat? Nam id pertinet ad assumptionem de qua dicturus sum statim. Interea quicquid ea de re disputatur, detumitur ab natura eius memoriæ. Nota ergo. Primum. Quælibet species non significat totum Christum. Species panis solam carnem; vini, solum sanguinem. Qui solum panem sumpserit, solius oblati corporis memoriam fecerit. Et qui solum vinum, solius sanguinis.

XII. Hæc iubeo diligenter obseruari; quæ non sunt vnius Alphonsi; quasi indulgentis aut sibi nimium, aut nobis: sed omnium. Iam olim Bonauentura in 4. distinct. 11. part. 2. art. 1. quæst. 2. *Quantum ad significationem, vel significantiam*, ambæ species *sunt de integritate: quia neutra per se exprimitur res huius Sacramenti, sed in vtraq; simul.* Sed & Thomas part. 3. quæst. 80. artic. 12. *Ex parte ipsius Sacramenti conuenit, quod vtrumq; sumatur, scilicet, & corpus & sanguis: quia in vtroq; consistit perfectio Sacramenti.* Vide: Dixit ille, quantum ad significationem: iste ex parte ipsius Sacramenti. Vterq; recte: nimirum quoniam propria ratio formaq; Sacramenti, per quam est signum, significatio est. Itaq; perfectio significationis pertinet ad perfectionem Eucharistiæ: & contra. Ista notentur: futura deinceps vtilia.

XIII. Nunc illud videndum, ad quem pertineat commemoratio, siue memoria corporis Christi. Nam Alphonsus assignat Sacerdoti, & quidem in altari: denegat communioni. Sed contradicit Paulus, apud quem non tantum habes, *Hoc facite ad mei commemorationem.* Et, *hoc facite quotiescunque biberitis, ad mei commemorationem.* Sed etiam, *Quotiescunque enim ederitis hunc panem, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Ethic, *Explicat*, inquit Iustinianus, *quod modo dixerat in mei memoriam facietis.* Item contradicunt Veteres: apud quos ista sunt diserta. In sententiis Prosperi apud Gratianum distinct. 2. de Consecratione, *Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur?* Item ex Augustino: *Quia morte Domini liberati sumus huius rei memores in edendo, & potando, carnem & sanguinem quæ pro nobis oblata sunt significamus.* Qui loci omnes hunc ipsam siue significationem, siue commemorationem adsignant non celebrationi in altari, sed communioni: quæ communia diserte describitur per esum & potum. Non poterit Episcopus Zamorensis obtinere, vt ne Veteribus, ne Paulo paulo plus fidei deferamus: quanquam non diminuta, ipsius dignitate, quantacunque illa tandem esse potest.

XIV. Respondebat itetum Beecanus concludi à nobis ex Apostolo contra Apostolum. Sumi videlicet ex Apostolo, omnes fideles in sumptione Sacramenti memores esse debere mortis Christi: At contra Apostolum concludi, ad commemorationem mortis Christi necessariam esse vtramque speciem: cum tamen vna sufficiat. Hoc probat, quia tam de pane dixerit, quam de vino, & de vtroque seorsim, *Hoc facite in mei commemorationem.* Ex quo ille concludit, secundum Apostolum sufficere vnam speciem per se sumptam ad commemorationem mortis Christi. Quæ solutio est Hesselij.

XV. Imo imponit. Non enim diximus esse necessariam, sed institutam in eam finem. Nam scimus alioqui non tantum sine poculo: sed etiam omnino absque vllo Sacramento posse commemorationem fieri mortis Christi. Et tamen si damnas Beccane; necessariam dici, habes tuos, in quos iram exerceas. Alphonsus dixit facienti eam commemorationem vtramque speciem esse necessariam. Bonauentura dixit; ad significationem quod attinet; vtramque speciem esse de integritate. Thomas in vtraque consistere perfectionem Sacramenti. Enimvero si ad integritatem pertineat, ergo aliquo saltem modo necessaria est.

XVI. Veruntamen quomodo id contra Paulum? Quia is dixit alterutrum sufficere. Itane? Imo cur non pudet sic ementiri verba Pauli quæ nulla sunt? Dixit in edendo panem; fieri commemorationem: sed ad eã commemorationem sufficere non dixit. Dixit in potando calice fieri commemorationem. Sed non dixit sufficere. Quid? tun, idem putes si quis dicat esu panis corpusculum hoc viuere: & si dixerit solum panem sufficere, vt corpus viuat? Experire: si neganti nolis credere.

XVII. Et vide quid agas. Dixit Christus, *Hoc facite in mei memoriam.* Ergo, inquis, hoc facere, id est altera vti sufficit ad memoriam faciendam. Quid ergo? aut cui censes dictum, *Hoc facite?* Plebine soli? An etiam Sacerdoti? Imo Caietanus dixit ea verba esse collatiua potestatis Sacerdotalis ad consecrandam Eucharistiam: quod & plurimi sequuti sunt; nec tu opinor obstabis. Sunt igitur eadem dicta Sacerdotibus tuis, & quidem conficientibus, Vin' igitur dicamus non tantum plebi, sed etiam Sacerdoti conficienti sufficere alterutram speciem? Sin negas, vide quid causæ habere queas, quominus tua sophistice nobis ludibrium debeat.

XVIII. Hactenus secunda ratio. Nunc tertia ab analogia significationis. Ad Cœnam integram inuitatis licet edere & bibere. At Eucharistiæ Sacramentum, est Cœna integra. Ergo inuitatis ad Eucharistiæ Sacramentum licet edere & bibere: id est communicare vtrique speciei. Maior patet ex sensu communi.

XIX. Ne minorem quidem speraui probatione opus habere, apud eos qui in illustrissimis huius mysterij prædictionibus, illam numerant Esaiæ vicesimoquinto, *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, conuiuium pinguium medullatorum, vindemia defecata.* In quibus Salmero tractatu secundo, tomi noni. Sed ea allegoria est. Hæc minus suspecta fraudis. Thomas parte tertia, quæstione septuagesima tertia, articulo primo. Hoc Sacramentum *ordinatur ad spiritualem refectionem, qua corporaliter confirmatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus qui est alimentum siccum; & potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem huius Sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus; & spiritualis potus.* Bonauentura in 4. distinct. 11. part. 2. artic. 1. quæst. 2. *Hic significatur Christus cibus, perfecte reficiens manducantes Sacramentaliter & spiritualiter: perfecta autem refectio non est in pane tantum, sed in vtroque: ideo non in vno tantum perfecte signatur vt reficiens; sed in vtroque.* Lyranus in priorem ad Corinthios 11. *Eucharistia est spiritualis nutritio.* Et post: *Datur hoc Sacramentum sub duplici specie scilicet panis & vini, vt per hoc perfecte spiritualis refectio designetur.* Soto articulo 12. quæst. 1. in duodecimam distinctionum; *Sacramentum non nisi in vtraque specie, quantum ad integram significationem perficitur: est enim conuiuium, ex cibo & potu constans.* Bielle lectione 35. in Canonem ex Hugonis lib. 2. de Sacramentis parte 8. cap. 8. *Voluit sapientia Dei, quæ se per visibilia manifestat, ostendere, quoniam ipsa animarũ cibus & refectio est.* Et post: *Proponitur igitur species panis & vini, vt doceatur plena & perfecta refectio esse in sumptione corporis & sanguinis Christi ex diuinitate Christi. Plena autem refectio, cibus & potus est: cibi autẽ & potus panis & vinũ principalis substantia est,* Vide etiã cap. 52. Bielis. Nõ potest ergo non esse fœdum Romanæ Ecclesiæ peccatum: qui Christi Domini liberalitatem cum audacter circumcidit; vt quod ille conuiuium perfectum esse voluit; cœnam faciant caninam. Sordidi audirent, si de suo ipsi plebem inuitarent: sed ad Domini Cœnam: hoc vero sacrilegium est.

XX. Respondent. Primo Bellarminus negat minorem, id est, Eucharistiam esse Cœnam integram. Si proprie & secundum Euangelistam loqui velimus, inquit, Cœna Domini non constat nisi ex vna specie. Nam apud Lucam legimus, *Cœnantibus illis accepit Iesus panem:* Sed postmodum multis interpositis, *Similiter & calicem postquam cœnauit.* Itaque in Cœna non est data Eucharistia nisi sub specie panis: post Cœnam autem dedit calicem: vnde Cyprianus sermone quinto de lapsis, dicit, calicem offerri solere præsentibus post expleta solennia, id est, finita iam missa.

XXI. Atqui Sophistes abutitur homonymia Cœnæ. Nam certum est geminam Cœnam, forte etiam triplicem describi ab Euangelistis: Vnam Paschalem, in qua agnus edebatur: alteram communem, cum ad corporis refectionem cibi sumerentur: tertiam nouam, ipsam videlicet Eucharistiam, reliquis ambabus posteriorem. Hæc autem antiphrasis, *postquam cœnassent*, hunc ordinem designat, siue quia Cœna illa communis sequebatur agnum: siue quia tota actio distributa intelligatur in partes duas quarum prior in communi vsu, comprehendat & Paschalem, & illam communem

munem : poſterior autem ſolam Euchariſtiam. Vide Baronium anno trigeſimo quarto : & Maldonatum in viceſimum ſextum Matthæi : & alios Durandus Rationalis lib. 4. cap. 42. *Chriſtus poſt Cœnam corpus & ſanguinem ſuum dedit Apoſtolis.*

XXII. Non eſt igitur verum, calicem à Chriſto exhibitum poſt Cœnam Euchariſticam, aut non eſſe partem cœnæ Euchariſticæ: ſed tantum non eſſe partem cœnæ ſiue Paſchalis, ſiue communis, quod vtique verum etiam de pane. Et vero ſi non eſſet ita; cur in Miſſa eſſet vtraque ſpecies neceſſaria? Nam Miſſam appellant hanc Cœnam, id eſt Euchariſtiam. Et ſane argumentum noſtrum non eſt inde petitum, quod in Cœna fuerit Sacramentum inſtitutum: ſed quod ipſum Sacramentum ſit cœna, ſiue conuiuium.

XXIII. Cyprianum autem docere calicem offerri ſolere poſt expleta ſolemnia; verum eſt: ſed poſt finitam Miſſam, id eſt Euchariſtiam, falſiſſimum. Verba ſunt de puella, quæ allata in cœtum, dum preces conciperentur varie afficiebatur, *Vbi vero*, inquit, *ſolennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit*: & reliqua. Et hæc ſolennia quiſquam auſus totam Euchariſtiam interpretari? Cur non longe facilius conſecrationem? Nam huius peractam formulam oportuit, antequā quiſquam accederet ad communionem, non tantum calicis, ſed etiam panis: quod prolixe teſtantur omnes liturgiæ. Inde illud Calixti, *Peracta Conſecratione omnes communicent*, de Conſecr. diſtinct. 2. Nec populus duntaxat, ſed etiam Sacerdos.

XXIV. Reſpondent poſtea ad maiorem. Bellarminum igitur ſecundo? Etiam ſi Cœna Domini vtraque ſpecie conſtaret: tamen quia quælibet ſpecies continet rem vtriuſque ſpeciei, tam eſſet integra cœna ex vna ſpecie, quam ex duabus: ſola enim differentia eſſet in vaſis quibus inferuntur cibi. Coſterus conſpirat. In corporalibus propter varias qualitates ſicci & humidi differunt manducare & bibere. At vero in ſpiritualibus, vbi locum non habent iſtæ corporeæ qualitates, idem valent manducare & bibere. Proinde qui ſub vna ſpecie Chriſtum manducat, tametſi ſignificetur tantum comedere ſpiritualem cibum, pleniſſime tamen reficitur, non ſecus ac ſi etiam de calice biberet.

XXVI. Atqui, inquam, primo nihil ad theſin, quæ eſt de inhibitione calicis. Etſi enim vnum ſit idemque edere & bibere ſpiritualiter; tamen non ſequitur ei qui edit bibitque ſpiritualiter interdicendum eſſe alterutrum elementum. Exemplo eſt Sacerdos: cui certe non minus eſt vnum idemque edere & bibere. Imo altius, quicunque ſpiritualiter edit bibitque, plene edit bibitque abſque vllo Sacramento panis & calicis: quod neque aduerſarij negant. Quid ergo? Liceatne prorſus interdicere vſu Sacramenti, quenquam fidelem? Non puto. Atqui quas illi rationes proferent ſiue pro Sacerdote, vt vtraque ſit ei neceſſaria, ſiue pro laico, vt ſaltem alterutra; eadem nobis hic ſunt profuturæ. Hæc ipſa, inquam, ratio, quam habet Bellarminus pro Sacerdote duas ſpecies ad ſacrificij perfectionem pertinere: eadem plebi eſt communis: cum ſit eadem perfectio Sacramenti, quæ ſacrificij.

XXVI. Secundo, Sacramentem hoc nego dici conuiuium ratione rei ipſius ſignificatæ, ſed ratione ſignificationis: ſumptæ à rebus viſibilibus. Itaque Durandus Mimatenſis libri 4. capite 42. *Quamuis ſub ſpecie panis, ſanguis ſumatur cum corpore, & ſub ſpecie vini ſumatur corpus cum ſanguine, nec ſanguis ſub ſpecie vini bibitur, aut comeditur: quia ſicut nec ſanguis comeditur, nec corpus bibitur: ita neutrum ſub ſpecie panis bibitur, aut ſpecie comeditur.* Neque qui eſt aut vnquā legerit apud Patres hæc monſtra loquendi, bibi ſanguinem in pane: comedi corpus in vino: aut comedi ſanguinem in pane; bibi corpus in vino Inuenimus tamen iis denegari ſanguinem, quibus denegetur vinum: imo abſtinere à corpore & ſanguine, qui abſtinent à pane & vino. Dicam amplius, nunquam apud veteres auditum, corpus non dicam bibi, ſed vel ſumi in calice: aut ſanguinem non dicam comedi: ſed vel ſumi in pane. Quare cum de conuiuij munificentia agitur, fruſtra opponitur rei veritas, quæ vel ſine vllo conuiuio conſtat. Vnde neceſſarium eſt argumentum conſtare.

XXVII. Petrus Michael. Vti Deum interdum vtroque, pane & vino, ad ſuſtentandam vitam corporalē: interdum alterutro: vt Iſraelem ſatis longo tempore ſolo manna citra potum: & experientia compertum, pleroſque ſine omni potu longo tempore vitam toleraſſe. Itaque quomodo Deus vitam corporalem ſuſtentat modo vtroque, modo cibo ſolo: eodem quandoque ſub vtraque ſpecie carnem ſanguinemque ſuum præbere; quandoque ſub altera.

XXVIII. En tibi Sophiſtarum importunitatem. Vt nihil ſit tam extraordinarium; nihil tam inſuetum, nihil tam obſcure latens, quo non vtantur aduerſus diuinum inſtitutum. Atqui hæc omnia ſunt vel naturæ ludentis rari conatus: vel Dei ſupra naturam operantis miracula. Quanquam ſolo manna ſuſtentatum fuiſſe Iſraelem abſque vllo potu, nunquam erat hactenus cuiquam ſomniatum. Sed vtcunque id ſit, tamen conſtat inſtitutionem Euchariſtiæ deſumptam, non à luſibus naturæ, non à Dei miraculis; ſed ab ordine naturæ. Habuimus paulo ante teſtes: nunc iterum Bonauenturam in quartum, diſtinctione octaua, partis ſecundæ, articulo ſecundo, quæſtione ſecunda, *Ratio talis integritatis* (per quam Sacramentum Euchariſtiæ eſt vnicum, ex duobus ſignis,) *& ordinationis vnius diſpoſitiue venit à natura: quia nec panis eſt plene per ſe reficiens, nec vinum, ſed vtrumque: & vna plena refectio in natura venit ex vtroque, & ita diſpoſita ſunt ad vnam refectionem ſignandam. Sed completiue venit ab inſtitutione diuina, quæ vna inſtitutione hæc duo ſigna ordinauit ad ſignificandam vnam perfectam refectionem, & ideo vnum Sacramentum ratione naturæ, & inſtitutionis diuinæ.* Vaſques in tertiam Thomæ diſputatione centeſimæ ſexageſimæ octauæ, capite 1. *Cum fuerit inſtitutum ad refectionem ſpiritualem gratiæ, quam ſignificat, & ex cuius ſignificatione rationem ſubit Sacramenti, vim habet cuiuſdam conuiuij. Conuiuium autem licet conſtet duplicare, nempe cibo & potu, quia tamen non intelligitur refectio integra conuiuij in cibo, aut in potu, ſed in vtroque ſimul, ideo dicitur vnum conuiuium, cibus & potus & vna refectio.* Soto in quartum, diſtinct. 8. quæſtionis vnicæ, artic. 6. *Vnitas Sacramenti quia eſt ſignum ſumitur ab vnica ſignificatione, quæ ex duabus conſecrationibus reſultat, vtpote per quas ſignificatur vnica refectio, cuius integritas conſtat ex cibo & potu.*

XXIX. Eſto igitur ſuſtentandæ vitæ corporalis ratio gemina: vna ordinaria per cibum & potum: altera extraordinaria, ſine vel altero, vel vtroque. Veruntamen negamus ab vtrauis inſtitutionem huius Sacramenti eſſe deductam; ſed tantum à priore, quæ eſt ordinaria Itaque temeritas eſt horrenda, ſic inuolantium in eam inſtitutionem; ſic transferentium terminos à Deo poſitos. Egregia videlicet ratiocinatio: Quia Sacramentum inſtitutum eſt inſtar ordinariæ conſeruationis huius vitæ : hæc autem conſeruatio extra ordinem fiat interdum ſine potu. Ergo funditus tollendam in Euchariſtia potum. Potueruntne diuinius probare Papiſtæ ſibi patuiſſe ſolis Peripatetica ſpatia.

XXX. Huius argumenti noſtri eſt, quod aduerſariis magis placuit ſeparatum; à perfectione Sacramenti. Cum enim ſit perfectum in vtraque ſpecie: ergo qui alterutrum ſumunt, ſumunt imperfectum. Forma ſic eſt. Omne Euchariſtiæ Sacramentum perfectum eſt in vtraque ſpecie. At quibuſcunque fidelibus capacibus inſtitutum eſt perfectum. Ergo in vtraque.

XXXI. Reſpondet Coſterus. Perfectum dici Sacramentum duobus modis: vel vt res quæ Sacramento confertur, detur integra & plenæ, vel vt ſit plena ſignificatio. Priori modo Sacramentum Euchariſtiæ eſſe perfectum ſub vna ſpecie, quia ſic Chriſtus integer ſub vtraque: poſteriori vero minime: quia manducando non ſignificetur perfecta refectio, quæ conſiſtit in edendo ſimul & bibendo.

XXXII. Aſt ego primum dico Sophiſticam eſſe diſtinctionem non tantum recentiſſimam, & nuſquam ſtabilitam in Eccleſia Veteri, natamque in media ſuperſtitione: ſed etiam præter rectam rationem. Etenim cuiuslibet rei perfectionem oportet eſſe in materia & forma: vt neque ſit neque poſſit dici perfecta, ſi aut vtrique, aut alterutri deſit aliquid. Effectus autem cum ſit extrinſecus, non tam pertinet ad perfectionem, quam ſequitur eam Itaque poteſt interdum eſſe abſque altera: vt enſis perfectus, cui nihil deeſt ſuarum partium: & poteſt tamen homo occidi ab enſe cui aliquid deſit juſtæ quantitatis; quod mille exempla docent. Sic in imperfectione ſubſtantiæ, perfectus eſt effectus. Iam vero in Sacramentis geminata materia eſt, vna remota, altera propinqua: forma autem eſt ſignificatio, ſiue analogia, per quam fit, vt ſint ſigna, ſiue Sacramenta. Vtraque pars, ſiue materia, ſiue forma, pendet ab inſtitutione: neque aliunde ſumenda. Conſtat Euchariſtiæ materiam remotam eſſe panem & vinum; propinquam eſum & potum: conſtat ſignificationem eſſe ſiue corporis & ſanguinis Chriſti; ſiue mortis eiuſdem: quorum vtrum dicas perinde eſt. Vnde clarum ſi deſit materia remota, ſi propinqua, imperfectum eſſe Sacramentum: quicquid ſit de fructu, ſiue effectu. In hac autem communione diminuta clarum eſt materiam eſſe imperfectam, quia deſit & pars tum remotæ, calix: tum propinquæ, potus. Ergo certum eſt: communionem diminutam non poſſe eſſe non imperfecti Sacramenti.

XXXIII. Præterea vt admittamus diſtinctionem, tamen non infirmatur ratiocinatio noſtra: quæ ſic facile potuit reformari, vt accommodetur, huic diſtinctioni interim conceſſæ. Omne Euchriſtiæ Sacramentum ſua eſſentia perfectum, eſt in vtraque ſpecie. At quibuſcunque fidelibus capacibus, inſtitutum eſt eſſentia perfectum. Ergo ſub vtraq; ſpecie. Maiorem aperte concedit Coſterus, hac ipſa diſtinctione; quæ dat nō eſſe perfectum, vbi non ſit plena ſignificatio: & plenam ſignificationem non eſſe manducando: quo non ſignificetur perfecta refectio. Supereſt ergo minorem negari, ſed etiam confirmat inſtitutio: confirmat etiam præcedens argumentatio.

XXXIV. Quarta nobis ratio. Nullum legatum teſtamento conſtitutum, debet ſubduci legatariis. At communio vtriuſque ſpeciei, eſt legatum conſtitutum teſtamento Chriſti. Ergo communio vtriuſque ſpeciei non debuit ſubduci legatariis fidelibus. Maior patet, quia hoc teſtamentum, vel pactum ſignificat, vt ſæpe in Scriptura: vel diſpoſitionem vltimæ voluntatis. Si eſt pactum: ergo non debet violari: probatur ex inſtitutione circumciſionis, quam qui neglexiſſet, dicebatur morte puniendus, eo quod irritum feciſſet pactum Domini. Paulus ad Galatas tertio: *Hominis licet pactionem* (ſiue teſtamentum) *autoritate confirmatam nemo abrogat, aut aliquid ſuperaddit*, ἐπιδιατάσσεται. Sin autem eſt diſpoſitio vltimæ voluntatis: idem Paulus ad Hebræos 9. *Vbi Teſtamentum eſt, mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis ratum eſt.* Recte Biel lectione 35. in Canonem, *Sacramentum irritum reputatur, ſi contra inſtitutionem celebretur.*

XXXV. Aſſumptum patet ex ipſa inſtitutione. Matthæi viceſimo ſexto, *Hoc eſt ſanguis meus Noui Teſtamenti.* Lucæ viceſimo ſecundo, *Hoc poculum eſt Nouum illud Teſtamentum per ſanguinem meum.* Et ſimiliter apud Paulum. Durandus Mimatenſis libri quarti, capite quadrageſimo ſecundo, *Chriſtus poſt Cœnam, corpus & ſanguinem ſuum dedit Apoſtolis, vt hoc Sacramentum velut vltimum teſtatoris mandatum artius memoriæ commendaretur.* Thomas, tertia parte quæſtionis ſeptuageſima tertiæ, articulo quinto, inſtitutum hoc Sacramentum docet, *quia ea, quæ vltimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, præſertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos. Ea vero ad quæ magis afficimur, profundius animo imprimuntur.*

XXXVI. Quid aduerſarij? Primam ſolutionem & proponit & eadem opera reſoluit Ianſonius libri 4. cap. 7. *Ad hoc quidam dicunt, calicem non eſſe teſtamentum. Contra quos non vrgeo quod apud Lucam dicit Dominus. Hic eſt calix Nouum Teſtamentum.* Et poſt: *Nemo tamen negarit, quin ſicut Dominici corporis, ita & Sacramentum Dominici calicis relictum quoddam ſit cauſſa mortis ad recordationem. Huiuſmodi autem relictum ſolemus vocare Teſtamentum. Eſt ergo Sacramentum Euchariſtiæ, quam ſub panis, tam ſub vini ſpecie Teſtamentum: & quidem laicis à teſtatore relictum: alioqui enim nec potuiſſent, nec poſſent laici de calice vnquam participare.* Scilicet illi quicunq; tandem fuerint (ſed apparet eſſe Papiſtas) minorem negant: ſed tam improuiſe, vt pati non potuerit Papiſta: quo nos oportet eſſe in hanc partem ſecuriores.

XXXVII. Bellarminus. Hæreditas, inquit, nobis relicta, non eſt panis, neque vinum, ſed corpus & ſanguis Domini, quæ duo dantur tam ſub vna, quam ſub duplici ſpecie: hoc ſolum intereſt, quod qui bibunt ex calice accipiunt hæreditatem in duabus tabulis: qui non bibunt, ac-

cipiunt illud idem in vna tabula: sed hæc differentia nullius est momenti, quod attinet ad participandam hæreditatem.

XXXVIII. Fallor? an hanc ipsam solutionem Iansonius improbat? Proponit aliis verbis. Alii arbitrantur, inquit, tam testamento quam legatariis satisfieri si quidem quippiam de exteriore Sacramenti forma, nihil tamen de re Testamento legata fraudetur, negetur, aut detrahatur: sicut nulla parte fraudantur legatarii, si summa pecuniaria testamento relicta soluatur vno nummo. Cum enim Sacramentum Dominici corporis in se habeat totum sanguinem Christi, quando hoc fidelibus porrigitur, res omnis testamento relicta eis compendio, & quasi in vno nummo exsoluitur.

XXXIX. Audisti propositam, nec quidem non perspicue: sed audi nunc refutatam. Et quidem bis. Primum, posse aliquod habere momenti, si testamentum Christi de re Sacramentali solum disposuisset. At Christum & sciuisse futuram semper integram rem, sub vtraque specie sigillatim; & tamen sub vtraque sumendam reliquisse: itaque non solum rei Sacramentariæ, sed etiam signaculorum habuisse rationem, ad manifestionem passionis mortisque repræsentationem. Secundo posse vno nummo rem solui, si possit vel vno comprehendi, vel ex pluribus conflari. Itaque si esset in Ecclesiæ potestate pro arbitrio, vel corpus Domini sub specie panis, sanguinemque sub specie vini seorsim dare, vel vtrumque sub altera simul: tunc sane etiam in vnam posse Ecclesiam contrahere rem eandem, quæ posset in duas distingui ac diuidi. Atqui nec rem Sacramentalem per plures formas diuidi, nec Ecclesiæ arbitrio sub vnam contrahi.

XL. Non inepte. Primum cauisse Christum non tantum de re, sed etiam de signis: itaque non rem tantum legatam: sed etiam signa. Quare exhibendam rem, exhibenda etiam signa: alioquin testamentum violari. Si quis legarit simpliciter summam pecuniariam, nummos bis mille: tum sane quoquo modo repræsentes bis mille nummos, fiet satis testamento. Sed si mille in auro signato, mille in vasculis: tum in signato bis mille non potes: quia aliter teneris ex præscripto testamenti. Et sane ni ita sit, & res tantum sit attendenda; potes integrum Sacramentum subtrahere; quia per Baptismum eandem rem repræsentasti, teste Augustino apud Gratianum Canone, *Quia passus*, de consecrat. distinct. 2. *Nulli est aliquatenus dubitandum, vnumquemque fidelium corporis & sanguinis Dominici tunc esse participem, quando in Baptismate membrum efficitur Christi: nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si antequam panem illum comedat, ca icemque bibat, de hoc seculo migrauerit in vnitate corporis Christi constitutus.* Cum ergo vnum idemque conferatur per Baptismum, & per Eucharistiam geminum Sacramentum; vt in Eucharistia per geminum signum; cur non æque inhibetur Eucharistia.

XLI. Secundo; non posse vtrumque dari in altera specie. Quare? Quia non potest scilicet, vel panis bibi; vel vinum comedi. Itaque cum non possit res legata, nummorum instar, in vnam redigi summam; tunc fraudem fieri testamento, si vna tantum species obiiciatur: quomodo cum non possit signatum aurum, idem esse fusum; si non nisi signatum offeras, aget aduersum te legatarius, ex formula testamenti Viden' quam sibi frustra blanditus sit Bellarminus.

XLII. Agnoscitne igitur Iansonius peccatum minutæ communionis? Minime vero. Quæritur, inquit, qua iustitia participatio Dominici testamenti vna parte negari poterit, testamentum pro vtraque sui parte expetenti. Et respondet. Iure dispensationis, siue dispensandi. Quid hoc est? Nihil sane noui: sed hoc tritum, eam potestatem Ecclesiæ esse, & quidem ab Apostolis acceptam; vt possit pro arbitrio, id est, prout viderit expedire, vel vnam speciem, vel vtramque dispensare. Nimirum hoc expeditissimum fuit tyrannorum axioma, vt deficiente ratione dicant, *Sic volo, sic iubeo.* Nec sperandum, vt huic suo iuri renunciet vnquam bona illa Romana mater. Omnia potius eant pessum, quam vel tantillum de suæ tyrannidis culmine diminutum patiatur.

XLIII. Costerus, concedit totum argumentum: sed negat sequi, vtramque speciem omnibus percipiendam: tantum non esse vtraque specie fraudandos Christianos. Non fraudari autem, vtraque, quibus altera concedatur.

XLIV. Nouum ius sane: nouam iuris dicundi artem. Quod Christus nobis Testamento reliquit, hoc per neminem potest nobis auferri sine sacrilegio. Sunt enim hæc verba quibus vsus est in argumento concipiendo sophista. Constat autem legatum & panem, & calicem. Nunc tam est sui confidens, vt persuasurum se speret, ex illo posito, nihil effici, nisi legatarios non fraudandos vtroque simul: sed posse tamen altero. Hoc Papinianus agnoscat? Sed cur ergo tam præcise vtrunque docent necessarium Sacerdoti? Non enim iste alio fundamento nititur, quam istoc ipso Testamento: quod alterius legati fraudem admittit tam facile.

XLV. Esto hæc nobis nunc quarta ratio. Quod Deus coniunxit instituendo, non debet homo separare. At vtrumque elementum in Eucharistia instituenda Deus coniunxit. Ergo hæc elementa non debuit homo separare. Maior patet ex Matthæi 19. vbi Christus propositam de matrimonii solutione quæstionem resoluit hoc axiomate, *Quod Deus coniunxit homo non seiungat* Minor perspicua est ex institutione.

XLVI. Beccanus hic totus in fermento iacet. Ex hoc argumento constare nos aut insanos esse, aut insigniter petulantes. Nullam esse connexionem, Homo non potest separare virum ab vxore: Ergo non potest communicare sub vna specie. Sic posse persuaderi, nullum reum quantumuis sceleratum, nullam feram, pecudem, piscem, aut auem necari ab homine posse: quia Deus animam coniunxerit eum corpore. Has esse ineptias indignas homine Christiano.

XLVII. Permittamus Iesuitæ sua irata vocabula: suas contumelias. Id genus hominum est, cui nihil rectum, nisi quod suum. Sic qui nunc indignatur hoc argumentum audiens; alias pro demonstratione obtrudit; spiritualiter sumi semper corpus, & sanguinem Christi simul: Ergo non debere vtramque speciem exigi in Eucharistia. Et exempla quædam occurrere antiqua communionis diminutæ: Ergo præclare factum Ecclesiæ Romanæ, cum calicem prohibuit. Et alia non pauca vere ridicula, vt mollissime loquar.

XLVIII. Rem videamus potius. Negat maiorem: vt non vniuersalem: profertque exceptiones, quia licet homini animam & corpus separare, vt in homine scelerato, in fera, in pecude, in pisce, in aue. Locum ex Matthæo, esse particularem de matrimonio, non vniuersalem.

XLIX. At nos instantias dicimus esse alienas: quia qui Deus coniunxit animam cum corpore; idem sanciuit separationem, cum iussit reos sceleratos a magistratu occidi: & bruta instituit in cibum. Itaque non homo separat, sed Deus ipse sua lege; cui homo obsequitur. Ast in argumento nostro, homo separare dicitur cui sua sola audacia causa est, non vlla diuina autoritas. Quomodo Ecclesia Romana fuit audax, temeraria, sacrilega: quæ suis ratiunculis inducta, legem fixerit oppositam legi, id est institutioni diuinæ; vt calicem distraheret à pane; cum vtrumque Deus coniunxisset, id est iussisset sumi. Nihil ergo obiicitur, quo cogamur maiorem non vniuersaliter efferre.

L. Quod ad locum Matthæi pertinet; fatemur conclusionem peculiarem esse de matrimonio. Sed hoc axioma, negamus esse conclusionem: imo potius maiorem propositionem in hunc modum. Quod Deus coniunxit, homo non debet separare: At Deus coniunxit virum & vxorem. Ergo non debet homo separare. Notum est autem latius patere axiomata suis conclusionibus, nisi apud sophistas quibus licet idem per idem demonstrare. Iansenius Concordiæ 96. *Duplici de causa significatur diuortium non licere; quia scilicet, & est contra naturam, & contra Dei legem & constitutionem. Contra naturam enim est, vt vna diuidatur: contra legem, vt hoc distrahatur, quod Deus coniunxit.* Certe nulla hæc ratiocinatio est, nisi fundamentum ponatur; non hæc tantum, id est matrimonium, sed longe latius, quicquid est autoritate diuina coniunctum, non esse autoritate humana separandum. Alioquin hæc esset disputationis forma: Matrimonium à Deo coniunctum, non debet separari: At matrimonium non est separandum. Qua forma quid potest esse putidius? Itaque recte Caluinus, rumpantur vt ilia Papæ, *Latius extendi potest hæc doctrina. Papistæ Ecclesiam à Christo capite suo auulsam nobis fingentes, truncum & mutilum nobis relinquunt corpus. In sacra Cœna, quum Christus panem vino coniunxerit, vsu calicis totam plebem priuare ausi sunt. His diabolicis corruptelis opponere licebit, Quod Deus copulauit, homo ne separet.*

Cap. VII.

De Exemplo Christi.

I. HActenus quod eramus polliciti de iure communionis integræ. Nunc de facto: quæ pars posterioris huius disputationis est posita: partim in Scripturis, partim in Patribus.

II. Habemus ante omnia exemplum Christi, postea Apostolorum. Etenim manifestum est Christum non tantum instituisse vt Eucharistiæ geminum signum esset; sed ipsum præsenti opere exsequutum esse eam institutionem: non enim ipsum solum esse vsum vtroque, sed etiam vtrumque porrexisse omnibus præsentibus. Inde enim Marcus testatus est omnes bibisse. Omne Christi exemplum imitandum est vnicuique secundum vocationem suam. Atqui communio vtriusque speciei est Christi exemplum: Ergo vnicuique imitandum secundum vocationem suam. Nimirum, vt qui ad Eucharistiam participandam vocetur, similiter vtramque speciem accipiat. Itaque Christus dixit, *Hoc facite*: hoc, inquam, quod me videtis facere.

III. Respondet Hesselius statim initio tractatus 1. *Recte dicit Iurisconsultus, Non exemplis sed legibus iudicandum. Ab exemplo enim sumpta argumentatio, fit per locum à simili, qui non tam ad aliquid de quo quæritur docendum, siue statuendum, quam ad id, quod iam est statutum & firmum illustrandum à Dialecticis vtilis esse traditur. Facillimum est enim vt ea quæ in multis sunt similia, in re de qua disceptatur sint dissimilia.* Idem Salmeronis est acumen tractatu 34. *Recte docent Iurisconsulti, non exemplis, sed legibus iudicandum: & quæ ab exemplo ducuntur argumenta, per locum fiunt à simili: quæ non tam ad aliquid, de quo quæritur docendum, vel statuendum, quam ad id quod iam est statutum & firmum, illustrandum à Dialecticis esse traduntur Facile autem est, vt ea quæ in multis sunt similia, in re qua disceptatur sint dissimilia.* Hæc est Salmeronis & Hesselii conspiratio: tanta vt etiam verba verbis respondeant. Vter vtrum iuuit? Alii definiant: nobis perinde est.

IV. At nos eramus persuasi nonnihil priuilegii deferendum Christo, id est, Deo; vt ne essent eius exempla promiscue inter exempla ψιλῶν ἀνθρώπων: qui quia sunt ipsi legibus obnoxii profecto non possunt pro lege esse ipsi. Hodie vero iam primum videmus Papistarum audaciam eo processisse siue fastigii siue fastidii; vt Christum ipsum cogat in ordinem reliquorum hominum; vt non minus habeamus diffidere eius exemplis, quam cuiuscunque è medio foro homunculi. Deum immortalem si quid nos essemus tale conati! qui satis essent cachinni? Imo quæ detestationes! quæ anathemata! Non enim sunt in alienis peccatis tam patientes Papistæ, quam in suis cæci.

V. At nos cum semel audiuimus; 1 ad Corinthios 4. *Precor vos, imitatores mei estote*: & vndecimo, *Imitatores mei estote, fratres.* Prioris ad Timoth. 1. *Et vos imitatores nostri facti fuistis, & Domini.* Sic cogitabamus; vel Apostolorum non esse promiscuæ turbæ exempla, vt tam facile aut summoueri numerus queat, aut pondus eludi. Et qui Apostolis non poteramus non tantum honoris deferre, ausi essemus obloqui Christo! Tum vero qui legebamus laudatos Thessalonicenses, quod imitatores facti essent Ecclesiarum in Iudæa, prioris secundo: & admonitos Hebræos, vt imitatores essent eorum qui per fidem & patientiam obtinuissent promissam hæreditatem: ad Hebræos 6. non facile sperabamus futurum quenquam, vel solo nomine Christianum, qui Christi exempla auderet διὰ ῥινὸς ἕλκειν.

VI. Et vero indignitatem vide. Qui nunc tam superbe exemplum Christi decutiunt, hoc prætextu, quod non sit exemplis iudicandum, sed legibus: iidem ipsi in toto hoc Sacramento administrando, exemplis magis vtuntur quam legibus: imo ab exemplis leges condiderunt. Et quibus exemplis? Gorgonia, Satyrus, Eremitæ reseruarunt species consecratas Ergo panis consecratus reseruator in pixide, & extra vsum esto Sacramentum.

Quidam Sacerdotes fine animarum cura, missam celebrabant olim: ergo missa esto legitima absque communione. Nunc denique priuatim apud se non pauci panem sumpserunt absque calice; item ægrotantes: & nonnullis locis totæ Ecclesiæ: Ergo nusquam terrarum permittitor vtriusque speciei communio. O vos quicunque estis, quique futuri estis Christiani; attendite. Non habent, non possunt habere Christiani Eucharistiam, nisi ex institutione Christi. Instituens Christus iussit dari: mitto nunc iussit: certe Christus dedit vtramque speciem. Multis post eam institutionem seculis quæritur Constantiæ; quæritur Basileæ, quæritur Tridenti; vtrum sit danda vtraque species. Boni Patres, Christiani scilicet Patres, inquirunt: quid? Institutionem? Leges? minime gentium. Exempla inquirunt aliquot autorum; pone etiam seculorum ante sextum magnifice statuunt: Etsi Christus instituerit: etsi Christus distribuerit vtramque speciem: tamen consuetudo, quæ iam viget lex esto. O stuporem! ô quid dicam! Neminemne adfuisse, qui clamaret legibus iudicandum, non exemplis? Hodie cum institutio reuocatur, cum exemplum Christi renouatur; impune clament legibus iudicandum, non exemplis? Hæc Christianitas! hic Catholicismus est? Scilicet ita olim erat, cum Cyprianus clamaret, *Non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putauerit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit*; Epistola 63.

VII. Verum, exempla non sunt semper similia: Id est, inquam, quæ assumuntur tanquam exempla, non sunt exempla: Fateor. Sed cur non ergo hoc potius agitur, quam thesis exagitatur; vt haud alia sit vis exemplorum Christi, & cuiuscunque hominis? Honesta in speciem disputatio esset, nos in exemplorum delectu falli: cum illa non possit non esse impudens. Et tamen hanc dissimilitudinem nemo probare ausus. Tantum Gregorius de Valentia notauit, aliam fuisse Christo occasionem, aliam nobis. Idcirco Christum Eucharistiam dedisse sub vtraque specie, quoniam vtriusque vsum, tam ad Sacramentum quam ad sacrificium perficiendum institueret, ac doceret Apóstolos: non vt imperaret omnibus fidelibus.

VIII. Quasi, inquam, contraria essent instituere Sacramentum, docere Apostolos, imperare omnibus fidelibus: & non subalternata potius. Negare certe non possumus, ideo vtramque speciem initio traditam, quia institueretur integrum Sacramentum; etiam si velis sacrificium. Nam & ideo iussit aqua lauari homines, quia institueret Baptismum. At non fuit hoc imperium, quia institutio? Et si in Baptismo imperium non differt ab institutione, cur in Eucharistia? Denique si instituere voluit, non etiam obligare, vnde concluditur etiam nunc necessariam esse vtramque speciem ad perficiendum Sacramentum? Denique absurdum exemplorum differentiam arcessere ab intentione agentis. Etenim non potest fieri vt eadem sit intentio instituendi, & imitandi: non tradendi, & accipiendi. Quare nulla institutio posset in exemplum trahi; quod est non absurdum duntaxat, sed etiam insanum.

IX. Negant alii omnia quæ Christus fecerit, nobis imitanda; Michael, Becanus, Auratus, Alphonsus de Castro. Et dant exempla. Conciones ad populum, miraculorum patrationes, legis absolutissimam obseruationem. Et in hoc ipso Sacramento, quæ antegressa sunt, aut sequuta, aut etiam coniuncta: vesperam, cœnam communem, fractionem panis, viros, & hos duodecim. Hinc concludunt, hoc exemplum Christi non esse imitandum per omnia.

X. Nos vero concedimus, non omnia Christi facta imitanda promiscue. Neque vero nobis id in ore fuit argumentum: qui diligenter addidimus cuiusque vocationem. Itaque miraculorum patrationem facile remouemus: cum nulla sit ea vocatio fidelium, sed tantum peculiare quibusdam donum. Conciones ad populum, iis tantum imitandas proponimus, quibus incumbit publice docere. In hoc ipso Sacramento, consecrationem ab sit, vt cuicunque permittamus, non vocato ad sacerdotium, si id sacerdotium est, quod alias disputabitur. Et hanc sane vtriusque speciei communionem si docuerint Papistæ, alicuius esse peculiaris vocationis, non communionem omnibus fidelibus adultis; causam nullam dicturi sumus, quominus eadem paucis quibusdam permittatur; aliis omnibus seuere interdicatur. Sed hic ne conantur quidem aduersarii, cur nos moueant?

XI. Sunt alia quædam actionis indiuiduæ, quasi πάθη, cuiusmodi tempus vespertinum, cœna communis, sexus præsentium, & numerus. Ne hæc quidem imitationis esse, vltro concedimus. Est enim vniuersalis notio; vt seiungantur omnis indiuiduæ actionis circunstantiæ; ab iis quæ legis sunt, ideoque generalia. Imitatus est Demosthenis Philippicas Cicero: sed non vt in Philippum ipsum tonaret, aut apud Athenienses: sed contra Antonium, & apud Romanos. Imitatus idem in Officiis Panætium, at non vt Græce scriberet. Paulus 2. prioris, Thessalonicenses laudat quod imitatores fuerint Ecclesiarum quæ in Iudæa. Quomodo? Quia scilicet passi fuerint? Sed hæc quæ fuerunt? Eademne numero? Minime: Nam, *Eadem passi & vos à propriis contribulibus, sicut & ipsi à Iudæis*. Diuersitas hæc fuit, vt alii paterentur à Iudæis, alii à suis contribulibus. Et tamen imitatores illorum isti.

XII. Omnino ad eandem rationem imitatores fuerunt Christi, qui fideles apud Corinthios, etiamsi multi præter duodecim: imo inter multos illos, nullus Apostolus. Imitatores iterum Christi etiamsi domi manducarent, sic enim credo fecisse admonitos à Paulo: etiamsi non sub vesperam. Scilicet hæc fuere actionis circunstantiæ. Quod si similiter vtramque speciem aut illi doceant esse nudam circunstantiam; aut nos non probemus fuisse institutionis partem, fatemur nihil fore nostram in disputando constantiam.

XIII. Salmero: Non solet, inquit, Christus proponere seipsum in exemplum imitationis in his, quæ vel supra naturam sunt, vt miracula: vel media, & indifferentia; vt ceremoniæ, quas moderandas Ecclesiæ reliquit: sed in his tantum quæ per se bona sunt, & sanctificare hominem possunt.

XIV. De iis quæ supra naturam, nulla quæstio est; quia peculiaria fuere officio Christi. De rebus mediis, enuntiatio si sit vniuersalis est falsa: quia excipiuntur aliquæ, in quibus sese Christus præbuit imitandum. Ne longe abeam, illud ipsum de ceremoniis explicandum. Nam ceremoniæ quas moderandas Ecclesiæ reliquit, dicitur ambigue, vel διαιρετικῶς, vel καθ' ὅλου. Priori modo, vt sensus sit, varias esse ceremonias, alias quidem, quas moderandas reliquerit Ecclesiæ: alias vero quas sanciuerit in perpetuum. Altero autem, omnes ceremonias relictas esse Ecclesiæ moderandas. Hunc esse falsissimum, vix puto admonendum. Non enim contradicunt Papistæ, Sacramenta esse ceremonias, & fuisse in perpetuum sancita. Sin prior sensus placet, concedimus in iis ceremoniis, quas Ecclesia moderandas susceperit suo consilio, non esse necessariam Christi imitationem. Sed ne neganto vicissim Iesuitæ in iis quas ipse Christus sanciuerit in perpetuum, contrarium esse verum. Et disputanto in illis esse hanc communionem; non in istis: aut nos disputantes patiantur esse in istis, non in illis.

XV. Bellarminus: Exempla probant rem non esse illicitam iure diuino: at non esse præceptam, vel necessariam.

XVI. Forte, inquam, si nihil sunt aliud, quam arbitrariæ vsurpationis: sed si vsurpata præeunte lege; profecto maiorem vim habent, quam verisimilitudinis. Sic 1. ad Corinthios 10. *Hæc*, nimirum quæ acciderunt Israelitis in deserto, *typi nostri fuerunt, vt ne concupiscamus res malas, sicut illi concupiuerunt*. Nempe debuerunt Israelitæ non concupiscere res malas: Ergo & nos debemus similiter non concupiscere. Hæc autem communio vtriusque speciei, quam disputamus, fundamentum habet institutionem, id est, legem. Itaque quomodo consequentia est necessaria, Christus consecrans accepit vtramque speciem: Ergo Sacerdos quicunque consecrat debet vtramque accipere: sic ista, Christus distribuens Sacramentum vtramque speciem communicauit: Ergo quicunque Sacerdos distribuit Eucharistiam, debet vtramque speciem communicare.

XVII. Postremum conatum attendamus. Michael exemplum hoc Christi relictum imitandum, sed Apostolis duodecim tantum, quos è plurimis lectos, cum potestate autoritateque ad concionandum, Sacramentaque administranda, vti ipsum Pater, amandauit. Et aliquanto post, Christi hoc de vtrisque speciebus exemplum præceptumque ad nullos quidem alios pertinere, quam quibus consecrandi, & offerendi officium incumbit. Salmero tractatu tricesimo quarto. Quod si hoc Christi exemplum volumus aliquo modo vim habere obligandi; hoc tantum ad Sacerdotes, quales erant Apostoli, quando præsumpserunt sanguinem, spectare admittimus.

XVIII. Acclamemus bonum factum. Christo sunt tandem propitii Iesuitæ. Spem faciunt concessuros tandem aliquam vim inesse huic exemplo: Sed non deposita tamen suæ personæ grauitate. Si volumus, inquit Salmero. Nimirum caueat Christus ne equi donati dentes inspectet. Nam hoc ipsum quicquid erit reculæ, quod concessum erunt, gratis erit. Si velint dabunt: sin nolint, & bilem eis commouerit importunitas, iubebunt in angulum secedere, vt sibi canat & musis. Quid enim prodesset, quod se soli in cunctis Christianis professi sint societatem Iesu? O digni meliore tempore: illo scilicet cum suos cultores timere cogebantur dii!

XIX. Solis Apostolis fuit imitandum. Is primus impetus. Et certe sic opus dicere, qui tam scrupulose numerant duodecim: & neminem cæterorum: id est, ex maiori numero admissum. Sed ineptum commentum. Quia si solis his duodecim fuisset imitandum: ergo non esset instituta commemoratio ad postremum vsque Domini aduentum. Nec essent Sacramenta ceremoniæ perpetuæ, quod tamen communi consensu positum initio harum disputationum de Sacramentis. Neque enim Apostoli tandiu erant victuri.

XX. Itaque δεύτεραι φροντίδες præter Apostolos, dant Sacerdotes consecrantes: quorum, aiunt, illi personam gerebant. Dicamus ergo propitiis Iesuitis, omnes eos teneri imitando huic exemplo, quorum personam Apostoli gessere. Nam nobis quidem volentibus id fiet. Et disputemus quinam ii sint quorum illi personam gesserint. Gesserunt, aiunt, consecrantium Sacerdotum. Nos vero negamus: Nam profecto Christus hanc gessit: Apostoli autem communicantium. Vt in Iordane Christus non gessit personam baptizantis, sed baptizati: quare? Quia non baptizauit ipse, sed baptizatus est. Apostoli post resurrectionem non gesserunt personam ordinantium, sed ordinatorum, cum audierunt, *Accipite Spiritum Sanctum*, & cætera. Enimvero in Eucharistia cum sit personarum discrimen, aliarum consecrantium, aliarum communicantium: certe vt absurdum consecrantium non consecrantes, ita non communicantium communicantes gerere personam. Ast Apostoli tunc temporis nec consecrarunt, & communicarunt. Quid ergo superest? Me tacente omnes audiunt. Exceptis Papistis; qui etiam audientes, non audiunt.

CAP. VIII.

De exemplo Apostolorum.

I. EXemplum Christi magistri sequuti sunt Apostoli discipuli: Magnificum ipsi præbentes posteris exemplum, quomodo cum alias, tum in hoc Sacramento debeant imitari Christum. Non obstabunt autem, credo, vel infensissimi Papistæ, quominus ex vno Paulo, discamus omnes Apostolos. Nam 1. ad Corinthios 15. *Et ego & illi ita prædicamus*. Vbi Iansenius, *Ostendit vnum esse, atque idem omnium Apostolorum Euangelium, eandemque omnium doctrinam.*

II. Quid autem Apostolus Paulus obseruauerit in solennitate Eucharistiæ æternum testimonium est Epistolæ ad Corinthios prioris: vbi perpetua resonat vtriusque speciei communio. Et primo protestatur, quicquid ab Apostolica fide poterat exspectari, *Ego accepi à Domino; quod & tradidi vobis*: hanc ipsam aggrediens Eucharistiæ narrationem. Vbi Caluinus, *Perinde est ac si diceret; Non tradidi vobis meum commentum. Non excogitaueram nouam cœnam meo arbitrio: sed habeo Christum autorem, à quo accepi, quod vobis tradidi per manus*. Aretius, *A suo exemplo vrget Corinthios Apostolus; Ego non aliter tradidi vobis negotium Cœnæ, quam acceperim. Igitur ad hanc institutionem vobis erat religiose celebranda.*

III. Atqui tota descriptio institutionis præfert vtriusque speciei communicationem, non conficientis tantum, (quanquam hanc nusquam exprimat) sed præcipue totius populi, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis vsquequo venerit. Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculum indigne, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini. Probet autem quisque seipsum, & ita de pane illo* edat, &

edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit, & bibit indigne, damnationem sibi ipsi edit & bibit, non discernens corpus Domini. Cap. 10. *Num potestis poculum Domini bibere & poculum Dæmoniorum.*

IV. Hæc adeo clara sunt, vt ne aduersarios quidem patiantur aduersari. Corinthiis igitur vtramque traditam speciem non ausus negare Salmero tractat. 34 alii magis ingenui, aperte sunt confessi. Beccanus, *Fateor vtramque speciem à Christo institutam esse: fateor vtramque ab Apostolo traditam.* Costerus, *Fatemur id verum esse:* nempe Paulum à Christo etiam calicem accepisse, quem Christianis Corinthiis tradidit, Sanctesius ait, non dubitasse Paulum sub vtraque specie Corinthiis Eucharistiam præbere. Petrus Auratus, *Aliter Hierosolymis, aliter in Ecclesia Corinthiorum fiebat communio: hi sub vtraque specie, illi sub vna tantum.* Toletus in 6. Ioannis: Prima assertio, *Antiqua consuetudo temporibus Apostolorum fuit in Ecclesia sub vtraque specie communicandi. In hac assertione nulla est controuersia.*

V. His ita constantibus, manifesta est conclusionis forma. Quod instituit Christus in Eucharistiæ celebratione perpetuum, id scelerate prohibetur. At Christus sic instituit communionem vtriusque speciei etiam inter laicos: Ergo hæc scelerate fuit prohibita. Maior extra aleam, & prius disputata. Minor continet duo capita: vnum institutam esse a Christo communionem vtriusque speciei inter laicos. Hoc probatur. Nam quod circa Eucharistiam Paulus tradidit Corinthiis, idipsum Christus instituit. At ille tradidit communionem laicorum sub vtraque specie: Ergo hanc Christus instituit. Alterum caput, hoc genus communionis institutum esse perpetuum, probatur ex his verbis, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis mortem Domini annuntiabitis vsquequo venerit.* Nam Thomas, *In quo datur intelligi, quod hic ritus Ecclesiæ non cessabit vsque ad finem mundi.* Lombardus, *Donec Dominus veniat ad iudicium: quia hoc non mutabitur vsque tunc.*

VI. Vt in præcedentibus, ita hic varie conantur esse lubrici. Primum omnium negant vllum esse Pauli præceptum: sed tantum traditionem. Bellarminus. Illa verba, *Ego tradidi vobis*, in nullo autore significarunt vnquam, Ego præcepi, seu imperaui: & deinde, quam esset pulcra illa connexio, Ego mandaui vobis, quoniam Dominus in qua nocte tradebatur. Et illud 15. cap. *Tradidi vobis, quoniam Christus mortuus est*: quam pulcre, præcepi vobis, quod Christus mortuus est? Beccanus, Apostoli multa tradiderunt primis Christianis, quæ tamen præcepta nobis non sunt: vt, *Inuicem exspectate: si quis esurit domi manducet.* Andradius; Hæc verba nullum præceptum continent, sed nudam historiam narrant: itaque nullam maiorem vim habere possunt, quam Euangelistarum historia. Nam tradendi vocabulum, non præcipere, sed docere significat: vt apud Lucam, cum ait, *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt.* Vasques Bellarminum sequutus est.

VII. Nullum præceptum esse, falsum effatum est. Nam institutio Eucharistiæ est præceptum, prout est disputatum cap 2. huius libri. Ast in his verbis Pauli continetur ea institutio: Ergo continetur etiam præceptum. Et Eckius homilia 36. negat quenquam inficiari posse, Paulum præcepisse Corinthiis vtriusque speciei vsum; idque Cyprianum atque Hieronymum testari.

VIII. At tradere, inquiunt, non significat præcipere, siue imperare. Non intelligo, inquam, quid dicatis, nisi plenius. Quid ergo? nunquamne, an non semper? Instandum enim: vt quorum tam cîtus auari, ea verba prece vel precio; sponte vel vi obtineamus. Enimvero si nunquam, quo vobis mentes? Aut quid dicitis, *Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia, suscipiendas ac venerandas* (Concilii Tridentini verba ea sunt, sessione quarta) potestis negare vnquam traditiones esse præcepta? Qui dicitis, *Vniuersalis Ecclesiæ traditiones:* (verba relego Alphonsi de Castro contra hæreses libri 1. cap. 5.) *aut definitiones in his quæ ad fidem spectant, etiam si aperta Scriptura in earum comprobationem desit, non minoris sunt autoritatis, quam ipsa sacra Scriptura:* potestis ferre quenquam negantem vllam traditionem esse præceptum? Vos denique, qui in hoc: in hoc, inquam, negotio, *Consuetudo ab Ecclesia, & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime obseruata, habenda est pro lege* (verba sunt Concilii Constantiensis.) Vos qui hæc enunciatis, iidem potestis negare illam traditionem esse præceptum?

IX. Sin autem humaniores paulo, docetis saltem non semper traditionem esse præceptum, quid ad nos? dum hoc saltem loco? Itaque aut vos disputare, hoc loco nullum esse præceptum: aut ne hac exceptione vtimini. At nos esse præceptum facile probamus. Nam Iustinus, quod alias notauimus, absque dissimulatione, aut tergiuersatione Apostoli οὕτως παραδεδώκασιν ἐντετάλθαι αὐτοῖς τὸν Ἰησοῦν, *Sic tradiderunt* (en traditionem) *præcepisse* (en præceptum) *sibi Iesum.*

X. Sed nudam historiam narrat. Hoc illud est, nempe, quod olim Ioannes de Ragusio, *Paulus loquitur pure & sincere, narratiue, referendo, qualiter Christus in cœna hoc Sacramentum confecerat.* Subtilissime. Nam scilicet nulla esse potest vllius præcepti narratio pura & sincera. Et quia Exodi 20. Decalogum propositurus Moses, præfatus est in hunc modum, *Loquutus Deus est omnia verba ista*: ideo nulla illa præceptorum vim habent. Imo ne procul abeamus, tota Cœnæ institutio vox est, præterea nihil, vt ille olim lusit in lusciniam. Mira Papistarum pietas! quæ si exardeat, nihil sit propinquius, quam vt communicatio & consecratio, & si quid est præterea huius institutionis extremas in terras iubeatur deportari. Et credo eum finem iam; vel etiam spem præueniri à Vasque, cuius paulo post recitabuntur verba. Sed Gregorius de Valentia, *Concedimus Apostolum ibi non nude tantum narrare historiam institutionis, sed etiam ad ipsam Ecclesiam accommodare præcepta Domini, quæ vel in illa institutione continentur, vel ex ea deducuntur.*

XI. Egregius vero exemplorum delectus, vt probent tradere, non esse præcipere; ex Luca, *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio viderunt.* Ergo tradere non est imperare. Imo, inquam, ergo tradere est imperare. Nam hæc traditio testium oculatorum, cur non dicatur præceptum? Nisi forte nulla sint præcepta intellectus, sed tantum voluntatis. Ego certe scio, quæcunque descripta sunt in Euangeliis, leges esse fidei. Alioquin nullum esset peccatum non credentium: quod in Christianitate absurdum.

XII. Apostoli multa tradiderunt Veteribus, quæ nobis præcepta non sunt. Ita sane. Sed nunquamne fuerunt præcepta? Certe: illis saltem, quibus erant tradita. Actorum 16. *Tradebant eis seruanda instituta quæ decreta fuerant ab Apostolis, & Presbyteris.* Vbi vides & traditionem & decreta; atque ea quidem seruanda. Quæ quantum absunt, quæso à præceptis? Sed ea tamen, quæ non peruenerunt ad nos, tanquam præcepta, nempe de suffocato & sanguine. Quare certum, esse etiam præcepta, ea quæ tradita ab Apostolis non in perpetuum. Non igitur vocis vsus hoc argumento confutatur: sed tantum euincitur, non omnes traditiones fuisse perpetua præcepta. Hoc autem quid nunc ad nos; qui scimus non esse eius ordinis institutionem Cœnæ? Nam monuit hanc Paulus vim habituram vsquequo Dominus veniat.

XIII. Richeomus: Nos is erat hoc loco scopus Apostoli, vt probaret communicandum vtrique speciei: id enim non erat in quæstione: sed vt doceret eundem ad hanc mensam cum reuerentia, & conscientiæ examine; siue sumendum esset corpus sub altera, siue sub altera specie.

XIV. Intentionem appellari credo finem disputationis totius. Nam alioqui intentio potest latius patere; vt non tantum finem, sed etiam media comprehendat. Sic vere Paulo scopus ille fuit propositus, vt irreuerentiam & temeritatem corrigeret Corinthiorum: sed vt hunc scopum attingeret, intentio eius fuit institutionem ipsam recitare integram; quomodo erat à Domino mandata. Caluinus, *Hactenus vitium ostendit: nunc docere incipit, qui vere sit corrigendi modus. Institutio enim Christi certa est regula, à qua si deflectas, iam rectum non tenes: Ergo cum ab hac regula aberrassent Corinthii, illuc eos reuocat.* Concedimus ergo non esse hunc totius disputationis scopum, nempe, vt de eo disputaret, quod non quærebatur: sed dicimus, hanc esse Pauli intentionem vt ad eum finem recitaret præceptum Domini. Et hoc satis esse, vt sit verum præceptum.

XV. Hesselius. Non proprie Apostolus mandat edere simul & bibere: sed modum præscribit, sine quo nec esum corporis, nec potum sanguinis permittit; hoc est, vt homo ante communionem examinet cor suum.

XVI Non proprie mandat. Quid hoc est? Neque enim hactenus auditum non posse simul proprie, id est, vere mandari, & rem & vsum rei: siue etiam, vsum, & vsus modum. Manifestum est ex institutione Paschatis: vbi eodem præcepto imperatur edi agnus, & edi cum pane azymo, cum herbis agrestibus, & accincto corpore; qui vere modus est: nec tamen hic modus magis præcipiebatur, quam ipse esus agni. Vterque ergo proprie. Cur non hic? Quanquam si proprie, id est, præcipue, & tanquam hoc proposito disputationis fine; nihil est quod aut impugnem, aut soluam diutius, quod iam tractatum.

XVII. Hactenus negabant præceptum esse. Nunc aliter. Salmero esse vniuersale, negat. Eo admisso, inquit, quod Corinthii sub vtraque specie communicarent, negamus tamen eorum morem alios obligare: quia hæc res cum ad ritum & ceremonias spectet, & variæ Ecclesiæ varios & peculiares ritus habere possint; certe vna alteram suo exemplo non potest obligare.

XVIII. Recte. Si fuit mos aliquis peculiaris Ecclesiæ Corinthiacæ; non habemus quod mutitemus. Non magis illa potuit aliis præiudicare, quam illi aliæ; neque nos decet ab ea legem petere potius quam ab Hierosolymitana, siue alia quacunque. Itaque bono animo sunto Papistæ: si nisi hoc leto confici nequeant; à nobis sane sunto immortales. Sed quis tandem pudor est? Vident, cunctas Ecclesias, quam late patuit olim Christianitas, vtramque speciem communicasse: & hunc ritum clamant esse peculiarem Corinthiis? Hoc taceo paulo post demonstrandum. Vident Apostolum Corinthiis tradidisse: & quidem acceptum à Christo: & audent pronuntiare proprium Corinthiorum fuisse morem? Habent ipsam institutionis formulam; & negant institutionem esse: dicunt non nisi morem esse: & vnius Ecclesiæ morem? Quid amplius? Deum immortalem! quodnam hoc genus est, mentis reprobæ? Communionem diminutam, ne ipsi quidem negant repetitam à consuetudine moris inducti post institutionem (Hosius deducit ab iis prouinciis in quas vinum haud facile importatur) & hunc morem volunt, iubent haberi pro lege: Hic vident Apostolum edicentem: nec à se; sed à Christo: & restitant! Et negant legem esse!

XIX. Verum; quid hæc turba molesta est? quid variis subtilitatibus importuna? Palmam cedite Vasqui, vos quicunque frustra vestra fatigatis ingeniola. Vno verbo ille rem tantam facile conficiet. Arrigite aures; & excipite oraculum ex tripode, *Licet concederemus* (nam describenda sunt verba ἐμφαντικῶς) *hoc fuisse Apostolicum præceptum, nihilominus Ecclesia, & summus Pontifex potuerunt illud iustis de causis abrogare: neque enim maior fuit potestas Apostolorum, quam Ecclesiæ & Pontificis in ferendis præceptis.*

XX. Euge; euge! Nihil est in secundis; tertiisve subsistens audacia. Summa petere oportet; si volet sibi concedi ab omnibus: *Patrui perdespuit ipsam Vxorem, & patruum reddidit Harpocratem. Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum, si vis esse aliquid.* Latrones quid erunt in syluis, si foliorum paueant motum? Quid erunt pyratæ in mari, nisi vel tempestates flocci faciant? Quid? tantum scelus Cæsar perfecisset, si vel in somnis horruisset matri μίγνυσθαι τὴν ἄρρητον μῖξιν? Profecto non potest Papista, vir scilicet Catholicissimus, potentius omnibus hæreticis, quales nos sumus hæretici, os obstruere, atque efficere, vt demissis auriculis recedamus; quam spreto Christo, conculcatis Apostolis: Scripturis de ponte deiectis.

XXI. Et tamen Thomas, Quodlibeti 4. artic. 13. *In solis his, quæ sunt de lege naturæ, & in articulis fidei, & Sacramentis nouæ legis dispensare non potest Papa.* Estne hoc de communione in Sacramentis nouæ legis? an non est? Vin explicatius? Lælius Zecchius de Republica Ecclesiastica cap. 2. segmento 9. *Circa epistolas Pauli & dicta Apostoli, notandum, quod Apostolus in sua doctrina aliqua posuit promulgans ius diuinum, vt vetans Circumcisionem, & huiusmodi: Et in hoc Papa non potest dispensare; quia sibi à Christo fuit immediate reuelatum. Quædam vero sicut propria statuit. Et in his Papa potest dispensare.* Atqui hoc quicquid est de Eucharistia Paulus testatus est sibi fuisse à Christo immediate reuelatum. Quid inde fit, nisi vt non possit in ea communione dispensare Homo peccati, vel suorum adulatorum testimonio? Et sit audacissimos

dacissimus bipedum Vasques; qui non dispensare, sed abrogare posse dixerit? Certe illud de probatione sui ipsius ante communionem, præceptum Apostoli vocauit autor libelli de salutaribus documentis qui tribuitur Augustino, cap. 33. Exspectamusne ab audacia Iesuitica, minus, quam vt liceat Ecclesiæ, liceat Pontifici, hanc ipsam probationem relaxare; & omnes promiscue ad communionem admittere? Est sane quod sibi nonnihil sperent porci, ac canes; nisi Vasques retractet. At nos, contra hanc sceleratam audaciam tatum habemus illud Bielis in Canonem, lect 35. *Sacramentum irritum reputatur, si contra institutionem celebretur.*

XXII. Vna supereſt stropha Michaelis, Salmeronis, Gregorii de Valentia, interpretantium hanc vtriusque speciei communionem disiunctiue, vel panis vel vini. Ipse suam abunde interpretatus est mentem Paulus, ait Michael, particulam hanc copulatiuam non sic vsurpando, tanquam specierum vna sine altera fructuose percipi non valeret; sed pro disiunctiua illam collocando, si licet, *aut*, similiue, quod tum in Scriptura & familiari sermone non infrequens, tum neque Laboeni aut Paulo iurisconsulto ignotum fuit: nimirum quando coniuncta reipsa vnum sunt, aut si re ipsa & argumento, de quo agitur, aliud iudicari æquum est. Quomodo Apocalyps 1. *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius:* vbi citra controuersiam vocula, &, loco, siue, aut eandem vim habentis, posita est, cum nihil necesse sit, quenque illud legere. Quod quidem hic etiam locum habere rursum ipsemet Paulus testis est locuples, qui in eo quo Epistola hæc conscripta est idiomate, Græce in hunc modum loquitur, *Qui enim manducat, ἀνάξιως, id est, aut bibit indigne*

XXIII. Vide quam sint λεπτολόγοι Sophistæ aduersus verbum Dei! vt nihil sit tam exile, tam tenue, tam exiguum; vnde se desperent vim facturos aduersus præcepta diuina, traditiones Apostolicas Archimedes sunt noui: nec desperant infinitas se molesmoturos paruis machinamentis. Vide. In eadem illa institutionis narratione, Octies vsus est illa copulatiua particula Paulus: semel tantum ista disiunctiua. Et æquum putauerunt noui Sophistæ, vno isto exemplo præiudicium fieri aduersum omnia alia. Et in hoc tamen ipso tam parum momenti inesse existimatum est, vt hactenus, quicunque in iis verbis explicandis laborarunt, nihil annotarint, præter vnum, aut alterum, aut certe tertium, eumque recentissimum Papistam. Quin potius non tantum Syrus interpres vertit per copulatiuam: sed etiam pleraque exemplaria vulgaris editionis, antè Sixtinam haud habent aliter. Sic legit Anselmus; sic Thomas; sic Lyranus; Haymo; & ille quisquis est Hieronymi nomine: Gentianus Heruetus in editione Theodoreti, Caietanus, Guillaudus, Fulbertus Carnotensis epistola 1. Algerus de Sacramento libri 1. cap. 21. Hæc scilicet victoria est! Is triumphus Capitolio dignus: an Leonina potius?

XXIV. Nec negauerim ego quidem, copulatiuam interdum, & disiunctiuam promiscue vsurpari: quamuis nullum exemplum aduersarii proferant necessarium. Nam illud Apocalypseos facile est interpretatione Bezæ. Sed vt hoc mittamus: tamen dico disiunctiuam particulam non disparare partes à toto; sed alias ab aliis. Exempla. Prioris ad Corinthios 13. *Siue prophetiæ, euacuabuntur; siue lingua, cessabunt; siue scientia, destruetur.* Non significauit Paulus, aut hoc, aut illud futurum; sed omnia simul. Itaque Beza, *Et prophetia vero abolebuntur: & lingua cessabunt; & cognitio abolebitur.* Ad Ephesios 6. *Vt sciamus singulos, quicquid fecerint boni, hoc reportaturos à Domino, siue seruus fuerit, siue liber.* Nemo hic imaginatus est, alteruttos tantum, vel seruos, vel liberos; sed vtrosque reportaturos quod gesserint. Matthæi sexto, *Ne estote solliciti, dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quo amiciemur?* Non vnum prohibetur exiis, sed omnia æque. Decimo. *Ne estote solliciti quo modo, aut quid loquamini.* Actor. 11. *Nihil commune, aut immundum vnquam introiuit in os meum.* Possum infinita cumulare similia. Vnde fit, vt interdum Latinus interpres copulatiuas exprimat disiunctiuis. Matthæi 12. περὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, καὶ τῆς ὥρας, *De die autem illa vel hora nemo scit.* Ioannis 3. *Sed nescio; πόθεν ἔρχεται, καὶ πᾶ ὑπάγει, vnde veniat, aut quo vadat:* in editione Sixtina, Actor. 7. Μὴ σφάγια καὶ θυσίας, *Nunquid victimas aut hostias obtulistis:* sic enim apud Lyranum. Et 25. εἰ μὲν ἀδικῶ, καὶ ἄξιον θανάτου πέπραχά τι, *Si nocui, aut dignum morte aliquid feci* Et alias sæpe: vt merito possim dicere disiunctiuas sumi pro copulatiuis: & fortasse sæpius, quam copulatiuas pro disiunctiuis.

XXV. Res est ergo facilis. Manifestum est duas esse disparatas Sacramenti partes; vnam in pane edendo, alteram in vino bibendo. Itaque potuit Paulus dicere, aut bibere, aut edere; quia nec alterum in altero; nec vtrumque simul fiat. At non propterea non integrare Sacramentum: vnde frequentior copulatiua fuit: cuius vi nos confisi, Papistas impugnamus, pro arbitrio mutilantes, quod non composuerant; & separantes quæ non coniunxerant. Tum autem, quid hoc ad rem? Nobis enim argumentum nullum est à copulatiua: sed à tota narratione; tam perspicue à nostris partibus, vt ne aduersarii quidem negare queant, vtramque speciem esse quibusvis Corinthiis à Paulo traditam, nec semel, sed in ordinarium vsum.

XXVI. Ioannes de Ragusio; dicendum, inquit, quod Paulus loquitur de Communione Sacramentali. Nec explicat plenius. Hoc quid sit, diuinet Oedipus: Ego quidem non capio. Neque video qui possit esse communio corporis aut sanguinis in Cœna per panem & vinum, non Sacramentalis Et ad spiritualem, neque nos, neque Papistæ contendimus, aut vinum, aut etiam panem esse necessarium. Itaque sufficit nobis, si sincere agentes concedant nobis, ad Sacramentalem communionem tam requiti calicem, quam panem.

CAP. IX.

Vtramque speciem fuisse communicatam olim in Ecclesia perpetuo multis seculis.

I. EXsequuti sumus quæ habuimus ex Scripturis testimonia facti, quantum attinet ad vsum vtriusque speciei. Itaque transeundum ad ea quæ habentur ex Patribus.

II. Dico igitur constare in Ecclesia Christiana perseuerasse communionem vtriusque speciei promiscuam plebi, æque ac Sacerdotibus; adusque secula decem, aut duodecim: atque adeo antiquissimum omnium, qui meminerit diminutæ communionis in publico vsu vllius Ecclesiæ, Thomam esse illum Aquinatem, qui vixit inclinante iam seculo decimo tertio. Vnde factum vt cum multus sit in hac controuersia labor aduersariorum, tamen omnes cogantur emendicare hinc inde priuata exempla, aut certe non ordinaria; in quibus, præterquam quod omnibus, nullum insit momentum, tamen aut singula, aut certe plurima controuersa sunt: quod in eorum disquisitione proximo libro imus ostensum. At nobis infinitus numerus est, nec ambiguorum, aut obscurorum; sed disertissimorum, & publicæ atque ordinariæ consuetudinis: vt confidenter dicamus, aut Christianitatem nullam fuisse; aut hanc fuisse communionem, quam prohibuerunt tam seuere illa Concilia bula Papistica.

III. Possem Papistarum testimoniis negotium conficere. Non enim potuere adeo frontem perfricare, vt negarent ordinariam fuisse consuetudinem, quam nos restituram voluimus. Ioannes Arboreus Theosophiæ 8. lib c. 11. *Olim laici communicabant sub vtraque specie, quod tamen antiquatum est.* Alphonsus de Castro in hac ipsa Controuersia, *Vt ea damus non esse contra Euangelicam institutionem Eucharistiam sub vtraque specie alicui porrigere, quod firmissime fatemur. Nam olim per multa secula sic apud omnes Catholicos vsitatum esse ex multorum Sanctorum scripturis didicimus.* Salmeron tractat. 2 tomi 9. *Per manus olim innuit Esaias potum sanguinis Christi, qui in Ecclesia à populo toto sumebatur, quemadmodum nunc à solis Sacerdotibus, atque illa quidem celebrantibus bibitur semper.* Lorichius, *Quod Sanctorum Patrum sententias attinet, in quibus mentionem faciunt communionis sub vtraque specie, respondendum est, eos loqui de more, qui tunc temporis apud eos seruabatur in administratione sacræ communionis.* Soto artic. 12 quæst. 1. in distinct. 12 quarti, *Fuit durauit seculis.* Iterum, *Igitur non modo inter hæreticos, verum & inter Catholicos, ritus ille multo tempore inualuit adeo vt temporibus S. Thomæ nondum fuerit abolitus.* Eckius Enchiridii cap. 10. *Fatemur hunc vsum fuisse in primitiua Ecclesia.* Suares disput. 71. sect. 1. *Solebat Christianus populus frequenter sub vtraque specie communicare.* Carthusianus in 6. Ioannis, *In primitiua tamen Ecclesia, sed nunc ordinatum est aliter.* Possum longe plura huiusmodi testimonia congerere: sed desino in Lyrano & Thoma. Ille in 11. prioris ad Corinthios, *Fit hic mentio de duplici specie,* inquit: *Nam in primitiua Ecclesia sic dabatur fidelibus.* Idem in 6. Ioannis, *Licet in primitiua Ecclesia populus sub vtraque specie communicaret, tamen postea prouide ordinatum est vt non communicet sub vtraque specie vini.* Thomas in hunc ipsum locum, *Secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem omnes sicut communicabant corpori ita communicabant & sanguini.*

IV. Poteram sane istis esse contentus. Quæ potest enim esse probatio potentior, quam ex aduersarii confessione? Sed enim illi, quod dant, inuidendant, nec nisi vt spem retineant reuocandi, aut infirmandi. Itaque iuuat diligentius explicare, vnde coacti sint dare hoc ipsum; quod inuide dederunt: & vt omnes intelligant, quam late pateat illa, quam nominant primitiuam Ecclesiam. Nam Eckius certe homil. 33. *Non negamus* inquit, *in quibusdam particularibus Ecclesiis in principio, atque deinde aliquanto post Sacramentum hoc etiam laicis in vtraque specie esse porrectum.* Videmalignitatem? Audin, quo sensu Ecclesiam primitiuam concesserint? Nempe, vt sperent se persuasuros, vnam, alteram, fortasse tertiam: longe tamen ab omnibus.

V. Quare enumerabo quam potero diligentissime vetera huius rei testimonia, distributa secundum ordinem seculorum, vt series historiæ fiat manifesta. Tum in singulis seculis præmittam publica Liturgiarum, & Canonum: deinde priuata. Nec disparabo curiose suspecta à liquidis: nam etsi interest haud parum; tamen quia perinde sunt omnia apud aduersarios, ne nos quidem conuenit esse illis curiosiores. Qui si indigne ferant, iis se premi; quorum iudicio recusemus ipsi, aut stare, aut cadere, habituri sunt nos, non tantum non obstinatos aduersarios, sed ne quidem iniquos iudices. Nam si vel verbo suspectos sibi testes esse professi fuerint, vt ne vnquam aduersum nos virgeant; non erimus in obiiciendis molesti: & illuc facile nos concludi patiemur, vnde nobis longe breuior, certiorque spes victoriæ. Sed enim quandiu sibi volent illorum fontes patere, non patiemur ipsi nobis eorundem riuulos esse clausos.

VI. In primo seculo; aut paucos habemus certos testes, aut nullos: Sed habemus tamen, quos aduersarii nihilo incertiores adorent ipsi; Apostolis: Liturgias Petri, Iacobi, Marci, Clementis; Andream Apostolum, Dionysium Areopagitam, Ignatium, omnes à nobis. In Petri Liturgia communionem habes descriptam hoc modo; εἶτα λέγει κοινωνικήν. Ὁ ἁμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου, ἐλέησον ἡμᾶς; καὶ μὴ τὸ παῦσαι μεταλαβεῖν, ὁ ἱερεὺς ἡμῶν λέγει, *Deinde legit communionem* (versio est Lindani) *orationem quæ ad sacram Eucharistiæ participationem populum præparat. Agnus Dei qui tollis peccatum mundi miserere nobis. Postquam omnes communionem acceperint, thymiama spargit, dicens, exaltare super cælos Deus; & super omnem terram gloria tua, & post thymiama sparsum, clara voce: Benedictus semper Deus noster, nunc & semper; & in omnia secula. Populus impleatur os nostrum. Diaconus,* Ὀρθοὶ οἱ μεταλάβοντες τῶν θείων, ἀχράντων, ἐπουρανίων, ζωοποιῶν, φρικτῶν μυστηρίων, ἀξίως ἐπὶ πᾶσιν εὐχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ, *Erecti, qui diuinorum, immaculatorum, cœlestium, viuificorum tremendorum mysteriorum fuimus participes, digne in omnibus agamus gratias Domino.* Et tibi iam participes mysteriorum, non vnius: & notum est in vniuersa antiquitate Ecclesiæ, diuina mysteria plurali numero semper appellari, vtramque speciem. Paulo post, Ὁ ἱερεὺς λέγει τῷ λαῷ ὑπόδην, Εὐλογητὸς ὁ θεός, ὃν ἠξιώσατο αὐτοῦ σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αὐτοῦ αἵματος μεταλαβεῖν κατηξιώθημεν. *Sacerdos retro* (an potius postrema) *precatur. Benedictus Deus, per quem immaculatum corpus, & sanguinem ipsius participare dignati sumus:* barbare, pro digni habiti sumus.

VII. In Iacobi, *Vt adueniens* Spiritus *sancta sua, & bona, & gloriosa sua præsentia sanctificet, & faciat, hunc quidem panem, corpus sanctum Christi tui: & poculum istud, sanguinem pretiosum Christi tui:* ἵνα γένωνται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *vt fiant omnibus inde participantibus in remissionem peccatorum.* Et multis interpositis, εἶτα μεταδιδοῦσι τῷ κλήρῳ ὁ πρεσβύτερος οἱ διάκονοι τὰς δίσκους, καὶ τὰς κρατῆρας εἰς τὸ μεταδοῦναι τῷ λαῷ. *Tunc distribuit Clero. Cum autem tollunt Diaconi discos & crateras, & distribuant populo.* Et paucis insertis, λέγουσιν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ ὁ λαός· εὐχαριστοῦμέν σοι, Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν, ὅτι ἠξίωσας

ἐπ ἠξίωσας ἡμᾶς μετασχεῖν τοῦ σώματος, καὶ αἵματός σου, *Gratias agimus tibi, Christe Deus noster: quod dignos effeceris nos, qui participes essemus corporis, & sanguinis tui.*

VIII. In Marci, *Rogamus te, vt tenebrosos peccati insultus ex cogitatione nostra depellas, & diuinis sancti Spiritus tui splendoribus mentem nostram exhilares.* ὅπως τῇ γνώσει σου πληθυνόμενοι ἀξίως μετάσχωμεν τῶν προκειμένων ἡμῖν ἀγαθῶν τοῦ ἀχράντου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ μονογενοῦς σου, *vt cognitione tui repleti, digne participemus iis, quæ nobis proposita sunt, bonis intemerati corporis, & pretiosi sanguinis vnigeniti tui.* καὶ ὅταν μεταδιδοῖ (sic enim legendum puto) τὸν κλῆρον, λέγει σῶμα ἅγιον· καὶ εἰς τὸ ποτήριον λέγει, αἷμα τίμιον τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, *Et cum distribuit clero dicit, Corpus sanctum: & ad calicem dicit, Sanguis pretiosus Domini & Dei, & Seruatoris nostri.* Ὁ ἱερεὺς εὔχεται τὴν εὐχαριστίαν: εὐχαριστοῦμέν σοι δέσποτα κύριε, ὁ θεὸς ἡμῶν ἐπὶ τῇ μεταλήψει τῶν ἁγίων, ἀχράντων, ἀθανάτων καὶ ἐπουρανίων σου μυστηρίων· ὧν ἔδωκας ἡμῖν, *Sacerdos orationem Eucharistia, seu gratiarum actionis subiungit. Gratias agimus tibi, Dominator, Domine, Deus noster, pro perceptione Sanctorum, intemeratorum, immortalium & cœlestium mysteriorum tuorum, quæ dedisti nobis.*

IX. In Clementis Liturgia Constitutionum lib. 8. cap. 13. Ἁγιάσας ἡμῶν τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχὴν καταξίωσον καθαροὺς γενομένους ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, τυχεῖν τῶν προκειμένων ἀγαθῶν, *Et sanctificans corpus & animam nostram, præsta, vt puri ab omni inquinamento carnis & spiritus, proposita bona adipiscamur,* καὶ μετὰ τοῦτο λαμβανέτω ὁ ἐπίσκοπος, *Et postea sumat Episcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi, & Hypodiaconi, & Lectores, & Cantores, & Ascetici & ex fœminis, diaconissæ, ac virgines, & viduæ: postea pueri, & deinde cunctus populus ordine, cum pudore & reuerentia, sine tumultu & strepitu.* καὶ ὁ μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφοράν, *Atque Episcopus quidem tribuat oblationem, dicens, Corpus Christi: & qui accipit dicat Amen.* ὁ δὲ διάκονος κατεχέτω τὸ ποτήριον, καὶ ἐπιδιδοὺς λεγέτω, αἷμα Χριστοῦ ποτήριον ζωῆς· καὶ ὁ πίνων λεγέτω, ἀμήν. *Diaconus vero retineat calicem, & tribuens aliis dicat, Sanguis Christi calix vitæ: & qui bibit dicat, Amen.* Et Diaconus, postquam finem fecerit qui psallit, dicat; μεταλαβόντες τοῦ τιμίου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ Χριστοῦ εὐχαριστήσωμεν τῷ καταξιώσαντι ἡμᾶς μεταλαβεῖν τῶν ἁγίων αὐτοῦ μυστηρίων, *Qui pretiosum corpus, & pretiosum sanguinem Christi participauimus, agamus gratias, ei qui dignatus est nos communione Sanctorum suorum mysteriorum.* Habes etiam libri 2. cap. 57. Γινέσθω ἡ θυσία ἑστῶτος παντὸς τοῦ λαοῦ καὶ προσευχομένου ἡσύχως· καὶ ὅταν ἀνενεχθῇ, μεταλαμβανέτω ἑκάστη τάξις καθ' ἑαυτὴν τοῦ κυριακοῦ σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος ἐν τάξει, *Fiat sacrificium, cuncto populo stante & silentio precante, & oblatione facta, quisque ordo seorsum corpus Domini, & pretiosum sanguinem sumat, accedentes ordine.*

X. Sancti Andreæ Apostoli (sic enim volunt) testimonium ex Epistola ad Ecclesiam Achaiæ varii recitant: inter alios Garretius in Assertione de Missæ sacrificio: Durantus de ritibus Ecclesiæ, libri 2. cap. 41. à quibus descripsi, *Omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, sed agnum immaculatum quotidie in altari crucis sacrifico, cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus.*

XI. Dionysius Areopagita cap. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ; Pontifex, τὰς δωρεὰς τῶν θεουργιῶν ὑποδείξας, εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερῶν αὐτός τε ἔρχεται, καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται, *dona consecrationum ostentans, ad eorum participationem tum ipse accedit, tum alios hortatur,* Ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων τὸν γὰρ ἐγκεκαλυμμένον καὶ ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψας, καὶ εἰς πολλὰ διελών, καὶ τὸ ἑνιαῖον τοῦ ποτηρίου πᾶσι καταμερίσας συμβολικῶς τὴν ἑνότητα πληθύνει, *In conspectum profert ea quæ hymnis fuere celebrata per symbola sancte proposita. Diuiso enim, & in multa partito pane antea operto, & indiuiso: distributo item omnibus vno poculo, symbolice vnitatem implet.*

XII. Ignatius epistola ad Philadelphenses, Μία ἐστὶν ἡ σὰρξ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἓν αὐτοῦ τὸ αἷμα τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυθέν· εἷς καὶ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη, ἓν θυσιαστήριον τῇ πάσῃ ἐκκλησίᾳ, *Vna est caro Domini nostri Iesu Christi, & vnus illius sanguis, qui pro nobis effusus est: & vnus calix, qui pro omnibus nobis distributus est, vnus panis qui omnibus fractus est; vnum altare omni Ecclesiæ.* Sic Vairlemius interpretatus est: nescio quare, primum peruertens ordinem calicis & panis; in quo tamen nullum nobis incommodum: deinde, quare calicem dicens pro omnibus nobis distributum, qui debuit esse, *cunctis distributus.*

XIII. In secundo seculo Iustinus Martyr est magni nominis. Is Apologia 2. repræsentans Imperatoribus Christianos ritus, ac proinde non particulares, aut extraordinarios, sed solennes & perpetuos, non omisit hanc vtriusque speciei communionem. Vt merito possit esse vnus instar omnium: vtpote publicam personam sustinens omnium tunc temporis Christianorum, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι, *Qui apud nos vocantur Diaconi, distribuunt vnicuique præsentium, vt participet eum in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam & ad absentes perferunt.* Eckius homilia 13. *Præclarum est, atque vt ex magno pietatis affectu profectum, ita quoque notatu dignissimum, quod in vita sancti Laurentii legitur, cum dixisset ad Pontificem Sixtum, quum is duceretur ad supplicium: Exclamauit enim, Quo progrederis sine Filio Pater? quo Sacerdos sine Leuita properas? Experire certo vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem?* Garretius paulo aliter & plenius, *Experire certe idoneumne ministrum elegeris? Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem: cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Et ita legas apud Ambrosium cap. 41. primi de officiis. Hinc constat tunc temporis calicem dispensatum, & quidem Romæ, à Diaconis. Sacerdotine? Apage. Imo plebi, vt in liturgia Clementis, & posterioribus. Tiletanus, *Manifestum est ætate Sixti vtriusq; speciei vsum omnibus dispensatum fuisse.* Itidem Soter canone *In Cœna,* de Consecrat. distinct. 2. *Etiam pœnitentes eodem die* (id est, in Cœna Domini) *ad percipienda corporis & sanguinis Sacramenta reconciliantur.*

XIV. In seculo tertio Tertullianus 2. ad vxorem 6. cap. *De cuius manu desiderabit? de cuius poculo participabit?* Vbi illud, de manu, Pamelius notat ad Sacramentum pertinere; exponens ex illis verbis de Corona, *Sacramentum Eucharistiæ non nisi de manu præsidentium sumimus.* Eodem iure & nos vsi, poculum non aliud intelligimus, quam hoc mysticum. Quare constat Tertulliani æuo, mulieribus vtramque speciem fuisse distributam. Et paulo ante, *Quis ad conuiuium illud, quod infamant sine sua suspicione dimittet vxorem suam? De cibo, de poculo inuadere, desiderare, in mente habere?* Libro de resurrectione carnis cap. 8. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Origenes homilia in Numeros 16. *Dicant nobis, quis est iste populus qui in vsu habet sanguinem bibere?* Et paulo post, *Bibere autem dicimur sanguinem Christi, non solum Sacramentorum ritu, sed & cum sermones eius recipimus, in quibus vita consistit.*

XV. Cypriani testimonia sunt frequentiora: De lapsis, *Vbi solennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit, faciem suam paruula instinctu diuinæ maiestatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento calicis infudit.* Epist. 63. *Quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Iesus Christus, Dominus & Deus noster, sacrificii huius auctor & doctor, fecit & docuit.* De Cœna Domini *Quam præclarus est calix iste, quam religiosa est huius potus ebrietas, per quam accedimus Deo, & quæ retro sunt obliti, ad anteriora extendimur; non habentes sensum huius mundi, sed diuitiis purpurati delicias contemnentes, cruci hæremus sanguinem sugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interius exteriusque rubricati, à Sapientibus huius seculi iudicamur amentes.* Et prius, *Doctore Christo primum hæc mundo innotuit disciplina, vt biberent sanguinem Christiani.* Epistola 54. ad Cornelium Romanum Episcopum, de admittendis lapsis ad communionem, *Nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viuentibus communio à nobis danda est, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus, & cum ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus: aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communionis admittimus?* Epistola 56. ad plebem Tibaritanam, *Grauior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta, & virtute robusta parare se debent milites Christi, considerantes iccirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.*

XVI. Peruenimus ad quartum seculum, Scriptorum feracissimum; sed & testium nostrorum; & in his, hi sunt publici. Nicenæ Synodi διατύπωσις hæc legitur apud Gelasium Cyzicenum, *Fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi incruente à Sacerdotibus immolatum;* καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς, *& pretiosum ipsius corpus & sanguinem vere sumentes credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Propter hoc enim,* οὔτε πολὺ λαμβάνομεν ἀλλ' ὀλίγον, *neque multum accipimus, sed parum, vt sciamus, quod non satietati, sed sanctimoniæ sumimus.*

XVII. Sunt & Liturgiæ dictæ Basilii, Chrysostomique. In Basilii, Ὁ ἱερεὺς ἐπεύχεται μυστικῶς· ἡμᾶς δὲ πάντας τοὺς ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου, καὶ τοῦ ποτηρίου μετέχοντας, ἑνώσαις ἀλλήλοις εἰς ἑνὸς πνεύματος ἁγίου κοινωνίαν, καὶ μηδένα ἡμῶν εἰς κρίμα, ἢ εἰς κατάκριμα ποιῆσαι μετασχεῖν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου, *Sacerdos demisse precatur: Nos omnes qui ex vno pane, poculoque participamus, vniri mutuo in vnius spiritus communionem: neque quenquam nostrum fieri participem sacri corporis, & sanguinis Christi tui in iudicium, siue condemnationem.* Iterum, Ὁ ἱερεὺς ἐπεύχεται μυστικῶς. Εὐχαριστοῦμέν σοι κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν ἐπὶ τῇ μεταλήψει τῶν ἁγίων, ἀχράντων, καὶ ἐπουρανίων σου μυστηρίων, ἃ ἔδωκας ἡμῖν ἐπ' εὐεργεσίᾳ καὶ ἁγιασμῷ καὶ ἰάσει τῶν ψυχῶν καὶ τῶν σωμάτων ἡμῶν· αὐτὸς δέσποτα τῶν ἁπάντων δὸς γενέσθαι ἡμῖν τὴν κοινωνίαν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου εἰς πίστιν ἀκαταίσχυντον, *Sacerdos demisse precatur. Gratias agimus tibi, Domine Deus noster pro participatione tuorum sanctorum intemeratorum, & cœlestium Sacramentorum quæ dedisti nobis in beneficium, sanctificationem, & medelam animarum, corporumque nostrorum. Tu Domine cunctorum, dato vt communio sancti corporis & sanguinis Christi tui, fiat in fidem sinceram.*

XVIII. In Chrysostomi, *Sacerdos orat summisse; Attende Domine Iesu Christe:* Et post, Καὶ καταξίωσον τῇ κραταιᾷ σου χειρὶ μεταδοῦναι ἡμῖν τοῦ ἀχράντου σώματός σου, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, καὶ δι' ἡμῶν παντὶ τῷ λαῷ, *Et dignare potenti tua manu distribuere nobis immaculatum corpus tuum, & pretiosum sanguinem; sed & per nos vniuerso populo.* Aliquanto post, Diaconus accepto pane à manibus Sacerdotis orat. ἀξίωσόν με κοινωνὸν γενέσθαι τοῦ παναγίου σώματος καὶ αἵματός σου, *Dignare me Domine facere participem sacrosancti corporis ac sanguinis tui.* Et postea Dicit Sacerdos, Μεταλαμβάνεις ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ διάκονος (ὁ δεῖνα) τὸ τίμιον καὶ ἅγιον σῶμα καὶ αἷμα τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν, *Participas tu serue Dei Diacone N. sanctum corpus & sanguinem Domini, & Seruatoris nostri.* Ac statim, ὁ διάκονος προσκυνήσας ἅπαξ λαμβάνει τὸ ποτήριον μετ' εὐλαβείας, καὶ ἔρχεται εἰς τὴν θύραν, καὶ ὑψῶν τὸ ἅγιον ποτήριον, δείκνυσιν αὐτὸ τῷ λαῷ λέγων, Μετὰ φόβου θεοῦ καὶ ἀγάπης προσέλθετε, *Diaconus semel adorato, sumit poculum cum reuerentia, abitque ad portam, & eleuatum sacrum poculum ostentat populo, dicens, Cum timore, amoreque Dei accedite.*

XIX. Hæc publica: iam priuata: Græca prius, tum Latina. Athanasius Apologia 2. οὗτος ὁ τρόπος τούτου τοῦ ποτηρίου μόνος, ἄλλος οὐδείς· τοῦτο ὑμεῖς νομίμως προπίνετε τοῖς λαοῖς· τοῦτο ὑμεῖς ὑπὸ τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος παρειλήφατε· τοῦτο μόνον ἐστὶ τῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας προεστώτων· μόνων γὰρ ὑμῶν ἐστι προπίνειν τὸ αἷμα τοῦ κυρίου τῶν δὲ ἄλλων οὐδείς, *Hic enim vsus vnus est calicis, & præter eum alius nullus, eoque solo vos legitimo ritu propinatis populo: eumque vos pro canone Ecclesiastico accepistis, idemque duntaxat penes eos habetur qui Ecclesiis præsunt. Solum enim vestrum est propinare sanguinem Christi.* Ephrem de Iudicio extremo & Compunctione, *Licet procul à nobis sit Siloe, quo cœcus missus erat, Calix tamen tremendi tui sanguinis lumine ac vita plenus nobis ecce præsto est. Hoc nobis calice intelligentiam lumenque largire, vt cum fide & desiderio ac sanctificatione ad ipsum accedamus, sitque nobis in remissionem peccatorum, & non ad iudicium. Qui enim anima indigne ad diuina percipienda mysteria accesserit, seipsum condemnat.*

XX. Basilius ad Cæsariam Patriciam, quæ epistola est 289. Καὶ τὸ κοινωνεῖν δὲ καθ' ἑκάστην ἡμέραν καὶ μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, καλὸν καὶ ἐπωφελές, *Singulis certe diebus communicare ac participare sancti corporis, & sanguinis Iesu Christi, bonum & fructuosum est.* In moralibus Regulæ 80 c. 28. Τί ἴδιον Χριστιανοῦ. *Quid proprium Christiani? Mundari ab omni inquinamento carnis & spiritus, & perficere sanctitatem in timore Dei, & caritate Christi,*

Christi, & nullam habere neque maculam, neque rugam, aut aliud quippiam generis eiusdem: sed esse sanctum & immaculatum, καὶ οὕτως ἐσθίειν τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ πίνειν τὸ αἷμα, *Et sic edere corpus Christi & bibere sanguinem. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.*

XXI. Nazianzenus Basilio intimus, oratione 42. ἀνεπαισχύντως καὶ ἀνενδοιάστως φάγε τὸ σῶμα, πίνε τὸ αἷμα, εἰ τῆς ζωῆς ἐπιθυμητικῶς ἔχεις, *Sine pudore ac dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vitæ desiderio teneris.* Idem oratione 11. testatur sororem Gorgoniam recondidisse apud se Sacramento corporis & sanguinis, εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος, ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν, *Si quid vspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus recondiderat.*

XXII. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi mystagogica 4. ad eos qui recens baptizati ad cœnam erant admissi, Καὶ αὕτη τοῦ μακαρίου Παύλου ἡ διδασκαλία ἱκανὴ καθέστηκε πληροφορῆσαι ὑμᾶς περὶ τῶν θείων μυστηρίων, ὧν καταξιωθέντες σύσσωμοι καὶ σύναιμοι τοῦ Χριστοῦ γεγόνατε, *Hæc beati Pauli doctrina,* nempe ex 11. prioris ad Corinthios, *satis potest efficere vos certissimos de diuinis mysteriis, quæ cum vobis donata sunt facti estis participes corporis & sanguinis Christi.* Et paulo post εἰς γάμον σωματικὸν κληθεὶς τοῦτον ἐθαυματούργησε τὸν παράδοξον ποιήσας, καὶ τοῖς υἱοῖς τοῦ νυμφῶνος οὐ πολλῷ μᾶλλον τὴν ἀπόλαυσιν τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος δωρησάμενος ὁμολογηθήσεται; ὥστε μετὰ πάσης πληροφορίας ὡς σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνωμεν Χριστοῦ: ἐν τύπῳ γὰρ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα: καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα. *Vocatus ad nuptias corporeas stupendum hoc miraculum edidit: & filiis thalami non confitebimur multo magis concessisse participationem sui corporis ac sanguinis? Quare prorsus certi, sumamus tanquam corpus & sanguinem Christi. Nam in signo panis datur tibi corpus: in signo vini datur tibi sanguis,* ἵνα γένῃ μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτοῦ, *vt sumpto corpore & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis.* Et Catechesi 5. Ἀκούετε τοῦ ψάλλοντος μετὰ μέλους θείου προτρεπομένου ὑμᾶς εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν ἁγίων μυστηρίων, καὶ λέγοντος γεύσασθε καὶ ἴδετε ὅτι χρηστὸς ὁ Κύριος, *Audistis psallentem, & cum diuino versu adhortantem vos ad communionem sanctorum Sacramentorum, dicentemque, Gustate, & videte, bonum esse Dominum.* μὴ τῷ λάρυγγι τῷ σωματικῷ ἐπιτρέπητε τὸ κριτήριον· οὐχί· ἀλλὰ τῇ ἀνενδοιάστῳ πίστει· γευόμενοι γὰρ οὐκ ἄρτου καὶ οἴνου κελεύονται γεύσασθαι, ἀλλὰ ἀντιτύπου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, *Ne corporeo palato indulgete iudicium hoc. Minime. Sed fidei certæ. Qui enim gustant, non panem & vinum iubentur gustare, sed antitypum corporis & sanguinis Christi.* Et ad extremum, Μετὰ τὸ κοινωνῆσαι σε τοῦ σώματος Χριστοῦ, προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος, μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας, ἀλλὰ κύπτων, καὶ τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος λέγων τὸ Ἀμήν. ἁγιάζου καὶ ἐκ τοῦ αἵματος μεταλαμβάνων Χριστοῦ. ἔτι δὲ τῆς νοτίδος οὔσης τοῖς χείλεσί σου, χερσὶν ἐπαφώμενος, καὶ ὀφθαλμοὺς καὶ μέτωπον, καὶ τὰ λοιπὰ ἁγίαζε αἰσθητήρια, *Postquam communicaueris corpori Christi, accede etiam ad calicem sanguinis: non porrigens manus, sed pronus, & in modum adorationis ac venerationis, dicens Amen; Sanctificare etiam accipiens de sanguine Christi. Et dum existit adhuc humor in labiis tuis, manuum contactu oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa sanctificato.*

XXIII. Chrysostomus homilia 18. in poster. ad Corinthios, Ἔστι δὲ ὅπου οὐδὲ διέστηκεν ὁ ἱερεὺς τοῦ ἀρχομένου οἷον, ὅταν ἀπολαύειν δέῃ τῶν φρικτῶν μυστηρίων. ὁμοίως γὰρ πάντες ἀξιούμεθα τῶν αὐτῶν. οὐ καθάπερ ἐπὶ τῆς παλαιᾶς, τὰ μὲν ὁ ἱερεὺς ἤσθιε, τὰ δὲ ὁ ἀρχόμενος: καὶ θέμις οὐκ ἦν τῷ λαῷ μετέχειν ὧν μετεῖχεν ὁ ἱερεύς. ἀλλ᾽ οὐ νῦν, ἀλλὰ πᾶσιν ἓν σῶμα πρόκειται, καὶ τὸ ποτήριον ἕν, *Interdum neque quicquam quidem inter Sacerdotem interest, & eos quibus præest, velut quum tremenda mysteria percipienda sunt: æque enim omnes ad ea admittimur: non quemadmodum in Veteri Testamento, alia Sacerdos, alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci, quibus Sacerdos vescebatur. Nunc enim secus res se habet. Omnibus siquidem vnum corpus, vnum poculum proponitur.* Homilia 23. in priorem καὶ τοῦτο μὲν οὖν τοῦ λουτροῦ σύμβολον, *Et hoc quidem erat lauacri signum,* nimirum Baptismus in mari & nube, τὰ δὲ μετὰ ταῦτα τῆς ἱερᾶς τραπέζης καθάπερ γὰρ σὺ τὸ σῶμα ἐσθίεις τὸ δεσποτικὸν, οὕτως ἐκεῖνοι τὸ μάννα· καὶ ὥσπερ σὺ τὸ αἷμα πίνεις, οὕτως ἐκεῖνοι ὕδωρ ἐκ πέτρας, *Quæ autem sequuntur sacra mensa. Quomodo enim tu comedis corpus Domini, sic illi manna: & quomodo tu bibis sanguinem, sic illi aquam e petra.* Paulo post, *Qui enim illis illa præbuit, inquit, is hanc quoque mensam construxit.* Et idem illos quoque per mare, & te duxit per Baptismum, κἀκείνοις μάννα καὶ ὕδωρ, καὶ σοὶ σῶμα καὶ αἷμα παρέσχε, *& illis manna & aquam: at tibi corpus præbet & sanguinem.* Et 27. Μετὰ τὴν κοινωνίαν εὐθὺς μέθῃ διαδέχεται, καὶ πενήτων ὑπεροψία· καὶ τοῦ αἵματος μετέχων, ὅτε νηστείας σοι καιρὸς καὶ νήψεως, παροινεῖς καὶ κωμάζεις, *Post communionem statim excipit ebrietas & pauperum despicientia & quum sanguinis fueris particeps, quando est tibi tempus ieiunii, & sobrietatis, lasciuis, debaccharis, & comessans petulanter insultas.* In Matthæum homil. 7 οὐδὲ γὰρ ὕδωρ ἀπὸ ταύτης τῆς πηγῆς ἀλλ᾽ αἷμα ζῶν· καὶ μὴν θανάτου ἐστὶ σύμβολον, ἀλλὰ ζωῆς γέγονεν αἴτιον· σὺ δὲ ἀφεὶς τὴν πηγὴν τοῦ αἵματος τὸ ποτήριον τὸ φρικῶδες, εἰς τὴν πηγὴν ἀπέρχῃ τὴν διαβολικὴν, *Non enim aquam de hoc fonte nobis largitur, sed sanguinem viuum: Et est quidem mortis symbolum, sed fit tamen vitæ causa. At tu relicto hoc fonte sanguinis, poculo tremendo, ad fontem abis diabolicum.* De Sacerdotio lib. 3. c. 4. *Dum conspicis Dominum immolatum,* καὶ κείμενον, *& illic situm, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem;* καὶ πάντας ἐκείνῳ τῷ τιμίῳ φοινισσομένους αἵματι *tum vero turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiamne inter mortales versari, atque in terra consistere censes.*

XXIV. Nunc cernit Latinis; Iulius Episcopus Romanus apud Gratianum de Consecrat. distinct. 2. canone. *Cum omne crimen Audiuimus alios intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere.* Et paulo post, *Illud vero quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis: nec hoc prolatum ex Euangelio testimonium recte erunt, vbi Apostolis corpus suum commendauit & sanguinem. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur.* Hilarius de Trinitate lib. 8. *De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nam & ipsius Domini professione, & fide nostra vere caro est, & vere sanguis est: & hæc accepta & hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.* & apud Gratianum ead. distinct. *Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare.*

XXV. Ambrosius in 1. ad Corinth. 11. *Quia morte Domini liberati sumus huius rei memores in edendo & potando, carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.* Et post, *Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficii diuini sanguis testis est. In cuius typum nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis & animæ nostræ sumimus.* Iterum, *Deuoto animo, & cum timore accedendum ad communionem docet, vt sciat mens reuerentiam se debere ei ad cuius corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est, cuius in mysterio sanguinem potat qui testis est beneficii Dei.* De Sacramentis lib. 4. cap. 3. *Primo, intellige Sacramenta hæc quæ accipis, anteriora esse quam sint Moysi Sacramenta.* Et hæc dicuntur præmissa mentione Melchisedechi, qui obtulit panem & vinum, quæ essent Sacramenta nostra. Itaque Sacramenta accipere, nihil est aliud, quam panem & vinum sumere in Eucharistia. Capite 4 *Sicut mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis.* Capite 6. *Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur.* Libri 5 capite 1. *Et tu bibe, vt te Christus sequatur.* Iterum, *Vide mysterium. Moyses, hoc est Propheta. Virga hoc est verbum Dei. Sacerdos verbo Dei tangit petram, & fluit aqua, & bibit populus Dei. Tangit ergo Sacerdos calicem, & redundat aqua in calice, salit in vitam æternam, & bibit populus Dei qui Dei gratiam consequutus est.* Cap. 3. *Quotiescunque bibis, remissionem accipis peccatorum, & inebriaris in spiritu.* Idem apud Theodoretum historiæ libri 5. cap. 7. increpans Theodosium, *Qui, quæso, manus iniusta cæde & sanguine respersas extendere audes, & eisdem sacrosanctum Domini corpus accipere? Aut quomodo venerandum eius sanguinem ori admouebis, qui furore iræ iubente tantum sanguinis tam inique effudisti?*

XXVI. Hieronymus in 3. Sophoniæ, *Sacerdotes quoque, qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populis eius diuidunt, impie agunt in legem Christi.* In 11. prioris ad Corinthios. *Dominica Cœna omnibus debet esse communis: quia ille omnibus discipulis suis qui aderant, æqualiter tradidit Sacramenta.*

XXVII. In quinto seculo; habemus primum ex actione 10. Concilii Chalcedonensis libellum Samuelis, & aliorum contra Ibam Edessæ Episcopum. In eo hæc sunt; Ὅτι μνείας οὔσης τῶν ἁγίων μαρτύρων οὐκ ἐδόθη οἶνος προσενεχθῆναι τῷ ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ, καὶ ἁγιασθῆναι, καὶ τῷ λαῷ διαδοθῆναι, εἰ μὴ ὀλίγος πάνυ· καὶ τοῦτος φαῦλος, καὶ πηλώδης, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ τρυγηθεὶς· ὡς ἀναγκασθῆναι τοὺς ἀφορισθέντας ὑπηρετῆσαι ἀπὸ καπηλείου φαῦλον πάνυ ἀγοράσαι ἓξ ξέστας τοὺς μηδὲ ὑπαρκέσαντας. ὥστε τοῖς τὸ ἅγιον σῶμα διανέμουσιν ἐνδοῦναι εἰσελθεῖν αὐτοὺς ὡς τοῦ αἵματος μὴ εὑρισκομένου, *Quia dum memoria fieret sanctorum Martyrum, non est datum vinum ad sacrificium altaris, ad sanctificationem, & populi distributionem; nisi admodum exiguum, & vitiosum, ac lutosum, & quasi eo tempore vindemiatum: vt ex hoc cogerentur, qui deputati fuerant ministrare de tabernis omnino vitiosi comparare sex sextarios, qui nec sufficerent: ita vt his qui sanctum corpus distribuebant, innueret vt ingrederentur, quia sanguis non inueniretur.* Locus notatu dignus: vnde habes non tantum distributam laicis vtramque speciem: sed etiam interruptam communionem, cum deficeret vinum.

XXVIII. Theodoretus Atrepti cap. 11. Μία πᾶσι μυστικὴ προτίθεται τράπεζα, καὶ τῶν πιστευόντων ἕκαστος ἴσης ἀπολαύει μερίδος, *Omnibus vna mystica mensa instruitur: de qua singuli credentes æqualem partem sibi sumunt.* In 11. prioris ad Corinthios, *Ostendit communes cœnas cum Cœna Dominica pugnare ex diametro. Illius enim ex æquo omnes sunt participes: hic autem alius esurit, alius vero ebrius est. Et non dixit, bibit, vel satiatur, sed ebrius est: duobus nominibus accusans, & quod solus bibit, & quod ebrius est.* Remigii feruntur celebres versus inscripti calici votiuo;

> *Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,*
> *Ingesto æternus quem fudit vulnere Christus.*
> *Remigius Domino reddit sua vota Sacerdos.*

XXIX. Augustinus apud Gratianum distinct. 2. de Consecratione, *Cum frangitur hostia dum sanguis de calice in ora fidelium funditur:* Canone *Quia passus,* ibidem; *Et vos post illa ieiunia, post labores, post humilitatem & contritionem in nomine Christi iam tanquam* (an potius, tandem) *ad Christi calicem venistis: & ibi vos estis in mensa, & in calice nobiscum vos estis: simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul viuimus.* Canone, *Hoc est: Caro eius est, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus; & sanguis eius quem sub vini specie & sapore potamus.* Canone *Quia morte: in edendo & potando carnem & sanguinem significamus.* Canone, *Vtrum sub figura: Nihil rationabilius, vt quia nos iam similitudinem mortis eius in Baptismo accepimus: similitudinem quoque carnis & sanguinis sumamus.*

XXX. De Verbis Domini serm. 46. *Qui iam manducant carnem Domini, & bibunt sanguinem eius, cogitent quid manducent, & quid bibant, ne sicut Apostolus dixit, iudicium sibi manducent & bibant. Qui autem nondum manducant, & nondum bibunt, ad tales epulas inuitati festinent.* Paulo post, *Qui vxores nondum habetis & tamen ad mensam Dominicam iam acceditis & carnem Christi manducatis, & sanguinem bibitis, si dicturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris.* Iterum, *Cogitantes ergo gradus vestros, seruantes & professionem vestram, accedite ad carnem Domini, accedite ad sanguinem Domini.* De fide & operibus cap. 6. *Quid autem aliud agit totum tempus, quo catechumenorum locum & nomen tenent, nisi vt audiant quæ fides & qualis vita debeat esse Christiani, vt cum seipsos probauerint, tunc de mensa Domini manducent, & de calice bibant?* In Ioannem tractat. 27. *Non scandalizemur, etiamsi multi modo nobiscum manducant & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.* In Leuiticum quæst 57. *Quid sibi vult quod à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur tantopere populus prohibetur si illis sacrificiis vnum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum: à cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum prohibetur, sed ad bibendum omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* De salutaribus documentis cap. 33. quanquam liber sit non dignus Augustino, *Vnusquisque antequam corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi accipiat, seipsum probet, & secundum Apostoli præceptum sic de pane illo edat, & de calice bibat.* De tempore, serm. 240. qui tamen non est Augustini, *Viri & mulieres simul Baptismi Sacramenta percipiunt: simul ad altare accipiendum corpus & sanguinem Christi accedunt.*

XXXI. Emisseno non dubitem falso adscriptas homilias, siue illas quas Bellarminus adscribit Cæsario Arelatensi, Baronius Eucherio Lugdunensi: siue alias in Euangelia longe sequioris æui: Sed tamen in illis, homilia 5. de Pascha, *Tu cum ad reuerendum altare salutari cibo, potuque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice.* In istis, Dominica in

Bicta in Ramis palmatum, *Sicut tunc & viuebat, & loquebatur, & tamen à discipulis comedebatur, & bibebatur: ita & modo integer & incorruptus manet, & à fidelibus suis in panis & vini Sacramento, quotidie bibitur & manducatur.*

XXXII. Leo Romanus eius nominis primus, de Quadragesima sermone 4. *Cumque ad tegendam infidelitatem suam, nostris audent interesse mysteriis* (Manichæos taxat) *ita in Sacramentorum communione se temperant, vt interdum tutius lateant, ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, vt vobis huiusmodi homines, & his manifestentur indiciis. & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à Sanctorum societate sacerdotali autoritate pellantur.* Gelasii Canon est de Consecratione, distinct. 2. in hæc verba, *Comperimus quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant. Qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest peruenire.* Et in libro de duabus naturis contra Eutychen. Est enim hic liber eius, potius quam aut Gelasii Cæsariensis, vt Canus voluit; aut Cyziceni, vt Baronius: quandoquidem scriptus fuit Latine, non Græce. Sed cuiuscunque tamen esse debeat, *Sacramenta*, inquit, *quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, diuina res est.* Eucherius quæstionibus in Matthæum, *Regnum Dei, vt docti intelligunt, Ecclesia est; in qua quotidie bibit sanguinem suum Christus, per Sanctos suos, tanquam caput in membris suis.*

XXXIII. In seculo sexto extremo, Reccaredus rex in Concilio Toletano tertio, *Hoc adhuc necessario pro firmitate Catholicæ fidei nostræ Deo supplex instituere decreuit autoritas, vt propter roborandam gentis nostræ nouellam conuersionem, omnes Hispaniarum & Galliciæ Ecclesiæ hanc regulam seruent, vt omni sacrificij tempore ante communicationem corporis Christi & sanguinis, iuxta Orientalium partium morem, vnanimiter clara voce sacratissimum fidei recenseant symbolum, vt primum populi, quam credulitatem teneant fateantur, & sic corda fide purificata, ad Christi corpus & sanguinem percipiendum exhibeant.* Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum cap. 10. *Iudæi cuiusdam vitrarii filius, cum apud Christianos pueros ad studia literarum exerceretur quadam die dum missarum festa in basilica beatæ Mariæ celebrarentur ad participationem gloriosi corporis & sanguinis Dominici cum aliis infantibus infans Iudæus accessit.* Paulo aliter recitant Euagrius lib. 4. cap 35. & Nicephorus libro 17. cap. 25. Sed Gregorius videtur magis ad Occidentis morem inflexisse. Illi adsignant tempus, cum Mennas præerat Constantinopolitanæ cathedræ circa hoc dimidiatum seculum. Remigius Remensis Commentariis in 1. ad Corinthios, (& citatur à Tonstallo 1. lib. de veritate corporis & sanguinis Domini) *Appellatur & ipse calix communicatio, quasi participatio, quia omnes communicant ex illo, partemque sumunt ex sanguine Domini.*

XXXIV. Sequitur septimum, cui à Gregorio magno initium: huius Canon est de Consecrat. distinct. 2. ex homil. 22. in Euangelia, *Quid sit sanguis agni non iam audiendo, sed bibendo didicistis: qui sanguis super vtrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis sed etiam ore cordis hauritur.* Cap. 58 quarti Dialogorum, *Eius ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed ad fidelium ora perfunditur.* In Psalmum 6 pœnitentialem, *Quis exponere queat quanta fuit miserationis, sacratissima pretiosi sanguinis effusi ne genus humanum redimeret, & sacrosanctum viuifici corporis & sanguinis sui mysterium membris suis tribuere: cuius perceptione corpus suum, quod est Ecclesia pascitur & potatur, abluitur, & sanctificatur?* Dialogi 3. cap 36. *In eadem naui residentes non iam ex morte vicina, sed ex ipsa eius præsentia ac visione turbati, omnes sibimet pacem dederunt, corpus & sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes.* Apud Gratianum causa 1. quæst. 1. canone *Multi secularium; Spernunt sancta monita, & spiritualia dona: vnde fit vt non solum ab eis dicta respuant; sed (quod est deterius) diuina etiam mysteria contemnant, vt nec corporis communionem, nec sanguinis Domini nostri Iesu Christi, eorum ministerio confectam assumant.* Paulo post, *Polluimus itaque panem, id est, corpus Christi, quando indigne accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus.*

XXXV. In octauo: Gregorius Secundus Episcopus Romanus ad Leonem Isaurum de Imaginibus: quam epistolam descripsit Baronius anno septingentesimo vicesimo sexto, Græce & Latine, *Pontifices, vbi peccauit quis, & confessus fuerit:* ὅτε καλῶς παιδεύωσι, καὶ καλῶς λιμαγχονήσωσι [illegible] αὐτῷ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ κυρίου, καὶ τὸ ἅγιον αἷμα ποτίζουσιν αὐτόν, *cum probe castigarint probeque fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini corpus impertiunt, & sancto illum sanguine potant.*

XXXVI. Huius ætatis est fortasse ordo Romanus; quanquam alii paulo existiment antiquiorem. In eius capite, Qualiter celebrandum sit officium Missæ, hæc habes diserta, *Expleta confractione Diaconus minor leuata de subdiacono patena, defert eam ad Pontificem, vt communicent corpore Dominico: sed ipse Pontifex confirmatur ab Archidiacono in calice sancto: de quo parum refundit Archidiaconus in maiorem calicem, siue in scyphum quem tenet acolythus, vt ex eodem sacro vase confirmetur populus.* Paulo post, *Recepto calice Archidiaconus confirmat omnes sanguine Dominico, quos communicauerit Pontifex corpore Dominico.* Paucis interiectis, *Deinde descendit Pontifex cum primicerio notariorum, & primicerio defensorum, vt communicet principes populorum, & matresfamilias eorum. Et sicut Archidiaconus confirmat, quos Pontifex communicat: sic reliqui Diacones confirmant, quos Episcopi siue Presbyteri post Pontificem communicant.* Vides in ipsa Romana Ecclesia integram communionem distinctis actibus, separatis ministris; denique non iisdem phrasibus. Nam communio absolute dicitur de pane: ast de calice, confirmatio, vsu nouo: quasi scilicet communio panis confirmaretur hoc iterato actu traditi calicis.

XXXVII. In nono primus occurrit vir magnus, etsi Papistis inuisus: sed tamen sui temporis testis, Karolus Magnus. In libro de Imaginibus 2. cap. 27. *Mosaico ore in præfiguratione nostri Redemptoris, cuius carnem in remissionem peccatorum sumimus, & sanguinis tinctione percutientis Angeli impetum euadimus, Agnus per familias comedi iubetur.* Libro 3. cap. 6. *Fit enim, remissio peccatorum, per Spiritum Sanctum, per quem remittuntur peccata, siue sanguinem Christi, qui à nobis in Sacramento sumitur, & pro nobis effusus est in remissionem peccatorum.* Gregorius tertius Romanus epistola priore ad Bonifacium, *In Missarum solenniis obseruandum est, quod Dominus noster Iesus Christus sanctis suis tribuit discipulis; Accepit namque calicem, & dedit eis, dicens, Hic est calix Noui Testamenti in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque sumitis. Vnde congruum non est, duos vel tres calices in altario ponere, cum Missarum solennia celebrantur.* Videlicet duo vel tres apponebantur ad commodiorem plebis communionem. Hoc corrigitur; quia ex institutione, non ex diuersis, sed ex vno sit calice distribuenda communio. Paulo post, *Leprosis autem si fideles Christiani fuerint Dominici corporis & sanguinis participatio tribuatur, cum sanis autem conuiuia celebrare negetur.*

XXXVIII. Alcuinus de diuinis Officiis capite de celebratione Missæ, cum interpretatur quartam partem Orationis Dominicæ, *vt det nobis carnem & sanguinem suum ad sumendum:* varia subiicit genera eorum, qui non possunt quotidie sumere: & in his quosdam qui noliunt à sua iniquitate recedere; *Talibus*, inquit, *prædicans beatus Augustinus, dixit, Placet fratres, mihi humilitas vestra, quod timetis accedere ad corpus & sanguinem Domini: sed melius esset, vt ab iniquitatibus vestris recederitis, & mundi effecti per pœnitentiam, corpus & sanguinem Domini sumeretis.* Rabanus Maurus libri 1. de Institutione Clericorum cap. 31. *Sacramentum in alimentum corporis redigitur*, Et post. *Sicut ergo in nos id conuertitur, cum id manducamus & bibimus, sic & nos in corpus Christi conuertimur, dum obedienter & pie viuimus.* Et iterum, *Tunc enim vere & salubriter corpus & sanguinem Christi percipimus si non tantum volumus, vt in Sacramento carnem & sanguinem Christi edamus, sed vsque ad spiritus participationem manducemus & bibamus.* Valafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis, Eucharistiam Sacramenta appellat numero plurali, propter vtramque speciem; sicut Rabanus cap 31. libri 1. diserte duo Sacramenta numerat, corpus & sanguinem Domini. Hoc posito, sic Strabo loquitur cap. 17. *Vnde etiam criminum fœditate capitalium à membris Christi deuiantes, ab ipsis Sacramentis Ecclesiastico suspenduntur iudicio. Qui enim corpus & sanguinem Domini digne manducat & bibit designat se esse in Deo, & Deum in eo.* Iterum, *Sciendum est à sanctis Patribus ob hoc vel maxime constitutum vt mortaliter peccantes, à Sacramentis Dominicis arceantur, ne indigne ea percipientes, vel maiori reatu inuoluantur vt Iudas.* Cap. 19. *Ipsa Sacramenta quidam interdum ieiuni, interdum pransi percepisse leguntur.* Et multis interpositis concludit tenendum esse, *vt honeste, hoc est, humiliter pacem & caritatem in corde tenentes, ieiuni & sobrii, cum munditia corporis & cordis, quantum fieri potest ipsa Sacramenta contingamus.* Cap. 20. *Videtur ratione plenissimum, vt per singulos dies sacris occupemur officiis. Et quantum mentis vel corporis grauiores maculæ non obsistunt, panem & sanguinem Dominicum, quibus sine viuere non possumus, iugiter ambiamus.*

XXXIX. Pascasius Corbeiensis de corpore & sanguine Domini capite 3. *In Baptismo per aquam ex illo omnes regeneramur, deinde virtute ipsius; Christi corpore quotidie pascimur, & potamur sanguine.* Sexto. *Ecce omnes indifferenter quam sæpe Sacramenta altaris percipiunt? Percipiunt plane. Sed alius carnem Christi spiritualiter manducat, & sanguinem bibit: alius vero non: quamuis buccellam de manu Sacerdotis videatur percipere. Et quid accepit, cum vna sit consecratio, si corpus sanguinem Christi non accipit? Vere: quia reus accipit indigne.* Et 10. *De quo nimirum sanguine inebriatur omnis Christi Ecclesia, & tale eo speciem vini iure tenet in sensu, dum spiritualiter sanguis potatur in mysterio.* Post. *Quatenus per hoc figuratum veritas clarescit, & qui esuriunt iustitiam & sitiunt, duobus istis in vita interdum* (lego interim) *satiarentur: siquidem pane qui pro omni cibo quam sæpe in scripturis ponitur, & cum omnibus escis congruere videtur, esuries temperabetur: potu vero sanguinis, sitis quasi cœlesti rore madesceret.* Et 11. *Et quod tunc de carne fluxit, hoc nunc credentes in calice bibunt.* Iterum, *Et ideo in via duobus istis duntaxat pascimur & potamur, vt totus homo noster, qui duabus constat substantiis integre reparetur.* Et 12. *Sacerdos, quia vices Christi visibili specie, inter Deum & populum agere videtur, infert per manus Angeli, vota populi ad Deum & refert. Vota quidem offert, & munera refert autem impetrata, per* (dele præpositionem illam) *corpus & sanguinem, & distribuit singulis.* Capite decimo quinto, *Et ideo hic solus est, Christus, qui frangit hunc panem, & per manum ministrorum distribuit credentibus, dicens, Accipite, & bibite ex hoc omnes, tam ministri, quam & reliqui credentes.* Post. *Quapropter, ô homo, quotiescunque bibis hunc calicem, aut manducas hunc panem, non alium sanguinem te putes bibere, quam qui pro te, & pro omnibus effusus est in remissionem peccatorum.* Et 18. *Cæterum ipse transiturus sum de hoc seculo ad Patrem, id est, de hac mortalitate, ad immortalitatem, fecit adhuc mortalis, quod nos post eum, & in illum facturi eramus similimodo mortales: quatenus tali nos refecti pabulo, & inebriati poculo, faciamus nos pro illo.* Et 21. *Ex quo, nimirum calice, id est, ex eadem morte, sanguis, & per sanguinem vita hauritur æterna: quem quum bibimus quid aliud quam mortem Domini annuntiamus?*

XL. Regino ad annum octingentesimum sexagesimum nonum (quanquam Baronius reuocet in annum præcedentem) describit communionem Lothario Regi oblatam ab Hadriano secundo Pontifice Romano, *Finitis Missarum solennibus, inuitat summus Pontifex eundem Regem ad mensam Christi acceptoque in manibus corpore & sanguine Domini, ita eum alloquitur.* Et post, *Communionem corporis & sanguinis Domini de manu Pontificis sumpsit. Deinde conuersus idem præsul ad sequaces ac fautores Regis, vnicuique communionem obtulit in hæc verba: si Domino ac regi tuo Lothario in obiecto adulterii crimine fautorem non præstitisti, neque consensum præbuisti, & Valdradæ & aliis ab hac sede Apostolica excommunicatis non communicasti, corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi prosit tibi in vitam æternam.* Amalarius præfatiuncula libri 3. de Ecclesiasticis officiis, *Cum satis esset, sine cantoribus, & lectoribus, & cæteris, sola benedictio Episcoporum aut Presbyterorum, ad benedicendum panem & vinum, quo reficeretur populus ad animarum salutem, sicut primæuis temporibus fiebat apud Apostolus.*

XLI. Haimo Halberstatensis in Apocalypsis 2. *Præsens Ecclesia, in qua quotidie comedunt fideles eius corpus: & sanguinem bibunt.* In prioris ad Corinthios 10 *Calix benedictionis dicitur, quia benedicitur à Sacerdotibus in altari. Appellatur & ipse calix communicatio, quasi participatio, quia omnes communicant ex illo, partemque sumunt ex sanguine Domini, quod continet in se.* Concilium Vormatiense sub Ludouico secundo Imperatore, Canone 36. *Si vir viduam in coniugium duxerit, quæ ex priore marito filiam habuit,*

& cum eadem filia postmodum concubuerit, coniugium modis omnibus dissoluatur, & vir ille pœnitentiæ subiaceat sanctionibus: ita vt per triennii tempus a corpore Domini nostri Iesu Christi suspendatur & sanguine.

XLII. In decimo seculo, quod Bellarminus in Scriptoribus Ecclesiasticis, capite de Leone sapiente, vocat *valde obscurum*, nihil mihi quidem occurrit. Nisi illud fortasse placeat Stephani Eduensis de Sacramento altaris cap. 14. *Quotidie nobis hæc dona præstantur, quando corpus & sanguis in altari sumitur.*

XLIII. Seculum vndecimum habuit famosam controuersiam de Transubstantiatione cum Berengario: sed idem nobis testes sufficit. Græcus fuit Theophylactus. Is in 10. prioris ad Corinthios, *Sanguis iste, qui in calice continetur, ille est, qui Christi è latere profluxit: hunc ipsi cum summimus, participamus, hoc est, Christo coniungimur. Nonne igitur vos pudet Corinthii, cum ad idolorum calicem, ab hoc Christi decurritis poculo, qui vos ab idolis liberauit?* In 11. *Erant apud veteres Iudæos, calices, quibus sacrificio absoluto brutorum animantium sanguinem offerebant phiala vel calice exceptum. Pro belluarum itaque sanguine, qui Vetus Testamentum designat, meum nunc pono, Dominus inquit, qui Nouum præfert. Nihil tamen horrescas vel ius cum sanguinem audis: nam si belluarum cruorem Veteri Testamento admiseris, quanto magis diuinum erit per te admittendus?* Et statim, *Quinetiam per calicem,* inquit, *vel mortem commemorabis quam subiit Dominus. Quo ergo pacto solus perpotans debaccharis? præfert meum tremendus hic calix, pari cunctis conditione sit traditus.* Oecumenius in 10. συνάπτει γὰρ ἡμᾶς τῷ Χριστῷ τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὡς μέλη τῇ κεφαλῇ, διὰ τῆς μεταλήψεως, *Connectit nos Christo eius sanguis, vt membra capiti, per participationem.* In 11. εἰ ὁ κύριος ἐπίσης σοὶ καὶ τῷ πένητι τῆς οἰκείας σώματος καὶ αἵματος τὴν τράπεζαν καὶ τὸν κρατῆρα προτίθησι, σὺ τολμᾷς τοῦτον τῆς σῆς ἀπείργειν τραπέζης καὶ ὑπερορᾷς; *Si Dominus æque tibi ac pauperi dedit proprii corporis sanguinisque mensam & calicem proposuit, tu audes hunc à tua mensa segregare, & contemnere?*

XLIV. Fulbertus Carnotensis de tribus capitibus, *Exere palatum fidei, dilata fauces spei, viscera caritatis extende, & sume panem vitæ, interioris hominis alimentum, non arte pistoria fermentatum, sed incarnatæ Deitatis vitale pulmentum. Sume nihilominus vinum, non sordido cultore calcatum, sed de torculari crucis expressum.* Humbertus de sylua candida contra Græcorum calumnias, *Tenues oblatas ex simila præparatas integras & sanas sacris altaribus nos quoque superponimus, & ex iis post consecrationem fractis cum populo communicamus: & tunc demum calice meri & liquidi cruoris potamur: quandoquidem nemini discipulorum nisi Iudæ proditori intinctum panem à Deo porrectum inuenimus.* Lanfrancus de Eucharistiæ Sacramento, *Sacramenta illarum rerum, quarum Sacramenta sunt, semper similitudinem gerunt: sicut in Sacramento de quo hæc quæstio ventilatur. dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur?* Paulo post, *Quorum alterum quidem dum frangitur, & in populi salutem diuiditur, alterum vero effusum de calice, ab ore fidelium sumitur, mors eius in cruce, & sanguinis eius de latere emanatio figuratur.* Nec multo post, *In Sacramento tamen, quod in huius rei memoriam frequentat Ecclesia, caro Domini quotidie immolatur, diuiditur, comeditur: & sanguis eius de calice fidelium ore potatur. Vtraque vera: vtraque de virgine sumpta. Sumitur quidem caro per se, & sanguis per se non sine certi rati ne mysterii: quanuis alio loquutionis modo totus Christus manducari dicatur & credatur.* Iterum, *Quid enim secretius, quam panis vinique speciem conspicere, saporem gustare, tactum sentire: & tamen mirabiliter operante Deo veram carnem, verumque sanguinem credere comedere, bibere?* Multis interiectis, *Ambrosius in sexto de Sacramentis, Quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem.* Et paulo post, *Ideo in similitudine quidem accipis Sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequeris. Similitudinem hoc in loco, nullo dubitante, panis vinique speciem intelligit: sub qua corporis Christi natura contegitur, & sine cruoris horrore à digne sumentibus in salutem accipitur.*

XLV. Guitmundus de Veritate Eucharistiæ, libro primo, ex officio Ambrosiano, *Ipsi qui sumimus communionem huius sancti panis & calicis, vnum Christi corpus efficimur.* Anselmus in decimum prioris ad Corinthios, *Sicut omnes, qui de vno pane, ac de vno calice Domini sumimus, vnum corpus efficimur: ita si cum idololatris de Sacrificio eorum comedimus & bibimus, vnum profecto cum illis corpus efficimur.* In 11. *Duobus modis manducare & bibere debemus hoc Sacramentum, id est, ore cordis, & ore corporis.* Micrologus capite 18. de Ecclesiasticis obseruationibus. *Facta autem confractione debent omnes communicare, interim cum Antiphona cantatur.* Et post, *Orationem quam inclinati dicimus, antequam communicemus, non ex ordine, sed ex religiosorum traditione habemus: scilicet hanc: Domine Iesu Christe, qui ex voluntate Patris. Item & illud: corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi: Quod dicimus cum aliis Eucharistiam distribuimus.* Cap. 19. *Non est autem authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam ordo Romanus contradicit, quia & in Parasceue vinum non consecratum, cum Dominica oratione, & Dominici corporis immissione iubet consecrare, vt populus plene possit communicare. Quod vtique superfluum præciperet, si intinctum Dominicum à priori die corpus seruaretur, & ita intinctum populo ad communicandum sufficere videretur. Iulius quoque Papa, in ordine tricesimus sextus, Episcopis Ægypti scribens, huiusmodi intinctionem penitus prohibet, & seorsum panem, & seorsum calicem iuxta Dominicam institutionem, sumenda docet. Vnde & beatus Gelasius, in ordine quinquagesimus primus, scribens quibusdam Episcopis excommunicari illos præcipit, quicunque sumpto corpore Dominico, à calicis participatione se abstinerent.*

XLVI. In decreto Iuonis, sciunt omnes colligi vetera testimonia; sed in vsum præsentem. In iis ista huc pertinentia. Capite septimo, ex Ambrosio, *Beneficii diuini sanguis testis est, in cuius typum nos calicem mysticum ad tuitionem corporis & animæ percipimus.* Item, *Illis aqua de petra fluxit tibi sanguis ex Christo. Illos ad horam satiauit aqua; te sanguis diluit in æternum.* Capite 28. *Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere.* Et 29. ex Siluerio Papa, *Singulis diebus Dominicis in quadragesima, præter hos, qui excommunicati sunt & præter illos, qui in publica pœnitentia sunt, Sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt.* Cap. 85. describitur, illud Iulii de intincta, & complemento communionis, paneque seorsum à calice. Et 89. Gelasii de non sumendo corpore Domini sine calice.

XLVII. Duodecimum seculum nouæ cuiusdam Theologiæ vidit initia in Petri Lombardi sententiarum libris. Vidit etiam originem iuris Canonici in compilatione Gratiani: à quibus scaturiginibus immensum creuit mare Scholasticorum, & Canonistarum; à quibus vtrisque mire laboratum est in corrumpenda Ecclesiæ doctrina, & politia: quarum illa degenerauit in infinitas quæstiones, nullis præscriptis curiositati limitibus: hæc mutata est in formam iuris dicundi, æmulam legibus Imperatorum, ac Regum. In vtroque autem modo mirum quantum momentum fuerit pessundandæ Christianitati. Veruntamen integræ communionis vsus non fuit profligatus.

XLVIII. Bernardus serm. 3. in Ramis palmarum, *De Sacramento corporis & sanguinis sui nemo est qui nesciat hanc quoque tantam & tam singularem alimoniam ea primum die exhibitam, ea die commendatam, & mandatam deinceps frequentari.* Sermone priore in Cœna Domini, *Confidite, quia & in hoc gratia subuenit, & vt securi sitis, Sacramenti Domini corporis, & sanguinis pretiosi inuestituram habetis.* Est in 2. tomo eiusdem sermo in Cœna Domini incerti autoris. In eo hæc, *Christus pridie quam pateretur discipulis suis huius Sacramenti formam præscripsit, efficaciam exhibuit, id est, fieri præcepit. Forma præscriptio in pane & vino. Notate ordinem. Cum adhuc cœnaretur, à Cœna surrexit, discipulorum pedes Dominus vniuersorum lauit, dehinc ad mensam regressus, ordinat sacrificium corporis & sanguinis sui, seorsum panem, seorsum tradens & vinum.*

XLIX. Zacharias Chrysopolitanus libri 4. cap. 156. *Hoc facite in meã commemorationem. Hoc exponit Apostolus dicens, Quotiescunque manducatis hunc panem & calicem bibitis, mortem Domini annuntiate donec veniat.* Paulo post, *Quod si quem mouet, cum cœnatis Saluator Apostolis suum corpus ac sanguinem tradiderit, quare nos ieiuni eadem Sacramenta percipiamus: audiat quia tunc necesse erat.* Et quæ sequuntur. Et post, *Sanguine Christi corpus & animam linimus, quia sanguis agni super vtrunque postem domus, liberauit Hebræos.* Iterum, *Realis & Sacramentalis comestio iunguntur. cum accipientes in pane, quod pependit in ligno, accipientes in calice, quod manauit de latere pertingunt mente vsque ad eum panis vitæ.*

L. Rupertus de diuinis Officiis libri 6. cap. 23. *Nos autem cum silentio communicamus: sed sanguis ille quem sumimus, ad Deum de ore nostro clamat, sicut scriptum est: Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Nos enim, id est Ecclesia, terra illa sumus, quæ aperit os suum, & sanguinem Abel, id est Christi, bibit fideliter, quem Cain, id est populus Iudaicus, effudit crudeliter.* In 6. Ioannis, *Nunquid ab eisdem patribus ibidem tacitum est, huius rei vnitatis corporis Christi, quod est Ecclesia, Sacramentum esse panem & vinum, quod in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur?* Paulo post, *Domini corpus, quod in altari sumimus, & sanguis eius prædictæ vnitatis recte Sacramentum dicitur, eo quod illo cibo potuque visibili in vnam Christi Ecclesiam, quæ sit eius corporis plenitudo eius inuisibiliter consecremur.* Iterum, *Proinde cunctis figurarum, vel similitudinum nebulis remotis, non corpus quodlibet, non corpus Christi, quod est Ecclesia: sed illud corpus Domini, quod pro nobis traditum est, nos manducare, & illum sanguinem, qui pro nobis fusus est in remissionem peccatorum, nos bibere indubitanter credimus: & quod fecit ipse, hoc idem in commemorationem ipsius, scimus, & bene scimus nos facere, id est, carnem ipsius manducare, & sanguinem bibere.* Iterum, *Videlicet ne quis existimat, se absque corporis & sanguinis eius cibo potuque visibili, vitam vtramque corporis & animæ, sola fide recuperasse, & isto Sacramento non egere: hoc ipsum repetiuit: procul dubio contestans, quod non vere credat, quisquis manducare, & bibere contemnit. Nam quantumuis fidelis, & Catholicæ professionis homo sis, si manducare & bibere recuses de hoc cibo potuque visibili, eo ipso quod tibi hunc necessarium non esse præsumis, à societate membrorum Christi, quod est Ecclesia, te præcidis: neque recte credis in eum, cuius in hoc cibo potuque ab ipso tam diligenter commendato, derogas autoritati. Nonne primi parentes nostri, & prius intrinsecus inuisibiliter corrupti spiritu Diaboli, contra Creatorem suum intumuerunt, & deinde per serpentem suasi visibili quoque cibo perierunt? Ita plane oportet pœnitentem hominem, vt prius inuisibili fide subiici Creatori, corde credendo ad iustitiam, & ore confitendo ad salutem, & deinde visibili quoque cibo, & potu vitæ æternæ necessariam perficere iustificationem.*

LI. Petrus Cluniacensis contra Petrum Bruis articulo quarto, *Quid certius, quid clarius dici potuit, contra eos qui corpus Christi & sanguinem per Sacramentum tunc tantum facta, tunc tantum data astruunt, quam quod ipse Christus discipulis suis præcepit, dicens, Hoc facite in meam commemorationem? Nam postquam dixit, Accipite, & comedite, hoc est corpus meum: & accipite & bibite, hic est sanguis meus, statim quod dixi, adiunxit, hoc facite in meam commemorationem. Quomodo ergo potest dici, semel tantum factum, & semel præsentibus datum Sacramentum, cum nullum Apostolorum excludens, nullum tempus excipiens Christus dixerit, Hoc facite in meam commemorationem? Quomodo igitur audet hæreticus dicere, Nolite hoc facere, cum Christus imperet, dicens, Hoc facite? Hoc plane, non aliud, hoc idem, quod accipitis ad comedendum, quod sumitis ad bibendum, corpus scilicet meum & sanguinem. Quid vltra? quid vltra certe quæretis? Ecce hoc solum & breuissimum verbum, multa & prolixissima verba destruit: vt nisi ex superabundanti non sit vlterius necesse quærere, vnde nequam hostis debeat interire. Non enim solummodo dixit, Accipite & comedite, vel Accipite, & bibite: sed addidit quod accipitis & comeditis: quod accipitis, & bibitis, hoc facite. Si hoc ita est, falsum est, quod à vobis, ô hæretici dictum est, tunc tantum hoc Sacramentum à Christo datum, tunc tantum ab Apostolis susceptum: quia quod fecit, eos facere præcepit: quod eis distribuit, hoc eos aliis distribuere voluit.* Aliquanto post; vrgens verba Pauli ad Corinthios, *Si constat hoc non de quolibet homine, sed de omni homine ab Apostolo dictum: falsum est, quod à vobis dictum est, de his tantum qui Cœnæ Domini interfuerunt hoc dictum. Sed verum est autoritate Apostolica hoc docente, non hos tantum, de quibus conceditis, sed quencunque, hoc est omnem hominem posse manducare panem Domini, & bibere calicem Domini, hoc est, secundum eundem Apostolum, corpus & sanguinem Domini. Igitur falsum est, quod dixistis, illos tantum, qui Cœnæ Paschali interfuerunt, potuisse accipere corpus & sanguinem Domini.* Multo post, *Ita plane ita iuxta Apostolum, quando manducatur panis Domini, id est corpus Domini: quando bibitur calix Domini, id est sanguis Domini, annuntiatur, hoc est, repræsentatur mors Domini.* Et post, ad-

uersarium

factum inducens penè persuasum; vnum denique interrogantem facit, *Verum quidem corpus & sanguinem Redemptoris, sub panis ac vini specie in altaris sacramento dari fidelibus scio: sed cur ad manducandum, vel bibendum detur: si liceat quærere, quæro.* Et huic prolixe respondens, inter alia, *Dat plane*, inquit, *ea nem suam, dat sanguinem suum, non solum ad honorandum, sed etiam ad manducandum, & bibendum Christus hominibus: vt sicut absque carnali cibo & potu, nullum mortalium, mortalem & miseram vitam posse transigere cernitur, sic absque ista spirituali esca & potu, neminem immortalem & beatam assequi posse credatur.* Paucis post, *Vnde has solennes & ad vitam temporalem hominum conseruandam principales substantias ad vitam sempiternam hominibus restaurandam Dei sapientia fortiter suauiterque disponens omnia, assumere voluit: eaque de causa in illarum specie carnem suam ad manducandum, sanguinem suum ad bibendum, hominibus dare decreuit.* Iterum, *Vt ergo non tantum verbis diceret, sed etiam familiarius factis, sentirent homines, se mori perpetuo seiunctos à Christo, se non posse semper viuere nisi coniunctos & vnitos Christo, ad similitudinem esca & vita carnalis accipiunt corpus Christi, bibunt sanguinem Christi: non ab alio data, non ab alio susceptà quam ab ipso Christo, qui eorum post hanc vitam futurus est esca, hoc est vita, & beatitudo æterna.* Ad extremum, *Vt igitur vita æterna spiritualiter & inuisibiliter mundo in præsenti collata, corporaliter, & visibiliter in futuro conferenda significaretur, data est caro sub specie panis ad comedendum, datus est sanguis Christi sub vini formâ hominibus ad bibendum.* Et post, *Claret inquam, cur non tantum ad honorandum, non tantum ad adorandum, sed insuper ad manducandum carnem suam, & bibendum sanguinem suum Christus Christianis, Dominus seruis, Deus hominibus dare voluit.*

LII. Algerus de Sacramento libri 2. cap 8. tractans quæstionem, cur panis in carnem, vinum in sanguinem per sec consecrentur. *Istemos*, inquit, *inoleuit in Ecclesia ab ipso Christo, qui corpus suum & sanguinem diuisim consecrauit, & dedit: non ad diuisionem substantiæ suæ vt illi duos Christos accipérent, cum in vtroque vnum Christum acceperint: sed ad discretionem figuræ: vt panis dum dentibus teritur, carnem Christi in passionem attritam: & dum vinum in ora fidelium funditur, sanguinem de latere Christi fusum significaret.* Et post, *Vt significetur animas nostras & corpora animæ Christi & corpori vniri, & conformari debere, simul corpus & sanguis sumitur à fidelibus. vt sumpto corpore & anima Christi* (paulo antè fi ma erat per panem significari corpus, & sanguinem, animam Christi) *toto Christo totus homo in anima & corpore viuificetur: dum ipsa caro Christi, vt dictum est, non exsanguis & mortua, sed viua & viuificatrix creditur. Vnde*, vt ait Augustinus, *nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne iure communicatur. Item Gelasius Maiorico & Ioanni Episcopis. Comperimus quod quidam sumpta tantum corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant: qui procul dubio, aut integra Sacramenta accipiant, aut ab integro arceantur.*

LIII. Odo Cameracensis in sacri Canonis explicatione, distinct. 3. *In specie enim & sapore panis & vini, & manducamus & bibimus ipsam substantiam corporis & sanguinis.* Item, *Cum hic corpus & sanguinem Christi sumimus, de cœlo Deum accipimus, in quo omni benedictione cœlesti & gratia replemur. Sumimus hic visibiliter corpus & sanguinem Christi, sumimus inuisibiliter de cœlo, quo perlata sunt, benedictionem & gratiam.*

LIV. Mitto alios. Certe Gratianus, & Lombardus in sui temporis vsum collegerunt ille Canones, iste sententias. Ab illo nobis desumpta sunt non pauca ex Veteribus, quæ nunc repetere non placet. Iste libro 4. hæc habet; Distinctione 9. ad finem, *Petit Sacerdos, vt Christus qui nunc vere sub specie panis & vini sumitur, manifesta visione, sicut in essentia diuinitatis est, quandoque accipiatur.* Distinctionis 10. legm. 2. ex Augustino *Caro*, inquit, *eius est quam sub forma panis opertam, in Sacramento accipimus: & sanguis eius, quem sub vini specie de sapore potamus.*

LV. Hactenus sunt decursa Ecclesiæ Christianæ secula duodecim, in quibus communionis integræ memoria per etua, dimidiatæ nulla expressa. Seculo decimo tertio tandem oppositæ consuetudinis occurrunt testimonia: nec altius ipsi repetunt ad ersarii, saltem diserta. Ea sunt Thomæ, cuius verba in 6. Ioannis ista, *Dubit tur quod per hæc verba Domini* (obiectio fuit Hussitarum) *non solum manducat o corporis, sed etiam sumptio sanguinis est de necessitate salutis: præsertim cum perfecta refectio cibi non sit sine potu. Cum ergo consuetudo aliquarum Ecclesiarum sit, quod solus Sacerdos communicet de sanguine, alii vero communicent corpori tantum, videtur huic sententiæ contrariari. Responsio. Dicendum, quod secundum antiquã Ecclesiæ consuetudinem omnes, sicut communicabant corpori, ita communicabant & sanguini: quod etiam adhuc in quibusdam Ecclesiis seruatur: vbi etiam ministri altaris continue & corporè & sanguine communicant, sed propter periculum effusionis, in aliquibus Ecclesiis seruatur, vt solus Sacerdos communicet sanguine, reliqui vero corpore.* Et in summa, partis 3. quæst. 80. artic. 12. *Contra vsum multarum Ecclesiarum vsui, in quibus populo communicanti datur corpus Christi: sumendum, non autem sanguis.* Hinc initium quæstionis. *Vtrum licet corpus Christi sumere sine sanguine*: quæ primo omnium ni fallor Thomæ disputata: sed aut neglecta, aut non audita Bonaventuræ συγχρόνῳ; posteà seculo decimo quarto in Constantiensi Concilio denique sancita, vt vim haberet legis perpetuæ, atque vniuersalis. Itaque deinceps altum integræ communionis silentium, nisi Valdenses, & Albigenses suscitassent; & Hussitæ: & nos denique, propterea omnes omnibus ditis deuoti: quæ Papismiæ fuit & pietas & caritas.

CAP. X.

De longa consuetudine Ecclesiæ.

I. EX his tam frequentibus Christianorum testimoniis, conficitur nobis argumentum. Consuetudo Ecclesiæ longo tempore introducta, & diutissime obseruata, & laudabilis, pro lege est habenda. At communio laicorum sub vtraque specie, est Consuetudo Ecclesiæ talis. Ergo eadem est pro lege habenda. Maior desumpta est ex verbis Conciliorum Constantiensis & Basileensis, quanquam alsumentibus, concludentibusque in oppositam partem. Prioris hæc fuere, *Cum huiu modi Consuetudo ab Ecclesia, & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege.* Posterioris similia, *Laudabilis Consuetudo, ab Ecclesia & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutissime observata & à doctoribus diuinæ legis, Sacrarum Scripturarum, atque Canonum multum peritiam habentibus, tam longæuorem, quæ commendata, pro lege habenda est, nec alicui licitum est eam reprobare.* Itaque speramus futurum, vt non vocetur in dubium ab aduersariis axioma.

II. Quare minor sola declaranda confirmandaque superest, annotatis distincte capitibus; ad quæ reuocaturi sumus, quascunque exceptiones potuimus inuenire in scriptis aduersariis. Primum esse consuetudinem Ecclesiæ, & quidem longam: Deinde approbatam à doctoribus diuinæ legis, & Canonum peritissimis. Nam laudabilem, siue rationabiliter institutam, non est opinor, necesse disputare; Nam qui Ecclesiam negant errare posse, quo prætextu impugnent vllum vsum Ecclesiæ?

III. Aggredior primum. Fuisse igitur consuetudinem Ecclesiæ; patet; Quia *Vocatur consuetudo, quod in communi est vsu.* Distinctione prima, Canone *consuetudo.* Non potest autem negari in tanta testium frequentia, ex omnibus orbis Christiani partibus, fuisse in vsu communi. Tum autem testimonia sunt diserta. Alfonsus de Castro dixit, olim per multa secula sic apud omnes Catholicos vsitatum esse. Lorichius respondebat Patres loquutos de more, qui tum temporis apud eos seruabatur. Soto, hanc consuetudinem in Ecclesia multis seculis duraussse. Denique alii frequentes, vsum, consuetudinem, morem, nominauere.

IV. Nec sane aliter potest. Nam Iustinus manifeste Imperatoribus explicabat Christiana instituta. Quid Clementem dicam, & Dionysium? Quid Liturgias varias? Num videntur aut illi aut istæ, ritus aliquos priuatos describere, nec frequentes? Sane si Canon hodie Romanus potest concipi nihil habens solenne, nihil ordinarium, poterunt fortasse liturgiæ in priuatum ordinem cogi. Denique Ambrosius, Cyrillus; & posteriores Alcuinus, Iuo, alii profitebantur descriptionem, explicationemque rituum Ecclesiasticorum. Quare negari non potest eam fuisse consuetudinem Ecclesiæ.

V. Sed & longam diuturnamque quod erat secundo loco positum. Quid enim dici potest longũ diuturnumque, si non potest id quod per multa secula protenditur, teste Alfonso de Castro? teste Soto? Et vero multa vt dicerentur sufficiebat duo aut tria. Atqui duodecim numerata sunt sigillatim. Estne quod contra possit excipi? Certe si potuit in Concilio Constantiensi & Basileensi longa dici consuetudo, cuius initium non altius quam à præcedenti seculo; cur hanc non multo potiore iure longissimam dixerimus?

VI. Papistæ ita soleunt vt dicant fuisse abrogatam. Lorichius, *Respondendum est*, inquit, *eos loqui de more, qui tunc temporis apud eos seruabatur.* Arboreus *Olim laici communicabant sub vtraque specie, quod tamen antiquatum est.* Carthusianus, *In primitiua Ecclesia hoc fiebat: sed nunc ordinatum est aliter.* Alphonsus de Castro, *Hoc colligitur aliquando factum fuisse quod tamen Ecclesia rè postmodum bene circunspecta deleuit.*

VII. Abrogatam! Ita est, inquam. Nos, nos scimus abrogatam! nos videmus abrogatam. Quid opus erat monere. Heu fatum! En rerum humanarum vices! En superstitionis efficaciam! Sed nos itidem scimus; itidem videmus in toto pene Oriente: in vniuerso meridie abrogatam non tantum hanc calicis communionem, sed ipsam funditus Eucharistiam: abrogatum Baptisma: abrogatum Euangelium. Nonne enim hæc fuit Mahometis impostura? Mahometicæ impostura efficacia? vt Christus videatur in solam Europam relegatus; atque eam non totam? Siccine colligat Papista, quia longa illa & laudabilis consuetudo baptizandi, rem consecrandi Eucharistiam, fuerit abrogata, antiquata, aliter ordinata; apud longe maximam hominum partem: atque adeo iis locis, vbi erat & publica, & solennis, & longa: propterea nemini vsurpandam; Christianos forte, separabunt à Mahometanis: vt ne apud illos horum valeat aduersus Ecclesiæ consuetudinem autoritas. Recte. Sed & recte Christianos separauit à Papistis res ipsa. Itaque negamus Papisticam abrogationem, antiquationem, ordinationem, apud Christianos vllius esse momenti, nisi vt in detestationem veniat.

VIII. Enimvero videant, quid dicant. Axioma est ab ipsis positum, à nobis nunc mutuò sumptum: Ecclesiæ consuetudo, longa, laudabilis, rationabilis, confirmata, est habenda pro lege. Opponunt abrogationem. Et quid aliud est quæso, abrogatio, quam constitutio, vt ne habeatur pro lege vt antea? Quare qui dicit longam consuetudinem habendam pro lege; idem negat esse abrogandam. Et contra, qui abrogatam dicit, tuetur non esse habendam pro lege. Eligant vtrum velint. Si longa & rationabilis Ecclesiæ consuetudo habenda est pro lege: Ergo non fuit abroganda: & ridiculi sunt noui sophistæ; qui cum hanc non negent & longam & laudabilem esse, tamen abrogatam dicunt. Sin autem aliquid dicunt hi noui Sophistæ, mentiuntur patres illi Constantienses, & Basileenses, qui dicunt longam, & laudabilem consuetudinem habendam pro lege: & si mentiuntur, tum diminuta hæc communio, nihil habet quo vel introduci debuerit olim, vel nunc retineri.

IX. Alii negant consuetudinem fuisse vniuersalem. Salmero tract 34: *Respondemus, primitiuam illam Ecclesiam non ita Eucharistiam sub vtraque specie dispensasse, quin aliquando certis de causis & opportunitatibus sub altera tantum traderet.* Sanctesius cap. 2. *Credimus fuisse in vsu etiam publicam sub vtraque specie in celebri totius Ecclesiæ cœtu ac theatro communionem: nihilominus iustis ex causis semper licuisse per eadem principia, & fundamenta separatim & sub vna specie etiam in publica Ecclesiæ separatione Eucharistiam capere*, Eckius in Enchiridio, *Fatemur hunc vsum fuisse in primitiua Ecclesia: nec tamen vniuersalis fuit vsus.* Homilia 33. *Non negamus imo libere profitemur in quibusdam particularibus Ecclesiis in primis atque deinde aliquanto post, Sacramentum hoc etiam laicis in vtraque specie esse porrectum.*

X. Vniuersale, quid appellant, quæso? Dialecticene, id quod nullam admittat exceptionem: an morahter, id quod longe lateque diffunditur in plurimos? Nam si prius; Ergo sensus erit; Longam, laudabilemque consuetudinem Ecclesiæ vniuersalem, cui nulla opponi possit exceptio, esse habendam pro lege. Et tunc aut inepti fuere ratiocinatores Patres illi Constantienses, Basileenses que; si suam diminutam communionem sciuerint non esse vniuersalem: vel certe impostores, qui scientes, dissimula-

uerint. Quorum si vtrumque sit absurdum Papistis; hoc restat vnum; vt iis Patribus persuasum fuerit; etiam non vniuersalem consuetudinem habendam pro lege, dummodo sit longa, & rationabilis. Nam profecto communionem hanc diminutam constat luce clarius non fuisse vniuersalem: quomodo enim? cum constet & in primitiua saltem Ecclesia, alteram fuisse permissam? Et in recentissima illa, quam sibi ante oculos ponebant boni Paterculi, fuisse alibi vsurpatam, alibi neglectam, teste Thoma?

XI. Sin alteram vniuersalis descriptionem malunt; nos vero dicimus, aut nihil vnquam fuisse vniuersale, aut communionem sub vtraque fuisse vniuersalem. Certe Salmero tractat 35. *Ingenue & aperte confitemur, morem generalem extitisse communicandi etiam laicos sub vtraque specie, sicut hodie fit apud Græcos: & olim erat in more positum apud Corinthios, & in Africa.* Neque difficile est probare. Nam liturgiæ non fiunt, nisi vt fiant publicæ, atque ordinariæ formulæ: at quæ ab aduersariis cumulantur experimenta contraria, paucissima sunt, ac singularia: & denique ipsorum siue professio, siue confessio, concurrit. Nam cum nullus ausus sit dicere dimidiatam istam communionem fuisse alicubi frequentiorem, vsitatioremve: tum Salmero tantum dicit, licuisse, & aliquando, & certis de causis; & opportunitatibus. Quæ cautiones significant aliquid extra ordinem: ac proinde non vniuersale. Quod Bulengerus testatur: communionem enim vtriusque speciei diserte scripsit fuisse ordinariam, & tamen communicatum fuisse vni tantum, certis casibus. At nostra hæc communio liberior fuit; neque temporibus coercita, neque causis, aliis quam quibus ipsa tota communio: imo ipsa tota Eucharistiæ celebratio. Vt omnino oporteat vel ipsam Eucharistiæ celebrationem negare; vel hanc communionem confiteri vniuersalem.

XII. Quanquam de vsurpatione huius dimidiatæ, mitto plura dicere; nam exempla commode expendentur libro proximo, cum obicientur ex professo. Vnum dico, etsi nonnunquam legatur species tantum panis manducata; tamen nunquam legi solam traditam à Sacerdote. Etenim, sumebatur intra priuatos parietes illa: quanuis vtraque sumeretur è manibus siue Sacerdotis, siue Diaconi. Sed hoc, vt dixi, alias.

XIII. Quid plura? Dico rerum in Ecclesia obseruandarum vniuersalitati non obstare exempla perperam admissa, & contra regulam. Sic vniuersalis vsus est Ecclesiæ, species tradi seorsim: etsi nonnulli vsurparint intinctam. Vniuersalis vsus est, Sacerdotes communionem sumere, quoties consecrant: etsi aliquando sit aliter factum. Vniuersalis vsus est in calice consecrari vinum; etsi nonnulli, nec ii quidem improbi, interdum aquam solam voluerint. Multa referri possunt similia: quibus & hoc addendum: etsi pauci ab initio; plures postea ausi fint separare species, tamen vsum speciei vtriusque esse vniuersalem in Ecclesia: quæ iudicanda sit ex suis regulis; non ex arbitrariis quorumcunque intemperiis: de quibus vellem Papistis venisset in mentem illud quod aduersus Christum non sine horrore auditum est; legibus iudicandum non exemplis. Sed oportuit videlicet, hypocritas camelum deuorare, & calicem cribrare.

XIV. Tertia responsio est Valentiani. Non ideo esse iuris diuini aliquid, quod olim Ecclesia vsurpauerit. Exempli gratia, cum olim Eucharistiam infantibus exhibuit Ecclesia.

XV. Atqui hoc nullum erat in hoc argumento nostro: sed tantum longa, & laudabilis Ecclesiæ consuetudo. Nam de iure diuino aliud argumentum fuit; & satis, vt quidem speramus confirmatum. Adesto ergo Valentianus, & ingenue respondeto interrogatus: vtrum nihil censeat esse pro lege habendum, nisi quod sit de iure diuino: an secus. Nam si posterius, non soluit argumentum, cuius magnum fundamentum fuit ab auctoritate Constantiensium, & Basiliensium; qui de iure diuino neque γὲ, neque μὲ. Sin autem prius, habet ipsos istos Paterculos aduersarios: qui communionem dimidiatam iusserunt haberi pro lege: cui tamen ius diuinum nemo adscripsit vnquam: ne impudentissimus quidem Papista.

XVI. De Eucharistia infantibus tradita, facilis responsio: fuisse aliquam consuetudinem, & quidem comprobatam ab aliquot doctoribus: sed neque vniuersalem, neque rationabilem: de cuiusmodi consuetudinibus ne verbum quidem in argumento. Itaque qui hanc obiicit, perinde facit, ac si Ptolomæo demonstranti solis cursum esse constantem, atque ὁμαλὸν, obiiceret agnos in pratis petulce saltitantes. Vel propinquius Mercurii anomalias.

XVII. Quarto Beccanus queritur vagari nos extra quæstionis statum: Quæstionem enim consistere non in eo, an vtraque species fuerit olim in vsu, sed potius, an fuerit in præcepto: Patres significare fuisse in vsu, non dicere fuisse in præcepto. Placuit Richeomo, iubenti potius probari Patres docuisse, non licere communicare nisi sub vtraque specie. Nec alia mente Gregorius de Valentia dixit, nullam ex omnibus à nobis prolatis Patrum sententiis esse, quæ vel vsum vtriusque speciei omnibus & singulis iure diuino necessarium esse affirmet, vel vsum alterius hoc ipso & per se proprie damnet, quod fuerit vnius tantum speciei vsus, & non etiam vtriusque.

XVIII. Gemina distinctio est Prior, Consuetudinem longam, & laudabilem, alias esse præceptum, & tunc concedi maiorem, negari minorem. Vel non esse, & concedi minorem, negari maiorem. Sed contra. Primo, contra naturam esse consuetudinis, vt sit præceptum: cum sit aliud nihil, quam multitudo exemplorum: vnde in vsu dicitur consistere. Distinct. 1. *Consuetudo autem est ius quoddam moribus institutum: quod pro lege sumitur cum deficit lex.* Et post, *Vocatur consuetudo, quod in communi est vsu.* Et in Canonem, *Mos est.* Ioannes de Turrecremata, *Consuetudo importat frequentiam quandam circa ea, quæ facere, vel non facere in nobis est.* Nonne est absurda distinctio, quæcunque est contra rei naturam? Itaque consuetudo non dicitur lex, sed sumi pro lege, cum deficit lex. Esset autem lex, si esset præceptum. Nam etsi non omne præceptum: tamen omne præceptum publicum est lex. Consuetudo autem nunc non quælibet supponitur, sed publica.

XIX. Secundo, est contra mentem Constantiensium & Basiliensium: qui hoc posito, quod longa & laudabilis consuetudo habenda sit pro lege, concludunt communionem truncatam esse habendam pro lege. Atqui hæc ante id tempus, nullum vnquam fuerat præceptum; sed duntaxat in vsu posita: & quidem non vniuersali. Itaque aut absurdissime ratiocinatum fuit; aut existimatum consuetudinem longam, & laudabilem; etiam quæ non sit præceptum, habendam pro lege.

XX. Tertio, etsi consuetudo per se, & ex definitione sua non sit lex; tamen aliqua consuetudo esse potest à lege aliqua. Lucæ secundo, *Quum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis.* Iterum, *Ascendentibus illis in Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi* Actor. 21. *Audierunt de te, quia discessionem doces à Moyse, eorum qui per gentes sunt Iudæorum: dicens non debere eos circuncidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi.* Hoc sensu dico Communionem vtriusque speciei fuisse à Patribus commendatam, vt quæ esset à lege: nimirum ab institutione Sacramenti. Nam aut omnes, aut ferme omnes eo redeunt: atque institutionis verba fundum habent huius consuetudinis. Quare hæc solutio labascit vndique.

XXI. Altera etiam impudentior est. Consuetudo alias dicit aliquid esse necessarium, & oppositum damnat per se & proprie: & tunc conceditur maior, negatur minor. Vel non, & conceditur minor, negatur maior. Contra. Primum hæc distinctio est iterum contra naturam consuetudinis. Nam si consuetudo est rerum quas facere vel non facere in nobis sit: ergo non est necessariarum; & quarum oppositæ per se & proprie damnentur. Et quis consuetudini id asserat; quod ne quidem legi conueniat? Nam exempli gratia, Lex fuit apud Iudæos quæ circuncisionem imperabat: & tamen non damnabat præputium per se & proprie: sed tantum κατὰ τι, id est, in Iudæis solis. Itaque sufficit vt consuetudo, vt lex, & sanciat aliquid, vt necessarium κατὰ τι: & improbet oppositum itidem κατὰ τι. Quomodo nos Eucharistiæ institutionem; indeque consuetudinem interpretamur.

XXII. Fuit hic sensus Veterum; apud quos improbata est intincta, pro complemento communionis: quia seorsim panis, seorsim traditum sit vinum. Et prohibitum post panis sumptionem abstinere à calice: quoniam vnius eiusdemque mysterii diuisio sit sacrilega. Et dictum, non denegandum lapsis calicem, quod animandi sint ad martyrium. Et multa similiter: quæ docent & communionem vtriusque speciei, esse aliquo modo damnandam.

XXIII. Secundò, dico distinctionem esse contra mentem Constantiensium, & Basiliensium. Nam hi talem consuetudinem intellexerunt, qualis erat illa quam volebant haberi; nempe communio mutila. At hæc consuetudo, neque tanquam necessariam vsurpabat eam mutilationem: eum, teste Thoma, non esset vniuersalis: neque integram communionem damnabat proprie & per se: nam & institutam à Domino concedebant Paterculi: & ne hodie quidem cum non simplex consuetudo, sed lex est, & quidem dura, quisquam ei tam fauet, vt ausit oppositam absolute damnare. Quare aut bardi, blenni, stupidi, ἄλογοι fuere Constantienses, Basilienseque in ratiocinando: aut à nostris Papistis concedendum, hoc axioma, longam laudabilemque Ecclesiæ consuetudinem pro lege habendam esse, etsi neque necessarium præcipiat, neque oppositum prohibeat proprie & per se.

XXIV. Quintam solutionem Latomus excogitauit, *Cum rudis adhuc esset prima Ecclesia, tum acceptum à Christo religiose tenuit, donec docta à Patribus intellexit vtramque speciem conuenire Sacerdotibus, laicos solo pane contentos esse posse.* Distinguit nouæ consuetudinem longam & laudabilem, vt alia sit rudis Ecclesiæ; & sic negat maiorem, minorem concedit: alia melius institutæ: & tum minorem negat, concedit maiorem.

XXV. Taceam? An refutem? Nam profecto tanta hæc absurditas est, vt non videatur posse quenquam latere, aut imponere cui quam, quantumuis non admonito. Quid enim? Nempe adeo sublimiter sapuit Latomus, vt vniuersam Ecclesiam illam rudem dixerit, quæ retinuit communionem vtriusque speciei: id est annorum plus quam mille: & institutam melius, eam quæ à suis doctoribus audiuit posse laicos vna contentos esse: quod factum legimus apud Thomam omnium primum eam quæstionem disputantem. Hunc scilicet liberanda veritas duodecim seculis exspectabat.

XXVI. Nempe ergo id vnde melius instituta dici potuit Ecclesia, oportet esse verius, eo, vnde rudis. Hoc enim sensus habet communis. Itaque verius esse, concedendam esse communionem mutilam, quam integram. Rursus, quia rudis prius, deinde melius fuisse dicitur instituta Ecclesia: & rudis communicasse vtrique speciei. Ergo prius oportet traditam fuisse in Ecclesia communionem integram, quam mutilam. Quid inde fit consequens? Nempe retractanda hæc esse axiomata: quæ alioquin & cum lubet tam magnifice iactantur ex Tertulliani Præscriptionibus, cap. 31. *Principalitatem veritati, & posteritatem mendacitati deputandam. Id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.* Pamelius annotatione in eum locum, *Tertulliani sententiam diligenter obserua, primæ duntaxat institutioni tribuentis veritatem, mendacem vero dicentis eam quæcunque sequitur. Hoc est Euangelica doctrinæ proprium, soliusque Dei mandatis ac legibus ad animarum salutem conuenit: vt, cum dantur, vera sint: veriora, sanctiora, meliora postea dari possint quibus addere, vel adimere quippiam, corrigere, supplere nefas & impium semper est iudicatum.* Iustus Caluinus, qui factus Apostata maluit interdum Iustus Baronius appellari in eundem locum, *Quam auream sententiam, quia monet Tertullianus etiam aduersus posteriores quasque hæreses mansuram, non mirabuntur Nouatores, toties eam Catholicis contra rudes ipsorum nænias in ore esse.* Constate vobis Papistæ: atque aut ne tanto boatu principalitatem commendate, vt gratum faciatis Nouatoribus Constantiensibus, ac Basiliensibus: aut ne veriorem, sanctiorem, meliorem dicite imminutam communionem plena communione: ne dicite rudem Ecclesiam integre communicasse: melius doctam mutilare.

XXVII. Sed enim rudem Ecclesiam, quorum vitio? Imo vero prius, quamnam auditis? Quæ vtraque specie communicauit: id est, Apostolicam: deinde reliquam omnem aduque seculum 12 Deum immortalem, illam Apostolicam rudem! Mendacem te igitur, Paule, qui tuis Corinthiis loquebare, ὡς φρονίμοις, *vt prudentibus*, siue ex Beza, *vt peritis*: & eos iubebas iudicare quæ dicerem, decimo prioris. Mendacem te, Ioannes, qui 2. primæ tuæ

dicebas,

dicebas, Vnctio, quam vos accepistis ab eo, manet in vobis: nec necesse habetis, vt quisquam doceat vos: verum sicut eadem vnctio docet vos de omnibus, quæ & verax est, & non mendax, & sicut docuit vos, manebitis in eo.

XXVIII. Iam quorum vitio factum vt rudis esset, siue illa Apostolorum; siue ista post Apostolos duodecim seculorum? Nam vel ipsorum doctorum necesse est, vel laicorum: nempe vt vel illi non bene docuerint; vel isti non bene didicerint. An igitur laicorum? Optime, si nos laicorum voces, dicta, facta in argumentum deligimus. Atqui contra est: nam Paulus non fuit laicus: liturgiæ non fuere laicorum; siue Petri, siue Iacobi, siue Clementis, siue Basilii, siue Chrysostomi. Ne reliqua quidem testimonia laicorum fuere: Irenæi, Ignatii, Cypriani, Ambrosii, Augustini, reliquorum, denique ipsorum Episcoporum Romanorum.

XXIX. Superest ergo, vt vitium fuerit Apostolorum, Episcoporum, Sacerdotum; vno verbo doctorum omnium. Nam profecto nullus omnino potest indicari qui laudarit, commendarit, imperarit mutilationem communionis. Quid ergo? dicasne istos omnes, vel imperitos qui non potuerint: vel malignos, qui noluerint, melius Ecclesiam instituere? Tacebo: nec mirabor, ἑνὸς δοθέντος ἀτόπου πολλὰ συμβαίνει: non negabo ex vno posito errore, consequi blasphemias.

XXX. Sexta solutio Eckii homilia 33. *Quod iam commemorauimus de vsu vtriusque speciei, crediderim equidem vsurpatum tantum fuisse in tribus sublimioribus festis quibus communiter omnes Christiani communicabant, Pascha, Pentecostes, & Natalis Domini. Non video autem quomodo idipsum quoque sit obseruatum vel priuata communione, vel apud infirmos.*

XXXI. Magnum acumen! Crediderim inquit: quasi quid velit nolitve credere, nostra intersit: & non ipsius quid possit probare. Certe nec cæcus dicet se credere solem meridie lucere. Et qui non commiseretur sibi hoc, illud ve fieri verisimile? At nos contra scire dicimus, factum, quoties Missa fuit celebrata. Nonne enim disertissimæ sunt liturgiæ? At hæ non trium duntaxat dierum fuere: sed quotidianæ; & in vsu perpetuo. Sed & Iustinus testatur factum diebus Dominicis, Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, *Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conuentus fit: & Commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert,* μέχρις ἐγχωρεῖ, *leguntur: deinde lectore quiescente, præsidens orationem qua populum instituit, & ad imitationem tam pulcrarum rerum adhortatur, habet. Sub hæc consurgimus communiter omnes & precationes profundimus:* καὶ ὡς προέφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφέρεται, καὶ οἶνος, καὶ ὕδωρ: *Et sicut retulimus precibus peractis panis offertur, & vinum & aqua: & Præpositus itidem, quantum pro viribus potest, preces & gratiarum actiones fundit, & populus acclamat dicens, Amen:* καὶ ἡ διάδοσις, καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται: *Et distributio communicatioque fit eorum in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per Diaconos mittitur.* Quid illud Basilii, καθ' ἑκάστην ἡμέραν κοινωνεῖν, *Quotidie communicare corpori & sanguini bonum & fructuosum est.* Quid illud Ambrosii, *Quoties cunque effunditur, debeo semper accipere?*

XXXII. Neque vero Sophistæ excipere ausus nisi priuatam communionem; & delatam ad ægrotos. Quarum illam pridem abrogatam legitimas ob causas norunt omnes: hanc vero & nos legitimam negamus: nec constat nisi panis fuisse; quod paulo post inquirendum erit.

XXXIII. Denique quid hoc ad rem? Nam communionem vtriusque speciei funditus Romana tyrannis sustulit; vt nunquam liceat laico dari: non tantum priuatim, aut ægrotanti; sed ne publice quidem in Missa: nec denique in iis ipsis festis. Qua etiam peruersitatem obserua. Paulus tertius anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono ingentis beneficii loco pollicitus est Cæsari permissum iri vtramque speciem: ita tamen, vt ad tempus concessum intelligeretur: & vt illis ipsis, qui ita sumerent, seorsim ab aliis, neque tunc, cum aliis sub vna specie tantum ministraretur, sumerent. Vide Augustum Thuanum historiarum lib 6. En tibi negat Eckius fieri potuisse in priuata communione. Et hæc ergo publica quam Paulus iste concedebat?

XXXIV. Septima solutio eiusdem homilia 34. *Quod in Ecclesia martyrum hoc Sacramentum, etiam à laicis est sub specie vini in calice sumptum, id sane factum est propter quotidianam persequutionem, & continuam Christiani sanguinis effusionem: quare mirum non est si qui semper parati esse debebant ad fundendum pro fidei professione sanguinem, etiam Christi sanguinem sub vera specie suscepérint: per hoc enim prouocabantur illi, & confortabantur; vt constantius sustinerent supplicia, & ipsam quoque mortem non formidarent pro fide subire.*

XXXV. Ergo ne mirentur Papistæ nos eum morem restituisse; qui nec paucioribus, nec leuioribus persequutionibus obnoxii fuerimus: Quis enim nescit furorem Papistarum impune grassantium in nos qua singulos, qua confertos? Habentes ergo animandos necessario Christianos, vt hæc ipsa omnia sustinerent pericula; quæ illa olim martyrum Ecclesia sustinuit, cur non essemus vsi eo remedio, quod potentissimum veteres erant experti.

XXXVI. Sed rem videamus. Factum est, inquit, propter quotidianam persequutionem. Quomodo inquam? Proprie ne propter hoc ipsum: an propter hoc inter alia? Prius, res ipsa redarguit. Nam quæ fuit persequutio post Constantinum magnum? Quænam tempore Ambrosii, Hieronymi, Chrysostomi, Augustini? Aut etiam posteriorum, Leonis, Gelasii, Gregorii, Caroli Magni, Alcuini, Pascasii, sequentium? Slotanus, *Haud diffitemur huiusmodi consuetudinem illo tempore, & subsequentibus ad tempus in Ecclesiis plurimis fuisse, & perdurasse, non solum tempore persecutionum & martyrum: sed etiam tempore pacis Ecclesiæ.* Tum vero alias causas assignarunt Veteres: cum solus, ni fallor illam Cyprianus tetigerit. Remissionem peccatorum: nam dictum, qui semper peccet, semper medicinam hanc accipere debere. Salutem animæ; quam non nemo in eo dixit significari, quod sanguis sedes animæ, animæ nostræ salutem designet: ac proinde vtrique speciei communicandum, vt prosit tum animæ, tum corpori. Ipsam naturam Sacramenti quod vnum cum sit, nequeat sine sacrilegio diuidi. Quod si alterum malit, quod genus hoc solutionis? Quasi id oporteat cessare, quod institutum sit, pluribus ob causas si vna earum cesset? Cur ergo resumpta hæc diminuta,

quam Basilius testatur originem habuisse à persequutione? Nam Papistæ vt hanc probent in vsu fuisse, Basilii citant Epistolam ad Cæsariam Patriciam: vbi τὸ δὲ ἐν τοῖς τοῦ διωγμοῦ καιροῖς ἀναγκάζεσθαί τινα μὴ παρόντος ἱερέως ἢ λειτουργοῦ τὴν κοινωνίαν λαμβάνειν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ μηδαμῶς εἶναι βαρὺ περιττόν ἐστιν ἀποδεικνύναι. *Quoniam vero per tempora illa persecutionum, cogebantur homines necessario Sacerdote vel ministro non præsente propriis manibus accipere communionem, non est nisi superuacuum vt demonstrem.* Cur ergo nunc cum nulla persecutio est non omittunt boni viri? An quia non hanc vnam causam haberi putant? Hoc sibi responsum putent. Nam quæ aliæ causæ numeratæ sunt, sufficiunt, vt retineatur vtriusque speciei communio.

XXXVII. Octaua solutio Petri Michaelis aduersus Cypriani Epistolam ad Cornelium. Si existimasset Cyprianus à Christo sancitum præceptum ea de re esse, minime eius permissionem à Cornelio Papa postulasset. Nam postquam Episcopi decreuissent pœnitentibus in extremis vitæ periculis laicam communionem, id est sub vna specie porrigendam esse, statuit Cyprianus huiusmodi indulgentiæ dilatationem seu extensionem, à Cornelio postulare, vt scilicet liceret iisdem persecutionis tempore, quo magis ad mortem armarentur, sub vtraque etiam specie porrigere.

XXXVIII. Deum immortalem quid hoc est audaciæ, quid impudentiæ! Pro fidem! Adeon confidenter mentiri quenquam hominum! Postulare vero Cyprianum permissionem vllam à Cornelio? Et permissionem ampliandæ communionis, vt quæ esset vnius speciei, fieret vtriusque? Nihil in Iesuiticum ingenium declamari potest pro meritis. Pamelium audiamus eius Epistolæ contrahentem argumentum, *Quum prius statuissent Africani Episcopi in Concilio quodam, vt lapsi non nisi diu pœnitentia acta admitterentur ad pacem, nisi forte periculum infirmitatis vrgeret: iam instante noua persecutione, statuerunt omnibus qui pœnitentiam egissent, pacem dandam, vt fortiores essent ad passionis prælium. Id Episcoporum statutum, totius Synodi nomine, nuntiat Cornelio Papæ Cyprianus: atque adeo non tam ipsius Cypriani, quam Synodi Africanæ est hæc Epistola.*

XXXIX. Vide quæso Iesuitæ mendacia. Primum decretam fuisse laicis pœnitentibus laicam communionem. Atqui Pamelius dixit decretum fuisse vt lapsis non daretur communio nisi positis in extremo vitæ periculo per infirmitatem, id est morbum. Longe hic alius status est ab illo. Quis enim non videt ipse per se? Secundo hac Epistola agi de amplianda ad vtramque speciem. Atqui Pamelius testatur agi, de concedenda omnibus pœnitentibus propter persecutionem, id est etiam non positis in vitæ periculo per morbum. Estne idem? Imo estne quicquam simile, vt saltem vicinitas imposturam queat excusare? Tertio postulari permissionem; cum tamen significatio fuerit statuti. Nam *id statutum nuntiat*, inquit Pamelius: Potestne idem esse, nuntiare quid in Africa sit statutum; & postulare vt permittatur.

XL. Omnino ita est: agi non de calice proprie: sed de pace lapsis concedenda. Dabatur autem pax iis qui Ecclesiæ conciliabantur post ingentia peccata: & iure eius pacis admittebantur ad sacram communionem. Itaque, quod Cyprianus de sanguine agit; ideo est, quia argumentis docere voluerit necessitatem huius pacis. Atque adeo de corpore etiam non tacuit, *Protectione*, ait, *sanguinis & corporis Christi muniamus.* Vnde manifestum argumentum, eos quibus hæc pax concedebatur, antea fuisse priuatos non sanguine tantum, sed etiam corpore Christi: hoc est integra communione.

XLI. Mitto quæ prolixius notari possunt: Communionem laicam nunquam nominatam nisi in Clericorum negotio. Et hanc ipsam non fuisse pœnam, sed pœnæ diminutionem: id est, cum ita punirentur clerici, vt tantum de gradu suo mouerentur, relicta tamen iis Ecclesiæ pace, ac proinde communione. Quæ diligentius à nobis explicanda sunt libro proximo. Mitto tantam fuisse Cypriani, & Cornelii fraternitatem; atque inde æqualitatem; vt hæc permissionis postulatio ne verisimilis quidem sit. Certe qui iam statuerant non consulto Romano Episcopo, pacem non dandam nisi in extremis, quis credat non potuisse, quod minus est, decernere calicem permittendum?

XLII. Denique vide hominis ingenium. Coguntur fateri plurimi Papistæ: & inter plurimos Papistas, etiam Iesuitæ, fuisse primis seculis vsitatam vtriusque speciei communionem. Imo ne alios colligam, & ipso potius vtar teste: ipse inquam Petrus Michaelis non multis versibus interpositis, *Cypriani ætate, nec in Romana, nec in aliis orbis Ecclesiis calix vti præcepto Christi necessarius porrigebatur, iis tamen qui eum postulabant non negabatur.* Hoc cum ita sit, vult tamen, magnus vir iste, nobis persuasum, à Cypriano postulatum, vt suis daretur ea venia. Itane solet apud Iesuitas dari venia eorum vsurpandorum, quæ passim licent? quæ nemini denegantur? Nouum sane genus casuum conscientiæ.

CAP. XI.

Consuetudinem fuisse approbatam à Doctoribus.

I. FVisse consuetudinem Ecclesiæ: & fuisse longam, disputatum est. Nunc quod superest approbatam à doctoribus: & quidem peritissimis Scripturarum, ac Canonum. Quanquam hoc posterius facile. Non enim negant Papistæ, qui & Papas censeant summos esse Canonum conditores: & à reliquis Patribus desumant plurimos, vt videre est in Canonum collectoribus: & denique Scripturarum interpretationem contendant subendam ab iisdem Patribus. Superest ergo considerandum, verum ab iis approbata, confirmataque sit, vt nos contendimus. Quanquam ne hoc quidem simpliciter negatur: sed variis exceptionibus eluditur: primum in genere de quo sigillatim.

II. Generalis Bellarmini exceptio est, vt probet nobis nihil prodesse hunc tantum numerum Patrum. Et geminam causam profert, *Primo*, inquit, *quia iisdem Patribus in rebus grauioribus nihil credunt.* Hoc probat, quia maior pars eorum Patrum apertissime doceat Transubstantiationem, quam nos magno consensu reiiciamus, Patribus omnibus contemptis. Secundo, quia re vera Patres bene intellecti, nihil eorum habeant, quæ nos illis tribuamus. Nec tamen mirandum sit, si quis eorum sit loquutus obscu-

rius,

rius, cum eorum tempore non fuerit hæc quæstio introducta, sitne vtraque species necessario sumenda.

III. Sed nos contra scimus prodesse nobis tam frequentem, tam constantem, tam potentem veritatis testificationem. Nam hæc vbicunque inueniatur, proficit amatoribus veritatis. Denique si Papistis obsunt, nobis non prodesse; eo ipso, quod mendacium euertant. Nam etsi nondum esset plana veritatis constitutio: tamen vel sola mendacii infirmatio gradus est ad veritatem. Obesse autem Papistis negantibus vtriusque speciei communionem vel institutam laicis, vel etsi institutam, tamen permittendam, eos qui & institutam, & vsurpatam, & vsurpandam docuerunt, quis neget?

IV. Sed nos, inquit, in rebus grauioribus nihil credimus. Concedamus tantisper: sed negamus sequi, non prodesse nobis. Scilicet Poetis Ethnicis Paulus omnia credebat in rebus grauioribus, de Dei vnitate, de omnipotentia, de Trinitate: de Mediatore: & similibus. Et tamen Paulo profuerunt interdum Poetæ Ethnici. Et Iudæis ipsi nostri nunc aduersarii Papistæ omnia non deferunt, quorum tamen testimonia laudant in Transubstantiatione; Garretius, Cotonus, Coccius, alii. Denique, quis ignorat posse etiam aduersariorum testimonia iisdem obiici, & vtiliter, & potenter, quoties haberi possunt? Sic Paulus, *Dixit quidam ex ipsis proprius ipsorum Propheta, Cretenses semper mendaces*: primo ad Titum. Cur non eadem sit nobis ratio legitima in testimoniis Algeri, Guitmundi, Lanfranci, Thomæ, Lombardi, aliorum postremæ ætatis corruptissimæque doctrinæ autorum. Vt dicamus proprios Papistarum Prophetas, Papistas testari in hoc argumento esse mendaces?

V. Veruntamen Patribus nihil nos credere, impudentissima calumnia est: nec digna nisi Papista. Nam etsi postponamus Scripturæ Sacræ, vt ex ea iudicari oporteat, quicquid dixerint, scripserintve, tamen absit, vt non eisdem consentientibus Scripturæ; non deferamus, quantum deferri potest à sobriis viris: denique quantum ipsi, voluerunt, docuerunt, iusserunt sibi deferri. Nec est quod obiiciant Transubstantiationem. Hanc enim nulli Patres: prorsus nulli docuerunt: sed Patrum excrementa, posteriores Sophistæ, inuenerunt, adornarunt, commendarunt: cui rei demonstrandæ suus locus futurus est.

VI. Nihil tale habere, quale dicimus; res ipsa docebit mendacissime dictum; ab iis, qui velint omnes & cæcos, & surdos esse, ne suam turpitudinem vel videant, vel audiant. Sensit ipse Bellarminus; propterea coactus protestari nonnihil de obscuritate. Nam hoc genus Sophistarum solet obscurum dicere, si quid occurrat in quo torquendo sit illis sudandum, colligendumque quicquid vnquam fuit, subtilitatis, impostura, fidicularum. Sic illis, sic Patres loquuntur obscure, perplexe, inuolutæ, inextricabiliter. At nos, qui & subtilitatem suspectam habemus, & impostura damnamus, & fidiculas horremus; nemo miretur in planis non cespitare; in claris non esse morosos, in certis non hæsitare.

VII. Hæc generalia; nunc vt ad speciales descendamus exceptiones: aduersarii plerique sigillatim examinarunt enumerata testimonia, saltem multa: quæ ratio nec solidior est, aut expeditior; & tædii plena. Nam quia in tanto numero, non possunt non esse multa similia, inde nasci oportet tautologiarum frequentiam; magnum vitium: certumque argumentum deficientis iudicii. Itaque placet aliorum methodus, qui in certas siue classes, siue capita distinxerunt, tum testimonia, tum exceptiones suas: & hos certum est sequi: sic tamen, vt non pigeat aliunde attexere, si quæ forte desint.

VIII. Vasques tres classes disparauit. Vnam eorum testium, qui solum dicant populum bibere sanguinem, aut ei Sacerdotes, calicem porrigere. Alteram, qui ita tribuere videantur vitam spiritualem animæ, potui sanguinis Christi, vt existimare videantur sine illo exhiberi non posse. Tertiam, qui significare videantur, præceptum esse sumendi vtramque speciem. Respondet ex primis nihil aliud probari, quam eo tempore laicis permissum; non etiam necessarium esse. In secundis negari consequentiam. In tertiis examinat singula. In hac methodo duo sunt quæ improbem: vnum quod in tertio membro redeat repetitionum tædium: alterum; quod secundum membrum, neque à nobis assumptum sit in argumentum: neque existimetur occurrere apud vllum Catholicum doctorem. Nunquam enim Orthodoxum fuit docere tantam esse non dico calicis, sed omnino Eucharistiæ totius necessitatem, vt absque aut calice, aut pane; aut vtroque non possit obtineri vita spiritualis animæ.

IX. Itaque placet hærere vestigiis Gregorii de Valentia; enumerantis vndecim obseruationes, quas & nos repetituri sumus, atque examinaturi ordine eodem quo fuerunt depositæ. Quanquam ne iis quidem adeo sit confisus, vt positum quæstionis statum legitime impugnaret. Nam sic ille, *Hæ*, inquit, *obseruationes ostendunt nihil valere illa omnia, quæ à Chemnitio & ab aliis sectariis in hoc genere collecta sunt, vt simplicibus persuadeant vsum alterius speciei fuisse per se improbatum à veteribus.* Vide Sophistas. Nihil non mouent aduersus non disputantes, vt tandem aduersus nos nihil disputasse fateantur. Nam quis nostrum dixit, vsum alterius speciei fuisse per se improbatum: aut quod hoc monstri est? Atqui sciunt ipsi Papistæ à nobis tolerari vsum vnius speciei in iis, qui penitus vini gustum ferre non possunt: sciunt neutrius speciei vsum dici per se necessarium. Itaque si nihil aliud impugnarent, quam quod expressum verbis Gregorii, næ illi superflue diligentes essent. Sed non est ita: tantum videri volunt non tacuisse, cum respondere non potuerunt. Et cum persuadere volunt; neque per se, neque per accidens licere plebi vtramque speciem libere, publice, ordinarie concedi; magnum se operæpretium facturos sperarunt. si plausibiliter negauerint improbari per se alterius vsum. Quomodo ille olim se sperauit plausibiliter persuasurum Germaniam debellasse, si cochleas legisset in litore Oceani. O victorias! O triumphos! Sed hoc dissimulato, videamus Gregorii considerationes.

X. Prima obseruatio est. Quarundam sententiarum eam tantum vim esse, vt vsum calicis omnibus per Christi quidem legem licitum esse, hoc est, nemini fuisse à Christo prohibitum, cum contra lege veteri diuinitus populo interdiceretur vsus quarundam rerum in sacrificiis, quibus tantum Sacerdotibus participare liceret. Huc pertinere Chrysostomi hom. 1 am 18. in poster. ad Corinthios. Ignatium ad Philadelphenses, Theophylactum in 11. prioris ad Corinthios.

XI. Sed hæc obseruatio bis peccat. Primo, quod comparationem illam legis veteris videatur communem facere his tribus locis; quæ tamen peculiaris sit Chrysostomo. Nam profecto Ignatius, Theophylactusve nihil habent simile; sed absolute calicem esse communem vniuersæ Ecclesiæ, æque ac panem.

XII. Secundo, quod nulla sit adhibita solutio: nullo modo, inquam, ostensum quomodo existis testimonii s non conficiatur, quod voluimus confectum. Enimvero dixit Chrysostomus nunc, id est in Ecclesia Christiana, aliter esse quam in Ecclesia Iudaica: in ista discrimen fuisse inter plebem, & Sacerdotes, quod illa non acciperet, quæcunque Sacerdotes perciperent in Sacrificiis: in illa, omnia communia esse inter plebem, & Sacerdotes. Et non est contra Papistas? Nam profecto hac saltem in parte, falsum est in Ecclesia Papistica plebi item vt Sacerdoti omnia esse communia. Imo vide impudentiam, quæso. Clamat Chrysostomus, hic nihil differre Sacerdotem à subdito, cum vtrique proponatur idem panis, idem poculum. At contra Gerson, *Esset*, inquit, *periculum in falsa credulitatis inductione: quod tanta esset dignitas laicorum circa sumptionem corporis Christi, sicut & Sacerdotum.* En mutatam Christianitatem! mutatam Christianitatis persuasionem. Idipsum profitebantur dum Christiani: id ipsum alta voce & in ambone docebant Sacerdotes, & alta voce prædicabant apud populum: quod nunc pro magno incommodo obiicitur. Nullus Gerson erat; nullus Papista, nullus Iesuita, qui velleret aurem Chrysostomo, & immanis absurditatis argueret. Scilicet doctior, cautior, imo vero magis pius Gerson fuit Chrysostomo.

XIII. Quam solutionem Valentianus neglexit, credo explicatam aliis, negantibus si permissum fuerit communicare vtrique, ideo esse necessarium, siue præceptum: & sic Bellarminus soluit locos Origenis in Numeros, Ambrosii ex Theodoreto, Hieronymi in Malachiam.

XIV. Ast ego dico: si quia fuerit permissum, non sequatur fuisse necessarium: at certe multo minus sequi, fuisse interdictum. Nam hæc esse opposita, ideoque se inuicem tollere. Itaque firmum saltem argumentum contra tyrannidem Pontificiam, non tantum necessitatem tollentem, sed etiam vsum prorsus intetdicentem.

XV. Rursus dico, aut necessitatem asseri, populo, aut tolli Sacerdotibus. Nam æque permissum his & illis, *Æquo* inquit Theophylactus; *iure: Nihil differt*, ait Chrysostomus, *à Sacerdote is qui ei subest.* Ergo æque Sacerdoti & plebi permittitur. Si ergo permissio tollit necessitatem plebi, tollet etiam Sacerdoti: aut si non Sacerdoti: ergo neque plebi. Tenent autem Papistæ Sacerdoti necessariam esse vtramque speciem: Ergo aut mentiti sunt illi Patres: aut æqua necessitas plebi asserenda. Nempe quam nos volumus, ex hypothesi instituti Sacramenti. Vt non sit absolute necesse Sacerdoti semper sanguinem Christi bibere: sed in celebrando Sacramento: & plebi similiter.

XVI. Tertio dico, vt hi loci minime omnium aut necessitatem docerent, aut præceptum, tamen vsum docere perspicue ac manifeste. Non solos proferri tamen: sed alios simul, qui multi docent præceptum, ideoque necessitatem. Sic plenam esse probationem. Nam & Papistæ cum diligentissimi fuere in colligendis locis, sibi commodis: tum vero cumularunt ex Veteribus, qui de præcepta mutila communione nihil habent prorsus: sed, si forte, vsurpare præceptum autem non altius repetunt quam à Conciliis suis tribus postremis. Cur nobis non id iuris: vt à multis vsum habentes; vt à multis præceptum, concludamus, & certum fuisse vsus præceptum, & ordinarium præcepti vsum? Contra Papistas, apud quos est, non tantum nullum præceptum vsus, sed etiam durissima præcepti abrogatio.

XVII. Hac siue obseruatione, siue solutione non contentus Bellarminus, aliter explicat Ignatium, Chrysostomum, Theophylactum. In Ignatio primum fidem citationis suggillat. In Latinis enim codicibus, non haberi vnum calicem totius Ecclesiæ. Esse autem communem calicem, quia pro omnibus offeratur Deo. Porro, Græcis codicibus non esse multum fidendum: in quibus multi sint errores, quod constat, si conferatur cum testimoniis apud Athanasium: Epistola ad Epictetum: Theodoretum in Dialogis.

XVIII. Sed hoc commentum indignum est Bellarmino. Quis enim ferat opponi textui Græco vllam versionem? Adhuc Ignatium Latine habemus à veteri quodam interprete, à Brumaero, à Morellio & à Vairlemio: quorum postremum Billius, cap. 7. lib. 2. Obseruationum sacrarum, laudat omnium sine controuersia diligentissimum. Sed hi posteriores in Græco contextu nihil mutarunt, Latine quidem saltem Brumerus, & Vairlemius: nam Morellium, fateor non vidisse. Cur amplius deferamus, quæso, vni obscuro homini, quam reliquis, & quidem diligentissimo Vairlemio, & his quidem nixis fide omnium Græcorum codicum? Sed Græcis codicibus subtesta fides? Forte, inquam: sed sinceriorne veteris illius interpretis? Hoc enim opus est dictum: quandoquidem non tantum suggillantur Græci codices: sed etiam Latinus ille quisquis est, stabilitur. Habent Græci nonnihil diuersum à Theodoreto, & Athanasio: esto sane. Sed vetus ille habet eandem suspicionis occasionem. Itaque si suspecti illi codices, cur authenticus iste? Quanquam hunc ego quidem censeo vnum dixisse calicem totius Ecclesiæ, nullo dolo malo: sed minus expresse.

XIX. Rem videamus potius. Respondet igitur secundo, Ignatium vim facere in vnitate calicis, non in vniuersalitate bibentium. Docere enim vnum esse calicem non autem debere, vel etiam solere ab omnibus sumi: vt hic sit sensus: cum in Ecclesia aliqui sumunt Eucharistiam sub specie panis, omnes illi vnum panem sumunt, non multos: & cum aliqui sumunt sub specie vini, vnus calix illis distribuitur, non multi.

XX. Ast ego primum obiicio, etsi non faceret vim in multitudine bibentium, tamen diserte dicere panem fractum, poculum distributum omnibus: nec falso: hoc autem nobis esse satis. Sæpius enim obseruatum, non tantum esse quæ primum & proprie intenduntur ab autoribus: sed etiam quæ secundario, si vera sint; ab iis petiti & posse & solere argumenta: neque hanc sibi libertatem velle præreptam ipsos aduersarios.

XXI. Rursus dico vim fieri in eo ipso, quod vnus panis, vnus calix distri-

buatur

[I]gnatur omnibus. Apparet manifesto, quod omnes ad vnitatem hortatur Ignatius, *παρακαλῶ ὑμᾶς μιᾷ πίστει, τῷ ἑνὶ κηρύγματι, ἐ μιᾷ εὐχαριστίᾳ χρῆσθαι*, *Obsecro vos, vt vna fide, vna prædicatione, vna Eucharistia vtamini.* Quare? *Vna enim est caro Domini nostri Iesu Christi*, & quæ sequuntur. Et ergo argumentum vnitatis sumptum à communione Eucharistiæ. Atqui hoc semper in eo positum esse notatum est, non quod esset vnus panis: sed quod ille vnus omnibus distribueretur: & sic calix. Primus Apostolus: *Quoniam vnus est panis, vnum corpus nos illi multi sumus? nam omnes ex illo vno pane participamus.* Quo loco Latina editio omisit rationalem particulam: quæ ex Græce, *vt planius*, inquit Iustinianus, *ratio & causa connexionis explicetur.* Caietanus, *Coniunctio enim, dicendo omnes enim, monstrat, quod ratio redditur prius dicti, hoc est, vnitatis corporis mystici participatio vnius panis ab omnibus.* Post Paulum Dionysius, *Sanctissima vnius eiusdemque & panis, & calicis communis pacisq; ac tranquillitatis plena, ἀγνεία, communio ἑνάδος, diuinam eis moram similitudinem concordiamq; vt qui vna educati fuerint, lege sancit.* Aliquanto post, *Pane qui opertus erat & integer, aperto, atq; in multas partes fracto, & vna calice diuiso inter omnes symbolice, vnitatem multiplicat & distribuit.* Cur non Ignatium similiter intelligamus, cum vnitatem Ecclesiæ vellet commendare, vigere non vnum panem, vnum calicem simpliciter, sed diserte, vnum communicatum omnibus? Itaque illud, aliqui sumunt sub specie panis; aliqui sub specie vini: somnium est, portentum est: dixit enim Ignatius diserte, vnus panis omnibus fractus, vnum poculum omnibus distributum. Id autem est; omnes qui sumunt Eucharistiam, & vnum panem sumunt, & vnum poculum: æque inquam vtrunque.

XXII. Tertio respondet, ad summum, quantumuis exprimantur ista verba, nihil aliud ex eis elici posse; nisi fuisse vsum illo tempore, cum pauci erant Christiani, vt omnibus daretur potus calicis

XXIII. En præstigiatorem! Quis enim neget tum cum pauci essent Christiani, datum omnibus calicem? Atqui manifestum vel vno exemplo Christi, qui duodecim solis distribuit. Nempe hoc quæritur, nugator, vtrum paucis tantum, & non plurimis significatum sit distribuendum. Et vide vecordiam tuam. Sane haud aliter Ignatius est loquutus de pane, ac de calice. Ergo dixit Ignatius tunc temporis cum pauci essent Christiani, panem *τοῖς πᾶσι θρυφθῆναι*. An quia distribuendum nunquam intellexit, cum auctus foret Christianorum numerus? Nugæ meræ. Imo intellexit, at quoscunque vnitas pertineret; significata per vnius panis, vniusque poculi distributionem, eiusdem competere hanc ipsam vnius panis, vniusq; poculi communionem.

XXIV. Et vero, quo sensu paucos dixit Christianos? In singulisne Ecclesiis, an in vniuersis? Interpretabor. Fuit cum Hierosolymæ pauci essent; puta cum Christus institueret; fuit cum multi, puta cum Cyrillus Hierosolymitanus præesset: Rursus fuit cum in Iudæa tãtum Ecclesia esset: & cum vbique terrarum plurimæ. Quænam est ergo mens Bellarmini. Hæccine; Hierosolymis distribunendum fuisse calicem cum pauci essent, inhibendum autem cum plurimi? Atqui autem cum plurimi? Atqui non factum. Nam Cyrilli ætate adhuc mos viguit. Et similiter in aliis locis puta Constantinopoli, Antiochiæ, sub Chrysostomo; Romæ sub Leone. An vero tunc potius cum infinitæ per orbem Ecclesiæ? Ne hoc quidem factum: nam opinor Chrysostomi, Basilij, Augustini æuo longe plures fuere, quam cum tyrannidem exercuerunt Paterculi Constantienses & Basilienses, vastatis pridem populosis illis in Græcia, & ad Orientem Ecclesiis per Mahometanos: adeo vt vere dici possit, tum inductam fuisse mutilatam communionem cum numerus Ecclesiarum plusquam dimidia sui parte esset mutilatus. Et nobis Bellarminus imponat tam facile?

XXV. De Chrysostomo respondet: vim facere in re, quæ sumitur non in speciebus, siue modo sumendi, Alioqui falsum esse discrimen inter nouam & veterem legem. Nam si agatur de speciebus, etiam nunc partem sumi à Sacerdote, partem à populo: cum neuter sumat integrum. Itaque in eo discrimen fuisse, quod sacrificium diuisum per partes non posset ab vno sumi totum, sed esset Sacerdotum pars potissima. Ast in Sacramento, totum & integrum detur singulis: nec plus habeat Sacerdos, quam laicus; licet symbola sint Sacerdotum vel plura, vel maior.

XXVI. Insto; primo morbum recurrere: quasi nunquam liceat argumentari: nisi ab eo quod præcipue author vrgeat. Secundo, contra verum esse, vim fieri à Chrysostomo in eo quod species vtraque sit omnibus æque distribuenda. Omnino enim alterutrum esse necesse: vt vel participationem rei vrgeat, vel specierum, id est signorum. At non est rei. Nam cum sacrificia offerrentur pro peccatis cuiusque, tum ea vel pro Sacerdotibus offerebantur, vel pro populo, cum pro Sacerdotibus, tunc rei significatæ nunc erat particeps populus? & contra; non Sacerdos, cum pro populo. Quia videlicet cuiq; sua peccata remitti sit necesse: non populo Sacerdotis: non Sacerdoti populi. Itaque oportet intelligi perceptionem specierum, id est signorum apud Chrysostomum.

XXVII. Sed, inquit, etiam apud Christianos non omnes totum sumunt. Ita est inquam, si partem numeres. Aliter non potest fieri *διάδοσις, μετάληψις* rerum, corporearum. Sed tamen vnum idemq; sumunt speciei. Vnde dicitur vnus panis; etsi *εἰς πολλὰ θρυφθεὶς*, vnus idemque calix, etsi *διαμεριζόμενος*. Ast in veteri lege: non tantum non idem numero, sed ne idem quoq; specie. Hoc Chrysostomus significauit; dicens, *ἐκεῖ τὰ πολλὰ τῶν ἰερέων ἤσθιεν, τὰ δὲ ὁ ἀρχόμενος καὶ θέμις οὐκ ἦν τῷ λαῷ μετέχειν ὧν μετεῖχεν ὁ ἱερεύς. In veteri, alia Sacerdos, alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci, quibus Sacerdos vescebatur.* Quid intelligis nefas vesci? Nempe, quia lex ipsa distinguebat, quæ quantaque pars in Sacerdotis vsum cederet: adeo vt nefas esset laico eam sibi sumere. Quod si tantum intelligas de particulis: quid habes, quod in vniuersum de quocunque cibo dicas? Neque enim fieri potest vllo modo, vt iisdem tu nescaris, & alius quicunque, siue is Sacerdos sit, siue laicus. Planius dicam: fieri non potuit vt in Dominica Cœna, eandem particulam Petrus sumeret, manducaretque; & Andreas: sed illε suam: & hic suam; vnde factum, Papistis conscientibus, vt eundem panem Christus fregerit in duodecim particulas, Iansenius, *Fracto pane in duodecim bucellas, singulis in manus dedit partem à se sumendam.* Quid ergo? Dixitne aliquis aliquando Theologus nefas fuisse Andreæ communicare ei, qui communicauit Petrus? Minime gentium. Nam idipsum licebat Andreæ sumere, nisi occupasset Petrus: cum tamen in Veteri Testamento nullo modo liceret laico sumere, quod Sacerdoti deferebat institutio. Itaque efficacissime Chrysostomus vrgebat, nulla institutionis lege prohibitum laico idipsum sumere, quod liceret Sacerdoti: non vt totum sumeret vterque: contra naturam: sed vt ex eodem vterque: quod nunc nolunt Papistæ, inducentes veterem illam pædagogiam: vt non tantum non possit laicus eandem particulam edere, aut bibere, quam occupauit Sacerdos edere aut bibere; sed etiam nefas sibi arbitretur eandem speciem vindicare: quod Chrysostomus dixit esse Iudaicum, negauit esse Christianum.

XXVIII. Ad Theophylactum respondeo, inquit, loquitur Theophylactus de eo tempore, quo scripta est Epistola ad Corinthios. Edisserit enim Pauli sententiam: atque id loquitur, quo Paulus in summa & breuissime dixerat. Paulus arguebat diuites qui in cœnis illis quæ tunc fiebant in Ecclesia, non dignabantur communicare epulas suas lautiores cum pauperibus. Hoc ergo arguit quasi Pauli nomine Theophylactus, & inter alia hoc argumentum adducit non debere eos abhorrere à pauperibus; quando calicem suum Christus ex æquo omnibus dederit, tam pauperibus, quam diuitibus. Hæc autem sententia, etiamsi tunc maxime locum habuit, cum communio sub vtraque specie erat omnibus libera, tamen etiam nunc locum habet: nam, & nunc pari conditione calix iste cunctis, id est, tam diuitibus, quam pauperibus conuenit: sumunt enim ex calice cuncti Sacerdotes, siue diuites sint, siue pauperes: laici non sumunt, siue diuites sint, siue pauperes.

XXIX. Loqui de eo tempore, quo scripta est Epistola prima ad Corinthios, vere dixisti Sophista, nec est quisquam, qui audeat negare? Et hoc ille habet; quod tu non possis itidem tibi asserere. Neque enim tu Sophista, cum loqueris de interdicta integra communione, potes loqui de illo prisco tempore, cum vigerent Apostoli: vigeret Apostolica doctrina, & ex ea fides in plebe & caritas. Sed oportet fateri te loqui de hoc excremento temporum, de hac sentina mundi; in quam exonerauit se, quicquid fuit in prioribus seculis immundi; imo in posterioribus & proximis detestandi. Sed enim, quæ tibi mens est. Nam tu quidem, cum negas dari populo calicem, de tuo tempore loqueris: at non de tempore Apostolorum. Siccine ergo Theophylactum: agere quidem de tempore Paulino, at non de sequutis deinceps seculis, aut saltem suo?

XXX. Nostra quidem non interest multum: qui scimus postremis temporibus primi præscribere. Non enim vt quæ primo instituta prorogandа sunt ad posteros: sic quæ posterius excogitata, sunt in primos referenda. Itaque possemus istoc esse contenti. Sed quanta Sophistæ confidentia est? Nam Theophylacti verba sunt ita, vt arguant à præterito in futurum. *Quo pacto solus perpotans de baccharis? præsertim cum tremendus hic calix, pari cunctis conditione sit traditus?* Vbi illud, *sit traditus*, manifestum est referri non ad id, quod fiebat Corinthi, sed ad id quod factum erat Hierosolymis: ad illam, inquam, Cœnam Domini cum hoc institutum est Sacramentum. Nempe hoc supposito; quod sicut fuit tunc primum institutum, ita debeat deinceps obseruari. In hunc formam: Quod omnibus æquo iure fuit traditam; omnibus æquo iure deinceps distribuendum est: At calix fuit omnibus æquo iure traditus. Ergo omnibus deinceps æquo iure distribuendus. Si maiorem negas, frangis argumentum: nam cur non Corinthiis æqua ratio negandi, cum Papistis: Cur non eædem exceptiones: Non fuit præceptum: non necessarium: & duntaxat in eius temporis gratiam: itaque potest abrogari: & quæcunque nunc audimus. Denique & vno verbo; si tunc duntaxat; cum scribebat Apostolus, verum fuit, omnibus æquo iure distributum fuisse calicem, cur deinceps fuit omnibus distributus calix: Exempli gratia, cum clamaret Chrysostomus nihil interesse inter laicum & Sacerdotem?

XXXI. Sed hodie, scilicet, idem verum apud Papistas: quia diuitibus æque & pauperibus vel distribuatur vel negetur. Imo, inquam, non idem verum apud Papistas; quia non omnibus distribuatur: Neque enim Theophylactus dixit omnibus, vel distribui, vel negari: sed omnibus distribui. Itaque tunc erat falsum omnibus diuitibus negari: quomodo falsum hodie omnibus diuitibus distribui. Tam infortunate fuit subtilis Iesuita: Quanquam aliter peccet etiam, vt qui conclusionem reponat, loco propositionis. Non enim dictum Theophylacto, calicem pari cunctis conditione fuisse traditum diuitibus, & pauperibus. Sed concludi voluit; pari conditione tradendũ esse pauperibus & diuitibus: quia pari conditione cunctis sit traditus; vt omnino latius hoc pateat, quam illud. Sed nihil pensi est Iesuitis, etiam infantilem *ἀδολεσχίαν* Veteribus imputare, dum sua promoueant commoda.

XXXII. Redeo ad Gregorium de Valentia, & eius obseruationes: in quibus hæc est secunda. Cum Ecclesia in genere præceptum etiam habeat bibendi sanguinem, recte etiam dici potest absolute in Nouo quidem Testamento præcipi sanguinis potum, qui tamen in lege veteri prohibebatur. Sic Cypriano satisfieri in sermone de Cœna. Huc spectare credo Bellarminum ad Origenem: vt vsum habeat populus Christianus bibendi sanguinis, non esse necesse; vt singuli de populo bibant; sed satis esse, si in Ecclesia sint aliqui, qui id faciant: multa enim esse in vsu populi Christiani, quæ tamen non fiant à singulis.

XXXIII. Cur ergo negant Papistæ populum habere vsum consecrandi? Imo cur dicunt nullum discrimen futurum inter Sacerdotes, & populum; si vtriq; vtramque speciem vsurpent? Cur deniq; dicunt, licere populo distribui calicem? Aut cui tandem sperant se persuasuros; vsum permitti populo bibendi calicis, cui tamen interdicatur?

XXXIV. Multa, inquiunt, in vsu sunt populi Christiani, quæ tamen non fiant à singulis. Credo, inquam: sed tum populus Christianus indiscrete sumitur pro Christianis. At distraxerunt Papistæ, & opposuerunt populum Sacerdotibus. Hoc sensu, hoc, inquam sensu, nego posse dici in populo Christiano vsitatum esse id quod populo tamen Christiano sit prohibitum. Quemadmodum olim Romæ: cum Consules nulli essent nisi Patricij; non potuit persuaderi vsitatum esse in populo Consulatum. Denique quid iuuat cauillari. Æquo iure omnibus traditum poculum dixit Theophylactus: Nihil in eo differre populum à Sacerdote dixit Chrysostomus: totus duodecim seculis omnes inuitati ad poculũ æque & ad panem: & dubitamus vlterius, quo sensu dictum sit sanguinem bibi à Christianis?

XXXV. Sed de Cypriano addit Bellarminus; non dicere præceptum, vt bibatur ab omnibus: sed tantum vt bibatur. Imo, inquam; dixit præceptum vt bibatur à Christianis. Quomodo igitur? cum præceptum est vt panis edatur à Christianis: Et quomodo cum erat præceptum diem Sabbati obseruari à Iudæis: intelligimus præceptum omnibus, vel hoc Iudæis, vel illud Christianis: ita nunc de sanguine.

XXXVI. Tertia obseruatio: Quando vsus fuit calicis, recte dici potuit, omnibus illum debuisse esse communem: non quia omnibus ex Christi præcepto necessario administrandus fuerit, sed quia ab ea ratione communicandi, quam Ecclesia vnoquoq; tempore recte & licite vsurpat secundum institutionem Christi, nemo alioqui dignus excludi debeat. Inde explicari Hieronymum in 11. prioris ad Corinth.

XXXVII. Recte: tum potuit dicit, debuisse esse communem. Quare si contrariorum contraria sint consequentia: nunc cum apud Papistas nullus vsus est calicis apud populum; oportet dici, non debere esse communem. Hoc perpetuo volumus obseruandum; vt Theologia Papistica cognoscatur esse opposita Veterum Theologiæ. Porro, nemo dixit Veterum, nemo cogitauit: debere esse communem pro tempore: sed omnes simpliciter communem. Neque adeo Hieronymus, aut vllus omnino Ecclesiæ causatus est autoritatem: sed Christi, alij exemplum, vt hoc loco Hieronymus: alij præceptum. Atqui vt hæc præceptum, profecto exemplo æque hodie propositum Christianis, ac tempore Hieronymi: neque minori autoritate. Nihil est, inquam, quo magis valeat hæc consequentia; Christus distribuit omnibus: Ergo Hieronymi tempore debuit esse communis: quam hæc, Christus distribuit omnibus: Ergo nunc temporis, debet esse communis. Et si hæc non valet: ergo suis Hieronymum imposuisse necesse est: cum causam assignauit, non causam; quod Sophistarum est. Verum, omnes pij creduli sunt potius Iesuitas impostores; causam assignare non causam, autoritatem Ecclesiæ. Nam etsi verum sit, tempore Hieronymi fuisse distributum calicem æque ac panem; ex autoritate Ecclesiæ: tamen distribuendi causa hæc nusquam assignatur. Verum est sane; hominibus volentibus, Solem lucere: sed non verum, hominum voluntatem causam esse quare Sol luceat: contra potius, idipsum quod Sol luceat: causa est vt homines velint Solem lucere: nimirum quod hi voluntatem suam accommodent luci Solis: non contra lucem Solis subiiciant suæ voluntati.

XXXVIII. Quare obseruatio. Cum esset in communi vsu calix, recte dici potuit, omnes habere ad illum ius quoddam. Huc referri illud Cypriani ex Epistola 54.

XXXIX. *Tautologia.* Nam verborum sonus differt à præcedenti, res eadem est: itaq; eadem modo refutanda. Cyprianus nullius Ecclesiæ, aut autoritatis meminit, aut consuetudinis. Sed ius communionis diserte nominat: & ex eo infert calicis sumptionem; tanquam consequens. Est autem ius communionis, illud, quod censentur singuli in Ecclesia tanquam membra eiusdem corporis. Vel si velis contractius, ius participandæ Eucharistiæ. Vt sensus sit: Quicunque admittendi sunt ad communionem Eucharistiæ, iisdem distribuendum est poculum: At qui animandi sunt ad martyrium, iidem admittendi sunt ad communionem Eucharistiæ: Ergo quicunque animandi sunt ad martyrium, iisdem distribuendum est poculum. Probat minorem; *Non morientibus, sed viuentibus communio à nobis danda est; vt quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominica saturitatis armemus.* Hæc; hæc est Cypriani ratiocinatio: qui iuuat ab iis temporibus ad ista recurrere; vt eius ratiocinationis fundamentum, sumamus ab eo, quod hodie somniatur in Cameris meditationum: neglecto eo, quod ipse Cyprianus expressit.

XL. Sed profecto Cyprianum leui brachio Valentianus tractauit. Reliquos consideremus. Cypriani verba sunt, *Quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communionis admittimus?* Quasi diceret, non posse. Quo nihil potuit dici efficacius. Itaque varie Sophistas exercuit.

XLI. Bellarminus confidentissime neglexit explicare, sed nobis obiicere conatus est in confirmationem suæ sententiæ. Artem videte. Loquitur Cyprianus de lapsis restituendis communioni. Ergo, inquit, Ius communicandi laicis datur & tollitur à Sacerdotibus. Et sicut possunt Prælati ob crimina tollere ius communicandi; ita possunt ob alias iustas causas disponere & ordinare de modo communicandi sub vna specie, vel altera. Præterea, si tempore Cypriani habuissent ius petendi calicem: certe habuissent à consuetudine illius temporis: Ergo cum sit hoc tempore contraria consuetudo introducta, & lex in generalibus Conciliis promulgata, non habent amplius ius illud laici.

XLII. At nos concedimus agi de lapsis restituendis communioni. Sed id, quia reuocabatur à nonnullis in dubium, confirmatur argumento. Quia lapsi sint animandi ad prælium redintegratum, ne labantur vt prius, sed confirmati fundant sanguinem suum. Hoc autem fieri non posse, si denegetur eis communio poculi. Quare etsi primum illud institutum, paulo sit alienius ab instituto nostro, tamen ei confirmando assumptum argumentum omnino à nobis est: & inde bene pugnamus.

XLIII. Ergo, inquit, ius communicandi laicis datur & aufertur à Sacerdotibus. Concedo hoc ipsum, inquam: Neque erat necesse errare ex Cypriano, quod constat ex verbo Dei: Ergo, inquit, ab iisdem traditur vel auferetur calix. Negatur, inquam, consequentia. Et sane communio tolli potest & reddi, à singulis Sacerdotibus in suis Ecclesiis, vt à Cypriano in Carthaginensi: & posse tamen ius à singulis tolli, calicis, nondum audiui quenquam Papistarum dicentem: imo nituntur omnes consuetudine Ecclesiæ, & canonibus Conciliorum. Vnde nobis negandi ratio in promptu: Nam potest quisque sua authoritate & excommunicare, & restituere peccatorem non consulto vllo Concilio, aut omnibus Ecclesiis: At non potest itidem auferre calicem laicis: Est ergo Bellarmini consequentia absurda. Præterea, interdicere communionem, est secundum Christi institutionem: at interdicere calicem, est præter eam: imo etiam contra.

XLIV. Sed illud vehementer falsum, imo impudenter: si habuerint laici ius petendi calicem: Ergo habuisse ex eius temporis consuetudine. Si dixisset secundum consuetudinem: non pugnassem: sed ex consuetudine: ferre non possum: Nec à quoquam dictum scio; nisi Iesuita. Habuerunt illi ab institutione: ita diserte testantibus omnibus Patribus. Itaque quantumuis mutauerit postea consuetudo (quanquam non mutauit Ecclesia: sed tyrannis Papistica) tamen non mutante institutione, non potuit ius mutari: certe non debuit. Nam quid non potest tyrannis? Non enim hoc vno fuit contenta.

XLV. Tiletanus astute. Opponit, inquit, ius communicationis, violenti communicationi & extortæ. Scribit enim sermon. 5. de lapsis, quosdam in grauissimam idololatriam prolapsos, ante peractam legitimam pœnitentiam, neglecta disciplina Ecclesiastica reconciliari solere, & ad corpus Domini admitti: hos autem sic admissos dicit, non iure, sed vi communicare corpori Domini.

XLVI. Solere quoldam admitti ante peractam legitimam pœnitentiam, etsi nunc quidem nihil ad nos: tamen aperte falsum. Non enim consuetudinem Cyprianus reprehendit, sed factum, quod tunc acciderat; vt prætexturiteratum Luciani martyris omnes indiscrete peterent restitui. Cui temeritati constanter tele ille oppositi, nunquam facturus, si foret ex vsu. Veruntamen & hoc falsum, hanc extortam communionem, opponi iuri huic communionis: quod vel lecto leuiter loco cuique apparebit: neque spero futurum vllum bene sensatum, qui non longe aliter intelligat: concedere calicem iure communionis: quam concedere alicui communionem non extortam. Nam ita fert vsus, vt ita significetur causa, ex qua legitime aliquid fit. Iudic. 21. *Rapuerunt eas iure bellantium.* Ruth 4. *Possidere iure propinquitatis.* Et alias. Sic Ianssonius, *Quæritur, quanam iustitia participatio Dominici testamenti vna parte negari petenti, testamentum pro vtroq; iure parte expetenti? iure dispensationis siue dispensandi.*

XLVII. Vasques, Cypriano ita hunc effectum tribuere calici, qui tunc etiam à laicis sumebatur; vt non dicat, illum omnino necessarium esse: secum contenderet à Cornelio Papa, vt iis qui publicam agebant pœnitentiam, iam restitueretur Eucharistia, meminisse calicis, qui tunc pro laicis in vsu erat; vt vtraque species eis restitueretur, sicut ante: non autem agere de solo calice restituendo, quasi altera specie iam vescerentur: sed eius meminisse; quia de iis ageret, qui iterum subituri erant periculum fundendi sanguinis.

XLVIII. Non tribuere hunc effectum calici; quomodo? an vt causæ propriæ? concedo. Sed quid ad rem? Nam neque Baptismus causa propria remissionis peccatorum. Quid ergo: Nullone modo Baptismus necessarius? Poculum fatemur fuisse causam duntaxat instrumentalem; & non nisi ex institutione. Sed nullum instrumentum; & quidem ex institutione esse necessarium, non veremur vt doceat Vasques. Nam contra Cyprianus testatur, *Quomodo prouocamus eos sanguinem fundere?* ait. Id est, non possumus; siue moraliter, non debemus: Ergo, inquam, instrumentum est moraliter necessarium.

XLIX. Non agere de solo restituendo calice: & huius meminisse, quia de sanguine fundendo loqueretur, nemo it inficias. Non video tamen, quorsum sit notatum à vafro Hispano; nisi vt aliquid saltem veri dicere videretur. Nam ad causam quid habet momenti? Quis enim ignorat suo calice non fuisse lapsis interdictum: sed vtroq; signo? Itaq; vtrumque reddendum vrgeri? Sed sicut antea, inquit. Ridicule. Quasi vis totius disputationis in eo esset: quod tamen nusquam notatur: etsi alioquin verum sit. Enimvero etiam panem eis restitui contendebatur, sicut antea: Imo tota Eucharistia, sicut antea: tota communio sicut antea. Itaq; miror quid sibi Sophista velit: nisi forte nulli concedendum putet calicem nisi qui antea sit vsus.

L. Dissimulabon'? An obiter obseruabo vanitatem Hispanicam; Iesuiticam μικροφιλοκρίαν? Non putauit Hispanus Iesuita bene peractum fabulam nisi lui Tarpeij Iouis negotium ageret, quasi aliud agens. Contendebat, ait, Cyprianus à Cornelio Papa, vt pœnitentibus restitueretur Eucharistia. Videlicet non ausus rem tantam constituere, nisi volente, iubente Oecumenico Pontifice: erat enim casus reseruatus, & comprehensus bulla quam dicunt in Cœna Domini. Non ridetis Lectores? non plaudítis tam festiuo histrioni? Sed Cypriani mentem Pamelius & nouit altius, & explicauit apius, *Quum prius statuissent Africani Episcopi in Concilio quodam, vt lapsi non nisi diu pœnitentia acta admitterentur ad pacem, nisi forte periculum infirmitatis vrgeret: iam instante nouæ persecutione statuerunt, omnibus qui pœnitentiam egissent, pacem dandam, vt fortiores essent ad passionis præmium. Id Episcoporum statutum, totius Synodi nomine, nuntiat Cornelio Papæ Cyprianus.* Id vero non est postulantis autoritatem; sed communicantis, quæ iam essent constituta.

LI. Quinta obseruatio. Quoniam ministet Eucharistiæ, non in sua sed in Christi persona Eucharistiam, siue in vtraque, siue in altera specie administrat: idcirco quando calix in vsu fuit, ipse Christus ei ipse poterat tum præbere populo, ipsisq; fidelibus, quasi diceret, *Bibite ex hoc omnes*, sicut dixit olim Apostolis tradens eis: calicem non quasi fidelibus tum præciperet ipse vsum calicis: sed quia ipse tunc quidē per ministrum daret calicē Ita solui Paschasij illud ex 15. c. *Christus est, qui frangit hunc panem: similiter & calicem porrigit eis.* Et illud Liturgiarum, *Dignare Domine dare nobis corpus & sanguinem tuum; & per nos populo tuo.*

LII. Dici poterat præbere populo Christus. Ita sane, inquam. Vnde tanto insignior Christo Liturgia Papistica: in qua nec dicitur, nec potest dici Christus dare populo, neque per se, neque per ministros. Quid ergo admisit Ecclesia, vt fraudanda sit sui Regis liberalitate? Quomodo potest tantum sacrilegium excusari? Sed enim; eodem dictum est modo de calice, quo de pane. Nam vtrumque comprehendunt non tantum Liturgiæ Basilij & Chrysostomi, *Dignare Domine dare nobis corpus & sanguinem tuum, & per nos populo tuo*: Sed & Paschasius, *Christus est, qui frangit hunc panem: similiter & calicem.* Cur ergo alio sensu de calice interpretemur dictum, quam de pane? De isto quidem in perpetuum, de illo autem pro tempore? Deinde in Liturgiis æque dū Sacerdote, *Dignare dare nobis.* Si igitur illud, *dignare dare*, tantum temporale est, & nullum præceptum continet, in populo; cur magis in Sacerdote?

LIII. Quid

LIII. Quid quod magna pars testium, hoc ipsum, *Bibite ex eo omnes*; sic vsurpant, quasi olim & ab initio dictum, ac proinde imperatum à Christo? Clarius: ex eo quod olim dictum, factum, inferunt consequens, ergo fieri? imo; ergo faciendum. Quid illud est? Discant à seipsis Papistæ; qui interrogati, cur Sacerdoti sit vtraque species necessaria; non habent quod respondeant, nisi à Christo sic ab initio institutum. Hoccine illi dicunt hoc sensu; quod tum cum est in vsu possit dici Christus, dicere, *bibite ex hoc omnes*. Quid ergo miseros distrahunt auditores huc illuc; sursum deorsum: vt vna eademq; verba iubeant vno momento verti, inuerti, vt deniq; peruertantur? Potestne id esse non Sophistatum?

LIV. Sed in Paschasio Bellarminus, tria breuiter obseruat. Primo; videri corruptum, *Bibite*, pro *edite*: Quia præcedat, *Hic solus est, qui frangit hunc panem; & per manus ministrorum distribuit credentibus*. Secundo. non exponere verba Domini, vt sunt apud Matthæum, *Bibite ex hoc omnes*, sed vt videntur dici à Christo dum in Ecclesia distribuitur Sacramentum. Porro Christum per se, non per ministrum distribuisse. Neq; ea verba vt dicta in prima institutione vllo modo admittere hanc explicationem. tam ministri, quam reliqui credentes: quia nulli erant ministri à credentibus distinguti. Tertio, significare bibendum esse Domini sanguinem in specie panis, non specie vini; quomodo Cyprianus de Cœna Domini dixit panem manducari, & bibi.

LV. Sed corruptionem facilius est Papistis causari, quam sanis admittere; reclamantibus omnibus codicibus. Nam quid tum, si præcessit sermo de pane? Quasi ignoraret aliquis eandem panis edendi rationem esse in hoc Sacramento, quam vini bibendi. Itaque apud Paschasium, illud de calice nominatim dictum apud Matthæum: adscriptum fuit, etiam si panis nomen esset; quia sic intelligendum, edite omnes; quomodo, bibite omnes. Sed illud dictum à Christo nullus refert Euangelista: hoc autem Matthæus, At Paschasius noluit ab Euangelista recedere.

LVI. Solennes nugæ, non explicari vt sunt apud Matthæum: sed vt videntur à Christo dici in celebrando Sacramento in Ecclesia. Quasi in Ecclesia non audiantur recitatiue: id est ita, vt referantur verba olim dicta à Christo: ac proinde idem sit sensus hodie, qui olim. Quid hoc mostri est? Imo in Canone Romano hæc verba neque dicuntur, neque videntur dici à Christo in distributione: quia omnino non dicuntur, sed tantum in ea parte, quam consecrationem vocant: non in ea, quam communionem. Atqui in consecratione estne alius sensus, quam qui fuit Christi? Liceat forte Papistis. Sed Catholici nunquam admittent.

LVII. In prima institutione nulli erant ministri. Non erant ministri distincti à credentibus. Imo non dixit Paschasius distinctos à credentibus sed à reliquis credentibus. Erant autem Apostoli prima institutione: & quamuis ipsi in credentibus: tamen distincti à reliquis credentibus: & vt hi nulli fortasse essent in mensa Domini; tamen voluit Paschasius hos ipsos comprehensos in verbis Domini: quomodo Papistæ ipsi comprehensos intelligunt omnes Sacerdotes. Itaque non ægre ferant, si dixisset Paschasius, omnes tam Apostoli, quam rel qui Sacerdotes. Nos sane; qui cum Veteribus sentimus, etiam de pane intelligendum. Edite omnes: credimus hoc etiam ita explicandum; tam ministri, quam rel qui fideles: nec opinor Bellarminus contradixerit, si concedere velimus corruptum esse Paschasium. Denique nego eosdem fuisse in prima Cœna ministros, à credentibus distinctos. Nam Apostoli non erant ministri illius Cœnæ: quia minister is intelligitur, non qui species recipit: sed qui distribuit. Quo sensu tunc solus Christus fuit minister: qui & sumpsit & aliis distribuit.

LVIII. O acumen! Sanguinem bibi in pane. Det tibi malum Iesuitæ Iesuitarum Deus Loiolas, cum tuis istis suspicionibus. Nam quid suspicabaris locum corruptum; vt locum præriperes tam magno acumini? Si enim scripsit Paschasius. *Edite ex hoc omnes*: ergo non dixit: ne innuit quidem in pane quicquam bibi. Veruntamen vide, ne non tam facilitèr concessuri sint tanto acumini quicunque sunt hodie Romanis iudicibus hæretici: & non opposituri potius cuo acumini suum à umen. Paschasium dixisse potius in calice frangi panem, Non enim in præcedentibus nominatus panis, vt sequentia probarentur: sed sequentia potius inducta vt probaretur quod prius dictum, nempe Christum ipsum esse qui frangat panem: quare oporteat illud, Bibite, explicari per frangite: non vero *bibite* mutari in *frangite*, per illud frangite. Viden, vt acumen pugnet acumini: & clauus clauo pellatur? Sic tantum aberit; vt Paschasius faueat Papistica tyrannidi: vt potius tyrannidem contrariam innuat.

LIX. Catholici simplicitatem amant; acumina intempestiua oderunt: tam eorum qui dicunt in pane bibi, quam in calice manducari. Vasques cap. 6. *Clemens*, inquit, *plane loquitur de sanguine sub specie vini: quia vtitur verbo bibitur, quod sanguini sub specie panis proprie non conuenerit*. Cur non nos æque de Paschasio? Nam quare panem qui dixit, statim bibite dicat, iam monuimus. Æque ridiculum apud Cyprianum panem edi, & bibi. Verba sunt, *Qui manducat ex hoc pane, vltra non esurit: qui bibit, vltra non sitit*. Hæc Sophista sic interpretatur; quasi dictum; qui bibit ex hoc pane. Non stupent lectores? Atqui seipsum explicans Cyprianus, *Hat ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum; in hoc vino non est luxuria*. Perge audax esse Sophista; & dic corruptum locum, vino inducto pro pane.

LX. Sexta obseruatio. Cum necesse sit ex præcepto Christi Sacramentum non nisi in ea materia consecrari & administrari, quam Christus instituit, consequens est, vt quo tempore calix etiam administrabatur, necessario fuerit in specie vini, non autem in sola aqua administrandus. Quod minime idem est, atq; absolute debuisse vnquam ex præscripto Christi calicem populo administari: sed est, debere illum tali modo, id est, adhibito vino, ministrari, quandocunque & quibuscunque calix administretur. Ita solui Cyprianum epistola sexagesima tertia.

LXI. Idem sophistices morbus. Necessario calicem administratum in specie vini, quoties plebi administrandus fuit. Quasi non itidem alia tam speciem oportuerit in specie panis administrari, quoties administranda fuit. Immanem impostura, Deus bone! Sic enim toties Baptismum oporteret celebrari in specie aquæ: quoties Baptismus celebrandus est: Sic hominem toties constare anima rationali & corpore organico, quoties homo futurus est. Sic Angelos constare ex substantia incorporea, quandiu futuri sunt Angeli. Quid plura? Sic, puto, Iesuitas constare oportet, ex superstitione & impostura, quandiu Iesuitæ futuri sunt. Sed quomodo qui definiuit hominem constare ex anima rationali & corpore, nunquam sperauit futurum hominem constantem ex anima bruta, & corpore truncos: & alius Angelos non prouidit futuros ex materia quanta: & nos qui nunquam vidimus Iesuitas absque superstitione & impostura, nunquam putamus Iesuitas futuros non superstitiosos, & impostores: sic Patres, qui nunquam vidissent, audissent Eucharistiam absque pane & vino, nunquam præviderunt id monstri exoriturum, quod nunc in Papistis est solenne. Ita falsum illud Comici; nihil dictum, quod iam non dictum sit prius. Erat solenne; *Cœlum & terra transibunt; sermones autem mei nequaquam præteribunt*, Matth. 24. Nunc exclamandum.

Xanthe retro propera, versaq; recurrite Lympha.
Sustinuit Christum deseruisse fides.

Hinc Iesuitæ considentes clamare audent: O vos qui nunc estis Christiani, ne exspectate calicem. Olim factum cum distribui iussus est omnibus æquo iure: cum Christum non subiit oblivio plebis. Nunc cum nemo amicus Christo, præter Sacerdotes, quantumuis sceleratos: vos quicunque estis pij ex plebe, quantumuis nihil præter pietatem cogitetis, procul hinc, procul este profani. Alios mores, alia ætas postulat. Sed pij suspirant. O siccine in mundo Mitto mundum. O siccine in religione, quæ tota seorsum à mundo, nisi cœlum nihil cogitat: nisi esse firmum; nihil perpetuum? Proh Dei atq; hominum fidem? tam esse consuetudinum mutationibus obnoxiam religionem, quam vestimenta; aut si quid vilius vestimentis?

LXII. Sed frustra pij conqueruntur apud aures surdas, quibus religio ludus: quibus pietas κατήλια: quibus religio nugæ. Quid illos ergo curemus? quid illis supplices simus? Ducunto cæci cæcos: & decidant vtiq; in foueam. Nos dicamus, non tantum debere vinum dari, cum datur calix: sed etiam dari calicem; cum celebratur Eucharistia. Et hanc esse Cypriani mentem: ingratam Papistis fatcor: Sed quid facias? Sic sunt latronibus ingrata patibula. Verum interest reipublicæ patibula esse, vt ne sint latrones. Sic interest sartam tectam conseruari mentem Cypriani. Quanto compendio si nulli futuri essent Papistæ!

LXIII. Verum de Cypriano longe aliter Vasques; longe aliter Bellarminus. Ille Cyprianus, inquit, non habet verba illa, *Et plebi ministrando*: neque de hac re in tota Epistola verbum habet; sed solum reprehendit eos, qui aquam vino consecrando non infundebant contra Domini exemplum. Recitatq; ex fine epistolæ; vbi ea verba non sunt: & de ministrando calice, inquit, ne verbum quidem.

LXIV. Sed Vasquis nimium lata culpa est, qui ab epistolæ fine petiuit, quod est ab initio positum: vbi omnes editiones hæc habent verba disertissima. In editione Pamelij. In priore Morellij & postrema Goulartij. Neque ab vllo alio suppositionis insimulata. Nimirum Vasques Cerua Æsopicæ similis; quæ vnum quem habuit oculum auertebat à littore, vnde ei pernicies fuit. Ea vobis Iesuitarum compendiosam in disputando methodum.

LXV. Bellarminus negas agere Cyprianum, oporteatne calicem populo præberi, an minus: sed tantum, vt si ministretur, ex vino misto, non ex aqua sola constet.

LXVI. Ita est vero, inquam: fuit hoc proprie inuentum Cypriano. Nam cur disputasset, quod nemo prorsus in controuersiam vocabat? Sed tamen ab audacia Iesuitica, illud *Si ministretur*: quæ vere testari possum apud Cyprianum nulla esse. Nec sane Cyprianus suis illis aduersariis Aquariis audacior; vt reuocaret in dubium, quod non auderent illi vellicare, contra tam vniuersalem Ecclesiæ consensum. Quod, inquam, primus in disputationem vocasse legitur Thomas: tot post eum secalis. Et verò vide verba, *In calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando*. Attende. Si ista, *In plebi ministrando*, significent, si plebi ministretur: & hæc non significant quoties Eucharistia ministratur, esse ministrandum plebi calicem: Certe ista, *in calice sanctificando*, significabunt, si calix sanctificetur: & hæc non significabunt, quoties Eucharistia sanctificatur, calicem esse sanctificandum. Placetne ô subtilitatis deliciæ, Iesuitæ! O humano generi delicatissima societas?

LXVII. Septima obseruatio. Quia Sacramentum hoc æque est efficax in specie vini, atq; in specie panis; ideo etiam quando calix in vsu fuit, verissime à Patribus dici potuit, illum esse salutarem omnibus, itemq; in eo vsurpando commemorationem mortis fieri, illiusq; fructum repræsentari; atque etiam figuras quasdam veteris legis impleri. Neque vero inde consequitur, Patres sensisse calicis vsum esse etiam absolute ex præcepto Christi omnibus necessarium: quemadmodum neque sequitur, quotidie Sacramentum istud omnibus necessarium esse, eo quod quotidie sit & dicatur à Patribus maxime salutare. Multa sic solui testimonia Cypriani, Ambrosij, Hilarij, Augustini, Remigij, Chrysostomi, Gregorij.

LXVIII. Eorursus tibi. *Quando calix in vsu fuit*. Nunc enim, opinor, contra est verum, non esse salutarem, non ad commemorationem mortis Christi, non huius fructum repræsentare; non implere figuras veteris legis. Vno verbo periisse; quicquid olim erat efficaciæ calicis salutaris. Adeo, proh pudor, religio mutauit Christiana tam procul recessit ab initiis suis. Et nos Papistarum quisquam Nouatores indigeret?

LXIX. Sed enim nobis argumentum nullum est eiusmodi: Calicis vsus fuit salutaris olim; ergo esse perpetuandum. Quasi nesciamus Circuncisionem olim, id est, vt loquuntur Veteratores Papistæ, quando fuit in vsu, fuisse itidem salutarem. Quid alia persequar non pauca: Itaq; imponunt homines otiosi, & suæ conscientiæ negligentes, alienæ prodigi: nobis, inquam, perfide imponunt, cum huiusmodi fingunt argumenta, quæ nostra nulla vnquam fuere. Respondeant categorice. Laudaruntne, an non Patres, illum sui temporis vsum? Nam hoc sufficit. Cur non, si satis fuit Constantiensibus illis, & Basiliensibus laudata doctoribus consuetudo noua, vt haberetur pro lege?

LXX. Præterea, etsi non sit necessarium absolute, propterea quod sit salutare: tamen verum est, non esse prohibendum, si sit salutare. Est enim inauditum recte ratiocinantibus: non tantum id quod est salutare, sed etiam id quod sit non noxium, prohiberi absolute, id est, omnibus.

Apparet

Apparet in ipso exemplo communionis quotidianæ: hanc enim nunquam quisquam Catholicus hactenus improbauit aut prohibuit: quid Catholicos dico? Ne Papistæ quidem. Vide igitur Iesuitæ δυσχερσίαν: Quotidianam communionem, etsi neget necessariam tamen non dicit prohibitam: At communionem calicis, quantumvis salutarem fateatur, tamen vult non tantum non necessariam, sed etiam prohibitam.

LXXI. Octaua obseruatio. Posse dici potum sanguinis necessarium esse ad vitam spiritualem, non tamen respiciendo ad modum sumendi, in potabili, sed ad rem & veritatem perceptionis, itemq; ad effectum huiusmodi potus: quæ duo communia sunt speciei panis, vt quæ eundem effectum gratiæ salutaris habeat, & re ipsa etiam sanguinem contineat. Sic explicari Augustinum quæst. 57. in Leuiticum.

LXXII. Concedo hæc omnia. Neque enim habuit à nobis obiectum aut hunc Augustini locum, aut simile vllum argumentum. Nam qui agnoscimus non proferri legitime locum illum Ioannis, *Nisi manducaueritis*; iidē non possumus ex potu spirituali concludere necessitatem potus Sacramentalis. Et sane quæcunq; inducta sunt testimonia, loquuntur omnia de manducatione, deq; potatione Sacramentali. Ludens igitur Sophista huc spatiatus est. Taceo, ne suis argumentis nostram causam stabilito: neq; nos eius indigemus ope: neq; hæc vnquam speranda alia, quam quæ potest esse præuaricatoris: aut etiam serpentis in sinu.

LXXIII. Bellarminus hoc idem solutionis applicat non tantum Clementi Alexandrino, dicenti, cap. 2. secundi de Pædagogo, *Bibere sanguinem Iesu, est participem esse incorruptionis diuina:* sed etiam Tertulliano de Resurrectione carnis. Quoniam sanguis Domini non det incorruptionem; quia bibendo sumatur, sed quia sumatur. Vim enim esse in ipso sanguine, non in modo bibendi, Et sanguinem vere sumi sub vna specie. Vult tamen insuper obseruari dixisse Tertullianum; nos sanguine vesci, non autem bibere sanguinem. Nos autem vesci sanguine, cum sumimus per modum cibi sub specie panis.

LXXIV. Respondeo de Clemente; idem quod iam de Augustino: siue eum Bellarminus à se induxerit, siue apud quempiam ex nostris legerit. Vere enim non puto ad hanc rem esse. Sed de Tertulliano, aliud iudicium. Omnino enim iste loquitur de esu potuve Sacramentali; id est, quatenus Christi corpus editur sub specie panis, & sanguis bibitur sub specie vini. Patet ex serie; quia vt probet resurrectionem carnis, profert priuilegia corporis in Ecclesia Christiana, *Videamur*, inquit, *nunc de propria etiam Christiani nominis forma; quanta huic substantia fridola ac sordida; apud Deum prarogatiua sit.* Paulo post: *Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vnguitur, vt anima consecretur: Caro signatur; vt & anima muniatur: Caro manus impositione adumbratur: vt & anima spiritu illuminetur: Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Vel cæco patet distingui quæ corpori fiunt, ab iis quæ inde accedunt animæ; vt in Baptismo, non potest ablutio in corpore aliter intelligi quàm de externa actione; non item in reliquis vnctio, signatio; abumbratio; Cur segreges pastionem? Atqui non potest corpus vesci vel ipso corpore, & sanguine Christi, nisi per externam actionem. Itaque perfide torquentur eius verba, ad alteram sumptionem; quæ non fit nisi per animam; sic enim nullum esset in Eucharistia corporis priuilegium; quod tamen Tertullianus vrget.

LXXV. Enimvero pulchrum est Sophisma in verbo vescendi, & vere dignum Bellarmino, *Vescitur corpore & sanguine Christi:* ergo vtrumque sub specie panis. Quid ergo Bellarmine? Quis tibi persuasit, vesci, non nisi in cibis esse solidis: Ne ille te magno pretio docuit, quod vilius multo poteras à teipso obtinere, vt nihil scires. Nam vesci, ne nescias, commune est tum escæ, tum potui. Vin probari? Moneri satis putabam. Sed en tibi testem Ciceronem; quantum illum in lingua Latina! secundo de Natura Deorum; *Non venis, & neruis, & ossibus continentur: nec iis escis, aut potionibus vescuntur, vt aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant.* Scilicet hoc mysterium Cicero diuinauit, potum sumi sub specie solidi cibi. Quid? quod ab Nonio audimus, *Vesci etiam significat vti*; adhibitis multis exemplis; Vergilij, *Si vescitur aura atherea.* Lucretij, *Cœperit inter se vesci per nomina rerum.* Pacuuij; *Qui arte hac vescimur, vescatur armis.* Quid noui, quid miri, si Tertullianus itidem dixerit, vti sanguine, & vti corpore.

LXXVI. Et fateor tamen interdum phrasibus nouis luxuriare Veteres. Inde enim apud Paschasium legas c. 20. *Illo prius cibo interior noster homo inebrietur*: vbi si proprietatem sermonis obserues; incogitanter queat dictum videri inebriari cibo, quod nunquam factum. Quare sicut ex Paschasio nullius concludit, sola sub vini specie corpus Christi esitatum: sic puerile est, ex vno hoc Tertulliani loco nugari de potu sub specie panis. Quanquam nihil est quo cogamur huc confugere.

LXXVII. Denique quid hic vobis proderit, si maxime conuincatur res tam diuersas loquendo confodisse; cum mille alij diserte distinxerint? Cyrillus? *In specie panis datur tibi corpus: in specie vini datur tibi sanguis.* Basilius, *Et pe edere corpus Christi, & bibere sanguinem.* Chrysostomus, *Tu comedis corpus Christi, tu bibis sanguinem.* Iulius, *Seorsum panis, & seorsum calicis commendatio commemoratur.* Hilarius, *Hac accepta & hausta.* Ambrosius, *In edendo & potando carnem & sanguinem significamus.* Augustinus, *Carnem Christi manducatis; & sanguinem bibitis, De mensa Domini manducent; de calice bibant. Manducant & bibunt tempo aliter Sacramenta.* Non colligam omnes repetendo. Scilicet vnicus iste loculus, nec certus, præponderabit tot tam distinctis, & disertis. Væ Iesuitarum τῇ ἀκριβείᾳ.

LXXVIII. Nona obseruatio. Etsi Patres quandoq; significent tum demum ex omni parte complete & perfecte communicari, quando vtraque species vsurpatur, vt fiat expressior significatio effectuum huius Sacramenti: tamen non ideo censuerunt necessitatem communicandi sub vtraq; incumbere iis etiam qui non conficiunt. Est enim horum longe dispar ratio, nec tenentur ipsi omnino perficere id Sacramentum, quod non conficiunt. Hac arte solui illud Laurentij ex Ambrosio, *Cui consummandorum consortium Sacramentorum commisisti huic consortium tui sanguinis negas?* Item cum alias appellatur complementum communionis; credo à Iulio Papa, siue Concilio Bracarensi.

LXXIX Quid illud est, quæso, ex omni parte, complete, perfecte communicari? Quid est expressior significatio? Nam has phrases nunquam ego quidem apud Patres legi. Credo Iesuitas legisse in Camera meditationum: & hinc factos oculatores, vt vel pilum capitis partiri conentur: sperantes persuaderi posse multum interesse, inter complete perfecteque: & omni ex parte complete, perfecteque, Et se vt in Votis paupertatem altam, altiorem, altissimam; ita in Sacramento posse significationem comminisci expressam, expressiorem, expressissimam. Patiamur eos agere nugas sagacissimas: dum ne nobis inuideant nostram sagacitatem in deprehendendis imposturis.

LXXX. Patres simpliciter loquuti. Sacramenti partes duas agnouerunt, panem & calicem: & in vtraque agnouerunt consummationem, complementum, integritatem Sacramenti: iuxta vsum communem. Apparet ex Laurentio cui Diacono incumbebat distribuere calicem, non Sacerdoti, sed plebi: cum prior Sacerdos distribueret panem. Sibi igitur eo sensu commissum dixit consummare Sacramentum: quod scilicet Sacerdos inchoabat. Inde nos merito dicimus Sacramentum distributum absque calice esse tantum inchoatum. Iulius dixit à nonnullis datam intinctam pro complemento communionis, & reprehendit & iussit secundum institutionem dari seorsim panem, seorsim vinum: Ergo rursus Sacramentum incompletum est sine calice. Dixit denique Gelasius, aut calicem sumendum; aut etiam à pane abstinendum: id est; integrum Sacramentum accipiendum, & prorsus non sumendum. Quare Gelasio iudice, communio vnius speciei non est integrum Sacramentum. Id si Iesuitæ est, ex omni parte perfecte, completeque communicari, Esto sane: sin est aliud aliquid, sibi canat & musis.

LXXXI. Non censuerunt, inquit, necessitatem vtriusq; speciei incumbere iis, qui non conficiant. Atqui ego, ne erres, quid censuerint abs te non quæro: qui dixerint, audio. Audio loquutos de communione plebis: De hac loquentes, negare plenam esse absque calice. Et supponere plenam esse debere. Esto quantum voles disparatio plebis, & eorum qui conficiant: Ast ego securus tui, tuorumque Sophismatum concludam, censuisse necessitatem vtriusq; speciei incumbere plebi; & hoc sensu eos qui non conficiant, teneri omnino perficere Sacramentum.

LXXXII. Bellarminus de Iulio, siue Concilio Bracarensi tertio respondet; recte prohiberi intinctam, sed non addere debere dari vtramque speciem. Et tamen si dicat, loqui de eo tempore, cum libera esset communio sub vtraque specie. Tiletanus plenius: vel ad suorum temporum consuetudinem respexisse, in quibus populo vtraque species dispensabatur, vel ad Sacramentorum significationem.

LXXXIII. Imo falsum, non addere deberi vtramque speciem: Nam qui populo negat tradendam intinctam pro complemento; sed seorsim panem, & calicem: is profecto, aut nihil dicit, aut iubet populo tradi pro complemento poculum seorsim. Quod si pro complemento hanc speciem, ergo vtramque. Nam hæc complementum dici nequit, nisi supposito pane in antecessum dato. Loqui de tempore cum libera esset vtraque species: partim verum, partim falsum. Verum; si intelligat liberam vtramque, eo quod liceret vel vtramque sumere, vel ab vtraque abstinere, quæ nulla nunc controuersia est. Falsum autem, si liberum ab alterutra abnuentem alteram sumere. Est enim contra, id quod iam de complemento dictum. Verum est etiam respexisse ad significationem Sacramentorum: non enim potuit aliter: cum sub genere Sacramenta signa sint. Itaque etiam nunc ita oportet, & esse & dici.

LXXXIV. Decima obseruatio. Cum Sacramentum istud in vsu demum vtriusq; speciei habeat suam quandam perfectionem indiuidualem & complementum; licet nullo diuino præcepto necessarium sit administrare illud omnibus secundum eam perfectionem & complementum: tamen errorem omnino esse, putare illud in specie panis vel sola prorsus, vel etiam intincta, perfecte omni modo & complete administrari: & refutari ex institutione. Sic solui Iulium, siue Bracarense Concilium tertium.

LXXXV. Papæ! importunum hominem Iulium illum; qui tam occupato homini bis facessat negotiū. Aut ego infelix, qui vitaturus ταυτολογίας delegerim huius Iesuitæ methodū. An idem morbus Iesuitā cepit, qui præsidem illum Tridentinū, subinde repetentē, *Abige canem?* Sic credo: Nam hic iterum, *perfecte, omni modo, complete administrari:* & *non necesse administrari omnibus secundum eam perfectionem, & complementum*: quæ deliciæ fuerunt præcedentis obseruationis. Hoc noui saltem, *perfectionem indiuidualem, & complementū* θριαν κλῦπας, aut si quid inanius. Iulius voluit, Iulius dixit; siue Bracarense potius Concilium; compleri communionem populi vtraq; specie. Tu ariolare quantum voles: nos dictis stabimus.

LXXXVI. Vndecima obseruatio. Manichæi & Priscillianistæ vinum abominabantur: qua propter Sacramentum non nisi in specie panis vel conficiebant, vel vsurpabant; arbitrantes speciem vini ad illud nullo modo pertinere. Hos à Leone reprehensos, & Gelasio: non autem ipsum per se vsum alterius speciei.

LXXXVII. Sane de Manichæis loqui Leonem non est incertum: Gelasium non nisi verisimile: nam alioquin eius verba latius patent; quæ duntaxat superstitionem quandam nominant: mollius nomen quam congruat hæresi Manichæorum: tum autem Manichæos, non tam male Gelasius notat, vt diceret, *nescio qua superstitione docentur astringi.* Vbi Glossa, *Dicit se nescire qua superstitione hoc faciebant.* Et sane Vasques negauit hanc explicationem extremis contextus partibus posse conuenire; quibus causa decreti redditur. Veruntamen nostra quidem causa; esto sane; & Leoni copuletur Gelasius. Quæro huius quod nam sit obseruationis momentum.

LXXXVIII. Damnabant, inquit, Manichæorum morem. Scio, inquā: nam etsi Cyprianus Aquariorum, & Iulius, intingentium: sed & Chrysostomus negligentium. Denique nihil noui: si suas reprehensiones Episcopi suis accommodent temporibus. Ex comparatione autem Cypriani, Chrysostomi, Leonis, intelligimus, non Manichæorum duntaxat morem esse indignum Ecclesiæ: sed etiam Aquariorum, intingentium, negligentium. Cur non etiam nostrorum mutilantium? Imo, inquit, non damnant hunc morem. Fateor, inquam: nam nec Cyprianus, Chrysostomus, Iulius, Manichæorum. Quid ergo si Leoni respondissent Manichæi, se nō esse damnatos ab illis: Fuissetne legitima excusatio? Hoc habemus ῥητῶς, hoc tenemus

constan-

constanter, displicuisse cum Leoni, tum Gelasio communionem solius panis: confirmatam esse tum Leone tum Gelasio communionem vtriusq; speciei: vnde iis propriis concludimus hanc esse retinendam; illam profligandam: si verum longam Ecclesiæ consuetudinem probatam à doctoribus, esse habendam pro lege, prout sancitum Constantiæ & Basileæ.

LXXXIX. Verum, magnus obseruator nondum absoluit obseruare. Obseruandum, inquit, Manichæos nunquam se simulaturos fuisse ea ratione Catholicos, nempe sumendo alteram tantum partem, nisi aliquando factitatum à Catholicis fuisset.

XC. Ea ratione simulasse Catholicos, quod panem tantum sumerent? Absurdum, inquam: Nam quomodo eo ipso potuissent deprehendi? Nunquam tam ridicule aut sensit, aut loquutus est Leo. Certe apud Papistas omnes essent hodie Manichæi: aut certe nemo Manichæus hoc signo deprehendendus esset. Mentior? An verum exemplo Marranorum Hispanorum? Nam hi dicuntur à Turcis habere fugam vini: & tamen coacti propter inquisitionis metum; ad communionem accedere. Itaq; certum potius; omnes Catholicos solitos vtramque speciem sumere: atque inde deprehensu faciles Manichæos. Sed quomodo tamen Catholicos simulabant? Nimirum quia sumentes panem, viderentur communionis esse Catholicæ; atq; inde sperarent se pro talibus haberi: latere autem facile non accipientes vinum: videlicet, quia non ab eodē Sacerdote, non etiam eodem loco vinum sumeretur, sed à Diaconis separatim: vnde accepto pane, interim dum ibatur ad calicem, fuit facile sese turbæ immiscere, atq; ita latere. Itaq; iussit Leo obseruari: quod prius negligebatur.

XCI. Gelasius autem, quid? Notandum est, quos dicat mysterium sacrilege diuidere: Nempe illos, qui ex superstitione illa Manichæorum. Ita sane, inquam: non enim poterat alter legitime damnare Manichæos: nisi scelerate diuisissent Eucharistiam. Quomodo cum Leo diceret peccari ieiunando in honorem Solis, ac Lunæ: nunquam inde Manichæos damnare potuisset; nisi pro certo habuisset eosdem ieiunare in honorem Solis & Lunæ. Sic quicunque dixerit hominem esse animal rationale; nunquam concludet Petrum esse animal rationale; nisi credat Petrum esse hominem. Dic ergo clare: censen' ita Gelasium Manichæos accusare sacrilegæ diuisionis; vt nullam præterea diuisionem huius mysterij censeret esse sacrilegam? Quasi si Leo diceret nullum ieiunium in honorem Solis & Lunæ esse damnandum, præter illud Manichæorum; quasi quis contenderet nullum hominem esse rationalem, præter Petrum? Nam dum ne hoc iudicij portentum dicas, nihil est quod contradicamus; sed tu si hoc iudicij portentum non fingas, nihil est, quo à nobis Gelasium abducas. Erit enim maior vniuersalis: Omnis diuisio mysterij, id est, omnis communio alterius tantum speciei; est sacrilega: Conceptis verbis, *Vnius eiusdemq; mysterij diuisio, sine grandi sacrilegio peruenire non potest*. Quo sensu Glossa, *Hoc de speciebus ipsis exterioribus intelligitur, impossibile est enim corpus Christi sine sanguine sumi & viceuersa.*

XCII. Nunc reliquum videamus audaciæ. Concise Gregorius, *Fidelibus in detestationem eiusmodi erroris, communis tum erat vsus calicis.* Audacius & explicatius Petrus Michael, *Quod postquam à Pontificibus compertum est*; nempe sic errare Manichæos, *iustissima sane ipsis suppeditata causa est, errorem hunc stirpitus excellendi, blasphemosque Manichaos à Sacramentorum perceptione arcendi, vtrasque species tantisper frequentandas imperando, vt quidem ipsorum non dubie declarant scripta, quandiu huius erroris nondum penitus sublata essent occasiones, pristinaq; sine periculo rediisset libertas alteram, ambasve percipiendi.* Sensus est, deprehendendos fuisse Manichæos, non ex vsu Ecclesiæ, sed ex peculiari constitutione tunc facta ob eam causam: vt in bello si quando tessera sit ab hostibus intercepta, sumitur altera, ne fraus fiat exercitui ex priore. Sed omnium disertissime Suares à Sancta Maria, *Gelasius Pontifex, qui Christi nauem ea ætate regebat, Vt ab hæreticis Catholici discernerentur, & veri Ecclesiæ filij agnosci possent, decreto istiusmodi sanxit, vt fideles corpus Christi sub Vtraque specie susciperent.* Hardingus, *Hac de causa in Italiæ partibus, in quibus Manichæi Virus suum euomuerant, communio sub Vtraque specie instaurari, atque redintegrari præcepta fuit.*

XCIII. Non opus est multis, contra tantam, tam apertam audaciam. Si propter Manichæos Romæ delitescentes conditus fuit Canon: Ergo non oportuit primum reddere causam generalem: quæ non Manichæos magis attingeret, quam alios quoscunque, Atque id est quod Vasques negauit hanc solutionem extremis conuenire. Secundo, non oportuit aut prius extitisse eam consuetudinem, aut posterius, aut alibi. At valuit, & ante Leonem, atque Gelasium: & post Manichæos, & vbique terrarum: Ergo suppositio est falsa. Fuisse ante Gelasium; patet ex Leone: Fuisse ante Leonem patet ex Iulio, ex Hieronymo; ex aliis. Fuisse ante Manichæos, patet ex Iustino, & Ignatio: & vt omnes taceam, ex Paulo: Fuisse post Leonem, & Gelasium, atque adeo post Manichæos; probatur, quia non tantum Gelasius Roma expulit, asserente Hardingo & Gregorio de Valentia; sed etiam nullo modo verisimile est fuisse vllos eius nominis hæreticos Romæ postremis seculis, vt Bernardi, Algeri, Guitmundi, ætate. Valuisse alibi quis neget, qui suffragia legat, ex omnibus Christianitatis partibus? Demum neque Leo, neque Gratianus vllum habent vel tenuissimum indicium, cuiusquam recens instituti. Contra quam Suares à Sancta Maria scripsit. *Extinctis hæresibus istis Ecclesia ad priorem communicandi vsum sub vnica specie rediit.* Nam proh fidem; quum audit quis, obseruandos eos qui vna specie communicant, ausus esset interpretari, Vos deinceps vtrique communicate? Quis audiens. Vnius mysterij diuisionem non posse sine grandi sacrilegio esse, concipiat quasi dictum: Nunc recens, & hanc duntaxat ob caussam iubemus non diuidi mysterium? Profecto necesse est Iesuitis esse aut immanem sui confidentiam, aut infinitam aliorum omnium despicientiam, quæ hæc portenda audeant publicare.

XCIV. Sed si communio vtriusque speciei pro necessaria institutione, & mandato Christi habita, atque generaliter, & inuiolabiliter, vbique & semper sine exceptione obseruata fuisset; quorsum Gelasius decretum hoc de integra Sacramentis accipiendum fecisset? Quasi vero, inquam, nouis decretis nunquam sanciantur vetera instituta? Certe negant. Quadragesimam institutam à Telesphoro, qui, teste Platina, iussit vt septem hebdomatibus ante Pascha ieiunium obseruaretur. Deinde verba ipsa docent; non iussisse, vt inciperent nouum communicandi morem: imo vt nouum recens inductum omitterent, tanquam sceleratum. Nam quis vnquam sperasset hæc verba: *Comperimus quosdam sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice sacrati cruoris abstinere*: quis, inquam, hæc sperasset interpretanda; comperimus omnes abstinere?

XCV. Longe celeberrima hæc alia solutio est. Gelasium de Sacerdotibus loqui. Sic iam olim Glossa Decreti: sic Turrecremata: & Bellarminus, Hæc solutio, inquit, ex eo probabilis redditur, quod Gratianus, qui ex Epistola Gelasij, quæ modo fortasse non extat, capitulum illud desumpsit, hunc ei præfixit titulum, *Corpus Christi sine eius sanguine Sacerdos non debet accipere.*

XCVI. Imo, inquam, Gratiano prior Iuo Carnotensis, vnde verisimile Gratianum sumpsisse canonem, vt multos alios, hunc præfixit titulum, parte secunda, cap: 89. *Non esse secundum corpus Domini sine calice*, Itaque verisimile, Gratianum infideliter contraxisse. Quod item discas ex aliis testibus antiquioribus Gratiano, Nam Algerus de Sacramento libri secundi, capite octauo, habet in hunc modum; *Vt signetur animas nostras & corpora, anima Christi & corpori vniri, & confirmari debere, simul corpus & sanguis sumitur à fidelibus.* Et paucis interpositis.: *Vnde, vt ait Augustinus, nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne iure communicatur. Item Gelasius Maiorico & Ioanni Episcopis, comperimus quod quidam*: & quæ sequuntur, Algero, imo, & Iuone Micrologus antiquior, disputans, Intinctam non dandam populo pro complemento communionis, cap. 19. *Vnde & beatus Gelasius Papa in ordine quinquagesimus primus, scribens quibusdam Episcopis, excommunicari illis præcepit, quicunque sumpto corpore Dominico à calicis participatione se abstinerent. Nam & ipse in eodem decreto asserit; Huiusmodi Sacramentorum diuisio sine grandi sacrilegio prouenire non poterit,* Solitarius Bellarmino testis Gratianus: Plures nobis, & ille antiquiores: & qui epistolam æque potuerunt videre. Et hi non præualebunt?

XCVII. Atque hactenus à Gregorio mihi præscriptus ordo obseruationum; qui tamen quantumuis diligens videri voluit, omisit nonnulla; quæ alij non putarunt negligenda: Iustinus manifeste expressit morem sui seculi, vt communicarent omnes vtrique speciei: & addidit postremo, fuisse à Domino mandatum. Respondet Bellarminus hæc de præcepto verba, non pertinere ad communionem, sed ad consecrationem; quæ iis verbis propinquior. Vasques, Nullum aliud præceptum agnouisse, quam illud, Hoc facite in mei memoriam.

XCVIII. Insto. Etiamsi hoc de præcepto verum esset, tamen constare factum, de quo disputamus, & in eo vel solo magnum esse momentum: quum & seculi fuerit propinquissimi Christo; & rectius describatur vniuersalis, vt decuit eum qui Apologiam scripsit pro Christianis. Deinde idipsum non est verum. Primum, quia nihil obstet, quo minus hæc verba postrema, & totam orationem claudentia, pertineat atque ad communionem, quam ad consecrationem; quas duas partes vel Bellarminus agnoscit eius sermonis. Et vero, quæ sequuntur argumento sunt; quia cum hoc ipsum præceptum explicat, non consecrationis tantum mentio est, sed etiam traditionis; quā dolo malo rescidit Bellarminus Audi, *Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ Euangelia Vocantur ita tradiderunt præcepisse sibi Iesum. Eum enim pane accepto cum gratias egisset, dixisse, Hoc facite in meam recordationem: Hoc est corpus meum: Et poculo similiter accepto; & gratiis actis dixisse. Hic est sanguis meus?* καὶ μόνοις αὐτοῖς μεταδοῦναι, *Ac solis ipsis tradidisse*; nempe *ea*, vt addidit interpres Ioannes Langus, id est, tum panem, tum calicem. Denique, illud etiam, *Hoc facite*, non tantum consecrationem significat; sed etiam distributionem, vt alias docuimus; neque ipsa consecratio seorsim explicatur; sed continet in se præceptum communionis, *Accipite, edite, bibite.*

XCIX. Dixit Augustinus, simul omnes bibere, quia simul omnes viuant. Negat Bellarminus sequi necessitatem sumendi sanguinis per modum potus. Quia non sequatur: *Non simul bibimus: ergo non simul Viuimus.*

C. Sed, inquam, semper constat Augustini testimonio calicem simul omnibus distributum. Dixit enim, *simul bibimus* quod nunquam nunc ausint Papistæ: nos vero confidenter cum Augustino: itaq; similior nostra Ecclesia, Ecclesiæ Augustini, quam quæ Papistarum est. Deinde eadem ratio erit panis. Haud enim sequitur; Non simul edimus: ergo non simul viuimus. Ergone nulla necessitas panis? Nulla quidem absolute, sed aliqua tamē hypothetice: nempe supposita Eucharistia. Eadem ratio vini est.

CI. Gregorius dixit Christi sanguinem non in manus infidelium, sed in ora fidelium fundi. Respondet non negari sumendum sanguinem ore corporis: sed bibi debere ore corporis, aut sub specie vini sumi, non dixisse Gregorium.

CII. Sophista; quid est ergo fundi? Nam hoc verbo vsus Gregorius hoc loco: non sumi, in quo tibi latebræ. Si fundi; Ergo sub specie vini sumi. Nam quis sic de pane loquutus?

CIII. Dixit Paschasius: *Nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne iure communicatur.* Et eadem verba nomine Augustini recitauit Algerus, ac post eum, quidam nostrorum fortasse. Negant Bellarminus & Vasques esse Augustini, sed Paschasij. Deinde Bellarminus negat Paschasium loqui de speciebus, sed de re contenta: docereque non posse sumi carnem ex sanguinem, aut sanguinem sine suo corpore: & illum non iure communicare, qui sentiat vnum sumi sine altero.

CIV. Sed de authore, viris occupatissimis disputandi gratiam facimus. Esto sane Paschasij, temporibus longissime remoti ab Augustino; vt tanto constet magnificentius, non vnius ætatis fuisse. Quanquam sciunt, quicunque Paschasium legerunt, opus esse tessellatum, artificiose compactum ex variis, tum aliorum, tum vero maxime Augustini sententiis; vt ne cuiquam sit absurdum, hæc non esse ab ipso Paschasio. Et sane non est nullum momentum in autoritate Algeri. Sed perinde esto nostra quidem causa.

CV. Sed non loquutus est de speciebus. Imo difficile responsum, inquit Vasques: cuius verba placet Bellarmini verbis opponere, vt dum cancri inter se rixantur, nos rideamus: *Nam Algerus ostendit in eo capite, quare sanguis & caro Christi per se separatim, hoc est, in diuersis speciebus consecretur,*

cum tamen totus Christus in qualibet specie sit: & respondet, non id fieri, quia credendum sit, corpus ex sanguine sub speciebus panis contineri, cum ibi totus sit Christus: sed id fieri in memoriam passionis, & vt caro nostra, & anima viuificetur. Et postea: *Sentit ergo ideo sub duplici specie suum Christum, vt viuificatio corporis ex corpore Christi, & anima nostra ex anima Christi, cuius sedes est sanguis significatur & exprimatur: quamuis totus Christus vere viuificatur secundum animam & corpus sub specie etiam panis contineatur. Hanc vero suam sententiam confirmat testimonio illo Paschasij, & Gelasij Papæ. Id quod in confirmationem suæ sententiæ non adduceret Algerus, nisi de sumptione sanguinis in propria specie ad integram significationem Sacramenti seruandam loqueretur.* Et nonnullis interpositis, *Eodem modo loquitur Paschasius. Nam quamuis capite decimo septimo solum loquatur de fide, qua sumendum est hoc Sacramentum, ne scilicet corpus sine diuinitate, nec diuinitas sine corpore credatur, quando sumitur; tamen capite illo decimo nono de sanguinis perceptione in calice aperte loquitur. Nam primus titulus capitis est, corporis simul & sanguinis perceptionem nobis ad salutem esse necessariam. Et initio capitis de sanguine Christi in calice simul cum corpore sub specie panis sumendo, ita loquitur: Patet sensus, quod iam caro frangitur: quia sanguis est in calice, qui de latere manauit: & ideo quamuis recte caro sanguini sociatur, quia neque caro sine sanguine, nec sanguis sine carne iure communicatur. Vbi cum loquatur de societate sanguinis cum corpore sub specie panis consecrato, intelligit etiam carnem sine sanguine in calice iure communicari non posse.* Paulò post, cum recitauit aliqua alia Paschasij, *Quibus verbis plane docet id quod diximus, nempe sanguinem in calice bibendum esse, vt perfecte repræsentetur curatio totius hominis.*

CVI. Sic Vasques disputat contra Bellarminum ex professo. Nos addimus, primum, duram futuram ἀντιφρασίαν, non iure communicari. Nam hæc phrasis vsurpari solet in iis rebus quæ in vtramque partem possunt fieri, sed non æquo tamen iure. Atqui corpus sine sanguine Christi, si rem ipsam spectes nullo modo sumi potest: quandoquidem sint ambo inseparabilia: quod etiam frequens in ore aduersariis. Carnes in Quadragesima negabunt Papistæ iure comedi: Quæ tamen possunt comedi; At non comedi iure Solem aut Lunam, quis dixit? Deinde quid illud est, eum non iure communicare, qui sentiat vnum sumi sine altero, videlicet ipsum corpus Christi in se, sine sanguine? Hoc quando? vbi hoc dixit Paschasius? Quibus verbis istos descripsit sic somniantes? Nisi forte Bellarmino licuerit fingere. Quod certe licuit: at non iure; sed ex audacia. Atqui Paschasius explicat non quid cui sit credendum, sed quid Christus fecerit.

CVII. Superest Bernhardus testis, corporis & sanguinis alimoniam mandatam deinceps frequentari. Alimonia, inquit Bellarminus, integra est in specie panis. Vasques autem, Mandatum & præceptum hoc pro tota Ecclesia traditum, non autem pro singulis.

CVIII. Sed Vasques contra Bellarminum, *Bernhardus*, inquit, *aperte loqui videtur de altera parte alimoniæ; quæ sub specie vini per modum potionis sumitur.* Et vero integra si sit alimonia, omnino futura est respectu rei, non signi. At Bernardum signa potius intellexisse constat, cum dixit, hanc alimoniam, *ea primum die exhibitam, ea die commendatam*, quod de re falsum est; vt constat saltem ex 6. Ioannis. Vasquis commentum alias excussum est. Porro illa die dictum, Edite, bibite; & dictum singulis: nunquam dictum, edite, bibite pro aliis. Quod etiam esset contra rei naturam; quæ nō patitur, vt alii pro aliis vescantur: ac proinde contra significationem Sacramentalem; quæ sumpta est à vescendi consuetudine. Itaque si imperatum est omnibus: quia videlicet non tantum Ecclesia non vescitur, nisi in singulis: sed etiam quia omnes singuli iussi sunt viuere.

FINIS LIBRI OCTAVI.

LIBER NONVS.

De

EVCHARISTIA.

Caput Primum.

DIMINVTÆ COMMVNIONIS EXEMPLA.

PAPISTIS neq; Institutio potuit imperare; neque exemplum Christi præscribere, neq; Apostolorum vsus præire: Non eos longa consuetudo generalis flectere: non sanctorum Patrum comprobatio mouere; non veterum Canonum autoritas frænum iniicere, vt nō abrogarent sacrosanctam Communionem. Eratne is casus non dignus horrore? At nunc contra obseruate, nullum esse tam nullius momenti exemplum, quantumvis etiam particulare: nullum tam exile vestigium in scriptis Veterum; nullam tam tenuem coniecturam ex Scripturis: nulla tam ridicula sophismata; vt non sint pro inuictis demonstrationibus: pro absolutissimis legibus, pro immobilibus fundamentis sancitæ à Constantiensibus, Basilensibus, Tridentinis, mutilæ communionis. Et quidem tanto maiori impudentia, quod qui fingentes indignari à nobis integram communionem defendi necessariam; nunc mutilatam tam seuere exigant, vt velint alteram omnino prohibitam. Nunquam mihi fides esto, si hic mentiar; & non res ipsa confirmet quod absq; horrore non dico.

II. Verbosissima altercatio, nec facile in ordinem cogenda certum; propter immanem ingeniorum luxuriem sibi indulgentium; vt amat fieri; quum non rationibus impellimur ad credendum; sed iam concepta opinione vrgemur ad vestigandas rationes. In tanta argumentorum sylua, conabor ipse mihi non deesse, & de veteri consuetudine disputabo primum; deinde Papisticam legem examinatum ibo. Nam, vt hæream cuiusquam aduersariorum methodo, obtinere à me non potuerunt, qui ipsi inter se tam sunt varij; vt vix duos reperias eandem viam tenentes.

III. De Consuetudine qui agunt in eo sunt, vt probent non esse recens inuentum communicandi Eucharistiæ Sacramento, sub vna tantum specie, siue ea sit panis, siue calicis: quanquam frequentius panis. Probant partim à Scriptura, partim à traditione; collectis exemplis. Percurram omnia vno spiritu, post exceptiones opponam opportunas. Habent autem è Scripturis primo Christum, deinde Apostolos.

IV. Christi exemplum est, vnum ex Lucæ vlt. postquam peruenisset Christus Emaunte cum duobus discipulis, *Cum accubuisset cum eis, sumpto pane benedixit, & fractum porrexit eis. Aperti sunt autem oculi eorum, & agnouerunt eum.* Hinc Karnkouski, *In Emaus Cleopha, & socio Sacramentum, & sub vnica tantum specie Christus dedit.* Eadem mens Eckij homilia 23 Richeomi cap. 61 Valquis, qui, *Ex Luca vicesimo quarto, vbi dicitur in Cœna cum discipulis in castello Emaus panem fregisse, & dedisse illis, id efficaciter probatur. Nam quid prohibet*, inquit Roffensis, *quo minus in hoc opere suum ducem Ecclesia considenter imitetur*? Renatus Benedictus in Panopha. *Adde quod Christus sub specie panis tantum dicitur communicasse corpus suum discipulis, euntibus Emaus.*

V. Apostolorum exemplа habent ex Actis: Secundo, *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Item Actor. 2. *Primo die Hebdomadis conctis discipulis ad frangendum panem Paulus disserebat cum eis.* Et post: *Quum ascendisset fregisset que panem, & cibum sumpsisset, diu colloquutus vsque ad diluculum, ita demum profectus est.* Addit Cocklæus Actor. 27. itidem de solo pane fieri mentionem, quem sumens Paulus, gratias egit Deo, & fregit: Nec solus Cocklæus, sed etiam Karnkouski.

VI. Ab traditione colligunt multo plura; quæ Bellarminus digessit in duo capita. Prius est fraudibus hæreticorum; quorum duo sunt exempla: vnum apud Sozomenum libri 8. historiæ cap 5. Quandam ex hæresi Macedoniana accepisse in manus Chrysostomo sacris operante panem tanquam paulo post manducaturam, hunc dedisse ancillæ; ab eaque alium accepisse, quem statim comederet: sed hunc fuisse conuersum in lapidem. Inde esse manifestum morem fuisse, vt qui vellent panem sumerent absque calice. Alterum exemplum illud est Manichæorum, ex Leone.

VII. Secundum caput est variorum rituum: qui ordine sic enumerantur. Primo loco est Reseruatio Sacramenti, facta sub vna tantum specie: quia videlicet in multum tempus; puta in annum teste Sophronio capite 78. Prati Spiritualis: quum tamen non posset vinum tan diu integrum manere: sed & Cyprianus sermone de lapsis, Ambrosius de obitu Satyri, & Sophronius, non nisi panis meminerunt.

VIII. Secundo loco, Communicatio est domestica; cum Eucharistiā domum deferrent, & ibi tempore opportuno sumerent. Ex Tertulliani 2. ad vxorem. Ex 1. Stromateon Clementis: Cypriano de lapsis: & de spectaculis; Basilio ad Cæsariam Patriciam: Hieronymo in Apologia pro libris in Iouinianum: & aliis. Hanc autem communionem fuisse tantum vnius speiciei patet, tum quia sola species panis daretur in manus; vini autem porrigeretur in calice; tum quia in priuatis domibus non essent vlli calices sacri, quibus contineri posset sanguis Domini, teste Athanasio in Apologia 2. contra Arianos.

IX. Tertio loco, Communicatio infantium est. Communicabant enim Veteres aliquando infantes: sed sub vna tantum specie, nimirum instillando in os eorum aliquid sanguinis Domini; vt patet ex Cypriano sermone de lapsis; & ex manifesta ratione; quia non possint infantes cibum solidum sumere.

X. Quarto loco Communicatio ægrotorum; quæ vt plurimum fiebat sub vna specie. Sic lib. 6. c. 36 historiæ Eusebianæ, delatam Serapioni particulam Eucharistiæ, vt madefacta traderetur. Cum enim diutius seruaretur, necesse erat direscere: sic autore Paulino in vita Ambrosij, Ambrosium corpore Domini deglutito continuo exspirasse. Basilium, teste Amphilochio in eius vita, Eucharistiam accepisse in sola specie panis longo tempore asseruata. Deniq; Amalarium de Officiis lib. 3. cap. 25. & Micrologum de rebus Ecclesiasticis; cap. 17. testari ex antiqua consuetudine in Missa tres partes hostiæ fieri, vt vna cum sanguine misceretur, altera sumeretur à Sacerdote, tertia seruaretur pro ægrotis in viaticum.

XI. Quin-

XI. Quinto loco, communio laica; quæ in pœnam grauis delicti olim dabatur clericis, ablata eis communione clericali. Testes, Felix tertius Epistola 1. cap. 2. Siricius Papa Epist. 1. cap. 11. Concilium Elibertinum canone 76. Sardicense cap. 2. Agathense cap. 25. & 50.

XII. Sexto loco, Communio præsanctificatorum apud Græcos per totã quadragesimam excepto Dominico & Sabbatho: apud Latinos feria sexta hebdomadæ sanctæ: quo die nulla consecratio est, & Sacerdos ipse in publica actione communicat sub vna specie. Laodicenum Concilium Canone 49. Trullanum 52. Innocentius primus Epistolæ 1. cap. 4. Liber Sacramentorum Sancti Gregorij in officio Parasceues Ordo Romanus in officio eiusdem diei. Rabanus secundi de institutione Clericorum cap. 37. Micrologus 19.

XIII. Ex his omnibus conficitur argumentatio apud Cockleum. Laudabilis Ecclesiæ consuetudo contemni non debet. Sic enim ait Paulus 1. ad Corinthios 11. *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Quum autem longa laudabilisque consuetudo sit laicis vnam speciem porrigere: nemo certe eam contemnere debet: quandoquidem & omnia iura admittunt laudabilem consuetudinem vim legis habere. Sed Cocklæus desumpsit à Conciliis Constantiensi, & Basiliensi, quorum verba habuimus capite primo libri præcedentis.

XIV. Hic videte impudentiam. Primum cum à nobis in argumentum assumeretur maior, quas non illi distinctiones opposuere, quas non exceptiones vestigauere? Negabant esse vniuersalem consuetudinem. Negabant fuisse iuris diuini. Negabant ex præcepto. Negabant damnare oppositum morem: & hæc sufficere ne communio integra faceret legem. Nunc vero quid? Mutilatam hanc, quis non speraret ab iis acceptam vrgentibus oppositis proprietatibus? Videlicet quod vniuersalis, quod imperata, quod cum alterius damnatione Et tamen nihil horum. Et non sunt dissimiles sui Papistæ? Et non sibi omnia indulgentes quæ in aduersariis seuere carpunt? Scilicet eruditior fuit Ecclesia in Emaunte, quam Corinthi vt ne liceat cum Latomo causari Ecclesiæ hunc vsum fuisse adhuc rudis.

XV. Verum concedimus non esse nobis laudabile exemplum ab eorum iniquitate. Illis ergo missis, quæ vitilitigatoribus solennia sunt, serio monemus. Primum, vnam institutionem præponderare omnibus singularibus exemplis. Quia videlicet illa vim habeat legis, ac regulæ: hæc vero minime. Qui ergo Papistas audiui, cum Christi exemplo impugnarentur, clamantes legibus iudicandum non exemplis: cur tam minutis exemplis, hinc inde corrogatis, non exclamem, Non debuistis ô Constantienses, non debuistis, ô Basilienses his exemplis iudicare, sed legibus? Scilicet aliqua docuit Scriptura exemplum Christi, Emaunte pluris esse, quam Hierosolymis. Scilicet Pauli exemplum inter Corinthios esse debuit nihili: & illud laudabilius, quod in naui. Scilicet liturgiarum infringitur authoritas vel opposito vsu quorundam hæreticorum, vel infirmitate ægrotantium comparata! Vno verbo, nos totos populos; Integras Ecclesias per vniuersum orbem obijcimus: isti vnius loci peculiarem circunstantiam proferunt: & non nisi particulares personarum actiones.

XVI. Secundo; nos obiecimus eiusmodi consuetudinem, non tantum nixam testimoniis facti: sed etiam perpetuis laudibus, commendationibus, hortationibus, animatam: reprehensionibus etiam confirmatam. At Papistæ, præter testimonium facti nihil habent: nullum locum: prorsus nullum aut Scripturæ, aut veterum Patrum; quo quenquam constet ob eam rem laudatum: in eam rem aut adhortationibus; aut monitionibus vel exilibus impulsum. Denique nos vtramque speciem diserte nominatam: hi tantum alteram designatam, concludunt alteram subtractam. Dicam clarius: habent multos qui dicant panem sumptum: neminem qui neget calicem; exceptis paucorum hæreticorum exemplis. Et quisquam dicat arma esse paria? æquo iure disputari?

CAP. II.

De exemplis ex Scriptura.

I. AGendum nunc distinctius: priore loco de exemplis selectis à Scriptura: posteriore de reliqua traditione. In illis primum esto, quia facillimum, illud Pauli in naui, quod obiecit Cocklæus.

II. Nos igitur eo loco negamus vllum vestigium Eucharistiæ, aut communicatæ, aut omnino celebratæ. Lucas ita descripsit Actor. 27. *Vos hortor* (ait Paulus) *vt sumatis cibum: hoc enim ad salutem vestram spectat* (quia videlicet dies tredecim perseuerabant ieiuni) *nullius enim vestrum capillus ex capite cadet. Et cum hæc dixisset, accepto pane gratias egit Deo in conspectu omnium: & cum fregisset, cœpit edere. Omnes vero cum iam bono animo facti essent, sumpserunt & ipsi cibum. Eramus autem vniuersa capita in nauigio ducenta & septuaginta sex. Cæterum satiati cibo, alleuabant nauim, proijcientes frumentum in mare.*

III. Enimvero nunquam lectum Sacramentum celebratum in cœtu infidelium, cuiusmodi tunc erant in naui, paucis exceptis Pauli comitibus. At Pauli sermo dirigitur ad omnes, vt secum sumerent cibum Deinde, nunquam celebrata est Eucharistia vt sibi quisque sumat: sed omnes accipiant de manu consecrantis secundum institutionem. Ast hic sibi Paulus frangit panem, sibi sumit: sibi item aliorum quisque: neque vlla distributionis mentio. Denique pane isto tum Paulus, tum reliqui sunt vsi ad satietatem; vt mederentur ieiunio longo, & animos resumerent: qui vsus alienus ab Eucharistia.

IV. Itaque Chrysostomus nihil hoc loco notauit, nisi μεταλαβεῖν τροφῆς, *sumere cibum.* Theophylactus, Τὸ φαγεῖν, μήποτε τῷ λιμῷ διαφθαρεῖτε, *Edere, ne forte fame periret.* Oecumenius, Παραινεῖ ὁ Παῦλος μεταλαβεῖν τροφῆς, καὶ αὐτὸς πρῶτος μεταλαμβάνει, οὐ λόγῳ, ἀλλ' ἔργῳ πείθων. τοῦτο γάρ, φησι, πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ἐστι, τουτέστι τὸ φαγεῖν, μήποτε τῷ λιμῷ διαφθαρῆτε. οὐ γὰρ ἦν αὐτοῖς φροντὶς τροφῆς, ἅτε οὐ περὶ τῶν τυχόντων ὄντος τοῦ κινδύνου. *Hortatur Paulus sumere cibum: primusque ipse sumit, non verbis persuadens, sed factis. Hoc enim,* inquit, *è re est vestræ salutis: nempe comedere, ne fame pereatis. Nulla erat enim cura cibi in summo periculo versantibus.* Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum, disputans contra delectum ciborum, *In typo sanguinis sui non obtulit Christus, aquam, sed vinum. Post resurrectionem piscem & fauum comedit, non sesama, nuces, & sorbitiunculas. Petrus Apostolus non exspectant stellam more Iudaico, sed hora sexta in solarium pransurus ascendit. Paulus in naui panem frangit, non caricas:* Vbi distincte vides Eucharistiam nominatam: & seorsim hunc Pauli cibum inter communes.

V. Lorinus, *Chrysostomus, Oecumenius, Beda, reliquique huius loci expositores vsitatum ac vulgatum duntaxat panem escamve intelligunt, necnon Hieronymus Et mihi etiam id magis placet. Nam mysterium quod ab abscondendo dicitur, cæterorum facile maximum, in omnium prophanorum hominum celebratum conspectu, non adducor vt credam: à quo candidatos fidei Catechumenos reiectos perpetuo Ecclesiæ more constat, & de quo Patres passim, vt de non secreta minus re quam sacrata loquuntur. Et vetere quoque traditione, in mari ac flumine, & in naui Eucharistiam confici nefas ducitur, propter periculum effusionis sanguinis, quamuis sub specie panis illuc portatum legamus. Et quia consecratio vnius speciei non potest fieri sine consecratione alterius, vt sit sacrificium: idcirco tali in loco non fit, nec nauigantes Missam, quam siccam vocant, dum ibi celebratur, audire tenentur. Deinde panem, quem Apostolus mãducauit, & alij omnes sumpserunt vsq; ad satietatẽ: alioqui laborabit perplexu admodum homonymia præsens narratio.* Sic Lorinus cum certis: tum superstitiosis rationibus disputat; vt non nobis tantum debeat esse certum fuisse cibum communem: sed & Papistis absurdum non fuisse. Salmero inclinat iñ hanc partem: etsi oppositam non refutet, *Non videtur,* inquit, *Lucas de Sacramento Eucharistiæ loqui, vt Chrysostomus & Beda sentiunt: tum quia dicit omnes sumpsisse cibum, tum quia subdit: & satiati cibo, alleuiabant nauim. Nam neq; omnes illi apti erant ad communionem sacri panis, cum essent infideles & modici gustu panis, qualis exhibetur in Eucharistia, non valuissent expleri.* Vasques disputationis 216. in 3. Thomæ cap. 2. *Paulum dedisse Eucharistiam Lucæ, & aliis discipulis, falsum existimo: nam ibi solum legimus Paulum exhortatum fuisse omnes etiam infideles, qui in naui erant, vt aliquantulum cibi caperent, ne tempestate maris iactati præ nimio labore deficerent: hos autem inuitaret* (puto supplendam negationem) *ad Eucharistiam. Neq; vero legimus Paulum fregisse, & fractum dedisse omnibus sicut faciebat Christus, quando Eucharistiam consecrabat. sed fregisse, nimirum panem, quem ipse pro se cepit; & manducasse. deinde cæteros etiam manducare cœpisse: quæ omnia indicant commune prandium sumptum eo fine, quo diximus.*

VI. Neque vero aduersarios quicquam mouit vt Eucharistiam somniarent quam quod legerent gratiarum actionem & fractionem: miserando sophismate παρὰ τὸ συμβεβηκὸς: quasi dicerent niuem esse lanam; quia candidam. Etenim etsi in omni Eucharistia & gratiæ agantur, & frangatur panis, tamen non vbicunque gratiæ aguntur, & frangitur panis, ibidem Eucharistia est Quis enim nescit frangi panem in conuiuio: Sed & gratias agi, saltem à fidelibus. Lorinus notauit, *Negari nequit, Christum in panum vsualium multiplicatione gratiarum actionem præmisisse, quam Euangelistæ per verbum quoque τὸ εὐχαριστεῖν descripserunt, nonnulli per εὐλογεῖν, id est benedicere: & Paulum primo verbo vti, loquentem de communi cibo, super quo oratio Eucharistica, hoc est, gratiarum actionis, vel benedictionis ante sumptionem rite vsurpetur, imprecando gratiam ac benedictionem Dei.* Itaque Comestor dixit, *Et hoc dicto sumebant panem in conspectu omnium cum gratiarum actione iuxta morem solitum:* Glossa interlinearis, *Iuxta morem solitum in comedendo, & pro salute nauigantium.* Theophylactus, Τὸ εὐχαριστῆσαι τῷ θεῷ ἐπὶ τοῖς γεγενημένοις. καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαρίστησε τῷ θεῷ. ὁ τῆς εὐχαριστίας τρόπος τοῦτο διδάσκει λέγειν (lege potius λέγων) εὐχαριστοῦμέν σοι ὁ θεὸς, ὅτι ἠξίωσας ἡμᾶς ἕως ἄρτι ζῆσαι ἀσίτους μείναντας. διὸ καὶ δόξαν ἀναπέμποντες κλῶμεν τὸν ἄρτον ἐπὶ τὸ μεταλαβεῖν τροφῆς; *Illud gratias agere Deo pro ijs quæ acciderant. Et sumpto pane gratias egit Deo. Oratio ipsa gratiarum actionis hoc docet, dicens, Gratias agimus tibi Deus quod huc vsque nos ieiunos viuere concesseris: quam ob rem gloriam tibi offerentes frangimus panem ad participandum cibum.*

VII. Nam quod Salmero, vt aliter sentientes excusaret, dixit, Paulum sciuisse eos qui in naui essent, sibi cœpisse credere, quoniam ad verbum suum abscidissent milites funem scaphæ: & post perfectius credituros, dum hortatu suo & exemplo suo cibum sumpsissent: eosque non irrisuros consecrationem Eucharistiæ. Hoc vere nihil est. Nam qui Eucharistiæ noluerunt interesse non tantum Ethnicos, ne Catechumenos quidem: non ignorabant hos saltem cœpisse credere; & profiteri se amplius credituros. Tum autem non vitatur alterum incommodum, quod de eodem cibo omnes gustarint: nisi importune ambiguum dicas Lucam fuisse. Fatetur autem Salmero statim, non esse verisimile Paulum illis porrexisse Eucharistiam, qui nondum erant initiati.

VIII. Apud Lucam c. 24. cum dicitur Christus fregisse panem, & benedixisse, & discipulis duobus dedisse, idem nobis videtur Sophismatis genus: quanuis norimus non paucos detorsisse ad Eucharistiam; Caluinus, *Quia nullo probabili indicio coniectura hæc nititur simplicius accipio verba Lucæ, quod Christus panem in manus sumens, gratias suo more egerit. Peculiarem autem precandi ritum illi in vsu fuisse apparet, cui sciebat discipulos familiariter assueuisse. vt hac nota admoniti sensus suos excitarent. Interim discamus magistri exemplo quoties pane vescimur, ipsi vitæ autori gratiarum actionem offerre, quæ nos à profanis hominibus discernat.* Breuiter, negamus hoc loco vllam designari Eucharistiæ aut consecrationem, aut distributionem.

IX. Sed vehementer repugnant Papistæ: quanquam non omnes. Nam Maldonatus in eum locum indignatur Catholicis quibusdam: in nostras partes euntibus, nec à nostris verbis abstinentibus. Et sane Lyranus nihil nisi consuetum annotauit, *Sicut,* inquit, *consueuerat facere ante passionẽ. Sic enim frangebat panem, ac si scinderetur cum cultello.* Hunc imitatus Stella, *In sola fractione est agnitus: vt intelligamus fractionem fuisse miraculosam, hoc est, quia frangebat panem manibus suis, sicut alij incidunt gladio. Solitum hunc frangendi modum fuisse credimus: & propterea discipuli ex consueto Iesu modo cognouerunt eum. Nam si hic modus frangendi panem non fuisset illi consuetus. nullum agnitionis testimonium afferrent, dicendo, quomodo agnitus fuisset ab eis in fractione panis.*

X. Sed disertius Dionysius Carthusianus, *Et factum est cum discumberet, id est, quiesceret & manducaret; cum illis accepit panem & benedixit, non tamen in suum corpus conuertit, sicut in Cœna, sed vt moris est benedicere cibum: in quo instruxit nos, vt ante refectionem benedicatur cibus & potus.* Ian-

senius Concordiæ c.146. *Hic autem iam res accidit noua, & obseruatione digna. Cum enim recumberet cum eis ipse pro more sibi familiari & proprio acceptum panem benedixit, fregit, & porrigebat illis: cumque id fieret, oculi eorum tenebantur in aspectu eius, & auditione sermonum eius, iam sunt aperti, ita vt cognoscerent eum.* Paulo post, *Sunt quidam qui existimant Dominum hic iam discipulis duobus sub specie panis suum porrexisse corpus quemadmodum Apostolis in vltima Cœna, eo quod id, hic Christus fecisse, quod in vltima Cœna cum Eucharistiam instituëret: atque hinc certum desumunt argumentum, quo ostendant licere Eucharistiæ Sacramentum sub vna tantum specie suscipi & tradi. Ac quanquam ea sententia non est certa; imo nec multum verisimilis: tamen vt omnia Christi facta mysticum aliquid continebant, & abstrusum ita hæc Christi actio proculdubio sacri aliquid significabat.* Sed manifestissime omnium Vuidefordus contra Wiklefum art. 1. *Dico quod non habetur ex textu vel ex Glossa Lucæ vigesimo quarto, vel per antiquos doctores, quod ille panis, quem fregit post resurrectionem in sero coram discipulis, fuit consecratus, vel quod ille panis fuit Sacramentalis, vel conuersus in corpus Christi.* His addi potest Baronius, qui hanc enarrans historiam anno quadragesimo quarto, §. 193. de Eucharistia tamen neque ψεῦ neque μῦ, quam omissurum nunquam credent, nisi quibus ignotissimum eius ingenium. Sed & Iustinianus in prioris ad Corinthios 10. ea verba, *Panis quem frangimus exponens: Non simplicem fractionem intelligit, qualis erat illa, cuius meminit Lucas qua indigentium necessitati consulebatur, sed sacra & Eucharistica.* Notauit autem in margine loca ex Euangelij 24 & Actor. 22.

XI. Tertium ordinem faciunt Bellarminus & Barradius; qui vtrisque illis accedunt: nempe & asserentibus fuisse Eucharistiam: & negantibus. Quomodo? Nimirum neutram sententiam esse certam, vtramque verisimilem. Barradius in Concordiam Tom. 4. lib. 8. c. 12. *Vtraque opinio est verisimilis, vt Cardinali Bellarmino videtur: idemque existimo.* Bellarmini locum habes c. 24. lib. 4. de Eucharistia. Nihilominus vtramuis sententiam in presens commodum iste conuertit, quod post videro. Nam prius confutanda sententia contendentium Eucharistiam fuisse: cuius princeps Ioannes à Louanio. Habere putant ratiunculas: habere & veteres testes.

XII. Hesselius. Non inuenies, nisi me memoria fallat, vsquam in Euangeliis dici, Christum accepisse panem, benedixisse, & fregisse, nisi quando peculiarem mutationem circa eum fecit: vt quando bis panes multiplicauit, & pisces: & quando Sacramentum sui corporis consecrauit. Legitur quidem in conuiuiis multis fuisse, sed nusquam accepisse panem, benedixisse, ac fregisse.

XIII. Mirum argumentum! cui nulla impudentia est ausa conclusionem attexere. Quid hoc est? Nusquam alias Christus accepit, benedixit fregit, nisi vt mutationem faceret. Ergo nunc mutationem fecit. Atqui consequentiæ fulcimentum assumi oportet hoc axioma: Nunquam Christum accepisse, benedixisse, fregisse, nisi vt mutationem faceret. Quod axioma primum non est verum. Atque adeo argumentum non sumit nisi, nunquam factum alias. Non sequitur autem, si nunquam alias factum, etiam tunc factum esse. Exempli gratia. Nunquam alias Christus acceperat, benedixerat, fregerat, ad instituendum Sacramentum: Ergone qua vespera traditus est, non iustituit Sacramentum? Et vero hoc tanto magis, quanto securius illi, Lyranus, Stella, Carthusianus, Iansenius asserunt, accepisse, benedixisse, fregisse Christum, more consueto: qui prorsus esse nequit Sacramenti conficiendi. Quis enim dixit consueto factum, quod nunquam nisi semel?

XIV. Præterea, quid illud est; Nunquam factum nisi vt peculiariter mutaret? Nam hoc quidem aut Latine loqui non est; aut est falsum. Etenim sexto Ioannis nemo vnquam mutationem nominauit: Euangelista nullam indicauit: sed tantum multiplicationem: quæ nulla in Eucharistiæ Sacramento. Et est tamen hoc commentum non exigui momenti: quia enim & Ioannis 6. & in Institutione Eucharistiæ mutationem commentus est; voluit intelligi, nunquam sic egisse, nisi vt mutaret. Bœotij crediderint; Sophistis si forte minime malis. Quod si mutationem contendat esse à pauciori bus in plura: relegandus erit Sophista in eorum ordinem, qui niuem dicunt esse nigram: & vocabula non nisi suo arbitrio æstimari volunt.

XV. Denique ad mutationem Eucharisticam ita loquutus est: ita fecit, vt nunquam sic loquutus, sic fecisse inueniatur alias; at ne hic quidem. Accepit, benedixit, fregit alias; fateor; sed nec sic benedixit; nec sic fregit, vt in Cœna. Nunquam benedicendo dixit, *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, nisi omnino semel in vita. Nisi forte cui libeat somniare, quę nusquam legit. Quod si libet: cur non dicamus Ioannis 6. ita fuisse enunciatum? Quod si nemo audet, quia nullus Euangelista dixit: sumus in tuto, vt Emaunte non sit dictum; quia nemo testis. Et qui sunt aduersarij vt nobis imperent hic somniare, ibi non somniare pro suo arbitrio?

XVI. Rursus Hesselius. Huc accedit, quod huic benedicto pani, fracto, & distributo scriptura tribuat peculiarem effectum, nempe ablationem impedimenti Satanici ne cognoscerent Christum: quodque discipuli intellexerint panı sanctificato eum effectum tribuendum: narrantes se cognouisse in fractione panis: hoc est per panis benedicti, & fracti porrectionem. Maldonatus; Accedit miraculum, quod in fractione panis, ab illis, qui tot cum ante sermonibus non cognouerant, cognitus est. Quod alia ratione quam Eucharistiæ virtute factum esse non potest.

XVII. Prætorium edictum est. Sic enim Maldonatus solet putare se natum non ad disputandum: sed ad decernendum: quasi summum censorem vniuersorum hominum; Superbissimus bipedum: id est Iesuita. Non potuit fieri, inquit, nisi Eucharistiæ virtute. Quasi vsquam constaret Eucharistiæ virtutem eam esse. Quasi nusquam constaret aliter agnitum Christum. Imo sic sperant se felicissime impostoram facturos, si audacissime asserant, quæ nusquam lecta, nusquam visa. Imo sint contra omnem experientiam. Scilicet aut non agnoscebat Maria, aut Cœnam sumebat, cum dixit, *Rabboni* Ioannis 20. aut Ioannes ipse, cum Petro dixit, *Dominus est:* Ioannis 21. Quid? quod hæc ipsa agnitio alias nusquam facta legitur in eius Sacramenti administratione? Et contendent adhuc pertinacissimi homines non posse fieri aliter?

XVIII. Imo potuisse aliter facile est conijcere; vel naturali motu, vel supernaturali. Priori modo cum signis quibusdam obseruatis reuocata fuit memoria. Hoc voluerunt, quicunque dixere solitum à Christo sic manibus frangipanem, quomodo alij cultro; Lyranus, Stella, alij. Dicamne ridicule? Sic censet Maldonatus, *Quod autem*, inquit, *apud quosdam, qui non mali habentur autores, lego propterea Christum in fractione panis cognitum fuisse, quod panem ita diuisisset, non quasi fregisset manibus, sed quasi cultro scidisset, tam simile apparet esse figmenti, vt ridendum magis, quam refellendum videatur.* Et sane importunum est pro arbitrio fingere miracula.

XIX. Itaque modestius, qui ex ipsa actione argumentum petunt. Carthusianus, *Habuit enim Saluator consuetudinem, sic accipiendi, benedicendi, frangendi, distribuendique panem, vt ex Euangelio comprobatur, sicut dum turbas refecit ex quinq; panibus hordeaceis, & postmodum ex panibus septem.* Lucas Brugensis, *Benedictum panem cum discipuli accepissent, incitati fuerunt, vt fixis oculis attentius Dominũ intuerentur: quod dum facerent præbuit ipse eis natiuum vultum manifeste conspiciendum, omni impedimento sublato: quemadmodum Mariæ Magdalenæ, simulatque proprio nomine eam appellasset.*

XX. Nec minus probabiliter Caluinus coniecit fuisse Christo particularem quendam precandi ritum: quo obseruato discipuli redierint in memoriam Magistri. Sicut prior Euthymius, *Quum vidissent assuetam ac cognitam panis benedictionem: nam tunc permissi sunt vt eum agnoscerent.* Et si Maldonatus ferre non potuerit suo more impotentius, quam verius: vtpote cui plerumque summa ratio improbandi, odium personarum. Quanquam his rationibus videri voluerit agere. Primo non esse credibile habuisse proprium ritum benedicendi, cum etiam Eucharistiam instituens, quantum potuerit ad communem se Iudæorum ritum accomodauerit. Secundo non dissimulaturos fuisse Euangelistas, nec tacituros fuisse Pharisæos. Tertio, alia fuisse ei magis propria, vocem, lineamenta oris, doctrinam, & Scripturarum explicandarum rationem; vnde tamen non fuerit cognitus.

XXI. Quæ omnes nullius sunt momenti. Nam etsi accommodauerit se Christus Iudaicis ritibus, tamen non absolute: verum quantum potuerit. Hoc autem satis est, vt benedicendi ritum habuisse dicatur peculiarem. Nam alias habiturus prorsus eundem. Quanquam nihil etiam obstat, quominus in similitudine rituum, priuata ratio fuerit benedicendi: quæ non ad ritus conuiuij, sed ad formulam precationis pertinet potius. Quomodo inter Christianos liberæ sunt precationum conceptiones, etiam in similibus causis. Vt nulla fuerit aut Euangelistis causa peculiariter hanc diuersitatem annotandi, aut Pharisæis etiam carpendi. Magis propria alia fuisse non diffitear: sed quæ ad oculos pertinebant, habes summota ab Euangelista, qui expressit oculos impeditos. Quæ ad aures, quis miretur minus efficacia fuisse, quam quę ad oculos? Doctrinam, & explicationem Scripturarum, habes jam mouisse corda, ex diserta confessione, *Nonne cor nostrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis in via, & dum adaperiret nobis scripturas?* Scilicet nemo obseruauit, vnquam pluribus indiciis perfici, quod singulis non possit.

XXII. Et tamẽ si tantopere displicet hic reminiscentiæ motus naturalis, quanquam facillimus atque vsitatissimus: per nos quidem licet ad supernaturalem confugere; in quo quid sit incommodi equidem videre nequeo. Vt Christus videlicet sua vi arcana, & tum maxime operante, cum minime videtur, aperuerit & oculos & mentem, quæ antea tenebantur, ne viderent, quod videbant. Nam phrasis illa, ὁ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου *in fractione panis*, nihil habet, quo magis instrumentum cognoscendi denotet, quam circunstantiam cognitionis; vt hæc acciderit tum cum panis frangeretur: quomodo Syrus expressit כד קצא לחמא *dum fregit panem.* Quam interpretationem sequutus est Beza in Annotationibus: imo etiam Franciscus Lucas.

XXIII. Sed præcipuum firmamentum est in Veterum testimoniis quibusdam. Primo Augustini, tertij de Consensu Euangelistarum capite 25. *Oculis eorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est, vsque ad fractionem panis, certi mysterij causa, vt eius in eo alia ostenderetur effigies, & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent, sicut Luca narrante monstratur. Pro merito quippe mentis eorum adhuc ignorantis, quod oportebat Christum mori: & resurgere, simile aliquid eorum oculi passi sunt; non veritate fallente, sed ipsis veritatem carere non valentibus, & aliud quam res est opinantibus; ne quisquam se Christum agnouisse putet, si eius corporis particeps non est, id est Ecclesiæ, cuius vnitatem in Sacramento panis commendat Apostolus, dicens, vnus panis, vnum corpus multi sumus, vt cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum. Aperirentur vtique ad eius cognitionem, remoto scilicet impedimento, quo tenebantur ne eum agnoscerent.* Et paulo post, *Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Sathana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo est facta permissio, vsque ad Sacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci.* Secundo habent Theophylactum in Lucam, *Insinuatur autem & aliud quiddam, nempe quod oculi eorum qui benedictum panem assumunt, aperiuntur vt agnoscant illum. Magnam enim & indicibilem vim habet cæna Domini.* Habent tertio autorem operis imperfecti in Matthæum homilia 17. *Quod autem Sacerdos de manu sua dat, non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est: quoniam hoc non solum detur quod videtur, sed etiam illud quod intelligitur: De sanctificato ergo pane licet, & animalibus tractare, & infidelibus dare, quia non sanctificat accipientem. Si autem tale esset quod de manu Sacerdotis accipitur, quale est quod in mensa manducatur, omnes de mensa manducarent, & nemo de manu Sacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in via non solum benedixit panem: sed de manu sua dedit Cleopha, & socio eius.*

XXIV. Hos tres solos testes nominare potuerunt. Sed nos verius putamus illud Videfordi, non haberi per antiquos Doctores eum panem fuisse Sacramentalem id est Eucharisticum: non tantum, quia tam pauci sint; sed etiam quia ne ipsi quidem ita dicant. Solus Augustinus dixit *Sacramentum panis*: verum nemo ignorat quam late soleat vti eo nomine, pro re quacunque in qua sit aliquid arcani, vt alibi frequentissime. Tractatu in Ioannem 17. de piscina subito turbata, *Credas hoc Euangelica virtute fieri solere, non tamen sine significante aliquo Sacramento* Post, *Videamus proinde iam, quo Sacramento iste languidus curetur à Domino.* Iterum, *Portamus proximum & ambulamus ad Deum: sed eum ad quem ambulamus nondum videmus: ideo & ille nondum nouerat Iesum. Sacramentum hoc commendatum est, quia in eum credimus quem nondum videmus.*

XXV. Itaque Augustino Sacramentum panis, non significat, eum panem fuisse Sacramentum Eucharistiæ: sed in eo pane fuisse aliquid mystice significatum; & altius quam quod gestũ sit. Quid autem illud? Ipse doceat.

De

De tempore ſerm.140. *Eia fratres, vbi voluit Deus agnoſci? In fractione panis. Securi ſumus: panem frangimus, & Dominum agnoſcimus, Noluit agnoſci niſi ibi, propter nos, qui eum non viſuri eramus in carne, & tamen manducaturi eramus carnem.* Imo ne longius petamus, quam ab ipſo illo loco, *A Chriſto facta eſt permiſſio, vſque ad Sacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata remoueri intelligitur impedimentum inimici, vt Chriſtus poſſit agnoſci.* Mens facilis. Sicut illi, in illa fractione panis Chriſtum agnouerunt corporaliter: ſic nos in frangendo pane Euchariſtico Chriſtum agnoſcimus ſpiritualiter. Nempe, inquam, hoc myſterium: hæc illa altior, & reconditior conſideratio: hoc illud Sacramentum. Itaque quomodo agnitio corporalis, alia eſt ab agnitione ſpirituali, ſic fractionem illam panis, aliam oportet eſſe ab hac noſtra fractione. Non igitur vtrumque Euchariſteam.

XXVI. Quam rationem omnino neceſſe eſt Theophylacti eſſe. Recte enim potuit ſignificari per apertionem oculorum in illa fractione, agnitio Domini in Euchariſtia: indeq; magna vis carnis Chriſti: etiam ſi illa fractio, non ſit hæc caro: imo non ſit panis Euchariſticus.

XXVII. Nec aliter concipiendus ille autor operis imperfecti. Qui nuſquam profecto dixit, illam fractionem ine Emaunte fuiſſe Euchariſticam: ſed ideo in ea voluiſſe Chriſtum agnoſci; vt illud inſinuaretur myſterium, cuius titillatus eſt ſubtilitate: quam ego profecto non exacte capio: atque laborem facile aliis permitto. Addo tantum huic fractioni panis, alteram copulari ex Pauli in naui; quam tamen conſtat non fuiſſe Euchariſticam. Quanquam in hac ipſa prop. ium addidit commentum, à Paulo fractum hunc panem datum fuiſſe in manus Lucæ; quod neque Lucas ipſe dixit, neque alius quiſquam.

XXVIII. Hoc eſſe mentis illis teſtibus vidit Ianſenius, *Vt omnia Chriſti facta myſticum aliquid continebant & abſtruſum, ita hæc Chriſti actio procul dubio ſacri aliquid ſignificabat. Nihil autem aliud conuenientius intelligi poteſt ſignificaſſe, quam ſacri eius corporis diſpenſationem quam ſub ſpecie panis ſimili, qua modo vſus eſt actione, Apoſtolis paulo ante commendauerat, quam & in multiplicatione panum ſimili actione olim myſtice ſuis commendauit, Itaque effectu hic ſubſequuto commendare fidelibus Dominus voluit vim Euchariſtiæ digne ſuſceptæ, nempe quod per eam oculi hominum illuminantur ad cognitionem Ieſu* Paulo poſt, *Ex quibus Theophylacti & Auguſtini ſententijs apparet multi, illos ſenſiſſe Dominum iam impertiſſe ſuis Euchariſtiæ Sacramentum: verum magis intelligendum eos Sacramenti mentionem feciſſe, quod illud hic à Domino myſtice fuerit commendatum & inſinuatum.* Bellarminus hanc explicans Ianſenii ſententiam, *Auguſtinus, Beda, Theophylactus, hoc tantum docere videri poſſunt, nempe fuiſſe in illa panis benedictione myſterium quoddam, quo ſignificaretur vtilitas Euchariſtiæ. Quomodo etiam loquitur Innocentius tertius libri 6. de myſteriis Miſſæ capitibus ſeptimo & nono.*

XXIX. Itaque nihil habent prorſus Papiſtæ; quo perſuadeant fuiſſe tunc temporis Euchariſtiam celebratam. At nos contra ſolidum argumentum: Nullam Euchariſtiæ diſtributionem eſſe; nulla præcedente legitima Euchariſtiæ conſecratione. Hic vero nullam iſtam præceſſiſſe. Quare neque vllam illam eſſe ſequutam. Maiorem probari non eſt opus, notam ex inſtitutione, confirmatam conſenſu etiam Papiſtarum. Minor etiam non poteſt eſſe ambigua. Nulla enim Euchariſtiæ legitima conſecratio eſt ſolius panis ſine calice. Quod conſtat, tum ab eadem inſtitutione: tum ex vſu Eccleſiæ; tum ex confeſſione Papiſtarum. Aſt hic nullam fuiſſe calicis conſecrationem, iiſdem conſtat argumentis, quibus diſputant aduerſarij nullam fuiſſe calicis diſtributionem. Nam nec Lucas vllius calicis conſecrati magis meminit, quam diſtributi: neque etiam locum ei vllum reliquit. Breui benedixit Chriſtus panem: hunc eundem ſtatim fregit ſuo more: in fractione agnitus diſparuit. Vbi ergo calicem conſecrauit, aut quando? Scilicet poſt quam diſparuit.

XXX. Verum eſto, inquiunt: nulla fuerit Euchariſtia; tamen, inquit Ianſenius, etſi non omnino efficax: probabile ſaltem hinc ſumitur argumentum, quo defendatur receptum iam Eccleſiæ vſum communicandi laicis Sacramentum Euchariſtiæ ſub vna ſpecie, tum quod hic locus ab antiquis Catholicis de Sacramento Euchariſtiæ ſit intellectus; vnde patet illos intellexiſſe Sacramentum iſtud ſub ſola panis ſpecie confieri poſſe, cum ſicut calicis non fit mentio, ita etiam eum non fuiſſe porrectum conſtet ex eo quod mox euanuiſſe dicitur ex oculis eorum. Tum quod hoc Sacramentum ex ſua efficacia hic ſaltem fuerit inſinuatum, etiam ſi vere non fuerit iam datum. Et Ianſenio conſentit Bellarminus.

XXXI. At nos negamus, ſi non fuerit celebratio Euchariſtiæ, legitime inde concludi Euchariſtiam communicandam ſubducta altera ſpecie. Ratio facilis: quia nunquam auditum eandem rationem eſſe ſigni, & ſignificati. Exempli gratia ſignum fuit Euchariſtiæ agnus Paſchalis, qui caro fuit: an ſequitur in Euchariſtia vtendum carne? Breuiter ergo dicimus, ſi fuit in hoc conuiuio aliqua adumbratio Euchariſtiæ: non fuit tamen adumbratio ſignorum: quæ qualiaue eſſe debeant: ſed tantum efficaciæ. Non ſequitur autem ſi efficaciam ſignarint vno ſigno; ideo in Euchariſtia vnicum debere eſſe ſignum. Quin amplius; etiam ſi innuatur tota efficacia Euchariſtiæ eſſe in vno pane; tamen negamus non niſi panem in Euchariſtia participandum. Ratio certa negandi: quod Euchariſtia metienda ſit ex inſtitutione: hæc autem non tantum efficaciam docet, ſed etiam vſum præſcribat. Et denique efficacia, nec ſeorſim panis ſit, nec ſeorſim calicis: ſed in ſolidum vtriuſque.

XXXII. Sic illi infeliciter. Nos contra ad huc conſtantius: etiam ſi concederemus in hoc actu conſecratum fuiſſe panem Euchariſtico more, tamen adhuc negaremus ſequi inſtitutam communionem diminutam. Primum enim cur communionem potius, quam ſacrificium? Nam profecto non diſtinguitur à Luca communio à Sacrificio. Itaque ſi verum, tam ſacrificauit Chriſtus ſine calice, quam communicauit. At non patiuntur aduerſarij inſtitutum Sacrificium ſine ſanguinis ſpecie. Cur ergo magis communionem? Alterutrum dent neceſſe eſt; vel hoc ineptum eſſe, ſi communionem dedit ſine calice; Ergo communionem legitime dari ſolius panis. At hoc ſanum, ſi ſacrificauit ſine vino: Ergo Sacramentum legitimum eſſe ſolius panis. Quod ſi neutrum velint, videbunt omnes, ſolam illis dominari pertinaciam, imo malignitatem.

XXXIII. Imo rurſus aliter. Nullum extraordinarium factum, trahendum in exemplum, multo minus in legem. At hoc eſt extraordinarium factum. Inepte igitur in legem aſſumptum, aut exemplum. Patet minor: quia quod nullus datus ſit calix, per accidens factum: nempe quia Chriſtus diſparuit repente: quæ diſparentia prorſus accidentaria eſt: nulla modo pars vlla inſtitutionis. Quomodo Sacerdotem ſacrificantem imaginantur ipſi Papiſtæ poſſe vel exſpirare ante inchoata myſteria calicis: vel oborta quadam ſubitanea infirmitate impediri. Siccine abiſtis Papiſtæ regulam deſumant legitimæ celebrationis?

XXXIV. Superſunt duo loci ex Actor. 2. & ex 20. in quibus agi de Cœna Domini prolixe concedimus. Syrus ita vertit: Caluinus aſſenſit omnino, & Bulingerus, & Gualterus, & Piſcator. Latius Beza & Aretius interpretantur Agapas, ſed quarum potiſſima pars eſſet Euchariſtia. Itaque hinc ſane nulla controuerſia eſto. Quid ergo? Solo tunc pane vſos negamus Apoſtolos: ſed Lucam ab vna parte Synecdochice totam actionem denominaſſe; pro more. Nam certe Actorum viceſimo ſeptimo Lucas non niſi fractionem panis nominauit; qui tamen epulum deſcribit reficiendis corporibus, quæ iam multum ieiunium toleraſſent; vt veriſimile non ſit, neminem bibiſſe: cum tamen natura doceat famem non eſſe abſque ſiti.

XXXV. Et ſic Actor. 2. *Quotidie perſeuerantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exſultatione, & ſimplicitate cordis.* Nam hæc verba etſi Salmero iterum de Euchariſtia interpretetur: tamen aliter omnes fere alij. Theophylactus. Τὸ δὲ κλῶντες ἄρτον τῶν πολλῶν αὐτῶν ἐγκράτειαν καὶ λιτότητα δηλοῖ τῆς τροφῆς. μετειλάμβανον γάρ φησὶ τροφῆς, ἀλλ' οὐ τρυφῶν, *Illud autem panem frangentes, magnam illorum temperantiam ſignificat & victus tenuitatem. Sumebant enim,* inquit, *cibum non autem delicate viuebant, ac genio indulgebant.* Oecumenius, Τὸ δὲ κλῶντες ἄρτον, εἶπεν ἵνα τὴν εὐτέλειαν καὶ αὐτάρκειαν ὑπερφήνῃ αὐτῶν τῆς διαίτης· ἄρτον δὲ κλῶντες μετελάμβανον τροφῆς, ἀλλ' οὐ τρυφῶν, *Illud, frangentes panem, dixit, vt demonſtraret parcitatem ac facilitatem victus eorum: panem enim frangentes ſumebant cibum, non autem delicias ſectabantur.* Chryſoſtomus. Τὸν ἄρτον ἐμοὶ δοκεῖ λέγων καὶ τὴν νηστείαν ἐνταῦθα σημαίνειν, καὶ τὸν σκληρὸν βίον. τροφῆς γὰρ οὐ τρυφῆς μετελάμβανον, *Panem dicens, videtur mihi hoc loco ieiunium ſignificare, & auſteram vitam: ſimul enim accipiebant alimentum non delicias.* Caietanus, *Significatur per hoc, quod per ſingulas domos familiarum conuerſarum ad Chriſtum fiebat diſtributio panis, conuenientibus iſtis ad iſtam, & illis ad illam domum: ita quod accipiebant cibum ſibi datum. Modus enim explicatur quo fiebat diſtributio cibi tantæ multitudini in diuerſis habitaculis.* Denique Lorinus, *Exiſtimo de Euchariſtia non eſſe ſermonem: quoniam ſuperius paulo ante de illa ſermo habitus eſt: ſed vel de victu, qui diſtribuebatur ſingulis, prout cuique opus erat, vel de conuiuio quod ἀγάπας appellabant.* Adde Richeomum lib. 4. de Miſſa cap. 61. Et Iuſtinianum in 10. prioris ad Corinthios paulo ante recitatum. Quis porro perſuaderi ſibi patiatur in hac quantacunque victus tenuitate; in his conuiuiis nullum potuiſſe locum fuiſſe? Neceſſe eſt igitur per panis fractionem σωεκδοχικῶς intelligi etiam alteram partem τῆς τροφῆς.

XXXVI. Et ſane Humbertus ille de ſylua candida contra Pectoratum, *Quinimo ſicut Lucas narrat. Erant fideles perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis. Quæ communicatio qualiter & quibus diebus fieret, poſt pauca demonſtrat dicens. Quotidie perſeuerantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem ſumebant. Ecce verax Euangeliſta teſtatur ſub Apoſtolis fideles quotidie oraſſe, & panem fregiſſe. Et vos qui eſtis, qui dicitis duobus tantum diebus hebdomadis Miſſam perfectam fieri debere? reliquis vero quinq; imperfectam? Nempe hic in panis fractione & communicatione, non niſi perfectam actionem Miſſæ debemus accipere.* Denique Iuſtinianus in 12. prioris ad Corinthios, *Quemadmodum ſuperiori capite ex altera cibi ſpecie vtramq; ſignificauit: ita etiam hic ex ſpecie potus integrum Sacramentum indicare voluit.* Viden? ipſis teſtibus Papiſtis probari noſtram Synedochen? Qua & vſus Lombardus 4 diſt. 2. in enumerandis ſeptem Sacramentis, *Panis benedictio,* inquit, *id eſt Euchariſtia.* Neque, enim, puto, è Sacramentorum numero explodi calicem voluit, vt apud Papiſtas à communione.

XXXVII. Sed & argumentum in promptu: quia niſi ſuccurrat Synedoche: Ergo his iiſdem locis conſtabit non tantum communionem, ſed etiam conſecrationem ipſam factam in vna duntaxat ſpecie: cum omnino alterius non meminerit Lucas: aut etiam ſequetur, conſecrationem nullam omnino fuiſſe, quandoquidem ſola fractio nominetur, quæ differt à conſecratione; non minus, quam panis à calice. Nam impudenter Karnkouski dixit Lucam aſſerere, *Paulum non ſolum conſecraſſe, verum & guſtaſſe.*

XXXVIII. Synedochen hanc nullo quod viderim impugnant argumento. Duntaxat hoc noſtrum conantur infirmare: nam de teſtibus nihil dicunt. Primum igitur negat ſequi conſecrationem factam ſine poculo, Bellarminus; cui aſſentit Vaſques. Ratio, quia Lucas deſcribat, non quid Apoſtoli, ſed quid populi facerent. Apoſtolos igitur vtramque ſpeciem conſecraſſe, ſed populis in vna ſpecie miniſtraſſe. Id confirmat, quia plurimi Hieroſolymis eſſent Chriſtiani, ad certum tempus Nazaræi, non bibentes vinum: quos neque ſit credibile contra votum bibiſſe, neque probabile abſtinuiſſe, à communione. Quare probabiliſſimam coniecturam eſſe, ideo Lucã ſolum meminiſſe fractionis panis, quod ab ea ſola ſpecie nulli abſtinerent.

XXXIX. Sed hæc non fuit Bellarmino digna ſubtilitas. Primum enim vnde habet Lucam loquutum non de Apoſtolis, ſed tantum de populo? Certe in Diſcipulis Apoſtoli. Sed vt id mittam, nego ſermonem eſſe de eo quod plebs fecerit. Nam fractionem nunquam illa fecit: ſed is à cuius manu panis acceptus. Sacerdotis, inquam, munus fuit panem frangere: quomodo in prima inſtitutione nemo Apoſtolorum fregiſſe dicitur, ſed duntaxat Dominus; quem concedunt aduerſarij duodecim partes feciſſe. Porro etſi in 2. Actor. codices Latini legant, in communicatione fractionis panis: tamen ne in eo monſtra ſuo more ſectetur Sophiſtice, Græca veritas habet *in communicatione & fractione panis.* Et vt hoc ipſum non vrgeam; tamen 20. legitur diſerte, diſcipulos conueniſſe ad frangendum panem; eodem ſenſu vel ipſis teſtibus Papiſtis, qui vtrumque locum citant ad idem probandum. Sed & Lorinus in 2. Actor. *Indicat fractionis nomen,* inquit, *conſuetudinem antiquam partiendi Sacramentum pro adſtantibus, ſiue manu, ſiue potius cultro.*

XL. De Nazaræis, feſtiue Lorinus eodem loco, *Nolim,* inquit, *vim adeo*

magnam hoc in argumento ponere, quoniam modicitas vini, nec nocet nunc celebrantibus, etiam si voluerint abstinentiam eius. Sunt enim Papistæ exactissimi culicum cribratores. Sed nobis subtilitas non satisfacit, qui Apostolos existimamus fuisse rudiores, quam vt tanta mysteria conciperent. Quid ergo? Nempe tam putamus verisimile propter Nazaræos dictum discipulos perduraſſe in fractione panis: quam Esaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum.* Eum vero quis putet à tam raro contingentibus ordinem denominatum. Nam neque in Iudæis passim Nazaræi erant; & inter Christianos tam pauci; vt omnino semel occurrat. Euge dignam obseruationem ex qua mensuretur Ecclesiæ politia.

XLI. Hesselius. Non est certum hanc fractionem panis statim post consecrationem factam esse, siue in Missa. Potuit enim esse communio sub sola panis specie ex præsanctificatis: qualis est hodie paraſceues in Romana Ecclesia, & per multos dies Quadragesimæ, apud Græcos, & quotidie nunc apud infirmos.

XLII. Non est certum, inquit: & potuit esse. Quasi certum esset quod ipse potius somniauit: & non potuerit esse, quod nos docemus. Quis istas ferat intemperies? Ex coniecturis, ex mere contingentibus diuinationibus oppugnari argumentum ab institutione? Quid? nonne potuit esse, vt olim vitiosam pecudem aliquis immolaret? Ergone permissum concludas? Sed seuerius, nego potuisse vllam tum temporis communionem esse ex præsanctificatis: nam id inuentum sero Christianis cognitum. Quanquam hanc ipsam communionem fuisse ex pane solo, nisi longe serius, postea docebo esse falsum. Videlicet non cogitauit sophista se Rempublicam Platonis, metiri ex fece Romuli: tam verisimiliter, quam si à Christo vsurpatum crustulum illud furfuraceum diceret, quod nunc in vsu est apud Papistas, & quidem appicto crucifixo. Tam nihil pudet hoc genus homines.

XLIII. Adiamus celsius aliquod Theologiæ genus ab eodem Hesselio. Demus, Christum sub sola specie panis Sacramentum corporis & sanguinis sui consecrasse. Quid inde absurdi consequetur? Licere scilicet, quantum est ex jure diuino vnam tantum speciem consecrare. Sed id non esse absurdum docent Alexander de Ales, & Adrianus sextus.

XLIV. Et speret quisquam ab his Sophistis obtineri quicquam posse iusti & æqui? Qui instar indomitorum equorum in præcipitia sese dent potius, quam vt freno duci se patiantur? Non potest satis pro meritis declamari in tantam impudentiam. Vide. Nos dicebamus, absurdam esse vnius speciei tantum consecrationem. Iste negat. Quo argumento? Quia vnus aut alter Sophista aliter senserit. Itane? inquam. Quia vnus, aut alter negauit Solem esse maiorem terra: ideo concludendum Astrologis nullum id somnium esse? Et quia vnus, alter, tertiusve negauit sub Zona torrida habitari posse; ideo Cosmagraphi non disputent in oppositum? Et in Theologia, Deum immortalem! quodnam hoc principium futurum est; vt quicquid siue Scriptura docuerit, siue plures asseruerint, tamen nihil sit incommodi si vnus & alter in oppositum sit alucinatus?

XLV. Cæterum Vasques disputatione centesima vicesima tertia, cum recitauit capite primo sententiam eorum qui dixerunt, *In consecratione alterius speciei solum integram rationem sacrificij reperiri.* Et altero, sententiam dicentium, *Sacrificium Christi incruentum institui potuisse in consecratione vnius tantum speciei: verum reipsa in consecratione, & desitione vtriusque substantia institutum fuisse*: Tertio tandem, *Probabilior sententia*, inquit, *in duobus posita est. Alterum est, tam ratione Sacramenti, quam Sacrificij, vtriusque speciei consecrationem ex iure diuino necessariam esse, vt etiam ex licentia & dispensatione Pontificis, vna tantum consecrari non possit: alterum est ratione sacrificij ita essentialiter à Christo positam fuisse in consecratione vtriusque speciei, nulla habita ratione conuersionis, vt in consecratione alterius commode constitui non potuerit.* Modestiam nota Iesuitæ, non ausi præcise determinare quæstionem, sed tantum probabiliter.

XLVI. Sed Thomas non tantum quæstionis 80. articul 12. in 3. dixit, *Ex parte ipsius Sacramenti conuenit, quod vtrumque sumatur, scilicet & corpus, & sanguis: quia in vtroque consistit perfectio Sacramenti: & ideo quia ad Sacerdotem pertinet hoc Sacramentum consecrare & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine.* Et paulo post, *Repræsentatio Dominica passionis agitur in ipsa consecratione huius Sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari.* Sed etiam quæstionis 74. articulo 12. *Nec propter defectum alterius est vnum tantum sine altero consecrandum: quia non esset perfectum Sacramentum.* Dominicus Soto in 4. distinctione 9. quæstione 1. articulo 1. *Addit D. Thomas, quod vbi altera defuerit materia, neutiquam altera sola consecranda est, videlicet panis vbi non est vinum, vel vinum vbi non est panis, consecretur. Esset enim hoc immane sacrilegium, atq; adeo nullam ob causam committendum, eo quod Sacramentum maneret imperfectum.*

XLVII. Possunt longe plurimi testes conferri. Sed enim, quid animi fuit Hesselio, à communi, vsitataque suæ Ecclesiæ sententia diuertere ad aliam, cuius duos ad summum assertores potuit nominare? Aut quomodo sperauit futurum cuiquam sano verisimile, secundum Alexandum de Hales, & Adrianum, fuisse ab Apostolis celebratum Sacramentum, quam secundum Vasquem, cuius verisimilior est opinio? Sed Thomæ & aliorum sanior doctrina est, non verisimiliter, sed certo asserentium, nullo modo debere consecrari vnam speciem absque altera: quod nos certe persuasissimum habemus multo religiosius Apostolos obseruasse, apud quos summa fuit autoritas Christi, quam vllum Papistam Missificum, qui nihil crepare solet, quam autoritatem suæ Ecclesiæ.

CAP. III.

De exemplis traditæ vnius speciei, præter Scripturam.

I. SAtisfactum ex locis Scripturæ: & ostensum nullam iis vim esse ad probandum communione diminutam. Supersunt exempla variarum obseruationum in historia Ecclesiastica: vnde videri volunt non tam pugnare; quam triumphare. Ast ego contra nego non tantum triumphare, sed ne pugnare quidem.

II. Et primum quidem manifestum est nullum omnino proferri exemplum prohibiti calicis, vlli vnquam fideli siue è clero siue è populo. Atqui hoc maximi momenti est: & vehementissimum indicium his armis ne pugnari quidem. Neque enim Papistæ hos intra se cancellos continuere, vt permitterent vtrumque morem: sed in tyrannidem manifestam exeuntes, omnino omnibus interdixere alterum. Aristotelis fidem! hoccine disputare est? Liciuit olim alteram speciem sumi: Ergo deinceps altera interdici debuit: Id paucis mihi fuit indicandum. Auditoribus prolixius considerandum est. Sed nunc progrediar vlterius: negans vllum exemplum proferri aut vllius communionis dimidiatæ; aut saltem legitimæ.

III. Nam legitima quis dixerit, quæ improbata? Atqui primum fraudes hæreticorum omnino necesse est improbari. Non fraudes futuras alioquin. Manichæi sumebant panem, abstinebant à calice. Ita sane. Sed & Aquarij sumebant panem, vinum respuebant. Tu hinc concludas legitimum esse vsum solius aquæ? Artotyritæ caseo vtebantur. Ergo ne hinc momenti aliquid ad interpretandam institutionem Eucharistiæ? Videte, Papistæ, quantæ vos agant intemperiæ; qui recusato exemplo Christi, exemplo Pauli, exempla obtruditis hæreticorum. Nam quod fingitis Manichæorum fraudem fuisse, vt imitarentur Catholicos accipientes panem, à vino abstinentes; antea confutauimus.

IV. Sed & delatam domum Eucharistiam, testantur ipsi Papistæ: non tantum antiquatam; sed etiam cum ignominia. Durantus Tholosanus libri secundi capite quinquagesimo quinto, *Consuetudinem Eucharistiam domum deferendi, seipsumque communicandi, quam persecutio infidelium, occlusio templorum, & inopia ministrorum olim fecerat, antiquauit* Ecclesia. Idem plenius libri primi capite decimo sexto, *Hæc consuetudo, Eucharistiam domum deferendi, quam persecutionis tempestas introduxerat, tandem antiquata fuit, tum ex Concilio Toletano primo, Canone quarto. Si quis autem à Sacerdote acceptam Eucharistiam non consumpserit, velut sacrilegus propellatur. Cæsarauguſtano Canone tertio, his verbis. Eucharistia gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse Ecclesia, anathema sit in perpetuum.*

V. Eadem ratio communionis infantium, quam omnes Papistæ improbant, & refutant argumentis sumptis ab institutione, id est, natura Eucharistiæ. Thomas parte 3. quæst. 80. art. 9. ad 3. Caietanus in eum locum: præter alios nominatos libri præcedentis cap. 3.

VI. Quanta, quæso, mutatio facta tam pauco tempore? Qui nolebant hanc controuersiam iudicari exemplis Christi, & Apostolorum: nunc, nunc hanc ipsam rem iudicari volunt exemplis, quæ tamen ipsi: ipsi, inquam, coguntur improbare. Næ id genus est humilitatis Christianæ valde recens. Vtinam ne diuturnum: longe nos aliter, qui non tantum illa obtendimus Christi, Apostolorumque nunquam satis laudata exempla, nobis, quidem arbitris: at certe vel Papistis censoribus non damnata. Sed etiam ex Ecclesiæ historia selegimus ea, quæ nemo hactenus culpare potuit: quibus ipsi Papistæ solum temporis discrimen opposuerunt; quia nunc prohibitum sit, quod nunc permissum.

VII. Illa non sunt legitima. Nunc nego vllum dari communionis dimidiatæ in consuetudine publica Ecclesiæ. Et percurro singula. In fraudibus hæreticorum, actum iam de Manichæis ex Leone: ex quibus confirmata fuit potius communio integra, quandoquidem alias nunquam forent deprehendendi. Macedonianam illam mulierem, aut mire supinos oportet esse; aut mire impudentes, qui obiiciunt. Quid enim? Panem accipit, velut oratura procumbit: alium accipit ab ancilla furtim: ei dentes admouet, sentit lapidem: confitetur delictum. En tibi communionem vnius speciei. Ita sane, inquam. Sed cuiusmodi? Publicene institutæ? an saltem publice toleratæ? Minime gentium. Sed priuati casus. Nihil enim Sozomenus recitat, quid illa aut fecerit aut facere voluerit circa calicem. Sed quid acciderit post sumptum panem. Nam hic solus sumebatur è manibus Sacerdotis: calicem Diaconi ministrabant. Ergo sumptum panem illa statim finxit edere? nimirum quia sic soleret fieri, comedi, inquam, panis antequam accederetur ad calicem. Interea illud accedit. Quomodo si quis vnquam Sacerdos deliquium passus est (nam & ita aut fingunt, aut obseruant fieri posse) post sumptum panem: ille profecto non sumpsit calicem: an propterea consuetum Papistæ dicent apud se Sacerdotem non sumere vtrumque? Ridiculum. Et aliter. Nō sumpsit calicē; quanquam nemo dixit: sed esto. At eadem mutauit panem furtim, an quia hoc moris esset inter Catholicos?

VIII. Sequitur reseruatio Sacramenti. Sed hæc publica est, vel priuata. Publicam dico Presbytero factam & in templo. Priuatam in priuatis domibus. De publica dictum alias; & negatum esse ab initiis. Sed nunc certum non pertinuisse ad publicam communionem, nec vnquam legi peracta consecratione plebi oblata fuisse, ea quæ reseruata fuissent, potius quam quæ recens consecrata. Quod probat vel ille ritus, quem dicunt præsanctificatorum, qui non vsurpatus; nisi cum nulla consecratio fieret. Vnde vt maxime consequens esset prohibendum calicem, iis qui priuatim communicarent: cum tamen funditus sit sublatus.

IX. Præterea nego solum panem fuisse conseruatum. Apparet primum ex Iustino, à quo Bellarmino ipsi repetita autoritas conseruationis: is enim ad absentes delatum non dixit solum panem, sed eadem quæ præsentibus distribuebantur panem vinum, & aquam. *Διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μετολαβεῖν ἀπὸ τῆς εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παρεῦσιν ἀποφέρουσι, Distribuunt vnicuique præsentium, vt participet eum in quo gratia acta sunt panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt.* Vbi profecto si delatio ad absentes argumentum vllum est conseruationis; hanc oportet esse communem vtrique speciei. Apparet rursus exemplo Exuperij, quod Bellarminus corrupit; quum ab Hieronymo ad Rusticum laudari dixit quod cogeretur corpus in canistro portare; resecato sanguine, cuius tamen Hieronymus diserte meminit, *Nihil illo ditius, inquit, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Et si liceat aduersariorum imitatione, etiam improbata exempla corrogare; habes. De Consecratione distinctione 2. Canone, *Cum omne crimen*, nonnullos, qui pannum lineum musto intinctum per totum annum reseruarent; & in tempore sacri-

sacrificij partem eius aqua lauarent, & sic offerrent. Quæ sophistice erat sine dubio inquirentium rationem conseruandi vini, æque ac panis.

X. Superest priuata reseruatio: sed hæc eadem cum communione domestica. Fuit autem priuata superstitio, tandem, vt dixi, abolita. Sed prætera non solius panis: verum etiam vini: quod apparet ex Gorgonia; de qua Gregorius frater: εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν, *Si quid vspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus recondiderat.* Vbi clarum vtramque speciem nominari: nam neque panis est ἀντιτύπων sanguinis: neque vicissim vinum corporis. Itaque reseruabantur tunc temporis ambæ species: nempe vt sumerentur. Quare consequens est vt concedamus vtramque etiam speciem permissam domi sumi.

XI. Nam quod excipiunt seruari viuum non posse, gratis dicunt. Primum, quia; non esset necessaria diuturna conseruatio, cum mos esset frequenter non tantum offerendi: sed etiam communicandi. Deinde quia commune argumentum est pani: quem mucescere, ac corrumpi, tum experientia testatur frequentissima: præcipue in pane azymo: tum ipsæ Papistarum cautelæ, adeo vt si propter hanc causam non fuisset reseruandum vinum; sequeretur ne alteram quidem speciem. Tertio, falsum est non posse ad longum tempus conseruari vinum. Si enim aerem non sentiat, aut raro sentiat, vt fit in vasculis vitreis, etiam exigua quantitate potest incorruptum permanere: & quidem facilius quam panis, qui ipse se corrumpit in mucorem, vt nullus noceat aer.

XII. Veruntamen, ait Bellarminus, sola species panis dabatur in manus, vinum autem in calice. Ita est, inquam. Etsi postremis temporibus, addita est fistula, sorbillando vino. Sed cur non potuit etiam ex calice æque fundi in aliquod vasculum: ac panis de manu transferri in linteum? aut vnde Gorgonia ἐθησαύρισεν ἀντιτύπων sanguinis?

XIII. At nulli calices sacri in domibus: concedo. Sed cur non ampullæ? Nam profecto Exuperius non deferabat in calice. Gorgonia non seruabat in calice. Licebat ergo sanguinem fundere in alia quædam vasa, quam in calices.

XIV. Venio ad communicationem infantium. Erat, inquit, Bellarminus tantum sub specie vini. Contra Cyprianus de Lapsis; infantes sic introducit loquentes, qui parentum scelere idololatria essent polluti, *Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini ad profana contagia sponte properauimus.* Augustinus Epist. 107. *Si in illa parua ætate moriuntur, vtique secundum ea quæ per corpus gesserunt, id est tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt: quando baptizati, vel non baptizati sunt: quando carnem Christi manducauerunt; vel non manducauerunt quando & sanguinem biberunt vel non biberunt.* Hypognosticon quinto, *Quomodo vitam regni cœlorum promittis paruulis, non natis ex aqua & Spiritu sancto: non cibatis carne, neque potatis sanguine Christi, qui fusus est in remissionem peccatorum?* Denique Gennadius Massiliensis, in de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 52. *Si paruuli sunt vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui eos offerunt iuxta morem baptizandi: & sic manus impositione & chrismate communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur.* Zuinglius in explicatione artic. 18. testatur librum ritualem Claronæ Heluetiorum, cui libro Obsequiali nomen, diserte præcipere, *Baptizato puero mox detur Eucharistiæ Sacramentum: similiter & poculum sanguinis,*

XV. Quare communio infantium erat in vtramque speciem. Sed opponunt exemplum vnum ex Cypriano. Scilicet apud Papistas vna hirundo facit Ver. Quanquam illud ipsum exemplum quodnam quæso est? An negat Cyprianus aut solere dari panem infantibus: aut etiam huic non datum? Minime omnium: tantum dicit huic infanti cum daretur vinum accidisse miraculum: quasi quis ex Papimania obseruaret Sacerdotem sacrificantem, cum calicem sumeret hausisse araneum. An iste quæso diceret eum Sacerdotem nullum sumpsisse panem? Magno videlicet labore opus fuit huic telo vitando.

XVI. Opponunt iterum; infantes non posse aliquem cibum sumere. Nullumne prorsus? Nam illud non diffitear; si, inquam, sic intelligas esse aliquod genus solidi cibi, quod non possint capere, puta tantum, vt præmansum oporteat ante quam descendat in stomachum. Sed quid ad Eucharistiam; quam neque dentibus atteri necesse sit: neque tanta mole, vt non possit demitti? Posse autem sic infantes saltem micas panis sumere, norunt omnes, quibus humanitas nota.

XVII. Traditam ægrotis Eucharistiam dicunt plurimi. Sed datum vinum nemo negauit vnquam. Quidam affirmauere. Nam inter absentes ego quidem ægrotos numerandos censeo: ad absentes autem missam vtramque speciem testatus est Iustinus. Et Exuperius pro ægrotis credo portabat & panem in canistro, & sanguinem in vitro. Sed Serapioni iubetur dari Eucharistia madefacta, apud Eusebium historiæ libr. 6. cap. 36. Quod tamen exemplum profert Bellarminus, sperans persuasurum se, id vinum fuisse non consecratum. Vnde, aut quo argumento? Imo addens suam coniecturam: quod panis diutissime seruatus in nimiam duritiem abisset; quod Eusebius nullus dixit. Cur non nos audiendi simus potius ab ipsa infirmitate causam petentibus, cum aridis faucibus haud facile sit siccum alimentum deglutire? Mitte, Bellarmine, quod suspicaris: quod legis, istoc vtere; aut tace. Nec legimus fuisse Serapionem factum participem τῶν δυοῖν, id est vtriusque speciei. Itaque cum audimus panem ἀποβεβρεγμένον: non intelligimus aliter, quam madefactum vino consecrato, & notamus non tantum sic madefactum panem fuisse porrectum, sed etiam puerum κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι instilasse ori, vinum videlicet reliquum. Itaque vtramque speciem non dubitamus traditam.

XVIII. Amphilochium diximus alias impostorem esse. Paulinus ille autor vitæ Ambrosij. æque πονηροῦ κόμματος fuit; teste Erasmo. Et is tamen quid habet quæso? Honoratus Vercellensis, *obtulit sancto Domini corpus: quod vbi accepit, emisit spiritum.* Hæc ille. Ergone non sanguinem? An quia nunquam capit sanguinem qui capit corpus? An quia corporis nomine non potest tanquam à priore parte tota Eucharistia designari? Nisi forte ita vrgeant dictum, emisisse spiritum, vt ne otium datum fuerit sumendi calicis. Quod si faciant; primum gratis facient: non enim ita necesse est. Deinde etiam per accidens factum dicent, vt solum corpus sit acceptum; quomodo ipsi docent Papistæ posse accidere Sacerdoti sacrificanti.

XIX. Amalarius & Micrologus testantur, ait, ex antiqua consuetudine tres hostiæ partes fieri solere, vt vna cum sanguine misceretur, altera sumeretur à Sacerdote ante sanguinis sumptionem, tertia seruaretur pro ægrotis, quæ viaticum morientium diceretur. Imo antiquam consuetudinem quo sensu dicis Bellarmine? An ab initiis Ecclesiæ; vel saltem aliquod ante eos autores seculis? An vero quæ eorundem autorum vigeret tempore? Nam illi quidem nusquam nominant antiquam consuetudinem; itaque te oporteat tuorum verborum esse interpretem. Si ergo priori sensu antiquam dicis, tuo more facis, vt supponas falsa; sin altero, rursus tuo more, vt quæ recentissima; id est, multis post initia seculis inducta, habeas pro antiquis. At nos postrema secula omnia dicimus recentia: quia videlicet antiquitatem Ecclesiæ non nobis comparemus, sed Christo.

XX. Deinde, quid isti dicunt, quæso? Trium oblatæ partium, vnam reseruatam in ægrotorum gratiam. Sed solamne? Neuter. Et abhorret à vero. Nam quantam esse oportuit oblatam; vt eius tertia pars sufficeret ægrotis? Quanquam Micrologus aliter, *Tertiam*, inquit, *Communicaturis, siue infirmis, necessario dimittit.* Audin communicaturis? Atqui non-dum communicaturis interdictus erat calix. Quomodo ergo, etsi communicaturis hæc reseruaretur particula, non erat consequens hanc iis solam offerri: sic neque ægrotantibus.

XXI. Triarij supersunt: Communio laica; & præsanctificatorum. Illa data clericis olim in pœnam grauis delicti. Ita sane. Sed hoc non quæritur, cur data sit: sed cuiusmodi fuerit. Nam si sub vtraque specie; constat absurde proferri in argumentum. Fuisse autem eiusmodi & apud Melanchthonem Bellarminus legerat: & nos scimus certum. Quid nos dico? Nam ipsi etiam Papistæ, testes sunt: vt habeat, quibus cum se Bellarminus exerceat, nobis interea quieti nostræ permissis: si tamen non sint ei vt Esau, manus contra omnes. Sed recitabo prius quæcunque solent à Veteribus reperi testimonia huius communionis: vt inde facilius, quæ opus sunt educantur.

XXII. Cyprianus omnium primus, & antiquissimus testis, Epistola 52. *Susceptus est Trophimus pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus: sic tamen admissus est Trophimus, vt laicus communicet: non secundum quod ad se malignorum literæ pertulerunt, quasi locum Sacerdotis vsurpet.* Epistola 67. *Basilides adhuc insuper præter libelli maculam cum infirmitate decumberet, in Deum blasphemauerit, & se blasphemasse confessus sit, & Episcopatum pro conscientia sua vulnere sponte deponens, ad agendam pœnitentiam conuersus sit, Deum deprecans, & satis gratulans, si sibi vel laico communicare contingeret.* Et 73. *Addimus plane, & adiungimus frater carissime, consensu & autoritate communi, vt etiam si qui Presbyteri, aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica prius ordinati fuerint, & postmodum perfidi ac rebelles contra Ecclesiam steterint: vel apud hæreticos à pseudoepiscopis & antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, & contra altare vnum atque diuinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione suscipi cum reuertuntur, vt communicent laici; & satis habeant, quod admittuntur ad pacem: nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis, & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint.*

XXIII. Cornelius secundus est Romanus Episcopus; cuius Epistolam de rebus Nouati recitat Eusebius Ecclesiasticæ historiæ lib 6. cap. 6. Græcæ editionis 43. Christophorsonianæ 35. Significat tres simpliciores Episcopos, eosque ebrios ordinasse Nouatum. Et addit: ἐξ ὧν μετ' οὐ πολὺ ἐπανῆλθεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἀποδυρόμενος καὶ ὁμολογούμενος τὸ ἑαυτοῦ ἁμάρτημα, ᾧ καὶ ἐκοινωνήσαμεν λαϊκῷ ὑπὲρ αὐτοῦ δεηθέντος παντὸς τοῦ λαοῦ. *Ex quibus Episcopis vnus non longe post peccatum flebiliter lamentatus, & idem aperte confessus, ad Ecclesiam reuenit: quem, populo vniuerso pro eo rogante, tandem vt laicum in communionem recepimus.* Quæ postrema verba Pamelius annotatione 37. in 52. Cypriani, sic recitat, *Vnum eorum ad laicam communionem recepimus.*

XXIV. Syricius c. 11. Epistol 1. *Quisquis sane clericus aut viduam aut certe secundam coniugem duxerit, omni Ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudetur, laica sibi tantum communione concessa: quam ita demum poterit possidere, si nihil postea, propter quod hanc perdat, admittat* Innocentius primus Epistolæ 22. c. 4. *Nostra lex Ecclesiæ est, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare.* Canon Apostolicus 15. de Clericis deserentibus parochiam suam, τοῦτον κελεύομεν μηκέτι λειτουργεῖν; *hunc vlterius ministrare non patimur:* ὡς λαϊκὸς μέντοι ἐκεῖσε κοινωνείτω, *Veruntamen tanquam laicus ibi communicet.* Basilius ad Amphilochium canone 32. *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici,* τοῦ βαθμοῦ καταπίπτουσι, τῆς κοινωνίας δὲ τῶν λαϊκῶν οὐκ εἴργονται, *de gradu quidem deijciuntur, à laicorum autem communione non arcentur:* οὐ γὰρ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό, *Non enim vindicabis bis in idipsum.*

XXV. Concilij Eliberini canon 76. *Si quis Diaconum se permiserit ordinari & postea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum acta legitima pœnitentia, post triennium accipere communionem. Quod si alius detexerit, post quinquennium acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere.* Sardicensis Canon primus, de Episcopis ab Ecclesia in Ecclesiam desilientibus: ἡγοῦμαι μηδὲ λαϊκῶν ἔχειν τοὺς τοιούτους χρῆναι κοινωνίαν, *Existimo eos ne laicorum quidem habere debere communionem.* Vulgata versio habet, *Nec laicam communionem habeat.* Canon secundus de iis qui subornatas plebis literas proferrent in excusationem suæ ambitionis: καθάπαξ οὖν τὰς ῥαδιουργίας ταύτας καὶ τέχνας κολασίας εἶναι νομίζω, ὥστε μηδένα τοιοῦτον μηδὲ ἐν τῷ τέλει λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας, *Omnino ergo has fraudes & artes puniendas esse existimo; vt nemo possit, qui est eiusmodi, ne in fine quidem laica communione dignus haberi.* Carthaginensis quinti Canon 13. *Si quis de alterius monasterio repertum, vel ad clericatum promouere voluerit, vel in suo monasterio maiorem monasterij constituere: Episcopus qui hoc fecerit, à cæterorum communione seiunctus, suæ tantum plebis communione contentus sit: & ille neque clericus, neque præpositus perseueret.* Agathensis 50. *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut testimonium falsum dixerit, ab officij honore depositus in monasterium retrudatur; & ibi quandiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.* Toletani primi 4. *Qui vero tertiam* vxorem

acceperit, abstentus biennio, postea inter laicos, reconciliatas per pœnitentiam, communicet. Aurelianensis tertii secundus, *Vt nullus clericorum à subdiacono & supra, quos vxores in proposito suo accipere inhibetur, propria, se forte iam habeat, misceatur vxori. Quod si fecerit, laica communione contentus, iuxta priorum canonum statuta ab officio deponatur.*

XXVI. Hæc omnia sunt, quæ comperi ad hanc rem collata. Constat ex iis primo aliquam fuisse communionem laicam dictam. Constat impositam clericis: vnde oppositionis plenioris gratia dici queat alia communio clericalis; etsi hanc quidē sic nominatam inuenerim nusquam. Sed quid, aut cuiusmodi fuerit communio laica ambigitur. Bellarminus, & cum iis pauci, fuisse pronuntiant vnius tantum speciei. Sed à se; & quidem, nullo addito argumento: quasi imperium obtinerent. Certe nullis locis quos recitare potuerint, eius definitionis vel tenue vestigium inuenerunt.

XXVII. At nos contra. Laicam Communionem eandem dictam obseruamus, Laicorum communionem in Concilio Laodicensi, λαϊκῶν κοινωνίαν. Quod Balsamon in Basilii ad Amphilochium interpretatur, τὴν μετὰ τῶν πιστῶν κοινωνίαν *communionem cum fidelibus.* Et in ipso illo Canone Sardicensi, ὡς λαϊκὸν κοινωνεῖν, *vt laicum communicare.* Vnde elicimus non fuisse genus aliquod communionis nouum: sed idipsum, quod in vsu laicorum, quod etiam Papistæ admittunt. Atqui nihil certius est, quam tum Cypriani, tum reliquis temporibus laicis promiscue permissam vtram speciem: quod & nos prolixe probauimus; & aduersarii plurimi sua confessione confirmarunt. Imo potentissimus Chrysostomus est in eam rem, asserens nullum esse discrimen inter populum & Sacerdotem; quantum quidem attinet ad communionem. Quare non potest v deri laica communio hæc esse vnius tantum speciei.

XXVIII. Et ipsi aduersarij deberent attentiores esse ad rem suam: qui soli Sacerdoti concedunt vtramque dum operatur: alias nunquam: itaque si communionem sibi dari postulet, siue sanus, siue ægrotus, panem duntaxat accipit Atqui constat hanc laicam communionem impositam Sacerdotibus, communionem accipientibus etiam in articulo mortis. Sic habes in Sardicensi secundo Canone; hunc, inquit, μηδὲ ἐν τῷ τέλει ne in fine quidem laica communione dignum esse. Vnde constat, quibusdam saltem in fine fuisse concessam.

XXIX. Coniecerunt alii à loco nomini occasionem fuisse. Pamelius certe ita notauit ad Cypriani Epistolam 52. *Laicum communicare nihil aliud est veteribus, quam inter laicos communicare. Orabant autem & communicabant illi extra cancellos per ministerium Archidiaconi, hoc est, extra chorum, vt hodie loquimur.* Quod ego quidem non impugnarim: sed nego satis esse ad hanc nostram controuersiam. Nam Stephanus Durantius, & locum coniunxit, & vnicam speciem, cap. 55. secundi de Ritibus, *Hæc laicorum communio à Sacerdotali distat, quod Sacerdos communicet sub vtraque specie: cæteri vero sub vna specie. Hinc laicam communionem appellatam, eam quæ sub vna sit specie, nonnulli crediderunt. At nedum laici, sed & clerici, imo Sacerdotes ipsi non conficientes, communicant tantum sub vna specie. Quare verius est laicam communionem dictam, quæ extra sacratiorem locum Sacrificij fit, vbi tum Sacerdos conficiens tum ministri communicabant.*

XXX. Sed verius nihil præscribi simile. Lorinus in Actorum 2. agens de distinctione Communionis in clericalem & laicam, *Reuera distinctio non in specie vtraque; & vna esse videtur: quoniam vtraque species concedebatur: sed in destinato loco, ac separato pro clericis, & pro laicis: vt hi communicarent extra chorum: in choro alij clerici, præter Sacerdotem & Diaconum: hi ante altare.* Recte vidit Lorinus ἀπροσδιόνυσον esse communionis laicæ ratione, vnam, aut vtranque speciem. Quod nobis quidem sufficit ad Bellarminum, & Bellarminianos omnes refellendos, qui profecto nihil agunt, si non obtinent hanc communionem fuisse vnis specie tantum.

XXXI. Hic Bellarmini obseruemus bonam in disputando fidem. Philippus, inquit, in Apologia Confessionis Augustanæ dicit, Communionem laicam dictam esse, non quod esset sub vna specie tantum, sed quod esset eorum, qui non consecrabant: & hanc fuisse pœnam olim Sacerdotibus infligi solitam, vt priuati ministerio consecrrandi Eucharistiam, contenti essent sola manducatione. Chemnitius laicam fuisse quam sumebant clerici inter laicos, in loco templi inferiore, & post clericos: ita vt distinguatur à clericali solum tempore & loco. Refutat; quod Felix prohibuerit dari nisi in morte. Concilium Sardicense, ne in morte quidem: vbi neque loci neque temporis illa distinctio fit.

XXXII. Sed Melanchthoni, & Chemnitio fit iniuria manifesta, ab astuto Sophista, qui vidit non posse refutari, si sincere recitaretur eorum Nam Philippi verba sunt, *Addunt de laica communione quæ non erat vsus alterius tantum speciei, sed vtriusque: & si quando Sacerdotes laica communione vti iubentur, significatur, quod à ministerio consecrationis remoti fuerint.* Chemnitij ista, *Laica communio veteribus vocabatur, quando clericus propter crimen aliquod, ab officio ministerij vel suspendebatur vel prorsus remouebatur: tunc enim ipse non administrabat Eucharistiam, sed eam tantum accipiebat; idque non inter clericos, sed post clericos cum laicis, & in loco vbi clerici communicabantur.* Hæc verba & vera sunt, & longe aliud sonant, quam quod nugatus est Bellarminus: sunt autem diducenda fusius.

XXXIII. Duo fuere pœnarum genera clericis peccantibus: vna in depositione publici officij cuius gratia erant ἐν τῷ καταλόγῳ in albo clericorum. Altera erat excommunicatio. Illa priuabat clericatus honore. Hæc autem excludebat à cœtu fidelium. Vocabula Græcis καθαίρεσις, ἀφορισμός: quorum illud nunquam nisi de clericis vsurpabatur: hoc vero de vtrisque. Sed hoc discrimine, vt cum clericus deponebatur, laicus excommunicaretur, si idem crimen esset. Apostolico Canone 31. *Si Quis Presbyter Episcopo proprio contempto, χωρὶς συναγάγῃ seorsum populum coegerit, καθαιρείσθω, deponitur: οἱ δὲ λαϊκοὶ ἀφοριζέσθωσαν, Laici vero ab Ecclesiæ societate pellantur.* Et 63. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, aut quisquis de clericorum numero carnes comederit cum sua anima sanguine, καθαιρείσθω deponatur: εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω, Si vero laicus fuerit, à consortio seponatur.* Similiter canone 65. 66. 69. cano. 66. Trullano, *Si quis Episcopus, vel Presbyter vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel lector, vel cantor, vel ostiarius, cum muliere Deo dedicata coierit καθαιρείσθω deponatur, vt qui Christi sponsæ vim attulerit: εἰ δὲ λαϊκὸς ἀφοριζέσθω, Sin autem laicus segregetur.* Et 5. παραβαίνοντες δὲ, εἰ μὲν κληρικοὶ εἶεν καθαιρείσθωσαν, εἰ δὲ λαϊκοὶ ἀφοριζέσθωσαν, *Qui autem transgrediuntur, si sint quidem clerici, deponantur, si vero laici, segregentur.*

XXXIV. Vtrique pœnæ clerici subiacebant; sed varie. Interdum enim deponebantur, tantum. Apostolico Canone 3. *Si quis Episcopus, aut Presbyter præter Domini constitutionem de Sacrificio ad altare offerat alia quapiam, seu mel, seu lac, καθαιρείσθω deponatur.* Sexto, *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus seculares curas non assumat: εἰ δὲ μή, καθαιρείσθω, alioqui deponatur.* Sexcenta sunt similia; tum in iis Canonibus, tum in reliquis. Sed diserte 25. *Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus in scortatione, vel periurio, vel furto deprehensus, καθαιρείσθω, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω ordine suo summoueatur, ab Ecclesia tamen non excludatur.*

XXXV. Aliquando segregabatur tantum: Apostolico cap. 5. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus suam vxorem non eiiciat occasione religionis: si vero eijcit, ἀφοριζέσθω· ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω, à communione pellatur, persistens ordine remoueatur.* Et 58 *Episcopus aut Presbyter nullam Cleri solicitudinem, vel populi curam gerens, neque docens eos pietatem ac religionem ἀφοριζέσθω, ἐπιμένων δὲ τῇ ῥᾳθυμίᾳ, καθαιρείσθω, priuetur communione: permanens vero in ea negligentia & ignauia deponatur.* Et 59. *Si quis Episcopus aut Presbyter indigenti cuipiam clericorum necessaria non præbuerit, ἀφοριζέσθω ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω: ab Ecclesiastico cœtu segregetur: pertinax gradu extrudatur.* Trullano 18. *Si quis Presbyter vel Diaconus suam vxorem prætextu pietatis eiecerit ἀφοριζέσθω, ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω. segregetur, & si perseueret deponatur.*

XXXVI. Denique simul interdum segregabantur & deponebantur. Apostolico 30. *Si quis Episcopus Principum Potentatumque mundi fauore fuerit Ecclesiam consequutus, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω, deponitor, & excommunicator.* Et 51. *Aut se corrigat, ἢ καθαιρείσθω καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀποβαλλέσθω, aut deponatur, & ex Ecclesia depellatur,* Et 29. καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω καὶ τῆς κοινωνίας παντάπασιν, *deponitor & ipse, & qui manus imposuit, ac penitus abscindatur à consortio.*

XXXVII. His positis ad rem redeo: & dico horum trium graduum, primum illum significatum fuisse per laicam communionem. Videlicet cum qui deponebatur, non excommunicabatur tamen: sed ei ius communionis Ecclesiasticæ reseruabatur. Disce ex Balsamone in illum Basilij canonem, καθαιρεθῆναι μὲν ὁ ἅγιος διορίζεται, τῆς δὲ μετὰ τῶν πιστῶν κοινωνίας οὐκ ἀποστερεῖ, ἤτοι οὐκ ἀφορίζει, *Sanctus quidem deponi iubet; eos autem fidelium communione non priuat, seu non segregat*; id est, non excommunicat. Appellatam autem fuisse Laicam, non à loco, non ab speciebus, non à tempore: sed à persona: nimirum, quod qui ante fuerat Clericus, siue in clericorum nomenclatura: nunc sit laicus, & in laicorum ordine. Et hoc esse quod Melanchthon voluerit, voluerit Chemnitius; quanquam ille paulo arctius dixerit remotos à ministerio consecrationis: etsi non admodum absurde, vt qui Sacerdotes nominatim dixerat, non generaliter Clericos.

XXXVIII. Obiter moneo canonem illum Carthaginensis quinti Concilij 13. ad hanc laicam communionem non pertinere; etsi eo retulerit noster Hospinianus. Continet enim nouum genus censuræ, cuius ego quidem aliud exemplum nusquam inuenio; vt Episcopus, neque deponatur, neque excommunicetur, sed duntaxat interdicatur communione cum aliis Ecclesiis: non autem cum sua. Hoc enim est, *A cæterorum communione seiunctus, suæ tantum plebis communione contentus sit.* Nam quod additur, *Et ille, neque clericus, neque præpositus perseueret,* non ad Episcopum refertur, sed ad illum quem is ex alieno monasterio ordinauerit. Sed hoc indicasse satis esto: non enim pertinet ad rem nostram.

XXXIX. Quod dixi de laica communione probatur; primum ex phrasi Cyprianica; quæ nimis supine dissimulatur, tum ab aliis, tum maxime à Pamelio. Is enim nunquam dixit laicam communionem: sed laicum communicare. Epistola 52. *vt laicus communicet.* Et 67. *si sibi vel laico communicare contingeret.* Et 73. *vt communicent laici.* Quæ eadem vsurpata Cornelio, ὃν καὶ ἐκοινωνήσαμεν λαϊκῷ, *quem vt laicorum in communionem recepimus.* Apostolicus Canon 62. μετανοήσας δὲ ὡς λαϊκὸς δεχθήτω, *Pœnitentiam autem agens, vt laicus recipiatur.* Hæc phrasis necessario eam vim habet, vt distinguat non communionis varia genera; sed personæ communicantis varias qualitates: vt eadem quæ olim cum communicaret esset in clericis; eadem nunc sit in laicis.

XL. Probatur secundo; quod iidem qui ad communionem laicam reiiciebantur, dicebantur deponi, siue excidere ab officio; siue non esse in loco Sacerdotum. Apud Cyprianum epistola 52. *Sic admissus est Trophimus, vt laicus communicet; non quasi locum Sacerdotis vsurpet.* Et 67. *Episcopatum sponte deponens, & satis gratulans si sibi vel laico communicare contingeret.* Et 73. *Hac conditione suscipi, cum reuertuntur, vt communicent laici, nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerit.* Canon etiam Nicenus 15. τοῦτον κελεύομεν μηκέτι λειτουργεῖν, *iam non amplius hunc ministrare iubemus.* Ab istis illa lucem sumunt, quæ de loco & tempore sunt dicta. Nam re vera clerici & ante laicos communicabant; & intra cancellos. Itaque qui iubebantur post clericos, & extra cancellos communicare, eo ipso designabantur remoueri ab ordine.

XLI. Notandum etiam Bellarmini delirium, dicentis laicam communionem datam clericis in pœnam grauis delicti. Quod mirum quantum sit mendacium. Nam communio laica differt à depositione. Hæc pœna est proprie, & per se: sed illa nullo modo: quin potius in criminosis clericis moderatio pœnæ. Atqui omnis moderatio pœnæ, est gratia: est restitutio in melius. Nulla autam restitutio in melius, pœna dici potest. Itaque Turrianus annotatione 3. cap. 20. Constitutionum Clementinarum, dixit, *Restituere in populum Ecclesia vocat* (nam ea phrasis erat Clementis, ἀποκαθίστασθαι ἐν τῇ ποίμνῃ τουτ' ἔστιν ἐν τῷ λαῷ τῆς ἀμώμου ἐκκλησίας, *in ouile restituere, id est, in populum Ecclesiæ macula carentis*) *concedere communionem laicam, vt omnes Ecclesiastici loquuntur.* Quid hic dicet Iesuita? Restitui in populum Dei, quis audiuit vnquam, cuiquam pro pœna impositum? Sed & Basilius ad Amphilochium, cur quosdam neget depositos, non admittendos ad communionem laicam, rationem addit: non oportere bis in idipsum vindicare: vnde consequens communionem laicam non esse pœnam. Denique Cyprianus epistola 73. hos ipsos, quibus laica communio concedetur, dicit admissos ad pacem Ecclesiæ. Quis autem audiuit vnquam genus aliquod esse pœnæ, admitti ad pacem Ecclesiæ?

XLII. Nihil hic erat quod nos remoraretur amplius; nisi Iansonius sperasset hanc laicam communionem solius panis, Scriptura teste, confirmare. Prophetia, inquit, 2. cap. prioris Samuelis inducit Iudæum sacerdotij honore deiectum, teste Augustino de Ciuitate Dei libri 17. cap. sacrificii noui, quam nunc vocamus laicam participationem expetere; in hæc verba, *Futurum est, vt quicunque remanserit in domo tua veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatque, Dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem, vt comedam buccellam panis.* Hic participationem sacrificii nostri sub forma panis eleganter expressam esse affirmauit Augustinus. Hanc Iudæus expetendo vt partem sacerdotalem, iudicat id quod à Sacerdote sumitur partis, siue participationis habere rationem: Expetendo vero vnam partem sacerdotalem, intelligendum reliquit Sacerdoti duas de sacrificio partes cõpetere: sibi vero Sacerdoti; honore deiecto vnam: nec quamuis, sed panem: nec saturitatem, sed in quantitate buccellæ, quæ sufficit deuotioni, & operatione spirituali.

XLIII. Sic solent scilicet confidentis ingenij viri ludere elegantibus allegoriis articulatim deductis in speciem magnificis, cum tamen solidi nihil insit; sed mera inanitas. Augustinus discessit à litera: & inde Iansonio data occasio nugandi: verum præter Augustini mentem. Nam primo, participationem sacrificii nostri sub forma panis expressam non dixit; sed sacrificium ipsum, *Hic dicit, manducare panem, quod est in Nouo Testamento sacrificium Christianorum.* Contra Papistas distinguentes sacrificium à participatione, & nominatim à participatione sub forma panis; quam iis relinquunt, qui non sacrificant: & ad sacrificium omnino necessariam asserunt vtramque speciem; & sacrificanti etiam. Vnde patet Augustino manducare panem vsurpatum per synecdochen partis pro toto. Deinde partem sacerdotii Iansonius interpretatur, partem sacrificij, quæ à Sacerdote, id est, vt ego interpretator, à manibus Sacerdotis dantis, accipitur. Inepte prorsus: non enim idem sacerdotium & sacrificium. Augustinus interpretatus est, ipsam plebem: nimirum vt ille quisquis est, postules sibi locum dari in populo Christiano. Denique Iansonius hunc deiectum honore sacerdotii, interpretatur eum qui ante fuisset Sacerdos: at Augustinus, eum, qui nunquã fuisset Sacerdos; sed tantum ex familia sacerdotali, à qua tamen ablata esset dignitas. Sic magnifice nugatur Iansonius.

XLIV. At nos & Augustino honorifice permittentes suam allegoriam; & Iansonii ridentes nugacitatem edicimus: Allegoricum argumentum nunquam fuisse aptum Theologicis controuersiis finiendis. Itaque prouocamus ad literalem sensum: & primum negamus eum virum proponi depositum honore sacerdotali sed tantum gradu summi sacerdotii. Sa, *Brachium, id est, robur, quasi dicat, dignitatem summi sacerdotij.* Et, *vt non sit senex, id est, summus Sacerdos*: Quare non prædicitur omnimoda priuatio sacerdotii, sed tantum summi. Nam diserte, *Veruntamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo.* Lyranus, *Quia post institutionem Sadoch in summo sacerdotio remanserunt aliqui de domo Heli in officio Sacerdotum minorum.* Hugo, *Quia etiam abiecto Abiathar, adhuc minores Sacerdotes fuerunt de Ithamar: sed non summus Sacerdos.* Erat igitur hic vir adhuc Sacerdos; qui nihil ad illam laicam communionem. Præterea illud, *Dimitte me ad vnam partem sacerdotalem*, significat, vt permitteretur ipsi exercere sacerdotium, siue aliquam partem muneris sacerdotalis. Hebraicè tamen nihil est quod partem significet, אֶל-אַחַת הַכְּהֻנּוֹת, *ad vnum sacerdotium.* Lyranus, *Vt possint seruire in templo.* Illud denique, *Vt comedam buccellam panis*, Sa dicit, *Partam ministerio sacerdotali*: videlicet, quia operando sacris victum sibi confecturus esset. Itaque inepte Iansonius, & vnam, & duas partes dixit sacrificij; & ineptius partem non quemcunque sed panem. Scilicet ita solent Sophistæ Scripturis niti.

XLV. Atque hactenus communio laica. Nunc tandem Præsanctificatorum; à qua sumptum argumentum Suares infirmat, *Tertium indicium sumitur*, inquit, *ex officio Parasceues, in quo sumitur corpus sine specie sanguinis.* Et post, *Respondetur ita quidem esse, veritatem hanc certius constare de specie panis; nihilominus tamen mihi non est dubium, quin eodem modo locum habeat in specie vini propter rationis paritatem, quia etiam in hac specie est totus Christus, & habet totum vel sufficientem effectum, sufficientemque significationem: & nullum est, speciale præceptum diuinum, quod hoc prohibeat: igitur doctrina data indifferenter vera est in qualibet specie.* Ergo, inquam, à communione præsanctificatorum non concluditur prohibitio calicis. Auare quidem Suares non vtramque dixit speciem, sed quamlibet: quasi certus alterutram sumptam. At nos iisdem pugnantes armis; dicimus si licuerit aliis panem, aliis calicem sumere: Ergo in Missa præsanctificatorum vtrumque fuisse oblatum. Deinde addimus non tantum nullum esse præceptum diuinum; sed ne testimonium quidem humanum, vnde constet alterutrum prohibitum.

XLVI. Amplius; nullum esse testem qui dicat alterutrum fuisse in vsu. Imo contra arguit nomen ipsum. Nam τὰ προηγιασμένα, præsanctificata; non dicitur congrue de altera tantum specie; sed de ambabus. Et constat pluralem numerum adscribi ambabus: Ex ipso Canone, *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia.* Sed &, *Sancta sanctis.* In liturgiis postulatur aduentus Spiritus, *ἵνα ἐπιφοιτήσας, vt præsens, ἁγιάσῃ sanctificet* & panem & vinum. Itaque promptus intellectus, vt sint præsanctificata, non panis solus, sed etiam calix: nam & vtraque aderant in Missa præcedente.

XLVII. Certe Liturgia Præsanctificatorum habet ista, ἔπιδε ἐφ' ἡμᾶς τοὺς ἀναξίους δούλους σου, τοὺς τῷ ἁγίῳ τούτῳ θυσιαστηρίῳ ὡς τῷ χερουβικῷ παρεστημένους θρόνῳ, ἐφ' ᾧ ὁ μονογενής σου υἱὸς καὶ θεὸς ἡμῶν διὰ τῶν προκειμένων φρικτῶν ἐπαναπαύεται μυστηρίων, *Respice super nos indignos famulos tuos, qui huic sancto altari, quasi cherubino throno assistimus, super quo vnigenitus Filius tuus Deus noster per proposita terribilia mysteria requiescit.* Aliquanto post, Ἔπιδε εὐσπλάγχνῳ ὄμματι ἐπὶ πάντα τὸν λαόν σου, καὶ φύλαξον αὐτόν, καὶ ἀξίωσον πάντας ἡμᾶς ἀκατακρίτως μεταχεῖν τῶν ζωοποιῶν σου τούτων μυστηρίων, *Respice benigno oculo populum tuum vniuersum, & custodi eum; & dignare nos omnes participes efficere citra damnationem horum tuorum viuificorum mysteriorum.* Nota in plurali, mysteria. Sed post, Εὐχαριστοῦμέν σοι τῷ σωτῆρι τῶν ὅλων θεῷ ἐπὶ πᾶσιν οἷς παρέσχου ἡμῖν ἀγαθοῖς, καὶ ἐπὶ τῇ μεταλήψει τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ σου, *Agimus gratias tibi Seruatori vniuersorum Deo, omnium quæ in nos contulisti beneficiorum, & huius participationis sancti corporis, & sanguinis Christi tui.* Vide participationem corporis & sanguinis.

XLVIII. In eiusdem Liturgiæ initio, Τότε λαμβάνει ὁ ἱερεὺς τὸν ἅγιον ἄρτον μετὰ τῆς προσηκούσης εὐλαβείας· ἐν δὲ τῷ ἁγίῳ ποτηρίῳ ἐγχεῖ οἶνον καὶ ὕδωρ ὅσον ἀρκεῖ, *Tunc sumit Sacerdos sanctum panem cum conuenienti honore. In sacrum autem poculum infundit vini & aquæ quantum satis est.* In ordinis Romani officio Parasceues, *Duo subdiaconi & presbyteri duo priores intrant in sacrarium, vel vbi positum fuerit corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes illud in patenam. Et subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, & alter subdiaconus patenam cum corpore Domini.* Et paulo post, *Cum vero dixerint, Amen, sumit de sancto, & ponit in calicem nihil dicens, nisi forte aliquid secrete dicere voluerit. Pax Domini non dicit, quia non sequuntur oscula circumadstantium. Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem, & communicant omnes cum silentio.* Quod itidem Alcuinus enarrat in Diuinis officiis feria 6. *Presbyteri duo priores salutata cruce, intrant in sacrarium, & deferunt corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes illud in patena: & subdiaconus tenet ante ipsos calicem cum vino non consecrato, & alter Diaconus patenam cum supradicto corpore Domini.* Paulo post, *Cum vero dixerit Amen, sumit de pane sancto, & ponit in calicem silendo,* Item, *Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem. Tunc communicant omnes cum silentio, & expleta sunt vniuersa.* Vbi vides manifestissima vtriusque speciei saltem vestigia.

XLIX. Veruntamen Durandus Mimatensis lib. 6. cap. 75. hunc morem sic interpretatus est, *Sed nunquid vinum; quod in die parasceues cum Dominico corpore seruato sumitur in altari, consecratur, & sanguis Christi efficitur per immissionem ipsius corporis in calicem, & per eius tactum? Super hoc dicunt quidam, quod per Dominicam orationem, quæ nunc dicitur, fit consecratio, siue commutatio vini in sanguinem. Nam Gregorius assignans causam, quare Dominica oratio in die illa à Sacerdote dicatur, dicit quod in primitiua Ecclesia sola Dominica oratione vtebantur in consecratione. Nos tamen hoc non dicimus: quia si hoc iam esset non esset necesse corpus Domini ad diem illum seruari.* Paulo post, *Dicimus ergo illud, hic non consecrari, sed sanctificari: differt autem inter hæc. Nam consecratio, est consecratione transubstantiare: sanctificare, est ex contactu, seu admistione sacra rei reuerendum, & sanctum effici, vt patet in aqua benedicta, cui alia admiscetur.*

L. At ego, etsi credo, vanissimo commento ineptissimum hunc fuisse appictum colorem: tamen habeo non minus certum, Sophistas tanto nequiores, quanto posteriores, suo more vel pleno meridie tenebras offundere; vel potius stultæ nimium plebi puluerem obiicere; ne videret quod videbat: & sic vocabulorum syllabas libentissime aucupatos esse, vt quoniam sono differunt sanctificare, & consecrare, inde persuaderent esse etiam rerum immane discrimen. Nihil enim potest esse tam minutum, vt non sit pro fundamento ingentis Capitolij. Ego sic dico. Ex rei veritate ingens esse discrimen inter sanctificare, & transubstantiare: vt prorsus nihil sanctificatum sit transubstantiatum. Videlicet, quia transubstantiatio sit figmentum in rerum natura, multo absurdius tragelaphis, & hyppocentauris. Eandem autem esse rationem consecrationis. Sed hæc disputatio ad aliam pertinebit controuersiam. Itaque nunc quidem esto transubstantio effectum illud quodcunque tandem sit consecrationis, quo fit, vt panis & vinum sint corpus & sanguis Christi; vt neutri parti postea ex professo disputaturæ fiat præiudicium.

LI. Nunc igitur nego differre sanctificationem, à consecratione: hanc, inquam, sanctificationem ab ista consecratione: nam quid ad me si sanctificetur aqua benedicta, & tamen non consecretur, id est, transsubstantietur? Sua concilient somnia Sophistæ, vt poterunt: me sinant in hoc esse. Primum ergo obseruari iubeo; non tantum dici vinum mistum aqua, sanctificatum; sed etiam panem promiscue sanctificatum & consecratum. In ordine Romano, & Alcuino, *Sanctificatur vinum non consecratum, per sanctificatum panem.* Audin sanctificatum panem, eum ipsum qui pridie consecratus erat, id est, transubstantiatus? Putasne Sophista, intelligi panem sanctificatum, nec consecratum? Et vero quid est προηγιασμένα? Aut quo differt Græce à consecratis? Vellem doceret mirificum Sophistarum acumen: vt haberemus aliquid hoc tandem seculo noui, nec vnquam auditi παράδοξον. Et vero qui in Veteribus versati sunt, norunt illud sanctificari solenne esse.

LII. Deinde; statim post nominatam sanctificationem, mentio fit communionis, *Sanctificatur vinum non consecratum, per sanctificatum panem, & communicant omnes.* Quid pertinet ad communionem sanctificatio; aut ad sanctificationem communio; si nulla sit consecratio? Maximè cum eam communionem Liturgia Græca definierit diserte corporis & sanguinis, æquè vt alias? Certè vinum adhibetur aut ad ablutionem oris, aut ad communionem: neque aliud vnquam est auditum: quanquam etiam ad ablutionem duntaxat apud Papistas; sed nunc nihil interest. Porro illud, ad ablutionem, nunquam dixit quisquam Papista esse sanctificatum, aut sanctificandum. Si autem ad communionem sanctificetur, non potest vitari, quin consecretur; etsi transubstantietur, si hoc malit Durandus.

LIII. De aqua benedicta nihil opus dicere. Tantum moneo eundem ordinem Romanum, *Qualiter celebrandum sit officium Missæ*; notasse, Diaconum refundere paulum quid de calice sancto, (sic appellat eum vnde ipse Episcopus celebrans sibi sumpsit sanguinem) refundere in maiorem calicem quem tenet Acolythus, & inde confirmare omnes sanguine Dominico. Vnde patet intelligi per contactum exigui vini consecrati, id est, transubstantiati, multo maiorem quantitatem vini consecrari, id est, transubstantiari, siue fieri sanguinem Christi. Quod si potest vinum consecrare, cur non itidem panis? Agnosco tamen hæc deliria humanæ futilitatis varie prolixeque exagitari posse: sed inest aliquid delectationis, cum sese vanitas ipsa confodit.

CAP. IV.

Coniecturæ contra institutam Communionem vtriusque.

I. NVllis neque Scripturæ, neque Veterum testimoniis constare potest diminutam communionem fuisse in longo, legitimove vsu Ecclesiæ. Itaque confugiunt ad coniecturas, vt sunt subtilissimi rerum indagatores. Has nunc consideremus.

II. Prima esto Salmeronis. Quoniam huiusmodi ritus nullum inueniatur principium, nec constitutio vlla eum primum instituens. Nam constitutio Constantiensis Concilii, statuit illum morem iamdudum in Ecclesia fuisse receptum, neque illum de integro introduci. Cum ergo non inueniatur initium eius ritus, & vndique ex historiis comperta sint eius vestigia, signum est haud obscurum, ex regula B. Augustini, quod à Christo & Apostolis fuerit approbatus, Christo instituente vtrumque ritum, & relinquente Ecclesiæ potestati hoc vel illo modo vti.

III. Cum dixisset Christus, habere se multa dicenda, quæ ferre tunc non possent Apostoli; suis inde opinionibus prætextum omnes hæreticos reperisse obseruauit Augustinus. At tu nunc Augustine, quum semel dixisti Epist. 118. Si quæ toto terrarum orbe obseruentur à Christianis putari vel ab Apostolis vel à plenariis Conciliis instituta; immane quantam ianuam aperuisti nostris Papistis, suorum somniorum commendandorum! Adeo nihil est tam recens commentum, quod non facile sperent æquo iure stabilitum iri, cum maxime seriis Scripturæ præceptis. Tam protrita frons est illis: tam temeraria confidentia. Sed missis personis, rem videamus. Argumentum sic est: Cuius ritus nullum inuenitur principium, sed vndique in historiis eius vestigia, is ritus à Christo & Apostolis fuit approbatus. At communionis diminutæ ritus est eiusmodi. Ergo idem à Christo & Apostolis fuit approbatus.

IV. Antequam respondeo describenda sunt Augustini verba: quia nunquam impudentius fuere prætexta, *Tenere te volo, Dominum nostrum Iesum Christum leni iugo suo nos subdidisse, & sarcina leui: vnde Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimus, societatem noui populi colligauit. sicuti & Baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur. Illa autem quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata, atq; instituta retineri: sicut quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur; & si quid tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa, quacunq; se diffundit, Ecclesia. Alia vero, quæ per loca terrarum regionesq; variantur, sicuti est quod alij ieiunant Sabbatho, alij vero non; alij quotidie communicant corpori & sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbatho tantum & Dominico: alibi tantum Dominico: & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes* Hactenus Augustinus, distinguens res Ecclesiasticas inscriptas, & traditas. Et has in vniuersales, & particulares: & vniuersales quidem definiens institutas ab Apostolis, vel Conciliis plenariis: particulares autem liberæ obseruationis.

V. Nunc respondeo, primum negari maiorem. Nam hæc describit aliud quoddam genus rerum, ab eo quod Augustinus. Discrimen geminum est: vnum, quod diserte distinctæ sunt in Augustino eæ quæ scriptæ sunt; ab iis quæ non scriptæ; & istæ positæ in secundo ordine, vnde maior desumpta est. Quare debuit ista contrahi; vt non diceret generaliter, quoscunque ritus: sed specialiter, ritus non scriptos.

VI. Alterum discrimen maioris momenti. Quia quæ secundi sunt ordinis, pertinent ad vniuersalem obseruationem: quæ ipsa non tantum describitur, per totius terrarum orbis obseruationem; sed etiam exemplis illustratur anniuersæ solennitatis in memoriam passionis, ascensionis, & donationis Spiritus: imo etiam oppositione tertij generis, quod alibi aliter obseruatur: vt omnino constet intelligi id genus rerum, cuius vniformis sit per vniuersam Ecclesiam Catholicam obseruatio. At nobis noster Sophista describit id genus, cuius nullum obseruetur initium; sed duntaxat vestigia colligantur ex historiis.

VII. Quis non videt manifeste non nisi dicis causa obiectum Augustini nomen? Nam quarum rerum vestigia duntaxat inueniuntur; potestne quisquam sanus indigetare vniuersaliter obseruata? Exempli gratia: lactis & mellis gustum datum infantibus inter baptizandum, vestigia habemus apud Tertullianum, & Hieronymum. Quis concludat aut vniuersaliter factum, aut ab Apostolis institutum, vel plenariis Conciliis.

VIII. Debuit igitur ex Augustini mente maior instrui in hanc formam, Qui ritus non scripta, ab vniuersa per orbem Ecclesia fuere obseruati, dantur intelligi ab Apostolis, vel à plenariis Conciliis commendati fuisse, & instituti. Vel quia vestigia illa, particularium sunt obseruationum; si hæc pertinaciter in argumento retenta; profecto ex mente Augustini, debuit exprimi potius tertium genus rerum: & ita concipi maior: Quorum rituum nullum initium inuenitur, sed vndique in historiis vestigia; ij sunt liberæ obseruationis. Horum alterutrum si esset factum, prærepta foret nobis impugnandi ansa; accusandi ve nimiam sophisticen.

IX. Sed nunc secundo respondeo ad minorem, quæ astruit communionis diminutæ ritum eiusmodi esse, vt eius nullum obseruetur initium; & colligantur tamen vndique ex historiis vestigia: Respondeo, inquam, adhibitis distinctionibus. Prima, hunc ritum vel liberum intelligi, & permissum cuiuslibet arbitrio, vel diserte sancitum alterius speciei inhibitione. Altera, initium vel certum, vel indefinitum. Tetria, vestigia vel legitima, vel illegitima.

X. Dico igitur primo, ritum illum de quo nobis contentio aduersum Papistas, illum esse sancitum per inhibitionem oppositi ritus, videlicet integræ communionis. Hoc autem sensu tam perspicue falsum est minorem; vt ipsi Papistæ assignent initium certum, repetitum à Concilio Constantiensi; confirmationem à Basileensi, & Tridentino: in quibus conceptis verbis definitum; deinceps negandam communionem calicis omnibus non consecrantibus: vt constat ex ipsa canonum lectione, quam exhibuimus in statu controuersiæ.

XI. Nam quod Salmero dixit in Constantiensi statutum, illum morem iamdudum fuisse in Ecclesia obseruatum; pertinet ad liberam obseruationem; non autem ad coactam inhibitionem. Etenim certum est ante ea Concilia sic fuisse factitatum, vt alij communicarent vtramque speciem, alij vero alteram; quod constat ex Thomæ scriptis: siue ea libertas fuerit singulorum; siue pro Ecclesiarum consuetudine. Sed ante id tempus inhibitum vnquam fuisse calicem, neque Concilia illa dixere; neque vllum extat vestigium. Imo ne hodie quisquam Sophistarum tam fuit audax vt diceret. Quare hoc sensu absolute & simpliciter falsum est diminutam communionem fuisse approbatam vllis aut Apostolis, aut plenariis Conciliis.

XII. Quod attinet ad diminutam communionem libere vsurpatam; primum nego hanc pertinere ad Augustini genus illud secundum rerum. Ratio manifesta: quia hoc genus earum rerum est quæ non sunt scriptæ. Atqui communio Eucharistica ab eo disertissime distincta est, & posita in primo ordine rerum; videlicet quæ scriptæ non traditæ obseruentur. Mentiar si non sint hæc totidem literis scripta, *Dominum leni iugo nos subdidisse, & sarcina leui.* Et exemplis, *Sicuti est Baptismus, & communio corporis & sanguinis.* Et postea, *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus.* Vide quam sollicite sua verba librauerit Augustinus. Iugum Christi leue, & sarcinam leuem, seorsim posuit, ab iis quæ non scripta, sed tradita custodiuntur. In iugo illo, obseruauit communionem Eucharistiam: & hanc describam diserte, corporis & sanguinis, id est, vtriusque speciei. Quid ergo? Nempe mens est Augustini; ex obseruatione Ecclesiæ ea putanda ab Apostolis, Conciliisve institutа, quæ tantum tradita sunt. Sed ea quorum, Scriptura teste, constet aliam rationem: videlicet censenda ab ipsis Scripturis; contra quas quicquid vlla Concilia statuerint, nefas sit putandum. Cum ergo hoc de quo disputamus caput, eius sit generis, vt pertineat ad illud Christi iugum, profecto quæcunque prætendatur consuetudo Ecclesiæ: quæcunque cuiuscunque Concilij constitutio; tamen eo semper redeundum, vnde fuit initium.

XIII. Secundo, nego etiam assumptum; videlicet nullum dari posse huius ritus initium. Nam etsi non detur certum definitumque: tamen datur indefinitum, videlicet post primæ initia: post institutionem Christi. Thoma teste: à quo fuerunt ista nobis recitata, *Secundum antiquæ Ecclesiæ consuetudinem omnes sicut communicabant corpori, ita communicabant & sanguini.* Quod ipsum prolixe multis aliis testibus est à nobis confirmatum. Et Hosius inde scripsit vtriusque speciei vsum fuisse mutatum. Primitiuæ igitur Ecclesiæ consuetudo fuit, vt omnes vtrique speciei communicarent. Oportet ergo oppositam consuetudinem posterioris Ecclesiæ fuisse. Atqui prioritatem veritati, posteritatem mendacio deputari, solenne est axioma, præscribens aduersus omne genus hæreticorum.

XIV. Hosij coniectura non est prætereunda: apud quem Harpago interroganti, *Quo tempore id factum esse putas?* nimirum, vt vtriusque speciei mutatus vsus, & alterius tantum sit receptus, respondet Arator, *Non habeo quod pro certo possim affirmare. Sed ex quo tempore Germania pars, quæ nobis est vicinior, Christi recepit Euangelium, ex eo vsus vtriusque speciei, tacito quodam consensu totius Ecclesiæ Catholicæ fuisse videtur abrogatus.* Hæc Hosius, timide ille quidem: sed clare nihilominus initium aliquod designans, non quidem annotato, aut die, aut mense, aut anno: quæ circunstantiæ esse solent certi definitique initij, verum indefinite, vt quandocunque tandem sit factum, tamen post initia, non enim, cum aut Christus instituret Sacramentum: aut Ecclesia Hierosolymis inciperet, non cum Antiochiæ primum dicti sunt Christiani, aut Romæ denique fideles esse cœperunt, sed aliquanto saltem post, cum Germania: & quidem non illa cultior, viciniorque Romano Imperio: sed alia horridior, remotiorque & ad Sarmatas pertinens, fidei nomen dedit. Sed & initium huiusmodi describitur, quo abrogaretur vsus, quis? nonne antiquior? nam certe posteriora prioribus non abrogantur.

XV. Et vero attendamus cuiusmodi esse possit in hoc syllogismo antecedens: cuius conclusionem oppugnant aduersarij ipsi. Etenim conclusio habet, secundum Augustinum: Ergo ab Apostolis, vel plenariis Conciliis fuit institutus, at secundum Salmeronis sophisticen: Ergo à Christo fuit, Apostolisque approbatus. Atqui neutrum esse verum constat ipsis Papistis testibus. Hosius, *Vsus vtriusque speciei tacito quodam consensu fuisse videtur abrogatus.* Pighius, *Iamdudum in vniuersam Latinam Ecclesiam ritus sub panis tantum specie Laicos communicandi sacrosanctum illud, & viuificum Christi corpus, receptus fuerat, non equidem ex vlla institutione, aut Synodali, aut Ecclesiastica Hierarchiæ præsidis Romani Pontificis (quæ nullum huic rei inuenitur dedisse initium) sed ex interno quodam consensu Christi fidelium, atque orthodoxorum præsulum.* Nota. Nam contra quam concludebat Augustinus ab Apostolis, vel Conciliis institutum: isti & diserte negant Conciliorum institutionem: & de Apostolis ne grunnire audent quidem. Sed de tacito consensu fidelium: de quo in antecedente syllogismus nihil habuit.

XVI. Nota iterum, abrogatam integram communionem in Ecclesia Latina. Non enim ausi sunt etiam in Græca dicere: quam constat huic abrogationi nunquam dedisse locum. Atqui Augustinus obseruationem volebat vniuersalem: *toto*, aiebat, *terrarum orbe: ab vniuersa quacunque se diffundit Ecclesia.* Exiguumne huius defectus momentum? Dicebat Augustinus ea quæ ab vniuersa Ecclesia obseruarentur, instituta fuisse ab Apostolis, vel à Concilius. Patiamur sane. At isti Sophistæ volunt æstimari diminutam communionem institutam ab Apostolis, vel à Conciliis, quam tamen non audent dicere obseruatam nisi ab vniuersa Ecclesia Latina. Et non precemur eis sanam mentem.

XVII. Denique respondeo, si quid vestigiis concedendum: saltem debere dari legitima, non autem hæreticorum fraudes, priuatorum ausus, extraordinariorum casuum euentus, denique non suspiciunculas curiosius inquisitas: animosius defensas: quam sanius inductas, cuiusmodi esse demonstrauimus, quæcunque magno labore coaceruata fuere. Itaque hic primus Salmeronis conatus abiit in ventos.

XVIII. Addo alterum. Cum homines tenaces sint religionis, & in mutatione rerum ad eam pertinentium facile turbentur: si per ducentos & mille annos fuisset communio sub vtraque specie in Ecclesiam inuecta, nec fuisset declaratum licere sub altera communicare, subito hoc ritu mutato, maximæ tempestates fuissent, & lites in Ecclesiam ob eam rem obortæ. De quibus cum in nulla historia fiat mentio, indubitatam coniecturam accipimus, nunquam rem fuisse nouam, sed ab initio semper consuetam, animisque fidelium infixam tanquam licitam, etiam in illis regionibus, vbi sub vtraque specie, vt plurimum, laicos communicabant.

XIX. Ecce tibi indubitatam coniecturam. Quasi aliqua possit aut esse, aut

sint dici coniectura indubitata. Nonne ita solent Sophistæ sibi esse suffent? Nonne vere dixi, nihil illis occurrere tam exiguum, quod non habeant vice demonstrationis? Ecce; institutio prima non est illis iudicibus indubitata, non vsus Apostolorum, non maxima illustrissimaque consuetudo multorum seculorum. Et nunc vnica coniectura est indubitata. Quantum abest à triumpho? Tanta superbia est Iesuitarum.

XX. Respondeo in mutationibus tempestates excitari, vel cum fiunt, vel postquam factæ sunt. Mutationes omnes in rebus religiosis excitare tempestates cum fiunt, negatur, & facile: Nam longe ante Christi aduentum multæ erant factæ mutationes in religione Iudaica, Marci 6. *Omisso mandato Dei, tenetis traditiones hominum.* Et tamen absque tumultu. Et ne procul abeam: Si omnes in religione mutationes tumultus excitant cum fiunt, & hæc communio mutilata, nullos excitauit: Ergo communio mutilata non fuit mutatio. At hæc conclusio falsa; testibus ipsis Papistis. Certe Hosius abrogationem dixit prioris consuetudinis. Non potest autem abrogatio vlla, non esse mutatio.

XXI. Nimirum non eodem semper modo religionis fit immutatio: sed alias palam, alias clanculum. Quæ fit palam, & quasi vi aperta; ea demum solet tumultus excitare, siue sit in peius, vt cum natæ sunt hæreses, Manichæorum, Donatistarum, Nestorianorum, Eutychianorum, aliæ: siue in melius, quoties inoliti errores fuere emendandi, atque Ecclesia reformanda, vt cum Christus docuit Iudæos: & cum Origenes fuit damnandus. At clancularia mutatio, siue à paruis initiis paulatim progrediens, siue negligentia præsulum dissimulata, siue ignorantia plebis sustentata; non solet huiusmodi turbas excitare: quod testantur illæ ipsæ corruptiones Iudaicæ quas dixi, & in Christianitate ipsa; Eucharistia infantibus porrecta; interdum etiam mortuis in os iniecta.

XXII. Verius autem sit generis hæc, de qua disputatur, mutatio, non est difficile pronuntiare. Etenim clancularian describunt ipsi, qui plurimum ei fauent, quod iam docui testibus prolatis, Hosio, & Pighio. Itaque nulli mirum esto, tum cum fieret, nullas tempestates excitatas fuisse, neque id vertatur in eius approbationem.

XXIII. Quod si de tempestatibus agas excitatis post mutationem factam; fatemur sic solere fieri, vt quæ mutationes in Ecclesia factæ sint contra ius, quantumcunque sint aliquandiu toleratæ, vel dissimulatæ, tandem quietem turbent; nimirum; quia suscitantur à Deo tempore opportuno, qui sic inductos errores & deprehendant, & aperto marte impugnent. Sic Ecclesiæ turbas dedere Iudæi traditionibus humanis suis, cum Christus venit eas redarguturus. Sic post longum silentium Origenis occasione turbelæ fuerunt inter Christianos: sic postquam multiplicata esset ἀγυρομανία maximi illi motus fuere, cum Iconomachi; & Iconoclastæ voluerunt Augiæ stabulum purgare.

XXIV. Et prorsus ita factum in hoc ipso negotio. Nam motus non potest nullus dici cum Bohemi tam vehementer conquesti sunt factam plebi iniuriam. Nec nullus, cum nostra ætate longe potentius redintegratum est certamen; cui Deus benedixit hactenus; porro etiam magis ac magis benedicturus; vt re doceat nunquam se veritatis suæ oblitum, vt non tandem eam vindicet libertatem, quantumcunque passus interdum impostoram obtinere efficaciam deceptionis.

XXV. Transeo ad tertiam Salmeronis coniecturam. Si ab initio Ecclesiæ non licuisset sub altera specie communicare, plurimi vel communione priuati fuissent, vel ad id quod præstare non possent, adigerentur: vt patet de iis qui vini copiam non haberent, vt sunt multi Septentrionales populi: & de his etiam, qui abstemij sunt; & quibus vinum nauseam & vomitum parit: & de his etiam qui morbis correpti, nihil solidi deglutire possunt, nisi tantum liquida. Cum igitur iugum Domini sit suaue, & onus leue, non est credendum quod hoc voluerit ad impossibile, hoc est, ad communionem sub vtraque specie obligare. Costero commentum non displicuit; sed gemino capite. Biusmodi mandatum, inquit, ab omnibus impleri non posset; vtpote ab abstemiis, qui non ferunt vsum vini, & illis in locis, quo difficulter vinum aduehi potest: Ergo saltem illi ab hoc mandato essent eximendi, nec erit generale mandatum. Rursus. Hoc mandatum impediret crebram communionem; ad quam tamen Ecclesia passim omnes adhortatur. Vbi enim penuria esset vini, & magna populorum frequentia, non sine grauissimis sumptibus poterunt aliquot hominum millia octaua die ad communionem accedere.

XXVI. Respondeo, nullam legem legitime impugnari ab incommodo mere per accidens & extraordinario. Lex est, vt prædicetur Euangelium vniuersæ creaturæ. Quantus tamen surdorum numerus est, fuit, erit? Exsurgite Iesuitæ, & hanc legem negare esse generalem: hanc legem refigite: quia surdis prædicari non possit. Erit id dignum vestra ingenij subtilitate. Iussit Petrus quosque paratos esse πρὸς ἀπολογίαν quoties interrogabitur de fide. Obiicite muros, qui nequeunt: & obmutesceet, si forte, Petrus. Cur non & Apostolum dicentem prioris ad Timotheum secundo, *Volo ego viros orare in omni loco leuantes puras manus*: cur, inquam, hunc non ἐπιχειρεῖτε, obiectis paralyticis? Nam hi leuare manus non poterunt. Et miramur populo impositum fuisse ab iis quorum sophismata vix eludat Spiritus sanctus? Vin denique aliquid ridiculi? Ex Attico Constantinopolitano magnum hauritur Oecumenici Pontificatus argumentum, quod literis formatis iusserit Concilium Nicenum adscribi cum alias, tum quarram literam nominis loci vnde scriptio est. Heus, heus vos Iesuitæ negate legem vnquam fuisse hanc latam: quandoquidem nomina sunt locorum quædam quæ quartam nullam habent literam; vt Co; insula, vrbsque nota: apud Ptolomæum lib. 5. cap. 19. Ace: apud Ptolomæum Geographiæ lib. 4. cap. 5. Alo. Sexti septimo, Cua, Are. Et alia. Datisne manus.

XXVII. Sed singula videamus. Plurimi, aiunt, communione priuati fuissent. Quasi, inquam, altera specie prohibita, omnes communicent, aut etiam communicare queant. Et non infinita quotidie accidant præter spem, quæ communionis facultatem præcipiant. An enim vbique locorum copia datur Sacerdotum? Nam hodie prohibitum, non tantum vinum, sed etiam panem. Peccauit panis speciem dixisset Papista; secum asportare. Quid ergo? Nonne viatoribus infinita accidunt præter opinionem; vt accersi non possit Sacerdos? Næ illi Basilij Eremitæ, qui per annum seruabant apud se Eucharistiam, si in Papisticas manus incidissent, alio sibi quopiam commẽto prudenter consuluissent, si noluisset absque communione esse; μὴ παρὰ τοῦ ἱερέως ἢ λειτουργοῦ, O si sic paterentur aboleri Indulgentias, quas certum est, ipsis profitentibus, non magis emi posse ab omnibus, quam ab omnibus vinum bibi.

XXVIII. Veruntamen qui non vtramque percipere? Abstemij: Ita est, inquam: Sed neque pueri in vtero possunt ablui. An potuit Baptismus institui, nulla horum habita ratione; & non debuit communio vini propter abstemios. Nisi forte maior sit istis necessitas communionis, quam illis Baptismi.

XXIX. Rursus, quidam qui propter morbum & aridas fauces, nihil possunt solidi deglutire. Proditis causam vestram Sophistæ. Nam horum gratia nunquam est prohibita communio panis: imo nunquam existimata prohibenda. Quid hæc habuit sanctius? Sed & obliti estis, vtrumque posse concurrere; vt & abstemius sit laicus, & aridas fauces morbus effecerit: Ergone prohibenda omnino vtraque species?

XXX. Tertio; qui maxime Septentrionales. Quare? an quia omnibus aridæ fauces? An quia abstemij? Minime vero, nam constat æquè esse sanos cum iis qui magis ad meridiem: & rursus esse omnium meri bibaciissimos. Quid ergo? Nempe difficulter ad eos vinum deuehitur. Fateor. Sed primum; cur potest illis abundare vinum profusissime ad immodestas compotationes; & non potest ad moderatam communionem? Nulla enim tam Septentrionalis gens est, apud quam non sint frequentissimæ compotationes: & quidem magis, quam ad meridiem, vbi nascuntur vina. Deinde, quod est difficile; non tamen non fit. Itaque hæc difficultas non probat communionem non posse obtineri, quod erat in argumento: sed tantum difficile obtineri.

XXXI. Atqui non sine grauissimis sumptibus. Forte, inquam: Sed sumptus grauissimos magis obstare communioni sacræ, quam quotidianis compotationibus, quanta absurditas, Deus bone? Et qui infinitas nummorum myriades prodigunt in templorum immanibus substructionibus, immensis etiam ornamentis; absque vllo mandato: hos queri de sumptibus in vinum Eucharisticum, potestne esse mens non præpostera? Nam vnius basilicæ Sancti Petri apud Romanos sumptus poterant sufficere in multos annos, communicando calici omnibus ad Septentrionem Christianis.

XXXII. Thomas parte 3. quæst. 74. art. 1. obiectionem sibi hanc proposuit. *Hoc Sacramentum est vbique celebrandum. Sed in multis terris non inuenitur panis triticeus; & in aliquibus non inuenitur vinum: Ergo panis & vinum non sunt conueniens materia huius Sacramenti.* Respondet paulo post, *Dicendum, quod licet non in omnibus terris nascatur triticum, vel vinum: tamen de facili ad omnes terras deferri potest quantum sufficit ad vsum huius Sacramenti. Nec propter defectum alterius, est vnum tantum sine altero consecrandum: quia non esset perfectum Sacramentum.* Nugabuntur hic sine dubio Sophistæ, in voce consecrandi, quasi non de communione populi, sed solius Sacerdotis agatur: & fieri potest, vt ita in mentem venerit Thomæ, à quo nulla sophisticæ fuit aliena: sed ego tamen vrgeo, vsum Sacramenti diserte expressum in pane & vino. At vsum panis nemo hactenus contraxit ad solum consecrantem. Cum igitur eadem sit ratio vini, quæ panis: eandem etiam consequentiam esse oportet, vt ad communionem etiam plebis tam facile sit vinum, quam panem deferri, certe multo, vt dicebatur, magis quam ad compotationes. Imo quis ignorat posse vtrumque defectum concurrere; vt neque panis triticeus, neque vinum facile possit importari. An igitur vtraque species abolenda? Aut si non: cur altera potius?

XXXIII. Similis quæstio exercuit Confirmationem; quam non minus volunt esse Sacramentum, quam Eucharistiam. Thomas proposuit obiectum eadem parte summæ, quæst. 72. artic. 2. *Supra dictum est, quod aqua assumitur vt materia ad baptizandum, quia vbique de facili inuenitur. Sed oleum oliuarum, non vbique inuenitur, & multo minus balsamum. Non ergo Chrisma, quod ex his conficitur, est conueniens materia huius Sacramenti?* Certe, inquam, in partibus Septentrionalibus multo minus oleum nascitur, quam vinum. Quid balsamum dicam? quod vniuersa Europa nullum vnquam natum: nullum in Africa: tantum in exigua Asiæ regione? Et tamen nemo Papistarum fuit vnquam, qui Confirmationem censeret abrogandam. An quia inuentorum humanorum tenacior Ecclesia Romana, quam diuinorum institutorum? Thomas respondet, *Dicendum quod Baptismus est Sacramentum absolutæ necessitatis: & ideo eius materia debet inueniri vbique. Sufficit autem quod materia huius Sacramenti, quod non est tantæ necessitatis, possit de facili ad omnia loca terrarum deferri.* Vnde nobis simile argumentum. In Sacramentis non absolute necessariis, sufficit materiam posse facile deferri: At Eucharistia est Sacramentum non absolute necessarium: Ergo in Eucharistia satis est materiam posse facile deferri. Antecedentis pars vtraque in confesso est apud Papistas.

XXXIV. Addo aliam rationem desumptam ex Suare disputatione trigesima tertia de Sacramentis sectione prima; vbi soluitur obiectio illa de raritate balsami per oppositam experientiam, *Hactenus*, inquit, *nunquam in Ecclesia defuit balsamum sufficienter certum, ex quo posset Chrisma confici, etiam in priscis illis temporibus, quando Ecclesia, & his temporalibus rebus magis egebat, & grauiores persecutiones sustinebat.* Esto, inquam: sed nos similiter dicimus nunquam defuisse vinum veteri Ecclesiæ, quantum satis fuit communicandæ plebi per vniuersam Christianitatem. Neque vllum vnquam dari potest testimonium in contrarium. Cur ergo tam ambitiose prætexitur hæc raritas rescindendæ Christi institutioni?

XXXV. Et vt veteri experientiæ recentem subnectam; certe hodie ad Septentrionem plurimæ sunt & populosissimæ Ecclesiæ per Belgium, Angliam, Scotiam, Daniam, Sueuiam, Poloniam, Transsyluaniam, alias: quæ omnes excusso iugo Papistico reduxerunt antiquum publicæ communionis morem: & tamen nulla earum aut defectum vini patitur, aut impensarum magnitudinem queritur. An quia maior hodie copia vini, quam olim? An quia cum Reformatis felicius agitur? An quia Papistis delicatæ sunt de nihilo querelæ?

XXXVI. Impediretur frequens communio. Scilicet hic Romæ metus est, ea cura Sophistas sollicita! Qui iam seculis aliquot, vix singulas,

singulas, binasve quotannis communiones publicas voluere celebratas. Apud quos sciunt omnes nunquam populum inuitari à Sacerdote sacrificante. Qui iam denique priuatis si paulo sæpius accedant, pro supererogatis meritis imputent. At Ecclesia, aiunt, passim omnes hortatur. Ita sane, inquam, Ecclesia. Sed non est ergo Papismus Ecclesia, qui nunquam hortatur. Et istorum Sophistarum impudentiam quisquam dissimulare potest? Hos cœlum intueri; hos terra sustinere; tam impune cunctis illudentes?

XXXVII. Et vero rem vide. Ecclesia quandiu hortata est plebem ad frequentem communionem, tandiu vsa est vtraque specie. Meministin vtrumque auditum à Chrysostomo diserte: obseruatum in aliis plurimis? Postremis vero seculis, aut subducto calice, abolita frequens plebis communio: aut contra abolita frequenti hac communione subductus est calix.

CAP. V.

De autoritate Ecclesiæ.

I. HActenus actum de veteri consuetudine; nunc de lege Papistica: illa, inquam, lege, quæ secure, & ἀπτίμως omnibus laicis calicem prohibuit, iisdem pœnis propositis, quæ solebant olim maximas hæreses coërcere. Disputant primo, legitime prohibitum: deinde etiam iure prohibitum: Nam Hardingus, *Ecclesia*, inquit, *multis, grauibusque causis adducta fuit ad legem constituendam, qua populo vna tantum specie communicare permitteret.* Vbi vtrumque caput habetur, & quis legem tulerit; & ratione magna tulisse. Ecclesiam prætendunt autorem: hoc videamus.

II. Esto argumentum huiusmodi. Quicquid Ecclesia instituit, legitime est institutum: At communionem mutilam Ecclesia instituit: Ergo legitime instituta est communio mutila. Probatur minor; quia *non modo in Concilio Basilienſi* (verba sunt Hardingi) *sed etiam in Constantienſi, & ante mille plus minus annus, in primo Concilio Ephesino, quemadmodum probabiliter colligunt.* Et hoc Ephesini nomen repetiit Petrus Michael.

III. Probatur maior. Magna enim fuit Ecclesiæ, inquit Salmero, collata potestas in his quæ ad dispensationem Sacramentorum spectant. Habet enim autoritatem variandi ea quæ accidentia sunt in illis, vt tempus, ritum, & personas suscipientes. Richeomus: Ecclesia potuit communionem coercere; vtpote habens claues domus Dei, & autoritatem disponendi res indifferentes, neque constitutas vllo diserto Dei mandato. Gregorius de Valentia, Cum neque ex verbis vllis Christi, neque ex institutione, neque ex Christi exemplo, neque ex natura huius Sacramenti, neque ex antiqua praxi Ecclesiæ, neque ex illius traditione, aut testimoniis antiquitatis, diuinum præceptum de communione sub vtraque colligi possit, consequitur necessario dispensationem, atque vsum alterius vel vtriusque speciei, quod ad non conficientes attinet, esse rem in Ecclesiæ potestate & arbitrio positam. Ad eam enim spectat, illa quæ in administratione Sacramentorum diuinitus determinata non sunt, salua Sacramentorum natura & veritate, ita constituere, vt ad ædificationem fidelium, & maiorem Dei cultum consideratis omnibus circumstantiis expedit.

IV. Et tuba altius inflata, Slotanus. Quis addubitare poterit, quin Ecclesia Spiritu sancto regatur? Nisi forte Christi credere nolit Euangelio, in quo Ecclesiæ promissus est Spiritus sanctus, Spiritus veritatis. Certum est ergo Spiritum istum veritatis, in Ecclesia perpetuo manere, Ecclesiam instruere, eam ducere in omnem veritatem, ei annuntiare, suggerere, submministrare, ac insinuare, quicquid est veritatis Christianæ, & illustrare ea quæ à Christo dicta sunt. Nunquam enim permisit Ecclesiam errare. Errasset autem si contra verbum Christi laicis vnam speciem subtraxisset. Suares: Ecclesia non potest in his, quæ ad mores tutius Ecclesiæ pertinent, errare; neque aliquid iniustum aut malum præcipere. Ergo talis lex est iusta, & bona, ergo valida & obligationem inducens. Soto: Ecclesia consultissime ac sanctissime interdixit populo huiusmodi sanguinis communionem: & qui dixerit eandem sanctam Ecclesiam id non potuisse, aut non debuisse facere, manifestarius hæreticus est.

V. Respondeo negari primum maiorem. Nam quæcunque ab Ecclesia legitime instituuntur, ea oportet esse in potestate Ecclesiæ: nam quæ hanc excedunt, ea nunquam quisquam dicere potest ab eadem legitime instituta. Itaque prudenter Salmero coercuit ad accidentaria: Richeomus ad res indifferentes neque constitutas vllo diserto Dei mandato: Et nonnulli alij similiter. Et sane verum est, multa esse in religione Christiana ἀμετακίνητα; quæ nulla vnquam occasione mutari debeant. In iis aut sola aut præcipua esse, quæ in Scripturis definita. Augustinus 3. lib. contra literas Petiliani, cap. 6. *Siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem, vitamque nostram: non dicam nos, nequaquam comparandi ei, qui dixit, licet si nos: sed omnino, quod secutus adiecit, si Angelus de cœlo vobis annuntiauerit præterquam quod in Scripturis Legalibus & Euangelicis accepistis anathema sit.* Non colligam alia plurima, quæ plenius deducta fuere in prima controuersia de Canone fidei.

VI. Porro ne quis putet hanc exceptionem esse ἐν ἀφωνίᾳ; dico nunc agi de re definita in Scripturis Sacris; quod toto præcedente libro disputatum fuit, & confirmatum: atque adeo præcedenti capite inductus Augustinus, diserte disparans communionem corporis & sanguinis Domini, ab iis quæ tantum tradita custodiuntur: & numerans in iis quæ scripta tenentur. Quare quicquid contra obtendatur à Papistis, tamen hoc caput non refellendum inter ea, quæ potest Ecclesia legitime disponere.

VII. Secundo, Ecclesia vel vniuersalis intelligitur vel particularis. De particulari, negatur maior. Plurima enim occurrunt exempla constitutionum in particularibus Ecclesiis, quæ sunt illegitima. Neque adeo contra pugnaturos spero Papistas. Nam particularis Ecclesia definiuit olim hæreticorum Baptismum repetendum, nempe Africana, sub Cypriano. Quæ sane quæstio æque ad dispensationem Baptismi pertinebat, ac communio ad Cœnæ. Et in Asia olim quartadecima Luna celebratum fuit Pascha: quæ circunstantia erat temporis, duntaxat. Quod tamen exemplum neutrum fuit legitimæ constitutionis.

VIII. Illa igitur omissa parte, altera supereſt de Ecclesia vniuersali; quæ complecti videtur longe maiorem quæstionem, vtrum Ecclesia possit errare: nam huc pertinet maxima pars argumentorum ab aduersariis propositorum in huius maioris confirmationem. Sed mihi nunc decretum ab ea penitus abstinere, vt reseruetur vltimo nostro Tomo, si Deus concesserit.

IX. Quid ergo nunc? Nempe minorem sum negaturus. Negaturus, inquam, fuisse vnquam ab Ecclesia vniuersali, aut decretam, aut vsurpatam communionem hanc mutilam, de qua nunc dissensio est. Vno verbo, falsissime assertum esse à Soto; Ecclesiam (nempe vniuersalem) interdixisse populo sanguinis communionem. Mitto nunc vsurpatam: quia satis disputatum. Interdictam volunt in Concilio Ephesino, item Constantiensi, & Basileensi. Hoc videamus.

X. De Ephesino impudentissime confictum: adeo non tantum nullus eius Canon, sed neque vllus testis proferri potest; sed tantum coniectura. Nam Caietanus in tertiam Thomæ quæstionis octuagesimæ articulo decimo commentus est; Nestorium & Pelagium adstruxisse vniuersaliter seruandam communionem sub vtraque specie, etsi diuersa ratione. Nestorium, quia sub specie panis tantum corpus, sub specie vini tantum sanguis contineretur. Pelagium vero, quia non possent infantes seruari absque communione iuxta illa verba ex Ioannis sexto. Hoc posito, quia Nestorius damnatus sit in Concilio Ephesino, factum vt permitteret sibi quidam diuinare communionem mutilatam eadem opera sancitam.

XI. Ridiculi homines; qui primo non viderunt inaptiam consequentiæ. Atqui Manichæos volunt itidem abstinuisse à vino propter propriam hæresin; eo quod negarent esse creaturam Dei: & damnatos concedunt ob eam hæresin. Quid ergo si asseram propter eandem hæresin damnatam fuisse mutilam communionem? Sanumne existiment? Æque nos sciunt ridere, cum audimus necessitatem vtriusque speciei damnatam cum damnarentur Nestoriani, Pelagianive.

XII. Præterea falsum supponunt. Soto in 4. distinct. 12. quæst. 1. articul. 12. *Caietanus radicem moris huius in Nestorianos & Pelagianos reducit, sicuti & alium de eodem Sacramento infantibus porrigendo. Attamen hunc secundum iam supra articulo nono diximus non esse verisimile apud Pelagianos viguisse, vtpote qui infantes, vt haberent vitam æternam, nullo arbitrabantur indigere Sacramento. Neque vero Nestoriani in Concilio Ephesino hoc errore notantur; sed quod corpus in Sacramento non diuinitati vnitum credebant.* Sed & Vasques cap. 4. disput. 216. *Vsque ad tempora Concilii Constantiensis, vbi primum sublatus fuit laicis vsus calicis, nullum fuisse exortum errorem circa integritatem Christi sub qualibet specie asserit. Quare*, inquit, *dici non potest, ad tollendum illum talem legem in Ecclesia latam fuisse.* Hæc isti; quibus assentiendum potius. Nam quid potuit, siue Caietanus, siue Hardingus, siue alius quisquam rescire de Manichæis, & Nestorianis, nisi ex relatione Veterum, à quibus fuerunt hoc genus hæretici impugnati, refutati, damnati? At nullus omnino horum, quicquam huiusmodi obseruauit. Probabilius Slotanus in Velsij articulum decimum quartum: Erasse Nestorium, quod, licet admitteret panem conuerti in carnem hominis, negaret tamen transmutari in carnem hominis, qui esset Filius Dei: sed in carnem hominis iusti & sanctificati, qui templum esset Dei, diuinam in se habitationem possidens. Nam etsi illud de conuersione Papisticum esse potest; tamen reliqua vere sunt Nestoriana. Sed longe abeuntia ab hac quæstione de communione vtriusque speciei.

XIII. Supersunt ergo duntaxat Concilia Constantiense, & Basileense; in quæ tota recumbat spes Papistica: Nam in Tridentino refellendo, non est, opinor, quod cogat diutius insistere. Nunquam enim Ariminense magis quam hoc coactum aduersus Catholicos fuit indignius, quod vllo loco esset. In quo præter infinitam Papisticæ tyrannidis adultationem nihil potes obseruare. Itaque habeant sibi sane totum Papistæ: nemo nostrum inuidebit.

XIV. Supersunt duo reliqua. Quanti ponderis? Elegans mehercle fabula, audire Salmeronem inflantem buccas eorum laudibus. Generalia Concilia, in mediis Germaniæ visceribus celebrata magno Patrum consensu. Constare inuictam esse Conciliorum Generalium in Ecclesia autoritatem. Iniuriam facere Spiritu sancto, non solum qui decreta spernat, aut abrogare contendat: sed vel qui monitis atque institutis parere recuset. Ad hunc laudum cumulum quid addi potest? Aut quid quisquam dicat amplius de vetustissimis illis, quorum autoritatem Gregorius æquauit quatuor Euangeliis? Tam serio Papistæ solent suas merces venditare.

XV. Ad populum phaleras. Ego te intus & in cute noui. Et profecto ridentibus oportet ista dici Iesuitis, non agentibus serio. Nam, primum non fuere Concilia Oecumenica; sed tantum Occidentalia; in quibus nulli Græci fuerint, aut ex vniuerso Oriente. Conuocata à solo Romano Episcopo, cuius eæ partes nullæ fuerunt olim. Etiam Basileense non totius Occidentis: quod oppositum habuerit Ferrariense; itidem conuocatum ab Episcopo Romano indignante suam minus dignitatem.

XVI. Denique vt illa omnia taceamus; quid quantumque eis delatum velint ipsi Papistæ audiamus. Bellarminus cap. 7. de Conciliis, hæc ipsa numerat in partim confirmatis, partim reprobatis. *Hoc Concilium*, inquit, scilicet Constantiense, *quantum ad primas sessiones, vbi definit Concilium esse supra Papam, reprobatum est in Concilio Florentino, & Lateranensi vltimo: quantum ad vltimas sessiones, & ea omnia quæ probauit Martinus quintus, ab omnibus Catholicis recipitur.* De Basileensi, *Huius Concilii nihil est ratum & probatum, nisi quædam dispositiones circa beneficia, quæ à Concilio facta fuerunt; quas & pacis & vnitatis gratia, Nicolaus approbauit: Concilium vero ipsum reprobatur in Concilio Lateranensi vltimo, sessione vndecima.*

XVII. En tibi Concilia generalia: en tibi inuictam autoritatem! En tibi iniuriam factam Spiritui sancto. Scilicet Conciliorum partim reprobatorum.

batorum. Facile negotium Basileensis, à quo vulgo excluſum basiliſcum dictabatur. Nam huius nihil ratum dicitur, præter diſpoſitiones circà beneficia: In quibus certe hoc decretum numerari nequit. Cur ergo eius nomen tam magnifice obtenditur? Vt ſolent pueris μορμολύκεια; quæ ipſi rident, qui obiiciunt. Scilicet ab iis petenda definitio rerum Eccleſiaſticarum; quos ne ipſi quidem qui maxime laudant, poſſunt ſine exceptione laudare. Primæ Actiones improbantur Conſtantienſes; poſtremæ approbantur: fieri id quidem poteſt in humana infirmitate: ſed vt ſit humana infirmitas regula Eccleſiæ, dari non poteſt. Nam etiam in Scriptura, ſi vel vnum officioſum mendacium occurrat, totam ruere eius autoritatem præſcripſit Auguſtinus. Tum autem in quadraginta quinque ſeſſionibus, puto decimam tertiam inter primas eſſe. Et ſi attentatum quid aduerſus Papas, ratio eſt errandi; certe etiam tunc & in ſequentibus ſeſſionibus id crimen fuit, Quæ ratio amouendi ſuſpicionem? Niſi Papiſtis in manu virgæ ſint; quibus Oecumenica Concilia coërceant pro arbitrio, & puerorum in morem.

XVIII. Non potuit à nobis plenior inſtitui refutatio. Prætendebant Eccleſiam decreuiſſe: & legitime decreuiſſe. Nos probauimus; neque Eccleſiam, videlicet Vniuerſalem, decreuiſſe: neque eam quæ decreuit, legitime decreuiſſe. Quid vltra poteſt requiri?

CAP. VI.

De Sacerdotum Papiſtarum nequitia.

I. SErmo futurus eſt prolixior de iure. Nam huc collatum quicquid reliqui fuit ſubtilitatis. Primo, purgant fraudem, deinde rationes facti explicant.

II. De fraude Salmero. Nulla cauſa ad auaritiam permouens extitit ex parte Sacerdotum hoc inſtituentium. Quod enim lucrum reportant inde; cum in multis regionibus poſt diſpenſatam ſpeciem panis, nonnihil vini præbeant non conſecrati, quo commodius deglutire poſſint Euchariſtiam? tam facile autem illis fuiſſet præbere conſecratum, ac non conſecratum.

III. Et tamen, inquam, paulo ante cauſati ſunt impenſas maximas. Eſtne hoc liberalitatis indicium? Imo crediderim hanc eandem auaritiam ſeſe exſeruiſſe in alteram ſpeciem. Nam cur pro pane ſuppoſita fuerint foliola illa farinacea; quæ apud nullos vnquam homines venerunt aut in nomen panis, aut in vſum vitæ; equidem non video; niſi hæc ſit cauſa; quod multa inde parſimonia eſſet, maxime in magno populo. Itaque ſi non plenum argumentum, at certe non inanis coniectura eſt, cum deſiſſet ex oblationibus populi conſecrari Euchariſtia; eiuſque rei cura delata eſſet in Epiſcopos, ſiue parochos; ſibi iſtos voluiſſe vtraque parte conſultum.

IV. Sed quibuſdam in locis porrigunt vinum non conſecratum. Solet, inquam, apud Gallos fieri: & ex eo præiudicio credebam ego quidem apud omnes. Nunc primum audio apud quoſdam: & aliunde didici in Hiſpania aquam dari. Sed cur non apud omnes? Nam foliola illa farinacea, non ſunt facilius deglubendà alibi, quam apud nos. Itaque noſtrates Sacerdotes pudor aliquis tenuit, apud quos vilius vinum. Sed qui carius emunt, præfractiores iugum maluerunt excutere. Et forte vere diuinauit Hoſius, inde ortum malum; effudiſſe ſe in omnes; vt maluerint etiam noſtrates nullo compendio; non tam ſibi conſulere; quam plebi illudere. In Concilio Chalcedonenſi cum accuſatur Ibas, quod non prouidiſſet vinum plebi ſufficiens; vtrum laudabatur eius liberalitas; an culpabatur auaritia?

V. Sed ego quidem auaritiam nolim vrgeri: quam facile cur non ſit iurare Sacerdotibus; cum ne centeſimum quemque facile poſſis arguere, vt non honeſto prætextu excuſet? Atque vtinam tota Eccleſiæ pactura in illo eſſet: nunquam tanti, vt propterea tantæ contentiones eſſent ſuſcipiendæ: tot mortes obeundæ. Quid igitur? Nempe intoleranda eſt Sacerdotum malignitas in religionis negotio; quæ longe maximam Eccleſiæ partem auſa eſt priuare ſuo bono. Et priuare quidem inepta ambitione: quæ perire exiſtimarit ſacerdotij prærogatiuam, ſi eundem calicem plebs bibat cum conſecrante. Nam hæc cauſa non fuit indigna reputata, quæ obtenderetur. Quaſi aut à Scriptura, aut à Patribus conſtaret, vllum in hac parte priuilegium eſſe.

VI. Eſt autem immaniſſima tyrannis, quæ à communis Domini munificentia ſunt perſcripta legata, eà ab arbitrio pendere eorum à quorum liberalitate non pendeant. Sunt Sacerdotes exſequutores Teſtamenti cœleſtis. Et quiſquam æquum cenſeat ab exſequutoribus legata interuerti: quocunque prætextu interuertant? Nunquam ſcio paterentur, & priuſquam paterentur, cœlum terræ miſcerent Sacerdotes, ſi ſibi pia, quæ vocant, legata; & quorum prætextu domos exhauriunt, non repræſentarentur ad extremum vſque quadrantem. Legauit Chriſtus plebi ſuæ panem & vinum, Sacramenta ſua, æque vtrumque: Vix panem illi conceſſerunt; & quidem adulteratum; id eſt, pro pane foliculum: tamen ſucceſſu audaciores facti, alterum ſuſtulerunt funditus: & tam ſtupidos voluerunt eſſe laicos, vt ne conqueri quidem audeant; non malam fidem accuſare? Imo indignius. Nam hoc quidem forte eſſet tolerabilius, ſi nunquam conceſſiſſent. Sed quo vſi ſunt laici, ſeculi plus quam duodecim integra; idipſum tandem ablatum, non iam fraudatum teſtamentum eſt, ſed vis aperta, ſed latrocinium, ſed ſacrilegium. Non poteſt: non poteſt pro diguitate ſcelus exaggerari.

VII. Recriminatur Richeomus: Iuſtius de nobis Papiſtas conqueri, non tantum alteram partem detractam, Sacramenti; ſed ipſam manducationem corporis & ſanguinis abolitam. Deinde potius debuiſſe accuſari ſublatam infantium communionem, vſitatam aduſque Caroli Magni tempora. Nam ſi potuit hanc Eccleſia prohibere; potuiſſe itidem alteram ſpeciem. Tertio, cauſam noſtræ querimoniæ fuiſſe primo ſuperbiam, indeque rebellionem aduerſus Eccleſiam: deinde nimium amorem vini; vnde ægre nobis fuiſſe etiam tantulæ guttulæ priuationem; propter nimiam delectationem. Hanc partem ea coniectura firmat, quod hæc querimonia cœperit, non in Gallia, aut Italia, vbi abundet vinum; ſed in Bohemia, aliiſque locis vbi penuria eſt.

VIII. Recitaui, non propter momentum, quo nihil leuius, ſe propter Ieſuiticæ naturæ impudentiam: cuius priuilegij ſummum gradum perperis ſui tuo Richeomus tenuit: adeo nihil illi vnquam omiſſum, quo ſperaret ſe vicit probris: nullas non ſuſpiciones conquirit: nullas non coniecturas exagitat: vt ſibi videri poſſit oratorem agere; id eſt, puluerem iniicere auditoribus, lectoribuſve.

IX. De ſubtracto corpore & ſanguine Chriſti; diſtinguimus: Vel enim veram illam & ſalutarem communionem intelligi, ſine qua ſalus nulla cuiquam, teſte Chriſto, Ioannis 6. vel alteram Capernaiticam, quæ æque cum canibus, & muribus, & tineis corpus ſanguinemque Chriſti deuoret. Priorem, negamus à nobis vnquam vſquam ſublatam: quin potius gloriamur aduerſus Papiſtas, vere, clare, conſtanter ſtabilitam: & hoc modo reſtitutam in integrum iuxta verbum Dei, iuxta veteris Eccleſiæ conſenſum. Quod nos ſuo tandem loco demonſtratum imus.

X. Sed alteram illam ſi dicat Richeomus; nos non tam confitemur, quam vltrò profitemur à nobis abolitam: Atque vtinam prorſus abolitam: vt ne eius vlla veſtigia apparerent. Sed nondum ſicuit, erroris efficacia, hanc nobis laudem eſſe ſolidam. Sed certe in magnis ſi ſit ſatis voluiſſe; nobis abunde magna laudis materia eſt, quod abolitam ſerio velimus; atque in eum ſcopum ſtudia laboreſque noſtros conferamus: benedictionem exſpectantes è cœlo: & ſcimus quidem moleſtiſſimos eſſe hos noſtros labores, Papiſtis. Sed quid facias? Si ſerui eſſe velimus hominum, fieri non poteſt vt ſimus Dei. At hæc nobis conditio longe potior: vt ne ſperent Sophiſtæ nos in ſuam gratiam diſceſſuros à propoſito: quominus conſtanter impugnemus monſtrum illud horrendum; & quale nunquam fuit in vniuerſo orbe vel fictum, vel pictum: nullum non dicam in hæreſibus, quæ Chriſtianitatis nomen tenuerunt: ſed neque in Turciſmo; aut etiam Ethniciſmo. Denique quid eorum moueamur ſuperſtitione, qui non magis dolent vicem fidelium, quam canum, & porcorum, quibus deferunt, quicquid nos hunc queruntur ſuſtuliſſe?

XI. De infantium ablata communione, & poculi, reſpondeo non comparari paria. Cum illa nunquam legitima fuerit: imo acquieſcentibus Papiſtis, contra Scripturam & inſtituta & vſurpata. Itaque eodem iure ab Eccleſia reiicienda, quo iure ſolent omnes abuſus extirpari. Quis autem non horreat audire parem autoritatem eſſe tollendorum abuſuum, & abolendæ diuinæ inſtitutionis? Hic; hic gradus blaſphemiæ Papiſtis ſupererat, quo ſe Ieſuitæ ſuſtollerent.

XII. Superbiam in aliis culpari à Ieſuitis, deliciæ ſunt, his temporibus dignæ. An quia ſuæ quos vident ſuperbiæ ſe opponere; in hos ſuſpicionem deriuare neceſſe habent? Omnino ita eſt. Nam alioquin notum lippis & tonſoribus: quicquid ſuperbiæ fuit in mundo, deriuatum tandem in Ieſuitarum clauſtra: vt merito de iis illud olim in Philoſophos iactatum, poſſit vſurpari, Ieſuitam eſſe gloriæ animal.

XIII. De amore vini cum loqueretur; non aduertebat maledicentiſſimus nebulo; in iis ipſis regionibus, vnde originem repetit, vel publicos ganeones, magis eſſe ſobrios Sacerdotibus Papiſticis. Et quanto potentius eos dicamus inſano Lyæi amore vri, qui ſibi ſolis hunc liquorem volunt eſſe eximium? Inque eo dignitatem collocent ſui ſacerdotij? Tacete calumniatores. Tacete nebulones: aut aſſueſcite audire quæ nolitis: qui ſperatis vobis impune licere loqui quæ velitis. Noſtræ compotationes ſunt modeſtiores veſtris ieiuniis.

CAP. VII.

Etſi totus Chriſtus eſſet ſub vtraque: tamen non ſequi alteram detrahendam.

I. AD purgationem refero quatuor quæſtiones: Vtrum totus Chriſtus ſit in quauis duarum ſpecierum: vtrum Sacramenti tota ratio in vna ſpecie reperiatur: Vtrum qui fructus habetur ex vtraque ſpecie, idem totus haberi poſſit ex altera: Vtrum pugnet cum Scripturis communio vnius ſpeciei. Quarum reliquas plurimi tractauere: Secundam, quod quidem reſciuerim, præter Bellarminum nullus.

II. De prima ſic Sloranus, *Quæritur num totus Chriſtus ſub vna qualibet ſpecie Sacramenti contineatur: & iccirco cuilibet homini Chriſtiano non ſacrificanti ſatis ſit, ſub vna ſpecie communicare.* Et ita poſito ſtatu prolixe diſputat in affirmatiuam partem. Karnkouski, *Cum ſub vna ſpecie integer accipiatur Chriſtus, perperam faciunt, qui tanta ſiti calicem inclamant.* Sed & Beccanus diſerte, *Sic concludo: Si totus Chriſtus non minus continetur ſub vna ſpecie, quam ſub vtraque, perinde erit cæteris paribus, ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraque Euchariſtiam accipiamus. Semper enim accipiemus eundem Chriſtum: & quidem totum ac integrum. At prius verum eſt. Ergo & poſterius.*

III. Reſpondeo negari conſequentiam: Negandi cauſa triplex. Vna, quod de non ſacrificantibus ſolis concludatur: cum eadem ratio ſit etiam ſacrificantium. Nihil enim vetat quominus dicam: Si totus Chriſtus continetur ſub alterutra ſpecie: Ergo ſatis eſt ſacrificantes vni ſpeciei communicare. Quod ſi hęc conſequentia ſit abſurda: profecto idem iudicium eſſe debet de altera: cum ſimilium ſit ſimile iudicium. Eſſe autem abſurdam probo ex Roſſenſi, *Cum Chriſtus*, inquit, *poſt ablutos Apoſtolorum pedes inſtituiſſet eũ conſecrandi ſui corporis poteſtatem conferens: par fuit, vt ſub vtraque ſpecie Sacramentum iſtud eis porrigeret. Propter quod & eis omnibus iuſſit, vt ex calice biberent, non omnibus omnino Chriſtianis. Quamobrem neque Sacerdotibus licet, quoties ipſi Sacramentum hoc conſecrant, & tanquam ſacrificium offerunt Deo, quia ſub vtraque ſpecie pariter communicent.* Idipſum docent alij; vt alias vidimus.

IV. Secunda ratio. Quia Papiſtæ conſtituant in ſpeciei vtriuſque communione priuilegium ſacerdotale. Atqui aut nullum eſt, aut aliquid amplius in vtraque quam in altera ſumi oportet. Et quia totus Chriſtus non magis eſt ſub vtraque reſpectu plebis, quam reſpectu Sacerdotis: omnino neceſſe eſt fateri, non eſſe conſequens, ſi Chriſtus ſit totus ſub vtraque: Ergo alterutram ſufficere. Et quia certum, non diſtare Sacerdotem à plebe in communione tremendorum myſteriorum: conſequens eſt, non tantum minus dari plebi quam ſacerdoti: ſed etiam minus quam plebi debeat diſtribui.

V. Tertia ratio, & potiſſima: Quia argumentum abducit quæſtionẽ à recta quæ-

cta quæstione. Nam totus Christus, aliud est ab vtraque specie: hæc enim ad signa pertinet:ille autem ad rem significatam. Nec verum, si in vna specie sit tota res significata, ideo in vna esse vtramque speciem. Est autem quæstio, vtrum fiat iniuria plebi detracto calice. Neque nostrum quisquam dixit iniuriam factam detracto sanguine: quem sane fidelibus ne si velint quidem detrahere queant Papistæ, aut hominum quisquam. Est autem certum, in Cœna Christum, non tantum corpus & sanguinem commendasse; sed etiam panem ac calicem distribuisse; imo distribuendum iussisse. Finge ergo quantum voles te corpus & sanguinem tradere: At falsum tamen te panem & calicem. Quid tergi versaris? Quid desilis à quæstione? Cur fugam captas inutilem. Non reposcimus quod non abstulisti: dicam melius, quod auferre non potuisti: hoc reposcitum quod tu scelerate propria audacia surripuisti de legato nostri parentis. Hoc responde illud mitte.

VI. Beccanus vnus omnium consequentiam hanc conatus est firmare, duplici exemplo; vno ficto; altero è Scripturis desumpto. *Faciamus*, inquit, *legatum mille florenorum à testatore relictum tibi esse, & totum in duplici codicillo descriptum contineri, nec minus tibi profuturum, si vnum quam si vtrumque codicillum ab hæredibus testatoris accipias. Sane si hæredes alterum codicillum tibi efferant, cuius vigore totum legatum percepturus es, quid habes, quod queraris? Nihil video. Nam æque certus es de tota pecuniæ summa, per vnum, quam per vtrumque codicillum, nec aliunde quicquam pateris detrimenti. Plane sic res habet in nostro proposito.*

VII. Egregie: quasi similitudines quæstionem firmarent, potius quam conclusionem illustrarent: & maxime cum fictæ ad arbitrium: Sed enim fictio ipsa est dissimilis: cum ponat legatam duntaxat summam pecuniæ: quasi hoc loco nihil esset legatum præter Christum: quod est falsum, quia etiam panis, & calix legatus est. Itaque debuit poëta fingere vna cum pecunia, legatum vtrumque codicillum; quo casu, negatur nullam fraudem fieri si alterum tantum tradas. Maxime si eadem ratio sit codicillorum, quæ signorum, nimirum vt non vtriusque sit eadem ratio ad pecuniam legatam, quomodo panis ad Christum alia, & vini alia. Melius finxisset si dixisset fundum legatum, quod esset acquisitum gemina actione, vt sæpe fit, & debito per contractum priuatum, & publica magistratus sententia. Tunc enim manifestum est iniuriam fieri si cum fundo non tradas vtrumque instrumentum acquisitionis. Vel si vis aliter, & ad rem nostram propinquius. Donarit rex pecuniæ summam, vt fit per diploma cum sigillis: dico iniuriam fieri, si diploma tantum tibi minister regis non etiam sigillum.

VIII. Addit Beccanus, luculentius exemplum in Manna. Fuit, inquit, figura Eucharistiæ: At qui plus collegerat non habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt: ita enim scriptum Exodi 16. Nimirum voluit Deus quasi in figura significare, non minus percepturos ex Eucharistia, qui vnam, quam qui duas species accepturi essent, nec plus qui duas, quam qui vnam sumpturi.

IX. Sed hoc allegoricum est argumentum, & quidem ex proprio Beccani motu, cuius non sunt tanti somniationes, vt vel vmbram demonstrationis obtineant. Deinde à Paulo Manna non est Eucharistiæ figura: sed duntaxat alterius partis: nam alteri parti componitur aqua fluens ex Petra. Itaque vt plurimum doceret vnius eiusdemque speciei non esse quantitatem metiendum, sed æque micam vnam, ac integrum panem significare integram communionem corporis Christi, & vere manna nusquam dicitur satis fuisse cum ad esum tum ad potum: imo contra post acceptum manna Israelitas male habuit sitis, Exodi decimo septimo. Est autem Sacramenti ratio, vt ostendatur perfecta animæ nutritio in Christo: ideoque non deficientis potus. Quare necesse est non tantum panem, sed etiam vinum adhiberi.

Cap. VIII.

De Concomitantia.

I. HActenus consequentia. De antecedente prolixius negotium est. Ponunt enim Christum ipsum quantus quantus est tam subsistantialiter contineri in Eucharistia; quam in cœlis ipsis. In eo semper esse duas naturas, diuinam, & humanam: & nunc humanam viuentem; itaque constantem corpore & anima: corpus etiam carne & sanguine; non diuisis, vt triduo mortis, sed vnitis, nec vnquam amplius separandis. Hanc vnitionem carnis, sanguinis, animę, Deitatis in hoc argumento proprio nomine recentiores Sophistæ dixerunt Concomitantiam: alioquin apud saniores Theologos, nunquam nominatam.

II. His positis distinxerunt præsentiam Christi in Eucharistia; alias ex vi verborum: alias ex vi Concomitantiæ: quod quid sit mysterii, audi ab Eckio hom. 32. *Penes hanc transmutationem*, inquit, *attendendum est in quonam fiat. Potest ergo id à nobis dupliciter considerari. Primum quod verba hæc in sua operatione se extendant eo vsque quo pertingit eorum significatio: atque hoc dicitur ibi proprie per se ex virtute verborum. Id in hunc modum accipe. Quum Sacerdos in Missa debita intentione super hostiam loco Christi pronunciat hæc verba, Hoc est corpus meum: tunc sane verba hæc quoad suam significationem tantum pertingunt ad corpus Christi; non autem ad animam vel sanguinem. Quapropter operatio Christi ex virtute verborum, & quoad seipsam eo tantum extenderetur, quod hic panis in corpus Christi conuerteretur: similiter cum Sacerdos verba à Christo instituta dicit super calicem vbique ex vi verborum in se nihil aliud nisi sanguis Christi conficitur. Sed non hic tantum insistendum est. Quamuis enim sub specie panis tantum est corpus Christi, & sub specie vini sanguis ex vi verborum, in seipsis & sua significatione: adhuc tamen cogitandum est, quod ex essentiali & naturali Concomitantia & ex inseparabili quadam vnione sub qualibet specie aliquanto plus esse oportet. Id ita intellige. Etsi ex vi verborum, & ipsorum significatione sub specie hostiæ tantum est corpus Christi: attamen qua Christus iam viuit & regnat, neq; moritur amplius, ita vt corpus illud non sit mortuum: sequitur ibi etiam esse animam: quoniam naturalis ita habet concomitantia, vt vbicunque est corpus viuum, ibi sit anima. Deinde & hoc sequitur, quod si hic sit anima, sit etiam sanguis oportet: cum animæ domicilium & sedes non est in sicco sed in sanguine. Insuper cum sit ibi sanguis, sit etiam in suo corpore anima Christi, erit ibi & diuinitas: quia quod semel assumpsit Deus, nunquam dimisit, vt ait Damascenus. Ex inseparabili igitur vnione sequitur vt vbi est anima; ibi sit & diuinitas. Et sic quatuor sunt in hoc Sacramento sub specie panis: primum corpus Christi ex vi & significatione verborum: deinde anima Christi, mox & sanguis; postremo diuinitas: tria autem hæc vltima non sunt ibi ex virtute & significatione verborum; sed tantum per concomitantiam.*

III. En tibi totum mysterium Rem magnam scilicet: arcanum præteritis incognitum seculis: præsentibus non nisi longo, & lacinioso sermone explicatu facile. An potius ridiculi Sophistæ in re trita, vbique obuia, & pene puerili laudis magnificentiam suo more affectarunt? Ita est profecto. Nam quid illud esse censes. Non ex vi significationis verborum; sed ex naturali coucomitantia? Vnum illud è puerili schola mutuatum schema dictionis, synecdochen, cum à parte totum designatur. Exempli gratia. Deuteron. 33. *Benedictio eius qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph.* Quid tantum super caput? non in totum Ioseph? Lucæ 11. *Beatus venter qui te portauit: & vbera quæ suxisti.* Certe non venter, non vbera beata absque toto corpore: nec istud sine sanguine, aut anima. Ad Colossenses 2. τῇ σαρκὶ ἄπειμι: *Carne*, siue vt est in Latina editione, *Corpore absum.* Expende vim significationis; certe non dixit, se sanguine, aut anima absentem. Sed quia viuus Paulus non poterat esse sine anima: ac ne hęc quidem sine sanguine: ergo secundum concomitantiam Pauli sanguis, Paulique anima aberat à Colossensibus. Contra vero Actor. 7. *Missis nuntiis Iosephus accersiuit Patrem suum Iacobum, omnemque cognationem suam*, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, *in animabus septuaginta quinque.* Et 27. *Eramus vniuersæ animæ in naui ducentæ septuaginta sex.* Primæ Petri 3. *In arca octo animæ saluæ factæ sunt per aquam.* Heus tu! putasne solas animas, absque corpore & sanguine? Et tamen ex vi, ac signifitione verborum nulla habes corpora; nullum sanguinem. Ergo per concomitantiam omnia. Nam ea est naturalis proprietas, vt in toto continuo pars concomitetur totum; & totum concomitetur partem. Itaque Fulgentius ad Thrasimundum libri 1. cap. 5. hæreticos refutans, qui quia legerent, *Verbum carnem factum*, negabant susceptam à Christo rationalem animam, *Qui sic sentiunt*, inquit, *minus attendunt id esse locutionis humanæ, qua nonnunquam totum significatur à parte. Nouerint igitur in Scripturis Sanctis, aliquando carnis tantummodo nomine, nonnunquam animæ solius vocabulo, totum hominem demonstrari.* En quanti sit esse Sophistam.

IV. Sed rem ipsam videamus. Nihil est quod negare quisquam debeat, eorum quæ de Christi naturarum vnione dicta sunt. Neque dubitari debet Christum aut prorsus non recipi, aut totum recipi: non vero seorsum carnem à sanguine. Itaque condonamus libenter Sophistis, quicquid in hanc partem laboris aut impendunt, aut possunt impendere. De duabus naturis contra Nestorianos si acturi sunt, nobis facient fauentibus, &, si non dedignantur, adiuuantibus. De vnione corporis & animæ si qui fuere qui negarint; non impugnabunt nobis inuitis: nam nos certissime credimus resurrexisse, & in cœlis viuere: ideoque non animam tantum, sed sanguinem carni suæ reddidisse. Denique vno verbo, quæcunque illi fundamenta substruunt suæ concomitantiæ admittimus; neque concomitantiam quidem ipsam in Christo reiicimus.

V. Quid ergo? Nempe quod antea dixi; Sophistice transfertur disputatio à signis ad res significatas. Nam nos quidem dicimus nunquam posse sumi corpus Christi absque sanguine: sed posse corporis signum separari à sanguinis signo: quod & reapse factum sit à Papistis. Itaque negamus vtrerum, sic signorum vllum dari concomitantiam naturalem; sed tantum moralem; id est, Sacramentalem; quia videlicet, duo signa vnum Sacramentum constituant. Ideoque quemadmodum nemo potest corpus Christi sumere sine sanguine, sic neminem debere panem sine calice. Atque hoc quicunque impugnent prætextu concomitantiæ naturalis, non tantum Sophistas esse: sed etiam impios. Vin contraham in pauca? Etsi corpus Christi sit inseparabiliter vnitum sanguini: tamen absurdum est, & falsum, panem esse communionem sanguinis: aut calicem esse communionem corporis: negamus, inquam, hoc aut consentire scripturis, aut auditum esse puriori Ecclesiæ: sed tantum postremis seculis fictum à nugacibus sophistis; quorum tragelaphi sunt perpetua etiam vigilantium somnia.

VI. De hoc ipso tamen antecedente disputant, ex Scripturis, ex ratione, ex autoritate. Singula perpendamus. Et Bellarminus quidem nonnullos indicat, & impugnat, qui concomitantiam arcesserent ab his ipsis Verbis, *Hoc est corpus meum*: quia corpus significetur viuum, ac proinde cum anima & sanguine. Refutat autem primum autoritate Concilij Tridentini, deinde ratione, quia Eucharistia sit repræsentatio mortis Domini; proindeque sub ratione panis repræsentetur corpus à sanguine separatum, & sub specie vini, sanguis separatus à corpore. Et denique quia etsi corpus sit viuum, tamen per vocem non significetur nisi corpus, id est ea pars naturæ humanæ, quæ cum anima componit hominem.

VII. Optime ille quidem; excepta autoritate Tridentina; quanquam hæc non sit nihili aduersus Papistas; qui quem sibi laqueum induerunt; eo non possunt nisi suffocari. Sed profecto ita est, ex ratione institutionis, non posse corpus synecdochice sumi; sed κατὰ τὴν λέξιν, vt & sanguinem: quod nobis est inuictissimum argumentum aduersus istos omnes Sophistas: qui certe suam concomitantiam nihil minus quam ab institutione mutuati sunt. Quia autem non tantum legimus, *Hoc est corpus meum*: sed etiam *hoc est sanguis meus*, necessario colligimus in ratione Sacramenti excludi concomitantiam, id est & corpus sumi pro solida materia; & sanguinem pro liquida, ex quibus constet, id quod alias vno nomine corpus dicitur. Vnde consequens agere contra institutionem, qui dicant confundi in pane corpus & sanguinem, in poculo sanguinem & corpus, propter naturalem concomitantiam.

VIII. Sed illis missis videamus argumenta ex Scriptura. Bellarminus primo loco argumentatur ex primæ Ioannis 4. *Omnis Spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Atqui concomitantiam negantes apertissime soluunt Iesum; cum ponant alicubi corpus sine anima & sanguine, & Deitate.

IX. Respondeo, non esse quidem ea verba in textu Græco Ioannis: sed

nostr

nostra tamen nihil interesse. Itaque hoc nunc neglecto de quo actum alias, negamus assumptum. Nam qui soluunt Christum, hi in eius persona separant quæ sunt connexa siue per specialem vnionem illam hypostaticam; siue per naturalem humanæ naturæ compositionem. Sed qui in Eucharistiæ signis seorsim considerant corpus, & sanguinem Christi, nihil admittunt eiusmodi. Neque nos sane veremur, vt aut clarius confiteantur, aut solidius probant, aut constantius teneant Christi integritatem vlli Papistarum, quam nos: qui tamen in pane non nisi corpus: in calice, non nisi sanguinem Christi volumus considerari: inculcantes illud magnificum, *Panis quem frangimus est communio corporis; calix cui benedicimus est communio sanguinis Christi.* Et sane falsum est, qui hanc concomitantiam in signis negent, eos ponere alicubi corpus sine sanguine, aut anima, aut Deitate. Conuiciando potuit Bellarminus obiicere: sed non itidem disputando conuincere. Certe Caluinus tam procul fuit ab eo, vt hanc disparationem poneret; vt contra potius Papistis transubstantiatoribus obiecerit tanquam absurdissimam, §. 18. c. 17. quarti Institutionis.

X. Alterum argumentum ex Ioannis 6. *Qui manducat me, viuit propter me.* At non manducatur Dominus, nisi in specie panis: Ergo in specie panis non est solum corpus, sed totus Christus. Neque enim de solo corpore diceret, *Qui manducat me.* Item, *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Et, *Hic est panis qui de cœlo descendit.* Porro illud 6. caput Ioannis ad Sacramentum Eucharistiæ pertinere, alias se probasse gloriatur.

XI. Respondeo: de illo capite suo tandem loco examinatum iri; vtrum & quomodo pertineat ad Eucharistiam; in quo non tantum discrepant Catholici à Papistis: sed etiam scimus Papistas inter se non esse concordes. Interea primum negatur illud assumptum, non manducari Dominum nisi in specie panis: manducatur enim alias spiritualiter: alias Sacramentaliter: & id quidem tam certo discrimine: vt neque quicunque spiritualiter comedit, comedat Sacramentaliter: neque qui Sacramentaliter, idem semper spiritualiter. Et hanc quidem manducationem spiritualem intelligi locis illis Ioannis, manifeste colligas ex consequente, *Si manducet me, viuet*: quod sane non est necessarium in Sacramentali manducatione: quam fieri non raro ad condemnationem testatus est Paulus.

XII. Quod si tamen Sacramentalem volunt omnino intelligi: esto sane, dum plenius disputemus. Concedemus ergo non alibi manducari Christum, quam in pane. Sed illud, *Ergo in specie panis non est solum corpus Christi*; negatur: quia hæc ratio essendi non potest nisi Sacramentalis esse: ne desiliat inconstans aduersarius ad naturalem. Contra ergo dicimus, in specie panis non esse nisi corpus: in specie vini nisi sanguinem: ac proinde in pane non edi nisi corpus: nam aut edi sanguinem, aut bibi in pane absurdum est: cuius præter cerebrum Papisticum, nullum cerebrum sit capax.

XIII. Imo, ait, de solo corpore non diceret, *qui manducat me?* Et Salmero: cum pronomen Ego, & Me, non tantum solitarium corpus, & solitarium sanguinem, sed etiam totum Christum significet, euincitur totum Christum delitescere sub specie panis.

XIV. Imo, inquam, etsi Ego, & Me, totum Christum significet: tamen non consequitur totum Christum delitescere sub specie panis. Quare? Nimirum quia nihil absurdi est de toto dici, quod parti tantum fiat. Videlicet non tantum totus Christus non est siue partibus suis: sed ne quidem partes eius sine toto. Itaque merito qui comedit corpus Christi, totum comedere: etiam si Sacramentaliter non comedat nisi corpus. Sic Christus dicitur fixus: cum tamen κατὰ τὸ ῥητὸν verius Psalmo 22. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Quid? Significaturne per Christum non totus Christus, sed solitarium eius corpus sine anima? Et tamen, Christus dicitur fuisse sepultus: quanquam eius solum corpus fuerit in sepulcro. Nec reprehenditur, quæ dixit Ioannis 21. *Substulerunt Dominum meum: nec scio vbi posuerunt eum.*

XV. Tertium Bellarmini argumentum pendet ex tribus, inquit, principiis fidei, quæ euidenter habentur in verbo Dei. Primo, Corpus Domini vere & realiter esse in Eucharistia: quia dictum, *Hoc est corpus meum.* Secundo, Christum post resurrectionem viuere, neque vllo modo amplius moriturum: vnde sequitur non esse in Eucharistia corpus sine anima, & sanguine. Tertio Christum esse vnam personam in duabus naturis subsistentem: vnde consequens vbicunque sit, non aliam habere quam diuinam subsistentiam.

XVI. Verum de præsentia illa nondum confectum est negotium. Obseruemus ergo nihil habere Papistas quo disputent, ex communibus principiis, sed tantum ex propriis, quibus positis nihil est quod desperent se confecturos, quomodo qui centrum mundi posuerunt in sole; non desperant se probaturos terram moueri motu circulari. Et qui corpori ausi sunt assignare plures locos, intulerunt posse vnum idemque eodem tempore Roma ire Lutetiam; & Lutetia Romam; atque adeo sibi ipsi occurrere in itinere. Et infinita similia; quæ Chorœbus admiserit fortasse: ne Oedipus quidem intellexerit.

XVII. Veruntamen quia de hac præsentia nondum disputamus, respondeo, non agi de quæstione: quia tantum de rei dicatur concomitantia: non de signorum. Nam vrgeo, non tantum voluisse Christum dare nobis suum corpus in Eucharistia, sed addito modo sumptionis peculiari, nempe comedendo, & bibendo. Voluisse igitur bibi sanguinem, corpus comedi: comedi in pane non in vino, in vino bibi non in pane. Nam cogit me hæc importunitas eadem sæpius repetere, quorum meminisse nunquam volunt aduersarij. Si concomitantiam vellent legitime vrgere; debuerant probare: in pane edi corpus & bibi sanguinem: in calice bibi sanguinem, & edi corpus. Hæc, hæc, inquam, concomitantia esse Sacramentorum: hæc ad rem præsentem futura vtilis. Sed illam quandiu opposituri sunt, prædico meras nugas acturos.

XVIII. A ratione Bellarminus ita disputat. Quandocunque aliqua sunt, & manent inter se coniuncta, nisi nouum miraculum fiat, non potest alicubi vnum esse, vbi non sit etiam alterum, manente illa coniunctione. Sed corpus Domini, anima, sanguis, & diuinitas inter se coniuncta sunt, nec potest iam solui illa coniunctio. Ergo vbi est corpus, ibi sunt reliqua, & similiter vbi est sanguis, ibi sunt reliqua. Ad hoc ipsum argumentum refero rationes, quas Salmero maluit seorsim enumerare: vnam, quod corpus idem ipsum sit, quod est in cœlo, id est, non separatum à sanguine; quod nunquam dimiserit Verbum, quod semel assumpsit. Quod Christus viuat. Nam hæc omnia sunt confirmandæ minori Bellarminianæ: quo nihil opus fuit: nam absit vt negemus, qui Christiani sumus.

XIX. Respondeo, maiorem ab ipsis aduersariis negari, tum alias, tum in hoc ipso Eucharistiæ mysterio. Ab ipsis, inquam, aduersariis: nam nos quidem nihil est noui quod respondeamus; qui nunquam passuri sumus, vt à signis transferamur, de quibus nunc disputatio est instituta: vt taceam importunam semper realis præsentiæ hypothesim. Ne illa quidem placet obiectio, quam sibi Bellarminus finxit: ex eo principio sequi, vbicunque sit diuinitas, ibidem fore corpus & sanguinem: tam potens tamen, vt eum coëgerit maiorem suam coercere, siue interpretari, vel potius manifeste prodere, concedentem intelligendam sano modo, quomodo vix quicquam tam absurde dici queat quod non excusetur. Debere ergo intelligi de iis quæ adæquate vniantur, esse enim quædam sic vnita, vt vnum altero latius pateat. Qua exceptione non putem opus fuisse, ad retundendam obiectionem, cum localis præsentia nihil pertineat ad rationem hypostaticæ vnionis Christi. Quæ certe vere potest dici adæquata, quod & tota humanitas, vnita sit personæ Filij: & tota persona filij, toti ei humanitati: non quod nusquam sit Deitas extra humanitatem, sed quod non possit Deitas extra humanitatem vllo modo distingui, nedum separari, à Deitate intra, vt ita loquar, humanitatem, quandoquidem tota sit in toto, & tota in singulis partibus, sed id obiter dictum mihi satis sit per occasionem: nam plenior explicatio pertinet alio.

XX. Redeo ad Papistarum placita, qui mihi lætum spectaculum præbent, cum suos furores suis furoribus eunt impugnatum. Negat nunc Bellarminus ea quæ adæquate coniuncta sunt posse separari quandiu sunt coniuncta. Quod quidem axioma debuit inter κοινὰς ἐννοίας numerari, tam certum, vt non sit certius totum esse maius sua parte. Nam alioquin manifeste oporteret contradictionis vtramque partem esse veram, quo nihil fingi potest magis alienum ab omni rationis sensu.

XXI. Veruntamen hoc vnum Transubstantiationis monstrum, tum alia peperit, tum alterum de vno corpore in plurimis locis, de quo non disputatur in Theologia tantum à Bellarmino atque aliis, sed etiam in Physica disciplina à Conimbricensibus. Huius commenti assertio nihil est vnitum, quod non separet. Etenim primo locus separatur ab eodem corpore, & tamen coniungitur: nam exempli gratia, quod corpus est Lutetiæ, & Romæ: non est Romæ cum sua Lutetia: non Lutetiæ cum sua Roma, itaque eodem tempore & separatur & vnitur Lutetia ac Roma eidem corpori. Deinde potest Lutetiæ ardere in mediis ignibus, & Romæ frigere in media glacie. Quomodo puto non esse Romæ coniunctum igni, aut Lutetiæ coniunctum glaciei. Et si Roma tendat Lutetiam; potest iter mari facere, & eodem tempore terra si Lutetia Romam. Sic futurum est eodem tempore in naui, & in equo. Mille sunt eiusmodi somnia. Certe vt ad Eucharistiam veniam: eodem momento corpus est in summo cœlo, & in terra, sic eodem tempore separatur & vnitur eidem cœlum & terra. Eodem tempore est sub speciebus panis & vini, & qua est in istis, non est in illis. In digitis, inquam, Sacerdotis sine speciebus vini, in calice sine speciebus panis.

XXII. Quid ad ista Bellarminus? Aut quomodo probabit constare suum axioma, *Quandocunque aliqua sunt & manent inter se coniuncta, nisi nouum miraculum fiat, non posse alicubi vnum esse, vbi non sit etiam alterum, manente illa coniunctione.* An confugiet ad sanum modum vt iterum nimis luxuriantem propositionem circuncidat? Sic puto. Nam Sophistis nunquam desunt subtilitates nouæ, vt quod est dictum, non sit dictum, vt quod verum est, non sit verum. Illi sane illudant hominibus, nos scapham, scapham dicamus.

XXIII. Pergo ad aliam rationem, quæ est Salmeronis. Habet vsus Ecclesiæ, quæ sub qualibet specie proponit Christum adorandum, credit igitur firma fide totum Christum esse integrum sub qualibet specie, vnde non tam Sacerdos quam totus populus alloquitur Christum, dicens *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Et rursus, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, miserere nobis*: quibus testatur sub qualibet specie integrum esse Christum.

XXIV. Respondeo; adorationem Christi ad personam pertinere, non ad species signorum. Itaque negari consequentiam. Nam quia adoratio fit ratione Deitatis vnitæ; vbicunque ea vnio est, ibi adoratio esse debet. Itaque adorari & potuit & debuit Christus in cruce, post effusum sanguinem, adorari item in sepulcro post animam separatam. Et sane fingitur adoratus à Patribus in Limbo; & eo tamen eius anima venisse absque corpore. Velim etiam doceri, vtrum apud Sanctum Maximinum in Salyis, vbi sanguis ostentatur in ampulla exigua, & adoratur, vna sit præsens etiam corpus, cum anima. Nam hoc nondum vidi apud quenquam expeditum, Et puto rem esse non indignam alicuius Oecumenici Concilij determinatione; quale fuit Constantiense, aut Basileense; aut certe Tridentinum. Cuiusmodi tamen aliquando congregandum credo ne Papistas quidem specum, cum Tridentum venit. Sed quid ad me? Nam in cruce, & sepulcro, tam certum est Papistis separatum fuisse sanguinem, corpus, animam; vt diserte profiteantur, si tunc, id est, feria sexta fuisset facta consecratio, nullam fuisse futuram concomitantiam. Quare mihi secure concluditur, non sequi vbi Christus adoretur ibidem esse simul carnem, sanguinem, animam. Nam Deitatem vbique esse, nemo sanus neget.

XXV. Tertia ratio à Bellarmino est. Accedant, inquit, miracula à Deo ostensa. Nam vt credamus in specie panis esse corpus cum sanguine, non semel ex fractione panis, copiosus sanguis manauit. Exempla exstant in Commentario Surij anni millesimi quingentesimi decimi, item quinquagesimi sexti. Et apud Vincentium in speculo historiali lib. 30. c. 24. & apud Alensem 4. parte, quæst. 54. membr. 1. & in noua editione quæst. 11. membr. 2. art. 4. §. 3.

XXVI. Miracula, inquit, à Deo ostensa. An potius ab impostoribus iactata? Nam apud Papistas nulla impostura frequentior. Ad manum habent miracula, æque ac testantur historici quendam inter Papas, quoties excuteret brachium, toties ignis scintillas produxisse è manica. Credant istis sane

miraculis, Papistæ: credant Surio, credant Vincentio, credant Alensi: At nos contra huiusmodi mirabiliarios habemus fundamentum in Scripturis Sanctis; vnde non sumus passuri nos auelli.

XXVII. Supersunt testimonia Veterum; apud Bellarminum, & Salmeronem; hoc ordine mihi digesta. Sanctus Andreas, vt scribunt Presbyteri Achaiæ, aperte dicit, in altari agnum immaculatum offerri, & immolari, & à populo manducari, & tamen viuum & integrum permanere. Origenes homilia 6. in diuersa loca Euangelij meminit eius ritus, quo dicitur, *Domine non sum dignus.* Cyprianus Epistola 56. dicit eos qui corpus Domini sumant, in ipso Dominum suum amplecti. Et sermone in Cœna, *Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus procurat vitam, & incrementum corporibus.* Et iterum, *Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.* Nicena Synodus, *In sacra mensa situm esse agnum Dei, qui tollit peccata mundi.* Hilarius 8. de Trinitate, *Per manducationem Eucharistiæ fieri, vt ipse Filius Dei in nobis sit.* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica, *nos esse Christiferos, quando communicauimus: quia Christum ipsum in nobis habemus.* Quinta, *Sub specie panis summum Regem sumi.* Ambrosius cap. 9. de initiandis, *Christum in Sacramento illo esse, quia ibi sit corpus Christi.*

XXVIII. Basilius in Liturgia alloquitur Christum in Eucharistia latentem, *Qui supra cum Patre sedes, & hic inuisibiliter nobiscum es.* Hieronymus ad Hedibiam quæstione secunda, *Ipse conuiua, & conuiuium: ipse comedens, & qui comeditur.* Apologia pro libris in Iouinianum, reprehendens eos qui post actum coniugalem non ausi in Ecclesia, domi sumebant Eucharistiam: *An alius in publico, alius in domo Christus est?* Sermone post Epiphaniam Dominica quinta, *Singuli totum accipiunt Christum Dominum: & in singulis portionibus totum est: nec per singulos minuitur: sed integrum se in singulis præbet.* Chrysostomus homilia 83. in Matthæum, *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis.* Vicesima quarta in priorem ad Corinthios, *Non regium puerum: sed ipsum vnigenitum Dei Filium accipis.* Tertio de Sacerdotio, dicit in illa hora communem omnium Dominum manibus tractari. Augustinus tertij de Trinitate capite decimo: Infantes cum sacram hostiam vident, nescire quomodo facta sit illa species: tamen recte credere Dominum in illa specie oculis apparuisse mortalium. Tractatu vndecimo in Ioannem, Catechumenos credere in Iesum: sed se Iesum iis non credere. In Psalmum trigesimum tertium, Christum seipsum portasse manibus suis, quando diceret, *Hoc est corpus meum.* Cyrillus Alexandrinus 10. in Ioannem cap. 13. per sacram Eucharistiam Christum in nobis manere, & habitare non solum per affectum, sed etiam re ipsa.

XXIX. Sed profecto Cyprianum ex sermone in Cœna Salmero descripsit nimis quam inconsiderate. Panem ille communem dixit mutari in carnem & sanguinem. Et solo mutandi verbo delectatus Iesuita, statim imaginatus est transubstantiationem: oblitus, credo, hanc nullam fieri panis in sanguinem: nisi sua subito retractent placita lepidi homunciones. Sed agant vt libet: tamen Cyprianus panem communem dixit; id est, eum qui vsurpatur in communi victu ad alimentum corporis. Nam hunc medici docent mutari per stomachi concoctionem, in carnem, & sanguinem: imo prius in sanguinem; & ex eo in carnem. Vin scire eam esse mentem Cyprianis? Aduerte primo dictum, non hunc panem: sed istum panem communem: nimirum qua notione solent communia opponi sanctificatis. Secundo additum, hunc panem mutatum, procurare vitam, & incrementum corporibus: quod de corpore & sanguine Christi, nefas est dictu. Tertio, quod statim subiiciatur, *Ideoque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adiuta infirmitas sensibili argumento edocta est visibilibus Sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quam spiritali transitione Christo nos vniri.* Vnde apertum; illam nutritionem corporis sumi pro argumento nutritionis spiritualis. At conuersio in Christi carnem & sanguinem nullam habet vim talem arguendi.

XXX. Sed in reliquis quid mentis habuerunt Sophistæ? An vt probarent in Eucharistia totum Christum dari & integrum? Otiose. Nam ea pridem nostra confessio est. Audi preces liturgicas, *Hoc nobis pro tua beneficentia largire, vt vera cordis sinceritate & ardenti desiderio tantum beneficium ab eo accipiamus: nimirum vt certa fide corpore pariter & sanguine eius, vel potius eo toto fruamur: sicut ipse, cum verus sit homo & Deus, vere est sanctus panis cœlestis, ad nos viuificandos.* Et in consequenti actione gratiarum, *Laudum & gratiarum actione immortali te prosequimur, Pater cœlestis, pro tanto quod in nos miseros peccatores contulisti beneficio, dum ad participationem Filii tui Iesu Christi nos adduxisti.* Ipsam liturgiam audi, *Fidem habeamus promissis quæ Christus Iesus veritas ipsa constans & firma nobis ostendit: velle se videlicet vere nobiscum carnem & sanguinem suum communicare, vt eum totum atque integrum possideamus, ipseque in nobis viuat, & nos in illo.* Et post, *Nobis enim sese largiens, testificatur se quicquid habet in nos profundere.* In Catechismo, *Neque enim bona nobis sua aliter communicat, nisi dum se nostrum facit.* Caluinus, vt alia mittam plurima, §. 5. cap. 17. libr. 4. Institutionis: In Cœna, *Se ipse cum bonis suis omnibus nobis offert; & nos fide eum recipimus.* Vin Bezam audire? Cap. 4. Confessionis, articulo quinquagesimo, *Res ipsa quæ signis illis; Cœnæ, vere & efficaciter significatur, illud ipsum est, quod & in simplici verbo, & in altero Sacramento, id est, Baptismo proponitur, nempe ipse Iesus Christus, conceptus, natus, crucifixus, mortuus, sepultus; qui resurrexit, & ascendit in cœlos, vt omnibus credentibus fiat sapientia, iustificatio, sanctificatio, & redemptio. Itaque minime ambigimus, quin sicut ordinationis verba testantur, verum corpus, & verus sanguis Domini, id est, ipse Iesus Christus cum omnibus suis opibus, vere, & sine vlla fraude offeratur.* Sexcenta sunt eiusmodi testimonia in scriptis nostrorum hominum. Itaque si nihil aliud Papistæ volunt; quam Christum totum in Eucharistia dari; quid operam ludunt actum agendo?

XXXI. Sin autem ab ipso Christo cogitationem deflectentes, de speciebus agunt signorum; & intelligunt dari corpus tam in vino, qua in pane: & sanguinem tam in pane quam in vino; quæ nunc controuersia agitatur; hoc vero est, quod negamus hoc est, quod nulla probant testimonia enumerata. Audio in altari agnum immaculatum offerri, dictum à Sancto Andrea: à Synodo Nicena, in sacra mensa situm esse agnum Dei. Sed scio in altari, in mensa, non esse solum panem, sed etiam calicem. Itaque in Synodo Nicena diserte, μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ, καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν, *Ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum.* Propositum, inquit, non tantum panem, sed etiam poculum. Ergo vtriusque ratione agnus Dei, ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης, *in sacra illa mensa.*

XXXII. Apud Hilarium lego, *Nos vere verbum carnem cibo Dominico sumere.* Sed quomodo? An in solius panis communione? Minime vero. Nam statim, *De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus: nunc enim & ipsius Dei professione, & fide nostra vere caro est, & vere sanguis est: & hæc percepta atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.* Itaque cum legis, *Verbum carnem*, caue intelligas carnem, quatenus opponitur sanguini: sed quomodo Ioannes dixit, Verbum carnem esse factum; eo vocabulo comprehendens integram suisque partibus perfectam humanam naturam. Itaque & illud, *Vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus:* non de mysterio panis; sed de toto Eucharistiæ mysterio, siue Sacramento. Quanquam etiam si aliter, nihil ad me: Verum est enim, Nos qui vere sub mysterio panis sumimus, per hoc vnum futuros: quia Pater in eo sit: vt tamen non sequatur, aut solum panem accipi, aut in panis mysterio sanguinem porrigi, siue sumi.

XXXIII. Cyrillum Hierosolymitanum miror citatum, apud quem tam expressa sonat distinctio symbolorum. Itaque consulto factum Bellarmino, vt locum indicaret tantum non etiam recitaret; prudentius omissum à Salmerone. Ellum tibi. Quare omni cum certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis; vt sumpto corpore & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis, οὕτω γὰρ καὶ χριστοφόροι γινόμεθα, *Sic enim Christoferi simus.* Recte. Audin? Fimus sane Christoferi, quod tu vrges: & quidem quando communicauimus. Sed hoc communicare quomodo? An sumpta duntaxat specie panis? Hoc tu tacuisti Bellarmine: Sed Cyrillus addidit, *Cum eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus.* Et hoc quis dubitet explicandum per illud præcedens, *In specie panis datur corpus, in specie vini datur sanguis?* Neque ille vero dixit sub specie panis summum regem sumi. Sic enim legis, *Sinistram veluti sedem quandam subiicias dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & cancaua manu suscipe corpus Christi.* Audin etiam hic diserte suscipi corpus Christi? Et quidem vt distinctionem diligentius attendas: paulo post, *Tum vero post communionem corporis Christi, accede & ad communionem sanguinis illius.* Stipitem esse oportet; qui hinc non videat in aduentu summi regis, distingui, imo etiam disparari communionem corporis & sanguinis secundum species; vt intelligatur rex venire dum cōmunicatur sub specie panis corpus; & sub specie vini sanguis.

XXXIV. Ambrosius dixit Christum in Sacramento esse: quia ibi corpus sit Christi: colligens ibi totum esse Christum, vbi pars est vna. Nihil, inquam, hic quidem mali. Sed tibi tamen sublesta fides, Bellarmine. Consului locum: nihil fuit huiusmodi: tantum enim disputatur omnipotentia verbi Christi, panem mutari in corpus, vinum in sanguinem. Neque vnquam vel tenui indicio significauit in pane esse sanguinem, in vino esse corpus. Quanquam nos certe credimus non posse refutari argumentum, concludens vbi pars sit, ibidem Christum esse totum. Sed aliud est, totum adesse Christum; aliud tam sanguinem, quam carnem esse in pane.

XXXV. Scilicet opus erat induci Basilium, probando Christum, qui apud Patrem, hic nobiscum inuisibiliter adesse: aut Hieronymum, qui doceret Christum eundem esse conuiuam, & conuiuium, neque alium in publico, alium in domo. An quia nobis negaretur? An ita exigente potius causæ miseria; vt vicina aliqua; imo ne bene quidem vicina tractetur potius? Certe inuisibiliter adest corpus Christi, & sanguis, sed hic in calice, illud in pane, & ideo inuisibiliter ipse Christus. Et conuiua Christus in pane, & vino, nec alius publice, alius domi. Quare hæc ineptissima sunt, ad concomitantiam sacramentalem demonstandam.

XXXVI. Hieronymi sermo ille Dominicæ quintæ post Epiphaniam à Salmerone prolatus mihi non occurrit in editione Victorij. Nihil tamen pro concomitantia sacramentali citatur inde. Et totum Christum à singulis accipi; & in singulis portionibus: nihil habet absurdum. Quia designat sub quantiscunque particulis panis sumi totum corpus & sub quantiscunque particulis vini totum sanguinem. Itaque singulos fideles, etsi omnia consecrata non sumant, & vt loquitur Synodus Nicena, οὐ πολύ τι, ἀλλ' ὀλίγον, tamen totum atque integrum sumere Christum.

XXXVII. Recte Chrysostomus: Ipsum comedi. Sed vtrum in calice? Aut bibi in pane? Nam hoc opus erat ad hanc concomitantiam. Nam vnigenitum Dei Filium accipi, quid opus est, aut negari, aut explicari, cum manifestum sit accipi bibendo in calice, edendo in pane? Ne tractari quidem omnium manibus, huc pertinet. Nam quid ille? In illa hora communem omnium Dominum omnium manibus pertractari. Nimirum quia omnium Dominus, totus Christus sit: nihil enim aliud video. Sed hoc quantulum sit cur non vidit ex præcedentibus? Hic enim eadem phrasi, *Dum conspicis Dominum immolatum*, τὸν κύριον τεθυμένον: Est enim idem, ac si diceret, Omnium oculis videri Dominum immolatum: Ergone, inquam, immolatum per concomitantiam? In pane sanguinem fusum; in vino corpus crucifixum? Non concessurus est Papista. Et tamen totus videtur immolatus, Dominus, vt totus manibus tractatur Dominus.

XXXVIII. In Augustino pudet me Iesuitæ Augustinumne dicere, *Infantes cum sacram hostiam vident, nescire quomodo sit facta illa species, tamen recte credere Dominum in illa specie oculis apparuisse mortalium?* Hoc Augustinum dicere? An tu sperasti futurum vt omnes sterterent lectores tui? An vero tibi immodestiæ, impudentiæque modulus nullus: & infinita mentiendi libido? Locus est huiusmodi, *Infantes non nouerunt, quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur, vnde vel quomodo conficiatur, vnde in vsum religionis assumatur: &, si nunquam discant experimento, vel suo vel aliorum, & nunquam illam speciem rerū videant, nisi inter celebrationes Sacramentorū cū offertur & datur, dicaturq; illis autoritate grauissima cuius corpus, & sanguis sit, nihil aliud credēt, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium; & de latere tali percusso liquorē illum omnino fluxisse.* Vide in his duo tui mendacij capita. Vnum, quod bene dixerit infantes credere: quod etsi ad rē hanc nostrā non valde pertinet, tamen mēdacium est: & quidem tanto fœdius, quod gratis effutitum, nullo proposito

emolu-

emolumento? Etenim contra Augustinus, etsi non dicat totidem syllabis, male credere; tamen non obscure περιφράζει. Si nunquam discant, inquit, vel suo vel aliorum experimento, nihil aliud credent, nisi in illa specie Dominum apparuisse. Sentin' hanc credulitatem imputatam ignorantiæ? Et contra dari intelligendum; si aliquando discant, vel suo vel aliorum experimento, tum idipsum minime credituros? Et adhuc probari dices credulitatem? Æquè dicas Paulo assertum, recte Iudæos crucifixisse Christum; quia dixerit prioris ad Corinthios 2. *Si cognouissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

XXXIX. Sed alterum mendacium magis tibi commodum. Tua enim interest persuaderi Augustinum de vna panis specie loquutum. Quod falsissimum. Primo enim, panem ille nunquam neque nominat, neque describit: deinde iis vtitur verbis, quæ æque ad calicem pertinent: *Non nouerunt quod in altari ponitur*: Deinde non dixit speciem rei: sed diserte, *speciem rerum*: quæ phrasis necessario vtrumque signum complectitur. Denique credituros dixit, *in illa specie apparuisse*; quod sane referat qui volet ad panem. sed addidit &, *de latere tali*; rursus & hoc ad panem, *liquorem illum omnino fluxisse*: quod iam non nisi ad calicem pertinere potest. Itaque sensus est, infantes, proposita vtraque specie signorum, cum audient corpus esse & sanguinem Christi: existimaturos, vere & κατὰ τὸ ῥητὸν id dici: & corpus Christi tale omnino fuisse; ac de latere tali, quale videlicet videre se putant, illum liquorem exisse, qui est in calice. Quare manifestum concomitantiam nullam hic in mentem venisse Augustino.

XL. Mirum vero argumentum, Catechumenos credere in Christum: sed se iis Christum non credere: Ergo æquè sanguinem in pane dari, ac in calice. Hoc genus consequentiæ si probet Aristoteles, quid non speretis amantes? Amentes melius, si verius pateretur. Sed profecto Augustinus seipsum explicat, & docet non cogitasse concomitantiam, *Tales sunt omnes catechumeni: ipsi iam credunt in nomine Christi: sed Iesus non se credit eis. Intendat, & intelligat caritas vestra. Si dixerimus catechumeno, credis in Christum? respondet, credo, & signat se cruce Christi: portat in fronte, & non erubescit de cruce Domini sui. Ecce, credit in nomine eius. Interrogemus eum; Manducas carnem Filij hominis, & bibis sanguinem Filij hominis? Nescit quid dicimus: quia Iesus non se credidit ei.* En tibi quid intelligat; Iesum se non credere eis. Non quod tu Papista; non edere corpus & sanguinem Christi: quæ concomitantia est: sed quod nos Catholici: non edere corpus, non bibere sanguinem.

XLI Denique dixit Christum seipsum portasse, cum diceret, *Hoc est corpus meum*. Nempe, inquam, quia cum dixit, *Hoc est corpus meum*, dixit itidem, *Hoc est sanguis meus*. Itaque portauit se, id est, suum corpus in specie panis: & suum sanguinem in specie vini. Audi, *Quomodo ferebatur in manibus suis? Quia cum commendaret ipsum corpus suum & sanguinem suũ, accepit in manus suas, quod norunt fideles.* Quid norunt fideles? an quod Papistæ, solum panem? Minime vero; sed quod Euangelistæ, λαβὼν ὁ Ἰησοῦς ἄρτον, καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον. Nisi forte vrgeat Sophistes illud, *Accepit in manus suas* quod scio, non tantum in Canone Latino, sed etiam in Liturgiis Græcis positum in pane, non repeti in calice. Sed nos tamen nunquam sumus credituri, panem quidem acceptum manibus, calicem vero pedibus.

XLII. Nec importunior Cyrillus dixit per sacram Eucharistiam in nobis manere. Quanquam Eucharistiam non nominarit, sed communicationem carnis Christi. Et hanc non oppositam sanguini: sed quatenus totam significat humanam naturam vt antea notauimus in Hilario. Multo minus speciem panis solam. Atque adeo falsum eo capite agi nominatim de Eucharistia, siue communione sacramentali: verum de naturali; id est, ea quam habemus cum Christo secundum eiusdem naturæ participationem. Quanquam in huius confirmationem proferantur Pauli verba, in quibus dicimur vnum nos esse in Christo, qui de vno pane participemus. Quomodo etiam paulo post illa Christi, de manducando corpore, & bibendo sanguine: Sed enim verum est nunquam aut à Cyrillo, aut ab alio quoquam dictum, aut edi sanguinem, bibive corpus: aut bibi sanguinem in pane, edi corpus in calice: quæ concomitantia est Papistica.

CAP. IX.

De tota ratione Sacramenti.

I. POst disputatam concomitantiam, de ratione Sacramenti Bellarminus agit, vtrum hæc tota reperiatur in alterutra specie. Et primo, Eucharistiam tribus modis considerat, vt sacrificium, vt pignus amoris diuini, vt Sacramentum: tum definit, In vna specie non haberi perfectè & integre sacrificij rationem; sed vtramque esse necessariam. Verum, vt pignus, & vt Sacramentum, contra. Nam Eucharistiam, vt est pignus amoris, posse optime in quauis specie conseruari. Item, in qualibet specie inueniri totam essentiam, ac rationem Sacramenti: ita vt hostia consecrata, vt conseruatur in templis, & vt à laicis sumitur, sine specie vini, absolute, vere & proprie dici debeat Sacramentum Eucharistiæ, non Sacramentum mutilatum aut dimidiatum.

II. Sed nobis alia distinctione opus est, vt rationem Sacramenti intelligamus, vel secundum genus, vel secundum speciem suam. Secundum genus sensus erit quæstionis; vtrum vtrique speciei seorsim conueniat Sacramenti ratio, quatenus Sacramentum definitur signum visibile efficax gratiæ diuinæ. Secundum speciem autem, sensus erit, vtrum cuilibet speciei conueniat Eucharistiæ definitio. Quorum postulatorum nos illud verum esse concedimus: hoc vero falsum pertendimus. Illustrabo exemplo familiari: Ponamus quæri de pede, vtrum ei conueniat tota ratio corporis. Certe qui neget pedem esse corpus, nondum est quisquam inuentus: Ratio est, quia pedi conuenit definitio generalis corporis triplici distantia metiendi. Sed Paulus tamen dixit prioris ad Corinthios 12. *Corpus non est vnum membrum.* Scilicet quia corpus non intellexit secundum genus. Quomodo igitur? Secundum speciem, nimirum corpus humanum: quod videlicet constet ex aggregatione multorum membrorum: vnde diserte, *Corpus non est vnum membrum, sed multa.*

III. Distinctio illa trimembris importuna est. Nam profecta Eucharistia non est pignus amoris nisi quatenus Sacramentum. Nam omnia Sacramenta sunt quædam pignora promissionum diuinarum: ipso, vt alias diximus, definiente Catechismo Tridentino: nec possunt promissiones esse nisi amoris. Itaque concesserim non inuitus, etiam quodlibet signum hanc habere totam rationem: quia totam habeat Sacramenti, tanquam generis. Etsi alioquin male probetur à Bellarmino: videlicet, quia pignus sit, quatenus significat, & exhibet Christum præsentem: quod quælibet species faciat: Nam nec Baptismo denegari potest ratio pignoris; etsi non dicatur exhibere, aut significare præsentem Christum: cum non sit ea ratio significandi. Et exhiberi à qualibet specie seorsim falsum sit, ac iam confutatum.

IV. Sed Eucharistia sacrificium non est nisi quatenus Eucharistia: non enim quatenus Sacramentum: alioquin Baptismus esset sacrificium. Hoc notandum: nam si sit sacrificium eo quod sit Eucharistia: & non sit ratio sacrificij in altera specie: certè non potest tota ratio Eucharistiæ esse in vna specie.

V. Et confirmatur idipsum alia ratione, & quidem naturali: quod fieri nequeat, vt totius aggregati ratio tota constet in vna quacunque parte. Sic hominis ratio non est, aut in anima, aut in corpore: Neque corporis humani, vt dicebam in vno pede. Neque totius mundi in cœlo. Esse autem Eucharistiam vnum aggregatum, testantur Scholastici. Bonauentura in 4. sent. distinct. 8. parte 2. art. 2. quæst. 2. Thomas parte 3. quæst. 73. articul. 2. Durandus quartum distinctione octaua, quæstione prima. Sed breuius Biel in eandem distinctionem quæstione prima, *Eucharistia non est res simpliciter vna: quod est realiter omnia alia accidentia, sub quibus ante consecrationem fuit substantia panis & vini.* Papistice hoc quidem: sed nunc nihil ad nos. Ariminensis in eandem quæst. 1. artic. 2. *Huiusmodi Eucharistia Sacramentum potest sumi, vel formaliter; prout est tale sensibile signatum: vel virtualiter, prout continet & includit suum signatum. Primo modo acceptum constat quod realiter est multiplex, & non vnum. Vt autem secundo modo accipitur est vnum, non vnitate indiuisibilitatis, vt quodlibet aliorum Sacramentorum; sed vnitate integritatis.*

VI. Sed Bellarminus tamen disputat; in vna qualibet specie totam esse rationem Sacramenti Eucharistiæ. Primum illi & præcipuum argumentum hoc est: In quolibet Sacramento requiritur significatio & causalitas. Est enim Sacramentum signum & causa gratiæ. Hæc autem reperiuntur in qualibet specie seorsim sumpta. Probat assumptum per partes, prius de signo, post de causalitate: quod vtrumque post videro.

VII. Nunc de argumento dicendum: In quo primum inepte disparantur significatio & causalitas: quandoquidem in Sacramentis, hæc duo re non differunt; efficiunt enim Sacramenta, non nisi significando: & significant efficiendo: quod est suo loco fusius disputatum.

VIII. Deinde argumentum est ἀπροσδιόνυσον; quandoquidem agat de Sacramento; non de Eucharistia. Id est, probat panem, exempli gratia, esse Sacramentum: non probat esse totum; siue integrum Sacramentum Eucharistiæ. Quorum illud nemo negat: Imo inde factum, vt frequens sit apud Veteres phrasis, Sacramenta corporis & sanguinis: imo etiam vt numerentur duo diserte. Sed hoc demum à nobis constanter impugnatur. Nam Eucharistia tota est Sacramentum corporis & sanguinis Domini. At panis non est Sacramentum corporis & sanguinis Domini: Ergo panis non est tota Eucharistia. Patet propositio per se. Assumptum probatur: quia omne Sacramentum significat id cuius est Sacramentum. At panis non significat corpus & sanguinem: sed tantum corpus. Hoc probatur: quia Sacramentum nihil significat præter id quod continetur in forma sua. Ast in forma panis exprimitur corpus; non sanguis. Itaque panis significat tantum corpus, non etiam sanguinem.

IX. Sed Bellarminus contra. Significatio Eucharistiæ duplex est: significatio internæ refectionis: item significatio vnionis fidelium inter se, & cum Christo. Ast vtraque significatio reperitur in vtraque specie. Ergo in vtraque specie reperitur significatio Eucharistiæ. Probat assumptum. Quia in specie panis significatur sufficienter refectio animæ; etiam non addita specie vini: & contra. Nam etiam si species panis non significet refectionem spiritualem, nisi per modum cibi; & vini, nisi per modum potus: tamen vt aliquid dici possit absolute & vere Sacramentum; satis est vt significet refectionem aliquam spiritualem; & eandem revera efficiat. Præterea, ex parte rei significatæ nihil deest vlli speciei: quia in refectione spirituali non distinguuntur cibus & potus.

X. Rursus, in specie panis etiam sola, optime significatur vnio fidelium cum Christo & inter se: Nam panis quatenus constat ex multis granis significat vnionem fidelium: quatenus autem constat ex farina & aqua, significat vnionem Christi cum Ecclesia; teste Cypriano, Epistola sexagesima tertia. Vnde Paulus dixit, *Vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus.*

XI Respondeo, negari assumptum. Et primum reperiri sufficienter refectionem animæ: Nam refectio sufficiens est in cibo & potu. Non seorsim, sed coniunctim. At in pane nullus est potus, in vino nullus cibus. In neutro igitur seorsim sufficiens refectio. Bonauentura quæstione secunda articuli secundi partis secundæ, distinctione octauæ quarti sententiarum, *Ratio talis integritatis, & ordinationis vnius dispositiue venit à natura: quia nec panis est per se plene reficiens, nec vinum: sed vtrumque: & vna plena refectio in natura venit ex vtroque: & ita disposita sunt ad vnam refectionem signandam. Sed completiue venit ab institutione diuina, quæ vna institutione hæc duo signa ordinauit ad significandum vnam plenam refectionem: & ideo vnum Sacramentum ratione naturæ, & institutionis diuinæ.* Thomas tertiæ quæstione septuagesima tertia, articulo secundo, *Vnum dicitur non solum quod est indiuisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum; sicut dicitur vna domus, & vnus homo. Est autem vnum in perfectione, ad cuius integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem eiusdem: sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ; & domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessaria ad inhabitandum. Et sic hoc Sacramentum dicitur vnum. Ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum: & potus, qui est alimentum*

humidum. Et ideo etiam ad integritatem huius Sacramenti duo concurrunt, scilicet spirituali cibus, & spiritualis potus. Durandus quæst.1.dist.8. Quarti, *Eucharistia est vnum Sacramentum. Non enim vnitas Sacramenti, est vnitas indiuisibilitatis, vt puncti: vel continuitatis, vt lineæ, vel essentiæ, vt in simplicibus, & compositis ex forma substantiali & materia; vel suppositi, vt subiecti & accidentis sed est vnitas perfectionis, quæ consistit in concursu omnium, quæ requiruntur ad consequendum finem, ad quem res ordinatur: sicut domus dicitur vna, vel calcamentum vnum, quando concurrunt omnia quæ requiruntur ad inhabitationem congruum, vel ad debitum tegumentum pedum. Hoc autem Sacramentum diuinitus est ordinatum ad refectionem spiritualem, quæ per corporalem significatur: nec est perfecta, nisi in ea ponatur aliquid vt cibus, & aliquid vt potus.*

XII. Quod vero Bellarminus opponit, vt quid Sacramentum dicatur, sufficere significari refectionem aliquam spiritualem; argumento est, non inutiliter a nobis distinctam rationem Sacramenti, à cuius ambiguitate Sophista decipiendi occasionem captat. Nemo enim negare potest, id sufficere ad rationem Sacramenti: id est, vt quid Sacramenti nomine generaliter appelletur. Sed hoc potius agitur, vtrum sufficiat ad rationem huius Sacramenti, nimirum Eucharistiæ: quod non concludit argumentum. Dominicus Soto in 4. distinct. 8. art. 1. *Negatur, dum sumitur solum corpus, sumi totum Sacramentum, quod integram eius repræsentationem: quoniam cum ex vi consecrationis non sit illic nisi corpus, non est illa nisi cibatio sine potu: nam ad potum requiritur sumi sanguinem, qui sit primo per se illic ex vi consecrationis. Et pariter dum sumitur sanguis, non est nisi potatio, & non cibatio.*

XIII. De re significata, non est quod agam prolixius: quia huius ratio longe est diuersa à ratione signorum: Certe res significata, neque editur, neque bibitur. Cuius rei argumentum est illud ipsum quod vere Bellarminus asserit, non distingui hic cibum & potum: neque enim fieri posset vlla ratione, vt non distingueretur, si vere vtrumque esset. Nos ergo cum agimus de edendo & potando distincte, satis indicamus non agere de re significata: quæ quod eadem notione edatur & potetur; vere neque edatur, neque potetur: sed tantum metaphoricè. Et certe nemo vnquam dixit per corpus Christi esitatum, & sanguinem potatum, significari sacramentaliter vitam nostram spiritualem: nimirum qui sit ipsa potius vita nostra spiritualis. Signum autem & significatum non possunt non diuersa esse. Ac sane, vt alias diximus, & expresserunt Bonauentura, Thomas, Durandus, significatio vitæ spiritualis est in analogia vitæ corporalis, ad quam nihil pertinet corpus & sanguis Christi. Itaque rationem integræ refectionis sacramentalis, absurdissimum est inquirere in re significata.

XIV. Quod attinet ad vnionem, siue inter nos, siue cum Christo: primum superfluum est respondere. Nam cum positum sit vtrumque requiri in Sacramento hoc, vt significet & refectionem: & vnionem, satisfactum nostris partibus est, si ostenderimus non significari refectionem. Sed insuper, hæc vnio significari non potest, nisi secundario; id est, ex præsupposita Christi communione per esum & potum; quæ ratio est Sacramenti ex institutione. Neque aliam Scripturam vllam docuit, etsi lasciuiens antiquitas illam granorum multitudinem inquisierit; pompę magis caussa, quam soliditatis. Neque nobis persuaderi potest Paulum propterea solius communicati panis meminisse, vt in eo solo rationem vnionis constitueret, sed breuitatis potius, partem vnam pro ambabus nominasse.

XV. Hæc de significatione. Ast de caussalitate, seu efficientia: Totam nasci ex Christo sub speciebus contento, qui cum sit totus sub vtravis; eandem efficientiam esse etiam sub vtravis necesse sit.

XVI. Sed ista supponunt fundamenta controuersa: imo etiam refutata. Præterea, cum certum sit, vt alias constitutum; haud aliam esse Sacramentorum efficaciam, quam significationem, manifesta conclusio est; non alia effici, quam significari. Quare cum panis non significet sanguinem, non posse etiam efficere eius communionem.

XVII. Pergo ad secundum argumentum. Quælibet species, inquit, habet propriam materiam, propriamque formam; & propria quadam actione ac consecratione conficitur, nec vllo modo vna pendet ab alia, vt sit Sacramentum.

XVIII. Esto sane: sed quid tum? Nam hoc quidem valet, vt probetur Sacramenti definitionem genericam vtrique conuenire, id est, tam vere & seorsim panem esse Sacramentum corporis, quam vinum sanguinis. Sed vt sit ille æque sanguinis ac corporis, aut hoc æque corporis ac sanguinis; insana affirmatio est. Nam nec materia patitur; & forma, siue consecratio aliter habet.

XIX. Tertium argumentum à fidelium consensu. Nemo enim hostiam consecratam videns, dicit esse partem Sacramenti, aut Sacramentum mutilum, sed Sacramentum simpliciter omnes appellant.

XX. Eadem sophisticè. Appellant Sacramentum, quomodo pedem corpus, notione generali. Sed proprie tamen qui sapiunt appellant Sacramentum corporis panem, & calicem Sacramentum sanguinis. Atque inde etiam vtrumque partem Sacramenti, nempe Eucharistiæ. Certe Gelasij verba erant, *Sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstinent.* En tibi portionem. Et Iulius, *Complementum communionis* dicebat.

XXI. Quartum argumentum: à figuris Testamenti Veteris. Quæ enim figuræ erant Eucharistiæ, vt Sacramentum est, in sola specie manducabili consistebant, vel in sola specie potus, vt patet de pane propositionis, Agno Paschali, de Manna, quæ sine potu data sunt, & in aqua de Petra scaturiente, quæ sine cibo mystico.

XXII. Respondeo nullam hinc legitimam esse consequentiam. Quia non sit necesse typos ad amussim respondere rebus significatis. Sic serpens in deserto elatus, fuit figura. Christi crucifixi, & tamen ex serpente nullus fluxit sanguis, qui tamen multus fluxit à Christi corpore. Rursus, neque in Scripturis, neque apud Patres legas Panes propositionis, Agnum Paschalem, Manna, typos fuisse sanguinis Christi, aut aquam ex petra, corporis. Sed distincte hanc sanguinis: illa corporis. Et quidem in Manna, & Aqua, disertissimus Paulus, non tantum coniungens ambo, quod fatetur Bellarminus, sed etiam suis discernens characteribus cibi, & potus. Nam quid tum si duæ fuerint distinctæ figuræ? quid tum si diuersis temporibus datæ? Nobis satis est, non permutari, vt Manna sit typus calicis, aut aqua typus panis. Oecumenius, ἔφαγον, οἷον τὸ μάννα, ὥσπερ καὶ ἡμεῖς τὸ σῶμα Χριστοῦ. Πόμα πνευματικὸν, οἷον τὸ ἐκ τῆς ἀκροτόμου πέτρας ἀναβλύσαν ὕδωρ, ὥσπερ ἡμεῖς τὸ αἷμα Χριστοῦ, *Edebant, videlicet manna, sicut & nos corpus Christi. Potum spiritualem, videlicet aquam scaturientem ex prærupta petra; sicut nos sanguinē Christi* Chrysostomus, καὶ τὸ μὲν τοῦ λουτροῦ σύμβολον; τὰ δὲ μετὰ ταῦτα τῆς ἱερᾶς τραπέζης, καθάπερ γὰρ σὺ τὸ σῶμα ἐσθίεις τὸ δεσποτικὸν, οὕτως ἐκεῖνοι τὸ μάννα· καὶ ὥσπερ σὺ τὸ αἷμα πίνεις οὕτως ἐκεῖνοι ὕδωρ ἐκ πέτρας, *Et hoc quidem est symbolum, seu signum lauacri: quæ autem sequuntur sacræ mensæ. Quomodo enim tu comedis corpus Domini, sic illi manna: & quomodo tu bibis sanguinem, sic illi aquam ex petra.* Anselmus, *Manna & aqua illa dicuntur nunc spiritualis cibus & potus, quia non mundi lege, sed Dei virtute sine elementorum commixtione ad tempus creati sunt, habentes in se figuram corporis & sanguinis Domini. Vel eandem escam corporis Christi, quam nos in pane manducamus, ipsi manducauerunt, in manna: & eundem potum sanguinis Christi, quem nos ex calice bibimus, ipsi biberunt ex petra.*

Cap. X.

Vtrum maior sit vtilitas in vtraque specie, quam in altera.

I. Sequitur quæstio tertia: Vtrum tantus sit vnius speciei fructus, quantus vtriusque simul: quæ disputata non soli Bellarmino, sed etiam Salmeroni, Beccano, Hesselio, Groppero, Caietano, Vasqui, aliis. Sed in diuersas sententias. Nam, *Difficilis sane quæstio*, inquit Salmero, *propterea quod ex antiquis quicquam vix habemus, vnde possimus eam decidere, vt propterea Doctores, qui de hac re loquuti sunt, in varias sententias iuerint.* Bellarminus, *Hæc propositio non est adeo certa: de hac enim varie sentiunt Theologi, neque Concilium etiam aperte definire videtur.*

II. Et revera alij affirmant. Hesselius, *Non esse plus fructus spiritalis ex communione sub vtraque specie, quam ex communione sub specie panis tantum.* Beccanus, *Ex vna specie non minor fructus percipitur, quam ex vtraque.* Bellarminus, *Nihil spiritualis fructus capitur ex duabus speciebus, quod capiatur ex vna.* Vides quidem alios fructum simpliciter dicere, alios determinatius fructum spiritualem: sed non putem propterea dissentire inter se. Veruntamen Vasques, *Probabilior*, inquit, *sententia semper mihi visa est eorum, qui dicitur, maiorem fructum gratiæ ex vtraque specie huius Sacramenti, quam ex altera tantum percipi: ac proinde eos, qui calicem sumunt, nouum augmentum gratiæ consequi.* In qua contradictione magnum nobis momentum: quia constat aduersarios disputare aduersum nos ex iis fundamentis, quæ non nobis tantum sint suspecta: sed ne ipsi quidem inter se habeant pro indubitatis.

III. At nos semper distinguimus res significatas, à rebus significantibus, & vtrovis modo absurde dicimus assertum; ex vtravis eundem fructum sumi, quem ex alterutra. De rebus quidem significatis, quoniam vna sine altera, corpus, inquam, sine sanguine nunquam sumi possit, propter naturalem illam concomitantiam, quam diximus.

IV. De significantibus autem: quoniam hæc fructus acceptio metienda est ex efficacia: Hæc autem est in significando. Quare nihil signa efficiant, quod non significent. At panis non significat sanguinem: vinum non corpus: Quare neque panis efficit in nobis sanguinem; neque vinum corpus. Quare qui alterutrum sumit duntaxat, profecto secundum hoc genus efficaciæ, id est, proprium; non recipit rem significatam ab alio. Hoc sensu, puto, recte dictum Hailbrunensi, *Sub duabus speciebus, est maior significatio.* Hesselio, *Hoc Sacramentum perfectioris esse significationis sub vtraque specie, quam sub vna.* Quod si verum; non potest non esse maior fructus sub ambabus, etsi Hailbrunius negare voluerit sequi.

V. Præterea maximi momenti post Institutio Christi, de qua Ambrosius in 11. prioris ad Corinthios, *Indignum esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est.* Et Canone, *Comperimus*, à Gelasio Papa, *Diuisio vnius eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest peruenire.* At profecto, qui indigni sunt Domino; qui sacrilegi, iidem fructum nullum percipiunt ex hoc Sacramento: qui potius sibi iudicium manducant. Quomodo ergo tantum in vna, quantum in duabus speciebus.

VI. Bellarminus, antequam de re disputet directe; occupat dicere; Licet plus gratiæ & fructus ex vtraque specie, quam ex vna tantum caperetur, non propterea opus esse, vel expedire, vt omnes vtramque speciem sumant. Et probat: Quia ex duobus malis, semper eligendum sit minus, esse autem minus, homines aliquos carere bono non necessario, quam Sacramentum, euidenti periculo irreuerentiæ exponi. Deinde exemplo confirmat; quia cum Sacerdotium conferat gratiam, non expediat tamen omnibus fieri Sacerdotes. Item, quia etsi paruulis Eucharistia sit gratiam collatura, tamen quia non indigeant necessario, nec sine irreuerentia eis dari possit; non detur.

VII. Sed hæc omnia importune dicta sunt, & inutiliter. Importune quidem; quia pertinent ad refutationem eorum, qui hoc argumento vterentur ad asserendam necessitatem vtriusque speciei. Quos ego quidem nullos vidi. Non certe nostros: nam nec aduersarij vllum nominare potuerunt. Nec sane conclusimus vnquam necessitatem Eucharistiæ: quomodo ergo vtriusque speciei? Sed tantum necessitatem vtriusque speciei: posito vsu Eucharistiæ: Neque ex eo antecedente, sed ex vi institutionis. Itaque nulli bono hoc quæsitum, nisi quomodo Thrasones delectantur cum vmbris bellum gerere: vt ex stramineis hostibus, imaginarios triumphos referant.

VIII. Inutiliter autem; primo, quia non confirmetur thesis suscepta, de prohibitione alterius speciei: quandoquidem non sequatur, esse prohibendam, si non sit necessaria. Deinde quia nullum argumentum non est absurdum.

IX. Minus malum esse eligendum concedimus, in iis quæ dicuntur mala pœnæ, sed negamus in malis culpæ. Nullo enim casu vllum horum eligendum, sed omnia repudianda: quoniam non faciendum malum, vt eueniat bonum. Violari autem institutionem Christi, malum est culpæ. Deinde ab eo vitandum malum est, cui malum est. Cui ergo tu hoc maius mi-

eusve malum dicis? Communicantine; an distribuenti, siue Pastori, siue Ecclesiæ? Nam communicanti quidem, nego vllum malum esse periculum irreuerentiæ: sed tantum ipsam irreuerentiam: quæ longè distat à periculo: quomodo periculum mortis, non est mors. At communicanti malum est, & quidem præsens diuisio vnius eiusdemque mysterii sacrilega. Quare cum negari nequeat præsens malum esse maius malum, eo quod vel non est malum, vel nondum est: patet sequi; eligendum periculum irreuerentiæ, potius quam distractionem sacrilegam. Sed de isto periculo erit alias agendum plenius.

X. Non expedit, ait, omnibus Sacerdotibus esse. Et tamen, inquam, nulli prohibitum. Cur tu potius non pateris calicem dari? Sed ratio tamen diuersa est. Quia Sacerdotium non eo institutum, vt sit commune cunctis fidelibus. Itaque numeratum semper inter χαρίσματα discernentia fidelium ordines. Quo in numero nunquam fuit Eucharistia. Nunquam ideo dictum; Non expedire omnibus fidelibus Eucharistiam sumere: sicut dictum non expedire, imo non posse omnes esse Sacerdotes. Certè Paulus dixit ad Ephesios quarto, *Alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores*: nunquam aut ei, aut vlli Christiano dictum; alios communicantes pani, alios calici: siue alios corpori Christi, alios sanguini.

XI. Paruulis gratiam conferendam ab Eucharistia; falsum est. Nulli enim ea prodesse potest contra institutionem suam. At infantibus hanc dari, contra institutionem certum, etiam concedentibus non paucis Papistis, vt alias annotatum. Falsam ergo causam Bellarminus commentus est cur sit iis interdicta. Non enim quia non necessaria, vel ob periculum irreuerentiæ, sed propter institutionem.

XII. Eiusmodi præludium fuit Bellarmini. Nunc ipse ludus erit. Fructum distinguit secundum Catholicos, & secundum Papistas. Et primo, Eius fructus, inquit, quem Lutherani omnes in Sacramentis quærunt, non minus percipiunt, qui sub vna specie communicant, quam qui sub duabus. Hoc probat. Quoniam hic omnis est in significatione: At iste fructus melius obtinetur, videndo Eucharistiam in mensa; quam eam manducando. Rationem addit: quia dum manducatur, perit significatio: at dum cernitur, & attente cogitatur, semper repræsentat, & significat promissiones Dei. Præterea significatio melius apprehenditur per oculos, quam per gustandi sensum: cum ille sit longe spiritualior & aptior ad intelligentiam iuuandam.

XIII. Suntne ista seria, an iocularia? Iudiciosa, an puerilia? Profecto Iesuitica. Et Iesuitis non indigna iocularia sophismata; pueriles delirationes. Non negamus, etsi omnis efficacia Sacramentalis sit in significatione, posse totam percipi in altera specie. Et contra potius asserimus, quia sit in significatione, non posse in altera specie.

XIV. At obtinebitur, ait, tam videndo, quam manducando. Respondeo primum, si concederetur, tamen non sequi quod probandum. Quia vtraque foret species videnda; non alterutra. Quomodo, quia non serpens in deserto sanabat, sed serpens appensus ergo vtrumque videndū fuit, & serpens & crux in qua appensus: vel quod idem est; serpens appensus cruci. Sic omnino si per visum prodesset Eucharistia; vtrumque videndum esse, & panem, & vinum: quia Eucharistia non sit panis solus, aut vinum solum.

XV. Deinde negatur vllum fructum ex Eucharistia percipi videndo. Ratio facilis: quia non sit instituta vt significet ea ratione: sed alia. Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. c. 3. *Signorum quibus inter se sua sensa communicant, quædam pertinent ad oculorum sensum, pleraque ad aurium, paucissima ad cæteros sensus. Nam cum innuimus non damus signum nisi oculis eius, quem volumus per hoc signum voluntatis nostræ participem facere: & quidam motus manuum pleraque significant. Ad aures autem quæ pertinent, plura sunt, in verbis maxime. Nam & tuba, & tibia, & cithara, dant plerunque, non solum suauem, sed & significantem sonum. Sed omnia signa verbis comparata paucissima sunt. Verba enim prorsus inter homines obtinuerūt principatum significandi quæcunque animo concipiuntur, si ea prodere quisque velit. Nam odore vnguenti Dominus quo perfusi sunt pedes eius signum aliquod dedit: & Sacramento corporis & sanguinis prægustato, significauit quod voluit: & cum mulier tangendo fimbriam vestimenti eius, salua facta est, nonnihil significat. Sed innumerabilis multitudo signorum, quibus suas cogitationes homines exserunt, in verbis constituta est.* Recte. Tria sunt genera signorum: Alia enim obiecta sunt visui, alia auribus, alia reliquis sensibus. In primo ordine gesticulationes: in secundo sonos: in tertio cum alia, tum Sacramentum corporis & sanguinis Christi. Porro, cum innuimus, non damus signum nisi oculis: nempe igitur nutus non significant per aurem, non per odorem, non per gustum. An magis soni per oculos, gustum, odorem? An magis odor, & gustus, per aures & oculos? Quare cum Eucharistia pertineat ad gustum (sic enim Augustinus) ridicule Sophista dixit æque significare per oculos, id est, videndo.

XVI. Fateor manducando perire significationem, cum pereat gustus: sed quid hoc monstri est? Aut quis vnquam minorem significationem dixerit eam, quæ cito perit, quam quæ omnino nulla sit? Quid illud, significationem melius apprehendi per oculos, quam per gustum? Omnemne? Omnem, inquam, significationem, etiam sonorum, etiam gustuum, etiam odorum, magis apprehendi per oculos? *Iungentur iam gryphes equis: æuoque sequenti Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.* Esto sane visus longe spiritualior; sed in iis quorum sit capax. Nam in reliquis ne sensus quidem est, nedum sit spiritualior. Nego, inquam, in audibilibus, in odoribus, in saporibus, vllum esse oculorum sensum: quomodo nullum etiam aurium in coloribus: & sic in cæteris. Itaque dico in Eucharistia, quatenus Sacramentum est Eucharistiæ, vllum esse oculorum sensum: quomodo in Baptismo nego vllum esse gustus, sed tantum tactus: in serpente appenso, vllum aut tactus, aut gustus, aut aurium, sed oculorum. Vnde hæc necessitas sit quæris? Simpliciter, & vno verbo respondeo, ab institutione.

XVII. Hanc disputationis partem longe fusius exsequitur Beccanus, & nugacius exagitat. Contra Lutheranos, Fides excitatur, vel ex aspectu Sacramenti, vel ex auditu verborum quæ recitantur in administratione: vel ex sumptione Sacramenti. Si primum: ergo frustra vrgetur sumptio vtriusque speciei; & huc congerit multas ineptias: quibus recitatis nunc nihil opus. Si secundum: rursus non vrgenda vtraque species: quia Laici audiant verba etiam cum communicant vni speciei. Sin tertium: ergo vel externa actione sumendi: vel interna fide & deuotione sumentium, vel speciebus panis & vini, quæ sumuntur, vel corpore & sanguine Christi, quæ sumuntur. Si primum, ergo sufficit vna species, quia in ea saluatur sumptio. Sin secundum, ergo fides seipsum excitaret: imo fides adesset antequam excitaretur. Sin tertium, cum vna species contineat totum Christum; ergo hæc sufficiet. Sin quartum, at tam corpus quam sanguis continetur in vna specie. Hæc contra Lutheranos. Iam Caluinistis obiicit incertos esse, vtrum Christus sit realiter præsens, quomodo comedatur & bibatur, & denique quis sit fructus manducationis & bibitionis Sacramentalis? Quare hoc genus hominum missum facit, apud quos nihil solidi reperiat. Qui vtinam ei finis esset ineptiendi.

XVIII. Hic de iis quos Caluinistas appellat, non est opus quicquam dicere: nam quæ ille incerta dixit esse; etsi impudentissime conquisita sint; tamen alio pertinent. In cæteris illud de aspectu, simpliciter negari satis est, vt contra Bellarminum. Quorsum enim cum morione luderemus? De Verbis æque ineptum. Nam etsi negari non possit habere ea suam efficaciam: tamen cum non sint ipsa Sacramentum, sed efficiant; omnino oportet disparari, cum de efficacia Sacramenti agitur: quod ita distinguitur à Verbo: vt cum hoc sit signum pertinens ad aures, illud potius ad alios sensus, & in Eucharistia quidem, ad gustum; ad quem refertur manducare & bibere. Itaque duntaxat legitima consideratio est tertia, nimirum sumpti Sacramenti.

XIX. Hic igitur an saltem ille non nugabitur? Frustra species: nam innatus ei morbus est. Vel externa sumptio, inquit: vel fides sumentis: vel species, vel corpus & sanguis. Imo, inquam, fides nihil ad rem: Corpus & sanguis, nihil ad rem: quia ne hæc quidem sunt Sacramenta: quandoquidem ad nullos sensus pertineant. At nostra hæc disputatio agit de efficacia Sacramenti, scilicet panis, & vini, qua sunt Sacramenta. Inepta autem disputatio est sumptionis externæ, & specierum. Nam ex iis constet materia nimirum in elementis remota; in sumptione propinqua, non potest species sine sumptione esse Sacramentum, sumptio autem absque specie, ne esse quidem. Dicimus ergo hanc, quam inquirimus, efficaciam sacramentalem esse in vtraque specie sumpta, siue in sumptione vtriusque speciei.

XX. Sed in vna specie saluatur sumptio, inquit. Recte, inquam, sumptio eius speciei: nam profecto qui sumit panem, sumit aliquid: quod æque potuit de nucibus dici, de fungis, deque aliis, sed non sumptio vtriusque, quam vrgemus. Quis enim tam supine μακκοᾷ, vt esum & potum vnam eandemque numero actionem putet; cum ne species quidem sit eadem? Rursus. In vtraque specie totus Christus. κοκκυσμὸς perpetuus: & ex professo refutatus à Salmerone, *Nam cum vnus & idem Christus*, inquit, *sit in diuersis hostiis sumptis distinctis diebus, atque in vna sola: eadem plane gratia conferenda esset semel communicanti, atque plures Eucharistiam religiose percipienti.*

XXI. Missis tandem nugis; nunc αὐτὸ τοὔργον, de fructu secundum Papistas, quando sic distinctum oportuit ad Bellarmini mentem, id est, vt ego interpretor, quid de quæstione sit sentiendum semoto partium præiudicio. Tantum ergo vtilitatis redire ex vna specie, quantum ex ambabus probaturus Bellarminus, vna sola fuit ratione contentus, sed alij & alias conquisierunt, & Scripturas indicarunt, nec non ausi Patres sollicitare. A Scripturis nostro more initium esto.

XXII. Scripturæ locos habent non plures tribus, annotante Salmerone. Primum ex Ioannis sexto, vbi cum ample Dominus loquutus fuisset de Incarnationis mysterio, postea ex illo loco, *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, manifeste de Eucharistia incipit habere sermonem, vsque ad finem capitis, & quater facit mentionem de solo pane manducando, vbi intelligendum est, Christum in specie panis manducandum per fidem. Ter autem meminit manducationis carnis, & bibitionis sanguinis simul, sine vlla mentione panis aut vini. Ex quibus cernere licet, Dominum eosdem fructus & effectus soli manducationi panis tribuere, qui manducationi carnis, & bibitioni sanguinis adscribuntur. Cum igitur in hoc capite, vbi perfectum sermonem de fructu Eucharistiæ tradidit, iidem prorsus effectus tribuantur manducationi panis; qui esui carnis, & bibitioni sanguinis, sequitur quod pactum instituerit de pari gratia danda, siue in altera, siue in duabus quis communicet.

XXIII. Soli manducationi panis eosdem fructus tribuere, quos manducationi carnis & sanguinis, distinctione explicandum est. Panis enim alius metaphoricus est, alius Sacramentalis. De Metaphorico concedo sane: nam is ipse Christus est, siue mauis, ipsum Christi corpus, siue, vt semper eo capite nominatur, caro: quam, vel solam in eo sermone nominari satis fuit, tum quia nunquam comedatur, quin itidem sanguis bibatur; quandoquidem separari nequeant, tum vero etiam, quia edere carnem, & bibere suum sanguinem, vnus idemque actus sit indiuiduus, quandoquidem vt confessi sunt ipsi aduersarij, res vna eademque sit, tantum variis metaphoris explicata, quemadmodum in Baptismo induere Christum, & Christo consepeliri. At nos sæpius iam potestati sumus non disputari de re in Sacramentis significata. Itaque hoc sensu argumentum est extra thesim.

XXIV. Verum de pane proprie dicto, siue Sacramentali, negamus verum esse, aut à Christo dictum. Non enim concedimus eo capite vnquam loquutum Christum de Eucharistia, sed tantum de re significata in Eucharistia, quod alias disputaturi sumus, Deo annuente. Nunc enim cur prolixius disputarem, quod Sophista nullo fulcit argumento? Imo quod neque audet certo affirmare, sed tantum, *Videtur*, inquit, *sermonem texere de Eucharistia* Sic facile discussa hæc nebula.

XXV. Secundum locum habuit ex prioris ad Corinthios 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Nam hic, ait, illud, *& de vno calice*, abundat præter literam Græcam. Et tamen ex vtraque lectione disputat argute. Ex Latina sic.

Participatio corporis, & sanguinis, idem effectus est: cum nihil aliud vtrumque sit, quam Christo incorporari. Cum ergo postea nihil aliud dicat Paulus de effectu vtriusque speciei, nisi quod vnum corpus omnes sumus, qui de vno pane, & eodem calice participamus, consequitur vnum & eundem effectum tribuere sumptioni vtriusque speciei, quem soli pani assignauerat; nempe incorporari Christo. Iam ex Græca. Eundem effectum tribuit participationi solius panis; quem antea tribuerat pani & calici, & quem alio loco tribuit soli calici; prioris ad Corinthios 12. *Omnes in vno Spiritu potati sumus.*

XXVI. Sane vero discessit hoc loco, vt aliis plurimis editio Latina, à contextu Græco; in quo constanter legitur, *Qui de vno pane participamus*: quod retinuit Syrus Interpres: & Græci omnes legunt, quanquam Beza notet in vno suo Codice, etiam alterum membrum additum fuisse, quod & Latini, aut omnes, aut ferme omnes retinuerunt; etsi excluserit editio Sixtina. Nos etsi in re parum momenti putamus esse, tamen non facile audemus recedere ab editione primaria.

XXVII. Sed audaciam miramur Sophistarum; qui nihil sibi putent difficile, & sperant pro votis successurum, quicquid audere voluerint. Si vtrique speciei Paulus tribuat eundem effectum: Ergo & sumptioni vtriusque. Probatur antecedens; quia nihil dicat, nisi fieri vnum corpus. Respondeo; vnum effectum dici, vel remotum, vel propinquum. De illo conceditur antecedens: de isto negatur. Consequentia autem, si vtrinque idem sensus est, conceditur, sed absurda est, si desiliat à remoto ad propinquum. Exempli gratia: vnus certe & idem effectus est cibi & potus, nimirum remote, nutriendi corporis, sed propinque alius cibi, famem sedare, alius potus, sitim extinguere. Itaque etsi remotus finis sit idem, tamen falsum est, non maiorem vtilitatem sumi ex cibo & potu, quam ex cibo. Concedo quod ad rem significatam attinet, idem esse edere corpus, & bibere sanguinem: sed in signis nego idem esse; quod sæpiuscule dictum.

XXVIII. Eadem fere ratio est in textu Græco: nam quia ex posito vniuersali, non ponuntur omnia particularia: falsum est, si tribuatur panis sumptioni incorporatio; statim eidem tribui quicquid de incorporatione dicitur, sed tantum quod ei competit. Patet ex hoc ipso loco. Nam hoc loco, etsi dixit Paulus, *Ex vno pane participamus*, quæ phrasis communis est calici; vt dici possit, Omnes ex vno calice participamus; quod ostendit Latina editio, tamen non sequitur, aut panem bibi, aut calicem comedi. Itaque in altero loco, dixit quidem Paulus, *Omnes in vnum Spiritum esse potatos*; cum vellet de solo calice loqui. Vnde sequitur hoc loco, illud, *De vno pane participare*, exponendum per comedere. Denique in præcedentibus, *Communio corporis; communio sanguinis*, est quidem nomen vnum vtrinque, sed non tamen ratio vna, nempe edendi, & bibendi.

XXIX. Tertius locus est ex 12. eiusdem Epistolæ, *Quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Perpendit, iniuriam quæ fit corpori Domini, non discernendo; censeri iniuriam corporis & sanguinis: Ergo à contrario sensu dignam ac religiosam totius corporis perceptionem æque futuram Deo gratam, & consequenter æque homini fructuosam, ac sumptionem corporis & calicis.

XXX. Imo corpus, vel res est ipsa significata, vel rei significatæ signum. De re ipsa intelligitur antecedens necessario, id est, id quod Paulus dixit de discernendo corpore Domini Chrysostomus, εἰ γὰρ μάθοις ἀκριβῶς τίς ποτε ὢν ὁ προκείμενος, καὶ τίς ὢν τίνι ἐνετείλατο, *Nam si exacte didiceris, quisnam sit is qui est propositus; & qui cui seipsum det, nulla alia egebis oratione.* Et vere tam curiose distinxit panem illum, & calicem illum à corpore Domini, vt neque ignorari, neque dissimulari possit.

XXXI. Ast in consequente; aut itidem totius corporis communicatio intelligitur de re ipsa: & nihil concluditur ad rem, aut de Sacramento; vt coniicitur ex oppositione corporis, & calicis; ac tunc inepta oppositio est totius corporis, & corporis caliciisque. Quia totum corpus sacramentaliter non est nisi corpus, id est, panis cum calice. Itaque dicendum fuit; tam fructuosam esse perceptionem solius corporis, id est, panis: quam corporis & calicis, ac tum consequentia negaretur.

XXXII. Hactenus è Scripturis: nam quem quartum locum de manna additum voluit Salmero, alias discussum, frustra recoquerem. Nunc à rationibus, quas decem numerat Salmero; sed pleraque vel alienas, & directe pertinentes potius ad eam quæstionem, cuius gratia hæc est conquisita: vel ductas ab ipso mutilatæ communionis vsu; cui confirmando nunc insudatus. Quare nemo miretur non omnes nunc discuti.

XXXIII. Bellarminus vnica ista satisfactum iri putauit vniuersæ quæstioni, vt præmonui. Si sumptio vtriusq; speciei plus gratiæ, aut fructus spiritualis conferret, quam sumptio vnius: id necessario oriretur, vel ex symbolo continente, vel ex re contenta. At neutrum. Probatur prius. Quia Symbolum non operatur nisi per virtutem sibi impressam. In Eucharistia autem loco virtutis impressæ est ipse Christus, siue corpus eius, & sanguis. Non igitur ex symbolo oritur maior gratia. Probatur posterius. Si ex re contenta: ergo vel quia res contentæ in vtraque specie sunt res diuersæ: & quælibet operatur aliquid in anima suscipientis. Vel quia bis eadem res sumatur pro variis speciebus: quod vtrumque est absurdum.

XXXIV. Respondeo, negari primum assumptum. Nam etsi non ex re contenta: tamen ex symbolis, supposita institutione, maior gratia oritur. Quando quidem gratia Dei non significat tantum id quod præcipuum Dei donum: sed etiam quæcunque ad id iunt media. Et multo magis, quia quantumvis exigua gratia, maior est, quam nulla. Itaque confidenter dicimus: ex ipsis signis oriri, imo in ipsis signis esse maiorem gratiam: si ambo sumantur, quam si sacrilege distrahantur. Mittito igitur Sophista, de re dicere, quæ in partes distrahi nequit, de signis dicito; quæ potuerunt ab impietate Papistica disiungi.

XXXV. Atqui Symbola, inquit, non operantur nisi per virtutem impressam. Concedatur hoc: saluis tamen exceptionibus aduersus ineptum dogma operis operati: quo nunc recocto nihil est opus. At loco virtutis impressæ, est corpus, & sanguis Christi. Importunum mendacium, & mere Papisticum. Imo absurdum; quia effectus ipse non potest transire in vim operatricem ipsius causæ. Sic sanguis Christi non potest esse vis operatiua aquæ in Baptismo. Neque vllus Papistarum dicet Characterem esse vim ipsam operatiuam vllius Sacramenti. Atque adeo Bellarminus non est ausus dicere corpus & sanguinem esse vim operatiuam symbolorum Eucharistiæ, sed tantum loco virtutis operatiuæ, cum tamen dixisset diserte, symbola non agere nisi per virtutem sibi impressam: manifesta contradictionis absurditate.

XXXVI. Præterea, hæc virtus impressa symbolis, est ipsa significatio per analogiam cibi, potusque. At significatio quo est expressior, hoc magis operatur. Est autem expressior in ambabus speciebus, quam in altera. Quare ambæ magis operantur quam alterutra. Quo pertinet, quod sæpius repetitum de perfectiori significatione, & discrimine nutritionis inchoatæ, absolutæque.

XXXVII. Replicat Bellarminus. Sacramenta efficere quidem, quod significent, sed efficere, non per significationem; sed per vim operatiuam. Deinde efficacius operari, si quid plenius significent, quod fit diuersum, non idem. Alioquin monetam, verbi gratia, magis expressam non habere maiorem valorem, quam minus expressam, & diplomata, quo essent accuratius scripta, maioris essent autoritatis. Porro duas species non significare quid diuersum in vna; sed tantum idem expressius, nempe nutritionem spiritualem.

XXXVIII. Ast ego contra, dico vim nullam operatiuam esse Sacramentorum, aliam à vi significatiua, & ita iam alias disputatum esse. Deinde, diuersum quid significari à speciebus, videlicet propria & proxima significatione, quæ consistit in analogia; per quam non potest calix aliud significare quam sanguinem: aut panis aliud quam corpus. Hac igitur ratione non potest vitari, quin ambæ species magis & plenius significent, quam altera solitaria. Exemplum monetæ est alienum; quia comparetur cum alia speciei eiusdem; ac proinde analogiæ eiusdem: quod non est in pane & calice. Sic nec diplomata inepte comparantur melius scripta aliis, cum debuerint potius diplomata nuda, diplomatis cum sigillo: sunt enim hæc gemina eiusdem rei signa æque diuersæ speciei; vt panis & vinum: nec est qui neget diplomata cum sigillis, maioris esse & autoritatis & fidei, quam diplomata nuda.

XXXIX. Hactenus Bellarminus. Salmero deinceps. Esto igitur hic secunda ratio, quæ apud eum septima. Cum hoc Sacramentum sit ad animum cibo & potu spirituali reficiendum: At cibus & potus spirituales sint indiuisibiles: cum vtrumque fiat per vnam fidem: quæ in quantum credit firmat vt cibus: quatenus diligit, vt potio recreat: Cum æque cibus & potus contineantur sub singulari specie panis, ac sub duabus, sedabit proculdubio sitim spiritualem, & idem erit pactum de vna & de duabus. Descripsi perplexam ratiocinationem: an sic formandam? Vos videritis. Qui panis simul cibat & potat, is tantum confert, quantum panis, & calix: At panis Eucharisticus simul cibat, & potat: Ergo is tantum confert quantum panis & calix. Probatur assumptum; si cibus & potus spirituales sunt indiuisibiles: Ergo panis Eucharisticus cibans, idem etiam potat.

XL. Respondeo: negatur syllogismi assumptio, quæ hic repeti non potuit absque nimia petitione principij. Deinde negatur confirmationis consequentia: quia concluditur à re significata ad res significantes, quæ toto genere inter se distant.

XLI. Tertia ratio. Praxis Ecclesiæ comes esse solet sensus Scripturæ indiuiduus, eamque nobis interpretari. Igitur cum præsentis Ecclesiæ sensus sit, & semper fuerit, ante Bohemorum & Lutheranorum aduentum, quod nihil fructus deperit laico communicanti sub vna specie, hoc enim tam populi quam pastores communiter fatentur: hic ergo sensus verus est.

XLII. Præsentem Ecclesiam quam vocat? Comparatene cum Iudaica; vt sensus sit semper Christianæ Ecclesiæ ita persuasum? An potius comparate cum veteri Christiana, vt significet, etsi non semper, tamen postremis temporibus id fuisse persuasum? Nam priori modo potest concedi praxim perpetuam Ecclesiæ esse comitem sensus Scripturarum: sed egregie falsum est, ei Ecclesiæ semper id fuisse persuasum. Nam & nos contra docuimus: & Bellarminus agnouit hanc quæstionem non esse certissimam: & Salmero, vix haberi quicquam ex antiquis vnde possit decidi. Ast altero sensu, vtraque assertio falsa est. Nam neque Ecclesiæ præsenti ita fuit persuasum; cum tam aperte, tam constanter reclamet maxima pars Christianitatis: & praxin præsentis Ecclesiæ esse indiuiduo comitem veri Scripturæ sensus; qua fronte dicunt Papistæ, qui ferre non possunt, vt hanc Scripturam, *Bibite ex hoc omnes*, interpretemur ex perpetua praxi duodecim seculorum? Tum autem cur iudicata fuit Ecclesia contra Scripturam facere, cum daret Eucharistiam infantibus? vt alia taceam?

XLIII. Quarta ratio. Communicantes sub vtraque specie, vt hæretici, nobis, inquit, sub altera percipientibus non videntur meliores: sed potius ex vna hæresi prolapsi sunt ad alios turpissimos errores; atque ad realem & substantialem Christi præsentiam in Eucharistia denegandam. Imo inter nos Sacerdotes, qui sub vtraque percipiunt, non videntur sanctiorem vitam traducere, quam laici percipientes sub vna tantum, si tam frequenter quam illi Sacramento participarent. Argumenti forma. Si communio vtriusque speciei maiorem fructum adferret, quam alterius: Ergo quicunque communicant vtrique, sanctiorem vitam viuerent, quam qui alteri tantum. At hoc falsum: Ergo & illud. Probatur assumptum, exemplo hæreticorum, item Sacerdotum.

XLIV. Respondeo, de Sacerdotibus Papistis, non esse quod παῤῥησιάζωνται Iesuitæ coner aduersari; cuius ingenuam confessionem nimium confirmat experientia. Sed illi tamen sua vulnera curanto, si possunt. Iis quos hæreticos appellant, multa impudenter per calumniam affingi, lippis notū. Sed Maldonatus in 7. Matthæi, *Falsi prophetæ sunt omnes hæretici: omnium vero maxime Caluinistæ. Primum, quia non missi venerunt: deinde quia omnia induti pelle: nihil enim in eorum erat ore; nisi Dominus, nisi Pater noster cœlestis: nisi Christus, nisi fides: iuramentum inauditum: nihil in eorum factis apparebat, nisi eleemosina, nisi temperantia, nisi modestia.* Quas laudes, opinor, imo quarum laudum, vel simulationem non inuenias facile apud Papistas, siue plebeios, siue Sacerdotes: vix inter Monachos laruam.

XLV. Sed enim hanc partem mittamus, in qua expeditiores solent esse calumniæ ex præiudiciis odij; quam solidiores accusationes. At nos certe

certe negamus consequentiam. Nam hæc si valeat, valebit etiam aduersus vniuersam Christianam religionem: Hæc enim si sanctior est Ethnica religione; ergo omnes Christiani deberent sanctiorem vitam viuere, quam Ethnici. At hoc non: Quid ergo? negatumne imus antecedens? Nempe, non quid efficiat hominum nequitia; sed quid sit religionis proprium attendendum. Hoc si ponas, nihil est quod metuam. Nam qui frequentarunt vtramque speciem, longe sanctiores fuisse vel ipsis testibus docebo: qui hoc genus communionis fatentur in Ecclesia martyrum viguisse: cui quicquid est, fuit sanctitatis, ex quo Constantienses inhibuerunt calicem; non puto quenquam tam impudentem futurum vt comparet, nedum æquet. Certe anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, in conuentu procerum ad Sangermanum Hospitalius Cancellarius, *Patres, qui Ecclesiam aduersus Arrium, & huiusmodi sectarios tutati sunt, B. Ambrosium dico, Chrysostomum, Hilarium* (& hi omnes communionem integram tum sibi vsurpabant, tum plebi distribuebant) *si cum Episcopis, qui nunc sunt* (& hi, neque ipsi calicem bibunt, nisi cum consecrant, id est, raro, & plebi prohibent) *componamus, quam male religionis rebus, & nostræ securitati prospectum sit, deprehendemus*: Thuanus recitat historiar. 28.

XLVI. Hactenus rationes: quæ quidem visæ non indignæ quæ hic locum haberent. Restant Patres, quos fatetur Salmero nullos occurrere, qui hanc quæstionem tractarint ex professo. Ego addo ne obiter quidem: & facile probo; cum non possit vllus ab eorum scriptis locus describi in eam rem: cum tamen videamus in aliis quæstionibus tam curiosos Papistas; vt non disertos duntaxat colligant, si quos, aut habent, aut habere putant, sed etiam obliquos, & qui vel minimum alludant.

XLVII. Sed vnde tamen tantum illis silentium? Audite diuinantem Iesuitam. Ex eo fortassis, quod cum probabile sit communionem sub altera specie ab initio fuisse vsitatam, saltem in quibusdam euentibus sine vlla controuersia, aut contentione, putabant etiam eundem habere fructum. Admodum timide: Fortassis, inquit: & probabile est. Perierat pudor ex ordine Iesuitico; absque his foret tam modestis phrasibus. Sed nos diuinationibus Insuiticis facile opponimus: eo factum, quod opinio sit recentissima, & superstitiosissima: itaque nec potuerint rescire, post eos tot seculis natam; nec voluisse, vel in cogitationem admittere tam absurdam. Scilicet verisimile credat quisquam Cyprianum, qui & omnes hortabatur ad martyrium: nec putabat id posse fieri nisi concederetur in calice sanguis Domini: docuisse aut priuatim aut publice, quod hodie docent Papistæ, facile patientes martyrij zelum deferbuisse.

XLVIII. Sed habet nihilominus Sophista quod annotet, ne suarum artium quisquam speret saltem semel oblitum. Solent, inquit, commendare solum panem viuificum: & omnes laudes, virtutesque adscribere ei, quæ vtrique speciei conueniunt: vt constat de B. Ignatio, qui in Epistola ad Romanos dicebat, *Non comedam escam corruptionis, neque voluptates huius mundi desidero. Panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ, qui est caro Iesu Christi Filij Dei viui, qui natus est in nouissimo ex semine Dauid & Abrahæ: & potum volo sanguinem eius, qui est dilectio incorruptibilis, & vitæ æterna.* Solent etiam Patres, quæ ad dispensationem Sacramentorum, & ritus colendi Deum spectant, asserere in libertate ministrorum Ecclesiæ, & Episcoporum posita esse: & licere in his quæ eiusmodi sunt, vnumquemque in suo sensu abundare: nec horum varietatem Ecclesiæ præiudicare, modo vnitas fidei, & ea quæ ad essentiam diuini cultus spectant, seruentur in lege.

XLIX. At tu impostura facis tuo more. Solum, inquis, panem viuificum: cum tamen Ignatius non tantum panem Dei dixerit, se velle comedere, sed etiam sanguinem bibere: cur seiungis? Nam si Sacramentaliter intelligis, profecto tam sanguis est calix, quam caro panis. Itaque si cogitauit communionem Eucharisticam, sane vtramque speciem habuit in animo: nemo enim dixit vnquam in alterutra & comedi, & bibi. Quanquam vident omnes nullum sermonem esse de Sacramentali communione, sed spirituali. Argumentum certum, quod exprimat desiderium moriendi, ζῶν γράφω ὑμῖν, ἐρῶν δὲ κέκραγα θανεῖν, *Viuens scribo vobis, amore captus moriendi propter Christum. Meus amor crucifixus est. Non est in me ignis quippiam amans: sed aqua viua saliens in me, intus mihi dicit, Veni ad Patrem. Non gaudeo corruptibili nutrimento*: & deinceps quæ descripta sunt. Ex qua serie manifestum est, eam communionem optari corporis & sanguinis Christi, quæ exspectatur post hanc vitam. Patres sensisse dispensationem Sacramentorum, & ritus colendi Deum esse in libertate ministrorum Ecclesiæ; non est vniuersaliter verum: sed ea duntaxat, quæ non fuere à Christo instituta: in quibus nunquam numerata vtraque species Eucharistiæ.

CAP. XI.

Vtrum non aduersetur Scripturæ communio mutilata.

I. QVæstio est quarta quæstio, in qua concluditur non pugnare cum diuinis literis communionem vnius speciei. Breuior, quod argumenta à nobis opposita, quæ hic Bellarminus examinauit, jam sunt pertractata: necnon etiam Papistica, quæ probare videbantur eam diminutionem exemplis è Scriptura decerptis. Disputat autem non necessario, sed variis rationibus efficere conatur credibile, nullum præceptum à Christo datum de vtraque sumenda specie. Tam scilicet Papistis propitia causa fuit. Et speret quisquam solidi quicquam, à tam aperte professis infirmitatem causæ? Tanto animosiores ituri sumus consideratum rationes; quæ videbuntur huius loci.

II. Primam desumit à figuris huius Sacramenti. Pleræque figuræ, inquit, manducationem sub vna specie significabant. Non est igitur vllo modo probabile Christum imperaturum fuisse manducationem vtriusque speciei. Probatur consequentia. Quia figuratum figuræ respondere debet. Vnde Euangelistæ passim cum describunt acta Christi addunt, *vt Scriptura impleretur*: Ioannis decimo nono, habetur ideo Deum non permisisse, vt frangerentur crura Domino: quia præcesserat figura Agni Paschalis, cuius ossa confringi prohibebantur. Et prioris ad Corinthios 10. *Omnia contingebant illis in figura.*

III. Probatur antecedens variis figuris. Prima, ligno paradisi, Geneseos 2. & 3. fuisse hoc Eucharistiæ Sacramentum docet Paschasius de corpore Domini, cap 7. constat autem nullam fuisse potum additum illi arbori. Secunda, Agno Paschali, Exodi 12. Tertia, Manna, Exodi 16. Quarta, panibus propositionis, Exodi 5. quibus nullus potus addebatur. Quinta, participatione Sacrificiorum; in quibus etsi esset caro & sanguis, multaque libamina, tamen sola caro manducabatur.

IV. Respondeo, negari primum consequentiam. Negationis habemus causam geminam. Priorem, quod ab antecedente particulari non possit consequens elici necessarium. Alioqui nos contra obiiciamus. Aliquæ figuræ Eucharistiæ geminam speciem habuerunt; puta Melchisedeci oblatio, testibus plurimis Patribus: & in deserto manna, vna cum aqua ex rupe; Ergo verisimile est Christum imperasse vsum vtriusque speciei: Nam manducationem cum Bellarmino non ausim ego quidem dicere; qui sciam vinum non manducari.

V. Altera causa est; quia non est in omnibus necessaria argumentatio à figura ad figuratum. Sic visum Salmeroni tracta 24. tom. 8. *Quod vero manna sub vna tantum specie porrigeretur, nihil refert, quia non est opus in typis & figuris antiquis omnimodam reperiri ad rem figuratam similitudinem.* Et sane non vt agnus assabatur, ita panis assandus est. Non vt sanguine agni postes linendi, ita & vino: multaq; similia. Et ingens error esset in Baptismo amputare præputium, vt in Circuncisione. Quemadmodum ergo non sequitur; si in Circuncisione non laudabatur corpus, ergo neque in Baptismo: sic ineptum est: si in ligno paradisi, in agno Paschali, in Manna, in panibus propositionis, in sacrificiis nullus erat potus, ergo neque in Eucharistia.

VI. Tertia causa: quia nihil obstat quominus vnum aliquid diuersa designet, dummodo communicent aliquo genere. Sic Petra in deserto figura fuit Christi in cruce: cum tamen ex illa non nisi aqua fluxerit: ex isto, sanguis & aqua. In 10. prioris ad Corinthios Guillaudus, *Petra erat Christus, id est, Christum significabat postea nasciturum, de cuius percusso latere exiuit sanguis & aqua.* Salmero, *Quia signum fuit Christi in latere lanceo percutiendi, ex quo postea percusso exiuit sanguis & aqua.* Nimirum aqua & sanguis fluxa elementa potuerunt vno fluxo elemento designari, nempe aqua. Cur non panis & vinum vtrumque in alimentis potuit vno designari alimento?

VII. Concedo figuratum figuræ debere respondere: sed secundum figuræ analogiam, quæ peti debet ab institutione. Atqui hæc nulla analogia est, aut pars analogiæ. Etenim in iis figuris nunquam aut Scriptura monuit, aut Patres indicarunt defectum illum potus quicquam significare. Quid, quæso, iuris accessit Papistis; vt quod ante eos ne fando quidem fuerat auditum, id auderent tanquam oraculum enuntiare, & inculcare?

VIII. Et vero temeritas seipsam prodit manifesto. Nam si figuræ huiusmodi fuerunt Eucharistiæ: & oportuit figuratum figuræ respondere secundum hanc analogiam; ergo quemadmodum in ligno vitæ, in panibus propositionis, in Pascate, in sacrificiis nullus omnino potus fuit: nullum ergo oportet esse in Eucharistia. Nullum, inquam, prorsus. Non enim in illis erat magis in consecrando, quam in communicando: nec magis Sacerdotibus quam plebi. Atqui contra fit in Eucharistia; etiam inter Papistas; qui neque audent consecrare panem solum, neque Sacerdoti interdicere calicis sumptionem.

IX. Bellarminus hic monet; Quòd Sacerdotes nunc faciant, non respondere manducationi victimarum, sed consumptioni per ignem: cum Eucharistia sit aliquomodo holocaustum; aliquo modo hostia pacifica: aliquo modo hostia pro peccato. Quia igitur in holocausto omnia consumebantur, & victimæ, & libamina, ideo etiam nunc à Sacerdote, cuius est consumere holocaustum, omnia sumuntur. A populo autem, qui solum participat de sacrificio, satis est manducari carnes agni immaculati.

X. Mitto fictam analogiam sacrificij, & quidem holocausti, aut pro peccato: nam hęc alio pertinet. Sed reliqua sunt ridicula. Esto enim verum, propter fines varios, & illic non bibi, & hic bibi. Non tamen negantur ea sacrificia fuisse figuras Eucharistiæ. Sed id tantum dicitur quod admonebam; nõ absolute respondere figuræ figuratum, sed pro analogia. Nã in ligno vitæ, & panibus propositionis nulla fuit consumptio per ignem. Sed somniatũ Papistis prętęr eam analogiam communicandi, aliam quandã Eucharistiæ accedere: & secundum hanc debere respondere holocausto: non aũt panib. propositionis, aut ligno vitę. Sed hæc eadẽ ratio valet, vt negemus legitimã esse consequentiam à Pascha, aut sacrificiis, ad Eucharistiam: quandoquidẽ huic alia analogia est: nempe per modum plenæ nutritionis: quæ non erat in illis.

XI. Præterea Bellarminus nugatur. Nunc, inquit, omnia sumuntur à Sacerdote: quoniam Sacerdotis est consumere holocaustum. Eia vero consumere: Sed quomodo? per modum cibi, an aliter? Nam alioquin impudens abusus est vocabuli generalis. Manifestum est Sacerdotis non fuisse consumere holocaustum per modum cibi, sed per modum combustionis: itaque consumebat non ipse: sed tradebat igni consumendum. At nunc volunt Papistæ ipsum per se: & quidem per modum signi consumere Sacerdotem. Estne hæc nulla dissimilitudo? Estne hoc figuratum respondere figuræ? Et quidem consumptio per modum cibi, duntaxat partialis, non tantum erat Sacerdotis, sed etiam plebis. Quicquid est igitur huius consumptionis, cur non æquet hodie plebem Sacerdoti: vt vel neuter sumat vtramque speciam, vel vterque? Vt si Sacerdos debeat omnia consumere hodie: præter analogiam veterem, plebs etiam debeat. Et si plebs non debeat: ne Sacerdos quidem? An quia Papistæ sua somnia metiuntur ex arbitrio proprio? Apage nugatores.

XII. Negandæ consequentiæ præiuerunt Patres Chrysostomus in posteriorem ad Corinthios homil. 18. *Interdum nec quicquam quidem inter Sacerdotem interest, & eos quibus præest, velut cum tremenda mysteria percipienda sunt; æque enim omnes ad ea admittuntur: non quemadmodum in Veteri Testamento, alia Sacerdos, alia subditus edebat: nec plebi fas erat ius vesci, quibus Sacerdos vescebatur. Nunc enim secus se res habet: omnibus siquidem vnum corpus, vnum poculum proponitur.* Augustinus in Leuiticum quæstione quinquagesima septima, *Quid sibi vult quod à sanguine sacrificiorum quæ pro peccatis offerebantur tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis vnum hoc sacrificium figurabatur, in quo vera remissio sit peccatorum: cuius*

tamen sacrificij sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ab bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam? Et dicat quisquam figuræ figuratum respondere? Eadem consequentia dicat quisquam veterum & nouorum Sacramentorum? In veteribus sacrificiis aliud Sacerdos, aliud plebs sumebat: Ergo & in Eucharistia: Negat cõsequẽtiam Chrysostomus: Et nunc, inquit, secus se res habet. In sacrificiis prohibebatur vesci sanguine: ergo & in Eucharistia. Negat consequentiam Augustinus: & illic aliter; hic aliter fieri. Et Iesuitas quisquam moretur? & Bellarminum quisquam vel flocci faciat? Insanus.

XIII. Respondeo iterum negari antecedens. & ad probationem nego eas quinque esse figuras Eucharistiæ: quomodo nos Eucharistiam dicimus, nimirum distincte elementa, signaque externa. Quid igitur? Nempe figuras Christi, cuius itidem figura est in elementis Eucharisticis. Quo sensu videlicet Circuncisio figura fuit Baptismi; etsi fuerit signorum longe alia materia cum propinqua tum remota: quia res significata fuit eadem; remissio peccatorum; siue, vt loquitur Paulus, iustitia fidei. Quare etiam Petrus Arcæ dixit ἀντίτυπον Baptisma: nimirum quia vtrinque salus designata; etsi non eodem modo.

XIV. Patet ex singulis exemplis. Lignum vitæ, Augustinus de Ciuitate libri 13. cap. 21. interpretatur, *Sanctum Sanctorum, id est, Christum.* Quæstione 106 ex vtroque Testamento, *Arbor vitæ, quæ posita est in paradiso, imago fuit futuræ gratiæ Dei, quæ est corpus Domini, quod qui edit viuet in æternum.* Et Pacasius ipse cuius autoritate Bellarminus nititur, *Arbor quidem ligni vitæ*, inquit, *Christus nunc in Ecclesia est, cuius imago in paradiso arbor illa fuit.* Anastasius Sinaita de duobus lignis, *Et virtutis frugifer dator est Christus, quem prius describebat illud lignum vitæ.*

XV. De agno non debet Christianus dubitare; qui audiit à Baptista Ioannis primo, *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Et à Paulo prioris ad Corinthios 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus:* In quem locum Oecumenius, ἡμεῖς τῷ αἰωνίῳ καὶ λογικῷ ἀμνῷ τῷ αἴροντι τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ὑπὲρ ἡμῶν τυθέντι· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἡμέτερον πάσχα, ὀφείλομεν ἄζυμοι ἀεὶ καὶ καινὸν φύραμα εἶναι, *Nos æterno & rationali agno, illo qui tollit peccatum mundi pro nobis immolato, hoc est enim pascha nostrum, debemus semper esse sine fermento, & noua massa.* Tertullianus 5. contra Marcionem cap. 7. *Quare Pascha Christus, si non Pascha, figura Christi, per similitudinem sanguinis salutaris, & pecoris Christi.*

XVI. De Manna Paulus etiam non obscurus 10. prioris ad Corinthios testatus Israelitas, *Omnes eandem escam spiritualem edisse, & eundem potum spiritualem bibisse?* Augustinus, apud Bedam in eum locum, ex tractatu 26 in Ioannem, *Hic panis est, qui de cœlo descendit: hunc panem significauit manna; hunc panem significauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt. In signis diuersa sunt, in re quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt. Spiritualem vtique eandem: nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud. Spiritualem vero, quam nos. Et adiungit: & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili; quod tamen idem significaret virtute spirituali.*

XVII. De Sacrificiis non est relictus ambigendi locus. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. *In sacrificiis carnalium victimarum, quæ ipsa sibi sancta Trinitas, quæ vnus est Deus & Veteris Testamenti, à Patribus nostris præcipiebat offerri, illius sacrificij significabatur gratissimum munus, quod pro nobis seipsum solus Dei Filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus.* Manifestius August. de Ciuitate li. 10. c. 20. *Sacerdos est ipse offerens, & ipse oblatio. Cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium: quæ cum ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre. Huius veri sacrificij multiplicia variaq; signa erant sacrificia prisca Sanctorum, cum ob hoc vnum per multa significaretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multum communicaretur.* Contra Faustum 18. c. 6. *Illarum figurarum veritas Christus est.*

XVII. Supersunt panes propositions: de quibus pauca legere memini apud Veteres. Procopius in Exodum scripsit, *Manifeste nobis commonstratur panis ex cœlo datus apponendus in mensis sanctis Ecclesiarum.* Quod etsi ad Eucharistiam manifeste pertineat, tamen non obscure de pane ex cœlo loquitur, quæ res est, non signum.

XIX. Verum vt esset aliquid obscuri, tamen iudicari debet ex axiomate Paulino generali, ad Coloss. 2. *Quæ sunt*, inquit, *vmbra rerum futurarum: at corpus est Christi:* id est, juxta paraphrasin Iustiniani, solidum corpus, quod vmbræ illi respondeat, ad vnum Christum pertinet. Thomas, *Legalia sunt vmbra præcedens Christum, & eum figurabant venturum. Et ideo dicit, Corpus, id est, veritas rei pertinet ad Christum, sed vmbra ad legem.* Fuerunt ergo typi, non typorum, sed ipsius Christi: atque oportuit Bellarminum argumentari ab iis typis, non ad typos nostros; sed ad res typorum. Verum non est ausus: oportuisset enim concludere, non communicari plebi Christianæ sanguinem Christi: quod, credo, horruit. Sed si vere; attendat ergo non esse infinite verum, oportere figuræ respondere figuratum: sed suis tandem circunstantiis, quatenus constare possunt ex institutione.

XX. Alteram rationem desumit Bellarminus à doctrina & exemplo Christi. Dominus enim cum Ioannis 6. de fructu Eucharistiæ loqueretur, non semel, sed quater vnam speciem sufficere docet ad salutem, *Qui manducat me, viuet propter me. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Hic est panis de cœlo descendens; vt si quis ex ipso manducet, non moriatur.* Et ibidem, cum multiplicauit panes, & inde saturauit turbam remanentibus duodecim cophinis; nullum potum multiplicauit, neque dedit. Non ergo fieri potest, vt idem Dominus manducauerit vtramque speciem sumendam tanquam necessariam ad salutem.

XXI. Eia vero, speciem necessariam ad salutem: quasi hoc quisquam quæreret: & non potius necessariam ad Sacramentum. Quasi vero nesciamus ne ipsam quidem Eucharistiam esse illo modo necessariam. Quod alias monitum, cogit repetere importuna sophistice; subinde dissimulans, imo peruertens quęstionem. Et tamen videte quantum accreuerit illi animorum pauco interuallo: qui nunc concludat fieri non posse; cũ tamen initio capitis tantum proposuisset non esse credibile. Sic Sophistæ proficiunt, scilicet.

XXII. Ad rem respondeo, negari consequentiam: & falsum sumi, loquutum Christum de speciebus Eucharistiæ. Nam de fructu quidem Eucharistiæ, non negem: dummodo ne reduplicatiue, vt loquuntur Scholæ: Etenim sermo est de communione spirituali corporis & sanguinis Christi: quæ quia fit in Eucharistia; ideo potest appellari non incommode fructus Eucharistiæ: sed ita tamen vt non intelligatur fieri tantum in Eucharistia. Sed fructum Eucharistiæ, quatenus percipitur in celebratione eius Sacramenti, siue in sumptione specierum, profecto falsum est, sermonem fuisse institutum: quod jam aliquoties diximus alias disputandum. Itaque Slotanus eam refectionẽ dicit quasi vmbram quandam fuisse cõmunionis carnis Christi.

XXIII. Quanquam hoc ipsum gratis Slotanus dixit. Neque quisquam adhuc, ante eum. Enimvero verum est, ex eo sumptam occasionem à Christo plurima differendi super carnis suæ comestione; & panem nominandi. Sed viderit vnde consequentia nascatur: Esse igitur vmbram communionis carnis Christi. Nemo enim ignorat aliunde quam ab vmbris posse dicendi occasionem desumi. Certe Paululus à Corinthiorum æmulationibus occasionem captauit differendi de vnitate Ecclesiæ: nec tamen puto æmulationes erant vmbræ huius vnionis.

XXIV. Tertiam rationem legi apud Slotanum; nec vero aliis neglectam. Apud Matthæum in oratione Dominica petere docemur panem illum supersubstantialem, hoc est, panem corporis Christi: & nulla fit alterius speciei mentio.

XXV. Atqui eius petitionis geminam video expositionem dari. Nam panem, vel temporalem intelligi, vel spiritualem. Vnde Bellarminus de operibus libr. 1. cap. 6. triplicem sententiam recenset. Vnam, quæ censeat postulari duntaxat panem corporalem: alteram, quæ solum spiritualem: tertiam; quæ omnia subsidia necessaria ad vitam cum animæ tum corporis cõseruandam. Harum quænam sit magis legitima discutiendum prius quam argumento satisfiat. Nam & disputatur varie. Nec tantum inter nos & Papistas: sed etiam inter ipsos Papistas. Etenim primam secundamque refutat, tertiam sine dubio recipiendam pronuntiat Bellarminus. At nos etsi non ægre feramus eos, qui vel in secundam excurrant, vel tertiæ adhereant: tamen censemus primam esse genuinam, & legitimam. Sex enim postulata diuidimus in duos ordines; vt tria priora ad Deum directe, siue immediate pertineant: tria reliqua ad nos: sed hæc partim in rebus corporeis; atque his assignari quartum istud: partim in religiosis, quæ comprehenduntur reliquis duobus. Quare quarto postulari, vt nobis donet Deus quæcunque sunt huic sustentandæ vitæ necessaria: producto videlicet panis nomine συνεκδοχικῶς longe vltra primam propriamque significationem.

XXVI. Rationes nobis; prima, quod is simplicior sensus: cui acquiescẽdum docent Theologi, quoties & nihil habet absurdi; & circunstantiæ non cogunt aliter. Esse simpliciorem res ipsa testatur: nam sensus literalis allegorico semper est simplicior. Esse aliquid absurdi, aut contra circunstantias nemo hactenus docere potuit. Itaque sine dubio hic longe præstat cæteris. Præterea caret ταυτολογίας probro: nam quæcunque ad panem spiritualem pertinent, haud difficile comprehenduntur duabus sequentibus petitionibus de remissione peccatorum, & de tentatione. Tertio, cibus spiritualis, non admodum commode postulatur in singulos dies; cum sit petendus in totam vitam.

XXVII. Obijcit Bellarminus primo, Valde mancam futuram orationem Dominicam, si tam diligenter peteretur cibus corporis, & cibi spiritualis nulla fieret mentio.

XXVIII. Sed falso sumitur, nullam fieri mentionem cibi spiritualis. Nam profecto institutio ipsa Eucharistię docet proponi nobis corpus Christi in cruce fractum, & sanguinem in cruce effusum: vtrumque autem est in remissione peccatorum: vnde tum Veteres, tum etiam Papistę celebrant hoc Sacramentum, tanquam Sacrificium. Quare cũ postulatur remissio peccatorum, postulatur hic cibus spiritualis. Quare non est omissa eius mentio.

XXIX. Obiecit secundo, in eodem sermone Christum præcepisse caueri solicitudinem rerum corporalium, *Nolite esse soliciti, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quod his omnibus indigeatis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Ergo non est credibile Dominum voluisse tam solicite peti panem corporalem, aut solum, aut præcipuè.

XXX. Respondeo, solum postulari panem corporalem, aut præcipue, dupliciter dici: aut κατά τι; nempe respectu huius petitionis; vt eius præcipuum, aut etiam solum subiectum sit, proprium, panis corporalis: aut ἁπλῶς: vt longe ardentius postuletur hic panis corporalis, quam panis spiritualis. Hoc posteriori sensu, negatur quicquam tale doceri in hac oratione; aut etiam in hac petitione. Nam postulare cibum corporalem, non significat eundem petere ardentius quam cibum spiritualem; sed tantum petere suo & ordine, & modulo. Nec crediderim Iacobum, Genes. 28. cum dixit, *Si dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum*: etsi diserte postulauerit corporalia; maiorem curam habuisse, quam rerum spiritualium. Ne Apostolos quidem cum exclamarunt, Marci quarto, *Non est tibi curæ, quod perimus?*

XXXI. Altero autem sensu, nego cum certis conceptis verbis temporalia postulantur à Deo; propterea geri contra Christi mandatum. Nam recte Maldonatus in 6. Matthæi, *Non fuisse Christi consilium, vt panem, resque necessarias quærere iuberet, quod terrenum est, quodque idem Christus facere prohibet. & ad quos satis sumus nostra natura procliues: sed vt doceret vnde, & quatenus quærere deberemus, Non enim à terra, vt pecudes: sed à Deo, vt homines: non in omne tempus; sed in præsentem tantum diem petere docet.*

XXXII. Et vero cum prohibet Christus nos sollicitos esse; *Non omnem prohibet sollicitudinem*, inquit Maldonatus, *sed eam quæ ex diffidentia in Deum proficiscitur, & eam quæ à Dei seruitute hominem distrahit.* Ergo intelligitur, inquam, permissum aliquod genus solicitudinis. Cur non etiam precationis? Non enim potest quædam solicitudo esse bene ordinata, & postposita præcipuæ solicitudini, precatio autem non potest. Vno verbo, vt potest ante omnia quæri regnum Dei, & tamen etiam suo ordine quæri quod est corpori necessarium: vnde Paulus 4. ad Ephesios, *Laboret, vt possit impertiri cui opus fuerit*: Sic non est absurdum præcipue, & super omnia affectari spiritualia, & tamen à Deo postulari corporalia.

XXXIII. Ac sane, non tantum Chrysostomus, & autor operis imperfecti, quos

cti, quos Bellarminus nominat, sunt interpretati de rebus corporalibus: & Theophylactus: sed etiam Euthymius. Et priores, teste Toleto, in 12. Lucæ, Gregorius Nyssenus tractat. 5. de Oratione: Basilius interrogationum breuium, responsio 252. Tertullianus, & Cyprianus tractatu de Oratione, Hieronymus in Matthæi 6. Augustinus epistola 121. Et inter Papistas ipsos, Gorranus, Lucas Brugensis, Maldonatus, Toletus, Barradius, Iansenius, & maioris autoritatis Catechismus Tridentinus, qui, *Petimus*, inquit, *hoc loco, huius, quam in terris agimus, vitæ subsidia, sanctorum Patrum ita sentientium autoritate.*

XXXIV. Facessit nonnihil negotij τὸ ἐπιούσιον, quod verbum redditur ab aliis supersubstantiale, ab aliis quotidianum. Imo in editione Latina, quotidianum apud Lucam; supersubstantiale apud Matthæum. Verum, Maldonatus annotauit; etiam in Matthæo fuisse olim quotidianum: atque ita veteres omnes Latinos autores legere: neque adeo ipsum Hieronymum mutasse; sed aliquanto post eius autoritati datum, vt supersubstantiale admitteretur.

XXXV. Etymon repetunt alij, ἀπὸ τῆς οὐσίας: vt ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον: & inde natum, supersubstantiale, autore Hieronymo, rationem repetente tamen aliūde quam ab Etymo, *Quod nos*, inquit, *supersubstantialē expressimus, in Græco habetur ἐπιούσιον; quod verbum Septuaginta Interpretes περιούσιον frequentissime transferunt. Considerauimus ergo in Hebræo, & vbicunque illi περιούσιον, expresserunt, nos inuenimus* סגלה, *quod Symmachus ἐξαίρετον, id est, præcipuum, vel egregium transtulit, licet in quodam loco peculiare interpretatus sit.* Sed hæc ratiocinatio nimis imperfecta est: nam etsi non abludat à substantiæ voce: tamen non docet, cur sit adhibita particula *super*: neque enim patitur Græcismus idem esse ἐπιούσιον, & ὑπερούσιον vt nec ἐπενδύτην, & ὑπερενδύτην; Non ἐπιούσιον, Matthæi secundo, & ὑπερῷον, Ad Ephesios primo & quarto: non ἐπιβάσιν, Matthæi vicesimo primo, & ὑπερβάσιν prioris ad Thessalonicenses quarto: non ἐπιβάλλω, Matthæi 9. & ὑπερβάλλω, poster. ad Corinthios 3.

XXXVI. Veruntamen illud ipsum supersubstantiale, varie acceptum. Lyranus, *Quia transcendit vitam corporalem, & dat vitam æternam.* Carthusianus superessentialem, & Patri consubstantantialem. Stella in 12. Lucæ, *qui super omnem substantiam, & super omnem intellectum est: quia cœlestis est.* Sed profecto nihil huiusmodi Græca referunt: itaque etiam autoresi fuere, qui Græce nescirent. Et sane, quis cognatæ significationis daret exemplum? Siccine ausit quis dicere, ἐπίδληγμα, quod superet iniiciendi rationem; & similiter ἐπιβάλλω, ἐπίγειον, & alia plurima?

XXXVII. Tolerabilius Gorranus, *Superadditum substantiæ ad sustentationem.* Ad Basilii mentem, interrogatione 252. qui τὸν ἐπιούσιον ἄρτον, inquit; τουτέστι τὸν πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύοντα, *Panem ἐπιούσιον, hoc est, ad quotidianam viam substaniæ nostræ vtilem.* Vnde Emanuel Sa dixit, *ad substantiæ nostræ conseruationem necessarium.* Barradius, *potest etiam verti, Panem ad substantialem, hoc est, panem nostræ substantiæ necessarium, & congruentem, vel panem ad nostri corpois substantiam pertinentem.* Et paulo post, *Dici potest supersubstantialis, quia super substantiam nostrā aduenit, & adiicitur: nisi enim super substantiam corporis nostri assumatur, peribimus.* Non improba, aut improbanda subtilitate. Nam præpositionis ἐπὶ apparet eam viam esse interdum, vt aliquid superadditum designet: nam inde ἐπίβλημα, vestimentum est, quod superiniiciatur corpori, siue imponatur. Paulo tamen aliter, nec inepte Theophylactus, Τὸν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ καὶ συστάσει ἡμῶν αὐτάρκη, in Matthæum: similiter in Lucam, τὸν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν, καὶ τῇ συστάσει τῆς ζωῆς συμβαλλόμενον. *Eum qui nostræ substantiæ, ac conseruandæ vitæ sufficientem, siue conferentem.*

XXXVIII. At longe aliter Hieronymus; quia legerat apud Septuaginta Interpretes, pro Hebræo, סגלה, Græcum περιούσιον, vt Exodi 19. והייתם לי סגלה, ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος: Item Deuteronomii 7. 14. 26. At Psalmo 134. לסגלתו, εἰς περιουσιασμὸν ἑαυτῷ: Obseruauit autem à Symmacho id ipsum dictum ἐξαίρετον: Inde sibi occasionem dicendi fuisse supersubstantialis. In quo vrget me magis viri autoritas certe magna, quam rei vlla aut necessitas, aut etiam ratio Nam primo, quid habet τὸ ἐπιούσιον, commune cum סגלה? Deinde, cur mutatum ἐπιούσιον in περιούσιον? Debuit alterutrum docere: vel סגלה alicubi redditum ἐπιούσιον: vel certe, ἀντὶ περιουσίας, aliquando dictum ἐπιούσιον, contrave.

XXXIX. Alii deduxerunt ab alio verbo, ἐπιέναι: cui adueniendi significatio est: vnde frequens apud Græcos, ἐπιοῦσα ἡμέρα, simpliciter ἡ ἐπιοῦσα, pro proxime sequēte die, siue crastino. Act. 7 τῇ δὲ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ ὤφθη, *Sequenti vero die apparuit.* Et 16. τῇ τε ἐπιούσῃ εἰς Νεάπολιν, *& sequenti die Neapolim.* Et 23 τῇ δὲ ἐπιούσῃ νυκτὶ ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ κύριος, *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus.* Alias eodem sensu, ἡ αὔριον, Matthæi 6. *Ne sitis soliciti εἰς τὴν αὔριον de crastino, ἡ γὰρ αὔριον: nam crastinus dies solicitus erit de rebus suis.* Indicauit hoc etymon magnus autor Ambrosius, de Sacramentis libri 5. cap. post. *Latinus hunc panem quotidianum dixit, quem Græci dicunt aduenientem. Quia Græci dicunt τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν, aduenientem diem:* Et confirmauit ille quisquis fuit autor Euangelii secundum Hebræos: apud quem se legisse Hieronymus testatur, מחר, *id est, crastinum, vt sit sensus, panem nostrum crastinum, id est, futurum, da nobis hodie.*

XL. Improbauit Salmero, tomi 4. tractatu 50. *Certe*, inquit, *iuxta linguæ Græcæ Grammaticam, nomina Græca terminata in ιοιος, non descendunt à participiis fœmininis: ἐπιών, id est, accedens, & ἐπιοῦσα in fœminino: sed potius à nomine οὐσία, vt, ὑπερούσιος, ἐπιούσιος, περιούσιον præcipuum, & ὁμούσιος, & ἰσούσιος.* Crederem: si ex media Attica natum scirem Sophistam magis quam Ambrosium. Sed nomina in ιοιος, inquit: quasi regulam traderet generalem: quæ comprehenderet etiam πλούσιος: & si quæ sint similia. Rursus, descendunt à nomine οὐσία. Quis iussit? Nam περιούσιον non dabunt Grammatici, aut præcipuum significare proprie; aut inde deduci potius quam ἀπὸ τοῦ περιεῖναι, per participium: vt αὐτεξούσιον: quia αὐτῷ ἔξεστι. Et hinc, τὴν παρουσίαν nunquam sanus quisquam concessurus est dictam quod sit παρὰ οὐσίαν præter substantiam. sed quod πάρεστι adsit, præsens sit, per participium tamen παρών παροῦσα. Cur non similiter, ἐπιὼν ἐπιοῦσα ἐπιούσιον? Nam nec ipsa οὐσία, aliter.

XLI. Maldonati nouum inuentum est: Interpretem nouo vocabulo, aut veteri noua significatione vti potuisse: quemadmodum sæpe Apostoli vti solent. Hebraismum autem sapere: Nam apud Hebræos, היום הזה עצם, substantiam diei huius, vsurpari pro hoc ipso die. Sic ergo potuisse Euangelistam vocare ἐπιούσιον supersubstantialem panem, qui ad substantiam præsentis diei pertineret, id est, portionem panis nostri, quæ præsenti diei respondeat. Hæc ille: sed recenti modestia; vt qui plerunque ex tripode oracula pronuntians, nunc nolit suam coniecturam valere, nisi probatam doctioribus. Laudo.

XLII. Sed de Vocabulis, vt sit non facile statuere; tamen nos in eam sententiam imus omnes, vt panis quotidianus significet quicquid est huic vitæ corporali sustentandæ necessarium. Caluinus, *Quod de corporali victu hic loquatur Christus, primo inde colligere promptum est, quod alioqui mutila esset, non plena oratio. Iubemur enim multis locis curas omnes nostras in Dei sinum conicere: & ipse liberaliter promittit nulla in re se nobis defuturum. Ergo in exacta orandi regula, necesse est de innumeris præsentis vitæ necessitatibus aliquid præcipi. Deinde particula, Hodie, significat hic à Deo peti, quod non nisi in diem curandum sit: neque enim dubium est, quin terreni victus cupiditatem, ad quam immodice ferimur omnes, restringere, ac moderari voluerit.* Non recedit Beza: non Bucerus: non Aretius: non Brentius: non Piscator: non alius nostrum quisquam, quod sciam.

XLIII. Nunc redeo ad argumentum, vnde digressus sum. Pater ergo nihil hunc locum momenti habere ad rem præsentem. Nam de Sacramento, Sacramentique speciebus agi constant inter nos: à quibus longe distat huius vitæ conseruatio. Neque vero, quenquam aduersariorum obseruaui, qui hinc argumentum duxerit, nisi supposito altero sensu. Atque adeo Slotanus diserte, *Petere docentur panem illum supersubstantialem, hoc est, panem corporis Christi.*

XLIV. Sed pergo vlterius; & doceo, neque ex aliis duabus sententiis quicquam concludi in gratiam Papistarum. Vna dixit intelligi solum panem spiritualem. Altera coniunxit spiritualem corporali. At quem? Alij Christum. Cyprianus, *Nam panis vitæ Christus est: & panis hic omnium non est, sed noster est: & quomodo dicimus Pater noster, quia intelligentium & credentium Pater est, sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster, qui corpus eius contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti, & non communicantes à cœlesti pane prohibentur, à Christi corpore separemur.* Carthusianus, *Panem nostrum superstantialem, id est, Christum vere superessentialem, & tibi consubstantialem, qui ait, Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendit; hoc est panem sacramentalem.* Alij peculiariter de Eucharistia, siue Sacramentis omnibus. Lyranus, *Hic petitur illud, per quod instrumentaliter ducimur ad beatitudinem: & hoc accipitur dupliciter: vno modo, prout aliquid est instrumentum ipsius Dei: & sic Sacramenta Ecclesiæ sunt quædam instrumenta, quibus sanctificamur, & ad beatitudinem ducimur: vnde dicuntur vasa gratiæ. Omnia autem Sacramenta ordinantur ad Sacramentum Eucharistiæ; quod petimus quarto, cū dicimus Panem.* Lyrano consentit Stella. Sed Caietanus produxit longe latius. *Petimus panem cibum animæ: sub quo comprehenditur cibus diuini verbi operis & Sacramenti: & vniuersaliter omne id, quod alit, vegetatque animam.*

XLV. His positis non est difficilis solutio. Nam primo constat nomen panis non vrgendum præcise pro cibo solido; excludente liquidum, id est, potum: non enim comprehenderet quicquid est necessarium sustentando corpori: quod tamen omnes asserunt: atque adeo Bellarminus ipse; qui, *omnia*, inquit, *subsidia necessaria ad vitam cum animæ, tum corporis conseruandam.* Quod si verum; ergo eodem vocabulo continetur potus æque, ac vestitus. Si igitur de Eucharistia intelligas; vel ad Eucharistiam applices; cur neget quisquam sic dictum, vt in Actis, frangere panem? Et vno verbo: quomodo per panem intelligis victum; non qualis significatur præcise eo nomine, sed qualis est secundum naturam corporis: sic etiam Eucharistiam; non iuxta speciem panis; sed cuiusmodi est instituta à Christo, id est, in vtraque specie?

XLVI. Præterea, si panis est spiritualis, siue Christus, siue omnia ad salutem vtilia: tum vero hæc petitio, de rebus agit significatis: certe non de signis: nam hæc non sunt res ipsæ. Imo etiam non sunt spiritualia, nisi per aliud, id est, quatenus sumuntur pro rebus significatis; quomodo spirituale manna, spiritualis aqua ex petra. Vnde distinctio sumendi corporis Christi spiritualiter, & sacramentaliter: quæ oppositio inepta; si proprie spirituales species Eucharistiæ. Quod si hæc petitio de rebus agit, non de signis; patet inepte transferri ad præsentem quæstionem: Non enim vt in rebus idem est edere & bibere; sic in Eucharistiæ speciebus idem est panis, & vinum. Et sæpe monuimus, non esse legitimam consequentiam à re, quatenus res est; ad species, quatenus species.

CAP. XII.

Rationes interdicendi calicis.

I. RELIQUUM *est*, ait Vasques, *vt ostendamus iure optimo Ecclesiam Latinam vsu calicis laicos in vniuersum priuasse, & communionem sub altera tantum specie illis reliquisse.* Sed & nos huc defert methodus nostra. Itaque hæc esto nostri huius laboris pars postrema, in examinandis rationibus, quibus freti docent, non, vt prius esse vtramque speciem liberam; multo minus imperatam: sed omnino iure merito alteram interdictam saltem laicis, æque cum furto, homicidio, sacrilegio. Nam cur non æque dixerim, qui æque anathemata audio? Non enim potest altius ire seueritas. Sed rationes varias, varij collegerunt: ego omnes ex omnibus quantum potero: vitaturus tamen in refutando inutiles repetitiones, à quibus illi non abstinuerunt: regerentes iterum non pauca ex præcedentibus. Sed & facilioris ordinis gratia, rationes distribuam in quatuor capita.

II. Primam rationem Cardinalis exhibebit de Turrecremata. Propter conformitatem obseruandam ad sacrificia veteris legis, quæ figuræ fuerunt huius Sacramēti: in quorum ritu hoc obseruabatur, vt de libaminibus,

bus, id est, sacrificiis, quæ in liquida materia offerebantur, puta in vino, & oleo, & huiusmodi non sumerent offerentes, sed soli Sacerdotes. Repetiit Costerus, ac nos etiam paulo ante attigimus.

III. Respondeo, nihili hanc causam esse. Primo, quia alioquin nulla debuit esse Sacerdotis communio calicis: cum in veteribus sacrificiis ne Sacerdotes quidem biberent quicquam, siue vini, siue olei. Nam vinum adhibebatur ad libandum. Quod autem libare vertit editio Latina; vt Exodi 29. *Et vinum ad libandum*, Hebraice est נסך, cui effusionis significatio est: Itaque Numerorum 15. illud ויין לנסך redditur, *& vinum ad liba fundenda*. De oleo vero nihil puto esse monendum, quod nunquam auditum est fuisse potui commodum.

IV. Secundo, quia distinguunt Papistæ in Eucharistia sacrificium à Sacramento: atque illud volunt esse Sacerdoti eximium: ad plebis certe communionem non pertinere. Itaque si non est ridicula hæc similitudinis affectatio, cur oportuit similitudinem sacrificiorum quæri in plebis communione?

V. Tertio, cotendunt aduersarij, Sacramentum Eucharistiæ esse æque veri nominis sacrificium, ac vilum ex veteribus. Quod si est, tum oportet genere quidem communicare: at non specie. Etenim etiam in veteribus ipsis variæ species fuere, continuorum, & pro peccato, & pacificorum: quæ singulæ suas habebant differentias. Similiter dico, cum sacrificium Noui Testamenti, non tantum numero differat à Veteribus, sed etiam specie propria separetur; non esse mirum, si non per omnia debeat illis esse simile. Nec potest dissimilitudo peti aliunde melius, quam ab institutione. Quare cum hoc institutum sit in edendo, & bibendo: illa vero tantum in edendo, tam profecto non sequitur in hoc debere tantum comedi, quam in illis comedi simul & bibi.

VI. Secundam rationem præbet idem Cardinalis: Vt cultus adorationis huic cœlesti Sacramento debitus totus referri intelligatur ad contentum sub speciebus illis, & non ad ipsas species sensibiles apparentes. Si enim necesse esset hoc Sacramentum dispensare omnibus sub duabus speciebus, cum sub altera specie totus Christus contineatur, & non plus sub duabus, quam sub vna, seu altera tantum, indubie crederetur species illas aliquid per se diuinitatis habere, & aliquid præstare virtutis, quod non parum periculosum esset, si animis influeretur fidelium. Ratiocinatio ita est. Si adoratio non speciebus deferenda, sed toti Christo: Ergo interdicendus fuit calix.

VII. Respondeo, ab ipsis Papistis saltem hodiernis, antecedens negari. Nam ij dicunt conceptis verbis adorandum Sacramentum: adorandas species; vt habes hoc ipso tomo libri septimi capite primo.

VIII. Secundo, consequentiam negari, tum ab eisdem, tum maxime à nobis. Etenim id periculi, si quod est, debet esse commune tum plebi tum Sacerdotibus; neque enim verum est si persuadeatur plebi, periculum esse: at nullum si Sacerdotibus. Imo contra in Sacerdotibus periculosius: quia eorum est tum verbis, tum exemplo præire plebi: non contra plebis præire Sacerdotibus. Si ergo Sacerdoti persuadeatur adoratio specierum; eadem influet in animos plebis, cui in adorando præibit Sacerdos primum exemplo; sed & verbis: atque ita hæc adoratio vniuersam Ecclesiam inuasura est: At contra si plebs ita insaniat, poterunt Sacerdotes esse sani: atque inde spes est posse etiam plebem sanari. Quare si hæc consequentia certa, debuerunt Papistæ speciem vini prohibere potissimum Sacerdoti. Quod eum non faciant, ostendunt ne se quidem habere consequentiam necessariam.

IX. Nos autem concludendum potius dicimus, non adorandum Sacramentum, non adorandas species, quam prohibendas: æquo saltem iure cum Gregorio illo, qui Massilienses Episcopum volebat imagines non auferre, sed earum adorationem prohibere. Et sane nemo hactenus prohibendam dixit speciem vtramque: sed tantum alteram. Atqui non docent cur huius idololatriæ periculum sit in altera potius quam in vtraque. Cur, inquam, nullum periculum sit, ne sibi plebs persuadeat adorationem panis ex eius necessaria communione. Et tamen non tantum non docent species non adorandas; sed etiam vtramque distincte & adorant; & ostentant adorationis causa.

X. Denique cur ex communione maius hodie periculum quam olim? Valuit per secula duodecim vtriusque speciei communio in promiscua plebe; nec tamen accusatur Ecclesia tanquam prolapsa in hoc incommodum. Quid noui accidit, quæso, ex eo tempore? Imo noster vsus contra docet. Nam apud nos cum omnes & calici communicent & pani: omnes item adorent Christum; tamen nemo prorsus sibi persuasit aut adorandas species, aut species quicquam habere diuinitatis, aut præstare virtutis.

XI. Tertia ratio est rursus ab eodem. Vt aliqua differentia & distinctio dignitatis appareret inter Sacerdotes altaris ministros, qui vasa sacra sunt, & ad dispensationem huius Sacramenti specialiter consecrata; & residuum populum. Rationabile enim videtur, vt sicut Sacerdos potestatis prærogatiua in consecratione tanti ministerij à residuo populo distinguitur, ita aliquid habeat singulare dignitatis præ cæteris in vsu Sacramenti, sumendo ipsum sub vtraque specie, populo sub vna tantum sumente. Hanc eandem rationem paulo ante audiuimus etiam à Roffensi. Concluditur in hunc modum. Si Sacerdotis prærogatiua esse debet in communione: ergo calix interdicendus fuit laicis.

XII. Respondeo prærogatiuam in communione dici in sensu, vt loquuntur scholæ, vel composito vel diuiso. Composito vt ipsa communio sit subiectum prærogatiuæ; quomodo prærogatiua consecrationis est in consecrando, quod ipse solus consecret: at plebs minime. Hoc sensu negatur antecedens: nam alias docuit nos Chrysostomus, nihil esse discriminis inter Sacerdotem, & subditum, cum fruendum est diuinis mysteriis.

XIII. Diuiso autem sensu, prærogatiua erit in communicando, id est, in celebritate communionis; ita vt circunstantiæ communionis intelligantur. Et sic negatur consequentia. Nam seculis duodecim cum vigeret communio vtriusque speciei in populo, tamen sua erat certa Sacerdotibus prærogatiua: Nec vero ipse Christus propterea se discipulis æquauit, qui tamen eadem species discipulis dedit, quas sibi sumpsit. Et apud nos certe Pastoris nihil dignitati decedit. Ratio manifesta ab ipsis prærogatiuis, primum in consecratione: deinde in distributione. tertio etiam in communione primus sit omnium: & olim intra cancellos, siue ad altare: quomodo vidimus olim communionem laicam distinctam à clericali.

XIV. Venio ad quartam rationem multo prolixiorem: vtpote variis capitibus fœcundam; & longe plurimis autoribus famosam: qui etsi non omnia singuli, tamen varia varie capita indicarunt; siue quod non omnes omnia viderint; siue quod non omnibus omnia æque arriserint. Ea est à necessaria cautione partim hæreseon, partim incommodorum: vt valde se solicitos persuadeant ne quid in Ecclesiam detrimenti inferatur à prima Christi institutione: seque adeo longe cautiores probent ipso Christo; cui non præuisa tot tamque magna incommoda.

XV. Hæreses has omnino reperio. Primam Nestorianorum, sed geminam. Nam Lorichius, Sumptio Eucharistiæ, inquit, designat vnitatem personæ Christi, contra hæreticos Nestorianos, qui duas in Christo fecerunt personas. At Hardingus, Vt Nestorij hæresis facilius extingueretur, qui ad alios errores, & hanc opinionem adiunxit, formam panis in Sacramento corpus Christi sanguine vacuum, vini formam sanguinem à corpore disiunctum continere. Quanquam hanc posteriorem opinionem, Slotanus nulli sit ausus adscribere, *Poterat*, inquit, *nasci error pleriſque simplicioribus, quod sub specie panis solum corpus, velut quoddam exangue cadauer, & sub vini specie solus sanguis Christi contineatur*, Coffetæus vero adscripsit Berengario. Tertia hæresis est, hoc Sacramentum sub vtraque specie de necessitate ab omnibus fidelibus fore sumendum. Hanc Cardinalis de Turrecremata Bohemis vendicat; Vasques autem Wiclefistis.

XVI. Hactenus hæreses. Nunc incommoda. Maxima illa, Auditores; & nullius alius remedij capacia: vt facile vel primo auditu iudicetis altissime omnia præuisa, prouisa; quæ Christo, quanquam alias non somnolento, neglecta. Primum, irreuerentiam miro verborum apparatu vrgent omnes ferme, *Decuit enim*, ait Slotanus, *Ecclesiam omnia illa tollere, per quæ hoc diuinissimum Sacramentum quouis modo posset inhonorari. Cum enim ei honor maximus debeatur, reuerentiaque maxima, summopere cauendum erat, ne aliqua fieret iniuria, aut irreuerentia tanto Sacramento*. Vehemens sane procœmium, nec sine plausu. Sed quam dicunt irreuerentiam? Idem Slotanus, *Summa autem iniuria, summaque ei fieret irreuerentia, si in sumentibus non fuissent adhibita debita cura, ne quid sanguinis effunderetur, & daretur sanctum canibus, ac margarita spargantur ante sanctos*.

XVII. Bene habet: intelligo in effusione sitam irreuerentiam. Sed quæ tanti metus causa, quæ Christum non mouerit, mouerit Papistas, Slotanus: *Cum non desint (ea enim est quorundam hominum rusticitas & socordia) qui vix citra discrimen aut iniuriam Sacramenti huius, illud suscipiunt sub specie panis: quomodo absque iniuria ac irreuerentia etiam sub specie vini suscipient?* Lorichius, *Effusio facile contingeret in magna frequentia communicantium, si omnes ex vno, vel altero calice bibere deberent; dum vix cauteri posset, quarundam guttarum effusio*. Rursus Slotanus, *Cum ad morituros portaretur, siue eques, siue pedes, quis ferret. Nam deferendum plerumque per longa viarum interualla, in quibus Sacerdos deferens posset collabi in terram, & sacrum sanguinem effundere: sed & periculum in sumpturis maxime iis, qui nauseam ex gustato vino paterentur*. Hesselius, *Aegrotantes sæpe tales domos habitant, in quibus valde incommode conueniri possint, vt facile aliquo casu futura sit effusio*. Habes quinq; causas effusionis curiosissime indagatas: rusticitatem, socordiamque quorundam: frequentiam communicantium, equitis, peditisve lapsum: ægrotantium nauseam: domorum inconmoditatem. Nunc & negato Papistas fuisse exacte curiosos. Bene: quod non inciderint in eum qui diceret, non amo nimium diligentes.

XVIII. Alterum incommodum in conseruatione. Eckius, Non facile Sacramentum vini conseruati posset infirmis; quia acescit, putrescitque, mouens nauseam, vel vomitum sumentibus Hesselius, Neque facile huic incommodo remedium adhibeas. Iniungere enim Sacerdoti parochiæ, vt quotidie rem diuinam faciat, quotidie renouet Sacramentum, quod pro infirmis custodiat, nimis est durum & arduum; neque hoc vnquam sancti Patres præceperunt.

XIX. Tertium incommodum in vini quantitate. Vbi prima penuria est. Nam, inquit Vasques, in quibusdam regionibus pro omnibus qui communicent tanta vini copia vix haberi posset. Lorichius, in magna frequentia communicantium Sacerdos scire non posset, quantum debeat vini consecrare, ne aut deficiat aliquibus, aut multum supersit. Deinde Vasa sunt. Eckius, In tanta multitudine, quo vase commode contineretur Sacramentum vini, & sine effusione promeretur? Hesselius, Necesse esset in parochiis, vbi mille vel plures sunt communicantes plurimum vini consecrare; & hoc vel in vno maximo calice, siue cantharo, vel in variis calicibus, & cantharis. Atqui Innocentius quartus in 3. Decretalium, titulo de celebratione missarum, c. *Exparte*, dicit non esse decens tantum sanguinem conficere, vt in monasterio Cistercienſium quilibet monachus aliquid meri sanguinis bibat. Et Gregorius primus ad Augustinum, siue potius Gregorius tertius ad Bonifacium, In missarum solennijs, inquit, illud obseruandum est, quod Dominus noster Iesus Christus sanctis suis tribuit discipliis. Accepit namque calicem & dedit eis. Vnde congruum non est, duos vel tres calices in altario ponere.

XX. Postremum incommodum à diuersitate Ecclesiarum. Hesselius, Ex communione vtriusque speciei admonet orituram dissensionem quandam, ac diuisionem regnorum & populorum: diuitum & pauperum, sanorum & morbidorum, circa Sacramentum vnitatis. Regna enim & populi apud quos non est vinum, aut non nisi difficulter, grandique pretio haberi potest, vt sunt Noruergi, Dani, aliique populi Septentrionales, aut non habebunt pro totius populi communione vinum, aut admodum difficulter: cum contra calidarum regionum populi facilime etiam diuersi generis vinum habeant. Nonne igitur hic statim apparebit diuersitas quædam Christianorum populorum circa Sacramentum pacis? Respondeo, Olim alij communicabant sub vna specie, alij sub vtraque: alij sub specie panis. Ecclesiæ autem conuenientius visum, atque æquius æquare etiam ceremoniam.

XXI. Ea

XXI. En tibi ſubtiles! en miras! en diuinas cautiones! Nouiſſimis his duobus ſeculis indagatas, animaduerſas: & quibus viris? Non illis de triuio ſumptis: ſed magnis, & è medio ſchola prodeuntibus; poſt longam, ac diuturnam tanquam in Parnaſſo ſomniationem: itaque veteribus illis, Patribus, inquam, Apoſtolis, Chriſto ipſi, longe, propter prima, credo, initia rudioribus, nnnquam viſas, ne per ſomnum quidem cogitatas. Nempe vt homo, ſic ὁ αἰών, γηράσκει αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Videlicet, Multa latuerant, quæ in apricum protulit ætas.

XXII. Nec enim, opinor, Papiſtis perſuaſum æternam fuiſſe ſapientiam, quæ fundauit Eccleſiam: inque Eccleſia fundanda dedit initium Sacramentis: ſed ſimilem Numæ, qui etſi magnifica dederit politiæ Romanæ initia, tamen plurima non vidit, quæ ſucceſſores in multa tempora, non potuerunt negligere. An potius, vt in Æſopi vita legimus, ἕνα ἄνθρωπον, non niſi vnum hominem fuiſſe in balneo, qui ad quem lapidem omnes alij offenderent, ſolus remouiſſet: ſic in Chriſtianitate dicendi ſoli homines Conſtantienſes illi, qui calicem tot offenſionum cauſam ſoli ſua autoritate remouerunt: reliqui omnes qui præceſſerant inter pecora computandi? Nam quid attinebat, tot tam vehementibus tractatibus, declamationibus, concionibus, diſputationibus, aut vnitatem perſonæ confirmare, aut integritatem ſuſcitati Chriſti aſſerere, aut irreuerentiam Sacramenti auerruncare, quando hæc omnia poterant vno conatu confici, ſola, inquam, interdictione calicis?

XXIII. An potius hoc verum denique, Sophiſtas illudere ſuo more, atque obiectis immanibus terricu'amentis ἀσήμαντον plebem exercere? Nos conſtantiores exploremus hoc quicquid eſt μορμολυκεῖον. Nempe hanc oportet ratiocinationem eſſe. Quicquid occaſionem aut præbuit, aut præbere poteſt hæreſibus, aut incommodis, id eſt in Eccleſia prohibendum: At communio calicis præbuit, aut præbere poteſt occaſionem hęreſibus, atque incommodis: Ergo communio calicis fuit prohibenda.

XXIV. Reſpondeo occaſionem mali præberi dupliciter; vel per ſe, vel per accidens. Per ſe, quoties ipſa rei natura in id inclinat; vt non poſſit, quandiu manet, non habere malos euentus. Ac de huiuſmodi rebus proculdubio maior eſt vera, cum alias, tum maxime in Eccleſia. Sic hæreſes extirpandæ ſunt, quæ à ſe damnationem inferunt; nec poſſunt non inferre. Paulus, 5. prioris ad Corinthios, iubet expurgari vetus fermentum; itidem excommunicari inceſtuoſum. Sic mille alia: neque enim obſcura res eſt.

XXV. Quæ occaſionem mali præbent per accidens, ea ſunt quæ pro variis circunſtantiis, & maxime pro vt vſus erit, ita bene maleve cedunt. Et hęc variorum ſunt ordinum. Nam quædam per ſe bona ſunt, quædam media. Per ſe bona, vt lex diuina: quæ cum ſit perfecta, ceſſit tamen in condemnationem. Euangelium cum ſit potentia Dei ad ſalutem: tamen eſt quibuſdam odor mortis ad mortem.

XXVI. Media ſunt, quæ per ſe ad morale bonum non referuntur, ſed tantum ad corporalem vtilitatem. Et hæc varie cenſenda. Quædam plus mali oggerunt, quam boni ſperare permittant: vt imagines in religione: etſi vel oculorum delectationem habeant coniunctam, vel hiſtoricum vſum? quæ bona dici poſſunt: tamen habent etiam periculum idololatriæ: quod malum tantum eſt, vt præ eo illa bona nihil ſint cenſenda. Alia vero contra plus boni pollicentur ex vſu ſuo, quam mali ex abuſu: vt in corporeis rebus vinum, etſi febribus incommodum, tamen ſanitati commodiſſimum. Rurſus alia remedij deſperationem faciunt, vt ędificia ruinoſa: alia ſpem habent emendationis, vt in domo tegulæ vitiatæ.

XXVII. His diſtinctionibus poſitis dico, res, à quibus occaſio eſt malorum, non omnes protinus exterminandas: ſed eas tantum, quæ per ſe ſunt mediæ. Nam quæ per ſe bonæ ſunt, nemo vnquam ſanus ea lege comprehendit. Quis Chriſtianus ferat Euangelium toto orbe interdici? Legem diuinam aboleri? Chriſtum ipſum, qui multis fuit εἰς πτῶσιν, Lucæ 2. nuſquam prædicari? Rurſus ne medias quidem omnes: ſed tantum in quibus mala præponderant; vel ſpes nulla remedij. Nam contra ſi bona plura ſint, & ipſorum malorum remedia certa: hæ profecto & tolerandæ ſunt, & retinendæ. Vinum cauſam non paucorum morborum, imo materiam ebrietatis, ſolo Turcæ ſuis regnis exterminatum voluerunt. Solem hunc luſciosis incommodum, quis negat vtiliter creatum? Maria ipſa infinitis naufragiis infamia, quis prohibuit nauigijs frequentari? In ipſis rebus Eccleſiaſticis, quis neget ab Epiſcopis infinita orta ſchiſmata, imo infinitas hæreſes? Atqui ne plurimorum quidem Antipaparum experimento factum, vt Papiſtæ de Papatu auferendo cogitare potuerint.

XXVIII. His in genere explicatis. Iam de Calicis communione quid ſumus dicturi? Viderint Papiſtæ. At Catholici rotunde negant in iis eſſe à quibus occaſio mali per ſe. Etenim hæc nulla eſſe poſſunt non mala. Mali autem aliquid inſtitutum à Domino noſtro, extrema blaſphemia eſt. Cuius abſit vt ſuſpectos velimus aduerſarios. Nam quanquam de nobis meriti ſint extrema quæque: tamen nos attendere oportet, quid modeſtiam noſtram deceat.

XXIX. Eſt igitur in ijs, à quibus malum non niſi per accidens. Et hoc negare quis poteſt, qui & in Apoſtolo legerit Corinthiorum abuſus: & in reliqua Eccleſiæ hiſtoria varias hæreſes? Sed eſtne in mediis, an in bonis per ſe? Nos Sacramentum non ponimus in mediis: ſed in altero genere. Diſtinguimus enim potum vini, qui manifeſte eſt in mediis, quandoquidem non niſi corporaliter vtilis: & Sacramentum; quod ipſo ſuo nomine ſacrum eſt, & ſanctum; ac proinde bonum. Quomodo ergo Chriſtus non deſinit eſſe bonus, & per ſe bonus: etſi ſit multis in ſignum cui contradicitur: ſic communionem calicis negamus deſinere eſſe per ſe bonam; etſi multis cedat in mali occaſionem. Magnum, potenſque argumentum. Nulla per ſe bona abolenda ſunt, propter ſuccedentes abuſus. At communio calicis Euchariſtici per ſe eſt bona. Ergo non abolenda, propter ſuccedentes abuſus.

XXX. Et tamen concedamus tantiſper de jure noſtro: non vt rei ſacramentariæ fiat vllum pręiudicium; ſed vt aduerſarijs gratificemus nonnihil vltra quam oportet. Eſto igitur Euchariſtia in rebus medijs. Proptereane inhibenda communio calicis? Cur non potius ipſum totum Sacramentum? Cur non, inquam, ipſa tota quanta, quanta eſt Euchariſtia in interdictum venit? Nam eius occaſione ortas hæreſes tredecim numerauit Alphonſus de Caſtro, qua veteres, qua recentes. Et hæc ipſa incommoda calicis, partim communia ſunt pani. Imo nulla propria calici, niſi quia pertinet ad Euchariſtiam. Cur non ergo quomodo olim totæ Agapæ ſunt prohibitæ, & non potus tantum ad quem proprie refertur illud Pauli, *Ille vero ebrius eſt*: Sic non ſola communio calicis, ſed tota celebratio Euchariſtiæ aboletur? An quia contra mandatum Chriſti? Recte: Nam neque in Baptiſmo mutatum quicquam, etſi eius occaſione natas duodecim hæreſes deſcripſerit Alphonſus. Sed meminerint Sophiſtæ nullum Chriſti mandatum eſſe diſertius de Euchariſtia, quam de ſpecie vini: & quæ per ſe media ſunt, accedente diuino mandato deſinere eſſe media.

XXXI. Veruntamen in quo tandem genere rerum mediarum conſtituendum eſt communionem calicis? Iiſne à quibus plus mali, quam boni? Iiſne quibus aduerſus mala nullũ remedium? Vtrumq; examinandum. Primum ergo negatur ab hac communione plus mali oriri quam boni. Quam partem egregie diſſimularunt aduerſarij, tam ſecuri, quã ſi nulla eſſet in rerum natura. Cum tamẽ ipſa ratio hoc dictet quotidie quibuslibet βαναύσοις. Nam ſi ruſticus ſimpliciter ſibi proponat incommoda agriculturæ, ſiue in labore multo, ſiue in meſſe ſterili, nunquam ille agrũ colat: ſed colit tamen: quia his incommodis maiora commoda opponit, ex meſſe. Sic & in religione, Paulus, poſt. ad Corinth. 4. fideles ſolatur eo quod, *Momentanea leuitas oppreſſionis noſtræ excellenter excellens æternum pondus gloriæ conficiat nobis*. Et 8. ad Romanos, *Statuo minime eſſe paria, quæ præſenti tempore perpetimur, futuræ gloriæ in nobis retegendæ.*

XXXII. Rurſus nego vllas dari hæreſes, vlla incommoda, quibus non ſint certa remedia: atque adeo enumerata capita, aut omnia, aut certe plurima eſſe imaginaria; & ab ijs cogitata, quibus ſuperſtitio mentes concuſſit: quomodo ſolent pectoribus iam timore plenis, etiam cardui videri totidem haſtatorum hoſtium capita. Exſequamur ſingula; oſtenſuri, aut eſſe fictitia pericula, aut non ſine remedio.

XXXIII. Primum periculum eſt ab hæreſibus. In quibus prima illa de duabus perſonis vere fuit horrenda Neſtorij blaſphemia: verum ortam à communione vtriuſq; ſpeciei, neq; dixerat vnquam quiſquam eorum, quibus notus Neſtorius: neq; habet quicquam veriſimilitudinis. Et vero alias cur tam ſero neglectum remedium? Cur à quinto ſeculo dilatum ad decimũ tertium? Scilicet curioſiores fuere Conſtantienſes Arrio extinguendo, cuius pręter nomen, vix habuere quicquam cognitum, quam Cyrillus Alexandrinus, aut tota Epheſina Synodus. Neq; vero communio Euchariſtica vnquã inſtituta, vt illam vnitatem perſonæ ſignificaret; ſed vt ſacrificium repręſentaret: cui intelligendo neceſſaria fuit caro ſeorſim, & ſanguis, propter effuſionem: qua ſeparatione ſublata, nihil eſt quo mors illa ſignificetur, indeque ſacrificium. Qua cauſa factum, vt vel Papiſtæ definierint vtramq; ſpeciem, & quidem ſeparatã eſſe de integritate, adde etiam, de neceſſitate Sacramenti. Nec vero neceſſe eſt omnia omnibus probari: aut omnia omnibus confutari. Et vero cum ſit articulus fidei, duas eſſe Chriſti naturas, æque ac eſſe vnam perſonam; quid cauſę eſt, cur delegerint hunc probandum per Euchariſtiæ communionem, potius quam illum? Nam certe, cum in pane nihil ſit quod vnam perſonam deſignet, præter ipſam vnitatem: æque binarius reſpondebit naturis. Quinetiam nihil eſt, quo magis debuerit in Euchariſtia demonſtrari vnica perſona; quam in Baptiſmo duæ naturæ. Cur non ergo dixit aliquis in Baptiſmo debuiſſe geminum ſignum propter Eutychen? Multa ſimiliter nugari poterit, qui volet Papiſtico exemplo vti.

XXXIV. De cadauere exſangui facetus luſus. Nam quis dixit vnquam Neſtorium docuiſſe in pane contineri corpus ſine ſanguine? Natum ſomniũ hoc demum ſeculo, cum ſibi permiſerint audaculi Sophiſtæ nihil non mentiri: tam ſtolidi, vt non aduerterint hanc prohibitionem poculi, non tantum non demonſtrare vnionem corporis & ſanguinis: ſed eo potius inclinare, vt ſanguinis Chriſti communionem doceat inutilem eſſe ad ſalutem: eodem argumento, quo dicebantur olim ſanguinis Chriſti non eſſe participes, qui calicem non ſumerent: & quo dixit Cyprianus, ſi aqua deſit calici, Chriſtum incipere eſſe ſine plebe: quia videlicet aquam poneret ſignificare plebem: quomodo concędunt omnes ſpeciem vini deſignare ſanguinem. Quomodo ergo concludebat ille; ſi aqua ſignificat plebem; Ergo deficiẽte aqua plebs nõ eſt vnita Chriſto: ſic aliquis ſomniator, ſi ſpecies vini ſignificet ſanguinẽ: Ergo in Sacramẽto ſi deſit ſpecies vini, nullus erat ſanguis Chriſti.

XXXV. Neceſſitatem vtriuſque ſpeciei, in numerum hæreſeon æquo jure Conſtantienſes primi retulerunt, atque Ariani τὸ ὁμοούσιον. Scilicet Papiſtis credendum, potius quam Arianis: cum æque vtrique præter Scripturas definierint. Miſerum genus humanum, tam obuium impoſturis, tam facile obnoxium tyrannidi ſpirituali. Enimvero quid ſi dicat quis, neceſſariam eſſe ad ſalutem, aut Euchariſtiam, aut Euchariſtiæ ſaltem illam ſpeciem panis, quod vos vtrumque negatis; quid eſtis acturi? Poſtulat rationis ſimilitudo, vt totam Euchariſtiam amandetis in Thomæ Mori rempublicam: niſi vobis ipſi non conſtetis, quod mendacibus vernaculum.

XXXVI. Magnum crimen, irreuerentia rerum tam ſanctarum. Sed quam vos irreuerentiam dicitis? Nam ego qnidem, itidem vt oppoſitam reuerentiam diſtinguo in propriam, & accidentariã, Illam in interno affectu: quia enim reuerentia virtus eſt, ac proinde irreuerentia vitium; non poteſt vtriq; propria ſedes non eſſe in voluntate; ad quam omnes pertinẽt habitus Ethici. Hanc vero in externis rebus affectui ſeruientibus; vnde etiam æſtimationem ſortiri neceſſum eſt: ſic flexus genuum reuerentia in Paulo ad Epheſios tertio, contra vero irreuerentia in militibus Matth. 27.

XXXVII. Eligite vtram dicatis irreuerentiam: Nam ego neutrius cauſa quicquam mutandum fuiſſe dico in Euchariſtia. Non enim propriæ: quia huius cauſa nulla in ſpeciebus: ſed in nequitia abutentium. Sic Paulus ſciebat non paucos indigne ſumere non tantum calicem, verum etiam panem, *quiſquis*, aiebat, *ederit panem hunc, aut biberit hoc poculum indigne*: Et tamen non Paulus tantum, ſed neque vllus omnino Catholicorum auſus dicere propter indigne ſumentęs quicquam mutandum in pane aut calice: multo minus aut vtrumque aut alterutrum abrogandum. Da non potuiſſe Paulum veſtras iſtas obſeruationum quiſquilias præuidiſſe: at profecto ille, ſiue acumine præuiderit, ſiue experientia nouerat hanc indignitatem, longe veſtris quiſquilijs grauiorem: nec minus habuit autoritatis quã veſtri illi Conſtantienſes Paterculi. Et illo non auſo mutare quicq̃ ob tam grauem cauſam; vos audebitis non tã mutare, quam abrogare ob quiſquilias? Tum aũt hoc genus irreuerentię cadit in ſolos infideles, in ſolos canes, & porcos. At vos calicẽ interdicitis fidelibus, & filiis. Quid indignius?

XXXVIII. Sed

XXXVIII. Sed vos video in accidentariam irreuerentiam potius bilem vestram exonerare. Nam certe effusio, vomitus, & similia, non sunt voluntatis effectus, sed externi actus: & quidem, vobis testibus, seiuncti à voluntate. Neque enim eos accusatis qui destinato effuderint, sed fortuito aliquo casu, non qui vomitu sponte elicito, sed infirmitate corpusculi excitato, eiicit, quod iniecerat. Atqui hæc non sopistice est, sed amentia. Etenim hæc nulla irreuerentia est. Quia videlicet quicquid hoc est exterarum rerum, ex affectu metiendum est. Atqui in huiusmodi casibus nullus effectus; Imo oppositus affectus potius. Nam qui ex infirmitate corpusculi vomit, huic ingratum est, quod vomat: itaque tum accessit ad communionem, tum hoc ipso dolore testatur suam in res sanctas reuerẽtiam. Cum ergo, qui casu occidit hominem, ne Deo quidem iudice, censetur homicida, quia voluntatem nullam habuerit occidendi: multo magis cui animus est reuerenter sumendi sanguinis, si repente lapsus corruat, aut stomacho æger vomat, non potest à non iniquis judicibus damnari irreuerentia.

XXXIX. Itaque & vos, vobis de more non constantes, contra alias judicatis. Primo, in specie panis; quam prohibuistis nunquam: etsi sciatis aut iisdem, aut similibus incommodis obnoxium: potest enim in terram cadere, æque ac vinum: potest corrumpi, atque inde nauseam mouere: potest euomi: non enim vinum solum ægrotis vomitum ciet; verum etiam solidus cibus: itaque hic etiam apud vos cautelæ quædam. Secundo, non sunt hi casus tam proprij laicis, vt non pertingant ad Sacerdotes: alioquin quorsum Canon ille, *Si per negligentiam*, distinctione 2. de consecratione? Et tamen nondum vobis in mentem venit Sacerdotibus prohibere calicem. Cur tam varie?

XL. Nam quod regeritis, & in pane leuius damnum esse, quia possit colligi: & in Sacerdotibus minus frequens periculum, quam in plebis multitudine: id vero æque ineptum est. Nam quod panis colligi possit, damnum quidem minuit, sed reuerentiam non auget. At vos irreuerentiam causamini; non damnum. In Sacerdotibus agnosco minus sæpe effusionem accidere, sed tamen accidere posse, non negatis. Esto sane; raro accidat. Hesselius hæc scripta reliquit, *Demus in triennio* (cur non etiam quadriennio, quinquennio, decennio) *semel tantum cantharum alicubi euerti: nonne grande est sacrilegium commissum, ac proinde iustus, atque inexplicabilis fidelium gemitus?* Quare siue crebro fiat, siue raro, tamen eadem ratio est, nisi mentitus sit Hesselius.

XLI. Rursus nego in hac accidentaria irreuerentia tantum incommodum esse, quantum in prohibita communione calicis: quod caput cur consideratione sua indignum habuerint Sophistæ non facile dixerim. Primum igitur; incommodum perpetuum longe maius est incommodo raro. At interdictum calicis, & perpetuum est, quod patet ipso vsu: & incommodum: nisi forte nullum commodum fuerit in institutione: & frustra Christus aliquid egisse dicatur.

XLII. Deinde, quia in signo desinat effusio, at priuatio transeat in rem significatam. In signo illa; quia sanguini ipsi diuino nullum esse periculum potest; cum non possit amplius separari à suo corpore: vnde & illud prius commemoratum, quod non possit æque colligi ac panis; man feste ad speciem pertinere conuincitur; quasi cum in taberna vinum effunditur, non sine compotantium dispendio: Tum autem ratio Sacramenti non potest ad effusionem proferri, quandoquidem nulla sit omnino pars institutionis: sed potius contra institutionem. At prohibitio potus non subsistit intra speciei limites: quandoquidem hæc pars sit institutionis certissima; nempe vt repræsentetur sanguis: vnde necesse est, prohibito calice prohiberi repræsentationem sanguinis: & eatenus etiam communionem.

XLIII. Secundum incommodum erat conseruationis. Atqui hæc primum est præter rationem Sacramenti, vt antea disputatum. Deinde pertinet duntaxat ad speciem: nam credo ipsum sanguinem non acescere, non putrescere: itaque longe minus commodo interdictionis. Deinde etiam facili remedio curandum: cum & possit etiam exigua quantitate seruari vinum etiam in plurimum tempus, si curiositas adsit: nec necesse sit in longum tempus consecratum seruari: nisi si nolint Papistæ, quotidiè consecrari. Durum, inquit Hesselius, quotidie renouari. Cur, inquam, durius quam quotidie consecrari? Non præceptum Patribus. Forte, inquam: sed nec præceptum conseruari in longum tempus. Denique commune incommodum pani. Nam hunc mucescere, corrumpique quis nescit?

XLIV. Tertium incommodum in vini quantitate. De penuria diximus alias: nempe & communem esse cum pane; qui æque non sit promiscuus omnibus regionibus: & facili remedio sarciendam; cum possit quocunque terrarum transportari vinum, æque cum pane: & re ipsa transferatur, vt in Septentrione sufficiat etiam largissimis compotationibus. Sed, inquit Hesselius, hę compotationes non vulgi sunt, quod vtatur potius ceruisia. Imo etiam vulgi: quod experientia testatur, in tabernis diem totum, imo & noctem versantis. Deinde cur non meminit, in Scotia plebem auena victitare; ex qua non liceat consecrandum panem fieri? Denique cur nos vbique vini satis habemus, Papistæ non habeant? Nam ad Septentrionem & multæ sunt, & populosissimæ Ecclesiæ, in Anglia, in Scotia, in Dania, vbi nullæ sunt vites.

XLV. Sed non poterit Sacerdos scire quantum sibi sit consecrandum vini. Cur non? inquam? aut cur potius quantum panis? Nam vtrique æqualis multitudo. Et tamen ille tot consecrare iubetur hostias, quot sufficere possint communicaturis: imo ægrotantium insuper ratio habenda. Cur periculosius vinum, quam panem, aut deficere, aut excedere? Aut si pani aliquod remedium, cur non vino? Denique quis iussit maius periculum esse vini aut deficientis, aut excedentis, quam omnino prohibiti?

XLVI. Vide nugacitatem: etiam vasorum oportuit meminisse. Quo incommodo? Quia vel vnum magnum erit, vel plura. Esto sane, inquam. Quid tum? Nam in historia Ecclesiæ vtraque legimus: & magna, inquam, & multa. In Syluestro Platina recitat à Constantino donatum Ecclesiæ in hortis Equitij patenam argenteam librarum viginti; scyphos duos viginti librarum, calicem aureum duarum librarum. Et basilicæ Petri in Vaticano, Calices aureos tres librarum duodecim; argenteos viginti, librarum singulos decem. Basilicæ Sessorianæ argenteos scyphos quatuor, calices aureos decem, patenam argenteam auro clusam librarum quinquaginta. Basilicæ Sanctæ Agnetis, patenam auream librarum viginti, calicem aureum librarum decem, argenteos quinque. Lipsius Epistola 27. centuriæ 3. ex historia quadam recitat templi Moguntiaci opes: & inter eas tres calices: *Vno calice aureo solus Pontifex, vel Prælatus Ecclesiæ in summis festiuitatibus vtebatur: alij duo tantæ erant quantitatis, quod cum ipsis diuina mysteria nequaquam poterant celebrari: erat enim vnus maior altero: minor habebat cum patena marcas auri electissimi octodecim: Calix maior quot marcas habuerit nescio: certum autem est, quod spissitudo eius erat digiti: habebat duas ansas, quæ manus poterant implere leuantis: habebat altitudinem vnius vlnæ, & capere poterat dimidium sextarii vini: nec ab homine poterat leuari ex terra.* Eckius homilia 33. de Sacramentis, in argumentum communionis promiscuæ magnitudinem calicum notat, & argenteos canales. Plotanus, *Calices ministeriales, sic proculdubio dictos, quod ad Christi sanguinem populo ministrandum deseruiebant.* Habes magnos, habes multos calices. Quid ad nos Innocentius quartus? Quid Gregorius ille tertius? Vtilius, & laudibilius tacuissent, quam suas nugas prudentibus ridendas propinassent. Non dedit Christus nisi vnum poculum. Quid ergo? deditne singulis singulos panes, an vinus potius framenta? Quid vos ergo multiplicatis panes, potius quam pocula? Sed noluitne itidem Christus tantum vini consecrari, quantum sufficeret suis discipulis: quomodo Innocentius ille, quantum sufficeret omnibus Cisterciensibus? Et non Christi autoritatem Papæ dicis causa nominent?

XLVII. Supereſt disparitas Ecclesiarum. Alibi vtraque species; non alibi. Primo, cur ita? Nam apud nos, qui restituimus vtramque, nulla talis disparitas: nulla inde dissensio; non regnorum & populorum: non diuitum, & pauperum: non sanorum, & morbidorum. Quin potius hoc vere mirum, cum non desint alia capita, tum doctrinæ controuersa, tum disciplinæ diuersa: tamen in istud conspirasse vno consensu omnes, qui Romanas superstitiones eiurarint: vt vere pudendum sit in tanta experientiæ luce, tam manifeste pudorem excussisse sophistas.

XLVIII. Deinde vt disparitas esset, tamen ad inhibitionem nihil firmi esset, nisi sibi rursus non constent Papistæ. Volunt enim hanc partem non esse essentialem Eucharistiæ: non esse necessariæ obseruationis. Atqui in huiusmodi rebus quis ignorat diuersas obseruationes non conuellere vnitatem Ecclesiarum? Docuit Augustinus epistola 118. *Totum hoc genus*, aiebat, *liberas habet obseruationes*. Et vero cum habeant pro certo Papistæ, seculis amplius duodecim, hanc diuersitatem in vsu fuisse; possuntne ostendere vlla inde nata schismata?

XLIX. Denique si diuersitatis aliquod pondus sit: non video ego quidem cur sit magis cauendum, ne dissimiles simus alij aliis eodem tempore viuentibus: quam ne discedamus à perpetua Ecclesiæ priscæ consuetudine.

Nam profecto non sumus nos in eo capite magis dissimiles Papistis, quam Papistæ Patribus antiquis. Nec persuasurus quisquam nobis est, magis nos peccare discedentes à Papistis, quam Papistas à Paulo.

FINIS LIBRI NONI.

LIBER

LIBER DECIMVS.

De EVCHARISTIA.

Caput Primum.

DE CAPITIBVS CONTROVERSIÆ CIRCA REM SACRAM.

AGTENVS controuersiarum decurrimus Eucharisticarum partem primam, quæ quicquid externum est, complectebatur, id est, materiam tum remotam panis & vini, tum propinquam in edendo & bibendo. Restat altera animosissima, prolixissima, intricatissima: sed & nobilissima, vix enim aliam obseruies magis obuiam, aut sæpius disputatam. Et pertinet ad rem Eucharistiæ, id est, corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, in qua re procul dubio totus Sacramenti fructus est.

II. Agitur autem de interpretatione sacrorum verborum, in quibus est Sacramenti forma, *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus.* Nam etsi in calice aliquanta variatio est, dum Matthæus & Marcus scribunt, *Hoc est sanguis meus Noui illius Testamenti:* At Lucas & Paulus, *Hoc poculum est Nouum illud Testamentum in sanguine meo:* tamen cum necessarius Scripturæ consensus; tum partium analogia: denique Veterum interpretatio cogit, vt etiam de calice intelligatur. *Hoc est sanguis meus:* itidem vt de pane, *Hoc est corpus meum.* Neque ad hanc rem quod attinet, vlla dissensio est inter Catholicos & Papistas. Itaque etsi breuitatis causa plerunque de priore parte acturi sumus, tamen ἀναλόγως ad alteram extendenda disputatio erit.

III. Sed diligentius quum inquiritur, quo modo intelligendum illud, *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus:* & quis sit huius corporis, huiusque sanguinis vsus; tum vero multa altercatio est. Cum enim ratio gemina sit interpretandi, vel κατὰ τὸ ῥητὸν & ad literam, vel μυστικῶς, & κατὰ τρόπος, id est, figurate; Catholici posteriorem tenuerunt: Papistæ in priorem delati sunt Breuiter ita summa continetur disputationis, sed quia tanta calumniarum vtrinque querela est, quanta alias nusquam, propter animorum vehementiam, omnino necesse erit in explicandis tum sententiis, tum sententiarum capitibus diligentiam maximam adhibere, vt tam perplexæ controuersiæ materia & certo, & dilucide constituatur.

IV. Catholici suam sententiam expresserunt Gallicæ Confessionis artic. 37. in hæc verba, *Affirmamus sanctam Cœnam Domini, alterum videlicet Sacramentum, esse nobis testimonium nostræ cum Domino nostro Iesu Christo vnitionis, quoniam non est duntaxat mortuus semel, & excitatus à mortuis pro nobis, sed etiam vere nos pascit & nutrit carne sua & sanguine, vt vnum cum ipso facti vitam cum ipso communem habeamus. Quamuis enim nunc sit in cœlo, ibidem et iam mansurus, donec veniat mundum iudicaturus, sed dicimus tamen eum arcana & incomprehensibili Spiritus sui virtute nos nutrire, & viuificare sui corporis, & sanguinis substantia per fidem apprehensa. Dicimus autem hoc spiritualiter fieri, non vt efficacia & veritatis loco imaginationem aut cogitationem supponamus: sed potius, quoniam hoc mysterium nostræ cum Christo coalitionis tam sublime est, vt omnes nostros sensus, totumque adeo ordinem naturæ superet, denique quoniam cum sit diuinum ac cœleste, non nisi fide percipi & apprehendi potest.*

V. At Papistæ; tum olim in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, anno millesimo ducentesimo decimo quinto, sic definierunt c. 1. *Christi corpus & sanguis in Sacramento altaris sub specieb. panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina, vt ad perficiendum mysterium vnitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro.* Tum autem recentius in Tridentinæ sessionis 13. c. 1. *Docet sancta Synodus, & aperte ac simpliciter profitetur in almo sancta Eucharistia Sacramento post panis & vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum, atque hominem, vere, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Et capite quarto, *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius: Qua conuersio conuenienter & proprie à sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.*

VI. Vnde conceptianathematismi, canone 1. & 2. *Si quis negauerit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri, vere, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, vna cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit. Si quis dixerit in sacrosancta Eucharistia Sacramento remanere substantiam panis & vini, vna cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritque mirabilem illam & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat, anathema sit.*

VII. Hæc vtrinque solennis, & publica professio est; vnde apparet primum in confesso esse dari in Eucharistiæ Sacramento Christum ipsum integrum; vt ei arctissime fideles vniantur, adeoque incorporentur: atque in eam rem proponi per panem & vinum corpus eius ac sanguinem, vt vtrique communicantes alantur edendo & potando. Nam quid ad me, quod nemo nulli calumnientur aliter à nobis dici, aliter sentiri? An quia nos oportet magis moueri iis calumniis, quam nostro sensu? Quanquam idipsum vnde sit, aut quid sit alias sumus obseruaturi.

VII. Sed hoc ita posito, cum inquiritur, donati, acceptique corporis ratio & modus; Papistæ præsentiam dicunt, nomine apud nos quidem non vsitato, quum neque ex Scripturis sit, neque ex purioris Ecclesiæ consuetudine: Et periculoso; vt constat ex tam vehementibus controuersiis, infinitisque Sophistarum curiositatibus, quibus ab eo nomine fuit occasio. Nomine tamen per se non malo, ac proinde ne à nobis quidem simpliciter damnato, qui scimus non semper eodem sensu præsentiam nominari. Quare si possit etiam intelligi pro coniunctione rei, & signorum, qualem postulat sacramentalis natura; & quam nos magnam atque efficacissimam agnoscimus; nobis profecto non nolentibus, præsentia etiam dicatur: & vero in hac nostra disputatione futurum prædicimus, vt non raro sic nominetur: sic vt nullum tamen præiudicium sit Catholicæ veritati.

IX. Hæc præsentia duobus capitibus comprehenditur apud Papistas. Vnum appellant Realitatem, alterum Transubstantiationem. Illam quæ præsentiam hanc Christi definiat secundum se: istam, relate ad signa. Etenim Realitas est, vbicunque is sese præsentem exhibeat in sui corporis substantia, vt olim in vtero Virginis, in naui cum discipulis, in cruce, in sepulcro, in cubiculo, in cœlis: nam iis omnibus locis præsentem fuisse Christum, vere, realiter, essentialiter nec illi negant, & verum est. At Transubstantiatio, non nisi in Eucharistia ponitur; vnde Concilium Tridentinum appellauit non tantum mirabilem, sed etiam singularem: id est, vt ego quidem interpretor, cuius aliud exemplum nullum dari queat. Itaque illa Realitas latius patet, hæc vero Transubstantiatio peculiaris est huic mysterio. Rursus Transubstantiatione posita, Realitatem poni necesse est; non contra: Item realitate sublata, Transubstantiationem tolli, non contra, quod agnouit Hayus, capite vicesimo octauo secundi disputationum. Sed est Realitatis appendix; manducatio; quam itidem veram dicunt, & realem, & essentialem.

X. Ab his Realitatis, & Transubstantiationis capitibus, in tres partes hodie Christianitatis orbis distractus est. Nam Papistæ & Realitatem ponunt, & Transubstantiationem. Lutherani vero duntaxat Realitatem, explosa Transubstantiatione. Nos deniq; neq; Transubstantiationem probamus, neque Relationem admittimus, nisi commoda interpretatione mollitam: nam alioqui vocabulum ipsum agnoscimus posse non malo sensu vsurpari. Sed id suo loco curæ futurum est.

XI. Factum est tamen, vt tum nostris plurimis, sed & non paucis Papistis vno fuerit titulo vniuersa disputatio comprehensa, de Realitate, siue reali præsentia, sine veritate corporis & sanguinis Christi in Sacramento, non tantum quod ista euersa superfluum sit de altera dicere, quæ nostris potuit esse causa legitima, sed etiam quia realitatis Transubstantiatio sit appendix. Nihilominus Papistis quamplurimis magis placuit etiam titulos disparare, nec tantum necessario propter Lutheranos, sed etiam vtiliter instituto Scholastico, propter infinitas inquisitionum subtilitates, quibus hominum hoc genus cum primis pascitur industria, quæ nihil horrens magis quam circunscriptos Scripturæ limites, libero campo mauult spatiari; & scrupulis vndique excitatis immanem pruritum sollicitare, vt vix vnquam nugandi finis futurus sit vnde factum, vt quæ olim materia soleret paucis capitibus contineri, tandem in immensam nouarum quæstionum molem creuerit, qua nihil importunius, intricatius, obscurius fuerit in vniuersam Theologiam inuectum.

CAP. II.

Quid sit corpus Christi in Eucharistia.

I. HVius enuntiationis, *Hoc est corpus meum*, tres solemus partes distinguere: Subiectum, *Hoc*: prædicatum, *corpus meum*: Copulam *est*. Cum autem tota controuersia huc redeat, vtrum enunciatio propria sit, an figurata, & propria illa sit, cuius omnes partes ad literam sint accipiendæ: Figurata autem non tantum ex omnibus, quod fit in allegoricis; in quibus perpetua figura est, vt cum remissio peccatorum, appellatur *ablutio sordium*: & prioris ad Corinthios 5. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua massa*: legitur pro excommunicatione incestuosi: atque alias, verum etiam ex aliquibus duntaxat, vt Herodes est vulpes, Lucæ 13. & infideles sunt canes & porci, Matth. 7.

II. Cum, inquam, hæc ita sint, Papistæ, delegerunt eas partes, vt dicant cum Sanctesio statim initio repetit. 1. *Ecclesia Catholica per vniuersum orbem diffusa hactenus credidit & asseruit sensum institutionis de Eucharistia, quem literæ gignit, mordicus retinendum esse:* Papistæ, inquam tenentur docere omnes eius enuntiationis partes esse proprio & literali sensu interpretandas: Nobis autem, qui contra figuratum esse sermonem contendimus,

dimus, satis fuerit vel vnam ex iis partibus docere abducendam à literali sensu ad tropicum.

III. Et vero vtrem totam semel breuiter proponam, sumus nos quidem in ea sententia, vt hanc, de qua contentio, existimemus figuratam, non allegorice ex omnibus partibus, sed ex vna duntaxat. Et hanc specialiter designemus videlicet copulam. Nam tum subiectum, tum attributum existimamus longe certius & commodius ad literam exponendum. Sed hæc breuitas immensam rerum molem secum ducit, itaque multo prolixius explicanda, facto principio à prædicato; cuius etsi negotium non sit fortasse facilius, tamen reliquis partibus lucem commodaturum est.

IV Quæritur ergo quid sit *corpus meum, sanguis meus.* Nos candide, & libere, ac libenter respondemus κατὰ τὸ ῥητὸν, interpretandum cum Hesychio in Leuitici 22. *Sancta sanctorum sunt proprie Christi mysteria, quia ipsius est corpus, de quo Gabriel ad Virginem dicebat, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideo quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Est igitur corpus illud, id est, solida substantia humanæ naturæ, quam assumptam in vtero Virginis circuntulit in hypostasi sua verbum: quam cruci affixam, & in sepulcro depositam suscitauit à mortuis, de qua suscitata dictum Lucæ 24. *Videte manus meas, & pedes meos, contrectate me, & videte: nam Spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere:* quam denique transtulit in cœlos, indereddendam terris postremo aduentu. Denique quicquid dici potest ad describendum, circunscribendumque suis veris proprietatibus illud ipsum indiuiduum.

V. Id probatur ex eo, quod à Christo dictum sit, non *Hoc est corpus:* sed determinatum addito pronomine; vt esset, *Hoc est corpus meum.* Et Paulo dixerit, *Calix est communicatio sanguinis Christi: Panis est communicatio corporis Christi* Etenim omnino Christi corpus non nisi dupliciter nominatum est, vel proprium illud à nobis designatum: vel mysticum, quod est Ecclesia. Non potest autem hoc intelligi, non tantum quia Ecclesia cum nominatur corpus Christi, tum nunquam distinguatur ab eius sanguine: sed etiam, quia hæc Ecclesia nunquam aut tradita est, aut fracta pro nobis, siue multis, cum tamen apud Lucam legamus, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Et apud Paulum, *Quod pro vobis frangitur.* Quemadmodum de sanguine, *Qui pro vobis, vel pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

VI. Ridemus Scholasticorum diligentiam, inquirentium, imo disputantium, vtrum hæc verba à Sacerdotibus pronuntientur, significatiue, an potius recitatiue, indeque euntium in varias sententias. Nam alij tantum significatiue; alij tantum recitatiue dixerunt; alij vtrumque, nec recentiores Sophistæ sua persona iudicarunt indignum laborem, in quo se exercerent. Qua certe scrupulositate caruerunt omnes Veteres, quibus & simplicior Theologia fuit; & fides constantior, pietasque ardentior. Sed ita vt fuit ingenium Papisticum, vt nunquam sibi satisfactum putaret nisi Theologiæ corpus augeret nouis in dies commentis. Sed hæc quæstio recurret in explicando subiecto enunciationis. Interea nobis satis est non aliter aut prolata à quoquam, post Christum, aut etiam posse proferri, quam recitatiue, siue, vt loquuntur Rhetores, per prosopopœiam, quæ determinatio est Thomæ, art 5. q. 78 part. 3.

VII. Sed ad rem. Sic solent in sacramentalibus enunciationibus esse prædicata. Apud Paulum, *Petra erat Christus:* non alium Christum designat, quam hunc eundem, quem nouimus Seruatorem nostrum. Augustin. apud Bedã, in eum locũ, *Ibi petra Christus est nobis Christus est, quod in altari Dei ponitur.* Guillaudus, *Petra erat Christus, id est, Christũ significabat postea nasciturum, de cuius percusso latere exiuit sanguis & aqua.* Salmero, *Quia signum fuit Christi in latere lanceæ percutiendi, ex quo postea percusso exiuit sanguis & aqua.* Simili prorsus ratione Genes. 41. *Septem Vaccæ:* illæ videlicet quæ Pharaoni apparuerant in somnis, *Septem anni sunt,* illi scilicet paulo post futuri, qua summæ fertilitatis, qua extremæ sterelitatis.

VIII. Non potest non admitti confessio istæc à Papistis, tam importune vrgentibus veritatem, realitatemque corporis & sanguinis. Sed & Lucas Brugensis annotauit τὸ σῶμά μου, *ipsum corpus meum: Hoc non iam panis est secundum substantiam,* (Papistice hoc quidem, vtrum pertinens ad aliam controuersiam nunc bene) *sed verum & viuum corpus meum, illud ipsum quod cernitis mensæ vobiscum accumbere. Sic vrgendus est articulus τὸ, quem omnes Euangelistæ, & Paulus quoque non frustra addunt.* Maldonatus seuerius, *In corpore qui nullam non videt esse figuram, haud scio, an vllos mentis oculos habeat. Si enim in corpore figura est, non accipitur pro vero corpore Christi. At pro vero corpore Christi accipi ex adiunctis manifestum est.* Bellarminus c. 10. primi de Eucharistia refutat tum eos qui dicunt corpus mysticum, tum qui dicunt signum corporis, vt omnino nihil supersit, quam corpus verum. Quare hac quidem parte consensus esto.

IX. Tantum obseruemus alucinationem, vt dicam mollissime, aduersariorum. Vnam Lucæ Brugensis; qui, *Caluinus* inquit, *in hoc prædicato figuram statuit, & quidem metonymiam, non verum corpus, sed symbolum, siue signum corporis intelligens, docensque locutionem esse sacramentalem, qua externum signum dicitur id esse quod figurat; panis, inquam, figura corporis Christi, dicitur esse corpus Christi.* Consentit Bellarminus c. 8. primi de Eucharistia, & indicat 21. §. 17. quartæ Institutionis.

X. Sed Caluini mentem aut neuter est assequutus, aut vterque corrupit. Nam si corpus nõ esset interpretatus proprie; qua fronte in liturgia scripsisset, Christum *velle vere nobiscum carnem & sanguinem suum communicare, vt eum totum atque integrum possideamus?* Iterum, *Tum animi nostri substantia eius ali ac nutriri poterunt; quum supra terrena omnia erecti, ad cœlos vsque pertingent.* Et in Institutione eiusdem c. §. 1. *Habemus in quem finem spectet mystica hæc benedictio, nempe quo nobis confirmet, corpus Domini sic pro nobis semel esse immolatum, vt nunc eo vescamur; ac vescendo vnici illius sacrificij efficaciam in nobis sentiamus, sanguinem eius sic pro nobis semel fusum, vt sit nobis perpetuus potus. Atque ita sonant verba promissionis illis additæ, Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Corpus ergo quod oblatum est semel in salutem nostram, iubemur accipere, & comedere, vt dum huius fieri nos videmus participes, viuificæ illius mortis virtutem certo statuamus in nobis efficacem fore.* Mitto alia eiusdem communionis testimonia, de qua paulo post erunt plura dicenda.

XI. Quem autem paragraphum Bellarminus indicauit; in eo profecto nihil tale potuit obseruare. Illic enim Caluinus aperte disputat totam enunciationem, *Hoc est corpus meum,* esse tropicam, nec posse aliter esse. Verba recito, *Restat igitur, vt propter affinitatem, quam habent cum suis symbolis ressignata, nomen ipsum rei fateamur attributum fuisse symbolo, figurate id quidẽ, sed non sine aptissima analogia. Allegorias & parabolas omitto, ne quis subterfugia me quærere, & extra causam egredi causetur. Dico metonymicum esse hunc sermonem, qui vsitatus est passim in Scriptura, vbi de mysteriis agitur.* Vera sententia; hanc enunciationem Christi, esse tropicam, esse metonymicam: quod & nos paulo ante diximus, sed qui inde concludat metonymiam constitui in verbis istis, *Corpus meum,* hunc necesse est disputare, nullum sermonem esse posse tropicum, nisi ex omnibus eius particulis tropicis, quod contra veritas habet, & in hoc ipso enunciato aperte refutatur; cũ non ignorent Sophistę Caluinum interpretari, *hoc,* hunc panem & neq; panẽ metonymice, neq; omnino tropice, sed vt verbis vtar Papisticis, vere, realiter, substantialiter, atq; adeo, si velint, etiam præsentialiter panem esse, & manere. Nulla autẽ dialectice efficit, magis necessariam hanc consequentiam, Hæc enuntiatio est metonymica; Ergo corporis nomen est metonymicum, quam istam; Ergo, *hoc,* id est, panis, est metonimycus.

XII. Porro magni magistri magnus discipulus Beza parte 2. Quæstionum & Responsionum; num. 204. cum distinxisset itidem vt nos, subiectum, attributum, copulam, tum 206. *Quod nam est autem attributum? Corpus illud ipsum Christi traditum, & sanguis effusus pro nobis. Idcirco enim additæ sunt illæ determinationes, quod traditur, & qui effunditur.* Hellopœus c. 6. part. 3. *Sequitur vt de prædicato dicamus Est vero corpus Christi, & sanguis eius.* Paulo post, *Quæritur autem quodnam & quale hoc sit corpus Christi.* Paulo post, *Respondemus ergo illud ipsum corpus hic intelligi quod ex virgine assumpsit, ex Spiritu sancto conceptum, quod treuit, quod in ara crucis obtulit, in quo resurrexit, & quod supra omnes cœlos euexit, finitum videlicet, & περίγραπτον, non infinitum, neq; diffusum per omnia cum diuinitate, neque ipsam diuinitatem, multo minus phantasticum quippiam veritate corporis destitutum εἴδωλον.* Mitto alia multa his similia testimonia.

XIII. Sed de Brugensis, Bellarminiq; calumnia disserte Beza in illis Quæstionibus n. 209. *Num igitur tropum statuis in attributo? Scio quosdam nobis id tribuere, idque non vno calumniæ genere. Nam alij nos accusant, quasi per Christi corpus hi intelligamus Ecclesiam. Quasi vero sic insaniamus, vt illa verba, Quod pro vobis traditur, non animaduertamus de mystico corpore dici non posse, aut quasi in altero membro sanguis aliquis mysticus dici possit. Alij vero quoniam corpus interpretamus Sacramentum siue signum corporis, statim concludunt, vel bicorporem à nobis Christum statui, vel imaginarium nescio quod corpus à nobis Christo tribui, quorum neutrum, Christo sit gratia, à nobis admittitur. Tantum enim absumus ab eo, vt dicamus aliud, quam verum illud & vnicum Christi corpus traditum pro nobis, de illo pane dici, vt contra contendimus totum Christum Deum & hominem illic ab altera natura, corporea videlicet, denominari.* Hæc ille.

XIV. Itaque ridiculus Suares à Sancta Maria; qui in octauæ corporis Christi sermone 4. hanc interpretationem mihi autori velut propriam, priuatamque imputat, seorsim numerandam inter variegatas, sic enim appellat, & multicolores explicationes horum verborum, *Habeo,* inquit, *penes me Chirographum Chamieri ministri Delphinatus, & hæreticorum prouinciæ illius idoli manu signatum. In eo autem chirographo leget quilibet verba Christi ita debere intelligi, Hic panis est corpus meum, accipique de pane vero & substantiali, deque vera & substantiali corpore Christi.* Magnum scilicet, mihi periculum, ne augeam hæresiarcharum nomen accusante Suare! An potius verissimum, stupendos istos ad populum declamatores, nescire, quod doceant, quid scribant, quid dicant ij, aduersus quos animosius declamitare solent, quam solidius disputare? Sed enim addidit, *Cum obnixe rogaret aliquis, vtrum intelligeret, corpus Dominicum illic cum pane esse, sicuti Lutherus credit, nihil aliud respondebat, nisi nullam aliam Christi verba pati interpretationem.* Mene vero sic interrogatum, sic respondisse? Prostitutum mendacium. Atqui nemo interrogauit vnquam. Non ipse, qui non tulit conspectum meum, à suo inhibitus Episcopo Gratianopolitano. Non alius quisquam, cum ei soli theses fuerint statim communicatæ. Et vero, quid opus erat interrogare; cum & spes esset futuræ disputationis, & theses ipsæ (nam theses erant) concluderent figuratam esse enuntiationem? Quod, puto, Lutherus non credidit. Sed in hoc nomine non plus pudoris in mentiendo, quam iudicij in scribendo.

CAPVT III.

Quid sit, HOC, *in Eucharistia.*

I. VEnio ad subiectum, id est, vocalem τοῦτο, *Hoc,* in qua Papistarum mirus labor, mira hæsitatio. Tantus, inquam, labor, tanta hæsitatio, vt nusquam maior, adeo vt vix singuli sibi ipsis, nedum alij aliis satisfacere potuerint; adeo refutant mutuo.

II. Nos facile dicimus hîc obtinere, vt alias, relationis naturam. Est enim ita; vt pronomina ipsa pro seipsis non sint, sed pro aliis nominibus, siue expressis, siue subintellectis. Hoc igitur loco, referre nomen aliquod expressum in textu, & quidem præcedente: nam interdum satis est nomen postea exprimi. Expressum autem prius esse panem, cum dictum Euangelistis omnibus, à Christo panem acceptum. De hoc igitur pane postea intelligendum τοῦτο: vt si sit resoluendum, (quod fieri solet explicationis gratia) significet, Hic panis est corpus meum. Sic Ioan. 1. Καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν, *Et Deus erat Verbum, Hoc erat in principio apud Deum.* Quid hoc? Brugensis, *Verbum quod erat Deus.* Et Beza, qui sermonem vertit, etiam repetiuit, *Hic sermo.* Primæ ad Timoth. 2. *Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro.* Iustinianus, *Hoc, quod paulo ante præcepit Apostolus, vt pro omnibus, præcipueque pro regibus, ac magistratibus Deo fundãtur preces.*

III. Vnde non pauci substantiuatum dixerunt, vt mos est loqui apud Grammaticos: vt, *hoc,* sit hæc res; vt alias non raro. Matth. 1. τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, *Hoc autem totum factum est;* nempe salutatio Angelica. Ioannis 6. τοῦτο ὑμᾶς σκανδαλίζει; *Hoc vos scandalizat?* Septimo, τοῦτο δὲ εἶπε, *Hoc autem dixit de Spiritu quem acceperuri erant.* Lucæ 16. πρὸς τοῦτο οὐκέτι σε

Quia

Quid hoc audio dete? Actor. 2. *τοῦτο ἐστὶ τὸ εἰρημένον, Hoc est, quod dictum est.* Et 91. *τοῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ δύο ἔτη, Hoc autem factum est per biennium.* Istoc igitur modo nunc exponunt quidam. Bucanus in Locis Communibus loco 48. artic. 43. *Quod est subiectum prioris membri? Pronomen demonstratiuum Hoc, non actiue, sed substantiue sumptum.* Paræus de litera & sententia Verborum Domini lib. 3. c. 5. *Hoc refertur ad panem substantiue: hoc, id est, iste panis est corpus meum.*

IV. Idem iudicium de altera parte: vt sit, *Hoc est sanguis meus:* vnde Lucæ ac Paulo, *Hoc poculum.* Vbi est quidem continens prio continente? sed hoc, continens Christus indicauit, cum dixit, *De hoc genimine vitu:* videlicet, cuiusmodi illud erat, quod in calice. Habet quidem Latina editio, *Hic est sanguis meus*; mutato genere: nec male, si abesset interpretum maleficium. Nam & apud Cyprianum sermone de Cœna Domini habes, *Hæc est caro mea*, pro altero membro. Videlicet ea est tum Græca tum Latina elegantia vt possit relatiuum etiam genere construi cum consequente. Marci 12. *αὕτη πρώτη ἐντολή*: in Latina editione, *Hoc est primum mandatum:* quod tamen potuit dici, Hæc est prima præceptio, eum sensus sit, Hoc, nimirum diliges Dominum Deum tuum, est prima præceptio. Sed nobis tamen vitandæ ambiguitatis gratia, consultius est, *Hoc*, id est, Hoc vinum, est sanguis meus.

V. Nempe igitur hæc est horum pronominum efficacia, vt designentur illa quæ assumuntur ad materiam Sacramenti: panis, inquam, & vinum: & quidem non quatenus species sunt; sed quatenus indiuidua suarum specierum. Vnde etiam, *Hoc poculum*: Nam id non potest significare vinum indeterminate, sed præcise illud quod erat intra ipsum; & Domino assumptum. Quare & Paulus consideratissime, *Quotiescunque ederitis, τὸν ἄρτον τοῦτον, panem hunc, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, & poculum hoc biberitis*, & deinceps semper.

VI. Denique quomodo in attributo corpus intelligebamus verissimum illud Christi corpus, sanguinem, ita hîc verissimum illum panem, verissimum vinum; quod erat à Christo sumptum in manus: deinde distributum Apostolis Tertullianus 4. contra Marcionem, *Acceptum panem, & distributum discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo.* Et sic deinceps in perpetua celebratione Ecclesiæ. Vnde Augustino dictum panem mysticum non natura nobis nasci, sed benedictione fieri. Breuiter, id negamus, quod asseruit Gardinerus ad goliffarticulum 9. *Christus*, inquit, *de vna corporis substantia loquitur dicens, hoc est corpus meum.* Contendidimus enim loqui de duplici, vna corporis sui, altera panis, quæ duæ sunt substantiæ, & vere separatæ.

VII. Non fuit Papistis tam propitia aut Grammatica, aut Logica, vt non sudarint hoc loco. Et sane Transubstantiatio cum mutationis genus induxerit nunquam naturæ, nunquam hominibus cognitum, non potuit fieri vt verbis vsitatis, exprimeretur, nisi violentissime detortis, quasi cum reus fidiculis distensus velit nolit id dicit tandem, non tam quod scit, quam quod tortores volunt; imo etiam modo ait, modo negat. Inde factum vt multiplicatæ sententiæ aliis aliæ placeant, & propugnentur, aliæ aliis displiceant, & impugnentur. Atque ex eo bellum Papisticum non tantum aduersus Catholicos externum; sed etiam inter ipsos ciuile exarserit, sic olim ædificantes turrim Babel confusis labiis inter se discordare fuit necesse.

VIII. Compingam in classes quantum potero. Prima controuersia est, vtrum recitatiue dictum sit, an significatiue. Dominicus Soto art. 5. q. 1. dist. 11. *Fuit opinio dicentium, nihil per illud pronomen, hoc, demonstrari in actu exercito, sed esse pronomen conceptum, quasi omnia verba acciperentur materialiter. Itaque Sacerdos nihil affirmat, sed recitat esse à Christo dictum, veluti dum legis in Euangelio, Tu es Petrus, nihil asseris, quia neque colloqueris cum aliquo, sed refers verba quibus Christus Petro loquebatur.* Placuisse videtur Salmeroni tract. 13, tom. 9. *Respondemus in verbis quæ nos proferimus, pronomen illud nihil demonstrare, quia verba sunt potius recitantis quam enunciantis. Et cum aliquis aliquid absens, etiam præteritum recitat, nihil demonstrat: quia pronomen, vel aduerbium demonstrandi, nempe ecce, rem præsentem requirit: nam absens, vel præterita non est ad sensum demonstrabilis. Licet enim B. Virgo dixit, Ecce ancilla Domini, aduerbium Ecce, ipsam Angelo præsentem demonstraret: Lucas tamen cum recitat historiam, Ecce, nihil demonstrat, quia nec aderat B. Virgo, cum Lucas ista scriberet, vt illam demonstraret, neque Lucas volebat eam demonstrare, sed referre tantum, quod ipsam demonstrauerit.*

IX. Hac explosa monstrosa subtilitate; reliqui plurimi etsi concedant recitari Verba Christo olim dicta; tamen tenent eadem esse significatiua, siue enunciatiua, siue facere demonstrationem. Sed alij demonstrationem referunt ad sensum, ad intellectum alij; teste Dominico Soto eodem loco. Demonstrationem ad sensum existimo eam dici, quę rem designet per se ipsam sensibus perceptibilem: Per se, inquam, si per accidens fieri possit vt non percipiatur. Hi autem rursus in duos abeunt ordines. Nam alij panem dicunt demonstrari; alij vero corpus Christi.

X. Sed & qui panem alij substantiam, accidentia. Bonauentura quæst. 1. art. 1. in 2. part. dist. 8. quarti, *Pronomen demonstrat panis substantiam sub accidentibus, quæ oculis conspici possunt, & tangitur illud, quod conuertitur, per subiectum, sicut illud in quod per prædicatum.* De Rubione, *Huiusmodi pronomen, hoc, supponit pro pane.* Huc Alexandrum Halensem referunt Vasques, & Gregorius de Valentia; & alij, quod mihi vel ex ipsorum verbis non videtur. Suares huius partis triplicem exponit differentiam, vnam vt sit panis quatenus permanet in sua substantia: alteram, vt designet substantiam panis, non vt est in se, sed vt est conuersa in corpus Christi: tertiam, vt designet substantiam panis, non vt panis est, sed vt hæc substantia, vel hoc ens. Quid sibi voluerit Guillaudus non facile dixerim, sed eius verba recitabo in 1. ad Corinth. 11. *Est pronominis demonstratiui officium, ostendere substantiam absolute, & sine qualitate.*

XI. De Accidentibus Suares, *Secunda principalis opinio est, pronomen hoc, designare accidentia, seu species panis, quia illud pronomen designat rem sensibilem, quæ est tempore, quo fit designatio, & manet quando perficitur significatio verborum, & permanet in fine, prater accidentia.* Assignat autorem Tapperum art. 13. Sed Tapperus perplexius loquutus est, *Est igitur sensus verborum consecrationis,* inquit, *Contentum vel substantia, quæ est sub his speciebus panis, est corpus meum: vt demonstratio quoad species fit certa, sed indeterminata quoad substantiam contentam.* Quæ verba vel mihi sunt mera ænigmata, vel pertinent ad eos potius, qui demonstrationem fieri volunt ad intellectum, de qua suo ordine. At de Bollo, *Nos qui incalescimur fidei & veritatis ardore, per illud pronomen, Hoc, neutiquam accidentia ipsa demonstramus.*

XII. Iam qui corpus aiunt referri valde sunt varij. Quidam hac enunciatione referri voluerunt, quod esset iam factum, vnde non exigua controuersia, vtrum Christus consecrauerit iisdem verbis, quibus nunc fit consecratio; an vero aliis quibusdam: an etiam his ipsis, sed primum occulte & tacite prolatis: an denique nullis, sed mera potentia, & secundum hoc facilis sensus; *Hoc est corpus meum*; quia nimirum iam nullus sit panis, sed mutatus in corpus meum, quod proinde realiter sit iam tum in manibus Sacerdotis. Sed ferme omnibus absurda hæc sententia visa est.

XIII. Perplexitas tamen multiplicata, cum ex parte vocabuli; tum ex parte corporis. Primum enim dixerunt, *Hoc*, substantiue sumi. Petrus Michael Iesuita de Eucharistia Dial. 1. c. 2. *Guitmundum illum vetustum Berengarij antagonistam secutus, dicere possum, Illud hoc τοῦτο substantiuum esse demonstratiuum, atq; demonstrare id, quod à Christo discipuli erant accepturi, non aliud fuisse, quam corpus suum, vt sensus sit, hoc quod vobis trado est corpus meum, neque posse panem idcirco demonstrare.*

XIV. Sed Maledonatus in Matth. 26. *Ego omnibus viribus contendo adiectiuum esse; neque vlla ratione substantiuum esse posse, aut pro alia re, quam pro corpore Christi accipi.* Maledonato assentit Barradas. Lucas Brugensis in eandem iit sententiam, *Grammatica*, inquit, *non permittit discrepantiam generis inter substantiuum & adiectiuum; qualis est inter ἄρτος & τοῦτο: inter, panis, & hoc.* Et paulo post, *Non est opus pronomen hoc substantiue accipere, quemadmodum manifestum euadit ex consimilibus verbis, Hic est sanguis meus, seu calix sanguinis mei: vbi sicut, hic, demonstrat sanguinem meum, ita istud hoc demonstrat corpus meum.* Vasques c. 4. disput. 201. in hanc rem prolixe disputat: imo & in eadem partes Guitmundum trahit; quem paulo ante Michael ab alteris statuebat.

XV. De corpore gemina etiam philosophatio. Alij dixerunt corpus vt est in seipso. Suares sect. 7 disp 58. de Sacramentis, *Tertia sententia*, inquit, *dicit pronomen, hoc, designare corpus Christi, prout est in se, in propria specie, quem sensum indicat Ockam, clarius Maior, qui dicit posse demonstrari corpus Christi prout est in cœlo.* Quam subtilitatem ego certo non intelligo. Quis enim explicet, corpus Christi prout est in cœlo, esse in Eucharistia. Itaque refutatur à Suare.

XVI. Alij malunt prout est sub accidentibus, *Quarta opinio sit*, inquit ibidem Suares, *demonstrari illo pronomine, hoc, corpus Christi prout est sub accidentibus panis in termino prolationis verborum, vt sensus sit, hoc quod significatur his accidentibus est corpus meum.*

XVII. Veruntamen eos qui corpus intelligi volunt vehemens scrupulus perculit, de momento significationis. Nam, *Hoc*, initio positum est orationis, imo initio consecrationis. Solent autem qui Sophisticam laudem affectant, etiam capillos singulos partiri. Itaque ne Christus quidem debuit vel momentulum subducere Magistronostris inconsultis; si voluit dicam effugere mendacij. Quid igitur? Nempe benignos fautores nactus est, qui quod summo iure foret peccatum, inclinatione emendarunt. Angelus in Summa de Eucharistia part. 1. *Illud in quod hoc transubstantiabitur, est corpus meum.* Vel, *illud in quod iste cibus est transmutandus, est corpus meum.* Hinc opinor, legas apud Petrum de Bollo, *Pronomen, hoc, demonstrat corpus in indiuiduo, quod nondum est, sed in genere substantiæ.*

XVIII. Sed illud ratio durior paulo. Mollior ista. Gorranus, *Hoc, id est, existens sub hac specie verbis completis.* Biel in Epitome Canonis, *Sine ambiguitate dicendum, quod, hoc, demonstrat non panem, nec species eius, sed verum corpus Christi, quod est sub speciebus in fine orationis.* Dionysius Carthusianus in Matth. 26. *Hoc quod sub specie panis post consecrationem continetur.* Nam etsi res eodem redeat, quia aliquantulum distat finis orationis ab initio; itaque dum pronuntiatur *Hoc*, necesse sit nondum id esse, quod futurum sit, tamen illud *transubstantiabitur*, & *transmutandus*, nimis aperta fraus est. Sed longe cautior, *quod est in fine orationis:* vel, *Existens verbis completis.* Est autem consultissima ars Sophistarum, quam obscurissime auditores fallere; vt Lacedæmoniorum, quam astutissime furari.

XIX. Vin scire quid hoc arcani fiet? Varij explicarunt. Sed Petrus de Aquila, lucidissime, in 4. dist. 8. art. 3. *Verbum quodcunque potest capi dupliciter. Vno modo potest capi secundum se, alio modo prout est pars alicuius orationis. Primo modo scilicet secundum se, omne nomen habet suum significatum in instanti vltimæ syllabæ eius. Secundo autem modo scilicet, vt etsi pars alicuius orationis, non habet suum significatum nisi in vltimo instanti prolationis totius orationis. Ad propositum ergo dicitur, quod illud pronomen, hoc, ponitur in illa oratione, non secundum se sed vt est pars orationis, & ideo non habet suum significatum nisi in vltimo instanti prolationis totius orationis, sed pro illo instanti est corpus Christi: Ergo demonstrat corpus Christi pro vltimo instanti prolationis.* Illustrat exemplo Dominicus Soto art. 5 quæst. 1. distinct. 10. *Sicut, cum quis dicit taceo, intelligit pro momento sequenti, quo desinit loqui.*

XX. Atque hactenus eorum nugæ, qui ad sensum existimarunt factam demonstrationem, quarum tam multiplicium tæduit credo eos, qui successione facta, retulerunt magis ad intellectum, id est, ad nescio quem conceptum, quia à sensibus abstractus, concipiatur duntaxat intellectu. Eum dicunt esse communem cum pani, tum corpori; & variis nominibus insigniunt; ferme pro arbitrio. Soto articulo iam indicato, *Pronomen in forma consecrationis demonstrat, non quidem singulariter panem, qui nunquam est corpus, alias non esset conuersiua panis in corpus, sed solum significatiua, quod corpus est corpus. Sed demonstrat communiter & in genere contentum sub illis speciebus, quod quidem in principio erat panis, & in fine corpus.* Vasques cap. 2. disput. 201. *Aliquid commune pani & corpori Christi, quod vim habeat singularis, vt dici solet, vagi, sicut quidam homo; non quidem quod sit aut demonstretur solum in fine orationis, sed quod simul atque profertur pronomen, & antequam finiatur oratio, & sensus illius ostendatur.* Suares Sect. 7. disput. 58. *Quinta sententia est illo pronomine formaliter ac per se primo designari aliquid commune substantiæ panis, ac corpori Christi. Cõmune, inquam, non secundum rem, illud enim nullum esse potest: sed secundum rationem, seu denominationem, nimirum sub ratione contenti sub his accidentibus.*

XXI. Gregor. de Valentia punct. 2. q. 6. disp. 6. in tom. 4. Commentariorum, rem totam quatuor comprehendit assertionibus, *Prima: Per pronomen illud demonstrari quidem eam rem, atque substantiam, quæ sub accidentib. panis præsens continetur, tum cum profertur illud pronomen, quamuis non formaliter prout res illa est tunc, sed absolute. Secunda: Non tamen demonstrari eam rem secundum notionem aliquam eius distinctam & peculiarem, quæ determinate conueniat soli pani, sed secundum aliquam notionem communiorem, minusque distinctam, quæ indifferenter & pani & corpori Christi, æque conuenire hic possit. Tertia: Non igitur demonstrari eam rem secundum rationem panis specificam aut genericam, talem quæ non sit pani cum humano corpore communis: item neq; demonstrari secundum suam rationem indiuiduam determinatam, aut etiam vagam talem, quæ corpori Christi minime in proposito conuenire possit, qualis est quidem habitudo ad illa numero accidentia quatenus ita rem illam continent, vt etiam ei inhæreant. Quarta: Omnino eam rem præcise demonstrari secundum rationem substantiæ indiuiduam vagam, consistentem proprie in eius substantiæ ordine seu habitudine ad illa numero accidentia, quatenus est illis minime coniuncta, atque sub iis continetur illud præsens, non cogitando hic vlterius, quod contineatur sub illis numero accidentibus tanquam subiectum, cui ita inhæreant: id quod pertinet quidem ad indiuiduam rationem determinatam ipsius panis.*

XXII. Videte, quæso, quantum negotij exhibuerit tot, tantisq; Sophistis, vnicum, idque breuissimum vocabulum! Sed hic tamen tantus labor, quid si bi vult? aut quo deniq; recidit? Quæ illa ratio est communis? Suares, *vt sensus sit, Hoc quod sub his accidentibus continetur, est corpus meum.* Durandus q. 2. dist. 8. quarti, *Dicendum, quod sibi sit demonstratio ad intellectum, non quidem alicuius indiuidui signati, sed solummodo indiuidui vagi: vt sit sensus, Hoc, id est contentum sub hoc, scilicet sub speciebus, loquendo in generali, non autem in speciali pro pane vel pro corpore est corpus meum.* Soto, *Non dixit, Hic panis est corpus meum: neque dixit, Hoc corpus, est corpus meum: sed in generali, Hoc est corpus meum, nullo nomine apposito à parte subiecti: sed solo pronomine, quod significat substantiam in commune sine qualitate, id est forma determinata alicuius speciei, vel indiuidui.* De Rubione, *Alij dicunt quod supponit non pro corpore, nec pro pane, sed pro entis indiuiduo, vt sit orationis sensus: Hoc ens, sub istis accidentibus demonstratis, est corpus meum.*

XXIII. Fueruntne hæc satis multa? Et tamen Scotus nouum commentum recenset quorundam, qui demonstrationem fieri dicerent simul ad sensum & ad intellectum. Quæst. 3. dist. 8. *Sciendum est, quod quidam dicunt, quod hoc pronomen, Hoc, faciat demonstrationem ad intellectum, & ad sensum simul: sic intelligendo, quod demonstrat aliquid quod est obiectum intellectus, & aliquid quod est obiectum sensus: primum in recto, secundum in obliquo, vt sit, sensus, Hoc, id est, aliquid sub hac specie sensibili, non restringendo existentiam sub hac specie sensibili ad aliquam determinatam temporis differentiam. Significatio enim nominis, siue adiectiui, siue substantiui non restringitur ad aliquam temporis differentiam: vnde secundum Donatum tempus non est de accidentibus nominis, nec pronominis.* Et paulo post, *Cum ergo Sacerdos in persona Christi proferat propositionem, Hoc est corpus meum, sensus est: aliquid sub hac specie præsens, vel de propinquo futurum est corpus meum.*

CAPVT IV.

Quid sit, EST, *in Eucharistia.*

I. EXplicato prædicato, & subiecto, superest copula, *est.* Quod Verbum, solet dupliciter vsurpari. Primum absolute, & tanquam attributum in enuntiatione, vt, Deus est: ac tum semper existentiam designat rei de qua prædicatur. Alias vero medium est inter subiectum & attributum; connectens ea: vt Deus est æternus, ad Romanos 1. *Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.* Prioris ad Corinth. 10. *Petra erat Christus.* Prior vsus non ad rem nostram, sed ille posterior: quia; vt iam expositum, enuntiationis Sacramentalis, habetur, & subiectum, *Hoc*, & prædicatum, *Corpus meum.* Quare necesse est esse copulam.

II. Sed cum est copula, alias proprie inducitur, alias figurate. Proprie siue ὑπαρκτικῶς, & substantiue (nam ita loquuri sunt Scholastici) realem designat copulationem terminorum: Ioan. 1. *Deus erat Verbum. Tu es Simon filius Iona.* At cum figurate siue improprie, tum designat existentiam non realem, sed per quandam analogiam: vt *Circuncisio est fœdus. Regnum cœlorum est sagena missa in mare.*

III. Catholici in hoc negotio τροπικῶς intelligunt: vt sit positum *est* pro *significat*, siue *est signum, est Sacramentum*, & si quid simile. Tropum indicarunt μετωνυμίαν. Quam scholæ solent definire, cum causa pro causato, accidens pro subiecto enuntiatur, vel contra. Est autem in re Sacramentaria, res significata, tum finis, tum accidens signi. Accidens quidem, quoniam aliquod genus est coniunctionis, nimirum moralis, ac proinde etiam præsentiæ. Finis autem manifestius; quoniam in eum finem consecratio fit elementorum, vt sint nobis corpus & sanguis Christi. Pachymeres in Theoriam 3. de Ecclesiastica Hierarchia, illud εἰσέλθωμεν ἀπὸ τῶν αἰτιατῶν εἰς τὰ αἴτια, *Ingrediamur ab effectis ad causas.* Explicat his verbis, τοῦτ' ἔστιν ἀπὸ τῶν ὁρατῶς τελουμένων ἐπὶ τὰ ἀόρατα καὶ μυστικά, ἅπερ τῶν ἐν αἰσθήσει αἴτια εἰσὶ καὶ ἀρχέτυπα· αἰτιατὰ δὲ λέγονται τὰ ἑτέρωθεν τὴν αἰτίαν τοῦ ὁπωσοῦν εἶναι ἔχοντα. ἢ αἴτια λέγει τὰ ἀσυμβατικά, καὶ ἂν ἕνεκα, πρὸς ὃ ἀφορῶντες, ταῦτα δὴ τὰ αἰτιατὰ καὶ ἕνεκα ἐκείνων τελοῦμεν, *Hoc ab iis quæ visibiliter geruntur, ad inuisibilia, & mystica, quæ sensibilium causæ sunt & archetypa. Causata dicuntur quæ quomodocunque essendi causam habent extrinsecus. Vel causas dicit quomodocunque efficacia; & quorum gratia, ad eaque respicientes hæc videlicet causata, & quæ propter ea, celebramus.*

IV. Quomodo igitur pannus dicitur vestis; quo in eum finem comparatus sit, ita potuit signum denominari à re significata. Augustinus Epistola centesima secunda, *Aliquando res eæ quæ significat nomen eius rei quam significat, accipit. Spiritus Sanctus dictus est corporali specie tanquam columba descendisse, & mansisse super eum. Sic enim & petra Christus, quia significat Christum.* De Ciuitate lib. 18. c. 38. *Dictum est ab Apostolo, Petra erat Christus: quoniam Petra illa de qua hoc dictum est, significabat vtique Christum.* In Leuiticum q. 57. *Solent autem res quæ significant nuncupari, sicut scriptum est, septem spicæ, septem anni sunt, non enim dixit septem annos significant: & septem boues, septem anni sunt, & multa huiusmodi. Hinc est, quod dictum est, Petra erat Christus, non enim dixit, petra significat Christum: sed tanquam hoc esset, quod vtique per substantiam non hoc erat, sed per significationem, sic & sanguis, quoniam propter vitalem quandam corpulentiam animam significat, in Sacramentis anima dictus est.* Vide Bezam altera parte quæst. n. 212. Et contra Ioachim. Vesphalum ad caput quintum. Item Hellopœum rei Sacramentariæ part. 1. c. 7. & 8.

V. Scimus equidem nonnullis placuisse potius tropum statui in prædicato, vt corpus meum, sit pro signo, siue Sacramento corporis mei. Sed hoc redit eodem; vt non sit tanti solicitius disputare. Quod Oecolampadio recte obseruatum apud Roffensem lib. 2. cap. 10. *Non est,* inquit, *vis siue exponas, est, pro significat, siue relinquas in genuino significato & rem exponas figuram rei. Neque enim de verbo contendere placet, vbi de sententia constat.*

VI. Veruntamen si libeat rem subtilius excutere videtur aliquanto alienius. Nam si ita est, vt accipiatur prædicatum pro signo prædicati; profecto iam olim petra erat reapse signum Christi, cum tamen Augustinus negauerit tum eam fuisse, quod est dicta. Deinde figuratum corpus, non est corpus. Itaque hæc enuntiatio nullum corpus Christi re vera indicaret, sed aliquid simile corpori Christi: cum tamen Paulus dixerit panem esse communionem corporis Christi.

VII. Præterea, quod genus tropi dicent? Nam aut metaphoram, aut synecdochen, aut metonymiam. Ironia enim nimis absurda esset. Sed neque metaphora apta; nemini quod quidem sciam asserta. Etenim significaret, non id quod Christi corpus efficeret in nobis, sed aliquid potius quod panis, simile tamen. Vt cum regnum cœlorum dicitur sagena, non hoc Christus agit, vt doceat quæ sint effecta sagena, sed regni cœlorum. Sic cum Herodes dicitur vulpes, huius animalis, quod methophorice nominatur, proprietas prædicatur de Herode. Quare vel oporteret proprietatem aliquam Christi prædicari de pane, vel inuerti ordinem enuntiationis, Corpus meum est hoc, ac tum metaphora esset non in corpore, sed in altero extremo. Atqui Christi mens est, quam olim expresserunt multi: corpore suo nos ali in vitam æternam. Quod si igitur non designatur vlla proprietas panis: Ergo non potest dici metaphora.

VIII. An igitur synecdoche? Atqui tum corpus Christus sic erit tropicum vel ad se, vel ad panem. Deinde vel latius sumendum, vel strictius. Si ad se & latius; Ergo significabitur panem esse aliquid amplius quam corpus Christi. Quod quidem accederet nonnihil ad Papisticam Concomitantiam. Sed hanc ne Papistæ quidem eliciunt ex vi verborum: verum aliunde: cum tamen nos hic quæramus, quæ sit verborum vis; & vno verbo, quænam Sacramenti ratio. Sin autem strictius: Ergo panis non esset nisi aliqua pars corporis Christi: quod quis admiserit? Rursus si relate ad panem, corporis synecdoche pertinet, & quidem latius interpretandi; Ergo corpus Christi latius patebit, quam panis; vt si dicam, hos lapides esse domum meam, quæ tamen complexura est etiam ligna cum tegulis: Sin autem strictius; Ergo panis latius patebit quam corpus: vt si dicas, hos lapides futuros cubiculum tuum, qui tamen totam domum constituri sint. Vtrumuis eligas, absurdum erit; quod puto cuiuis planum esse.

IX. Superest metonymia, quam si statuas in corpore; ergo hoc oportebit dici vel de causa sua; vel de effectu; vel de subiecto, vel de adiuncto. At quis rationem explicet, qua dicatur, hic panis est ea causa quæ efficit meum corpus, puta, mater mea, vel est effectum quod producitur à meo corpore, puta, vita æterna. Vel est subiectum mei corporis, nempe cœlum: vel adiunctum, puta gloria cœlestis? Denique hæc ratio non terminabit signi relationem ad ipsum corpus Christi, quod tamen necesse est. Sed ad id quo referatur corpus Christi, vt rursus identica sit propositio, vt cum de tabula dicimus, Hæc tabula est Hercules; sensus est: Hæc tabula, est tabula repræsentans Herculem: ita, hic panis significans corpus CHRISTI. Nimis diluto sensu; & proxime ad Anabaptistarum delirium, nullam peculiarem efficaciam Sacramentis adscribentium in rem significatam.

X. Hac igitur ratiocinatione nobis constat ratio assignandi tropum, & quidem metonymiam: non subiecto, non attributo: sed copulæ, *Addimus,* inquit Beza contra Vestphalum, *magnam vim esse huius metonymiæ, qua videlicet declararetur quanta sit Sacramentalis significationis veritas, ne quis inanem ac veluti pictam Christi, & passionis eius imaginem à nobis statui existimet, sed vt è contrario constituatur, non magis vere nobis hæc symbola tradi in manus à ministris, quam verum est Christum nobis, quamuis in terra positis, verum suum corpus & verum sanguinem; quæ sunt & manent in cœlis, id est, semetipsum cum omnibus suis donis offerre, per fidem communicandum ac fruendum in vitam æternam.*

XI. Papistæ ne hic quidem sua se præstiterunt indignos subtilitate. Negant sumi figurate omnes: Imo Maldonatus, & Lucas Brugensis, & Bellarminus capite 10. libr. 1. & Vasques cap. 7. disp. 179. disputant non hic tantum sed etiam nusquam sumi τροπικῶς: quoniam inquit Vasques, habet simplissimam significationem. Bellarminus, quia non potest vllo modo accipi in alia significatione, quam in sua propria: nam habet simplicissimam & communissimam significationem. Atque inde magnum nobis probat arcanum, & dignissimum scholis omnibus Iesuiticis, *Verbum est hoc loco significat est.*

XII. Sed enim scrupulus fuit non tam facile mentibus eximendus, quæ ratio enunciationis esse queat, vt per tempus præsens enuntietur, *Hoc est corpus meum.* Nam *Hoc*, si designat panem, fit impossibilis propositio, quia nunquam rerum esse queat panem esse corpus Christi. Itaque fuere qui dicerent *est*, positum, pro mutari. Bonauentura, quæstione prima articuli primi in secundam partem distinctionis octauæ quarti. *Est, in hac oratione non identitatem nec simultatem signat, sed hoc esse corpus, hoc est ad huius verbi prolationem hoc totum transire in corpus.* Hoc modo *est*, concipiendum esset pro transubstantiatur: quod tamen Bellarminus amolitur, tanquam meram Caluini calumniam: & purgat hac ratione; quia *hoc* non demonstret panem. Quæ tamen ratio non est vera de omnibus Papistis, vt patuit capite præcedenti: &

Bonauentura

Bonauentura dixit substantiam panis sub accidentibus. Quid? quod Angelus dixit, *Hoc in quod hoc transubstantiabitur, est corpus meum*; quantum ab eo abest? Nam etsi Verbum *transubstantiabitur* non constituitur in locum verbi *est*, tamen cum non possit elici, neque ex pronomine *hoc*, neque ex nomine Corpus; aut oportet importune assumi extrinsecus, aut educi à verbo. Denique transubstantiationem omnes consentiunt fieri vi verborum formalium, vnde autem si non ab isto?

XIII. Rursus si *hoc*, designet attributum, quomodo verum, Hoc est corpus meum, nondum absoluta consecratione? Lego apud Dominicum Soto, *Ockam quodlibeto secundo quæstione finali dicit pronomen demonstrare corpus, & ideo, est, accipi pro erit: puta Hoc erit corpus.*

XIV. Scotus non longe abit inde, etsi pugnet pro indiuiduo vago. Cuius mentē sic recitat Soto, *Significat hoc ens fieri hoc corpus. Nam, licet tam subiectum, quam prædicatum supponant pro eodem corpore, nihilominus alius est conceptus subiecti, atque alius prædicati, imo conceptus vniuersalis est prior natura. Cum enim à remotis aliquid videmus, ordine quodam prius concipimus esse corpus, quam animal: & animal, quam hominem. Ob idque cum dicimus, Hoc ens est hoc corpus, concipimus quasi duo extrema, vt hoc ens fiat hoc corpus.*

XV. At Suares eos, qui per *hoc* concipiant accidentia, dixit oportere vt corrumpant propriam significationem verbi *est*, & exponant per continere.

XVI. Supereſt breuiator Bellarmini Baptista c. 11. lib. 1. *Antequam consummetur prolatio, nec est, significare adesse, nec significare, non adesse Christi corpus. Manet enim indeterminatum illud est. Cum vero completa est enunciatio, tunc significare adesse, & nullo modo significare erit.* Vir magnus scilicet, & cui libenter assurgas posthabito Bellarmino; qui neglexerit dicere, quid monstri aleret, contentus refutare eos, qui interpretarentur per significationem.

CAP. V.

De tota enunciatione 1a. hæristica.

I. HÆc habui, quæ colligerem de partibus enunciationis Dominicæ. Nunc de tota dicendum. Hanc nos, qui figuratam contendimus, in hunc modum dicimus interpretandam: *Hoc*, id est, hic panis, quem accepi, cui benedixi, quem fregi, quem vobis porrigo, iubeoq; accipere, edere, *est*, siue signat, significat, figurat, repræsentat, *corpus meum*, idem illud videlicet, quod conceptum è Spiritu sancto, natum ex Virgine, baptizatum à Ioanne, nunc vobis audientibus, videntibus, palpantibus mense accumbit, paulo post crucifigendum, sepeliendumque: inde resurrecturum, atque ascensurum in cœlos. Siue, est figura, signum, Sacramentum, typus, pignus, arrhabo corporis mei. Hæc nostra constans est explicatio, non ambigua, non contortuplicata, non excarnificandis ingeniis nata, neu desultoria.

II. Bellarminus cap. 8. primi testatur editum esse libellum anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, in quo ducentæ numerentur vel expositiones, vel deprauationes eorum verborum. Portentoso numero, nec credibili. Sanctesius Repetitionis primæ capite decimo ex innumeris, tot enim esse censet, seligere se profitetur octoginta quatuor; ne hoc quidem non supra fidem numero. Itaque Bellarminus contraxit in nouem præcipuas.

III. Res ita habet. Ex tantis tamque impuris tenebris, quantæ sunt in Romana tyrannide, qui primum emergerent, non potuisse simul & semel non caligare ad plenam veritatis lucem: quomodo qui cœcus à Domino illuminatus, primo oculorum vsu non potuit homines discernere ab arboribus. Ex eo factum, vt nonnulli à primo mendacij horrore concussi, non itidem conceperint expedite veritatem oppositam. Qua infirmitate postea Satanas abusus in humanam perniciem sectas varias excitauit, magno piorum mœrore, & Christianitatis incommodo, sed magno interim Papisticæ hæreseos commodo: quæ, si fuisset communibus armis, vnoque exercitu impugnata; iampridem eo deuenisset, quo debuit. Sic, qui transubstantiationem damnauit Lutherus optime, tamen induxit Consubstantiationem, non bene. Et ab hoc non laudabili initio, Brentius eius discipulus ad vbiquitatem delatus est, pessime. Anabaptistæ in oppositum lapsi extremum, signa sunt imaginati vana, & inania, quasi nudas professionis tesseras Christianis & infidelibus distinguendis. At Zvvinglius, Oecolampadius, Caluinus, & Anabaptistarum furores sunt exsecrati: nec Lutheri aut Brentij carnales conceptus approbare potuerunt, magis quam Papistarum delyria.

IV. Hinc orta quinque sectarum nomina in Christianitate, Papistarum, Lutheranorum, Brentianorum, siue Vbiquitariorum, Anabaptistarum: denique Catholicorum, quos pro arbitrio aduersarij Cinglianos, indigetant, aut Caluinistas; iræ potius indulgentes, quam rationi obsequentes. Has igitur sectas quinq; negare non possumus tum verbis, tum rebus etiam discrepare: & quidem addita vehementia, imo etiam plerumque ira, & immodestia, maiore quam inter Christianos opus fuit.

V. In iis sectis non est negandum esse, fuisse plurimos, qui operas suas contulerint iis sententiis quibus nomen dedissent illustrandis, firmandis, declarandis. Singulis etiam suas phrases esse, sua vocabula, suam methodum. Sic enim fieri amat: Imo non potest aliter. Nam qui eadem habetent omnia, non ipsi scriberent, sed ab aliis describerent. Et ita natus est homo; vt eadem dicens, tamen & ab aliorum & à suis discedat verbis; nisi ipse sibi vim faciat. Et quidem in sacris scriptoribus, nonne hæc manifesta diuersitas apparet? Imo ne hanc quidem Eucharistiæ institutionem *συνταξει* descriptam leges apud Matthæum, Marcum, Lucam, Paulum. Ne cuiquam mirum sit in tanta ingeniorum varietate, non esse apud omnes in numero syllabas easdem.

VI. Et vero peccant, tum ille fortasse quisquis est autor libelli, qui mihi nusquam visus; tum Sanctesius, & Bellarminus, qui varias phrases pro totidem sententiis numerent: Nam ille congerit, *Hoc est sanguis meus, Hoc est corporis meum in panis vsu: Hoc est corpus meum, non in proprio subiecto, nec in panis subiecto & materia, sed in obiecto Cœnæ & actionum eius. Hoc significat corpus meum: Hæc est commemoratio corpus mei: Hoc est symbolicum corpus, seu figura veri corporis. Hoc est corpus meum, quatenus pro vobis datus. Hoc est corpus meum, quod do vobis animo edendum, sicut panem ore. Hic panis est signum efficax corporis mei, & participationis in eo. Hoc est corpus meum in cœlo positum, tam dissitum à pane, & à vobis, quam cœlum à terra. Hic panis est corpus meum sacramentali locutione, & coniunctione per metonymiam signi & signati.* Has, inquam, tanquam totidem explicationes, vt numerum augeret nugator Sanctesius expressit in indiculo suo: sed & multas alias, simili artificio multiplicatas. Quasi quis diceret; aliud esse, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: Matth. 6. aliud: *Panem nostrum quotidianum da nobis in diem*: Lucæ 11. Aliud, *Remitte nobis debita nostra*: aliud, *Et remitte nobis peccata nostra*: Item aliud, *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: Matthæi 5. aliud, *Beati estis pauperes: quoniam vestrum est regnum Dei*, Lucæ sexto. Non memini videre vnquam tantæ φλυαρίας specimen.

VII. Sed Bellarmini saltem videbatur debuisse abstinere, pollicitus nonnihil iudicii in contrahendo numero: vt siue ex ducentis, siue ex sexaginta quatuor, nouem duntaxat exhiberet. At ille non tantum, Zuinglij, Oecolampadii, Caluini enumerauit, quasi dissentientes: sed etiam Lutheri ludicram, & *παρωδικῶς* ex tempore fictam putauit sibi, tanto viro, tamque serio disputanti, non omittendam.

VIII. Veruntamen vt vt peccarint isti, & ne incertus maneat status quæstionis; profitemur ex vniuerso numero, siue ducentarum, siue octoginta quatuor, siue nouem expositionum; vnam illam amplecti, quam expressimus: non quasi certis verbis ita addicti, vt, quicunque à nostris discedat, alienum iudicemus: sed rei potius attenti, ostendemus, qui contra sentiat, hunc Catholicæ fidei non leuem iniuriam facere. Sic enim censemus modum docendi posse esse varium: quanquam alias magis, alias minus, aut perspicuum, aut facilem, aut commodum. Itaque ne illud quidem, quod de synecdoche diximus in verbo Est, aliter dictum volumus; & pro eodem admisturos, si quis dicat, Hic panis sacramentaliter est corpus meum, & si quis malit, Hic panis est sacramentale corpus meum. Ne quis nos speret ex musca facturos elephantem: quamuis alioquin vnum alio nobis videri commodius, libere profiteamur.

IX. Iam de Papistis quid sumus dicturi: Bellarminus suæ Ecclesiæ sententiam simpliciter ponit, Hæc verba simpliciter & proprie esse accipienda; vt sensus sit, Hoc, id est, quod his speciebus continetur, est vere & proprie corpus ipsum meum verum & naturale. Quod miror tam confidenter dictum, ab homine non imperito bellorum Scholasticorum. Nam primo, quid est simpliciter & proprie? aut quæ simplicitas esse potest in tam multis, tam variis sententiis? Nam varias esse ne ipsi quidem negare possunt: & si negent, argumentum erit in promptu ex seriis contradictionibus. Deinde, quo sensu nominauit ille Ecclesiam? quasi vero omnium eadem vox esset. Sed ille sibi fortasse tribuit nimirum; vt se à velit mentiendum quicquid est Papistarum. Hoc neglecto fastu, numerum ineamus: qui, etsi coniici iam potest ex iis quæ annotauimus in singulas enuntiationis particulas: tamen non inutilis forsan futurus est ad sequentes disputationes.

X. Quid ergo Papistis significat solennis formula, *Hoc est corpus meum?* Negant omnibus idem videri. Quare fiat sane discessio. Qui estis vos primi Qui verba recitatiue, seu materialiter accipi æquum censemus. Bonum nomen: quantum quidem in Papistis nomen bonum esse potest. Sed vobis ergo, quid significant? Nihil nunc quidem, & in ore cuiusquam. Nihil autem? Certe nihil Salmero tractat. 13. *Cum quis aliquid absens etiam præteritum recitat, nihil demonstrat. Quia pronomen, vel aduerbium demonstrandi, nempe, ecce, rem præsentem requirit nam absens, vel præterita non est ad sensum demonstrabilis. Licet enim cum B. Virgo dixit, Ecce ancilla Domini, aduerbium ecce, ipsam Angelo præsentem demonstraret: Lucas tamen cum recitat historiam. Ecce nihil demonstrat: quia nec aderat B. Virgo, cum Lucas ista describeret, vt illam demonstraret. neq; Lucas volebat eam demonstrare, sed referre tantum, quod ipsa seipsam demonstrauerat. Ita, cum Christus dicebat, Ego sum lux mundi: &, Ego sum vitis vera pronomen Ego, illum demonstrabat: cum autem refert illa verba Euangelista, vel Sacerdos legit in missæ officio, Christus non demonstratur cum sit absens, nec Euangelista eum proponit demonstrare Ita ergo, etsi, cum Christus hæc verba dixit, pronomen hoc demonstraret corpus suum iam ibi præsens, cum tamen illis Sacerdos vtitur ad consecrandum, pronomen hoc nihil demonstrat, cum verba recitando, & non enuntiando proferat.* Sat est, ô boni: intelligo: Hoc, recitatiue dictū, nihil demonstrat. Ergo sensus eorum verborum est, Nihil est corpus meum. Et, quia datis olim demonstrasse illud ipsum corpus meum: iam non etiam ipsum corpus, nihil est. Ideoque sensus tandem erit, Nihil est nihil. Euge: præclare. Sic propemodum persuaderis, vt insaniam vobiscum. Abite.

XI. Heus vos alii, quinam estis? Panarii. Panarij? quod genus hominum? Quibus *hoc* supponit pro panis substantia. Esto: quid ergo vobis mentis? Hoc, id est, hæc substantia panis, fit corpus meum: vel, transit in corpus meum: vel mutatur in corpus meum: vel, transubstantiatur in corpus meum. Omnesne vno ore? Imo nos reclamamus, qui censemus aliter quam his verbis Christum consecrasse: & malumus. Hoc iam transubstantiatum est corpus meum. At vos tacete. Nobis enim opus est quid nunc fiat; non quid olim fuerit.

XII. Tertii, qui? Accidentarij, quibus *hoc* pro accidentibus remanentibus sine subiecto. Nobis ergo Suares necessario dicendum docet, *Hoc continet corpus meum.* Nam & hoc verum; nisi nos fallit Papistice subducta ratio.

XIII. Quartos volo. Corporarij sumus. Vnde nomen? Quia pronomen refert illud ipsum attributum, corpus meum. Itaque explicamus, vel corpus meum, est corpus meum: vel hoc quod trado vobis, est corpus meum. Vel corpus meum, vt est in sese, est corpus meum: vel denique corpus meū prout est in cœlo, est corpus meum: vel corpus meum prout est sub accidentibus est corpus meum. Vel, illud in quod hoc, siue iste cibus transubstantiabitur, est corpus meum.

XIV. Quinti accedant. Momentanei; qui nihil significari volumus nisi in momento extremo prolatæ integræ orationis: adeo vt frustra millies dixeris, Hoc est, vel hoc est corpus: Imo hoc est corpus meum. Sed

cum primum absolueris, Hoc est corpus meum; ellum tibi, significatissime Cotonus suis Gallis, *Crac le voila.* Interpretamur ergo, Hoc, id est, existens sub hac specie, verbis completis, est corpus meum: siue hoc, quod sub specie panis post consecrationem continetur, est corpus meum.

XV. Sextos exspecto. Indiuiduo-vagi sumus: Cuiates? Νεφιλοκοκκυγίς: qua in vrbe frequentes Tragelaphorum, Hippocentaurorumque bombi, in vacuo ludentium. Cujus sententiæ? Nos vero, non tam, quod non satis esset nugarum; quam vt concordiæ viam nouam indicaremus, confusis subiecto & prædicato, commenti sumus latum, & amplum quid, quod vtrique commune, & vtrumque signaret, & neutrum designaret. Sic interpretati: vel, Hoc quidquid est entis, sub his accidentibus demonstratis, est corpus meum. Vel certe, Hoc ens sub his accidentibus præsens, aut de propinquo futurum; est corpus meum.

CAP. VI.

Qui scripserint de controuersiis: & quis status primæ.

I. FVit hactenus non nisi crepitus verborum; deinde futurus est armorum conflictus; quatuor pugnis. Vna de interpretatione propria, figuratave verborum Eucharisticorum: altera, de manducatione corporis Christi: tertia de Christi præsentia: quarta, de Transubstantiatione. Aliquanto distinctius quam soleant alij plurimi: ordine fortasse nouo: sed, aut vehementer fallor, commodiore.

II. Sed hæc capita à plurimis in vtramque partem confuse sunt tractata, à paucis distincte suis capitibus, cogor hoc loco longum indicem contexere eorum autorum, qui suas operas contulerunt, sic tamen vt quibus distinctior placuit methodus, suis locis sint annotandi.

III. Catholici: Huldricus Zvvinglius, de vera & falsa religione, cap. de Eucharistia: Et in subsidio de Eucharistia: & responsionibus ad Bughenagium, ad Billicanum, ad Vrbanum Regium: Item in plana & breui institutione de Cœna Domini, & responsione ad Struthionem. Ioannes Caluinus Institutionis cap. 17. libr. 4. & commentariis in Euangelicam harmoniam ad institutionem Cœnæ. Et libello de Cœna Domini, & Scriptis aliquot in 7. classe 2. part. Opusculorum. Petrus Martyr Vermilius, tractatione de Eucharistia, & in defensione doctrinæ veritatis & Apostolicæ, de Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, contra Gardinerum, & in disputatione Oxonienſi, & Commentariis in 11. prioris ad Corinthios. Theodorus Beza parte altera Quæstionum & Responsionum Christianarum. Item Apologia 1. & 2. ad Claudium de Sainctes, & ad eiusdem Repetitiones, tum variis polemicis aduersus Lutheranos. VVolfgangus Musculus in locis Communibus, de Cœna Domini. Henricus Bulingerus, Decadis 5. sermone 9. Ioannes Iuellus contra Hardingum artic. 1. 10. 12. & in defensione Ecclesiæ Anglicanæ contra Hardingum, ad cap. 12. & 13. Theologi Tigurini in consensu orthodoxo Sacræ Scripturæ, & veteris Ecclesiæ, de sententia & veritate verborum Cœnæ Dominicæ.

IV. Rodolphus Hospinianus in Historiæ Sacramentariæ libris quinque. Valentinus Hellopœus. Zikzai de tota re Sacramentaria, part. 3. Zacharias Vrsinus Thesibus de Cœna Domini, & in vera doctrina de sacra Domini nostri Iesu Christi Cœna, & in Catecheticis explicationibus, quæst. 75. & seq. Antonius Sadeel ad articul. 13. abiurationis Burdegalensis. Henricus Boxhornius Theologus Louanienſis, Commentariis de Eucharistica harmonia. Petrus Richerius Apologetico contra Villagagnonem. Christophorus Pezellius tractatu de Sacrosancta Domini Cœna. Guillelmus Bucanus in locis communibus, loco 48. Dauid Paræus de litera & sententia verborum Domini in S. Eucharistia. Autor incertus, tractatu orthodoxo de Eucharistia. Philippus Mornæus Plessiacus, de Sacra Eucharistia, libr. 4. Ioannes Serranus Antiiesuitæ 1. quæst. 3. Petr. Molinæus Ecclesiæ apud Parisienses Pastoris Apologia pro Sancta Cœna Domini. Amandus Polanus à Polansdorf Syntagmatis Theologici libro 6. cap. 56. Andreas Riuetus Catholici orthodoxi tract. 3. quæst. 17. Ioannes Scharpius, in Cursu Theologico, cap. de Cœna Domini, ea parte, quæ est de causa formali, 1. 2. 3. controuersia. Petrus Valadanus Apologia pro Epistola Pastorum Parisiensium, c. 24. & 25.

V. Papistarum vix iniri numerus potest. Primi qui aduersus Berengarium scripsere Lanfrancus de Eucharistiæ Sacramento. Guitmundus de corporis & sanguinis CHRISTI veritate in Eucharistia. Algerus de Sacramento corporis, & sanguinis Domini. Exinde Scholasticorum turba. Petrus Lombardus 4. distinct. 10. 11. 12. & in eas, Bonauentura, Scotus, Biel, Paludanus, Durandus, de Rubione, Aquila, de Orbellis, de Alliaco, Dominicus Soto, Archangelus Rubeus. Item Thomas Aquinas part. 3. q. 75. 76. 77 & in eas Caietanus: atq; in super tractatu de erroribus contingentibus in Eucharistiæ Sacramento.

VI. Recentiores: Hosius, Confessionis c. 39. Stephanus Gardinerus adscito primum Marci Antonij Constantij nomine in confutatione Cauillationum. Ioannes Gropperus in Enchiridio Colonienſi de Eucharistiæ & libro de præstantissimo altaris Sacramento. Ioannes Fabri Episcopus Viennenſis contra Balthazarem Pacimontanum c. 5. & in sermonibus apud Bohemos. Alter Ioan. Fabri Hailbrunenſis de Missa Euangelica lib. 1. c. 4. 5. 6. Ioan. Eckius Enchiridij c. 11. Andreas Croquetius Catechesibus 126. 128. Nicol. Villagagno ad articulos Caluinianos. Ioan. Roffenſis libris quinque contra Oecolampadium. Claudius de Sainctes Episcopus Ebroicenſis, sex primis repetitionibus. Ruardus Tapperus art. 13. Stanislaus Karnkouski Gnesnenſis Archiepiscopus controu. 4. Ioan. Garetius Louanienſis de vera præsentia corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ. Tiletanus part. 2. defensionis Tridentinæ ad session. 3. sub Iulio tertio, alias 13. Petr. Auratus paradoxo 29. Slotanus contra Velsium art. 14. Ioan. Arboreus Theosophiæ lib. 5. c. 13. Franciscus Panigarolla Episcopus Astenſis disceptatione 15. Alphonsus de Castro Zamorenſis Episcopus de Eucharistia, hæresi 4. & 5. Conradus Klingius locorum Communium lib. 4. c. 11. & 23. De Capite Fontium Archiepiscopus Cæsarienſis Actione 1. in Sacramentarios.

VII. Cuthbertus Tonstallus Dunelmenſis Episcopus de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia, quo titulo vsi sunt etiam Antonius Monchiacenus, Democharis Reſſonæus, & Ioannes Tauernerius Caluiacenſis doctor Sorbonicus. Thomas Stapletonus Anglus, Antidoto Euangelico in Matthæi 26. & Promptuario Catholico super Euangelia in festis, in die venerabilis Sacramenti. Iulius Cæsar Bulengerus Iuliodunenſis responsione Catholica ad tractatum orthodoxum, & responsione ad Ludouicum Blacherium Pastorem Niortensem, & responso Catholico ad Plessæi 4. de Eucharistia. Ioannes Dedehus Sancto antithetis Sacrosanctæ Eucharistiæ, & Cœnæ modernorum sectariorum antithetis 3. 8. 9. 10. & deinceps. Zacharias Bouerius examine 4. doctrinæ Lutheranæ & Caluinianæ in Dominicam quinquagesimam primam. Sebastianus Michaelis Dominicanus responso ad Ioannem Gigordum. Syluester de Laual Capuccinus in correctione Christiana errorum, & impietatum Vignerij. Ioannes Dauyus Perronus tractatu de Eucharistia. Nicolaus Coffetæus defensione Sanctæ Eucharistiæ, præsentiæque realis corporis Christi. Carolus Franciscus Abra de Raconis responsi ad epistolam quatuor ministrorum cap. 3. sect. 11. Franciscus Humblotus in Fantasmate Cœnæ Ministralis. Armandus Ioannes Plessiacus Richelius in præcipuis punctis fidei Ecclesiæ Catholicæ defensis contra scriptum Ministrorum cap. 6. sect. 1. Antoninus Tholosanus Abbas Antonianorum Demonstratione realis præsentiæ.

VIII. Iesuitæ. Robertus Bellarminus libris tribus primis de Eucharistia. Franciscus Costerus Enchiridij c. 8. Alphonsus Salmero tomi 9. tract. 13. adusq; 23. Franciscus Turrianus tractatu de Sanctissima Eucharistia. Franciscus Suares in 3. Thomæ à disp. 46. ad 59. Gregorius de Valentia Commentariorum Theologicorum tom. 4. disp. 6. generali, q. 3. 4. 5. & libris tribus de reali præsentia corporis & sanguinis Christi, & de Transubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi. In examine & refutatione præcipui mysterij doctrinæ Caluinistarum. Petrus Michael in controuersiis de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento Dialogo 1. & 2. Ludouicus Richeomus sanctæ Missæ declaratæ lib. 1. & 2. Petrus Cotonus Institutionis Catholicæ lib. 3. c. 44. 45. 46. 47. 48. Ioan. Maldonatus in Matthæi 26. Benedict. Iustinianus in 11. prioris ad Corinthios. Ioan. Hayus disput. lib. 2. assert. 5. Gabriel Vasques in 3. Thomæ, disput. 179. & proximis sedecim.

IX. Ab istis ingens per singula capita materia futura est. In primo nostra quidem, vt dixi, simplex & constans sententia est: Figuratam esse orationem, *Hoc est corpus meum*; vt sit proprie, Hic panis significat sacramentaliter corpus Christi; siue est Sacramentum, id est, sacrum signum, siue typus, siue antitypon, siue figura corporis Christi.

X. Papistis mens in oppositum. Sanctesius initio statim repetitionum, *Ecclesia Catholica per vniuersum orbem diffusa, hactenus credidit & asseruit sensum institutionis de Eucharistia; quem litera gignit mordicus retinendum esse.* Edmundus Augerius in Cathechismo Gallico. *Verba quibus primus vsus est Christus in instituendo hoc mysterio, quaque quotidie iterantur ex eius diserto mandato, adeo sunt perspicua, vt stultum sit ea alio sensu interpretari, quam eo, quem primo statim auditu auribus ingerunt; Hoc est corpus meum, quod traditur pro vobis: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur: vbi nec figuram, nec tropum, nec metonymiam quærere oportet.* Tonstallus, *Qua verba ab ipsis Ecclesia Catholica post Christum passum incunabulis, absque allegoria vlla, methaphora, tropo, aut figura orthodoxorum omnium consensu semper intellecta, plane declarant Christi corpus, non solum figuratiue, non solum significatiue; sed ipsum verum & naturale, quanquam iam spirituale Christi corpus sub specie panis, & verum naturalemque Christi sanguinem, tametsi iam spiritualem, sub veni specie actu, re ipsa, & in veritate adesse.* Quod plures opus addere? Histrio ridiculus Panigarolla, *Hoc, hoc quod pra manibus teneo: hoc quod vobis porrigo, hoc quod vos oculis carnis non cernitis; nam caro non prodest quicquam; sed quod sub speciebus continetur quas cernitis, hoc quod panis substantia successit: in summa, hoc est. Est, ô Oecolampadi, non signat, non figurat, non significat: sed est re ipsa, vere, præsentia, essentia, sine typo, sine figura, sine metaphora, sine translatione, sine imagine; corpus meum: corpus meum, ô Zvvingli, non signum, non figura, non typus, non arrhabo corporis mei: sed corpus meum. Ita litera habet, sonant & vrgent verba.*

XI. Hic status est quæstionis, quanquam Tapperus paulo aliter, dixerit, *Non est inconueniens tropos in hoc Christi sermone admittere, modo non excludant veritatem præsentiæ corporis Christi.* Et paucis interpositis, *Non igitur oportet hic excludere quemlibet tropum: Nam consecratio calicis necessario aliquem requirit.*

XII. Sed notanda Panigarollæ histrionis impostura; accusantis nos alioquin, quasi perpetuo sensum literalem vrgamus. Verba eius hæc sunt, *Imprimis velim reminiscí vos, auditores, quam importune odioseq; omnes hæretici id agant, vt nos semper verbo Scripturæ Sacræ, quod literam vocant, mancipati simus, vt ab ea, vel expositionibus Patrum, vel Concilij decretis vnquam, ne latum quidem vnguem discedamus, sicut eorum nonnullos non pudeat dicere, Verba, diuinæ accipienda esse iuxta Grammaticæ nudam intelligentiam, ita vt liceat ei per Angelum, nedum per hominem, vim vllam fieri, ne detur aduersariis occasio Scripturas eludendi.*

XIII. Viden ingenium? Nam, quæso, quid illud est de Grammaticæ nuda intelligentia? At quis nostrûm negauit vnquam Rhetoricæ crebrum vsum? Poterant reliqua tolerari: nam etsi detortissima sunt; tamen eadem sunt verba, quibus solemus cum celeberrimis Theologis eos increpare, qui laborant allegorico morbo; & inde se sperant nihil non probaturos per Scripturam. Hac enim notione literam nominamus: nempe sensum, quem intendit Spiritus sanctus per Sacros autores exprimere: non quem otiose quis post eos potest comminisci, captata, imo affectata quadam analogia, quæ in rerum vicinarum similitudine ludat. Hoc certe modo negamus licere, vel Patribus, vel Conciliis, vel Angelis abuti sacris paginis; quas crimen est sibi subiicere eos, qui quicquid habent ingenij, debent illi potius submittere.

XIV. Verum, hic literalis sensus; interdum Grammaticus est, interdum Rhetoricus; vt phrasin histrionis retineam: id est, concipitur verbis propriis; interdum figuratis. Vt cum Lucas dixit, *Remitte nobis peccata nostra*; propria loquutio est; sed idem Matthæo dictum figurate, *remitte nobis debita*

debita nostra: & tamen Matthæi sensus literalis idem ille est, qui Lucæ. Neque enim habebat in animo pecuniæ cuiuscunque condonationem; cuius cum Deo nullum commercium: sed peccatorum. Similiter, Paulus magis Grammaticè dixit, *Panis est communio corporis Christi*: Christus figuratè maluit, *Hoc est corpus meum*: sed huius figuræ sensus literalis ille est. Sic alia plurima.

XV. Itaque distinctione patefit calumniæ impudentia. Litera, vel opponitur extrinsecus allato sensui; vt cùm illud Christi, *Ostende te Sacerdoti*: detorquetur ad auricularem confessionem: & tunc verè à nobis asseritur Scriptura vtendum esse secundùm literam, cui neque Patres, neque Concilia, neque Angeli, queant præiudicium facere. Sed in hoc argumento nihil nobis quidem admittitur contra hoc axioma: etenim quam nos figuram dicimus, ea nihil habet commune cum sensu alieno, & extraneo.

XVI. Vel rursus litera opponitur figuris rhetoricis: quas hic morio habebat in animo, aut certè debebat habere, vt qui de iis ageret. At nos protestamur nunquam dicere, semper instandum esse literæ: qui scimus & in Scripturis, frequentissimas esse figuras: & in vsu communi vix tria verba posse consistere absque earum vsurpatione.

CAP. VII.

Vtrùm verbum substantiuum possit esse tropicum aliquando.

I. ADuersariorum sophismata magno numero dissertam in ordines: vt prima sint à verbis: deinde à regulis interpretandi: postrema à rebus.

II. Esto igitur hoc primum: nusquam formatum quidem, quod legerim: sed facilè colligendum, cùm ex aliis, tum ex Vasque c. 7. disput 179. Et Stapletoni Antidoto in Matthæi 26. Si figurata est enuntiatio, *Hoc est corpus meum*; necesse est figuram constitui vel in subiecto, *Hoc* vel in attributo, *corpus meum*, vel in copula *est*: At neque in subiecto; neque in attributo; neque in copula: Ergo non est enuntiatio figurata. Assumptum probant inductione partium.

III. Respondeo, posse concedi primam propositionem: quanquam videatur excludere enuntiationes allegoricas: in quibus figura continuatur per omnes partes. Cuiusmodi passim plurimæ. Veruntamen eæ à præsenti instituto sunt alienæ. Itaque hanc quidem ob causam pax esto. Sed Assumptio non potest concedi. Nam prætermissis iis qui in attributo tropum locant, non prorsus absurdè: nos certè asserimus copulam esse figuratam. Itaq; aliis sua permissa libertate, nostram rem acturis de copula disputandum. In cuius negotio habemus aduersarios inter se diuersos.

IV. Nam Bellarminus, *Hoc verbum*, inquit, *non potest vllo modo accipi in alia significatione, quàm in sua propria*. Consentit Vasques, Maldonatus etiam: & quidem vehementior: sed suo more, *Nego verbum substantiuum aut Latinè, aut Græcè, aut Hebraicè, aut vlla prorsus in lingua, quam ego nouerim, aut in sacris literis, aut apud alium vllum autorem, etiam apud istos ipsos hæreticos pro verbo, significat, accipi solere, aut etiam posse: homines q; imperitissimos, qui id dicant, esse affirmo*. Potuitne confidentiùs iniri disputatio? Maldonatum imitatus est Iustinianus.

V. Miri homines! sed serò nati confingendis cornicum oculis. Augustinus contra aduersarium legis & Prophetarum libri 2. c 6. *Sic dictum, Anima omnis carnis sanguis est, quomodo dictum est, Petra erat Christus: non quia hoc erat, sed quia hinc significabatur*. En tibi imperitissimum hominem Augustinum, iudice Maldonato, viro scilicet magno; & cui merito cedat, quantumcunque eruditionis fuit vnquam. Sed Augustinum sequutus est Thomas in 1. ad Corinthios, *Petra erat Christus, non per substantiam, sed per significationem*. Glossa Decreti Canone *Hoc est*, de Consecratione, dist. 2. *Vocatur Christi corpus, id est, significat*. Costerus solut. 7. c. 8. non negat in verbis, *Semen est verbum, Petra erat Christus*, dictum pro significat: tantùm aliam eorum rationem esse dicit. Verùm idem eodem capita circa initium disertiùs; in iisdem, *Parabola*, inquit, *& similitudines antecedentes, indicant, illud, est, idem valere quod significat*. Quid plura? Bellarminus concedit, *in explicatione vocabulorum, est, accipi ordinariè pro significat; vt amare est diligere*. Omnesne in imperitis numeraturus est, an agniturus Maledonatus procul se à ratione abductum nimia contentionis pertinacia?

VI. Veruntamen hac missa pertinacia consideremus Bellarminum, qui etsi concedat aliquando sumi pro significat; tamen negat vnquam tropicè: miro sophismate; quod postea imus expensum. Sed nunc audito Tapperum, *Beatus Augustinus epistola ad Bonifacium dicit, quòd secundùm quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est; & Sacramentum sanguinis sanguis eius est: sed secundum tropum tantum, non propriè. Atque secundum hunc tropum loquuti sunt Tertullianus & Augustinus, quando interpretantur verba Domini, Hoc est corpus meum, vt sit sensus, hoc est figura, siue Sacramentum corporis*. Audin' mentem Tapperi disertissimam, verbum, est, aliquando impropriè, & per tropum sumi: & quidem in his ipsis verbis, de quibus est lis ista? Addo Salmeronem tractat. 20. *Verbi substantiui ingenium & natura est, vt quoties res diuersarum naturarum, quæ Latinus dicuntur disparata, vnit & copulat, ibi necessariò ad figuram & tropum accurramus*. Paulo pòst, *Cogeremur ad tropum confugere si dixisset, Hic panis est corpus meum: hoc vinum est sanguis meus: quia esset prædicatio disparatorum*.

VII. Sed Bellarminus disputat quatuor argumentis. Vno: Habet simplicissimam & communissimam significationem, ita vt omnia alia verba resoluantur in hoc, & aliquid aliud: sic enim resoluimus, Homo ambulat, id est, est ambulans: rider, id est, est ridens. Ergo hoc verbum non potest trahi ad significationem alterius verbi: quia tunc posset ac deberet resolui in se, & aliud, quod nullo modo fieri potest, cùm sit omnium simplicissimum.

VIII. Respondeo; Primò, significationem illam quantumuis simplicem & communem, tamen non complecti priuationem sui: hoc est, nunquam per esse, significari non esse: & per esse tale, nunquam designari non esse tale. Itaque saltem in hanc significationem fieri non potest, vt assumatur verbum, est, propriè & absque tropo. Atqui ita nonnunquam vsurpari discе ab Augustino, cuius verba paulo antè citata sunt, *Petra erat Christus; non quia hoc erat: sed quia hinc significabatur*. Item epist. 23. *Vt dicatur ipse dies, qui non est ipse*. Audin' planè & perspicuè? Est Christus, quæ non est Christus. Est dies, qui non est. Nondum intelligis? Adde ista, *Ita sæpe loquimur, vt Pascha propinquante dicamus, crastinam vel perendinam Domini passionem; cùm ille ante iam multos annos passus sit; nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe, ipso die Dominico dicimus, Hodie Dominus resurrexit, cùm ex quo resurrexit tot anni transierunt*. Claret res tota. Cras est passio Domini: figuratè propter similitudinem. Quare? Quia cras non est passio Domini, quæ fuit ante multa secula. Et ausit quisquam negare vnquam verbum substantiuum figuratè sumi?

IX. Rursus: Nunquam, ait, figuratè sumitur, quia vastissimam habet significationem. Atqui contrà potius: Habet vastissimam significationem: ergo interdum figuratè sumitur. Nam profectò figura est aliqua significatio: itaque non potest non includi vastissimo illo significationis ambitu. Iansonius Liturgicorum c. 8. libri 4. *Est, pari passu ambulat cum ente: & proinde sicut inuenitur ens substantiale, accidentale, similitudinarium: ita est in enuntiationibus, interuenit prædicationi substantiali, accidentali, metaphoricæ, pro aliâ, & aliâ, quos copulat habitudine terminorum inter se*. Viden' vnam aliquam *& est* significationem esse similitudinariam, siue metaphoricam, ac proinde tropicam?

X. Ad hæc; quid est impostorem agere, si hoc non est? Nam profectò Papistæ non disputant de vastissima illa significatione: sed de aliqua longè, longeque strictiori. Neque enim similitudinariam volunt: imò impugnant ex professo. Non etiam accidentalem: nolunt enim, Hoc, esse per accidens corpus Christi. Quare solam volunt essentialem. Patet ex quæstionis statu. Quis enim tam stipes, vt oblitus sit Panigarollæ verba, *Est reipsa verè, præsentia, essentia*? Et hoc si quis audiuit, esse verè, reipsa, præsentia, essentia, haberi in ista controuersia pro genuino ac non tropico eius verbi significato perspicit idem.

XI. Quid agis ergo Bellarmine? Aut cur non vides huius tam subtilis annotationis inutilitatem? Nam hanc essendi rationem, quam realem soletis appellare, siue essentialem, oportet illam esse simplicissimam, vniuersalissimam: aut tibi hanc simplicissimam, vniuersalissimam esse inutilem. Quare? quia videlicet si latius ista pateat, tum hac stabilita, non concludes illam, nisi fallaciter ὡς ἐπὶ τὸ συμβεβηκός, vt qui posito genere concludunt speciem. Videamus ergo, sitne tibi audaciæ satis, vt asseras illam essentialem rationem esse vniuersalissimam: id est, septem spicas Pharaonis fuisse res, & verè, & præsentia, & essentia septem annos. Certè, vt reliqua deessent, tuus contradiceret Toletus in 15. Ioannis, *Per similitudinem, non per substantiam Christus vitis, sicut & leo, & agnus dicitur*.

XII. Denique, qui dicunt in Sacramento, esse, sumi realiter, substantialiter; iidem innuunt geminam notionem huic verbo adscribendam, vnam realem, substantialem: alteram non realem, non substantialem. Illam appellant propriam Papistæ, nobis non nolentibus: istam nos figuratam. Tene inuito? vt voles. Caue enim nos credas tam amatores verborum, tam pugnarum sectatores; vt si res constet, velimus de sono rerum digladiari. Dato nobis illam vniuersalissimam, simplicissimamque rationem, aliàs realem esse, aliàs non realem: dato in hoc enuntiato, esse non realem: ac tum pro arbitrio tuam illam simplicissimam, vniuersalissimam dicito nunquam esse posse non propriam. Habebis nos, spondeo, minimè omnium inuidentes tantulum tibi rei malæ gestæ solatium.

XIII. Sed esset resoluendum in se & in aliud. Esto, inquam: quid tum? fieri non potest, aiunt. Quidni? Quia est omnium simplicissimum. Imò æquè compositum, ac reliqua. Nam vt Amat, resoluitur in Est amans, ita *est*, in est ens. Deinde simplicissimum est, sumptum non tropicè. Sed si non propriè: nihil est incommodi. Itaque *Petra erat Christus*: quia dicitur pro significat, facilè resoluitur, in Petra erat significans Christum. Et qui apud Papistas interpretantur, continere, facile dixerint, Hoc est continens corpus meum: & qui olim dixit, Amicus est alter ego: significabat Amicum esse tam bene affectum in se, atque ipsum se. Item Herodes est vulpes, significat, Herodem esse similem vulpi. Sic mille exemplis fit manifestum, Est, in figuris non esse simplicissimum, & posse resolui.

XIV. Venio ad secundum argumentum; Hoc verbum, est copula omnium propositionum, coniungens prædicatum cum subiecto: Ergo est in omni propositione necessarium: ergo nunquam potest dimittere suam significationem, vt induat aliam. Addit Breuiator: Quòd si suam variaret significationem, variaretur quoque veritas propositionum.

XV. Dimittere suam significationem; quid hoc est? Absolutene, an καθ' ἕν? Dicam planiùs. Absolutè dimitti significationem dico; cum fit prorsus alia: vt Taurus dimittit suam, qua designabatur animal tale, cum dicitur de monte in Armenia: aut eam qua notabat animal rationale, cum aptatur philosopho. Καθ' ἕν autem dico, cum significatio inducitur non prorsus alia, sed vicina, similisque. Fonseca institutionum dialecticarum libro 1. c. 19. distinguit homonyma casu & consilio: illa quæ diuersis omnino rationibus suis congruunt significatis: Ista, quæ diuersis quidem rationibus, sed ita tamen vt quodam modo sint eadem. Vtrovis modo Bellarminum falli dico. Nam in Ironia, qui tropus est, siue figura; omnia verba sic mutant. Et hoc nominatim. Patet; quia in ipsum resoluitur omne verbum in quacunque propositione; vt mouit Bellarminus. Cum igitur ironicè dico, Petrus amat, significo Petrum non amare. Quare cum resoluo, Petrus est amans; significo itidem Petrum non esse amantem: ac proinde vt verbum amat, affirmationem mutat in negationem, sic etiam verbum, esse; quæ opposita significatio est. Habemus exemplum Genes. 3. *Ecce homo fuit* (sic enim Hebraicè: Græcè ὡς εἷς, Latinè, *factus est*) *sicut vnus ex nobis*: Vbi *Sa, Ironia est*. Et Pererius, *Hoc ferè omnes interpretes censent à Deo dictum esse per ironiam*.

XVI. In reliquis tropis mutatur significatio secundo modo. Nam cum dico, *Prata rident*; etsi verum sit, non ridere absolute, quomodo ridet homo: tamen verum est; habere aliquid accedens ad hominem ridentem: itaq; non mutatur absolute & prorsus: sed inflectitur: Quod accidere verbo, esse, nihil habet absurdi: vt designet id, quod etsi re vera non sit; quomodo re vera prata non rident: tamen aliquid habeat accedens ad id quod est; quomodo prata ad ridentem. Hinc patet argumenti solutio; cum consequen-

tia concedi non debeat: Si sit necessarium in omni propositione, ergo non mutare suam significationem.

XVII. Breuiatoris ratio eodem modo refutatur: non enim est verum, si mutetur significatio, mutari veritatem. Cur enim in eo verbo potiùs quàm in vllo alio? Nimirum ita res est: mutari veritatem si mutetur significatio; dummodo intelligatur vtrobique eadem sententia: vt si cum dico, Homo ridet, alia erit veritas, si ridere in eadem propositione sumatur propriè; & alia si figuratè. Et sic in ista controuersia; quæ veritas est apud nos, cum dicimus figuratè, *Hoc est corpus Christi:* mutatur in mendacium apud Papistas, cùm dicunt propriè. Sed longè alia ratio est mutationis, de qua nunc agitur: hæc enim intelligitur in variis propositionibus: Exempli gratia, Homo ridet, & prata rident: vtrique constat sua veritas: etsi aliter atque aliter ridendi verbum significet. Similiter, Filius Mariæ erat Christus, & Petra erat Christus; veritatem habent constantem: sed prius propriè, posterius figuratè.

XVIII. Tertium argumentum. Tropi non ponuntur in verbis, nisi ratione peculiaris alicuius rei, seu naturæ, quæ in vno verbo implicatur, & non in altero: vt verbi gratia, ridere sumitur tropicè, propter risum, quem significat: & sic de cæteris. At hoc verbum, *est*, nihil significat nisi coniunctionem vnius cum altero, aut ipsum esse commune cum omnibus rebus: vnde dicitur substantiuum, & alia adiectiua. Quare fieri non potest vt in eo sit aliquis tropus.

XIX. Nimis obscurè. Nam primùm quid est, in vno verbo, & non in alio? Quo sensu, inquam, dixit vnum & aliud? Numerone, vt comparetur vnum ipsum sibi, sed in diuerso vsu? Exempli gratia, vt sit particularis res illa in verbo ridendi, cum dico, ridere hominem: & non sit in eodem illo verbo, cùm dico, prata ridere? Concedo. Sed in assumptione peccatur. Non enim eadem res est in, Petrus est homo, & in, Petra est Christus. Illic enim in eo verbo substantia est, in isto autem significatio. Itaque nihil obstat quominus in eodem verbo sit tropus. An potiùs vnum & aliud verbum dicit specie: putà, ridere, & florere? Non capio: nisi distinguas vsum proprium à figurato. Verum est enim propterea tropicè dici ridere; quia huic non insit ex proprio vsu, ea res, siue natura, quæ propriè in florere. Sed absolutè non esse, falsum. Quia si non esset in ridendi verbo, saltem improprières illa, siue natura, quæ in florendi, tum verò non esset tropicum. Nam vel nulla inesset res, vel propriè. Illud absurdum immaniter: hoc contra hypothesin.

XX. Rursus quis conceptus, *Est, nihil significat nisi coniunctionem vnius cum altero. aut ipsum esse commune cum omnibus rebus?* Disputarentne; vt cùm dico, Solem aut Lunam: An verò ἐξηγητικῶς; vt si poëtam, aut vatem? Si sit disparatio, vt coniunctio pertineat ad copulationes terminorum; Esse autem commune ad singularum rerum & per se consideratarum τὸ εἶναι: nihil est quòd de hoc *communi esse*, simus soliciti: quod pertinet ad eas tantum enuntiationes, in quibus hoc verbi est attributum: vt, Deus est, Lapis est, Mundus est: quibus nihil simile in nostra disputatione, cui subiectum enuntiatio constans ex subiecto, attributoque & copula. Itaque vel hæc disparatio inutilis est & otiosa: vel ἐξήγησιν oportet concipi: & illud *commune esse*, designat eandem ipsam coniunctionem terminorum. Itaque respondeo non sequi: si, *est*, nihil aliud significet, quam coniunctionem terminorum; ideo non sumi tropicè. Ratio est, quia non omnes coniunctiones vniuoce dicantur: sed aliquæ etiam æquiuocè. Quemadmodum ens aliter de substantiis dicitur, aliter de accidentibus: quia videlicet secundum aliam, & aliam definitionem atque notionem. Similiter *Petra erat Christus*, non eodem sensu dictum, quo dictum, *Deus erat in Christo*: vel, *Vir erat in terra Hus*: sunt autem hæc in sensu proprio: ast illud, omnibus confitentibus, in sensu figurato. Quare etsi in *Petra erat Christus*, designetur coniunctio: æquè ac in, *Vir erat in terra Hus*, tamen in illo tropus est. Fallitur ergo Bellarminus perniciosè, vt alias non rarò.

XXI. Superest quartum argumentum. Nullus vnquam Rhetor scripsit tropum fingi posse in verbo, *est*. Euge: quid superest præter triumphum? Scilicet scripsit quisquam Rhetor in verbo fermenti posse esse tropum. Sed non eo longius: vno verbo conficiam Bellarminum. Nemo vnquam Rhetor scripsit tropum nullum esse posse in verbo, *est*. Addo, non paucos Theologos admonuisse, non tam esse posse, quàm re vera esse. Quo prætextu Rhetoras suos mutos, oppositurus est Theologis nostris loquentibus?

XXII. Sic illis disputatum: quibus constanter opponimus experimentum, contra quod disputare summæ est insaniæ. Primò, manifestum est in explicatione vocabulorum, *est*, accipi ordinariè pro significat: vt, amare est diligere; id est, significat.

XXIII. Bellarminus concedit, & tamen negat esse tropum. Nam quia in eiusmodi sententiis prædicatur signum de signo, ideo explicari, *est*, per significat: quia essentia signi sit significatio: itaque, *est*, significare esse: sed quia ipsum esse, sit significare in vocibus: ideo explicari ipsum, esse, per significat: quod non possit in alijs, in quibus quod prædicatur formaliter non est signum.

XXIV. Ergo, inquam, ante omnia mentitus est Maldonatus, quum audacter negauit vnquam fieri, vt, esse, sumatur pro significare: nisi fortè patiatur se Bellarminus ab eo redigi in ordinem imperitissimorum. Sed ad rem. Concedit ergo Bellarminus quoties prædicetur signum de signo, tunc, esse, sumi pro significare. Velim clariùs exponi: nam profectò quid sit prædicari signum de signo, non concipio quid sit. An relate, vt alterum sit alterius signum vicissim? Absurdum & impossibile: Nam relatio hæc postulat dici signum, & signatum potiùs: exempli gratia, vt si amare sit signum; diligere sit signatum, aut contra. An verò aliter, vt vtrumque signum dicatur relate ad aliquid tertium: nempe ad conceptum mentis, in quem vtrumque concurrit? Esto sane. Sed nullam tum figuram esse, insolentissima assertio est. Nam tunc disparati termini: adeò vt non possint alter de altero dici enuntiatione propria, vt professus paulo ante Salmeron.

XXV. Sed, inquit, essentia signi est significare. Totane, inquam? Nam id negatur: est enim forma duntaxat: nam materia est alia; & hæc in vocabulis, sonus, vnde duo signa sunt reapse distincta & disparata: vt Augustinus dixit, variis sacrificijs olim significatum vnum illud quod est in cruce peractum, vt verbis variis. Quomodo igitur hæc eandem rem significantia, tamen erant multa, ideoque diuersa nec erat sacrificium agni, vnum idemq; cum sacrificio Tauri; sic etsi idem significent, amare, & diligere, tamen amare non est diligere, quatenus signum est; sed duntaxat ratione rei significatæ: quæ signum nullo modo potest dici.

XXVI. Longe facilius dictum esset; alterum putà diligere, implere non sui tanquam signi; sed rei significatæ locum: vt designet motum illum voluntatis, quem aliàs significare solemus per huiusmodi verbum. Sed tum periret Bellarmino sua subtilitas. Nam suppositum, amare, sumeretur pro signo, id est, sono aures feriente; qui sine tropo non potest, aut esse, aut dici motus voluntatis: Nam neque motus hic aures ferit: neque sonus voluntatem mouet. Ac proinde vera & propria loquutio esset, amare non est diligere. Quadrat autem hoc exemplum huic nostræ enuntiationi; in qua sine dubio habes signum, & signatum, vt aliàs probaturi sumus.

XXVII. Breuiter, argumentum Bellarmini ita est. Quorum essentia eadem est, hæc de se proprie enuntiantur: At verborum essentia eadem est: Ergo verba de se vicissim proprie enuntiantur. Respondeo, essentiam dici, vel totam vel partem. Si totam dicas, conceditur maior, nam sic identicæ propositiones sunt propriæ, sed negatur minor, quia sonus ipse qui efficit partem vocabulorum, non est idem in diuersis. Sin partem, conceditur minor; quia conceptus mentis idem est in variis vocabulis; cùm in eadem lingua, tum in diuersis, sed negatur maior: Nam etsi in boue pars sit substantiæ quæ in aue; tamen de boue auis nunquam proprie poterit enuntiari.

XXVIII. Habemus alia exempla, in quibus, *est*, improprie sumitur, Geneseos 17. *Hoc est pactum meum*, id est, Circuncisio est pactum meum. Exodi 12. *Agnus est phase Domini*, id est, transitus. Matthæi 3. *Columba est Spiritus Sanctus*. Prioris ad Corinthios 10. *Petra erat Christus*. Geneseos 41. *Septem boues sunt septem anni*. Matthæi 13. *Semen est verbum Dei*. Has omnes enuntiationes non tantùm constat apud omnes esse tropicas, sed etiam apud nos tropi sedem esse ipsum illud verbum, est, quomodo in hac nostra, *Hoc est corpus meum*.

XXIX. Hic verò antequam de re ago necesse est amoliri calumniam apud aduersarios plurimos celebrem, quasi nos ab his exemplis concludamus ad verba Domini, quia illa sint figurata, esse etiam hæc similiter. Rossensis contra Oecolampadium c. 1. libri 2. *Haccine tibi iusta consecutio visa est, Paulus tropo dixit, Petra autem fuit Christus: Ergo & Christus cùm dixit, Hoc est corpus meum, tropo similiter vsus est.* Hæc vestigia sequutus est Alphonsus de Castro. Nec Sanctesius putauit indigna, quibus insisteret, Repetitionis 3. c. 3. Bellarminus ita Caluinum arguit capite 11. *Sextum*, inquit, *argumentum sumunt ex variis locis Scripturæ, vbi, est, accipitur pro significat.* Et indicat Institutionis section. 21. & 22. cap. 17. quarti Institutionis. Richeomus capite vicesimo primi de Missa, *Hi & similes loci, quos Plessiacus enumerat, non possunt sumi literaliter: similiter ergo hæc verba, Hoc est corpus meum, non possunt sumi ad literam, sed figuratè vt illi.* Mitto alios.

XXX. Verùm præter impudentem nequitiam, nihil est in hac accusatione, neque potuit vllus nostrûm indicari, à quo prolatum id sit argumentum. Caluinum certe si legas, inuenies tantum hæc exempla enumerasse ad confirmandam propositionem generalem; non ad particularem conclusionem, id est, ad probandum metonymicum sermonem vsitatum esse in Scripturis, non verò hunc esse metonymicum. Verba sunt diserta, *Dico metonymicum esse hunc sermonem, qui vsitatus est passim in Scriptura, vbi de mysterijs agitur: neq; enim aliter accipere possis quod dicitur, Circuncisionem esse fœdus:* & reliqua. Neque in Plessiaco quicquam occurrit dissimile. Imò cùm sibi opposuit aduersariorum μορμολυκεῖον: Nihil esse his verbis clarius; tum video proferre illos, quos diximus locos, c. 2. quarti de Eucharistia. Quòd si quis sit, qui perinde accipiat; ac si à particularibus inductam conclusionem particularem; næ is, quid sit logica, profectò nunquam vel audiendo didicit, aut certe ad maledicendum procliuior, quàm ad bene iudicandum habitior. Sed in Oecolampadio res est tam aperta vt nullum colorem admittat. Is enim ita scripsit, *Tempus est vt accedamus ad id, in quo status est sermonis: nempe vt probemus verba Cœnæ Dominicæ eodem tropo dicta, quo illa quæ Apostolus dixit, Petra autem erat Christus.* In Zuinglio adhuc amplius; in de vera & falsa religione, *Scriptura locos adducemus, in quibus negari non potest, hanc vocem, est, omninò pro significat, esse positam. Post euidenter probabimus etiam hoc loco, est pro significat, oportere accipi.*

XXXI. Ad rem venio. Maldonatus vt tueatur imperitissimos esse quicunque in verbo, *est*, tropum quærunt. In omnibus, inquit, illis figuratis loquutionibus, quæ ab istis asseruntur, aut ab vllo homine afferri, vel excogitari possunt, si quæ figura est, non hæret in verbo, *est*, sed aut in subiecto, aut in prædicato. Cum dico, agnus est pascha, figura est in nomine paschæ; quod nomen sumitur non proprie pro transitu, sed pro agno qui transitum significabat. Cum ostensa Herculis imagine dico, hic est Hercules; figura non est in verbo, est, sed in nomine Herculis, quod cum viuum & verum Herculem natura sua significet, hic pro Herculis figura positum sit. Qui verbo substantiuo figuram affingunt, ad Grammaticorum verbera mittendi essent.

XXXII. Commote satis, & tumide, atque impotenter. Sed id viri ingenium, siue à natura factum, siue ab institutione formatum, siue vtrumque. Nam & Hispanus fuit; qua gente nulla gens confidentior sui, & Iesuita, qua secta nulla secta magis despiciens aliorum. Quòd si ab vtraque seorsim nihil potuit sperari moderatum, quid, cum vtraque qualitas confluxit in eundem? Non promittat Iernam malorum? Sed enim, quod nobis tam præluxit infaustum sydus, vt oporteat obnoxios esse, siue Hispanicæ insolentiæ; siue Iesuiticæ temeritati? Visum Maldonato Iesuitæ Hispano Paschæ nomen, & Herculis esse tropicum: sed eidem visum non probare; tantùm sustentare vna sui nominis autoritate; & omnes oportebit post eum, neque hiscere? Auertant terris portentum sydera.

XXXIII. At nos indefinita nomina multa scimus esse tropica: vt vulpem, fermentum, leonem, agnum; infinita similia: sed rem indiuiduam, certam, & suis omnibus circunstantiis definitam; nondum vidimus tropice dici. Scimus etiam nomina propria vsurpari improprie, vt cum Herculem dicis pro forti: cum Iobum pro afflicto: cum Iscariotem pro proditore; &infinita

finita huiusmodi: sed tum scimus, induere vim indefinitorum, per synecdochen indiuidui pro specie, Itaque nunquam dictus est quisquam ille Hercules, præter vnum natum Alcumena. Cum ergo audimus Agnum esse transitum Domini, quia transitus non est nomen indefinitum, sed designat illum vnum transitum, quum prætergressus Angelus domos Israelitarum, cæcidit duntaxat primogenitos Aegyptiorum: at hic transitus sic suis circunstantiis designatus, non possit nisi seipsum significare; profecto non videtur sanæ mentis tropum in eo quærere. Nam omnis tropus transfert significationem vnam in aliam. Significatio autem nominatur, non pro modo significandi, sed pro re significata: Itaque alia significatio aliam rem designat: ast in indiuiduo non potest alia res esse, & alia. Iam cum dicimus, hæc imago est Hercules: primo, manifestum est hanc imaginem designari vnicam illam, quæ præsenti actu sensibus monstratur: itaque nemo contendit figurate dici: Sed & Herculem intelligimus non indefinitè quemcunque fortem: sed illum ipsum natum Alcumena matre, & nobilem duodeno certaminum numero, reliquisque suis descriptum circunstantiis: quare non potest etiam hic terminus significationem variare, contra quam imaginabatur Hispanus Iesuita.

XXXIV. Non nego sic resolui; vt hæc imago Herculis: sed quo argumento docuit Maldonatus sic explicari Herculis homonymiam, potius quam verbi ipsius? Atqui profecto non dubitabatur quem haberes in animo Herculem: nam id nominis eundem mihi conceptum mentis ingenerauit quem tibi: sed poterat ambiguum esse, quomodo illam imaginem diceres esse Herculem. Itaque longe aptius, est imago, designat rationem illam essendi vt ne sit propria & substantialis, vt si dicerent, Is qui eduxit Cerberum ab inferis fuit Hercules, sed tantum tropica, quomodo solent rerum nomina adscribi suis signis. Et hæc ratio eadem est omnium aliarum enuntiationum à nobis enumeratarum.

XXXV. Bellarminus. In eiusmodi locis, sine tropo potest accipi, *est*, pro significat, quia essentia talium rerum tota posita est in significando. Cum dicitur, *septem boues sunt septem anni*: non est sensus, quod boues significent annos: sed quod boues in visione ostensi sunt ad significandos annos. Porro hæc sententia, *Hoc est corpus meum*, non est explicatio signi, aut parabolæ, sed assertio rei.

XXXVI. Vt paulo ante in vocabulis λογομαχία est puerilis: At nos nunquam futuri sumus tam alieno à Papistis animo, vt non admittamus libentes, non figurate in enuntiatione sacramentali, sed proprie vsurpari, *est*, pro, *significat*. Quinquam καθ' ἕκαστα est ridicula: vt cum quis niuem nigram excusabat, quod nigrum diceret pro albo. Porrò nobis persuasum, totam substantiam Sacramenti, sic esse in significando, quomodo boum illarum, non quidem quatenus aut hæ boues, aut illa elementa, sed quatenus vtraq; signa: quod si refutarit Sophista, tũ illæ suæ causę fecerit operæpretiũ.

XXXVII. Dissimilitudinem prærendit absque causa. Primo, inepte disparantur, Explicatio signi & assertio rei: quasi non possent concurrere. Atqui vbi agitur de signis, rei assertio, est ipsa explicatio signi, vt qui septẽ annos asserebat futuros fertilitatis; idem explicabat septem boues pingues. Et qui explicabat semtn iactum in varias terras: idem asserebat verbum Dei variis ingeniis prædicatum iri. Deinde falsum est, hæc verba, *Hoc est corpus meum*, non esse explicationem signi. Scio sæpe negatum Sophistæ; sed nulla repetitione scimus emendari mendacium.

XXXVIII. Hæ fuerunt solutiones generales: nunc particulares in sollicitandis, sugillandisque exemplis: vt non tantum constet malè nos argumentari, sed etiam malè diligere. Primum exemplum est Circuncisionis, quę testamentum, siue fœdus dicitur. Id propriè dictum volunt. Nam Bellarminus dupliciter dici testamentum propriè, vel ipsam testatoris voluntatem: vel eius voluntatis instrumentum. Priori modo Circuncisionem dici signũ fœderis: Posteriori verò fœdus, siue testamentum: sed vtroque propriè. Vega paulo aliter. Non ipsam Circuncisionem dici fœdus, sed Circuncisionis mandatum. Itaque vrget locum, *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos: & semen tuum post te: Circuncidetur ex vobis omne masculinum.* Igitur per pronomen, *hoc*, referri volunt illud, *Circuncidetur ex vobis omne masculinum.* Propriè autem, hoc mandatum, dici pactum, siue fœdus.

XXXIX. Sed Bellarminus nemini est persuasurus instrumentum postremæ voluntatis esse testamentum propriè & sine tropo: etiam si vsitatissimum, Nam re vera tropus est: & quidem eius generis quem dicimus. Nam id instrumentum; voluntatem eam continet, tanquam signum: quoniam ex verbis constat scriptis, quibus significari voluntatem moris est publici. Itaque eadem, quæ primum dicitur testamentum, statim dicitur signum testamenti.

XL. Quanquam Circuncisionem esse hoc modo instrumentum testamenti falsum est; quomodo, inquam, indicari solet eo nomine contextus ille verborum. Nihil enim tale in ea: sed signi aliud genus quod mentem afficiat, sed per tactus sensum, & per visum: quomodo etiam panis & vinum signa sunt corporis, & sanguinis.

XLI. Qui intelligunt fœdus pro articulo, id est, parte vna fœderis, ne audiendi quidem sunt. Etenim absurdè diceretur postea signum fœderis. Non enim ita solet: aut etiam debet: quoniam non potest signum fœderis esse fœdus ipsum: At pars fœderis est fœdus ipsum; & quidem substantialiter: quanquam synecdochicè. Circuncisio autem & signum fœderis erat; & ita disparabatur ab eo. Pererius in 17. Geneſis, *Quinque insignes & notabiles res traduntur hoc capite. Primò, fœdus initum inter Deum & Abraham: Deo promittente ei multiplicationem seminis, & possessionem terræ Abraham & posteris eius; perpetuum nominis sui cultum, & præceptorum suorum obseruationem. Deinde huius fœderis signum & monumentum esse voluit Circuncisionem.* Rursus ad versum 4. *Non est nouum hoc fœdus nec ab eo diuersum, quod suprà, capite decimo quinto narrauit Moses pepigisse Deum cum Abraham: sed est planè idem, cùm eadem illic atque hic Dei promissa commemorentur. Illud igitur renouatur hic: & causa renouandi eius fuit, noua institutio Circuncisionis, quam Deus huius sui fœderis illustre quoddam signum ac perpetuum monumentum esse voluit. In omni autem isto inter aliquos fœdere, necesse est vtrinq; extare aliquid promissum, & mutuam ad aliquid obligationem: quod etiam in hoc fœdere cernere est Etenim duas res promisit Deus Abræ, multiplicationem seminis, & possessionem terræ Canaan: duas item res ab ipso Abram, & posteris eius vicissim exegit: vt vnum ipsum pro vero Deo colerent: eiusq; pa-*

cta, mandata, & præcepta sanctè custodirent. Huius porrò fœderis signum esse Circuncisionem voluit.

XLII. Hæc sunt per se clara. Itaque, Sa annotauit: Pactum, id est signum pacti. Edmundus Augerius art 5. c. 1. *Hebræi appellant Circuncisionem fœdus; quod Circuncisionz designabatur.* Optimè ad tem nostram. Nam quemadmodum nunc dicimus; *hoc est corpus meum*, id est: Hoc est signum corporis mei: Sic olim, *hoc est pactum meum*, id erat, Hoc est signum pacti mei. Vt manifestissimum sit, verbum, est, vsurpari pro significat: vt contendebamus.

XLIII. Vega assertione sexagesima quarta. Licet ita scriptum esset, Circuncisio est pactum: minimè tamen signum pro re in Sacramento, vt Sacramentum erat, signata, positum esset. Nam res signata, in Circuncisionis Sacramento erat, Paulo docente, Circuncisio spiritualis. Scriptum ergo esse debuisset, Circuncisio carnalis est Circuncisio spiritualis: vt inde concluderent, posse etiam dici, Panis, hoc est signum Sacramenti, est corpus Christi, hoc est, res in Sacramento significata. At quis vnquam sic locutus est, Circuncisio carnis, est Circuncisio cordis?

XLIV. Nempe ergo negat Iesuita Circuncisionis rem significatam, fuisse pactum. Ita sanè Decuit Sophistam, & quidem Iesuitam: etiam contradicere diserto Dei verbo. Nam quid est: *Circuncideris carnem præputij vestri: Et erit in signum fœderis.* Audin' disertè signum fœderis? Aut potestne id esse, vt non sit fœdus res significata? Sed hæc est Circuncisio cordis, inquit. Ita sane, inquam. Verum hoc non quæritur: sed vtrum non sit pactum. Non sunt autem contraria, vt res significata Circuncisionis sit pactũ, & sit Circuncisio cordis. Nam illud absque hac esse non potest. Itaque sunt subalternata. Nempe Circuncisio cordis, pars fœderis inter Deum & hominem: nempe quam præstare debet homo Deo, vt sit eius Deus. At nemo dixit, Circuncisionem carnis, esse Circuncisionem cordis. Quid ad me, inquam? At Scriptura dixit Circuncisionem esse pactum: & hinc mihi argumentum. Deinde quid tum si nemo dixit? At potest dici; eadem illa poscente analogia, quam dicimus.

XLV. Alterum exemplum erat ex Paulo, de petra, quæ erat Christus. Ioannes Fischerus contra Oecolampadium libri 2. c. 1. *Hoc est*, inquit, *cui tu potissimùm inniteris, quod Paulus hac verba trope quodam protulit. Nos igitur si nullum his verbis tropum subesse docuerimus, an non subuerteretur, quicquid ipse superadificasti? At istud, opinor, dilucidè monstrabimus.* Fischerũ sequutus est Alphonsus de Castro, etsi non tam disertè professus: sed ratiocinatione tamen vsus eadem. Sequutus itidem Iansenius Concordiæ c. 131. Sed & Bellarminus c. 11. libri 1. *Secundùm Chrysostomi, Theophylacti, Theodoreti, Ambrosii expositionem veriorem, & literalem, non accipitur de petra materiali; quæ significaret Christum: sed inuisibili, & spirituali, quæ Petra verè & propriè erat Christus, vt Deus* Argumentum omnibus. Non illam designari petram quæ fuit in deserto, & vnde fluxit Israëlitis potus corporeus: sed aliam, quæ esset spiritualis. Hanc autem κατ' ἐξοχὴν fuisse Christum: & ita interpretatum esse Chrysostomum. Rursus illa petra vnde erant aquæ, non sequebatur populum: Ast hanc petram spiritualem sequutam esse: Ergo non eandem fuisse.

XLVI. Nullum tropum fuisse: sed prorsus ad literam. Insana promissio; & quicquid contra fuit expositorum. Lyranus, *Figuratiuè; eo modo loquendi, quo imago Herculis Hercules nominatur.* Thomas, *Non per substantiam, sed per significationem.* Carthusianus, *non essentialiter, sed figuratiuè, id est, Christum figurauit: sicut de imagine alicuius sancti dicimus, quòd sit ille, vel ille Sanctus.* Gagnæus, *Id est, Christum significabat.* Guillaudus, *Id est, Christum significabat postea nasciturum* Iustinianus, *Petra verò erat Christus significatione & symbolo: sic enim plerunq; Scriptura loqui solet, vt symboli nomen rei quæ significatur symbolo tribuat.* Olim Augustinus contra aduersarium legis & Prophetarum c. 6. lit. 2 *Non quia hoc erat: sed quia hinc significabatur.* Tractatu in Ioannem 26. *Petra Christus in signo.* Quid plura? Richeomus hanc ipsam controuersiam disputans c. 20. lib. 1. de Missa, *Verba Pauli, Petra erat Christus, tali sunt textu posita, vt statim appareat figurata esse.* Turrianus de Eucharistia tract. 1. c. 2: *Annon vides, Volane, cùm Paulus dixit, & quidem bis, hæc in figura contigisse illis, interpretatum esse, petram illam fuisse Christum figuratè? ac sic planè accipiendum esse, quod dixit, Petra autem erat Christus, vt si diceret, etsi non dicit, quia non opus est, petra autem significabat Christum?* Iustinianus in paraphrasi, *Petra erat Christus, significatione ac symbolo, sic enim plerunq; Scriptura loqui solet, vt symboli nomen rei quæ significatur, symbolo tribuat, & contra symbolum rei significatæ nomine nuncupet.*

XLVII. Et sanè hæc maior fuit Salmeronis tractatu vicesimò, *Quoties verbum, Est, res diuersarum naturarum, quæ Latinis dicuntur disparata, vnit & copulat, ibi necessariò ad figuram & tropum recurramus.* Adde nunc minorem ex Gardinero ad obiectum 13. *In hac* enuntiatione *Christus disparatum prædicatur de petra disparato, & ex duobus disparatis conficitur propositio, Petra erat Christus.* Et plena exibit demonstratio: Ergo in hac propositione necessariò ad figuram & tropum recurrendum est.

XLVIII. Minorem negat Fischerus, & Alphonsus. Nam Petram hanc reapse Christum esse. Sed hic conceptus est impossibilis: quoniam petræ definitio nullo modo potest Christo conuenire: Itaque Renatus Benedictus Panoplia in hunc locum, *Cui obscurum esse potest hoc loco tropum esse, quum nemo dubitet Christum nunquam fuisse substantialiter petram?* Et sanè res est in promptu. Non potest enim fieri vt vna substantia indiuidua, sit alia substantia indiuidua: eo ipso quòd numero differunt: At qui hoc esse illud, significat aut omnino non differre, vt cùm Filius Mariæ dicitur Christus, aut certè non differre numero; vt, Hic paries est albus. Nam albus, & paries etsi definitione distant; tamen numero non differunt, sed ratione duntaxat. Ast illa petra, erat vnum indiuiduum in rerum natura per se subsistens, & Christus est aliud indiuiduum in rerum natura itidem subsistens, quare duo numero.

XLIX. Imò, inquit, petra spiritualis est Christus propriè. Negatur, inquam, nam petram dicis, vel petram illam in deserto scaturiginem aquarum illarum, vel aliquid simile illi petræ. Priori modo constat ea, quam dixi, numeri differentia, altero autem, qualitas est quædam similis qualitati, quæ est petræ naturalis. Si prius, nostra est metonymia: Si posterius, saltem est metaphora, vt explicat odio nostri Iustinianus, *Metaphora*, inquit, *est in nomine petræ, & nomine vitis, quæ, quia typum & symbolũ continet Christi, metaphoricè*

atque

atque improprie de eo affirmantur ea ratione, qua pratis tribuitur risus. Sed verius Turrianus de Eucharistia cap.2. *Quia vetus illud manna, quod pluit Dominus de cœlo, non erat re, & veritate corpus Christi, sed in anigmate & parabola opertam rationem contemplationis habente, iccirco Paulus escam spiritualem vocat: similiter potum illius aquæ, quæ ex petra fluxit, spiritualem appellat, quia in spiritu, id est, secundum mentis intelligentiam, & non vt secundum sensum extrinsecus apparet, significabat potum sanguinis Christi, & petra, item spiritualis, eadem ratione vocata est, quia Christum secundum sensum spiritualem repræsentabat.*

L. Sed petra illa non sequebatur Israelitas, inquit: Negatur hoc, inquam: nam Paulus diserte dicit omnes Israelitas; etiam qui non placuerunt Deo, bibisse de petra sequente: quod non potest esse verum, nisi vel de Christo, vel de illa petra deserti. At de Christo non potest, saltem proprie, nam quicunque edit carnem, & bibit sanguinem eius habet in se vitam: Sed de petra illa potest: quomodo de dolio, vel etiam de vinea quis dicitur bibere; qui vinum tamen bibit, neque ex dolio, neque ex vinea proxime, sed ex calice: tamen haustum de dolio; & natum in vinea. Quomodo etiam petra dicitur sequens, non proprie per se, sed improprie, & per effectum, nimirum aquam; quæ Israelitis præsto erat. Sa, *Notu & hic, & Numerorum vicesimo primo significari aquam, quæ de petra fluxit, secutam fuisse Iudæos per desertum.* Quanquam alios scimus aliter exponere: sed vtcunque sit, tamen constat ex contextu illam indicari petrã, quæ erat in illo deserto.

LI. Costero non fuit audaciæ tantum; vt hic negaret tropum esse: nec tamen causæ voluit videri deesse. Non est, inquit, similis ratio. Quamobrem vero? Quia nullum ibi ponatur pronomen demonstratiuum; quale ponitur in his verbis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.*

LII. Respondeo, primum non arguere nos ab his Pauli verbis, ad illa Christi verba: sed ab hoc loco ad thesin, quæ asserat, Verbum, est, non semper sumi proprie. Itaque nihil in Costeri subtilitate esse momenti: Nihil enim obstat, quominus ad idem axioma referantur varia exempla: non tantum numero, sed etiam specie. Deinde immerito negatur similitudo: Hæc enim intelligenda secundum id, quod propositum, non secundum omnes circunstantias. Exempli gratia, si probandum sit, omne animal viuere; tunc similia exempla sunt, Homo, & bestia; quantumuis constituant varias species: quibus singulis sua sit definitio. Sed quoniam hæc definitio ita speciem constituit, vt non tollat genus: ideo non efficiat vt non habeat animam bestia, æquè cum homine, etsi longe alius naturæ animam: ideo nemo sanus negaturus est ad hanc rem similia esse, quæ si comparentur, cum de ratione sermo esset, nemo foret non exsecraturus ἀκεφαίαν.

LIII. Itaque inanis est obiectio pronominis. Id enim pertinet alio, quam ad verbum, *est*, de quo suscepta disputatio. Tum autem quis ignorat pronomina esse nominum loco? Itaque necesse est in his verbis designari aliquod nomen. Totum ergo discrimen in eo est, quod cum Petra dicitur Christus: subiectum enuntiationis nomen sit expressum: cum vero *Hoc est corpus meum*; non nomen, sed pro eo demonstratiuum est. Et sane Matthæi vndecimo, qui legit, *αὐτὸς ipse est Elias*; pronomen audiens, nihil cogitat aliud, quam, Ioannes est Elias, vbi tamen figurata locutio est. Et similiter potuit Paulus dicere, *Bibebant ex spirituali Petra: Hæc autem erat Christus.* Quid ergo? Nempe Iesuitæ sunt ὀνομαθήραι: sunt vitilitigatores importunissimi.

LIV. Etiam illud suggillauit Roffensis quod de Pascha diximus, nam c.10.lib.2.contra Oecolampadium. Non de agno, inquit, ad hunc modum legis, quod vocaretur Phase: sed de ceremonia & religione. Sic enim codex Hebræus habet, vbi Moses monet respondendum, quoties de religione ista fortè quæstio ab aliquo fieret, זבח פסח הוא ל יהוה, hoc est, *Sacrificium transitus est Domini.* Repetit importunè capite sexto quinti.

LV. Egregiè sanè, & acutè. Non agnus, sed religio, siue vt Hebraicè Moses dixit, העבדה הזאת, cultus iste. Quid enim promotum, inquam? An quia ceremonia ipsa magis propriè dici potuit transitus Domini? Propriè, inquam, & secundum essentiæ veritatem? Cer monia ita erat, vt Agnus occisus torreretur, tostus ederetur totus à familia cum azymo agrestique olere, & festinanter. Hæc enim erant saltem præcipua obseruationis capita. Hinccine transitus Domini per Ægyptum? & quidem propriè, absque figura, absque tropo? Atqui cùm primum celebraretur nondum fuerat ille transitus. Itaque diserte, *Transibo per terram Ægypti nocte ista.* Potéstne quicquam quod iam sit, esse propriè & sine figura, id quod nondum est; Deinceps autem; transitus ille esse desierat; quia omnino nunquam factus nisi semel. Itaque docetur quid respondendum foret posteris, qui scilicet transitum eum non poterant oculis vsurpasse, sed tantum auribus. Verba diserta, *Tunc dicetis, sacrificium Pesach est ipsi Iehoua, qui transiliit domos filiorum Israel in Ægypto, quando percussit Ægyptum.* Potéstne autem aliquid quod sit actu, esse id quod pridem esse desiit? & quidem sine tropo? Vt mittam circunstantias non easdem. In Ægypto transitum: extra Ægyptum ceremoniam. In transitu migrationem de loco ad locum: In hoc cultu, vnam domum. In transitu, neque agnum, neque panem, neque olera: quæ cuncta in hoc cultu.

LVI. Tu igitur, Fischere, non respondes: sed tergiuersaris, fugitas. Esto sanè, quando ita vis, non agnus ipse, sed tota ceremonia transitus: & hoc demus à te manifestissimè demonstratum: ac tu profectò non itidem euicisti; hanc ceremoniam propriè & absque tropo dictam transitum Domini: quod tamen tuus Oecolampadius volebat, vrgebat. Quid ergo compendij factum tuæ causæ, Fischere?

LVII. Voluit, inquit, ita ceremoniam istam vocari. Te scilicet indigebamus monitore, qui hoc tantum, tam absconditum arcanum in aures infunderes. Sed cur non veniebat in mentem duobus omnino modis imponi nomina; vel fortuitò, vel secundùm analogiam? Fortuitò illa, quæ nihil prius significant, vt, eo, amo, lapis, aqua. Per analogiam, quæ à priori significatione rationem habent impositionis: vt, Adam, Abraham, Isaac, terra. Iam verò hoc Paschæ nomen non esse prioris ordinis, sed posterioris: quia impositum à transitu Domini, vt diserte Moses monuit. Tibi igitur alterutrum est necesse, vt vel neges vlla nomina huius posterioris ordinis metonymica esse; vel, si quædam concedas, saltem istud esse alterius generis: nisi fortè neutrũ malis, sed te respondendo nugas agere. Quod mihi quidem certò certius.

LVIII. Et tamen res non est difficilis. Verè enim dixit Oecolampadius, Agnum fuisse dictum transitum Domini: quia huius religionis, siue cultus, substantia, vt ita dicam, & fundus; atq; adeò, vt Rabbini amant loqui, עיקר, Agnus est, circa quem reliquæ ceremoniæ occupabantur. Itaque nunquam legas, aut azymum, aut lactucas nominatas Pascha, aut baculum, aut renes cinctos, aut calceos. Sed agnum legis interdum. Nam quod Paulus dixit prioris ad Corinthios 5. *Pascha nostrum:* Baptistes dixit 1.Ioannis, *ecce Agnus Dei:* & Petrus 1.prioris, *sanguinem Agni immaculati.*

LIX. Sed enim legitur, *Sacrificium transitus est Domini.* Non nego, inquam; sed an minùs verum, Agnum esse transitum? Quasi, sacrificium illud, siue, vt vertit Hieronymus, Victima non esset Agnus. Deinde, cur dissimulatur hunc locum præcedens locus in eodem capite, ad quem Oecolampadius respectabat? *Sic autem comedetis eum,* scilicet Agnum, *Lumbi vestri accincti erunt, calceamenta vestra in pedibus vestris, & baculus vester in manu vestra: comedetisq; festinanter.* Est enim Phase, id est, transitus, Domini, פסח הוא ליהוה, Vbi, velis nolis, Fischere, cogeris referre ad agnum: nam profectò neq; lumbi comedebantur, neq vestimenta, neq; baculus. Sed ratio redditur, quare sic comedendus esset agnus; quoniam transitum designaret etiã populi ex Ægypto. Itaq; fruſtrà contumax fuit Episcopus Roffensis. Bonũ dicere volui: sed ipsa iam contumacia, aut nequitia est, aut à nequitia.

LX. Bellarminus negat Agnum dici Pascha tropicè. Probat, quia nulla esset similitudo inter agni occisionem & transitum Domini. Propriè ergo dici contendit, sicut etiam festus dies dicebatur Pascha, deriuato nomine ab illo transitu Domini, quia in memoriam & honorem illius transitus.

LXI. Sed nos contrà tenemus, tropicè dici non propriè. Nulla, inquit, similitudo est. Respondeo primum ad id, vt, *est*, sit, pro significat, non esse necessariam similitudinem. Certè enim Circuncisio nullam habet ad fœdus Dei cum Abrahamo. Et tamen *Hoc est fœdus meum*, id est, significat. Videlicet, quia signum est. At non omne signum habet similitudinem vt Iris signũ erat nunquam futurum diluuium: absque vlla similitudine inter Iridem & non futurum diluuium. Videlicet quædam signa sunt, quæ vim suam signi habent duntaxat ab institutione: ac proinde ab ea, quam postea Bellarminus nominat, memoria. Et verum est, quæcunque in memoriam instituta sunt aliarum rerum, dici posse ipsas res, verum non proprie, sed figurate: vt vulgò annulus dicitur matrimonium: non quòd sit similis matrimonio: sed quia datus in pignus matrimonij.

LXII. Sed & falsum, nullam esse similitudinem. Nam agni sanguine significabantur postes ianuæ in singulis domibus: prout in ipso transitu voluit Dominus id signum salutis esse Israëlitis.

LXIII. Nomen est, inquit, deriuatum. Quasi verò nulla nominata essent tropica. Certè spiritualis deriuatum est à Spiritu: & tamen Petra spiritualis, non sine tropo: cùm re vera esset corporea. Veruntamen falsum est, esse deriuatum. Nam contrà est illud ipsum purum putum nomen פסח. Sed neque dicitur, *Est enim Pascha*, absolute: sed determinate, *Est pascha Domini*: quæ phrasis designat indiuiduum illum transitum, qui statim describitur à Mose, *Et transibo per terram Ægypti nocte illa*, Exodi 12. Et iterum diserтius, *Victima transitus est Domini*, זבח פסח הוא ליהוה אשר פסח על-בתי בני-ישראל במצרים, *Quando transiuit super domos filiorum Israel in Ægypto.* Potest etiam reddi, *Quem* transitum *transiuit*; Hebraismo familiari.

LXIV. Denique Iesuitam profero in medium aduersum alios. Is est Edmundus Augerius c.1.art.5. qui hoc axioma demonstraturus, plerunque signa rerum significatarum nomen mereri, varia colligit exempla: & in iis hoc ipsum Paschæ, *Agnus*, inquit, *absq; præiudicio eius quod erat, suave substantia, aut signi, confirmati ve transitus, vocatur Phase, transitus.*

CAP. VIII.

Vtrùm EST, sit hoc loco figuratum.

I. SIc vniuersaliter disputant nonnulli: Sed alij contractiùs; hoc saltem loco nullam esse figuram Vega assertionum de Eucharistiæ Sacramento thesi 49. Si cùm legimus apud Lucam, & cæteros Euangelistas, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*: sensus hic est, hoc significat corpus meum: Certe cùm de sanguine scripsit Lucas, *Hic est calix, Nouum Testamentum*: sensus esset, Hic, id est, hoc vinum significat calicem Nouum Testamentum. At quis esset hic calix, significatus per vinum? Deinde calix sanguinis non significat Testamentum, sed verè est ipsum Testamentum. Cùm ergo Paulus & Lucas dicunt, Hic calix est Nouum Testamentum, profecto, *est*, non sumitur pro significat.

II. Respondeo, posse aliàs oppugnari consequentiam. Nam etsi eadem sit veritas duarum propositionum; non tamen eadem est proprietas phrasium: quia potest figurata locutio exponi per propriam. Vt cum Circuncisio dicitur pactum meum: & postea, signum pacti mei; eadem est quidem vtrobique veritas: sed non tamen eadem phrasis proprietas. Veruntamen hîc nõ opus est hac solutione: quoniam propositiones figuratæ comparantur. Itaq; alia solutionis nunc ratio est Nempe, corrumpi locum Lucæ. Non enim ille dixit, *Hic est calix Nouum Testamentum*, vt vertit Latinus Interpres; suo nimium vsitato more, perperam. Nam Græce Lucas scripsit, τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη, ἐν τῷ αἵματί μου. Id est, Beza interprete, *Hoc poculum est Nouum illud Testamentum per sanguinem meum.* Nimirum vt calix sit suppositum; geminato tropo; nempe calix pro contento in calice: tum contentum in calice, id est, vinum Nouum Testamentum. Quomodo superfluæ sunt obiectiones.

III. Stapletonus in Antidoto, à comparatione linguarum. In Matthæo Hebræo sic legimus, inquit, זה שהוא גופי, *Hoc quod est corpus meum*, In Syro, הנו פגרי, quod verti potest, *Hæc substantia corporis mei*, vel cum aliis punctis, הנו, *Ecce corpus meum:* sicut in cruce matri dixit, *Ecce Filius tuus.* Sed Marcus Syrus expressiùs, הנא איתוהי פגרי, *Hoc re vera est corpus meũ.* Additur hîc Marco, qui Syris prædicabat, & cuius authenticum adhuc hodie retinent particula illa, איתוהי, *re vera:* quæ in Ioanne Syro c.1. ad illa verba, *Erat lux vera.* Croquetius catechesi 130. *Quare, nihil vtilius obseruaui contra figuristas hæreticos: Nam tale est Syriacum istud Marci vocabulum vt à Syris non vsurpetur, nisi in re quæ verè existat.*

IV. Scilicet illud verissimum, Homine imperito nihil quicquam iniustius. Nam hæc cuiusmodi sunt, quæso? Dicere sab omnium linguarum

consu-

consultissimo: quo tamen nihil impudentius. Hebraicum Matthæum iactat. Et verò ita legas in editione Tilij. Sed quantæ antiquitatis? Iudicet Hebraicè doctus ex istis proximè præcedentibus, ואמרי לאותו אדם *Et illi homini*: in qua phrasi nihil Hebræum: Nisi Hebræam puritatem metiaris ex scriptis Rabinorum. Similiter statim, טוב היה לו שלא היה נולד, *Bonum esset illi, quòd nunquam natus esset.* Et statim; האם אני הוא, *An ego ille?* Et paulo pòst, בלילה ההוא *In nocte ista*: vbi iam non barbarismus, sed est solœcismus purus putus. Mitto alia infinita infrunita: ex quibus coniectura vehemens recentem versionẽ esse, cùm in barbariem degenerasset lingua sancta. Porrò hæc ipsa phrasis, זה שהוא גופי; in editione Munsteri est, זה הוא-גופי, *Hoc est corpus meum.* Et tamen in illis ipsis Tilij verbis, quid est præter Stapletoni imperitiam? Nam זה debuit præcedenti membro adscribi: sic, שהוא גופי קחו ואכלו זה, *Accipite, comedite hoc, quod est corpus meum*: quod dabunt vltro, quicunque erunt Stapletono magis iudicioſi.

V. In Syro patilis ineptia. Scilicet, *Hæc substantia corporis mei?* Tam profectò quàm, hoc accidens corporis mei. Æquè enim vtrumque expressum. Itaque non tantùm Tremellius, sed etiam Fabricius reddidit, *Hoc est corpus meum.* Nam הנו, nihil habet quod substantiam significet: verùm censetur compositum ex הנא, pronomine demonstrativo masculino ܗܢܐ: & הו, cognatæ significationis. Itaque ad verbum reddendum fuit, *Hoc est ipsum corpus meum*: vt Matthæis tertio, גיר הו אנו, *Hic enim ipse est*: &, הנו ברי, *Hic est meus Filius.* Septimo, הנו גיר במוסא, *Hoc est enim lex.* Et aliàs sæpe.

VI. Miræ laudes Marci Syriaci: vt authenticus extet apud hodiernos Syros. Sed credet quisque pro arbitrio. Nam Stapletoni fides subtilestior. Sed missum id faciamus. Quid igitur Syriacus Marcus? Addidit איתוהי. Esto sanè. Atqui id verbi extat Ioannis primò, *Ecce lux vera.* Ita est; inquam. Sed quorsum? Non enim intelligo. Et ne erres, apud Syros ea vox nihil aliud sonat, quàm *Ipse est*: Nempe facta ex איתי pro Hebraica יש addito pronomine. Matthæi 2. ואזל איתוהי, *vbi erat puer.* Tertio, ad verbum, *Ipse autem Ioannes*, איתוהי *erat ei suum vestimentum*: Sexto, *Si autem fœnum agri, quod hodie* איתוהי *est*: & *eras cadit in clibanum.* Ad Hebræos 10. illud *per velamen, id est carnem suam*: habes Syriacè באפיתרעא דאיתוהי בבסרה *per faciem portæ, id est per carnem ipsius*; vbi explicatio est locutionis figuratæ per propriam. Hinc apparet, simpliciter eam vocem sumi eadem prorsus notione cum nostro verbo, est: vel certè cum Græcorum ἔστι ἐστί, & frustra Stapletonum ostentasse linguarum peritiam: reuera propinasse ridẽdam imperitiam.

VII. Salmero tractatu vicesimo. Ipsa verba Euangelica si exactius, & pressius inspiciantur, omnem ex se rationem metaphoræ, vel tropi depellunt. Nam, *hoc est corpus meum*, Græce significantius, Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, vel vt Paulus dixit, Τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, *hoc est illud ipsum corpus meum.* Eam enim vim habent articuli Græci, vt rem ipsam vocibus quibus adduntur, significatam magis determinent atque exprimant. Et licet Dominus non dixerit, Hoc est vere, vel proprie, vel sine vlla figura, corpus meum; nihil refert: quia eandem virtutem atque significationem habet, dicere, Hic est pater meus: ac dicere, Hic vere & proprie est pater meus. Nempe, in hunc modum concipitur argumentum. Vbicunque articuli adduntur apud Græcos, ibi nullus est tropus, aut improprietas. At hic adscripti sunt articuli. Ergo nulla improprietas.

VIII. Negatur maior. Nam proh scelus, quo tandem sese efferet audacia? aut quid est intactum relictura; quæ hoc tantum tam putidum mendacium ausa concipere? Euincam mille locis articulos Græcos tam figuratis seruire, quam propriis vocabulis. Æquè, inquam, vtrisque, & promiscue: Lucæ 12. *Cauete vobis.* Ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων: *ab illo fermento Pharisæorum*; sic enim liceat mihi articulos exprimere quibus carent Latini: quod iam fecerunt ante me multi viri, non indigni quorum exemplum imitemur. Potestne Salmero hoc loco fermentum persuadere sumendum absque figura? Statim exposuit Christus: Ἥτις ἐστὶν ὑπόκρισις: fermentum illud esse hypocrisim. Rursus Ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ καὶ ἡ καρδία ὑμῶν ἔσται, *Vbi enim thesaurus vester est, illic & cor vestrum erit.* Ἔστωσαν ὑμῶν αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι, καὶ οἱ λύχνοι καιόμενοι, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ accensæ.* Propemodum factum vt abstinerem 11. cap. propter vos staurolatras; qui illud, Quisquis non poterat, τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, *crucem suam*, mire cum lubet detorquetis ad ligneas cruces: sed non adeo indulgendum errori prophano: itaque iubeo vos etiam hæc verba considerare & in iis articulum: & tamen crucem metaphoricam: nam illa lignea non est cuique crux sua.

IX. Estne opus aliis exemplis Ioannis 2. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, *Destruite templum hoc*, cum loqueretur Christus de corpore suo. Tertio, τὸ φῶς, *Lux venit in mundum*: Sed dilexerunt homines potius τὸ σκότος ἢ τὸ φῶς; *tenebras quam lucem.* Quarto, *Quisquis autem biberit ex* τοῦ ὕδατος *ex aqua illa quam ego ei dabo, non sitiet in æternum.* Sexto *Operemini* μὴ τὴν βρῶσιν, *non cibo qui perit, sed* τὴν βρῶσιν, *cibo illi qui permanet in vitam æternam.* Matthæi 6. *Ne nouerit* ἡ ἀριστερά σου, *Sinistra tua quid faciat* ἡ δεξιὰ σου *dextera tua.* Postea, *Dimitte nobis* τὰ ὀφειλήματα *debita nostra.* Et 7. *Quid spectas* τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ, *festucam* quæ est in oculo fratris tui, τὴν δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν, *trabem vero quæ est in oculo tuo non animaduertis?* *Ne date quod sanctum est* τοῖς κυσὶ, *canibus*: nec proiicite τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν *margaritas vestras*, ἔμπροσθεν τῶν χοίρων, *coram porcis.* Salmero; clama perinde esse siue dicas *trabem quæ est in oculo tuo*; siue trabem quæ vere & proprie est in oculo tuo. Et reliqua similiter.

X. Sed quid eo tam procul, vndique conquirens vnde conficiam aduersarium? Atqui promptius potui, ex hoc ipso instituti Sacramenti loco. Quis enim non legit, Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη: nullo omisso articulo? Dic: dic Salmero: Hoc poculum verè, propriè, absque tropo aut figura esse Nouum Testamentum. An pudet temeritatis? Tapperus *Non oportet hic excludere quemlibet tropum. Nam consecratio calicis necessariò aliquem requirit.* Et sanè sensus est, quem exprimit Guillaudus in priorem ad Corinthios, *Hoc contentum in hoc calice, seu paculo, est meus sanguis.* Lucas Brugensis in Matthæum, *Calix significat etiam quicquid calice continetur, siue sit vinum, siue sit sanguis; siue quid aliud: ideo figura loquendi tam vsitata, quàm est quauis propria loquutio.* Audin tu figuram? Sed quam? Ambiguus est Thomas in Paulum. *Dupliciter sumi potest. Vno modo metonymicè, vt scilicet ponatur continens pro contento. Alio modo potest accipi metaphoricè, vt sit sensus: sicut calix inebriat & perturbat, sic passio.* Nihil interest nunc vtro modo. Sufficit nosse, adhibitis omnibus articulis, tam curiosè quàm cùm dictum τὸ σῶμά μου tamen figuratam esse enuntiationem, siue metonymicam, siue metaphoricam. Tamen si quid interfit, Bonauentura definiit rotundiùs, quæst. 2. art. 1. distinct. 8. quarti, *Si quæratur ad quid transsumitur? Dico quod ad contentum.*

XI. Tonstallus. Hæc verba non magis significatiuè, siue figuratiuè sunt dicta, quàm sint hæc verba Ioannis Euangelistæ, *Verbum caro factum est*: vel hæc Petri, *Tu es Christus filius Dei viui*: Matthæi 16. aut hæc Samaritorum, Ioannis 4. *Ipsi enim audiuimus & scimus, quòd hic est verè saluator mundi.* Aut hæc Dei Patris, Lucæ 3. *Tu es ille filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quòd si verè intelligimus hæc verba penitus citra allegoriam vllam, metaphoram, tropum, figuràmve dici, neque alio intelligi modo, quàm ipsa verba germano sensu significant ac docent, qua cogemur necessitate in hisce luce clarioribus, *Hoc est corpus meum*, peregrinum sensum extorquere, alienumque à verborum significatione? Costerus similiter. Similis oratio est illa Dei Patris, Matthæi *Hic est filius meus dilectus*. In quo si impium est figuram ponere, & de vero Dei filio dubitationem mouere, impium etiam erit in his verbis figuram constituere, *Hoc est corpus meum.*

XII. Respondeo; Tonstallum stolidius loqui, perpetuo ponentem quod debuit concludere: hæc scilicet verba, de quibus contenditur esse luce clariora: sensum figuratum esse peregrinum, & alienum à verborum significatione: & non esse alia aliis magis tropica. Costerum cauisse hanc φλυαρίαν. Sed vtrumque tamen ineptè esse argumentatum à particularibus. Itaq; confidenter negamus consequentiam. Putauit Richeomus se aduersum nos legitimè excipere: male argumentatur qui dici; multi loci Scripturæ debent non secundum literam sumi: Ergo hæc Christi verba. *Hoc est corpus meum*, debent exponi figurate. Id nihil aliud est, quàm concludere particulare vnum quid, ex alio particulare contra leges Logicæ: quasi quis diceret: multi sunt adamantes adulterini. Hæc ille. Mutato nomine de te Tonstalle, de te Costere, fabula narratur. Nisi forte vobis quam nobis peccare in leges Logicas, vt frequentius, ita sit tolerabilius: prout sæpe & consuetudo abit in naturam: & communis error facit ius.

XIII. Præterea dissimilitudo est in allatis exemplis manifesta. Nusquam enim disparata numero vniuntur. Non enim alius & alius, Verbum & caro; sed vnus & idem Christus Iesus: itaque vere & proprie dici potuit Verbum esse factum carnem: quomodo homo dicitur factus in animam viuentem. Multo minus numero diuersa sunt; Hic & Saluator. Tu & Filius. Quis enim ignorat de substantia prædicari, siue qualitates, siue actiones, siue relationes, & omnes denique alias categorias? Ast in his verbis Christi; de substantia, *Hoc* (designatur enim vnum individuum, panis) prædicatur non quicquam ex alia categoria: sed ex ipsa eadem substantiæ categoria; *corpus meum*, quo rursus designatur individuum reapse & per se subsistens: denique vt rem arctioribus terminis circumcludam, de prima vna substantia prædicatur altera prima substantia: quod est absurdissimum: nam alioquin de substantia etiam prædicari substantiam non est inauditum: nempe de individuo speciem; vt Petrus est homo: vel de specie genus, vt Homo est animal: sed de specie speciem: vt homo est brutum: lapis est arbor: mons est fluuius: aut de individuo individuum, vt Petrus est Paulus: hoc demum est absurdissimum, nisi molliatur beneficio figuræ, & tropi.

XIV. Denique dissimilitudo manifesta: quoniam quæ nunc verba expendimus Sacramentalem componunt enuntiationem, non illa. Atqui in Sacramentis constat vsitatissimum esse tropum, & enallagen nominum signi, ac rei significatæ, propter similitudinem. Quæ ratio non occurrit in omnibus enuntiationibus. Perinde ergo Tonstallus facit, ac si interrogaret, quid cogeret in, *Ego sum vitis*, tropum intelligi potiùs, quàm in *Verbum caro factum est.*

XV. Antonius Tholosanus interrogat. Quæ verba possent dari, aut excogitari magis propria, significantia, clara, expressa, formalia, vt nobis certum faceret se daturum corpus suum manducandum: quàm hæc sunt, quibus vsus est, *Accipite, edite, Hoc est corpus meum?* Argumentum ita est: omni propositione figurata, datur alia propositio magis propria, significans, clara, expressa, formalis. At ista propositione nulla potest alia dari magis propria, magisque significans, clara, expressa, & formalis. Ergo hæc non est figurata.

XVI. Respondeo concedi maiorem: saltem quod attinet ad propriam, & formalem: nam de magis significante, & clara & expressa, posse dubitari: quoniam figuratæ nonnunquam vehementiùs significant, quàm propriæ: ideoque animum audientis magis afficiunt. Veruntamen id aliò magis spectat, quàm ad rem præsentem.

XVII. Negamus ergo minorem: de qua miramur dubitari potuisse apud Papistas, apud quos plaustra sunt enuntiationum, quibus aliter, atque aliter hæc vna enuntiatio pertenditur explicanda. Nam quid agunt, quæso, qui explicant? An vt clarum aliquid permutent obscuro? An vt distinctum vertant ambiguum? Et pro certo substituant incertum? Quod si contrà potiùs dictat sensus communis: Ergo quæcunque enuntiationes conquisitæ sunt à Papistis, eæ sunt existimatæ, clariores, distinctiores, certiores ista. Exempli gratia; controuersum est: quænam sit mens horum verborum: tum dixit nescio quis, Hoc individuum vagum est corpus meum: alius reposuit, Hoc corpus meum, est corpus meum. En tibi iam duas enuntiationes excogitatas clariores ista vna. Denique illud ipsum, Hoc est sine figura aut tropo corpus meum, absque vllo dubio distinctius est ista, *Hoc est corpus meum.* Et non interrogant absurdè, Papistæ?

XVIII. Imò vide fraudem, Interrogauit, quibus verbis potuerit Christus vti magis claris, si voluerit significare se daturum corpus suum comedendum. Quo posito responderi fortè potuit, nullis. Sed non ostenditur voluisse dare suum corpus comedendum, propriè, inquam, & sine metaphora. Itque facilè respondemus, vti potuisse verbis magis propriis ad significandum se daturum corpus suum manducandum tropice. Neque credo refractarium futurum vel ipsum Tholosanum, hominem tamen in asserendo, negandoue audacissimum. Quare tantisper silentium esto, dum de manducatione confectum sit negotium.

XIX. Salmero tract. 17. Hilarius de Trinitate lib. 6. eleganter obseruauit pronomina obtinere in se vim nominum, quare tractans illa verba, *Hic est filius meus dilectus*, subdit, *Proprietatis significatio est, vbi & hic est, dictum*

dictum esse auditur, & meus est. Et infra, *Ne quaras alium, ne non hunc esse credas. Hunc ego tanquam indice digito, hac verbi significatione contingo: qua dico & meus est: & hic est, & filius est: Quid post hæc intelligentiæ poterit esse, ne non posse credatur?* Sic Hilarius. Ita sane hic dicere possumus, pronomina illa, *Hoc*, & *meum* obtinere in se virtutem nominum: & proprietatis significatio est, vbi & hoc est, dictum esse auditur: & meum est. Perinde enim valent eiusmodi pronomina Hilarij iudicio, ac dicere; Proprius est filius: proprium est corpus. Argumentum conficio. Quæcunque enuntiatio habet pronomina, ea est sine tropo accipienda. At hæc enuntiatio, Hoc est corpus meum, habet pronomina, Ergo sine tropo accipienda. Minor patet: maior probatur ex Hilario.

XX. Respondeo negari maiorem. Nam contra: quæcunque enuntiatio enuntiat disparata de disparatis, ea est figurata: at quædam enuntiatio habens eadem pronomina, enuntiat disparata de disparatis: Ergo quædam enuntiatio habens eadem illa pronomina, est figurata. Maior per se patet: minor probatur exemplis. Nam Geneseos 17. *Hoc est pactum meum*: vbi habes & *Hoc*, & *meum*, ea pronomina: & tamen *hoc* refert circuncisionem, quæ disparata est à pacto. Præterea cum teste ipso Hilario pronomina obtineant vim nominum: certe si nomina ipsa non obstent tropo; ne pronomina quidem: non enim plus possunt quam ipsa nomina. Atqui hæc non obstant: tam enim figuratum fuisset si Deus ipse dixisset, Christus est agnus meus: quam cum Baptistes dixit, *Hic est agnus Dei.* Et Genes. 41. septem hę vaccæ; & idiomate Hebræo debent dici, septem hæ vaccæ, sunt septem anni: vbi tamen nemo non figuram agnoscit.

XXI. Ad, confirmationem maioris respondeo. Salmeronem abuti Hilarij autoritate. Nam proprietas gemina est: alias opposita tropo; & intelligitur de vocabulo ipso: alias opposita communitati; & significat cum quid plurimis ex æquo conuenit: illa homonymiam excludit, hæc autem synonymiam. Nos de propriis vocabulis disputamus priori notione. At Hilarius de proprietate posteriori. Nam hoc vult, quod Pater dixit, *Hic est filius meus*, nemini conuenire præter vnum illud indiuiduum, quod demonstrabatur per pronomen, *Hic*: & per pronomen *meus*. Vin conuinci? Verba recognosce, *Intellige qua sit veritas & ratio dictorum. Legeras, Filios genui & exaltaui: sed non legeras filios meos Genuerat enim eos sibi per diuisionem gentium, & plebem hæreditatis in filios. Ne igitur per communionem adoptiuæ hæreditatis cognomentum filio vnigenito Deo adderetur, natura vetustas per significationem proprietatis ostensa est. Assignetur sane hoc communionis in Christo nomen vt filius sit, sit de quoquam dictum reperietur, Hic est filius meus: sin vero proprium ac singulare ei est, Hic est filius meus, quid calumniam Deo Patri professæ de Filio proprietatis asserimus? Anne tibi in eo quod dicitur, hic est, non hoc significare videtur, alios quidem cognominatos ab eo in filios sed hic Filius meus est? Donaui adoptionis plurimis nomen sex iste mihi Filius est. Ne quaras alium, ne non hunc esse credas.* Manifesta mens est: propria ratione Iesum dictum Filium: non communi. Atqui hoc nihil aduersus tropum. Nam itidem propria ratione Iesus dictus agnus Dei; non ea communi qua audimus, *Pasce agnos meos*: Et tamen Iesus agnus Dei non sine tropo: etsi non communitate gratiæ: sed proprietate officii. Qua notione nos hic proprietatem non inuiti agnoscimus: non enim quilibet panis fit corpus Christi: sed hic δίχα ἐξηγήσεως: vnde tam sollicitè Paulus nominauit non panem, sed strictissimè, *Poculum cui benedicimus: panem quem frangimus.* Et pòst ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο: *Hunc panem & hoc poculum.*

CAP. IX.

De regulis interpretandi: & de circunstantiis textus.

I. ACtum de vocabulis. Nunc vrgent regulas interpretandi variè; prout sibi quisque imaginari potuit commodissimas. Earum esto hæc quasi præfatio apud Salmeronem tract. 17. Oratio, ex Iurisconsultorum & prudentium iudicio propriè semper est accipienda, donec figurata, & impropria esse demonstretur. Quæ vndecunque tandem sit, potest concedi facilè: etsi distinguendum sit ipsam naturam propositionis à iudicio hominum. Etenim reuera non pendet ab isto quænam sit, qualisve oratio: sed contrà ex eius orationis natura debet hoc pendere iudicium: sed non est tanti subtilitates huiusmodi consectari. Itaque siue Iurisconsulti, siue prudentes admonuerint, decreuerint ve, esto sanè in medio positum. Nam contra nos quid valeat equidem non video, etsi visus est Salmero in nos stringere. Artem alius videto: ego malo reliqua persequi.

II. Legitimæ interpretationis legem duobus capitibus distinxit Salmero, tract. 20, tribus Bellarminus c. 9. primi: Richeomus, quatuor c. 19. primi: sed & quatuor Panigarolla parte 1. lect. 15. Primus, *vbi non est*, inquit, *aliquid ex textu adponendum figuratam loquutionem excitans, vel ratio aliqua, quæ per proprietatem exponendo, tradat impossibile, aut facinus, aut sensum absurdum, & inutilem, non est ad tropum accurrendum, vt docet Augustinus tertij de doctrina Christiana capite decimo sexto.* Alter communem regulam explicandæ Scripturæ esse, vt nunquam dimittamus proprium verborum sensum, nisi cogamur ab aliqua alia scriptura; vel ab aliquo articulo fidei: aut certè communi totius Ecclesiæ explicatione. Tertius addit Bellarmino, repugnantiam, & absurditatem. Postremus, *Quatuor*, ait, *in præsentia regulas afferimus quibus apparet an in sermone aliquo figura sit. Primo loco, si verborum circunstantiæ, quas vocant, figuram ostendunt: secundo loco, si tempus, & occasio postulabant, vt figurata verba vsurparentur. Tertio, si locum ad literam intelligendo, aliquid inde oriretur, quod esse non posset: postremo si saltem aliquid inde oriretur, quod esset absurdum, & à ratione alienum.*

III. Hæc maior propositio est. Eam minor excipit à Salmerone expressa, *Sed hic*, ait, *nihil tale inuenitur.* A Richeomo, *Non possunt aduersarij vllam harum causarum proferre ad suam fulciendam opinionem.* A Bellarmino sigillatim, *Non nituntur*, inquit, *alio Verbo Dei: nec habent articulum fidei, cui propria acceptio horum verborum expresse repugnet: nec possunt proferre saltem aliquam communem expositionem Ecclesiasticam.* Ita etiam Panigarolla per singula sua capita.

IV. Ego paulo pòst minorem videro. Nunc etsi nihil interfit nostra ad præsens quidem negotium: possum tamen maiorem certis exemplis oppugnare; vtcunque ab aduersariis positam tanquam certam. Nam primò abundant exempla, allegoriarum, paucarum quidem à sacris autoribus consecrararum: longè plurium à veteribus affectatarum; aut à recentibus, maximè Papistis, excogitatarum, in quas nulla horum capitum concurrerunt. Quæ omnes damnandæ sunt, & abiiciendæ, aut concedendum importunè magis quam religiosè ab aduersariis hoc argumentum vrgeri. Certè Paulus 1. ad Corinthios 9. allegoricè explicauit illud Deuteronomij 25. *Non alligabis os boui tritiuranti.* Et ad Galatas 4. duos Abrahami filios: & prioris ad Corinthios 10. mare rubrum, & nubem, & manna, & aquam ex rupe. Nec pauci ex Patribus, succinentibus multis Papistis, quartum orationis postulatum transferunt ad Eucharistiam.

V. Scilicet summa fuit necessitatis non euitandæ calamitas, quæ coëgit & ex duobus luminaribus concipere Papam, Imperatoremque: & ex duobus gladiis, claues potestatis ac scientiæ: & ex Iobi bobus atque asinis; fidem explicitam, & implicitam: ex Loto euadente in montem, votiuas religiones: ex Verbis Christi, *Duc in altum*, Petri aduentum in Romanam Ecclesiam. Ex istas aliis, *Ostendite vos Sacerdotibus*, auricularem confessionem. Dies me deficiat, si omnia conuasem: ex quibus apparet nullis se his legibus quas nunc videri volunt serio vrgere, tamen velle cohiberi; quominus petulcè cùm libet abutantur Scripturis Sacris.

VI. Dicam ampliùs: eos interdum locos occurrere, quibus sensus figuratus ita intrinsecus sit, vt à nullis istis pendeat legibus. Geneseos 49. *Ligans ad vitem pullum suum: lauit in vino vestimentum suum*: à quibus si remoueas omnem tropum, nullo possis argumento conuinci ex iis legibus. Sic Exod. 1. *Amaritudinibus affecerunt vitam illorum.* Prouerb 5. *Bibe aquam de cisterna tua: & fluenta de medio putei tui.*

VII. Ex his similibusq; patet has leges sic intelligendas, vt si ex iis conuincatur locus esse tropicus, tum sit absurdum propriè interpretari. Et rursus, quem locum eædem leges euicerint esse proprium, hic ne per tropum detorqueatur. At non contra; aut nullum tropicè exponendum, nisi quem istæ leges probarint non esse proprium.

VIII. Hanc tamen maiorem probat Bellarminus. Alioquin, ait, peribit fides, & remanebit sola opinio de rebus diuinis, & aperietur porta infinitis erroribus. Richeomus magis Asiaticè. Si sine his causis, aut aliquibus, aut omnibus liceret historicum sensum deserere, & pro arbitrio allegorias fingere; sibi quisque sensus comminiscetur; atqui ita Scripturarum mentem transformabit in figuras & phantasmata.

IX. Magnum; inquam, periculum; nec sine horrore nominandum. Cauendum in primis, vt nihil æquè. Veruntamen meminerint viri si fortè astuti, primùm a se ipsis doceri multiplices esse Scripturæ sensus; quâ literales; quâ tropicos, quâ anagogicos, quâ allegoricos: neque eos duntaxat variorum locorum: sed etiam singulorum. Deinde certum esse cùm veterum testimoniis, tum omnium ætatum experimento, nonnullis locis homonymias esse. His autem positis necessarium fieri, vt ab his legibus aut nihil, aut sit auxilij parum. Itaque si hoc tantum, tam immane periculum, prorsus sit certum & ineuitabile, nullam remanere spem Christianitati.

X. Verùm non est ita: quia scilicet alia lex supereſt, quàm isti sunt oblitis nimirum vt quoties occurrunt huiusmodi loci homonymi; lector religiosus meminerit, quicunque tandem sensus eruendus sit, nullum esse debere absurdum; id est, qui non possit, vel demonstrari, vel saltem non refutari ex illis legibus. Hoc si diligenter obseruetur, salua res est: neque vlli timendi errores. Nam etsi hoc modo non semper certi esse possimus, vtrum is in quem delati sumus, sit genuinus sensus eius loci quem tractamus; tamen eo ipso quòd impugnari nequeat absurditatis, nihil est periculi. Sic infiniti occurrunt quos aliter atque aliter comperimus expositos à Catholicis tum veteribus tum recentioribus, absque vllo fidei præiudicio. Et inter ipsos Papistas potuerunt multis modis hæc ipsa de quibus contendimus verba, variè interpolari absque vllo Papisticæ perfidiæ incommodo.

XI. Verùm hæc de maiore dicta sint ἐν παρέργῳ: vt nihil sit necesse, aut plenius, aut animosius disputari: cùm in minore satis superque sit præsidij aduersum Papistas: nam reuera quicunque hanc enuntiationem, *Hoc est corpus meum*, volet ad literam interpretari nullo, prorsus admisso tropo, hunc necesse est impingere, aut in omnes, aut certè in plurimas illas leges. Itaque minorem constanter nego. Videamus, nunc aduersariorum confirmationem: nam nostras instantias opportunè reseruamus nostris argumentis. Sex omnino capita sunt proposita, quæ singula suum examen postulant. Primum, ex textu ipso; sic enim Salmero nominauit: & eò referendum puta quas Panigarolla circunstantias dixit. Secundum, ab alia aliqua Scriptura: sic enim designarunt Bellarminus & Richeomus. Tertium, ab aliquo articulo fidei. Quartum ab impossibili, aut absurdo. Quintum à tempore. Sextum à communi Ecclesiæ explicatione.

XII. Sed minorem variè conceperunt. Salmero: nihil tale inuenitur: sic breuiter significans neque aduersum se, neque pro nobis eas leges facere. Sed non bene Richeomus: nullam nos harum causarum posse proferre: non tantum quia non verè: sed etiam quia importunè: quandoquidem in eo erat, vt ipse aduersum nos argumentaretur. non vt nostris obiectionibus responderet. Nec rectè Bellarminus: nullum nos habere articulum fidei, expresse repugnantem. Nam illud *Expresse*, quid est? Solet sanè intelligi pro totidem literis: quasi cùm dicunt Papistæ, *Facies tibi imagines*; iis expresse opponitur Decalogi præceptum secundum, *Non facies tibi imagines.* Atqui hæc iniusta lex est: ex qua vix pauci reperiantur errores conuincendi autoritate Scripturæ. Itaque neglecta iniustitia; nobis perinde erit oppositio siue expressa & κατ' ἔκβασιν, siue ex consequentia, & κατ' ἀλλοίωσιν. Vt Arriani, negantes Iesum esse Deum, refutati sunt non tantùm ex iis locis, vbi constat eo ipso Dei nomine appellatum: sed etiam ex aliis; vt cùm dicitur *Filius vnigenitus*, aut creator: aut remittens peccata: quæ etsi sono, imò etiam prima, proximaque notione differunt à Deo; tamen re idem sunt. Hanc libertatem omnes Theologi sibi vendicarunt omnibus seculis: Hanc libertatem nobis ereptum iri non patiemur: quantacunque sit Papistarum importunitas. Incipiamus.

XIII. Primum caput expresserat Salmero solus: & tamen deseruit statim: certè dedignatus explicare. An vt nobis tantundem laboris gratificaretur? An vt sibi ipse parceret? At Panigarolla: Cùm intelligendum est figuram

figuram ſubeſſe, neceſſario oportet addi ſemper aliquid, quod ipſam innuat. At hic nihil additur. Ergo nulla eſt figura. Maiorem probat exemplis. Quemadmodum clauſulæ illi, *Ecce agnus Dei*, continuo additum eſt, *qui tollit peccata mundi*. Et clauſulæ illi, *Ego ſum vitis*, confeſtim additur, *Et vos palmites*. Et iis verbis, *Tu es Petrus*, quæ alia lingua leguntur, *Tu es Petra*, ſubito additur, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Et idem de aliis. Turrianus cap. 2. tract. 1. cum docuit illa *Petra erat Chriſtus*, eſſe figurata: idque Paulum indicaſſe: cum bis diceret, *hæc in figura illis contingebant*: addit, *Aliquid ſimile præmuniendum erat, cum Dominus dixit, hoc eſt corpus meum, vt cunctus orbis profiteretur, quod vos pauci tenetis.*

XIV. Aſſumptum ita conatur demonſtrare Panigarolla. Quæ circunſtantia eſt, quæ figuram demonſtret? Contra potius ſentiendum eſt. Videtur enim quodammodo vereri Chriſtus, ne verba figurata eſſe exiſtimentur: atque vt oſtendat ſe loqui de vero corpore, & de ſanguine re vera ſuo, addit illa verba, *quod pro vobis tradetur, qui pro vobis effundetur*. Et hoc argumenti valde vrgent quotquot ſunt Papiſtæ. Turrianus, *Quia nihil de figura præceptor noſter Ieſus præmuniuit, cum audimus, hoc eſt corpus meum, profecto corpus intelligimus, ac veram carnem ibi eſſe credimus.* Racon. *Corpus quod Chriſtus firmabat eſſe tradendum pro nobis, cum inſtitueret Sacramentum, non erat corpus figuratum: ſed eius verum & reale corpus. Ad id quod Apoſtolis idem obtulit inſtituens Euchariſtiam erat hoc idem corpus, quod aſſerebat tradendum pro nobis. Ergo quod corpus obtulit diſcipulis non fuit figuratum, ſed eius corpus verum & reale.* Vel talpæ, inquit, tantam lucem percipiant,

XV. Reſpondeo primùm negari maiorem. Negamus, inquam, quoties in aliqua enuntiatione figura ſit, toties addendum aliquid in eodem contextu, vnde conſtet figuram eſſe. Exempla ſunt in promptu nullo numero comprehendenda; & in Scriptura ipſa per ſingulas ferme paginas Geneſ. 1. *Et Spiritus Dei incubabat ſuperficiei aquarum.* Hanc enim eſſe dicunt vim verbi Hebraici: quanquam Latina editio reddat, *Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, Pagninus, *agitabat ſeſe in ſuperficie aquarum.* Munſterus, *mouebat ſe.* Tigurini, *motabat.* Hieronymus Hebraicis, *Incubabat, ſiue confouebat, in ſimilitudinem volucris oua calore animantis: ex quo intelligimus non de Spiritu mundi dici, vt nonnulli arbitrantur, ſed de Spiritu Sancto, qui & ipſe viuificator omnium à principio dicitur.* Eſt igitur metaphorica enuntiatio: ac proinde tropica. Quid additum dicent? Capit. 2. *Et erunt caro vna.* Nam profecto vir & vxor non ſunt vnus proprie: ſed tantum moraliter, itaque mataphorice: vnde Sacramentum eſt vnionis Chriſti cum Eccleſia. In 3. capite habes ſerpentem perpetuo nominatum, & magnificum illud oraculum, de conterendo eius capite. Sexcenta talia facile collegerit exempla curioſus lector: vt omnino intolerabilis appareat cucullati Epiſcopi temeritas.

XVI. Cui confirmandæ quid proſunt duo, triave exempla? Neque enim ex paucis concludi poteſt vniuerſale, ſiue neceſſarium axioma. Si quis in Hiſpania dixerit vnum, aut alterum, tertiumve eſſe crine rubrum; continuone omnes rubros conciuſerit? Atqui Paulus prioris ad Corinthios primo notauit ſe baptizaſſe Criſpum, & Gaium; & Stephanæ domum; negauit tamen omnes baptizaſſe. Primo ad Galatas, ſe vidiſſe Petrum, & Iacobum: nonverò omnes Apoſtolos. Et iſti aut tam ſtupidi fuerunt vt ſibi permitterent; aut tam impoſturis ſuis confidentes, vt nobis ſperarent fucum fieri poſſe ex vno, altero, tertiove exemplo, ad axioma vniuerſale concipiendum.

XVII. Et hæc exempla tamen cuiuſmodi ſunt quæſo? Certè cuiuſmodi non potuerint vlla minus apta ſeligi, *Ecce agnus Dei*, inquit Ioannes: & addidit, *qui tollit peccata mundi*. Ergo, inquit, Panigarolla, ecce agnus Dei, non dicitur niſi tropice. Nempe hoc argumento: nullus agnus proprie dictus tollit peccata mundi. Atqui hic tollit peccata mundi. Ergo non eſt agnus proprie dictus. Imò, inquam, fallit maior: nam peccata tolluntur duobus modis, vel proprie, vt à Deo: vel improprie, vt à Sacramento, putà, aqua Baptiſmi. Itaque argumentum nullum, niſi ſic concipias: nullus agnus proprie dictus tollit proprie peccata mundi. Sed id non habes à verbis Ioannis. Itaq; hoc additamentum non poteſt figuram excludere.

XVIII. *Ego ſum vitis*; inquit Chriſtus: figura eſt, inquit Panigarolla: quia ſubiicitur, *& vos palmites.* Itane, licet ergo mihi ſimiliter dicere, *Hoc eſt corpus meum*, figuram eſſe; quia ſtatim addatur, *hoc poculum eſt ſanguis meus?* Tun' pateris? Aut ſi non pateris, quid tibi indulges? Verùm, quid hoc eſt, inquam? Magiſne proprium poſterius quàm prius? Nam ſi æque figuratum, quis non rideat argumentum? Dicam clarius. Si proprie Chriſtus vitis; etiam proprie Apoſtoli palmites; Et ſi improprie Apoſtoli palmites, improprie etiam Chriſtus vitis. Sed aut proprie Chriſtum eſſe vitem: aut improprie Apoſtolos palmites, non habes ex circunſtantiis. Sed tantum poſterius ex eo quòd conſtaret Apoſtolos eſſe homines. Quid ergo? minuſne erat certum, Chriſtum eſſe hominem? Breuius, argumentum ita eſt. Si Chriſtus eſſet proprie vitis: Ergo haberem palmites proprie. At hoc falſum. Rectè, inquam: ſed quicunque palmites dicit, non dicit palmites improprie. Itaque argumentum hoc nullum eſt à verbis Chriſti: ſed à rei natura.

XIX. Similis ratio tertij exempli. Nam ædificare Eccleſiam, æquè tranſlatitium, atq; illud prius, *Tu es Petra*: quanquam hoc etiam negatur dictum vnquam fuiſſe: diſerte enim Petrum expreſſit Matthæus, non Petram: quo autore nos ſtare neceſſe eſt, non autem Syriaca verſione. Quanquam hæc ipſa habeat aduerſi, vt aliàs diſputatum in Oecumenico.

XX. Quartum exemplum æque alienum. Monuit Paulus hæc verba, *Petra erat Chriſtus*, eſſe figurate accipienda. At ego quicquam tale dictum nego. Ille probat, *Cùm dixit, hæc autem in figura facta ſunt noſtri, & rurſus paulo pòſt, Hæc omnia in figura contingebant illis: illa omnia dicit, quæ paulo antè commemorauerat: quæ ſunt mare, maris traiectio cum Moyſe & nube: item eſca illa ſpiritualis, & potus aqua ex petra, & ipſa petra, & ſupplicium eorum, qui poſt illa beneficia acceptatam grauiter peccarint.*

XXI. Sui ſimilis ſemper Sophiſta, tum obtuſiſſimus, cùm ſubtiliſſimus. Nos negamus vllo indicio Paulum monuiſſe, loquutum ſe tropice: & minime omnium iis verbis in quibus expreſſit figuras. Ratio negandi prima: quoniam figura non eſt ei τρόπῳ: ſed τύπῳ: quo nomine ſignificatur figurarum illud genus, quod eſt in rebus: non illud alterum, quod in verbis. Itaque diſerte, *Hæc omnia illis eueniebant.* Res, inquam, quibus vſi ſunt, non verba, quæ primus omnium Paulus vſurpauit. Nemò autem ignorat, de rebus typicis poſſe haberi ſermonem proprium. Certe ſi Paulus dixiſſet, Petra ſignificabat Chriſtum, non minus vere poterat dicere, id illis eueniſſe in typo.

XXII. Altera ratio: quoniam dictum Paulo, non abſolute hæc illis in figura accidiſſe: ſed in figura noſtri. Atqui, Petra dicitur fuiſſe Chriſtus: nec Paulus dixit, hæc illis contigiſſe in figuram Chriſti. Itaque cùm dixit, non eſſe nobis murmurandum, ſicut illi murmurarunt, conſequentiæ vim indicans, *Hæc*, inquit, *in figura contigebant illis.* Quænam? Certe quòd idololatræ fuerint, & ſcortati, quòd murmurarint. Et tamen nullus in iis tropus. Neque enim dictum, eorum idololatriam eſſe noſtram: aut ſcortationem, aut murmur. Et tamen ſi dictum eſſet: nihil attineret ad hoc noſtrum, *Petra erat Chriſtus.*

XXIII. Deniq; vin' ſcire quo ſenſu nominata ſit figura? Iuſtiniani lege paraphraſin, *Sed hæc quaſi quædam exemplaria fuerunt, in quibus tanquam tabellis Deus nobis* (non Iſraëlitis) *delineauit, quid fugere, quid ſequi debeamus.* Iterum Iuſtinianus, *Quæ ſanè omnia vt narrantur, verè olim contigerunt: propriè tamen eueniebant eis, vt quodammodo in iis, tanquam in typis perſpiceremus, quæ nos ira Dei maneat, ſi iiſdem vitiis fuerimus obnoxij.* Nempe typus hoc loco eſt, eadem notione, qua apud Terentium, exemplum ſibi ex aliis ſumere. Quare nullum inde argumentum eſt: figurate de Petra Chriſtum prædicatum: quo Turriani ſubtilitas opus habuit.

XXIV. Hactenus maior. Nunc ſecundò minor itidem negatur. Nam re vera in eodem textu circunſtantiæ ſunt, quæ tam certò tropum confirmant, vt nihil certius Quænam, inquit, Hoc verò nunc meum non eſt dicere. Dicam paulo pòſt in noſtris argumentis. Aduerſatius autem debuit vel demonſtrare nullas haberi vel abſtinere hac obiectione: ſuumque hunc laborem differre donec noſtra ſolueret argumenta.

XXV. Vtilius diſſiſſet, ſi veriùs, circunſtantias additas prohibere tropũ. Sed hoc quî probat? Quia oſtendant loqui Chriſtum de vero ſuo corpore. Atqui nos ipſi hoc ponimus tam perſpicuè, tam conſtanter, quàm vllus Papiſtarum: qui tamen tropum aſſerimus inuitis Papiſtis. Vtrunque ergo verum dicimus: & agi de vero corpore Chriſti: & tamen tropicam eſſe orationem. Quid ergo promouet, qui à priore aſſerto poſterius negat? Nempe petit principium ridicule. Quaſi qui aſſerentem & ſolem ortum, & aquilas volare, refutaret hoc argumento: quia ſol ortus ſit, ergo aquilas non volare.

XXVI. Valeret fortaſſe ſolutio, ſi tropum conſtitueremus in attributo. Quanquam ne tunc quidem neceſſariò. Nam cùm dixit Ioannes, *Hic eſt agnus Dei*, addidit, *qui tollit peccata mundi*, quod non refertur ad copulam; ſed ad prædicatum: & tamen agnus non dicitur proprie. Verùm vt hoc non negamus, illud ſufficit; hac notata circunſtantia, non explicari quomodo corpus copuletur cum *Hoc*: ſed tantùm quale ſit id corpus quod copuletur cum *Hoc*. Vidit, & admonuit Caietanus in 3. quæſt. 75. art. 1. *Non apparet ex Euangelio coactiuum aliquod ad intelligendum hæc verba propriè. Ex ſubiectis ſiquidem verbis à Domino, ſcilicet, quod pro vobis tradetur in remiſſionem peccatorum, non poteſt concludi euidenter præmiſſa verba eſſe intelligenda propriè, quoniam ly quod non refert coniunctionem prædicati cum ſubiecto; ſed refertur prædicatum, ſcilicet corpus meum. cum cuius veritate ſtat præiacentem eſſe veram ſolùm in ſenſu metaphorico, vt patet in exemplo, Petra erat Chriſtus, ſi enim adiunxiſſet Apoſtolus, qui crucifixus eſt, reſurrexit, & aſcendit ad cœlos, dicendo Petra erat Chriſtus, qui crucifixus eſt, & reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlum, nihilominus præiacens illa propoſitio, Petra autem erat Chriſtus, non propriè ſed metaphoricè intelligenda eſſet. Et ſimiliter in propoſito verba Domini, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, non arctatur prima propoſitio ad ſenſum proprium, ſed eſſet etiam vera, ſi in ſolo metaphorico ſenſu eſſet prolata.* Hæc ille: qui potuit efficacius exemplum non fingere, ſed ſumere ab ipſa Scriptura. Nam Ioannis 6. legimus, *Panis quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Etſi autem poſterior pars tam arctè deſcribat carnem, vt dubitari nequeat, quin illa ipſa propria & vera caro intelligatur, quæ in Euchariſtia corpus dicitur: tamen neque prece, neque pretio ab Papiſtis obtineas, vt ſine vllo tropo fateantur veram eſſe propoſitionem, *Panis eſt caro mea.*

XXVII. Venio ad Raconium, & fateor corpus illud quod Chriſtus dixit tradendum pro nobis, eſſe non figuratum ſed verum & reale: neque veremur vt hanc ille veritatem aut fortius confiteatur, aut conſtantiùs demonſtret, quàm nos. Sed de corpus, inquit, Apoſtolis oblatum, fuit id corpus. Sophiſta cur non apertiùs loqueris? Nam geminum corpus fuit traditum Apoſtolis, vnum viſibile, nempe panis; alterum inuiſibile, nempe corpus Chriſti. Deinde fuit dupliciter, vel Sacramentaliter, vel realiter. Vtro tu modo loqueris? Nam corpus inuiſibiliter traditum, fuit realiter corpus tradendum pro nobis, ſed hoc alienum à propoſito, quia efficeret identicam enunciationem; Hoc corpus meum eſt corpus meum. At corpus viſibiliter traditum, fuiſſe realiter traditum pro nobis mendacium eſt; atque adeò id ipſum quod impugnamus. Denique certiſſimum eſt, corpus id, quod tunc viſibiliter fuit Apoſtolis datum, fuiſſe corpus Chriſti figuratum, etiam ſi corpus id quod tradendum erat pro nobis fuerit verum & reale. Et hanc veritatem ſcimus talpas non capere. Quid tum?

CAP. X.

De comparatis locis.

I. SEcundum legis caput fuit de aliis Scripturæ locis, vnde negant euinci tropum in hac enuntiatione. Bellarminus. Non vtuntur, inquit, alio Verbo Dei, nuſquam enim inuenient in Scripturis. *Hoc eſt corpus meum*, debere exponi tropice. Etſi enim proferant quædam loca, vbi verbum *Eſt*, putant debere exponi per ſignificat, tamen fatentur non vbique. Proinde non poſſunt ex Verbo Dei ſolide concludere, hæc verba accipienda eſſe tropice, niſi proferant locum vbi expreſſe dicatur in particulari, hæc verba exponenda eſſe tropice, qualem locum nuſquam inuenient. Euge potentiſſime, & ex intimo penu Sophiſtices, in hanc formam. Quicunque locus docebit hæc verba eſſe tropica, hunc oportet in particulari dicere, hæc verba eſſe tropica. At nullus eſt locus qui hoc dicat in particulari. Ergo nullus eſt locus Scripturæ qui doceat ſolide hæc verba eſſe tropica.

II. Quam clare? quam rotundè? quam facilè? Obstupescite, quotquot estis, si qui estis ex veteri more huic æuo reliqui disputatores. Admiramini, tam nouum, tam elegans, inuentum an commentum? quod vnum sufficiat omnibus ferme finiendis contentionibus; absque labore: absque mora, absque ambagibus. Atque equidem male sit tibi breuiator Baptistæ, qui indignum duxeris tua epitoma tantum miraculum. Longe Gonterius astutior, qui maximos fructus longe lateque prouidens, hoc inuenti excoluit summa cura; propagauit, ampliauit, diligenterque commendatum effecit vt iam vulgo in vsu sit: & nihil commodius existimetur, quam hos scripturarios eo adigere vt nihil nisi præscripta verba legant in Scripturis & si qui dem Papam dixerint Antichristum, victi pronuntientur nisi totidem non tantum verbis, sed etiam syllabis, denique etiam literis, legant, Papam Antichristum. Quicquid autem argumentorum; consequentiarum produxerint, id frustra fiet. Tanti est Iesuitam esse.

III. Veruntamen maiorem negant molestissimi Papistis Catholici. Et ante omnia Bellarminum opponunt Bellarmino: cuius hæc sunt de iustificatione libri 3. c. 8. *Non potest aliquid certum esse certitudine fidei nisi aut immediate contineatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per euidentem consequentiam deducatur. Fides enim non est, nisi Verbi Diuini autoritate nitatur. Neque de hoc principio vel Catholici, vel hæretici disputant.* Cum igitur gemina sit ratio certitudinis fidei, ex Scriptutis, alia immediata: videlicet cum expresse leguntur verba; vt *Non facies tibi sculptile*: alia mediata per consequentias, vt cum concludetur Spiritus esse Deus, cum legatur esse adorandus: vnde tanta importunitas, vt nunc altera ista ablegata, illa sola ptiore cogamur vti? Certe veteres Theologi contendentes de interpretatione horum verborum, *Ego & Pater vnum sumus*, essentne de voluntate dicta; an de natura; non sunt veriti ne ab Arrianis sibi obiiceretur legendum alterum locum, in quo diserte pronuntiaretur, hæc verba, Ego & Pater vnum sumus, intelligenda esse de vnione naturæ. Sed collectis aliquot locis, vbi de iis verbis expresse neque γὲ neque μὲ, concluserunt hæc ipsa verba esse non de voluntate interpretanda, sed de natura.

IV. Non sunt hodie passuri Catholici, vt sibi hæc libertas eripiatur: imo vt sibi hoc fundamentum subducatur: quantæuis sint aut Bellarmini astutiæ: aut Gonterij clamores, aut reliquorum importunitates. Nam & certissime sciunt ipsos: ipsos, inquam, Papistas, nunc tam importunos, tam seueros nolle secum eodem iure agi. etenim quem mihi locum dabat Bellarminus, vbi legerit expresse, Hæc verba, *Hoc est corpus meum* esse absque vllo tropo intelligenda? Eheus tu memento Sophista: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, id verum esse.

V. Sic tam facile Bellarmini retunditur impetus, quam facile fuit susceptus. Sed vnum aut alterum huc pertinet argumentum; non omittendum. Panigarolla. Quæso te, Oecolampadi, credibilene est, si hæc verba per figuram essent intelligenda, Matthæum, vel Marcum, vel Lucam, vel Paulum, vel denique eorum aliquem, qui scripserunt historiam, ne minimum quidem figuræ dedisse indicium: sed omnes literæ inhæsisse, & vno ore dixisse, *Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus*? Quasi sic. Si ea verba essent figurata, omnes Euangelistæ non repetissent eodem modo. At repetiuerunt eodem modo. Ergo non sunt tropica.

VI. Respondemus negari consequentiam: neque vnquam auditam legem esse, vt siue proprietas, siue figura verborum iudicetur ex frequenti, rarove eorum iteratione. At nos damus instantiam, eorundem verborum bis, ter, quater repetitorum, quæ tamen esse tropica certius est, quàm hunc Solem lucere. Matthæi 3. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, complanate semitas eius.* Idem habes Marci 1. & rursus, Lucæ 3. denique Ioannis 1. Suntne propterea minùs figurata? Lucas Brugensis, *Metaphorica loquutio est, sumpta à similitudine ciuium, qui si regem quem exspectant suum, honorificè excipere, & testari gratum esse ipsius aduentum volunt, viam qua venturus est à sordibus, incommodis, atq; impedimentis omnibus liberam reddunt, & pulcram ac amœnam constituunt.* Toletus, *Est autem metaphora sumpta ab aduentu principis magni, cuius solent viæ parari, per quas venturus est in vrbem.* Et sanè Maldonatus, *Quod apud Isaiam dicitur de via in deserto paranda, hic dicitur de Iudæorum animis, qui cùm inculti & lapidei essent, iubentur eos pœnitentia colere, & emollire, humilitate explanare, fide dirigere, vt Christus per eos transeat, & secum in cœleste regnum ducat.*

VII. Vin' exemplum aliud? Matthæi 10. *Qui non accipit crucem suam: ac pone me sequitur, non est me dignus.* Marci 8. *Quicunque vult pone me venire, abdicet semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me.* Lucæ 9. *Si quis vult me sequi, abdicet semetipsum, & attollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Et 14. *Et quisquis non portat crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus.* Vbi vel minimum figuræ indicium? Estne ergo propria loquutio? Imò Toletus, *Accommodatior interpretatio est, vt tollere crucem, sit tribulationes, afflictiones, tentationes, ac persecutiones, qua partim ex abnegatione, partim ex virtutum studio, partim ex diuina probatione, partim ex naturæ corruptione, ex hominum malitia, aut conuersatione proueniunt, patienter & humiliter sustinere, nec ob eas ab incœpta via bona retrahi.* Et pòst, *Sequi autem Christum est ipsius præcepta, & doctrinam amplecti, eius virtutes imitari, etiam ad mortem pro ipso subeundam paratos esse.* Viden' tropum: & quidem geminum, Metaphoram, & Synecdochen?

VIII. Similiter Matthæi 5. *Neque accendunt lucernam, & ponunt illam subter modium, sed super candelabrum.* Marci 4. *Num lucerna incenditur, vt subter modium ponatur, aut super lectum? nónne vt super candelabrum ponatur?* Lucæ 11. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neq; sub modium, sed super candelabrum.* Rursus Matth. 9. *Non opus habent, qui validi sunt medico, sed qui malè habent.* Marci 2. *Non opus habent, qui validi sunt medico. sed qui malè habent.* Lucæ 5. *Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui malè habent.* Iterum. Matth. 9. *Non est mortua adolescentula, sed dormit.* Marci 5. *Puella non est mortua, sed dormit.* Lucæ 8 *Non est mortua, sed dormit.* Matthæi 12. *Ecce mater mea & fratres mei.* Marci 3. *Hic frater meus, & soror mea, & mater est.* Lucæ 8. *Mater mea, & fratres mei hi sunt.* Immane quantum excrescat numerus si colligam omnia.

IX. Certa est maioris impostura. Quid de minore dicam? Ne hæc quidem vera nisi ex parte. Relata enim verba apud omnes eadem; hæc sanè duntaxat, *Hoc est corpus meum.* Nam quæ sequuntur profectò diuersa sunt, & sic quidem vt negari non possit figura. Nam & quod omisit Matthæus, item̃que Marcus; Lucas autem addidit, *Quod pro vobis datur.* Paulus expressit figuratè, *quod pro vobis frangitur*: quia frangi non conuenit corpori nisi propter panem. Et secundum membrum, apud Matthæum & Marcum, *Hoc est sanguis meus noui illius fœderis*; Lucas & Paulus dixerunt, *Hoc poculum est Nouum illud Testamentum in sanguine meo.* In quibus verbis etsi quæ Matthæi sunt & Marci, sine tropo intelligantur à Papistis: tamen ista Lucæ & Pauli velint nolint agnoscere coguntur non propriè dicta.

X. Primùm enim poculum omnes agnoscunt nominatum continens pro contento: excepto Sebastiano Michaële cui assertum totidem verbis, Græcè ποτήριον tam propriè potum esse, quàm poculum. Sed hanc monstrosam imperitiam ei nemo inuidit. Deinde; siue poculum siue potio non potest eadem figura dici sanguis testamenti, & testamentum in sanguine; vt sese vertant in omnes facies Sophistæ. Sed hoc postea. Interea certum propositi argumenti cùm maiorem, tum minorem esse falsam: hoc est Papistas tantum in eo esse, vt minùs diligentibus aduersariis impostura faciant.

XI. Tonstallus libro priore. Quando Christus tropis est vsus, aut Euangelista ipsa admonent eum sub parabolis loquutum, aut verborum præcedentium & subsequentium circunstantia declarabit, vtrum tropi sint appositi, an verba quæ dicuntur, germano sensu proferantur. Sic Tonstallus sed eam partem quæ est de circunstantiis iam exegimus: quare restat altera pertinens ad hoc caput. Vasques c. 6. disputat. 179. Nusquam legimus Christum Apostolis hanc figuram explicasse: cùm tamen omnes parabolas illis palam explicarit, quas etiam populo explicare nolebat. Salmero tract. 20. Quæ Dominus parabolicè vel tropicè, hoc est obscurè, & ænigmaticè differebat, postea seorsum & familiariter discipulis aperiebat, atque explanabat: vt docet Sanctesius c. 4. repetion. 1. Consueuerunt sanè Euangelistæ mutuas operas tradere, vt quod ab alio obscurius, aut figuratè est traditum, id alius magis propriè & plenius enarret. Tholosanus parte 2. dialog. 2. Tam segniterne obseruasti consuetudinem Euangelistarum, vt non videris quoties verba referunt Domini, facilia torqueri, quàm sint diligentes in declarando, & explicando sensu?

XII. Argumentum est huiusmodi. Quæcunque à Christo dicta sunt figuratè siue tropicè, eadem vel tunc Euangelistæ ipsi monent, vel Christus explicauit, vel certè alij Euangelistæ illustrarunt. Ast in his verbis tropum, neque indicarunt narrantes Euangelistæ, neque Christus explicauit; neque alij Euangelistæ illustrarunt. Ergo in iis verbis nullus tropus est. Maioris pars prima non probatur; quod quidem videtur. Alteram Salmero demonstrat, quia Marcus sic doceat cap. 14. sed & Matthæus 13. dixerit discipulos venisse ad Dominum & dixisse, *Edissere nobis parabolam*: Et Petrum, cùm audisset, *Non quod intrat in os coinquinat hominem*, putantem esse parabolam, dixisse similiter, Edissere nobis parabolam istam. Tertij capitis confirmatio est apud Sanctesium. Ioseph Christi pater non semel scribitur: ne falleremur dictionis ambiguitate, obreperetque Heluidij error, Lucas addidit, *Vt putabatur.* Ioannes Baptista, Helias à Matthæo nuncupatur: sed Lucas subiunxit, *in virtute, & spiritu Heliæ.* Quòd Lucas dixit eiectum dæmonium *In digito Dei*, à Matthæo, *in Dei Spiritu*, exponitur. Quod vnus figuratè protulit, *Cauete à fermento Pharisæorum*; alius, *quod est hypocrisis*, ad elucidationem adiunxit.

XIII. Ad eandem maioris demonstrationem pertinet & illud Tonstalli. Ioannes Euangelista diligentissimus verborum Christi & scriptor, & interpres, non modo eorum quæ in suo Euangelio, sub aliquo tropo à Christo dicta commemorat, sensum explicat ipse: sed & eorum quæ alij Euangelistæ ante ipsum, sub tropis à Christo dicta scripserunt, sententiam aperuit. Quale est illud, 2. soluite templum hoc, *& in tribus diebus excitabo illud*: quod interpretatus est; *ille autem dicebat de templo corporis*; cuius interpretationis Matthæus & Marcus non meminerant. Capite septimo, cum dixit Christus, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*: Ioannes adiecit, *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Sanctesius hoc de Ioanne omissum noluit. Ioannes, inquit, Euangelista quasi spicilegius sequitur; vt quod alij omiserint prorsus, vel in quo significatu accipiendum sit, non satis expresserint, narret & expoliat.

XIV. Satin' Verborum fuit? Et tamen contraxi. Sed quorsum? An vt perpetuò doceant nihil se pudere? Vt testentur sibi mendacia esse lusus: audaciam, alteram naturam? Nam in hoc quidem vniuerso argumento nihil apparet aliud; quàm sic agere sophistas quasi cum iis quibus Scripturæ non sint cognitæ, vel de nomine: quibus nunquam sit vel pagina lecta: adeò mentiuntur confidenter. Hoc: hoc est, scilicet, de religione disputare: hæc omnino, hæc ratio est, pietatem stabiliendi; veritatem confirmandi. Sic puto, olim gesserunt se Apostoli: gesserunt Apostolici viri. An nouæ sunt artes Antichristianismi? Βάλλ' ἐς κόρακας.

XV. Primum, maior, quatenus vniuersalis, est omnino falsa. Quibusdam parabolis, tropis, homonymiis obseruare potuerunt expositiones, ita constare: sed omnibus: hoc verò asserendum non poteramus exspectare, nisi à desperatissimis modestiæ hostibus. Vin' parabolarum specimen? Matthæi 5. *Vos estis sal terræ: quòd si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil valet amplius, nisi vt abijciatur foras, & conculcetur à quibus vis. Vos estis lux mundi, non potest vrbs occultari supra montem posita: Neque accendunt lucernam, & ponunt eam subter modium, sed in candelabrum, & splendet omnibus qui sunt in domo.* Item postea, *Esto amicus aduersario tuo citò, dum es in via cum eo, ne quando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in custodiam conijciaris: Amen dico tibi, nequaquam exibis illinc vsquedum reddideris vltimum quadrantem.* Heus vos Sophistæ, qui omnia rimamini, quos non latent vel in nubibus volantes culices; quamuis hos non cernant Aquilæ, vos, inquam, quibus immanis vestri confidentia est, docete vbi vel ipse Matthæus monuerit hæc dicta parabolice, vel Christus ipse explanarit, vel alius vllus Euangelista, ac præcipue Ioannes, quem dicitis nihil omisisse; edissertarit. Non potestis? Quid ergo orbi illuditis? Quid cordatis vos speratis imposituros? Cur non facitis finem audaciæ, temeritatis, impudentiæ?

XVI. Et longum est tamen inter parabolas discrimen troposq; quomodo inter domos & lapides, nam vt domus constat ex lapidibus, sic parabola ex mul-

ex multiplicatis tropis: vnde fit vt poſſit ſermo inſtitui abſque vlla parabola: vix autem poſſit abſque tropo: quomodo etſi paſſim per agros lapides ſint, tamen non niſi paucis locis ædificia. Indidem fit etiam vt non poſſint tam facilè omnes tropi aut præſente nota indicari, aut adhibita explicatione illuſtrari: atque adeò nunquam quiſquam alterutrum profeſſus ſit, ſiue in ſacris, ſiue in profanis autoribus.

XVII. In Chriſto ipſo manifeſta experientia eſt. Matthæi 4. *Non è ſolò pane viuit homo; ſed ex quouis verbo prodeunte per os Dei.* Ibi viuere ex pane propria loquutio eſt: ſed viuere ex verbo Dei, impropria. Nam vel metonymia eſt cauſæ pro effecto, ſi rectè Lucas Brugenſis interpretatus pro quacunque re, quam iuſſerit Deus, quod & Maldonatus comprobauit: vel metaphora, ſi verius Salmero intellexit cibum animæ. Eya Sophiſtæ, vbi aut Chriſtus, aut Euangeliſta quiſquam indicauit tropum; tropum explicauit? Et illa tamen verba ſunt in primis verbis quæ à Chriſto ad nos peruenerunt. Quid illed 5. *Quoniam ipſi terram hæreditatis iure poſſidebunt?* Et rurſus, *Quoniam ipſi Deum videbunt:* & iterum, *vt diſſoluam prophetas.* Item, *Iota vnum, aut vnus apex, nequaquam præterierit ex lege vſquedum omnia facta fuerint.* Quid alia colligam plurima? Profectò tam futura eſt importuna enumeratio, quàm illa impudens aſſertio.

XVIII. Et verò probationes maioris cuiuſmodi ſunt? Paucorum exemplorum: & quidem valde paucorum: cum tamen valde magnus ſit numerus parabolarum: figurarum autem, ſiue troporum infinitus. Quaſi qui probaret omnes homines eſſe inſignes oratores, quia Iſocrates, Iſæus, Demoſthenes, Cicero fuerint. In nobis ſi quando obſeruent tantæ incogitantiæ quantulacunque veſtigia non diſſimulant nugaciſſimi hominum: ſed nunc non vident manticæ quod in tergo eſt, ſanctiſſimi diſputatores.

XIX. Sic maiorem in promptu eſt refutare. Quid minorem? Non immorer ego quidem in ea curioſius exagitanda: nihil enim neceſſe eſt, poſt maiorem exſibilatam. Sed tamen, quomodo habent probare Chriſtum nunquam explicaſſe? Fateor ſane nuſquam nobis ita teſtatum conſtare. Sed attendant, quid ſuus Salmero ſcripſerit, non de tropis, ſed de ipſis parabolis; tract. 3. Thomi 7. *Illud ex Euangelica hiſtoria aſſeuerandum eſt, Dominum paucas tantùm parabolas in Euangelio expoſitas reliquiſſe, etiam ſi omnes ſeorſim Apoſtolis explicuiſſe B. Marcus capite quarto teſtetur.* Paulo pòſt, *Nam præter parabolam ſeminantis in quatuor partes terræ, & illam zizaniorum, & illam quæ habetur Matthæi 15. Non quod intrat in os coinquinat hominem: ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, vllas alias, quod ſciam, in Euangelio interpretatus non eſt.* Vide omnes parabolas Chriſtus explicauit. At non omnes legimus explicatas. Ergo, inquam, non ſequitur ſi non legimus explicatas. Ergo non fuerunt explicatæ. Cur vis maior conſequentiæ in tropis ſimplicibus, quos nunquam vſus vllus aut ſacer aut prophanus coëgit explicari? An τεχνικώτεροι Sophiſtæ, Πλάτωνος φύσιν.

CAP. XI.

De articulis fidei.

I. VEnio ad tertium legis caput, de articulis fidei: Bellarminus Nec habent articulum fidei, cui propria acceptio horum verborum expreſſe repugnet. Idem Richeomus aſſerit. Sed quomodo demonſtrant?

II. Bellarminus. Solent illi vrgere articulum Aſcenſionis. Ergo, inquam, quæ veſtra ſolutio eſt? Prima. Nos vtrumque credimus, & Chriſtum verè aſcendiſſe, & eſſe in cœlo, & ſimul eſſe in Euchariſtia. Neque probabile eſt inter tot Papiſtas qui ſunt & fuerunt à tot annorum centuriis, non fuiſſe vllum, qui videret iſtam repugnantiam: præſertim cum Doctores Scholaſtici longe melius nouerint regulas contradictionem, quam omnes Lutherani, qui contemnunt ſubtilitatem diſputationum. Secunda. Idem a certiſſime patet ex eo quòd Dominus cum primum hoc Sacramentum præbuit diſcipulis, non in cœlo erat, ſed in terra, nondum enim aſcenderat in cœlum: tunc igitur non repugnauit hæc veritas articulo Aſcenſionis. Nam (addit Richeomus) ſi tunc corpus Seruatoris datum vnicuique Apoſtolorum potuit præſens eſſe in multis ſtomachis, lociſque ſimul; poteſt etiam nunc. Tertia. Non magis repugnat hæc veritas articulo Aſcenſionis, quam repugnat veritas Trinitatis, articulo vnitatis diuinæ. Sicut illi colligunt, Chriſtus eſt in cœlo: Ergo non in terra: ita poſſent colligere. Deus eſt vnus: Ergo non trinus: neutrum enim intelligimus, tamen vtrumque fatemur, quia vtrumq; legimus in diuinis literis, nec eſt euidens repugnantia.

III. Reſpondeo primò falſum eſſe, nullum articulum dari, vnde cogamur deſerere proprietatem ſermonis. Datur enim non ille tantùm de Aſcenſione in cœlos; quem vnum libuit examinare: ſed ante eum ille, *Conceptus è Spiritu Sancto natus è Virgine Maria.* Id eſt, *Verbum caro factum eſt*; & inde quicunque loci explicant myſterium incarnationis: de quibus ſuo loco imus diſputatum plenius: nunc duntaxat argumentantes aduerſarios audituri. Itaque neceſſariò ſubſtituri in illo Aſcenſionis articulo, quando ita viſum aduerſariis.

IV. Ad primam ſolutionem, negatur conſequentia: nam etſi vtrumque profiteantur credere Papiſtæ, & aſcendiſſe Chriſtum in cœlos, & eſſe in ſummis digitis Sacerdotis; tamen non ſequitur non eſſe contradictoria. Quemadmodum olim hæretici credebant Chriſtum eſſe vere Deum, & vere hominem: tamen negabant habere animam rationalem. Sic quæ manifeſte ſunt ἀσύστατα, illi ſimul credebant. Alij rurſus negabant duas voluntates: Aliis alia ſomnia fuerunt. Vniuerſaliter verum, hominis phantaſiam nihil ponere, aut mutare in rerum natura: ne ſperent Papiſtæ, ſe ſuis tragelaphis illuſuros cordatis viris.

V. Enimverò Scholaſtici, magni ſcilicet viri: qui omnia viderint, nihil ignorarint: poſterioribus præſtruxerint. Deliciæ Papatus: Antichriſtianiſmi columina. Quibus vnum inſtitutum, vt non ex verbo Dei iudicarent quæſtiones propoſitas: ſed ex vſu, vt loquuntur, currente: eoque inflecterent Scripturas; quo iure quáve iniuria: nulli proinde arti, nulli Sophiſticæ, nulli denique violentiæ parcentes. Quibus non ratio credendi regula: ſed concepta perſuaſio lex rationis. Qui ſuis artibus nihil non incruſtarunt abſurdi: nihil non contradictionis eneruarunt: curioſitatis infinitæ: ſubtilitatis multæ: ſed quomodo Plutarchus in Arato, θηρίων τινῶν ὄψεις ἐνεργοὶ διὰ σκότους ὅσαι μεθ' ἡμέραν ἀποτυφλοῦνται, *beſtiarum quarundam oculi in tenebris valentes plena luce excæcantur.*

VI. At Lutherani ſpernunt ſubtilitatem diſputationum. Sunto Lutherani qui volent: nobis placet eſſe Catholicis: ſubtilitatem admirantibus interdum; abominantibus non rarò, vix vnquam laudantibus: ſed ſoliditatem toto pectore amantibus, totoque labore quærentibus, cuius vel minimo guſtui non oppoſuerimus plauſtra ſubtilitatem ſcholaſticarum.

VII. Secunda ſolutio. Cum inſtitueretur Euchariſtia, nondum erat aſcenſio. Ergo hæc non contradicit propriæ interpretationi. Reſpondeo primum; ſi non Aſcenſio, aut certe natiuitas præceſſerat. Quid promotum? An ſic ſolet inconſulte ſubtilis incidere in Scyllam cupiens vitare Charibdin?

VIII. Deinde negatur conſequentia; nondum acciderat mors Chriſti cum inſtituta Euchariſtia, & tamen mors Chriſti contradicit concomitantiæ, quam neceſſariò ponunt in Euchariſtia, docent enim ipſi Papiſtæ, ſi Apoſtoli conſecraſſent dum corpus eſſet in ſepulcro, tum re vera futurum in Euchariſtia corpus exanime. Cur non æque Aſcenſio, etſi ſequuta inſtitutionem, poſſit contradicere ei loquutionis proprietati, quam fingunt aſtuti, ſcilicet, viri?

IX. Et verò Chriſtus Ioannis 6. cùm imaginarentur neſcio quid Papiſticum Capernaitæ; vt nunc Capernaiticum Papiſtæ; obiecit Chriſtus ſuam iſtam Aſcenſionem, tanquam oppoſitam, *Hoc vos offendit? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius?* Auguſtinus in Ioannem tractatu 27. *Hinc ſoluit, quod illos mouerat: hinc aperuit vnde fuerant ſcandalizati: hinc planè, ſi intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum corpus ſuum: ille autem dixit, ſe aſcenſurum in cœlum, vtique integrum. Cum videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius, certe vel tunc videbitis; qui non eo modo quo putatis erogat corpus ſuum: certè vel tunc intelligitis, quia gratia eius non conſumitur morſibus.* Tunc ergo, & antequam eſſet, obſtabat Aſcenſio, ne κατὰ τὸ ῥητὸν, phraſis illa manducandi corporis Chriſti, conciperetur. Cur hodie minus? Niſi fortè quæ tunc apud Capernaitas in cunis erat Tranſubſtantiatio, nec poterat Herculis in morem ſerpentes ſuffocare: nunc adultior apud Papiſtas, etiam cœlos audeat contemnere.

X. Non magis Aſcenſio repugnat ſenſui proprio, quàm vnitas Trinitati. Imò tam repugnat vnitas perſonarum Trinitati perſonarum, aut vnitas Eſſentiæ Trinitati eſſentiæ, quam ſenſus ille proprius Aſcenſioni. Ideoque longe magis Aſcenſio ſenſui proprio, quàm Trinitas perſonarum, vnitati Eſſentiæ. Quare Deum vnum & Trinum, etſi non exacte intelligant, tamen confidenter omnes Catholici: Aſt horum verborum ſenſum proprium, quia prorſus intelligunt, negant conſtanter. Tam male Bellarminus eſt ratiocinatus.

CAP. XII.

De Abſurdis.

I. QVartum propoſitæ legis caput continet impoſſibilia, & abſurda. Gemino capite: & à nobis nulla eſſe, & à ſe quædam, eaque grauia. Richeomus; vna cauſa recedendi à ſenſu literali, abſurditas eſt manifeſta, ſi vt ſonant verba ſumantur. Verum in his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, nulla abſurditas eſt neque patens, neque latens. Similiter Salmero. Sed hic, inquit, nihil tale inuenitur. Igitur fruſtra ponitur tropus.

II. Itane? nihil? At vos potius probaturi ſenſum eſſe literalem retinendum, debuiſtis docere, aliquid incommodi, abſurdive ſequi ex ſenſu tropico? tum enim veſtra victoria eſſet. Cur non facitis? Nobis parcentes ſcilicet: an veſtris diffiſi viribus?

III. Sed nos tamen abſurda ſatis multa obiicere, vos ſcitis ipſi: nam & mutationem panis in corpus Chriſti impoſſibilem: & multiplicitatem locorum abhorrentem à natura rei finitæ: & præſentis corporis inuiſibilitatem nunquam auditam: & horrendam κρεοφαγίαν, & alia, nec pauca, nec exigua: quæ ſuis etiam locis erunt diſputanda; nunc indicanda tantum. Cur ergo nihil eſſe dicitis huiuſmodi tam confidenter? An vero dici abſurda præter rationem? Hoc videamus.

IV. Richeomus. Non ſunt abſurditates in reipſa poſitæ; ſed dictæ in phantaſia ſuperborum & infidelium. Quibus ſic eſſet humilitas filiorum Dei, fideſque Eccleſiæ Catholicæ; plus deterrent fidei verbis Dei, dicentis *Hoc eſt corpus meum*, quam proprio ſuo iudicio, non capaci tantæ rei: viderentque idipſum quod Sancti viderunt in horum verborum myſterio: qui tantum ab eo abfuerunt vt abſurditatem viderint, repugnantiamve; vt vehementer admirati ſint omnipotentiam, & ſapientiam Seruatoris.

V. De ſuperbia, & infidelitate iudicaturus eſt olim Deus, & vlturus innocentiam eorum, quos iniquiſſimum eſt pendere ab hoſtium tum ſuorum tum veritatis, impia temeritate: quæ vel in cœlum vertat impudentiam, vt nihil relinquat non calumniis temeratum. Noſtra nos interea conſolabitur conſcientia: miratura ſi auferant ij modeſtiæ, fideique laudem, qui ſua vna libidine dogmata metientes, nihil omittunt Sophiſticæ vt & quæ ſunt, videantur non eſſe: & quæ non ſunt, eſſe perſuadeantur.

V. Cætera, verba ſunt & voces. Nos vero quantum debemus, deferimus verbo Chriſti Dei noſtri; cuius & ſapientiam adoramus & omnipotentiam; cui nihil æquari, nihil opponi poſſit, aut debeat. Sed quid hoc ad rem? Quaſi vero nemo poſſit credere verbo Dei; niſi qui quicquid vſquam eſt, fuit, erit, abſurditatis, impoſſibilitatis eadem opera ſibi perſuadeat, aliis obtrudat?

VII. Enimvero quid hoc eſt nequitiæ? Tam diſertè Chriſtus olim dixit, *Ego ſum vitis vera: Ego ſum oſtium*: quam nunc, dixit, *Hoc eſt corpus meum*: & omnes illa interpretantur τροπικῶς. Cur nunc tam ſui diſſimiles Papiſtæ ſunt, vt hæc ſi τροπικῶς intelligamus, negemur fidem habere verbis Chriſti? Non eſt idem, ô Sophiſtæ, Chriſtum arguere tanquam mentitum: & eius verba figurate interpretari. Certe dixit Chriſtus, *Bibite ex hoc omnes*, tam claris, tam perſpicuis verbis, vt non poſſint dari clariora, euidentiora: & tamen non poſſumus obtinere vt à vobis intelligantur proprie. Non poſſumus, inquam extorquere, vt ne corrigatis pro omnibus, aliquos: pro aliquibus paucos, pro paucis denique vnum: quæ horrenda

ſynecdoche eſt. Vnde ſubiit vobis ſperare, tanta fore merita veſtra; vt nunc repente, & tantum territi calumniarum veſtrarum μορμολυκεῖα, renuntiantes ſenſui communi; neglecta omni abſurditate, conculcata impoſſibilitate, nunc denique tropos omnes horreamus.

VIII. Salmero, reſpondet, hæc omnia abſurda, Patribus occurriſſe; & inſuper periculum idololatriæ, ne cultus Deo debitus, creaturæ inanimæ, id eſt, pani tribueretur. Et quia intellectus cogi nolit ad credendum ea quæ non capiat; inclinaturos fuiſſe ad tropum, niſi expreſſe, ac perſpicuè ab Apoſtolis accepiſſent, ſicut Apoſtoli à Chriſto, & Eccleſiis tradidiſſent, verè hic eſſe corpus Chriſti, & firma fide illud apprehendiſſent. Hac autem fide poſita nihil eſſe impoſſibile.

IX. Sed nihil eſt vllius momenti. Certum eſt Patres vidiſſe huiuſmodi incommoda. Sed eoſdem excluſiſſe nihilominus tropum, prorſus falſum eſſe, ſuo loco oſtenſuri ſumus.

X. Atque ita eſto huius laboris pars prior: altera deinceps, in abſurdis, quæ cumulanda ſibi ſperarunt aduerſarij. Eſto hoc primum Vegæ aſſertione 71. Qui non videt, non modo nuſquam factum eſſe, ſed neque à Deo Opt. Max. fieri potuiſſe, vt Sacramentum inſtituens, dum rem ſignificatam diceret, per metonomyam non rem ſignificatam, ſed ſignum eius intelligeret? Si enim tunc erraſſet homo, Dei vel Chriſti iubentis culpa fuiſſet non hominis Ob eum vero errorem poſſe hominem damnari, impium, immane, & barbarum eſt aſſerere. Diſpono. Quicunq; loquitur figuratè autor eſt erroris eorum, qui errant in intelligendo. At Deus non eſt autor erroris eorum qui errant in intelligenda inſtitutione Sacramentorum. Ergo Deus non eſt locus figuratè in inſtitutione vllius Sacramenti.

XI. Reſpondeo, mittere illud, *dum rem ſignificatam diceret, per metonymiam non rem ſignificatam, ſed ſignum eius intelligere*, in quo nihil ſani, nihil aduerſum nos: qui non negamus rem ſignificatam intellectam: ſed tantum de ſigno prædicatam proprie. Quorum diſcrimen nunquam voluerunt; aut certe nunquam valuerunt aduerſarij concipere. Quod quid ad nos? Aut cur nos oportet tantum ſtuporem præſtare: aut tantæ nequitiæ pœnas dare?

XII. De argumento præſtat dicere: cuius dico maiorem eſſe commẽtitiam, & penitus Ieſuiticam. Solent enim hoc genus homines, ſi quiquam alij, pro abſurdis obiicere terriculamenta; quæ prima fronte moueant auiculas: cordatis viris cachinnum moueant. Deus inquam, nullius erroris autor eſt. Et tamen ſæpe factum vt loqueretur figuratè: ſæpe factum vt homines errarent in intelligendis eius verbis figuratis. Matthæi 16. *Videte & cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum.* Apoſtoli intellexerunt de panibus quorum eſt proprie fermentum. An verum non erraſſe? An verum erroris habuiſſe autorem Chriſtum? Vtrunque falſum. Nam Chriſtus ſeuere reprehendit, *Quid diſſertatis inter vos, homines* ὀλιγόπιστοι? *Quomodo non intelligitis, me non dixiſſe vobis de pane?* Aliud exemplum Capharnaitarum, qui audiebant comedendam eſſe carnem, bibendum ſanguinem Chriſti, non explicantis modum, ſunt ſcandalizati. Tertium Apoſtolorum, & maxime Petri, teſte Luca Brugenſi, c. 22. Lucæ, *Qui non habet vendat pallium ſuum, & emat gladium. Illi dixerunt. Domine ecce duo gladii hic.* Maldonatus, *Conſtat Apoſtolos, quid Chriſtus ſignificare voluiſſet, non intellexiſſe.* Brugenſis, *Intelligentes Ieſu verba propriè.* Iam Ianſenius, *Figurato ſermone, quali ſæpe Dominus vtebatur, tantum imminentia, tum ſibi, tum Apoſtolis mala, voluit ſignificare, quoad ea fortiter ferenda ſeſe præpararent. Obſcuriùs autem locutus eſt, permittens Apoſtolos aliquandiu detineri errore, vt putarent ipſum requirere gladios in defenſionem.*

XIII. Scilicet hoc ſupererat, vt in gratiam ſuæ ſuperſtitionis, Dei iuſtitiam accuſarent Ieſuitæ. At nos longè malumus hominũ ſocordiã accuſare: vt olim de Iudæis ſolidum iudicium fecit Cyrillus c. 21. quarti in Ioannem, *Fatuis ſanè conſuetudo hac eſt. Semper enim ſublimiori doctrinæ, quam ipſi non intelligunt, detrahere ſolent: cumq; attendere magis deberent, & ſubtilitate rerum eleuari, contrà deijciuntur, & durum appellant ſermonem, quem admirari debebant. Non aliter igitur faciunt quàm edentuli ſoleant: melliora enim eligũt alimẽta, etiam ſi peiora ſint: ſolidiora verò ac meliora edulia magnopere vituperant, ægrotationem ſuam celare ſtudentes: mentis quoq; acumine priuati, ſcientiam abhorrere ſolent, quæ magno ſtudio multaq; opera eſſet conquirenda.* Iterũ c. 26 *Dura videntur inſipientibus, quæ ſapienter dicuntur. Nam quemadmodũ ægrotis oculis lux ſolaris officere ſolet, tenebroſa verò loca prodeſſe videntur: ſic ægrotantes animo perfectiorem aſpernantur diſciplinam, & plenam bonis orationem abijciunt: friuola verò ac inutilia, quaſi plena iucunditatis amplectuntur.* Chryſoſtomus 45. in Ioannem, τὸ ἀσαφὲς τῶν εἰρημένων ἀεὶ τὸν ἀκροατὴν διανίστησι, καὶ προσεκτικώτερον ἐργάζεται· οὐ τοίνυν σκανδαλίζεσθαι ἔδει, ἀλλ' ἐρωτᾶν μᾶλλον καὶ πυνθάνεσθαι, *Obſcuriùs dictum ſemper auditorem erigit, & attentiorem reddit. Non ergo perturbari debebant, ſed interrogare & quærere.*

XIV. Salmero tract. 17. Cum illa ſacra ſint ſigna, nec illorum ſignificatio meliùs intelligatur quam per illa verba quibus fiunt, & conficiuntur: ſi omnino verba propria, vel ſecundum communem loquendi vſum intelligenda non eſſent, illa Sacramenta quæ certæ rei ſignificandæ gratia inſtituuntur, certum ſignum; ob incertam verborum ſignificationem, non eſſent, & ita Chriſti actio ſeipſam deſtrueret.

XV. Reſpondeo, primùm inconſideratè copulari verba propria, & ſecundùm communem vſum intelligenda; quaſi vtrunque in idem recideret. Atqui figuratus ſermo, eſt etiam ipſe in communi vſu: & vt loquitur Brugenſis in Matthæi 26. *tam vſitata, quàm eſt quæuis propria loquutio*, itaque ipſa etiam verba figurata nunquam aliter intelligenda, quàm ſecundùm vſum communem, nempe eorum verborum cùm figuratè vſurpantur. Et in his ipſis verbis, de quibus tota nunc contentio eſt; nullus vſus tropi eſt aut recens, aut inuſitatus: ſed vetuſtiſſimi vſus: non enim aliter, quàm quæ exempla repetiuimus fermè ab initio mundi. Itaque in argumento ſunt hæc membra ſeparanda; vt diſputetur duntaxat de verbis propriis.

XVI. Secundò igitur, nego conſequentiam; quæ aſſerit ſi non propriè intelligantur, non fore ſigna certa. Nam contrà ſunt infinita exempla, & in omnib. Sacramentis. Circuncifio eſt fœdus: Vaccæ ſunt anni: Petra erat Chriſtus In quibus nemo vnquam conqueſtus eſt quicquam tale occurrere. Et verò falſam eſt propter impropriam interpretationem, incertam dici ſignificationem. Nam in altera parte conſentiunt omnes; verborum, Hoc poculum eſt Nouum Teſtamentum, figuratam eſſe interpretationem: at non incertam tamen.

XVII. Inſtat Sancteſius. Sermonem figuratum vnam habere naturalem & propriam ſignificationem: alteram autem aut etiam plures tranſlatas, & à vocum proprietate alienas: itaque licere cuique quem volet ſenſum figuris & tropis affingere. Argumentum. Omnis oratio figurata habet plures ſenſus. At hæc oratio non habet plures ſenſus. Ergo eſt figurata. Probatur maior. Quæcunque oratio habet vnum ſenſum naturalem, alterum figuratum, habet plures ſenſus: At omnis oratio figurata habet vnum naturalem, alterum figuratum: Ergo plures. Probatur minor. Quæ oratio habet plures ſenſus, huic licet quenque affingere quem volet ſenſum. Aſt huic orationi non licet. Ergo non habet plures ſenſus.

XVIII. Serione agit, an ioco de minore? Nam quis non audiuit aliàs animoſe diſputantes Papiſtas de multiplici Scripturæ ſenſu, nec figurato tantùm, ſed etiam liberali? Atqui aut hæc diſputatio illegitima eſt, aut certè minoris confirmatio fallax. Nam ſi Scripturæ non liceat quencunque ſenſum adſcribere, conſequens erit, Scripturæ nunquam eſſe multiplicem ſenſum. Vel ſi Scripturæ ſit multiplex ſenſus, ergo eidem licebit affingere quemlibet ſenſum: ac proinde etiam huic, quam habemus præ manibus, orationi: non enim hæc alio gaudet priuilegio, quàm Scriptura, cuius pars eſt. Sic ſuas cædunt vineas ipſi Sophiſtæ: nec poſſunt ſemper bene memores eſſe mendaces.

XIX. Nobis tamen eo labore opus non eſt Negamus enim potiùs maiorem. Semper enim nobis ſimiles, negamus vlli orationi ſiue propriæ, ſiue figuratæ, ſenſum eſſe legitimum, præter vnum. Sed quia de propria nulla quæſtio eſt; agamus ſanè de figurata. Exempli gratia, nemo negat hanc eſſe figuratam, Matthæi 4. *Sequimini me, & faciam vos piſcatores hominum.* Et hanc item, *Obtulerunt ei omnes malè habentes.* Et tamen nego earum plures eſſe ſingulis ſenſibus: nempe vt in priore deſcribatur Apoſtolorum officium, teſte Maldonato, & cunctis interpretibus: in altero, non omnes: ſed *plurimi* ægroti, teſte Brugenſi, *infinito numero: omnes quotquot adducere poterant.*

XX. In confirmatione, nego minorem. Nam quia ſenſus naturalis opponitur figurato: & hunc conſtat eſſe, qui indicatur per verba figurata: neceſſe eſt illum eſſe, qui indicetur per verba propria. Itaque confidenter dico fieri non poſſe, vt vllius figuratæ orationis ſenſus ſit naturalis. Contradicente videlicet definitione. Nam ſi ſenſus naturalis, is eſt qui ſignificatur per omnia verba propria: & nullius figuratæ orationis omnia verba ſunt propria: neceſſe eſt, nullius orationis figuratum ſenſum eſſe naturalem. Ac proinde nec alium naturalem, alium figuratum Et ſanè cùm dicimus Prata ridere: etſi conſentiant omnes ridendi verbo ſenſum eſſe naturalem quendam, qui pertinet ad humanam naturam ſolam: & eſſe alium figuratum, qui ad prata pertingat: ipſius tamen orationis, nemo dixit vnquam ſenſum eſſe illum naturalem, ſed hunc tantùm figuratum. Et ratio eſt, quia vox altera determinet alterius ſignificationem: adeò vt impoſſibile ſit ridendi vocem propriè concipi. Quomodo Petrus Actor. 2. probauit Dauidem eſſe loquutum de Chriſti reſurrectione: quoniam Dauid eſſet adhuc ſepultus: indicans eius loci non duplicem eſſe ſenſum, ſed vnicum, etſi alioquin, *Animam meam*: vel propriè poſſes interpretari pro ipſo Dauide, vel figuratè pro Chriſto.

XXI. Erunt, inquit, ſaltem plures figurati. Ne hoc quidem, inquam. Nam etſi ridere figuratum, aliàs ſignificet irridere, aliàs gratum eſſe tamen cum dicis, Prata ridere, nemo intelligat, prata quenquam irridere: quoniam æquè hoc alienum à natura pratorum ac proprium ridere. Similiter, etſi piſcari, cùm propriè ſit piſces captare: & figuratè extrahere ex aqua, & longiùs, captare aliquid: tamen cùm dixit Chriſtus piſcatores: non tantùm nemo intellexit eos qui thunnos captent aut murænas: ſed ne eos quidem qui ex aquis educunt putà tripodum, aut vidulum: quoniam hominum additum nomen vtrumque excludit, ſed qui captarent homines per modum eruditionis, traducendos in aliud genus vitæ.

XXII. Sed ad Salmeronem, quid plura? Contra potius quàm Salmero ſupponat: verum eſt, in his Sacramenti verbis, ſi proprius ſit ſermo, nulla futura ſacra ſigna. Quoniam ſi propriè intelligantur; Ergo deſignatur quid hoc ſit eſſentialiter. Atqui nulla ſigna ſunt eſſentialiter id quod ſignificant: non magis quàm pater poteſt eſſe ſuus filius. Tum autem ſacra ſigna, non eſſentia ſunt, ſed conſecratione.

XXIII. Secundum abſurdum huic primo non abſimile; apud Tonſtallum. Si illa verba, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis funditur*, per tropos & allegorias fuiſſent dicta, iam Euchariſtiæ Sacramentum penitus irritum eſſet, & propoſita de eo doctrina fundamento careret: nam ſuper allegoriam nihil ſtabile fundari poteſt. Argumentum: Allegoria nullum eſſe fundamentum ſtabile vllius dogmatis: At hæc verba ſunt ſtabile fundamentum dogmatis de Euchariſtia: Ergo non ſunt allegorica. Probatur maior autoritate Auguſtini epiſtol 48. *Quis non impudentiſſimè nitatur aliquid in allegoria poſitum, pro ſe interpretari, niſi habeat & manifeſta teſtimonia, quorum illuſtrentur obſcura?*

XXIV. Reſpondeo: Allegorias non ſemper eodem ſenſu nominari. Aliquando pro ſenſu Scripturæ non propriis verbis indicato; qui tamen quia propoſitus fuerit ei, per quem Spiritus Sanctus ſit loquutus; ideo in literali etiam ſenſu comprehendatur, vt aliàs monuimus primo tomo, agentes de interpretatione Scripturæ. Interdum autem pro interpretandæ Scripturæ ratione illa, quæ ab ſenſu illo literali diſcedens, veriſimiles conſectatur, quod vitium fuit Origenis, & poſt eum Patrum non paucorum: denique etiam Papiſtarum plurimorum. Hoc poſteriori modo plene & plane confitemur maiorem: eamq; vellemus ſemel Papiſtis verè perſuaſam: qui tamen videntur eam non niſi ſuo commodo metiri; vt nos inde terreant, ipſi interea ſuſque deque habentes. Itaque concedimus vniuerſum argumentum. Sed quàm verum eſt non diſcedere à Chriſti mente, qui illud, *Ego ſum vitis*, interpretantur per metaphoram; tam verum non diſcedere à Chriſti mente, qui, *Hoc eſt corpus meum*, per metonymiam.

XXV. Quod attinet ad alteram allegoriæ notionem, negamus maiorem: etenim omnis locus Scripturæ expoſitus iuxta Spiritus Sancti ſenſum, quomodocunque ſit conceptus, ſiue propriis, ſiue figuratis verbis; eſt idoneum dogmatis fundamentum. Maldonatus in 15. Ioannis, *Nihil poterat diſcipulis, ad mortem diſcedens, dicere magis neceſſarium, quàm*

neſe

ne se vnquam ab ipso, id est ab eius fide, ac dilectione auelli paterentur, siquidem vellent viuere: quod eleganti admodum, & omnibus nota sumpta metaphora declarat. Audin? dogma?& quidem necessarium:& ita vt nullum magis declarari?& neges vllum inde illi esse fundamentum? Declarari tamen per metaphoram: nec eam simplicem, siue positam in vno vocabulo, sed continuatam: vnde Toletus, *ad hoc inducitur*, inquit, *parabola de agricola, & vita, & palmitibus.* Mitto alia infinita; hoc vno contentus exemplo.

XXVI. Iam Augustinum loqui de allegoriis secundi ordinis, id est, abducentibus à sensu Spiritus Sancti, manifestum est, ex ipsa materia: Agebat enim contra Donatistas torquentes illud ex Cantico Canticorum, *Vbi cubes in meridie*, vt docerent in Africa sola residuam esse Ecclesiam. Quanquam addita exceptio non sit omittenda. *Nisi habeat*, inquit, *& manifesta testimonia*: vnde manifestum, posse eo autore interdum allegorias sacra firmare dogmata: quæ scilicet aliunde fiunt manifesta. Quod etsi non pertineat ad hoc genus figuratarum propositionum, quæ constant simplici tropo: tamen in hac quidem disputatione non declinabitur à nobis: qui speramus absurditatem non tropici sensus, multis autoritatibus sacris demonstrari.

XXVII. Pergo ad tertium absurdum Tonstalli: Christus, si Paulo credimus, vsque ad secundum aduentum corpus suum edi, & sanguinem bibi à fidelibus sub Sacramento voluit: id quod fieri nequit, si à literali sensu verborum illorum discedamus, & tropos, allegoriasque sectemur.

XXVIII. Respondeo, manducandum esse corpus Christi sub Sacramento adusque secundum Christi aduentum: Paulo docenti, credidit Ecclesia vniuersa, nec patitur in dubium vocari. At non sic manducandum, si tropica sint verba, commentum est sophisticum, cui nihil sit fundamenti præter inanem phantasiam cerebri vanissimi, quod cùm imaginatum sit tragelaphos, vult haberi pro oraculis. At nos contrà potiùs dixerimus; si substantiuè sint hæc verba intelligenda, tum non manducandum Christi corpus sub Sacramento: nimirum quia essentialiter; id est, in veritate: atqui in veritate & in Sacramento opponuntur! Estque in Sacramento aliud nihil, quam quod dictum, in Sacramento Petræ Veteres bibisse sanguinem Christi: vnde & Cyrillus, ἐν τύπῳ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα, in typo, in figura, in signo panis datur tibi corpus. Sed de hoc plenius aliàs.

CAP. XIII.

De tempore institutæ Cœnæ.

I. LEgis quintum caput erat desumendum à tempore, quo sunt hæc verba enuntiata. Inde argumentum breuiter concepit Stapletonus, *à tempore*, inquit, *quo loquitur, videlicet instante morte, & volens omnibus figuris finem imponere.* Sed explicatius Panigarolla, *Quæramus ab Oecolampadio antum tempus postularet, vt sui corporis figuram Christus institueret, necne. Et quidem res mihi videtur in tanta luce posita, vt nullus dubitationi locus relinquatur. Nónne ante aduentum Christi, omnia in figura contingebant eis? Nonne cùm aduenit Christus, aduenit plenitudo temporis? Et ipse in dies figuras adimplebat, sic vt iam mortuus exclamare posset, & iure suo dicere, consummatum est? Hoc certè tam est apertum, vt omnibus pateat. Igitur dum vixit Christus, tempus non postulabat vt figuras institueret: & quanto propiùs aberat à morte, tanto magis eum oportebat figuras adimplere, & eis finem imponere, non nouas facere. Quæro, ô Oecolampadi, quare tu censeas Christum eadem ipsa nocte, quæ mortem ipsius antecessit, corporis sui figuram instituere. Tum velim mihi respondeas, qua ratione affirment doctores omnes, postremam agni Cœnam ab eo fuisse factam, nisi vt finis fieret figuræ mortis, quam agni immolatio præmonstrarat? Cur igitur in eadem Cœna, quam ea præcipua de causa dabat, vt figuras terminaret, censes tu fatue, ab eo figuras institui?* Addit nonnulla præterea, quæ alibi suum locum habebunt commodiùs.

II. Argumentum tibi contraho. Si loquutus est figuratè, ergo non imposuit finem figuris: Ast hoc falsum: Ergo & illud. Ad assumpti probationem illa omnia pertinent, quæ de implemento figurarum, & de postrema agni Cœna.

III. Respondeo, figuras, vel verborum esse, vel rerum. Et nos nunc agere propriè de figuris verborum. Quare argumentum sic intelligendum, vt vel cùm in antecedente, tum in consequente figuræ verborum dicantur: vel in antecedente verborum; in consequente rerum. Nam in antecedente rerum intelligi figuras; non patitur nunc ex instituto disputanda thesis: Aliàs futurum commodius, cum de Transubstantiatione agendum erit.

IV. Quòd si igitur priori modo conceptum sit argumentum; conceditur consequentia: nam profectò contraria sunt, finem impositum esse figuris: & tamen vsum continuatum earundem. Sed assumptum negatur. Nunquam enim auditum est in eum finem venisse Christum, vt neque ipse vteretur, & alios prohiberet vti tropis vllis rhetoricis.

V. Nec est difficilis negationis ratio: imò expedita aduersus affirmationem experientia. Nam si verum à Christo fuisse finem impositum figuris omnibus rhetoricis: ergo saltem ab eo tempore nec Christus ipse vsus fuerit vllis; nec post Christum vlli Apostoli, Apostolorumve successores; sic enim finis impositus Circuncisioni; sic Pachati, sic aliis: nisi si fortè aliquando extra ordinem, in gratiam Iudæorum. Atqui post id ipsum tempus tum Christus frequentibus vsus est tropis: & post Christum non Apostoli tantum: sed etiam omne genus Christiani: & vsus iste non in gratiam Iudæorum tantùm, sed etiam Christianorum, ac maximè, qui ex gentibus crediderant: Ergo manifestum fit, non fuisse huiusmodi figuris finem impositum.

VI. Vereor vt sim nimis diligens, si persequar assumpti probationem. Sed demus hoc quicquid est laboris non tam rei necessitati, quàm aduersariorum audaciæ, quibus quicquid videtur commodum, tam promptum est asserere. Christus ergo figuris rhetoricis vsus est & ante hoc temporis; quod minimè ambigitur: & pòst. Præcedentibus omissis, etsi non inutilibus, posteriorum hæc exempla sunto. Matthæi 26. *Omnes vos in hac nocte* σκανδαλισθήσεσθε *offendemini in me.* Nam, *scandala* (inquit Lucas Brugensis in 5. Matthæi) *saxa vocantur, & quæcunque huiusmodi viæ impedimenta, ad quæ interdum impingitur: hinc scandalizare, offendiculo esse, offensionis, prolapsionis, ruinæ causam offerre siue rei attribuatur, hoc est, ipsi scandalo, siue personæ, quæ iter agenti scandalum obijcit. Peccandi igitur causæ, & quæcunque nos labi faciunt, aut remorantur, aut faciunt quominus inoffenso cursu pergamus, in via Domini, id est, vita Deo digna, celebri in schola Christiana metaphora, scandala esse, quique ea aliis obiiciunt, aut parant, scandalizare dicuntur.* Paulo pòst, *Pater mi, si possibile est vt abeat à me poculum istud*: Maldonatus in 20. Matthæi, *Credo metaphoram ex antiqua consuetudine ductam, qua solebat damnatis ad mortem poculum veneno plenum porrigi, vt ea ratione vitam finirent.* Rursus, *Dormite quod superest. Ironia est*, inquit Sa, *Quæ significat*, addit Lucas Brugensis, *non esse iam tempus dormiendi*: Et, *Videtur*, inquit Maldonatus, *tanquam cum pueris Christus loqui, quibus cum nobis prohibentibus, tota die ludant, cùm ad prandium venitur, solemus dicere, saltate, & ludite: qua concessione pungimus eos vehementer; quia dum concedimus illis ludere, cùm ludere non possunt, nec volunt, exprobramus eos cùm nō deberent, ludere solere.* Quid illud videtur? *Ab hoc tempore videbitis Filium hominis sedentem ad dextram potentiæ*: propriúmne, an tropicum? Certè neq; ille quos alloquebatur visuri erant: *Loquitur enim de die iudicij*, inquit Maldonatus: neque ad dextram Dei, quæ proprie nulla est: ac proinde nec sedentem.

VII. Et hæc quidem Christo dicta eadem illa nocte; qua finem imposuisse volunt figuris: ac proinde ne tunc quidem vlla figura vsum, cum dixit, *Hoc est corpus meum.* Sed post resurrectionem, Marci 16. *Serpentes tollent: & si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis.* Vbi, teste Maldonato, non intelligendus actus, sed potentia; nec in singulis, nec omni tempore: vt necessariò admittatur & metonymia, & synecdoche. Lucæ 23. *Pater, in manus tuas depono Spiritum meum*: Certè manus Dei ἀνθρωποπαθῶς necesse est exponi, quas Brugensis appellat manus prouidentiæ, potentiæ, bonitatis, id est, custodiam, tutelam, curam. Et 24. *Vsquequo induamini virtute ex alto:* Hic *induere*, ait Maldonatus, *significat rem sibi aliquam coniunctissimam, & inseparabilem habere: quia vestis, qua induimur, coniunctissimè nobis adhæret, & nunquam nisi dum dormimus, à nobis separatur, sed quocunque tendentes vsque nos sequitur.* In quo sine dubio metaphora est: fortasse etiam deducta potentius ab armis, quàm à vestibus. Denique ne omnia colligam; Ioannes 21. solennissimum illud, *Pasce oues meas*: quid est? aut quis neget allegoriam esse, nedum simplicem tropum?

VIII. Non imposuit ergo figuris rhetoricis finem Christus, in postrema illa cœna; qui post eam sic iis vsus crebris. An verò autem Apostoli abstinuerunt? Imò scatent figuris. Matthæus statim 1. cap. & συνελθεῖν, & εὐαγγελίσασθαι, τὸ γινώσκειν non potuit propriè vsurpasse: Nec secundo, *tota Hierosolyma turbata*: tertio, *totam Iudæam exisse, totámque regionem circumiacentem Iordani.* Sed neque illud frequens, *Vt implerentur Scripturæ.* Lucas 24. oculos discipulorum apertos, vt Christum agnoscerent. Ioannes cap. 1. & Verbum, & Lucem, & ex Deo genitos: & postremò, ne mundum quidem posse capere, quæ fecisset Christus, si scripta fuissent. Quid si Paulum aduocem, nullo Rhetorices flore, vel summis oratoribus cedentem? Quid si Ioannem è Pathmo excitem nihil nisi mysteria fundentem?

IX. Successit Apostolis variis seculis magna cohors oratorum Christianorum. In quibus vel vnum si numerum, quem fermè omnibus aduersarij præferunt, illum κομποφακελορρήμονα: Dionysium dico Areopagitem, cui sunt ῥήματα βόεια, καὶ ὑπόκρημνα, non sparsa sed perpetua; nihil est quòd verear ne quisquam audeat obiicere Christianitati penuriam troporum. Quin hunc ipsum vt sanioribus placeat, ab hoc choro si eieceris, dum tamen supererunt Tertulliani, Cypriani, Lactantij nomina apud Latinos: aut apud Græcos, Basilij vtriusque Cæsariensis, & Seleuciensis, Athanasij, Gregorij Nysseni, & magnificentissimi Nazianzeni, tandiu præsentissimam scio futuram demonstrationem aduersus hanc ineptissimam, siue Stapletoni, siue Panigarollæ nugacitatem: vt confidenter dixerim, nunquam fuisse ante Christum tam curiose affectatum vsum omne genus figurarum rhetoricarum.

X. Quid? si velim Panigarollæ ipsius stylum torquere in ipsum Panigarollam; Quid si Iesuitas Richeomum, Cotonum, Gonterium, alios, qui in nostram Galliam conati sunt inuehere nouum nescio quod genus eloquentiæ, in eo maximè positum, vt phrases dedignentur suas debere communi vsui; inusitatæ laudis amore prægnantes? His ego non tam argumentis, quàm experimentis verear, ne possim non os obturare asserentibus, à Christo finem impositum tropis?

XI. Venio ad alteram argumenti faciem. Si Christus vsus sit tropico sermone: ergo non imposuit finem figuris iis quæ sumuntur à rebus. At hoc falsum. Ergo & illud. Respondeo, Primùm ne sic quidem esse vllam vim consequentiæ nisi supponas, nullum locum esse figuris verborum; nisi cum vsurpantur figuræ rerum: quod est falsum. Nam cum dixit Christus, *Pasce oues meas*; nullam realem figuram adhibuit, etsi verbalem. Et ridendam se propinauit superstitio, quæ cum legit, *Dabo tibi claues*, iustam occasionem existimauit obtrudendi nouas reliquias clauium. Deinde ambiguè dici figuras: vel in rebus tantum vsurpatis pro tempore: vel in vsu solenni ac perpetuo: & in istis, vel veteres typos promittentes futuram gratiæ plenitudinem in exhibendo Christo, vel noua signa gratiæ in eodem Christo, sed exhibito.

XII. Enimvero si concludant, non fuisse impositum finem veteribus, aperte mentiuntur; Nam etsi residuus fuerit multus vsus troporum; tamen Circuncisio cessauit; & agnus Paschalis desiit, & sacrificia iam pridem pecorum nulla sunt: neque vel à nobis, quos tropistarum nomine onerat aduersariorum nequitia, reuocantur in vllum vsum vllæ Iudaicæ figuræ, quas olim sepultas scimus ex Augustino; imò certius ab Apostolo didicimus καταργεῖται posterioris ad Corinthios tertio.

XIII. Quod attinet ad reliquos figurarum ordines duos, assumptum non est verum. Non est, inquam, verum istiusmodi figurarum vsum à Christo prohibitum. Nam primum, Sacramenta certè fuere quædam instituta: quorum vsus esset & solennis & perpetuus inter Christianos etiam inde distinguendos. Hæc autem Sacramenta figuras esse quasdam, quis ignorauit Orthodoxus? Atque adeò Papistæ in Eucharistia saltem accidentia illa sine subiecto non negant esse figuram; imò corpus ipsum, signum sui

sui ipsius: vt negare nequeant saltem aliquam figuram fuisse institutam.

XIV. Sed & reliquas vllas omnino fuisse, cur negant, qui norunt & Christum insufflasse in Apostolos post resurrectionem: & Apostolos vsurpasse manuum impositionem, atque etiam vnctionem? Nam in his omnibus figuras fuisse, siue typos, siue signa, nemo negat; ne ij quidem qui retineri voluerunt in perpetuum. Denique quis Papistas speraſſet obstituros, apud quos nihil fermè absque figuris? Quid enim sunt signa crucis? quid cerei? quid imagines? quid vestes sacerdotales? quid altaria? quid campanæ? quid infinita alia?

XV. Videte quot, quibus, quantis modis ludificentur Sophistæ: quæ sibi sumant axiomata: quæ aliis imponant. Næ intoleranda illa tyrannis est, quæ non voluntates cogat tantùm, quod plurimis commune: sed & intellectui leges dicat.

CAP. XIV.

De Ecclesiæ consensu & explicatione.

I. POstremo legis capite communis erat Ecclesiæ consensus, siue explicatio. Vbi Laconicè Bellarminus; Nec saltem possunt proferre communem aliquam expositionem Ecclesiasticam: cùm inter se non consentiant. Nituntur igitur solùm autoritate vnius aut alterius doctoris, & leuibus coniecturis, quæ certè non fidem diuinam, sed opinionem faciunt. Explicatior Richeomus. Doctorem nullum à nobis nominari posse Catholicum, nisi quos corrumpamus: cùm contrà pro ipsis sit vniuersa antiquitas, cuncta secula inde à Christo, omnes Patres antiqui literis consummatissimi, sanctitate illustrissimi, communi consensu eundem verborum Christi sensum docentes, qui tenetur à Papistis.

II. Non est prolixum aut difficile negotium communem Ecclesiæ consensum, siue explicationem dicit, vel aliquod decretum in aliquo factum Concilio; quo contestatus sit sensus horum verborum. Vel conclusionem collectam ex inductione, vel omnium, vel plurimorum Patrum explicantium. Vtrovis modo, dico falsum a Sophistis sumi.

III. Priori quidem; quoniam nullum tale extet, aut vnquam extiterit decretum in Papisticam sententiam, exceptis postremis his seculis, cùm præcipitata est Ecclesiæ doctrina in hæreses Papisticas, vnde nos illam assertum imus. Itaque neque habent quo se Papistæ efferant aduersum nos hoc nomine. Nam neque vllum norant vniuersale decretum antiquum: neque, si quod habent recentius, siue Lateranense, siue Florentinum, siue Tridentinum, tanti est, vt aut eis prosit, aut nobis noceat.

IV. At sanè videntur alterum potiùs amplexi modum: ideo nulla hîc citatione vsi: sed polliciti tantùm alias manifestum facturos; videlicet longa illa enumeratione variarum autoritatum, quibus prolixissimam tractationem farciunt sequentium quæstionum; præsentiæ, manducationis, transubstantiationis: quam partem nos etiam tunc temporis examinandam speramus. Interea tamen constat, nusquam haberi apud Veteres, hæc Eucharistica verba excludere omnem tropum. Sed hoc consequens educi à nostris Sophistis, hac arte: Si realiter præsens adsit corpus Christi: Ergo ea verba non sunt figurata. Si realiter manducetur Christi corpus: ergo ea verba non sunt figurata. Si panis transubstantietur in Christi corpus: ergo ea verba non sunt figurata. Magna pompa: sed inter imperitos: nam apud constantiores, non tantum antecedentia falsa sunt; sed etiam consequentiæ nullarum virium.

V. Antecedentia suis peculiaribus controuersiis inquirendum. De consequentiis, ita semel constituendum. Hæc verba, *Hoc est corpus meum*, vel nihil ad præcedentia pertinere, videlicet panem acceptum, benedictum, fractum, distributum: quod est absurdissimum, vt postea; vel si ad ea pertineant, non posse absque figura dici. Etenim panem vel manere, vel omnino perire. Si maneat, tum nullo modo posse tropum respui: quia nullo sensu verum esse queat panem propriè & ad literam dici, quòd corpus sit. Sin autem pereat, tum rursus panem, qui nullus sit panis, non posse dici corpus; nisi plus minusve recedatur à proprietate vocabulorum.

VI. Catholici, etsi ne ipsi quidem habeant vllum publicum decretum, quo sancitum fuerit hæc verba tropicè explicanda, tamen abundant infinitis Veterum testimoniis, quibus veritas nulla constare possit, nisi admisso in his verbis tropo: Illo ipso, inquam, tropo, quem nos vrgemus, quem Papistæ abominantur; vt, *Hoc est corpus meum*, sit de signo dictum, & figura corporis.

VII. Testimonia sumus aliàs exsequuturi. Nunc mihi Tapperus esto satis in hac ipsa controuersia, *Beatus Augustinus epistola ad Bonifacium dicit, quòd secundùm quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est; & Sacramentum sanguinis, sanguis eius est: sed secundùm tropum tantùm, non propriè. Atq; secundùm hunc tropum loquuti sunt Tertullianus, & Augustinus, quando interpretantur verba Domini, Hoc est corpus meum, vt sit sensus, hoc est figura, siue Sacramentum sanguinis.* En tibi Richeomum, qui negabat vllum posse à nobis doctorem nominari.

VIII. Verùm, ait Bellarminus, nituntur autoritate vnius, aut alterius doctoris: & quibusdam coniecturis: vnde nulla fides diuina, sed tantum opinio. Respondeo, fidem diuinam neque à coniecturis, neque ab vlla esse autoritate, præter Scripturam Sacram: non verò aut singulorum; aut omnium doctorum non Canonicorum: prout aliàs confectum est, solam Scripturam esse Canonem fidei. Itaque nullis nos quidem niti aliis autoribus, siue ad hunc, siue ad vllum fidei articulum stabiliendum: sed tantùm testibus, non inutilibus, aut nobis confirmandis, aut præcipuè Papistis refutandis; qui cùm superbè antiquitatem iactent, quasi suam: imò non nisi suam: tamen ab ea magnificè refutentur. Nam qui ad eam subinde prouocant, non possunt eius iudicium habere suspectum.

IX. Quod attinet ad coniecturas; quid eo nomine Bellarminus sit complexus, ipse viderit: sed si incerta argumenta, & duntaxat probabilia; quæque possint in vtramque partem disputari: tum verò nos negamus illis solis fidem nostram niti: sed certis, & necessariis: quibus negatis, recentari necesse sit varios, eosque constantissimos fidei Christianæ articulos. Cùm tamen axioma sit certissimum: Non posse verum vero contradicere: quo fundamento vsa tota Catholica antiquitas aduersus omne genus hæreticos: imò ipsi Apostoli aduersus labefactantes suo tempore fundamenta pietatis. Quibus exemplis impunè licet nobis Papisticos Sophistas detestari, qui antiquo hoc more neglecto, imò in nobis coniecturarum prætextu exsibilato; noua sibi axiomata coacti sunt fabricare nunquam audita inter Theologos: apud Philosophos etiam confutata: denique cœlum terræ miscere; ne hoc saltem loco suos errores fateri oporteret.

X. Sed si Veteres, ait Richeomus, dixerunt interdum, hæc verba Domini intelligenda non literaliter, verùm spiritualiter: tum sunt loquuti contra sensum literalem, carnalem Capernaïtarum; credentium Dominum daturum carnem suam comedendam in modum laniorum. Cùm sensus Papisticus ita sit literalis, vt sit etiam spiritualis: corpus esse in Sacramento prout verba dicunt: sed modo quodam spirituali; qui sit fidei cognitus, sensibus, ac rationi absconditus.

XI. Frustrà, inquam: Nam hæc quæcunque tandem differentia est, non pertinet ad verba, sed ad rem ipsam: apta designare, quo tandem modo corporis præsentia concipienda: minimè autem, quomodo verba. Etenim, etsi concederemus, quod Consubstantiatores volunt, præsentissimum esse corpus Christi secundum essentiam: tamen non sequeretur panem esse corpus eius propriè, & secundum literam. Quomodo, etsi præsentissimus fuerit secundum & essentiam, & gratiam Spiritus Sanctus, tamen constat columbam non fuisse Spiritum, nisi per tropum. Et Deus præsentissimus erat in arca: quæ tamen non poterat dici propriè Iehoua. Fingamus ergo sanè corpus Christi præsens esse in Eucharistia; non præsentia vlla corporali, sed ad modum, siue Spiritus, siue vt loqui malunt, substantiæ, siue denique deitatis, quo nullus potest dici magis spiritualis: tamen nihil id ad tollendam sermonis improprietatem, de qua loquutos esse Tertullianum & Augustinum Tapperus testatur: quod quidem mihi nunc satis.

XII. De Capernaitis, eorumque aluciuatione, mea nunc nihil interest: Alibi occurret, plenius explicandum. Nunc vno verbo: Si fuit eorum imaginationi contraria sententia figurata, siue spiritualis: Ergo illa imaginatio fuit propria & literalis. Est autem eadem abominanda: Ergo verborum Christi sensus literalis & proprius, saltem quidam est abominandus. Quid ergo promouent Papistæ, tam diligenter vrgentes laudem proprietatis?

CAP. XV.

Varia Argumenta Papistica.

I. ABsoluti sunt duo loci: vnus à vocabulis, alter à regulis interpretandi: tertius supereſt à rebus: Nam, *si rerum natura*, inquit Sanctesius, *quæ in ipsa Eucharistia instituuntur, attendatur, quantam postulet illustrationem, & sermonis proprietatem, facillimum erit iudicare.* Esto igitur nunc thesis, Vtrum natura Eucharistiæ exigat proprietatem sermonis, quæ tropum omnem excludat. Nam hoc negant Catholici. Sic autem Papistæ disputant.

II. Primum argumentum: apud Alphonsum de Castro. In re tanti momenti, qualis est ista, non est credendum, Christum tropo aliquo aut figurata locutione vsum fuisse; ne ansam errandi hac occasione nobis præberet. Sanctesius sic expressit. Res istas ex iis, quæ ad fidem & salutem, aut ad damnationem spectant: siue Sacramentum inspicias, siue nouum præceptum Euangelicum, quæ decet clarissime promulgari, ne incerta pro certis, & pro salutaribus ac veris falsa, & pernicioſa, homo pius accedens ad Deum, in animum inducat; & ne excusabilis reddatur religionis Christianæ desertor, aut malignus oppugnator Argumenti formam sic concipio. In rebus magni momenti ad fidem & salutem spectantibus Christus loquutus non est figuratè: At Eucharistia est res eiusmodi: Ergo in ea Christus nulla figura vsus est. Assumptum est extra controuersiam. Maior probatur à periculo erroris. Quicunque tropo vtitur, figuratave locutione, is præbet ansam errori. At Christus non præbuit errori. Ergo non est vsus tropo.

III. Respondeo; primi syllogismi maiorem esse falsam. Etenim res magni dicuntur momenti, vel simpliciter, vel comparatè. Si simpliciter dicas: omnino nihil Christus dixit, quod non sit magni momenti: quandoquidem pertineant omnia ad salutem, vel damnationem. Itaque oporteret nunquam Christum loquutum esse figuratè, aut vsum vllo tropo: quod est vehementer alienum à veritate: & plenè confutatur singulis Euangelij paginis; ideoque exemplis infinitis: quæ non pauca exhibuimus capite decimo tertio.

IV. Sin autem comparatè; vt sensus sit, cùm varij sint gradus eorum quæ ad salutem pertinent; & inter ea nonnulla reliquis emineant, præcipuorum articulorum, siue mysteriorum nomine denotata: tum Christum in reliquis quidem admisisse tropos; at minimè omnium, in illis præcipuis; rursus mendacium sit manifestum exemplis. Nam quis neget in istis esse nostri cum Christo incorporationem? Nostræ salutis conficiendæ rationem? Atqui vix sine tropis audias. Ioannis 15. *Ego sum vitis vera, Pater meus agricola, vos palmites.* Tertio, *Nisi quis genitus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Et infinita alia, quæ non est opus persequi. Hæc vel sola satis euincunt in rebus maximi momenti non abhorruisse tropos: neque nobis debere esse horrori in mysterio Eucharistico.

V. Ad confirmationem maioris: Primùm, nego quicunque vtatur tropis, eundem præbere ansam errandi. Bonauenturam audi quæst. 2. artic. 1. dist. 8. quarti. Cùm obiecisset sibi, *Vbi est sermo translatus, ibi est impropriatas, ibi est occasio erroris: & omnis talis excludenda est:* soluens respondet. *Dicendum quòd hoc verum est, vbi est transsumptio occulta, impropria, & inconsueta. Sed sic non est hic.* Ergo, inquam, recte negaui; quod perperam necesse est aduersarios asserere.

VI. Deinde distinguo: præberi ansam errori, vel eius vitio qui tropis vtitur, vel eius apud quem. Secundùm prius, negatur maior: secundùm posterius negatur minor. Ratio negandi manifesta ex 3. Ioannis, vbi ex Christi verbis figuratis, *Nisi quis fuerit genitus denuo, non potest videre regnum Dei.* Nicodemo data fuit erroris occasio, *Quomodo potest homo gigni,*

qui

qui sit senex? Num potest in vterum matris suæ secundo introire, ac gigni. Hanc autem occasionem fuisse à Nicodemi vitio, patet ex subiecta reprehensione, *Tu es Magister Israelis, & hæc non nosti?* Quæ iniusta fuisset si vitium Christi ipsius fuisset loquentis. Si autem iusta fuit, quod fateri oportet omnem Christianum; tum vtrumque manifestum; & non fieri vitio vtentis tropo occasionem erroris, & non absurdum à Christo loquente ansam erroris esse vitio audientis.

VII. Similia exempla: Matth. 16. *Iesus dixit eis; Videte & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. Ipsi vero disceptabant inter se, dicentes, Panes non sumpsimus. Id autem cum nosset Iesus, dixit eis, Quid disceptatis inter vos, ὀλιγόπιστοι, exigua fide præditi?* Matth. 26. *Dixerunt, Iste dixit, Possum dissoluere templum Dei, & triduo ipsum ædificare.*

VIII. Et vero Petrus 3. posterioris cum de Paulo loqueretur, dixit in eius Epistolis esse δυσνόητά τινα, *quædam difficilia intellectu*: nec tamen subiecit ab eo datam occasionem errandi; sed contra, erroris, si quis sit, culpam deriuauit in lectores, *Quæ*, inquit, ἀμαθεῖς, καὶ ἀστήρικτοι *indocti parumque stabiles*, στρεβλοῦσι *detorquent, vt & reliquas Scripturas, suo ipsorum exitio.* Quod cur non de ipso Domino nostro Iesu Christo similiter intelligamus? nisi forte in Paulo accusando plus piaculi timemus, quam in Christo damnando.

IX. Secundum argumentum à Sanctesio. Verum & naturale est Rhetorum præceptum, καινὰ κοινῶς, & κοινὰ καινῶς, id est, noua communiter & communia nouo genere loquutionis efferenda esse. Nam alias verba rebus, alias contra, verbis lumen intelligentiam ue subministrare oportet, vt percipiatur. Cum res sunt notæ, & vsitatæ, sermo potest, & solet admitti tropicus, vt nouitas, & peregrinatas verborum aliquid gratiæ rebus nimium vsitatis, & quasi tædium, fastidiumque parientibus, addat: nec est ibi periculum ne animus peregrinitate sermonis decipiatur, cum res ipsæ alioqui notissimæ sunt. Contra, quando sunt res peregrinæ, nouæ, & insolitæ, quales sunt cum instituuntur aut proponuntur, quæ supra hominum captum ad fidem aut fidei mysteria pertinent: tum plane conuenit proprio, manifestoque sermone vti, vt res ignotæ, ipsa sermonis perspicuitate illustrentur. Quod si rebus nouis, ignotis, aut obscuris, peregrinum, tropicum, atque improprium sermonem adhibeas, quis tandem Oedipus te intelliget? Cum nec res verbis, nec verba rebus, lucem inferant, nec alterutrum, alterutrius adiumento intelligatur? Quin vero Cœnæ historia rerum antea incognitarum & insolitarum constitutionem, & euulgationem complectatur, nemo, opinor, dubitarit. Quamobrem necessarium fuit Christum effari dilucide quid vellet. Sic contraho. Omnis de rebus obscuris & insolitis sermo, debet esse perspicuus, & proprius. At institutæ Cœnæ sermo est de re obscura, & insolita: Ergo perspicuus, & proprius.

X. Respondeo, varie peccari; quia disparanda sint, quæ tamen pro iisdem sumi videntur: primo, obscura, & insolita: deinde perspicua, & propria. Etenim neque omnia insolita sunt obscura, neque omnia perspicua sunt propria. Nam vt de posteriori agam prius; si omnia perspicua essent propria: Ergo omnia impropria essent obscura, nullusque omnino tropus foret perspicuus quod est absurdum, vel ex Rhetorum illorum præceptis, qui ἀσάφειαν numerant in vitiis orationis: Hermogenes de Ideis lib. 1. cap. 2. παντὶ λόγῳ τούτου δεῖ μάλιστα, τῆς σαφηνείας· ἧπερ ἐναντίον ἐστὶν ὁμολογουμένως ἡ ἀσάφεια, *Omnis oratio requirit præcipue perspicuitatem, cui contraria est obscuritas.* Iidem tamen Rhetores tropos inter lumina constituunt orationis, ac virtutes, ideoque etiam laudes.

XI. Et vero, quandoquidem omnis significandi vis in verbis sit ἐκ συνηθείας: Ex vsu frequentissimo, non potest non luculentissima ea vis esse. Vt contra, quæ sunt obscurissimæ phrases, eædem procul remotæ ab vsu communi; & inter paucos tantum conscios solennes: vnde consequens fit, vsum figuratæ, siue tropicæ loquutionis, nunquam futurum fuisse publici vsus; si non nisi obscurus esset & difficilis. Quod tamen contra est: cum nullus sit in hominibus tam idiota, vt eo possit carere. Vnde certum non omnes tropos, esse obscuros necessario.

XII. Iaque non tantum Brugensis in Matthæi 26. dixit figuram illam calicis pro eo quod in calice, tam esse vsitatam, quam est quæuis propria locutio, sed etiam Maldonatus in 15. Ioannis, metaphoram vitis appellat & elegantem & omnibus notam. Sed prolixius Archiepiscopus Narbonensis Vigor, sermone in symbolum 16. *Quædam sunt locutiones figuratæ, quæ tam facile intelliguntur, quam si essent propriæ; vt notauit Augustinus. Sunt quædam figuratæ locutiones, quas homini quamuis nunquam studuerit facile fuerit intelligere, vt cum dicitis, personam florentem, vrbem florentem, etsi proprium sit arborum florere: nemo est tam rudis tamen qui hanc non assequatur locutionem figuratam, æque ac si propriam vsurparet. Vulgo dicitis, Habet aurem Principis, cor Principis: idque tam est tritum, vulgatumque, vt nemo sit quin intelligat.* Quid plura? Bellarminus 10. capit. 1. de Pontifice, explicans locum ex Matthæi 16. de Petro, *Quorum verborum*, inquit, *planus & obuius sensus est, vt intelligamus sub duabus metaphoris promissum Petro totius Ecclesiæ principatum.* Constat ergo plene & plane id quod volumus notari diligenter in tota hac quæstione; longe aliud esse, obscure loqui, & figurate loqui, cum tamen aduersarij identidem alterum pro altero ponant.

XIII. Iam vero cum insolitum id dicatur, quod non sit in vsu communi, tamen gemina eius ratio est; vt insolita dicantur, vel secundum speciem propriam; vel secundum genus: vt exempli gratia, ante Christum insolitus erat Baptismus, insolita Eucharistia; quæ species sunt Sacramentorum, sed non insolita Sacramenta, quod genus est Baptismi, & Eucharistiæ: nam plurima iam fuerant & instituta & obseruata: Augustinus contra Faustum libri 9. *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculo vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Ad eum modum verborum tropi dici possunt insoliti, secundum speciem suam; cum recenter vsurpantur, quæ aliis non venerant in vsum: tamen non absque analogia generali: secundum genus autem, si hæc ipsa negligatur analogia, vt fit in Catachresi, sic enim insolitum est niuem nigram dicere.

XIV. Ad rem nunc dico; tropum insolitum secundum genus, posse dici obscurum: sed non omnem insolitum altero modo. Etenim exempli gratia; metaphora illa, *Ego sum vitis vera*, antequam vsurparetur à Christo; nunquam fuerat audita, neque de Christo, neq; de vllo homine, & tamen non est veritus Maldonatus dicere metaphoram omnibus notam. Idem Iudicium est de aliis multis, *Vos estis sal terræ*, nunquam erat cuiquam dictum ante Christum. Nunquam *sic luceat lux vestra.* Nunquam ante Baptistem, *Securis ad radicem posita est:* aut, *Ventilabrum in manu ipsius.* Nunquam ante Paulum, *Thesaurizare iram in diem iræ:* aut, *Carbones ignis coaceruare in caput cuiusquam:* aut, *assumere* τὴν πανοπλίαν τοῦ θεοῦ, *vniuersam armaturam Dei:* aut, *indui thorace iustitiæ, calceari pedes præparatione Euangelij pacis.* nunquam ante Petrum, κληρονομίαν ἀμάραντον, *hæreditatem immarcessibilem:* aut, *succingi lumbos mentis:* aut, *dominari cleris:* Quid alia plurima exigam, de quorum obscuritate, nemo vnquam est conquæstus? Denique nego vllum dari posse autorem, aut sacrum, aut exoticum, cui non possit assignari aliquod huiusmodi peculiare ornamentum.

XV. Iam superest inquirendum, quomodo hæc saltem figura, quam asserimus verbis Cœnæ, possit inusitata dici. Fatemur specie. Neq; enim vnquã scimus dictum panem corpus Christi; ante hoc institutum Sacramentum: quomodo scilicet, neq; lauacrum regenerationis ante Baptismum. Nam quorsum forma esset, ante suam materiam? Et quid mirum hanc phrasin fuisse non nouam; cum tot alia Christianismus inuexerit antea nunquam auditas? Iustificari per fidem: Regenerari per aquam & Spiritum, imputari iustitiam credentibus, veterem hominem cum Christo crucifixum, mortuos esse peccato. Quid filios Dei dicam? & fratres in Christo, & vocatos; & electos, & membra eiusdem corporis, & vnum cor, vnamque animam, & alios aliorum membra, & infinita similia;

XVI. Sed genere suo nouam phrasiũ esse illi dicant, qui desperatione quadam eo fuere delati, vt genus comminiscerentur inusitatæ prædicationis; quocunq; illi tandem nomine censeri voluerint. At nobis contra persuasissimum esse vsitatissimam, atq; adeo de medio petitam; id est, è frequentissimo familiarissimoq; vsu, qui obtinuit apud omnes homines. Atq; ita vere factum vt à Christo καινὰ κοινῶς fuerint explicata, vt voluit Sanctesius.

XVII. Vsus publici argumentu ab exemplis. Vin exotica? Mare magnum. Homerus Iliados 3. Ὄφρ' ὅρκια τάμνῃ: *vt fœdera feriat.* κήρυκες ἄγαυοι ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον, *præcones splendidi fœdera fida Deorum cogebant.* κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστὰ, Ἄρνε δύο, καὶ οἶνον ἐΰφρονα, *Præcones per vrbem ferebant fœdera Deorum fida, agnos duos, & vinum lætificum.* Audin agnos, & vinum dici fœdera? Nempe Eustathius, Ὅρκια πιστὰ οὐ μόνον αὐτοὶ οἱ ἔνορκοι λόγοι, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν ὅρκοις χρειώδη, *Fœdera certa, non tantum sunt ipsa iurisiurandi verba*, quæ videlicet propria significatio est, *sed etiam quæ in iurisiurandi vsu adhibentur*; per translationem videlicet. Cicero,

Cedant arma togæ: concedat laurea linguæ.

cum Imperatori præferret oratorem. Purpuram pro magistratu, quis non audiuit? Martialis,

Purpura te felix, te colit omnis honos.

Quis non canos & canitiem pro senectute? Persius Satyra 5.

---- petite hinc iuuenesque senesque
Finem animo certum, miserisque viatica canis.

Satyra 1.

Tunc cum ad canitiem, & nostrum istud viuere triste.
Aspexit.

Claudianus 1. de raptu Proserpinæ,

Ante pedes soliumque ducis, fudere seueram Canitiem. Virgilius,
Hic thalamum inuadit natæ.

Aquilas pro legionibus. Hirtius, *Erat Pompeij acies tredecim aquilis constituta.* Lucanus, *Vt notæ fulsere aquilæ.* Manipulum pro militum cohorte. Terentius, *Vbi centurio est sanga, & manipulus furum?* Dexteram pro fide: nutum pro voluntate: Digitum, pedem, passum, cubitum, vlnam, perticam, pro mensura norunt omnes. Edmundus Augerius art. 5. c. 1. *Græci appellant hostias, fœdera, quorum tamen non nisi signa erant, & notæ.* Tedas pro matrimonio. Claudianus in Rufinum,

Tedæ Oedipoden matri, natæ iunxere Thyesten.

XVIII. Vin sacra? Genes. 17. *Hoc est pactũ meum:* cum de Circuncisione sermo esset. Et 40. *Tres rami tres dies sunt: tria canistra tres dies sunt.* Et 41. *Septẽ vaccæ pulcræ septem anni sunt, & septem spicæ pulcræ septẽ anni sunt.* Exodi 10. *Comedetis festinãter*, פסח הוא ליהוה, *Pascha est Domino.* Esa. 1. *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* Daniel. 2. *Tu*, Nempe Nebucatnetsar, *es caput illud aureum.* Et 4. *Arbor quam vidisti, quæ erat magna & fortis, altitudoque eius pertingebat ad cœlum, & aspectus eius in omnem terram, tu ipse es ô Rex:* Et 7. *Hæ bestiæ magnæ, quæ sunt quatuor, quatuor sunt reges, qui consurgent è terra.* Item, *Bestia quarta, regnum quartum erit in terra. Cornua decem ipsius regni, decem reges erunt.* Et 8. *Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum. Porro hircus caprarum, Rex Græcorum est: & cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus.* Lucæ 8. *Semen est sermo Dei, qui autem in viam, ij sunt qui audiunt.* Matth. 13. *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis, ager autem est mundus, bonum vero semen sunt filij regni, zizania vero sunt filij illius mali. Inimicus, qui seminauit ea, est diabolus, messis vero consummati seculi est, messores autem Angeli sunt.* Ad Galat. 4. Agar, & Sara duo sunt testamenta. Non est opus pluribus. Aut hæc sufficient; aut ne omnia quidem.

XIX. Manifesta res. Figura in his verbis, *Hoc est corpus meum*, olim noua fuit, ac proinde insolita, nempe ante Eucharistiam institutam: quomodo, credo, antequam aquilæ Romanis essent signa bellica, nunquam pro legionibus, quisquam dixerat aquilas. Sed quia signa dici pro rebus signatis antiquissima consuetudo tenuit; hactenus vt aquilas dici pro legionibus, sic panem dici corpus; neque inuisitatum, neque nouum fuit.

XX. Non igitur obscurum; vt voluit Sanctesius. Et quidem obseruaz, quod omnino magni est momenti. Hanc ipsam phrasin, hanc ipsam figuram vsurpatam fuisse in interpretandis rebus obscuris. Enimvero, *debet quod illustrandæ alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo quod illuminat*, ait Quintilianus cap. 3. lib. 8. Ignorabant illi in carcere Pharaonis serui, quid essent tres rami, tria canistra: Pharao ipse, quid tres vaccæ, tres spicæ: Ioseph explicauit, & explicauit hoc nostro figuræ eum genere: inusitato ante eum, secundum speciem, quia nemo vnquam antea dixerat: addo

etiam, fortasse nemo postea dixit, tres ramos, tria canistra, esse tres dies: septem vaccas, septem spicas, esse annos septem. Mirum, ni Iosephum præstigiatorem Sanctesius accuset.

XXI. Et tamen placuit hæc interpretandi ratio, omnibus Theologis, tum antiquis tum recentibus; qui allegoriis conati sunt lucem inferre. Origenes homilia 1. in Leuiticum, *Iste autem vitulus sine macula, vide si non ille saginatus est vitulus, quem Pater regresso ac restituto sibi illo qui perierat Filio, quique omnem eius substantiam dilapidauerat, iugulauit:* Paulo post, *vitulum cœlitus quidem missum, sed ex Patriarcharum ordine.* Rursus, *Masculus vero est, qui peccatum, quod est fœminea fragilitatis ignorat.* Augustinus in Psalm. 35. *Nubes sunt prædicatores verbi Veritatis.* Postea, *Qui sunt montes Dei? Qui dicti sunt nubes, ipsi sunt & montes Dei: magni prædicatores, montes Dei.* Ambrosius lib. 4. in Lucam, de ascensu Iesu in nauem Simonis, *Pisces sunt, qui hanc enauigant vitam.* Paulo post, *Quæ sunt autem Apostolorum, quæ laxari iubentur, retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos, quos cœperint, non amittant? Et bene Apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ non captos perimunt, sed reseruant.* Infinita huiusmodi occurrunt passim apud Veteres.

XXII. Nec alieni Papistæ. Salmero tomi 7. tract. 7. *Vt herba sint, qui fide & timore à malo recedunt:* Spica sint virtutem spei habentes, *Plenum vero frumentum sunt amantes, & qui plenitudinem dilectionis habent.* Vel, paulo post, *Herba sit contritio, spica confessio, satisfactio & emendatio sit plenum frumentum. Vel herba infirma, & quæ non procul distat à terra, laici sint terrenis immersi, vxori & filiis vacantes, spica sint Sacerdotes, & religiosi boni à terra eleuati, in cœlestia & diuina assurgentes, plenum frumentum sint Pastores antistites Ecclesiarum, quorum est alios pascere, non minus verbo & Sacramento, quam exemplo.* Tractu 9. *Primus sensus tradit Christum esse fermentum. Dici etiam potest, mulierem hanc, diuinam esse sapientiam.* Et 10. *Christus est thesaurus. Ager fuit B. Virgo.* Et 11. *Vel Christus est mercator, & animæ sunt margaritæ, vel mercator est quis homo, margarita autem Christus.* Denique hæc phrasis est tam frequens, vt qui solennem neget, insaniat.

XXIII. Hinc patet argumenti solutio, Potest ferri institutionem Cœnæ agere de re insolita, quatenus nunquam in vsu fuerat Cœna. Quomodo scilicet insolitum fuit arte Christum, baptizari in nomine Trinitatis, & ante Abrahamum circuncidi, ante Moysen Pascha manducare. Sed cur magis dicitur obscura, quam olim circuncisio, & paulo ante Baptismus? Quod si non omnes insolitæ res sint etiam obscuræ? debent aduersarij vel probare Cœnam in iis esse, quæ sunt obscuræ; vel huius argumenti infirmitatem agnoscere. Rursus, si non omnis sermo perspicuus sit proprius; nulla maioris necessitas est; videlicet vt propterea de re non solita, & obscura sermonem oporteat esse proprium, quia perspicuum.

XXIV. Tertium argumentum Salmeronis à natura parabolicæ, vel allegoricæ locutionis. Nam quemadmodum voces fluxæ, ac transeuntes, res solidas ac permanentes in sensu literali significant: ita in allegorica, vel tropica loquutione res minores & inferiores, ad designandum res maiores & sublimiores assumuntur: vt etsi superficies tropi, vel allegoriæ parua videatur, atque exigui momenti, sensus tamen in tropo, allegoria ve delitescens, excelsus sit & magnificus. Nam ita agnus sensibilis in lege, & serpens æneus exaltatus, & petra percussa reddens aquas, delineabat Christum verum agnum, Deoque immolatum, & tanquam serpentem in cruce exaltatum, ibique lancea percussum, reddentemque aquam cum sanguine, quæ celsissima sunt, & excellentissima fidei nostræ mysteria. Si autem hæc verba, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, per tropum, aut allegoriam, aut metonymiam exponantur; vt sit sensus; Hoc est figura corporis, & similitudo sanguinis mei, profecto contra naturam tropicæ, & allegoricæ locutionis id esset. Nam à sensu altiore adliteram de Christi corpore, & sanguine per tropum siue allegoriam non ascenderetur, sed descenderetur ad sensum inferiorem de pane & vino. Iustius autem est, vt panis signet corpus Christi, & vinum sanguinem, quam è contrario vt corpus Christi significet panem, & sanguis vinum, vt hæretici importune moliuntur.

XXV. Respondeo primum, forte negari posse omnem tropum ascendere à sensu inferiori ad superiorem. Nam profecto hyperbole contra descendit à superiori ad inferiorem. Sed & synecdoche, ea saltem, quæ est à toto ad partem, similiter descendit. Et in hoc ipso Sacramento, cum hæc verba, *Hic calix est Nouum Testamentum in sanguine meo*, negari non possint esse tropica, saltem continente nomiuato pro contento; explicent nobis, quæso, acutissimi Sophistæ, quis in eo tropo ascensus sit. Sed apparet id genus hominum, quibuscum nobis perpetuo confligendum est, fingere sibi ipsos axiomata; pro arbitrio, proque commodo proprio, quæ nemo vnquam prior aut viderit aut indicarit. Sed id tamen iudicasse satis esto. Nam alioquin nihil ad nos, qui nunc quidem hanc maiorem admissuri simus absque controuersia.

XXVI. Venio ad minorem, quæ, si sensus sit, Hoc est figura corporis mei, negat ascendi ad sensum altiorem. Cuius ego quidem negationis mentem assequi non poteram; nisi præiuissent exempla, agni, serpentis, & petra. Nam cum figurate dictum sit, *Petra erat Christus*, ascensus ad sensum altiorem indicatur, sicut petra percussa emisit aquam, sic Christus vulneratus emisit aquam & sanguinem. De quo non libet disputare, etsi non commode permisceat parabolis & allegoriis, tropos simplices. Cum tamen non sit exiguum discrimen. Nam, exempli gratia, cum sit parabola seminis iacti in varias terras; tamen non est parabola, *Semen est verbum Dei*; quanquam tropus. Nec quisquam dixit; vt à semine iacto ascenditur ad mysterium prædicationis altius: sic ab istis verbis, *Semen est verbum Dei*, dari itidem progressum ad aliquid magnificentius; cum ipsa hæc phrasis sit ipse ille siue ascensus, siue progressus.

XXVII. Sed condonetur tamen quicquid hîc est ἄτοπον. Ego iam nego sicut in illis, *Petra erat Christus*, non & in istis, *Hoc est corpus meum* dari ascensum ad altiora mysteria. Videlicet quemadmodum *Petra erat Christus*, significat sic Christum emisisse aquam & sanguinem ex suo latere, ad salutem animarum; vt Petram percussam emisisse aquam ad salutem corporum: sic ista, *Hoc est corpus meum*, hunc habent sensum quemadmodum hic panis fractus, ore manducatus nutrit corpora; sic corpus Christi crucifixum, fide manducatum animas saginat: quod vere est mysterium nostræ fidei, & quidem celsissimum, atque excellentissimum.

XXVIII. Atqui, inquit, à corpore Christi secundum literam, descenditur ad panem per tropum. Falsum, inquam, & absurdum commentum. Nam profecto in *Petra erat Christus*, tropus est ascendens à petra, secundum literam, ad Christum, cur non æque in *Hoc est corpus meum*, tropus erit ascendens à pane secundum literam ad Christum? Et omnino vniuersale est; vt mysterij altioris fundamentum sit sermo tropicus: quoniam ipsæ parabolæ, & allegoriæ sunt tropicæ Neq; vnquam quisquam in animum induxit, cum semen dicitur esse verbum Dei, descensum fieri à verbo Dei, ad semen.

XXIX. Deniq; impudentissima calumnia est, à nobis dici, corpus Christi signare panem, & sanguinem vinum. Non potuit hoc fingere nisi desperatissima, id est, Iesuitica nequitia. Enimuero quauis reciproca sit rerum similitudo, vt si Christi corpus simile sit pani, itidem oporteat panem similem esse corpori Christi, & super hac similitudine fundetur siue parabola, siue allegoria, siue etiam tropus: tamen non est verum, reciprocari itidem signi parabolæ, aut allegoriæ nomenclaturam. Neque enim omnium relatorum sic reciproca ratio est Etenim etsi æque frater est Isaac Ismaelis, & Ismael Isaaci: non tamen æque pater est Isaacus Abrahami; vt Abrahamus Isaaci. Ad hunc modum etsi fatentur omnes sagenam iactam in mare, esse parabolam regni cœlorum: tamen nemo tam fuit stupidus, vt diceret regnum cœlorum esse parabolam sagenæ. Nos igitur nunquam tam alte stertimus, vt dicamus panis & vini signa esse corpus & sanguinem Christi.

XXX. Quartum argumentum eiusdem Salmeronis. Quæ metaphorice rei alicui tribuuntur, ac de ea prædicantur, solent eius rei proprietates ante oculos ponere, & metaphorice dicta de re tali prædicantur, non contra, res enim ipsa non prædicatur de metaphoris: nemo siquidem dicet, leo, vel agnus, vel serpens, vel vitis, lapis, aut ostium, est Christus: sed contrario dicitur, Christus est leo, vel agnus, serpens, vel vitis, vel lapis, vel ostium. Si ergo Dominus in verbis Cœnæ metaphora vti voluisset, dixisset, corpus meum est panis; non autem dixisset demonstando, *Hoc est corpus meum*: nec opus esset vti pronomine demonstratiuo. Quia metaphoræ à generibus vel speciebus rerum desumi solent, aut ex aliis passim notis; vt Ioan. est Helias, scilicet officio & ministerio.

XXXI. Respondeo, geminum implicari argumentum: vnum de prædicatione, alterum de demonstratione. In priori non facile cõstare quod sit genª ratiocinationis. Formam videri in hunc modum concipiendam, omnis metaphora prædicatur de re; non contra, res de metaphora. Ast hic panis non prædicatur de re, id est, corpore Christi; sed contra, res de pane: Ergo panis non est metaphora. Hoc si Sophistes voluit, frustra voluit. Nemo enim nostrûm dixit in pane vllam esse metaphoram, vllumve tropum, quia nimirum verus sit, & substantialis, & naturalis panis, imo indiuiduum panis; illud videlicet quod acceptum, benedictum, factumq; distribuitur, vnde necessitas pronominis demonstratiui.

XXXII. Cæterum metaphoræ nomen, vel tropum in genere significat, id est, ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφοράν; vt loquitur Aristotel. 21. poeticis: vel, quod iampridem vsitatius, speciem tropi, quæ vocabula mutat pro rerum qualitatibus; vt vulpem pro astuto, leonem pro forti. Posteriori notione, conceditur vniuersum argumentum. Nam profecto nos nullam in his verbis metaphoram vsurpamus, sed metonymiam, vt alias docuimus. Etenim neq; panis in Eucharistia, vllus est metaphoricus, neq; vero etiam corpus Christi.

XXXIII. Altera autem notione; conceditur minor propositio. Agnoscimus enim corpus prædicari de pane, & ita professi sumus initio. Sed negatur maior: Non enim necesse est vt metaphora, id est, tropus omnis, prædicetur de re, quoniam aliqua prædicat rem de re, nimirum tropus copulæ. Vt cum dico, Cicero amat eloquenter loqui, certe Ciceronem illum ipsum intelligo consulem Romanum, principem Oratorem: Sed & eloquenter loqui, dico absq; vlla metaphora: hocq; adeo ipsum prædico de illo. Sed prædico tamen per metaphoram, cuius sedes est in copula, id est, verbo *Amo*, cui non eadem significatio est, quæ cum dico, Orestes amat Pyladem, sed alia quædam similis & vicina. Quare quædam metaphora prædicat rem de re. Et hęc nunc nobis est satis ad infirmandam ratiocinationem.

XXXIV. Venio ad alterum argumentum. Nulla metaphora admittit demonstrationem pronominis: At hæc propositio habet demonstrationem: Ergo non est metaphora. Probatur maior, quoniam metaphoræ à generibus vel speciebus rerum desumi solent.

XXXV. Respondeo, concedi maiorem de metaphora proprie dicta; ad quam pertinent exempla, leonis, agni, serpentis, ostij. Hoc autem modo argumentum nihil ad rem: quia, vt monuimus, nulla est in hac enuntiatione metaphora proprie dicta.

XXXVI. Sed de metaphora late dicta, negatur maior. Et ratio est, quia falsum, omnem metaphoram sumi à generibus vel speciebus. Nam contra constat aliquam sumi ab indiuiduo, vt cum serpens ille in deserto suspensus dicitur Christus, vel petra illa emittens aquam. Profecto & serpens ille non quicunq; serpens erat, sed ille sic factus, & indiuiduus, & petra non quancunq; poterit quis imaginari; sed illa vnica in deserto. At contra, leo pro forti, non ille Nemeus; sed quicunque.

XXXVII. Quintum argumentum Gardineri, obiectione 13. Verba hæc, Christi sunt verba, Dei & hominis, cuius est magna & mirabilia, tum dicere, tum facere: qui nihil vnquam dixit, fecit ve, aut passus est, quod non aliquid habuerit admirationis adiunctum. Quam igitur non est consentaneum, post expletas epulas agni typici, quæ aliquid habebant exterioris apparatus; & commonefactionis; in nudam tandem desinere, & frigidam figuram; vt frustum panis daret in sui memoriam, & qui in cæteris tam esset mirabilis, nihil hîc dicere aut facere sui simile, quod suorum fidem ad eius contemplationem excitaret. Quare cum Christus relicturus sui memoriam in Cœna creaturas consecrans, diceret verba eiusmodi, quæ rem summe admirandã, & sensibus humanis incredibilem continent, ac sensu verborum proprio præ se ferunt: quæ tandem est ista hominum peruersitas, in sensum illa redigere humiliorem, cæteris eiusdem factis & dictis dissimilem, cum aliqua etiam ipsorum iniuria verborum, potius quam eo sensu accipere & interpretari, quo reliquorum omnium miraculorum conditionem & admirationem superare viderentur; vt tam magnum Dominum magna & se digna, & quæ non alius ab eo quisquam vere dixisse & effecisse queat, enuntiasse, & illis

verbis

verbis operatum confiteremur, vt à miraculo orsus, & miraculis perpetuo clarus, etiam cum miraculo supremam Cœnam diceretur, quod vere fecit, celebrasse? Asiaticam eloquentiam contraho. Omnia verba Christi fuerunt magna & mirabilia: verba figurata non sunt magna & mirabilia: Ergo non sunt verba Christi.

XXXVIII. Atqui verba dicit Sophista, vel pro rebus signorum. Pro signis, negatur maior. Nam contra nulla vnquam fuere Christi verba miraculosa; siue sonum dicas, siue significandi rationem, siue phrasin. Ratio expedita, quoniam omnia mutuatus est ab vsu communi eorum, inter quos erat ei conuersandum: sic enim, puto Iudaice loquutus est inter Iudæos, & ad nos eadem eius verba peruenerunt siue Græce, siue Latine, vbi nihil miraculi. Et vero sua miracula Christus aliunde non habuit precario, sed à propria virtute: sed verba sua, & eorum significationem habuit non à se, nullum enim vsurpauit antea inauditum: Ergo nulla Christi verba fuerunt miraculosa, siue mirabilia.

XXXIX. Confirmatio maioris; nihil vnquam, aut dixisse, aut passum esse Christum, quod non aliquid habuerit admirationis adiunctum: primum concedi posse impune. Non enim omnia quæ habent aliquid adiunctum admirationis, eadem sunt ipsa mirabilia. Exempli gratia, dormiuit Christus, in quo nihil est non naturale, sed dormiuit in magno præsentissimoque periculo; & in eo iusta fuit admiratio. Sedit ad puteum, atque à Samaritana aquam petiit absque vllo miraculo, sed addidit dissertationem mirabilem. Sic potuit hæc phrasis Sacramentalis ipsa per se non esse mirabilis; sed tantum ex adiunctis.

XL. Secundo, falsum est exioma. Nam etsi plurima mirabilia, & dixerit, & fecerit, & passus sit, tamen non omnia. Passus est primo fascijs inuolui in cunis: deinde deferri in Ægyptum, sed & baptizatus est à Ioan. consueto more, tandem affixus cruci; eodem modo cum duobus latronibus, & depositus in monumento. Hæc omnia sine miraculo. Descendit è monte, ingressus est Capernaum: Venit domum Petri, ingressus est nauigium: Hæc fecit, & alia plurima absq; miraculo. Quod si non fuerunt omnia facta miraculosa, quanto minus omnia verba, omnes phrases?

XLI. Venio ad res verborum. Et hîc nego minorem: Nam alioquin, si nihil dixit Christus nisi mirabile, & nullum dictum figuratum est mirabile: Ergo nunquam Christus dixit quicquam figurate. At hoc immane est mendacium, cui refutando vel solæ sufficiant parabolæ, quæ sine figuris consistere nequeant.

XLII. Dico igitur hoc loco rem magnam, rem summe admirandam fuisse à Christo enuntiatam; etsi verbis figuratis, vt alias sæpe, & nominatim nostram in seipso insitionem per vitis metaphoram: nostram in ipso renouationem, per regenerationem, nostram beatitatem, & Euangelij prædicationem, per regnum cœlorum. Deniq; dico vt plurimum res magnas & mirabiles, expressas frequentius per phrases figuratas, videlicet quia propriæ longe subsistant infra illarum dignitatem.

XLIII. Sextum argumentum ab Apostolorum persona. Bellarminus: Dominus loquebatur cum solis Apostolis. Etsi autem Pharisæis multa obscure diceret, qui indigni essent cognitione tam sublimium mysteriorum, tam Apostolis, qui rudes ac simplices erant, & instituebantur vt magistri futuri totius humani generis, omnia vel clarissime proponebat, vel obscurius dicta continuo exponebat. Præterea loquebatur eo loco, & tempore, cum minime oportebat obscure loqui; nimirum cum Apostoli essent primi participes tanti Sacramenti futuri. Nam, vt cum debita reuerentia Sacramentum perciperent, necesse erat, vt plane intelligerent, quid eis daretur. Tholosanus haud paulo aliter partitione prima Dialogi octaui. Vide an Dominus, cui cognitus erat captus Apostolorum, crassorum, atq; rudium, vtpote piscatorum, absque vllis literis, aut eruditione; vsurus fuisset apud eos tropis, figuris, aut metonymiis. Triplex argumentatio est. Prima, Quæcunq; apud Apostolos Christus est loquutus, ea vel fuerunt absq; tropis, vel continuo explicata: Ergo propria fuerunt. Altera. Apud imperitos nemo vtitur figuris. At Apostoli fuerunt imperiti: Ergo apud eos Christus nullo tropo vsus est. Tertia. Verbis tropicis non potuerunt Apostoli doceri, quid eccepturi: At ijs verbis edocti sunt, quid essent accepturi: Ergo ea verba non fuerunt tropica.

XLIV. In primo syllogismo maior est importune falsa. Nam explicasse dicitur Christus duntaxat parabolas: quanquam ne has quidem omnes; quod tamen nunc nihil attinet vrgere, quia hæc verba de quibus agimus, nihil habent parabolicum, sed tantum tropicum. Tropis autem infinitis ille vsus est; quæ nec leguntur fuisse explicata; nec verisimile est: alioquin oportuisset nihil aliud agere, quam explicare; quod est ridiculum. Et vero ne vestigium quidem explicationis inuenitur, quo argumento Bellarminus hîc vsus est; quo minus possit à nobis obiectum repudiare.

XLV. In secundo rursus maior est aliena ab omni verisimilitudine, quandoquidem imperita, rudes, simplices descripti sunt; non relate ad ipsas figuras, sed absolute ex conditeone. Etenim si dictum foret, neminem vti figuris, apud eos, qui earum sint imperiti, id est, à quibus non intelligantur; posset fortasse concedi: Sed imperitos nominari ex conditione, vt hi piscatores, nec eruditos in scholarum ergastulis; in Ciceronianis rhetoricationibus; tum negari apud istos vllum locum esse tropis: hæc vero nimis quam intoleranda audacia est, & propriæ autoritatis confidentia, quasi quicquid in buccam venerit, id nos omnes necesse sit.

XLVI. Atqui perpetua docet experientia non minus apud huiusmodi imperitos, rudes, simplices, deniq; piscatores; quam apud eruditos, semper promiscue vsurpatos fuisse cuiuscunque generis tropos. Nisi forte Isocrates, Demosthenes, Lysias, Cicerones, Hortensios, nunquam fingamus orasse ad populum: aut cum orarent, deposuisse suos ornatus, sua eloquentiæ lumina: aut deniq; populum Atheniensem, Romanumque, non nisi ex eruditissimis viris fuisse compositum. Sed non opus est ire tam procul. Ipsum volo Christum, ipsos Apostolos. Matthæi 4. *Ambulans Iesus ad mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem, qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius.* En tibi duos viros. Sed quos? Magnos scilicet, & Philosophos, quibus notissima essent Aristotelis rhetorica placita. Imo, *iacentes rete in mare, erat enim piscatores.* Heus tu, Tholosane, piscatores nominasti pro imperitis, rudibus, simplicibus. Hic habes piscatores: Ergo imperitos, rudes, simplices. Quid tandem? hos ipsos, apud quos fuerunt hæc verba habita, *Hoc est corpus meum:* quæ tu nunc negas fuisse figurata; eo quod illi essent piscatores, rudes, simplices. Istos ergo inuentos; & sic inuentos vt artem suam exercerent, ne posset Christus Ignorare cuius essent conditionis. Istos, inquam, quomodo est alloquutus? *Sequimini me, & faciam vos piscatores hominum.* Quid hoc est? Sermonis proprietas, an tropus? Ferus, *Pulchra metaphora Euangelij munus exprimit.* Iansenius, *Hac piscationis metaphora etiam alibi vsus est Dominus, Matthæi decimo tertio.* Brugensis, *Plerunque Saluator à rebus corporalibus, quas tempus & locus exhibebant sermonem transtulit ad spirituales:* Ergo, inquam, Christus Dominus: ipse, ipse Christus, inquam, tropico sermone vsus est apud piscatores, apud impeperitos, apud rudes, simplices, crassos; contra quam mentiebamini, Sophistæ. Quid vultis amplius?

XLVII. Tholosanus partitione quarta dialogi 15. Nemo potest negare signa non naturalia, sed voluntaria, & instituta, esse obscura, vt ne intelligi queant ab aliis, quam qui edocti sint, quid significent. At signa Sacramentalia sunt non naturalia sed instituta: Ergo intelligi nequeunt, nisi ab eis qui edocti sint, quid significent. Maior probatur ipso communi sensu. Testor, ait, cuiusque conscientiam; si nunquam audisset hæc verba, *Hoc est corpus meum*, exponi, hoc est figura corporis mei, vtrum ita fuisset animo conceptus.

XLVIII. Respondeo argumentum esse extra thesin, quoniam agat de figuris rerum, cum nos disputemus de figuris verborum, quorum longe alia ratio est. Etenim de illis maior est verissima & perpetua: adeo, vt cum primũ vsurpari incipiunt, necesse sit peculiariter admoneri siue per verba propria, siue per figurata. Nunquam quisquam induxisset in animum, aut Iridem, aut Circuncisionem esse signum vllius pacti diuini; nisi ipse Deus docuisset, docuit autem instituendo, *Hoc est signum fœderis mei.* Itaque etiam in Eucharistia, seruata ratio est; vt de sumpto pane diceretur, *Hoc est corpus meum.*

XLIX. Sed figuræ verborum habent se aliter. Quoniam etsi sint ex instituto, vt ipsa verba, tamen non vsurpantur ex peculiari institutione vsurpantis, sed assumuntur ex vsu vulgari, ac trito: cuius capaces sunt, quicunq; in loquendo sunt exercitati: id est, homines. Vnde factum, vt cum primum Christus diceret, *Semen est verbum Dei*, etsi nunquam alias phrasis esset audita; tamen intellecta fuerit; & facile intellecta. Negatur ergo syllogismi assumptio. Nam figura quæ est in hac enuntiatione Eucharistia; non instituebatur primum tunc temporis, sed de medio vsu sumebatur, haud aliter atq; ipsa singula verba.

L. In tertio, primo mirum est quantum à seipsis discedant Sophistæ. Nam ego quidem si Papista forem, negarem assumptum. Etenim Papistæ, præter ea quæ disputant prolixe atq; animose de fide implicita, quæ possit nescire id ipsum quod credat: Etiam in Sacramentis contendunt sufficere intentionem faciendi id quod facit Ecclesia; etiam si, aliud nihil sit expeditum. Itaque etiam facto testantur, cum Sacramenta celebrent lingua prorsus incognita: quæ, nisi vehementer fallar, non magis apta est ad docendum, quam tropica phrasis. Quo posito interrogarem; quæ causa efficiat, vt nunc possint communicare Christiani huic Sacramento, quod quid sit non docentur à verbis prorsus incognitis propter barbariem, & tunc non potuerint Apostoli, si non fuissent docti, propter tropum loquutionis. Nam profecto quantumcunq; obscuritatis assignetur tropo, tamen non plus erit assignandum, quam barbaro idiomati. Verum non hîc tantum sibi Papistica placita contradicunt, vt ægri somnia.

LI. Respondeo igitur solidius; negari maiorem. Nam vim docendi inesse etiam tropis, constare ex eo, quia quæcunque animum afficiunt vehementibus ideis, eadem sunt aptissima ad docendum. At tropi faciles animum afficiunt ideis vehementibus: itaque iidem aptissimi ad docendum. Maiorem concedunt, quicunq; norunt quid sit docere ac discere. De minore autem non possunt contendere, qui tropos faciles norunt sumi à rebus magis cognitis, ac proinde magis efficacibus ideis. Nam, exempli gratia, metaphora propinquitate qualitatum nititur sumptarum à rebus familiaribus, vt prata rident quoniam ridere omnes sciunt esse summæ lætitiæ: Synecdoche, vel à toto, quoties totum est magis notum: vel à parte, quoties hæc magis obuia sensibus. Et metonymia, vel à causa, vel ab effecto similiter. Et nominatim in Sacramentis, vbi ratio est signi, tesseræ, arrhabonis, pignoris, quibus sensus externi affecti, mouent sensus internos.

LII. Sed luculentissima demonstratio est ab ipso vsu. Quid enim censemus? Nonne erat docendus Abrahamus, quid Circuncisio esset quam æque acceptarus erat, ac Apostoli panem & vinum? Et tamen nonnisi tropice ei dictum, *Hoc est pactum meum.* Quid? Nonne voluit Iosephus erudire quos alloquebatur, cum diceret. Tria cauistra sunt tres dies; septem vaccæ sunt anni septem? Nonne Christus, cum semen est verbum Dei? Ne Apostolos quidem Corinthios, cum Petra erat Christus? In his tamen omnibus tropus, qui in verbis istis sacramentalibus.

LIII. Septimum argumentum Sanctesij c. 4. Repetit. 1. Minima quæq; non sinebant elabi Apostoli, quæ non interrogarent si viderentur obscuriora. Edissere nobis, aiunt, zizaniorum parabolam, edissere nobis de cibis parabolam, ad nos dicis parabolam hanc, an ad omnes? Petrus confidenter in ipsa passionis nocte petit causam, quare tum sequi Christum non posset. In eadem Philippus postulauit sibi ostendi Patrem: Thomas fassus est ignorantiam suam, omnes libere in eadem quoq; nocte conqueruntur ad hæc pauca verba. Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me; nescimus (subiiciũt) quid loquatur; & rem apertius eloqui compulerunt. In re tanti momenti, in verbis si à literali sensu recedatur, adeo implicatis, atq; alibi inusitatis, mutit nemo, nemo percontatur quicquam. Sensus est. Quæcunque sibi obscura audiebant Apostoli, postulabant explicari: At hæc non postularunt explicari: Ergo non erant eis obscura.

LIV. Respondeo; si de obscuritate sola quæras, facile totum argumentum concedi. Quia certum in Christi verbis istis sacramentalibus nullam esse obscuritatem, nisi quam induxit idololatri i Papistica. At hæc quid non est ausa, vt etiam maxime perspicua verba obscuraret? Desperatissimum exemplũ est in hoc ipso Sacramento verborũ. *Accipite, bibite:* quæ quid non agũt, vt quæ dicta fuerunt ad omnes cõmunicantes, restringantur tandem ad vnũ sacerdotulum in angulo consecrantem? Itaque disputandum effecerunt,

utrum

vtrum ad omnes Christianos, an ad solos Apostolos: deinde si ad solos Apostolos; vtrum ad omnes deinceps Sacerdotes, an ad singulos duntaxat. Et hos speret quisquam relicturos aliquid non obscuri, si splendida bilis iusserit.

LV. Veruntamen, quia abutuntur obscuritatis nomine aduersus tropos; nos, quibus liberalius ingenium est, substituamus pro obscuris tropica; qualia nunc disputanda sunt. Nunc igitur nego maiorem. Nam exempli gratia, cum audiuerunt Apostoli, *Semen est verbum Dei*. Et rursus, *Pater meus Agricola, vel palmites*: Et plurima alia, quæ esse tropica, nulla potest, impudentia negare, tamen non interrogarunt quid esset: Et vt verbis vtar Sanctesij, mutit nemo, nemo percontatur. Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Pererius, *Hoc loco cœlestis gloria significatur nomine domus*. Quis mutiit? quis percontatus est? Ibidem, *Ego sum via*: Pererius, *ratione doctrinæ, quam tradidit, ratione conuersationis & vitæ, cuius præclara nobis imitanda reliquit exempla: ratione passionis & mortis, per quam peccatum & mortem destruens, facultatem nobis eundi ad cœlum promeruit*. Quis mutiit? percontatus est? Matthæi 9 *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*. Brugensis, *Vtitur allegoria sumpta à re rustica*. Ferus, *Attendendum, quid sibi velit hæc similitudo vel metaphora messis*. Et tamen nemo mutiit, nemo percontatus est. Quid ergo frontis Sanctesio? Aut quis non videt alterutrum necessarium, aut non omnia obscura sibi explicari postulasse, aut non omnia tropica esse obscura: Quorum vtrum verius, nostra non interest deligere.

LVI. Nam quæ ille exempla collegit ex variis locis; non possunt vniuersalem legem constituere. Non certe magis quam hæc nostra concludere, nihil vnquam Apostolos interrogasse. Et quis non videt posse varia vndique, prout cuique commodum, exempla seligi? Sic Papistæ alias multos obscuros enumerant locos; & concludunt vniuersas Scripturas esse obscuras. Cur non æque alius quispiam plurimos perspicuos, vt conficiat vniuersas Scripturas esse apertas? Sed expedita solutio est. In omnibus illis obscuris, non contineri hos perspicuos: Itaque non sequi Scripturas esse omnes obscuras. Et in his perspicuis non contineri illos obscuros: itaque non sequi vniuersas Scripturas esse perspicuas. Similiter nunc, in illis exemplis, quorum interpretationem sibi dari postularunt Apostoli, non continentur hæc in quibus non nisi silentio sunt vsi: Ergo non omnia vel obscura, vel certe tropica sibi exponi voluerunt.

LVII. Octauum argumentum Costeri. Leges omnes à prudentibus legislatoribus latæ, simpliciter proprie, perspicue: non figurate, non obscure, non perplexe efferri debent: ne quis ignorantiam prætexens, & verborum ambiguitatem, legem violet. Iam vero Christus hoc Sacramentum instituens, simul etiam præcepit, legemque tulit, vt idem à Sacerdotibus in Ecclesia conficeretur. Claris igitur verbis est vsus, quæ sine tropo id valent, quod sonant. Similiter Bellarminus. Sed Sebastianus Michaelis. Augustinus hanc ponit regulam secundi de doctrina Christiana, c. 9. Omne præceptum, quo imperetur aliquid credi, aut fieri, positum esse in Scripturis planis & simplicibus verbis.

LVIII. En tibi iterum promiscue perspicuum & proprium, tropicum & obscurum, atque perplexum, de quo piget totius dicere. Nunc igitur, & deinceps mittamus illud perspicuum, & obscurum, & dicamus duntaxat de proprio & tropico, vt sit argumentum huiusmodi. Nulla lex est tropicis verbis concepta. Institutio Eucharistiæ est lex: Ergo non concepta tropicis verbis

LIX. Respondeo, in maiori perpetuum esse ingenium Papisticum; importunum, audax, impudens: non tantum non horrens, sed etiam affectans mendacia, nec affectans duntaxat, sed etiam tam confidenter obiiciens, quam potuit quisquam ἀντίπιστον veritatem. In proximis syllogismis audiuimus; Quæcunque loquutus sit Christus apud Apostolos, fuisse vel non tropica, vel continuo explicata. Apud simplices & rudes nullum vsum esse troporum, non potuisse verbis tropicis Apostolos doceri: omnia obscura, id est, tropica, sibi explicari postulasse Apostolos, quæ fuerunt totidem pura, puta mendacia. En quintum, nullam legem esse tropicis verbis conceptam. Et quis hominum tandem sit tam Bœotus, cui sint hæc amplius toleranda? Pergite: pergite tamen, vos ô doctores mendacij mendaciis mendacia cumulare.

LX. Sed in legibus nullos esse tropos facilis confutatio est Matthæi 6. lex est opinor; *Quum tu das eleemosynam, ne no erit sinistra tua, quid faciat dextra tua*. Dubitas esse legem? Audi Salmeronem ingredientem expositionem eius capitis, tract. 44. tom 5. *Nunc modum quo sint facienda bona opera præscribit* Sed estne absque vllo tropo Imo Brugensis, *Figurata locutio est*. Iansenius, *Tropus quem certum est esse in his verbis, neſciat sinistra tua, varie explicatur*. Maldonatus, *Dum metaphoram interpretes quærunt, incredibilem interpretationum varietatem pepererunt. Rem mihi Chrysostomus, & Theophylactus acu videntur tetigisse, non metaphoricam, sed hyperbolicam esse locutionem*. Salmero; *Hyperbole est*. Bene est: habemus vnam saltem legem: vnum præceptum, tropicis verbis conceptum. Quo vel vno mentitos constat Sophistas.

LXI Sed solone isto? Imo eodem capite, *Tu vero cum ieiunas, vnde caput tuum, & faciem tuam laua*. Alia lex est. Propriane? Imo Brugensis, *Non præcipit, vt loti duntaxat, vnguentoque delibuti ieiunemus*. Et quomodo potest, inquam ego, affirmatiuum præceptum verti in negatiuum absque tropo? Iansenius, *Metaphorica est locutio, qua significare vult dissimulandum esse ieiunium*. Salmero, *Hac hyperbolica locutione significare voluit Dominus ieiunantem, quod ad se attinet, nequaquam debere optare hominum notitiam*. Quid alia minutim exsequar? *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona*; & similia plurima?

LXII. Sed causa mentiendi quænam? Ne quis prætextu ignorantiæ, & ambiguitatis legem violet. Præclare sane: Ergone excusabilis qui has Christi leges de eleemosyna, & ieiunio violauerit? Enimuero aut hoc necesse est, aut certe alterum, excusationem nullam esse ab hac ignoratione. Viderint Papistæ. Nos hoc tenemus; qui scimus esse inexcusabilem crassam ignorantiam: & eam esse crassam, quæ nihil dignetur inquirere, insuper non esse difficilia, quæcunque possint, maxime facili labore, concipi. Nam, exempli gratia, qui Deum audit Christianus esse Spiritum, Ioannis 4. etsi sciat Spiritum etiam ventum dici, tamen nunquam excuset Socratem illum Aristophanis.

LXIII. Sed Sebastiano illi nihil tam male potest dici, vt illo sit dignum. Quid? Augustinum dicere, omnia præcepta credendi faciendique in Scripturis esse concepta planis & simplicibus verbis? Recita, *In iis quæ aperte in Scriptura posita sunt; inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque viuendi*. Viden' nihil agi de tropis, siue proprietate, sed tantum de perspicuitate? Hoc primum: qua legitima præscriptione solide remouetur ab hac quæstione quicquid hoc est autoritatis. Deinde longe aliud est, ea quæ pertinent ad fidem & mores reperire in perspicuis libris, quod Augustinus scripsit, quam omnes leges esse perspicuas. Nihil enim obstat, quominus res eædem alias perspicue tradantur, alias obscure. Et sane idem Augustinus libro eiusdem operis 3. cap. 16. locutiones præceptiuas scripturæ distinguit, in eas quæ facinus vetent, beneficentiamque iubeant: & eas, quæ contra, facinus iubeant, beneficentiam prohibeant. Has esse figuratas, illas proprias. Vnde constat Augustino persuasissimum fuisse quasdam tropicas locutiones esse præceptiuas.

LXIV. Nonum argumentum. Bellarminus: Dogmata præcipua non nisi propriis verbis tradi solent in diuinis literis. Tropi enim locum habent, vel in prophetiis ad rem obscurandam, vel in laudationibus ad rem amplificandam, non autem in dogmatibus, quæ præcise credi, aut seruari debent. Vnum autem ex præcipuis dogmatibus Christianæ religionis in illis, verbis, *Hoc est corpus meum*, contineri, nemo hactenus negauit.

LXV. Respondeo eandem esse, quæ prius fuit, maioris audaciam, nullum dogma præcipuum non nisi propriis verbis tradi in diuinis literis: quod hactenus fuerat auditum nunquam, sed nunc primum ex præsenti necessitate confictum. Quod si liceat Sophistis, tanquam prætoribus edicere, potius quam disputare, quid tandem salui esse poterit? Sed bene est, quod neq; eorum tenentur autoritate, & habemus innumera exempla, quibus tantam conficiamus insolentiam.

LXVI. Certe in præcipuis, summisque dogmatis est arctissima illa vnio Christi & fidelium. Hanc ita Paulus exprimit ad Ephesios 5. *Membra sumus corporis eius, ex carne eius, & ex ossibus eius*. Nam hic etsi Iustinianus dicat ambigi posse, verum proprie an metaphorice Paulus membra dixerit; tamen res ipsa loquitur monstrosam esse dubitationem, cum Christi membra non possint dici nisi vel Deitatis ratione, vel corporis: Deitatis propria vlla esse membra, soli somniarunt Audeani: Catholici semper horruerunt. Corporis autem alia esse membra proprie dicta, quam quæ habuit formata in vtero Mariæ: quæque postea cruci suffixa, nunquam est auditum. Quare quæcunque alia ab istis dicentur eius membra, oportet improprie dici, quomodo etiam corpus eiusdem non dicitur Ecclesia, nisi tropice, siue mystice. Itaque Gardinerus part. 3. *Quum dicimur Christi corpus, tropus est necessarius*. Eadem ratione communionis fidelium inter se, ad Romanos 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alij aliorum membra*: sumpta ab humano corpore similitudine, inquit, Iustinianus: & rursus aliter, Actorum 4. *Multitudinis eorum qui crediderant, erat cor, & anima vna*.

LXVII. Quid? nullane doctrina est, Matthæi 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non superabunt eam*: &, *tibi dabo claues regni cœlorum*: &, *quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cœlis*: &, *quicquid solueris in terris, erit solutum in cœlis*; Imo vel Papistis testibus dogma inter præcipua. Quod ergo? nullane figura? Brugensis, *Prosequitur metaphoram à petra acceptam*. Et iterum, *Summam, absolutamque potestatem atque autoritatem, hæc enim clauibus significatur, metaphora sumpta ab eo, quod claues domus, ciuitatisque penes illum esse soleant, cui est summa gubernandæ domus ciuitatisque autoritas*. Bellarminus de Pontifice libri 1. cap. 10. *Vt intelligamus sub duabus metaphoris promissum Petro totius Ecclesiæ principatum*. Similis ratio alterius loci ex Ioannis 21. *Pasce agnos meos, pasce oues meas*. Nam hic neque agni, & oues proprie nominantur, neque pascere nisi à similitudine eorum, quibus pecudum cura imposita est.

LXVIII. Supersedeo plura colligere. Ex his enim satis demonstratur tum maioris falsitas tum etiam probationum futilitas. Nam his sine locis neque prophetia est ad rem obscurandam; neque laudatio ad rem ornandam; neque cohortatio ad rem amplificandam, sed dogmata sunt, quæ præcise credi, seruarique debent.

LXIX. Verum exemplorum vim Bellarminus bis tentat eneruare. Primum: Non vocari dogmata, quaslibet de Deo sententias, sed solum eas, quæ habent peculiarem difficultatem, siue ad credendum, siue ad operandum, quales sunt articuli fidei, & Canones Conciliorum, cætera autem quæ ex illis apertissime consequuntur, non dici dogmata: Verbi gratia, Deus est vnus, Deus est trinus, Deus est infinitus: Christus est Deus & homo, & similia, dogmata sunt. At Deus est ignis consumens, Christus est vitis, lapis, leo, & cætera, non dicuntur dogmata, sed explicationes proprietatum notissimarum Dei & Christi.

LXX. Magno scilicet infortunio conflictandum nobis est cum ingeniis huiusmodi, ex alto quicquid est in orbe reliqui despicientibus tanquam longe infra se positum; vt eius nullæ sint partes præterquam adorandi, quicquid in tam alto fastigio positis vel ructare, vel etiam pedere libuerit. Adeo semper noua comminiscuntur axiomata, nouas leges, nouas definitiones, nouas distinctiones: tum si rationem exigas, nihil inuenias, præter vnum tyrannicum, sic placet, sic edictum est. Videte, ô vos mendaciorum sectatores, quibus vos ipsos Dominis, imo quibus tyrannis submiseritis: Videte, ô vos veritatis amantes à quanta vos seruitute Deus liberauerit, & quanta vobis opus sit constantia aduersum huiusmodi barbariem.

LXXI. Dogmata non sunt, inquit, quælibet de Deo sententiæ, dogmata sunt solum, quæ habent aliquid difficultatis. Quære ab isto Sophista, quando tale quicquam dictum, auditum, frustra fueris. Sed nos contra edicimus: nam cur nos veritati militantes, non saltem æque magnifici? Dicimus, edicimus dogmata esse quæcunque admittenda sunt tanquam vera & sancta in Christianam fidem; etiam latius, si fides Iesuitis qui Ratisbonæ ausi numerare inter articulos fidei, Tobiæ canem caudatum fuisse: non quidem, opinor, perplexissimum; nisi si aliter Sophistis videatur. Sed

tur. Sed nunc ista, & alia similia facimus missa: illis enim nobis solis opus est. Varinus Δόγμα, ζήτημα, πρόσταγμα, ἢ ἡ εὐσεβὴς ἀληθείας κράτος, ἢ τὸ πάλαι ὁρισθὲν, καὶ ὄντως οὕτως ἔχον, ἢ ζητήσεως ἀψευδὴς διάγνωσις, *Dogma: quæstio, præceptum, vel dogma est pia veritatis firmatio: vel id quod olim definitum est, & re vera ita habet, siue quæstionis determinatio falsi expers.*

LXXII. Præterea Gardineri verba hæc sunt, *Illa verba, vnus panis multi sumus, mysterii arcanum significant, quod nullis verbis propriis explicari potest. Nam quum dicimur Christi corpus, tropus est necessarius, quemadmodum in prophanis dicuntur gemmare vites: quia verbum proprium est, quo id explicetur: & annotatum est plura esse negocia, quam vocabula.* Hæc ille: & quidem occupatus in hoc ipso solutionis argumento: noua quadam subtilitate sperans, se nobis instantibus satisfacturum, cum diceret, quædam esse dogmata quæ non possint nisi figurate enuntiari: quasi qui diceret omnes homines esse mares, audiens obiici sibi Saram, Rebeccam, Liam, fœminas, responderet quosdam esse homines, qui non possint esse mares. Egregie! Luculenter! Admirande! Sed idem sibi ipsi contradicens; contradicit etiam Ballarmino: nam quæ nulla habent propria nomina quibus exprimantur, profecto siue habeant, siue non habeant credendi, faciendive difficultatem, tamen erunt figurate enuntianda. Ac proinde solutio erit Sophistica, παρὰ τὸ μὴ αἴτιον.

LXXIII. Et tamen quid lucri? Dogma, inquit, est, id quod habet aliquid difficultatis. Condonetur nunc sane: etsi est importunum. Quid ergo? Nos esse vnum corpus cum Christo: nos esse vnum corpus inter nos, nihilne habet ad credendum difficultatis? Vnum, inquam, corpus cum Christo, ex carne eius, & ex ossibus eius? Hoccine crediturus quisquam persuasus alia ratione, quam authoritate Christi? Quid? Claues regni cœlorum? Nonne excedunt fidem communem? Chrysostomus 3. de Sacerdotio c.5. οἱ τὴν γῆν οἰκοῦντες καὶ ἐν ταύτῃ ποιούμενοι τὴν διατριβὴν, τὰ ἐν οὐρανοῖς διοικεῖν ἐπετράπησαν, καὶ ἐξουσίαν ἔλαβον, ἣν οὔτε ἀγγέλοις, οὔτε ἀρχαγγέλοις ἔδωκεν ὁ θεός. *Qui terram incolunt, atque in ea versantur, in commissum est, vt ea quæ in cœlis sunt, dispensent: iis datum est vt potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit.* Eia potestne in tantis rebus nulla suboriri dubitatio? Testes sunto Nouatiani, & Donatistæ olim. De vi Baptismi Cyprianus Epist. 2. *Difficile prorsus ac durum, pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem, mihi diuina indulgentia pollicebatnr, vt quis renasci denuo posset: vt que in nouam vitam lauacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret.* Cyprianus difficile admitmittebat: & ante Cyprianum Nicodemus afflauerat illud, *Quomodo potest?* Et tu persuades nihil esse difficultatis? Non facies: nec facies, vt quisquam credat in eius tam difficilis dogmatis enuntiatione nullas figuras fuisse.

LXXIV. Salt articulos fidei pati potest Bellarminus annumerari dogmatis præcipuis. Quid igitur, si constet ab ipsis istis fidei articulis nō esse alienos tropos? Certe Synecdoche negari non potest statim in primo, *Creatorem cœli & terræ*; cum sit plurium, prout Actorum quinto habes expressum, *Qui fecisti cœlum & terram mare, & omnia quæ in eis sunt*: vt Symboli eadem sit ratio quæ Mosis apud Lorinum in hunc Actorum locū, *Per hanc* terram *& cœlum Moses in Genesi omnem rerum vniuersitatem complexus est.* Non ergo iam sine tropis articuli. Iterum dicitur Christus sepultus: cuius tamen neque Deitas neque anima sepulta, itaque rursus synecdoche totius pro parte.

LXXV. Quid? potestne quisquam audire, *Sedet ad dextram Dei Patris*, & nullum tropum concipere? Vos attendite Theologi, & miramini acumen Papisticum Vnus inuentus est Sebastianus Michaelis, qui negaret vllum: vllum, inquam, tropum esse in iis verbis. Vultis verba ipsissima bona fide facta Latina ex Gallicis? En verbis aduersus Gigordi 1. caput, *Negamus vllam esse figuram aut metaphoram in his verbis, habita ratione linguæ Apostolorum, qui erant Syri siue Hebræi. Et notandum, quæ locutio propria est in vna lingua, esse metaphoram in alia: vnde hæc verba metaphorica sunt Latine, siue Gallice: sed non Hebraice.* Non mouemini tam profunda eruditione? Rationem audite, proh fidem, acutissimam. Hebraice vnum idemque verbum æquè significat quiescere, habitare, regnare, & sedere: per magis proprie vnum quam alterum. Lucæ vltimo, *Sedete in ciuitate*, id est quiescere. Lucæ 10. *Maria sedens secus pedes Domini*, pro situ corporis. Matthæi 20. *Sedeant isti duo filij mei vnus ad dexteram tuam, alter ad sinistram*: id est regnent. Et hoc postremo sensu vsurpari in symbolo.

LXXVI. Sed huic tam inconsiderate sophisticanti opponunt, se non nostri tantum Theologi; sed & Papistæ: Catechismus Tridentinus, *Quo loco tropum, id est, verbi immutationem licet animaduertere frequentem in diuinis literis, cum humanas affectiones & membra ad nostram intelligentiam accommodantes Deo tribuimus.* Brugensis in Matthæi 22. *Metaphora ab eo sumpta, quod locus maxime honorificus, sit sedere à dextris.* Salmero tract. 66. tom. 8. *Dicitur per metaphoram sedere ad dextram, vt significetur in optimis & summis bonis eum collocatum, in quibus est Pater.*

LXXVII. De verbo Hebraico primo possum concedere, æquè significare tum sedere, tum quiescere, tum habitare: quanquam fortasse melius, non æquè: quia duo posteriora ex consequenti, quod genus est tropi, vt cum videre vsurpatur pro cognosceris. Sed vtvt sit, tamen nego æque esse regnare. Nam omnino vnquam, nisi cum adiunctis, vt sedere in solio. Et hic nominatim Papistas suos habet aduersarios Sebastianus. Nam Catechismus Tridentinus, *Sedere*, inquit, *hoc loco non situm & figuram corporis significat, sed eam regiæ, summæque potestatis, ac gloriæ firmam & stabilem possessionem, quam à patre accepit, declarat.* Hæc autem tropi est explicatio: nam sedere non significat proprie possidere.

LXXVIII. Denique, cur in sedendi verbo totus sophista, dexteram negligit? Atqui vt illud concederem esse proprium, tamen hæc si sit metaphorica, non potest locutio esse propria. Iam vero *cum spiritus sit*, ait Catechismus Tridentinus, *nihil in Deo corporeum cogitari potest.* Et præiuerat Augustinus de fide & Symbolo c.7. *Nec quasi humana forma circunscriptum esse Deum patrem arbitrandum est, vt de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum animo occurrat. Tale enim simulacrum Deo nefas est Christiano in templo collocare, multo magis in in corde nefarium est.*

LXXIX. Altera solutio Beliarmini. Cum dicimus dogmata, & præcepta debere propriis verbis referri, sic esse intelligendum, vt vel tantum, propriis verbis efferantur; vel si vno loco tropicis, in alio propriis. Nihil enim prohibet, quod habetur expresse & proprie in vno loco, alibi obscurius haberi. Quod notauit Augustinus 7. de Doctrina capit. 19. *Nihil est obscure dictum in Scripturis, quod spectet ad fidem, vel mores, quod non planissime dictum sit in aliis locis.* Sic Matthæi 16. & Lucæ 12. fermentum explicatur. Sic illud, *Christus est lapis angularis*, sine tropo habetur locis infinitis apud Paulum: & illud, *Vnus panis multi sumus*, habetur proprie frequentissime, vbi dicimus vnus populus; vna Ecclesia, vna familia Dei. At hoc præceptum, & dogma de Eucharistia nusquam habetur aliis verbis in Scriptura. Quare cogimur proprie accipere.

LXXX. Tandem igitur agnoscit peccatum. nimis vniuersalis propositionis, cum diceret nullum dogma præcipuum proponi verbis figuratis. At quanto præstiterat non mentiri ab initio? Nunquam tamen serum est sapere. Videamus quanto nunc πληχθεὶς factus sit sapientior. Contrahit, omne dogma præcipuum fidei vel propriis verbis traditur, vel alibi explicatur: At hoc dogma nusquam alibi explicatur: Ergo propriis verbis traditur. Atqui hoc argumentum idem est cum primo syllogismo sexti argumenti in hoc ipso capite. Itaque itidem falsa maior propositio Falsitas patet vel ab ipsis eius exemplis. Nam profecto non tantum vnus panis dicitur metaphorice, sed etiam non proprie, populus, Ecclesia, familia Dei. Nam hæc nomina omnia translata sunt à primogenita sua notione ad alia, quæ nunquam venisset in mentem cuiquam hominum, nisi instituto in idiomate sacro. Augustini locus non est ad rem, non enim loquitur de tropicis, sed de obscuris locis, quos distinguendos sæpe admouimus.

LXXXI. Decimum argumentum solenne est; adeoque paucis omissum; non certe Tonstallo, Sanctesio, Bellarmino, Panigarollæ, Salmeroni, Costero, Vasqui, Tholosano. Id est à natura Testamenti; quod quia ambiguum est, signans tum dispositionem supremæ voluntatis, tum pactum siue fœdus, ab vtraque notione argutia est. A priore sic Salmero. Sunt eadem verba Domini morituri, & testamentum condentis, suamque vltimam voluntatem declarantis. Solent autem prudentes viri morituri in condendo testamento expressis, rotundis, planis, atque perspicuis verbis vti, ne lites interminabiles inter hæredes, & legatorios relinquant: ac proinde omnes metaphoras, figuras, & vocum schemata consulto fugiunt, multo igitur magis diuinam sapientiam hoc suo exemplo nobis præstitisse credendum est. Augustinus (ait Tonstallus) de morientium verbis nouissimis, proprio sensu intelligendis, in libro de vnitate Ecclesiæ sic scribit. Quid hoc est rogo? *Cum verba nouissima hominis morientis audiuntur ituri ad inferos nemo eum dicit esse mentitum, & impius iudicatur hæres, qui forte illa contempserit.* Ab altera Sanctesius. Non dubium, quin in eadem Cœna nouum fœdus inter Deum, & homines, à Christo saltem inchoatum & latum sit, & quid fœderum, & contractuum formulæ debeant, & consueuerunt esse inter bonos propriæ & perspicuæ, ac nequaquam tales, quæ mille modis huc & illuc torqueri, flecti, & reflecti possint. Syllogismus non est formatu difficilis. Omne testamentum verbis propriis constare debet, nullis figuratis: At institutio Cœnæ est testamentum: Ergo verbis concepta propriis, non autem figuratis.

LXXXII. Perseuerat in maiore mentiendi tyrannis: semper enim, vt iam monui, perspicuitatem separo à proprietate. Itaq; confidenter dico nullum hactenus sacrum, nullum profanum autorem iussisse testamenta condi non nisi propriis verbis, nullis autem figuratis. Sunt isti forte legitimi vniuersitatis Domini, qui pro arbitrio leges condant, aut nos tam nihili, vt nullis exceptionibus vti possimus. Verum non potest pro meritis satis declamari in hanc temeritatem.

LXXXIII. Habemus Gregorij Nazianzeni testamentum, in quo disertum, reddenda sua bona sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Nazianzi. Ἀποκαταστῆσαι τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἐν Ναζιανζῷ. I nunc, & nega vllum esse tropis locum in dispositione vltimæ voluntatis. Nam certe Ecclesia non eo sensu nominatur, quo solebat olim apud Athenienses, & vt legimus Actorum 19. ἦν γὰρ ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη, *Erat enim Ecclesia confusa*: quæ tamen notio, quia prior, etiam fuit propria, nunquam enim figurata prior fuit. Contractius ergo nominata Nazianzeno; aut certe per similitudinem. Sic nemo qui pictum Herculem habens, alicui suum legarit Herculem, eam vnam ob causam negandus est testamentum condidisse, aut irritum fecisse.

LXXXIV. Possuntne vero aut potentius, aut magnificentius refutari Sophistæ quam à seipsis? Et quidem in hac ipsa Eucharistiæ institutione? Nam profecto si omne testamentum debet carere figuris, & hæc institutio testamentum est: Sophistas oportet hanc institutionem ab omnibus figuris liberare; tantos, inquam, obscuritatis osores, tantos litium abominatores. At non liberant. Testem do Sanctesium Repetitionis 3. cap. *Tria figurarum genera in Cœna annotantur, Metaphora, Hypallage, & quadam Metonymia, siue synecdoche Metaphora & translata ista locutio probabilissime putatur: Donec bibam illud nouum in regno patis mei. Hypallages siue transmutationis, qua vna dictio ponitur pro altera, & vnius rei proprietas alteri tribuitur, plura sunt exempla in Cœna. Imprimis traductio est causa & effectus, Hic calix Nouum Testamentum in meo sanguine: &, Hic sanguis est Noui Testamenti. Eadem est traductio, iudicium sibi manducat & bibit. Alterius generis hypallage quæ vnius rei proprietatem transfert ad alteram propter aliquam cognationem, in istis apparet, Hoc poculum quod pro vobis effunditur, est Nouum Testamentum in meo sanguine: &, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Tertium genus hypallages synecdochen & metonymiam complectitur. Nam non dubium, quin ibi, Hoc poculum est nouum testamentum: siue, Hoc sanguis est nouum testamentum, insit vera synecdoche partis ad totum.* En tibi disertam confessionem. En acutos Sophistas, qui cum vnius tropuli causa cœlum terræ miscuerunt, viresque suas exhauserunt insectantes obscuritatem, lites exaggerantes: tum ipsi denique vix verbulum legi volunt absque tropo. An quia mortis genus est mollius, quod quisque sibi eligat?

LXXXV. Verentur boni viri, lites interminabiles inter hæredes. Atqui his litibus origo nulla à figura, sed ab obscuritate. Neque enim credo, fiduciarius ille Nazianzeni hæres Gregorius Diaconus, cauillatus est nescire

quam

quam diceret Ecclesiam; etsi tropice diceret. Nimirum quia tropus ille tunc temporis esset vsitatissimus, vt quod nomen olim pertinebat ad conciones politicas magistratus autoritate conuocatas; contraheretur ad mysticum illud Christi corpus, interno spiritus motu vocatorum in spem salutis, *Quia*, inquit Lorinus in Act. 2. *Nemo adiungit se ad hunc populum per se propriove instinctu, sed vocante per gratiam prauenientem Deo.* Quo exemplo patefit esse quosdam tropos familiari vsu tam faciles, vt non minus sint perspicui, quam locutiones quæcunque propriissimę, ac proinde non minus potentes præueniendis litibus.

LXXXVI. Scilicet huc testem aduocatum oportuit Augustinum. An quia oportuit Tonstallum traducere impudentiam suam? Augustinus inquit, de nouissimis verbis proprie intelligendis. Magnum mendacium, inquam. Nam de proprietate nullum Augustino verbum: sed de veritate, *Nemo*, ait, *eum dicit esse mentitum.* Hoc legis Tonstalle: at non legis, nemo eum dicit esse loquutum figurate. Nisi forte idem sit, te iudice, figurate loqui & mentiri. Vt cum Christus, vel te teste, non sine tropo dixerit, *Mulier ecce filius tuus*, tunc sit mentitus. Apage.

LXXXVII Nec vero difficilior altera consideratio fœderis. Fœdus paciscebatur olim Deus cum Abrahamo Genes. 17. Nullisne vsus tropis? Imo, *Ponam te in gentes.* Te? quomodo proprie, & absque vllo tropo potuit vnica illa & indiuidua persona esse multæ gentes, quæ ne duo quidem esse potuit homines? *Hoc est pactum meum, vt circuncidatur in vobis omnis masculus.* At circuncidi nullo modo potest proprie esse pactum, itaque statim: *Erit que signum pacti.* Iterum, *Erit que pactum meum in carne vestra:* gemina figura: nam & caro totum pro parte; & rursus pactum in carne, pro signo pacti in particula carnis. Genes. 21. pangens fœdus cum Abimeleco Abrahamus, *Septem istas agnas*, inquit, *accipies de manu mea, vt sint mihi in testimonium, quod fodi puteum istum.* Trigesimo primo in fœdere Iacobi cum Labano, *Tumulus iste sit testis inter me & te hodie.* Et neget Sanctesius vllos esse tropos in fœderibus?

LXXXVIII. Vndecimum argumentum ab institutione Sacramentorum. Ex Bellarmino Baptista breuiator. Sacramenta à Deo institui solent propriis & non metaphoricis verbis: primo ne erretur in eorum vsu: secundo, quia id patet ex Sacramentis antiquis: tertio ex Baptismi institutione, vel potius promulgatione, aut præcepto, Ioannis tertio. At per hæc verba, *Hoc est corpus meum*, instituitur Sacramentum, vt omnes fatentur. Ergo ea verba non sunt figurata. Modeste, solere Deum, sed Stapletonus audacior. A ratione Sacramenti, inquit, quod hîc instituitur, cuius verba Sacramentalia proprie & perspicue efferri debent, non obscure, & figuratiue. Nota, debent. Tholosanus dialogi 8. partit. 2. Nullum Sacramentum inuenietur, vel in veteri lege, institutũ per tropos, & figuras: sed verbis clarissimis, facillimis, familiarissimis: vt vel maxime rudes, quorum longe maior est numerus, possint absque labore intelligere, quid sit accipiendum, & quomodo. Vasques quæst. 75. c. 6. Nullam legimus Sacramenti institutionem in Nouo aut etiam in Veteri Testamento per figuras, & tropos, sed propriis verbis populo traditam; vt inductione facile constare potest.

LXXXIX. Inductionem hanc habes apud Bellarminum, Genes. 17. vbi instituitur Circuncisio, & Exodi 12. vbi instituitur Agnus Paschalis, & in toto Leuitico, vbi tot sacrificia, & expiationes institũuntur, vix vnquam occurrit, vna aliqua vox figurata. Sic etiam Matth. vlt. Marci. vlt. & Ioan. 3. vbi de Baptismi institututione agitur, omnia propriis vocibus explicantur.

XC. Respondeo, institutionem Sacramenti constare duabus maxime partibus; nempe ritu externo, & promissione spirituali, quæ continet vim & efficaciam Sacramenti; quam Theologi solent appellare rem. Ab his partibus non distinctis tota est efficacia Sophismatis. Institutionem externi ritus fatemur debere esse apertissimam, fortasse etiam verbis propriissimis conceptam, & rationem esse non malam, ne erretur in vsu. Quanquam opponi possit Circuncisio, in qua caro tam crebro sumitur pro particula carnis.

XCI. Veruntamen agnoscimus Eucharistiæ contigisse, vt eius verbis nihil possit excogitare non tantum clarius, sed ne quidem magis proprium; quod ad hanc partem attinet, *Accepit panem, benedixit, fregit, dedit discipulis, dicens. Accipite, edite: Hoc facite in mei commemorationem.* Hic vero nemo non tantum Papistarum, quod genus hominum retinentissimum est proprietatis, sed ne nostrorum quidem, vllum tropum somniauit. Nisi forte de Papistis non verum dixi, qui illud *Bibite omnes* tam immaniter figuratum volunt, vt significet, nemo bibat præter vnum homuncionem. Sed apud nos certe docet vsus ipse, quæcunque sunt externi ritus partes, eas κατὰ τὸ ῥητὸν & intelligi, & vsurpari.

XCII. Sed hæc pars nihil ad hanc rem nostram, *Quoniam verba, Hoc est corpus meum*; nullam partem efficiunt externæ ceremoniæ; de qua quæcunque existimauimus disputanda libris sunt præcedentibus pertractata. Nempe igitur ea pertinent ad rem internam. Quod enim habet externum, & visibile corpus Christi?

XCIII. Transeo igitur ad alteram partem, quæ est in promissione continente rem spiritualem Sacramenti. Negant vllum Sacramentum institutum verbis figuratis. Potuisse fieri, si dicerent, non pugnarem. Nam in instituenda Iride, dictum esse, signum fœderis, quæ phrasis mire propria est, & potuit in aliis omnibus eodem iure vsurpari. Sed nos de facto disputamus. Itaq; in ea negatione nihil videmus præter immanem impudentiam, quam imus confutatum decursis inductionis nostræ capitibus.

XCIV. Primum exemplum est Circuncisionis. Fidem vestram auditores, in Circuncisione nullam esse figuratam voculam! Estisne assensuri tam temere effutienti Sophistæ? Quid hoc est igitur? *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, atque inter semen tuum post te; vt circuncidatur in vobis omnis masculus.* Notate, *Hoc*, id est, vt circuncidatur omnis masculus, est pactum meum. Atqui paulo ante, *Statuam pactum meum, inter me & te, interque semen tuum post te in generationibus suis fœdere perpetuo, vt sim tibi in Deum, & semini tuo post te.* En tibi pactum Dei. Nihilne discriminis inter hæc, *Ero Deus tuus. & circundetur omnis masculus?* Nisi forte in Ismaelitis etiam confirmatum fuerit fœdus Dei. Sed & paulo post, *Circuncidetis carnem præputij vestri, eritque signum pacti inter me & vos.* En quod paulo ante pactum est dictum, nunc dictum signum pacti. Et nullam hic figuram sumus agnituri?

XCV. Alterum exemplum Agni Paschalis. Quid ergo hic? Nullane figura? Certe nulla, qua parte describuntur omnes ritus externi: quibus nunc nihil est quod hæreamus diutius. Sed nihil esse omnino troporum; impudentia potuit enuntiare: sed impudentiam retundet veritas. Et sane quid tanti momenti Sophistæ agitabant animo, vt auerterent oculos ab iis verbis, quæ formam continent huius Sacramenti, *Pesach est Iehoua*, siue, vt editio habet Latina, *Est enim Phase, id est transitus Domini?* Et statim interpretãdo, *Et transibo*: siue, vt vertit Pagninus, *Nam transibo per terram Ægypti nocte ista. Erit autem sanguis vobis in signum, in ædibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos,* ופסחתי עליכם *nec erit in vobis plaga dissperdens.* Est igitur Pascha, transitus: sed non quilibet, verum hic transitus Domini, Quomodo est: Pererius disput. 8. in id caput, *Ego crediderim, in prima celebratione Phase Hebræorum in Ægypto, fuisse principaliter significatum transitum Angeli per domos Hebræorum nihil eis nocendo.* Fuit ergo hæc ceremonia transitus Domini significando. Carthusianus, *Agnus iste Paschalis seu manducatio eius, vel Paschalis ista celebritas transitus Domini appellatur, vel transitum eius designat.* Et paulo post, *Paschalis ille agnus & ejus sic transitus Dei fuit.* Omnino: sed si sic, id est significando, nunquam absque tropo. Quid iuuat ergo impudentem esse?

XCVI. Tertio loco sacrificia sunt ex Leuitico: hic ille, vix vnquam inuenitur aliqua vox figurata. Noua religiosaque modestia: quæ non audet negare præcise. Sed cui vsui? Nam etsi vix: tamen si occurrat, sufficeret ad caulam quam disputamus. Occurrere autem, quis negabit qui legerit subinde in Leuitico, *Odorem quietis Iehoua.* siue vt habet Latino editio, *Oblationem suauissimi odoris Domino?* Nam hæc phrasis manifeste pertinet ad efficaciam sacrificii apud Deum; cui tamen odor proprie nullus est, maxime ex fumis. Itaque significat quod expressit paraphrasis Chaldaica, *Oblatio est quæ suscipitur cum beneplacito à Domino:* sed habita ratione similitudinis: quoniam & ex fumo odor est, & ex odore suaui delectatio apud homines: quorum est auersari tetrũ. Itaque plane metaphora est. Quid, quod in expiatoriis, nomen ipsum peccati tribuitur hostiæ? Leuitici 4. חטאת הקהל: Latina editio reddidit, *Quia est pro peccato multitudinis:* sed ad verbum ἁμαρτία συναγωγῆς ἐστι, vt reddiderunt Septuaginta, *Peccatum congregationis illud est*, cuius sensum expressit Pagninus; *Oblatio pro peccato congregationis est.* Vnde phrasis Leuitici 10. *Comedere peccatum*: id est, vt in Editione Latina, *comedere hostiam pro peccato.* Vim autem discе ab ipsis Papistis: qui hinc exponunt Paulum, qui, posterioris ad Corinthios 5. dixit Christum factum esse peccatum: nempe quia pro hominũ genere proprio sanguine litarit, vt loquitur Iustinianus in explanatione, vel in paraphrasi, quia nostrum omnium scelera sua morte expiarit. Vident autem omnes cordati, non potuisse vllam hostiam dici proprie peccatum cuiusquam, sed tantum figurate.

XCVII. Baptismi quartum erat exemplum. Itane sine tropo est institutio Baptismi? Atqui Ioannis tertio, *Nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu*: vbi etsi non sit proprie prima institutio, tamen exprimitur eius efficacia, vnde postea appellatum lauacrum regenerationis. Obsistit Bellarminus, primo, ibidem explicari metaphoram renascendi addendo, *Ex aqua & Spiritu*: deinde non pertinere vocem illam ad essentiam Sacramenti, sed ad effectum significandum. Egregie: quasi eo minus sit metaphora, quod explicetur, quasi quis diceret Phase non esse vocem Hebræam; quia subiecerit explicationem Latinus interpres, *id est transitus.* Similiter Salem desiisse Hebraicum esse, quia Paulus ad Hebræos 7. sit interpretatus pacem, & alia nonnulla itidem. Quasi fermentum non sit metaphoricum, quia Christus hypocrisin exposuerit. Denique quasi parabola sementis non fuerit parabola, quia Christus eam Apostolis elucidarit. Nos igitur contra, si sit metaphora explicata, ergo esse metaphoram, ac proinde si hic locus pertineat ad institutionem Baptismi, vt non videntur nolle aduersarij, profecto necesse est Baptismi institutionem non esse absq; tropo. Sed non pertinet, aiunt, ad substantiam Baptismi. Hoc falsum, inquam: nam efficacia Sacramenti, pertinet ad eius substantiam, quia videlicet sit promissio, siue res significata, absque qua non potest esse Sacramentum vllum: imo à qua habet vt sit Sacramentum, quemadmodum lapis à distinctione agrorum habet vt sit terminus, & pater à generatione filij, vt sit pater.

XCVIII. Prolixe igitur mentiti sunt; primum qui morem Christi dicunt fuisse in instituendis Sacramentis, vt nullis vteretur figuris verborum: Deinde, qui vllum negant inueniri Sacramentum sic institutum: tertio qui etiam debere dixerunt institui absque vllis figuris. Vt videlicet identidem obseruent lectores, nunquam deesse aduersariis impudentiam comitem; quæ sua violentia disputationes firmet, quas non potest ratio stabilire. Adeo intutum est cum eis in tenebris micare.

XCIX. Duodecimum argumentum. Alfonsus de Castro. Si ad hunc modum liceat Scripturas exponere, vel potius alienare aut deprauare, inexhausta suggeretur suscitãdarum hæreseon materia. Omnis etiam auferatur gladius, quo hæreticus configi possit. Nulla scriptura erit, quæ non pari facilitate possit corrumpi. Multum quidem hoc nouo tropo exsultarent olim Cerdonitæ, & Manichæi, & quisquis negauit Christum verum corpus habuisse, verumq; hominem fuisse. Nec minus hac noua expositione gauderent Arriani, Eunomiani, Aeriani, ac cæteri omnes qui negarunt Christum esse Deum. Nam omnia quæ illis repugnare viderentur, facile sibi conciliarent exponendo verbũ *est* per significat, vt si dicatur, *Deus erat Verbũ*, id est, figura quædam Deitatis fuit Verbum. Et illud, *Verbũ caro factũ est*, quædã carnis figura: aut sic, Verbũ carnẽ per quandam figurã significat. At quis Orthodox tales ac tam inuitas, tã distortas, tamq; à litera alienas expositiones patiatur.

C. Non assequor vim argumenti. An hoc vis Alfonse; quicunque admittat vllum tropum in Scripturis, eum, & nominatim hoc loco, præbere hæreticis ansam triumphi aduersus veritatem? Egebas Anticyra patria, potius quam Zimora, Alphonse, qui tam à bona mente aliena effutias. Imo tibi ipsi tam contraria. Nam tu statim, & continuato contextu disputas contra Oecolampadium, & concedens sæpenumero Scripturas Sacras vti figuris & tropis: & negans ex eo quod sæpe vtantur, colligendum omnem Scripturæ locutionem esse figuratam. Egregie. Sed quo factum dicam te non vidisse, insulse, imperite, intemperanter dici, si his in verbis Eucharisticis tropus deprehendatur, & quidem in verbo *est*. Ergo vbique idem verbum tropice poni? Quid hoc monstri est? Ex eo quod

alibi

alibi tropo quodam Scriptura sit vsa, negas bene colligere Oecolampadium, nunc etiam figuratam esse locutionem: nam ita repetisti, vt ne ignoraremus ea te subtilitate delectari: & omnem nihilominus spem præcidis refutandorum qui si, *Hoc est corpus meum*, sit, hoc est figura corporis mei, inferant. Ergo Deus erat Verbum, idem est, ac Deus erat figura Verbi.

CI. Modestius alii; & cautius Panigarolla. Si cuilibet liberum erit adhærere, vel non adhærere literæ, profecto Arrius literam tantummodo sequetur, qua dicitur, *Pater maior me est*, Manichæus ad literam exponet, *Quotquot ante me venerunt, fures sunt, & latrones.* Contra, *Creauit Deus cælum & terram*, figurata esse verba philosophus affirmabit: & *plantauit paradisum.* Origenes dicet esse metaphoram anceps in vtramque partem; & recte docens neque semper figuras esse consectandas, neque omnibus locis literam tenendam

CII. Roffensis, libri 2. cap.6. tunc esse periculum ne semel euertamus omnia, quæ sunt fidei, si tropos admittamus vbi nulla nos adigit scripturæ circumstantia; quanto magis vbi ipsa repugnat? Salmero tractat. 17. Plerumque hæresis manifesta incurritur, si figurate, & per tropum dictum, proprie interpretari velimus: aut è conuerso proprie pronuntiata ad tropicam locutionem detorquere. Recte sane: recte isti: & rectius scripsisset Panigarolla si ab istis potuisset aliquid discere. Quod si hos dedignaretur magistros, saltem ab Augustino audisset libri 3. de Doctrina cap.5. *Cauendum est, ne figuratam locutionem ad literam accipias. Cum enim figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur.* Et, *ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere* Satisfaciunt ista nobis; admittentibus libenter has regulas. Ne quis figurata interpretator ad literam: Ne quis ad literam dicta detorqueto in figuras. Ne quis tropum quærito, vbi nulla cogit circunstantia. Has si nos migremus regulas, siue hic siue vsquam alibi; non recusamus, quominus de nobis Papistæ male sentiant, male dicant.

CIII Decimum tertium argumentum Sanctesii. Augustinus monet spectandum finem Scripturæ de qua dubitatur; An propria, an figurata sit. Nam si fidem ædificat, & Ecclesiam exhilarat in spem diuinæ dilectionis, & hæreditatis æternæ, eius proprietas retinenda prorsus est, & amplectenda. At historia & descriptio Cœnæ finem institutionis, innuit esse commendationem caritatis, qua Christus toto vitæ cursu, & in morte dilexit nos: memoriam mirabilium operum eius, & beneficiorum, quibus affecit genus humanum: remissionem peccatorum, quam in rerum oblatarum perceptione proponit & promittit: intimam denique cum Christo & Deo nostri coniunctionem An plura, an potiora excogitari possunt, ad confirmandam aliquam in sua proprietate Scripturam? Syllogismus. Quæcunque Scriptura ædificat fidem, & Ecclesiam exhilarat, ea est ad literam interpretanda: At institutio Cœnæ ædificat fidem, & Ecclesiam exhilarat: Ergo non nisi ad literam interpretanda.

CIV. Respondeo, non fuisse quod integrum caput insumeret Sanctesius in siue probanda siue amplificanda minore. Nam ab Eucharistiæ institutione nos ipsi plenam deducimus consolationem, & eruditionem: propter illam ipsam commendationem caritatis: & mirabilium operum beneficiorumque memoriam; & remissionem peccatorum, & intimam coniunctionem nostri cum Christo vero homine, veroque Deo: Anathema, quicunque non hæc confiteatur. Neque veremur vt hoc Papistæ quoties opus erit aut constantius profiteantur; aut ardentius meditentur, aut religiosius sentiant, quam nos & profitemur, & meditamur, & sentimus.

CV. Sed maiorem non possumus æque concedere. Nam si verum, omnem Scripturam quæ fidem ædificet, Ecclesiamque exhilaret, esse penitus literalem: Ergo nulla Scriptura vel tantillum tropica fidem ædificabit, Ecclesiam exhilarabit. Vnde futurum vt innumerabilia nobis pereant, tanquam inutilia: cum tamen Paulo disertum sit, ad Romanos 15. *Quæ ante scripta sunt; ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per tolerantiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Sed & exempla præscribunt; Ioannis 15. *Ego sum vitis: pater meus agricola, vos palmites:* omnia tropica. Quanti ponderis, Viderit Sanctesius: certe recentior Maldonatus, *Nihil poterat discipulis ad mortem discedens dicere magis necessarium: quam ne se vnquam ab ipso, id est, ab eius fide, ac dilectione auelli paterentur.*

CVI. Sed ne multis immorer in re breuicula; quæcunque Sanctesius memorat ad extollendam consolationem; prodeuntem ex suo sensu literali; & nos itidem agnoscimus in sensu nostro figurato: cui nullus finis est quicquam minuere de efficacia Sacramenti. Nam etsi Baptismus non dicatur quenquam regenerare, nisi per tropum, tamen persuasissimum est nobis, fideles vere ac re ipsa & in eo & per eum renasci spiritualiter. Rursus, mundare à peccatis, nunquam proprie potuit aquæ, ne consecratæ quidem competere: & tamen in Baptismo verum est ablui Ecclesiam. Cur non ergo similiter, etsi panis non sit ad literam corpus Christi, tamen vere in eo accipiamus corpus Christi; & inde obtineamus quicquid est consolationis? Quare nullum hoc argumentum est aduersus tropum.

CVII. Denique dicimus ex falso sensu nullam posse educi consolationem solidam. Nam impostura nihil vnquam habet solidi: quanquam alioqui & qui imposturam faciunt, mira polliceantur, & qui patiuntur mira credant. Quis enim dubitat Marcum illum Magum celebrem ex relatione Irenæi cap.9. lib.1. non miros affectus mouisse in cordibus suorum, cum ostentaret non locutionis propriæ sonum, sed multo vehementius visibile experimentum, atque adeo sanguinem ipsum oculis omnium apparentem in calice à se benedicto? Dicant qui apud Maximini fanum in Prouincia quotannis similiter ostentant eam quam vocant sanctam ampullam, totam sanguine rubentem. Videlicet idololatria suos habet frequentes effectus similes pietati: sed tantum similes: at non eosdem, quomodo fulgorem emittit orichalcum non absimilem auro.

CVIII. Decimum quartum argumentum Suaris sect.3. disput.45. Sermo metaphoricus vsurpari consueuit, vel gratia occultandi sermonem, vel quando aliquis pro concione loquitur, gratia amplificandi, seu delectandi: non autem in communi seu familiari sermone: vbi simpliciter inter amicos, de rebus agitur, vel inter magistrum, & discipulos, vel quando aliquis vult alios instruere, & intelligi cupit. In hoc autem sermone hæ circunstantiæ seruatæ sunt. Agebat enim familiariter cum discipulis suis, & eos instituebat, vt Ecclesiæ essent magistri, & cum iamiam ab eis discessurus esset, testamentum condebat. Loquebatur ergo simpliciter & proprie; ita vt facile posset intelligi. Contraho. Quicunque vtitur sermone metaphorico, is vel occultat sermonem: vel in concione amplificat, aut delectat: non autem instruit, loquiturve inter familiares. At Christus instruebat, loquebaturque inter familiares: neque occultabat sermonem, aut amplificabat, aut delectabat. Ergo non est vsus sermone metaphorico.

CIX. Respondeo; negari maiorem. Etenim sermonis metaphorici vsum esse etiam alias: & nominatim inter familiares: & inter instruendum: etiam discipulos. Argumenta sunt infinita: sed ne longius abeam: sermonem illum de manducanda carne sua, bibendoque sanguine; satis prolixum; nemo negat habitum esse à Christo inter familiares, atq; adeo discipulos & instruendi causa. Estne igitur in eo nullis metaphoris vsus? Imo duas eius partes faciunt aduersarii hodie. Priorem in qua concedunt agi de manducatione spirituali. Ergo inquam metaphorice: nam nullus cibus spiritualis, nulla manducatio spiritualis proprie dicitur. Ergo, inquam, saltem hoc exemplo constat maiorem esse falsam. Quid autem de secunda parte censendum? Viderint aduersarii. Sed Augustinus ἀλληγορικῶς καὶ τροπικῶς asseruit figuratum esse sermonem: quod & plerique Papistarum concessere. Quid ergo mentis erat Suari?

CX. Denique dico breuiter: esse quidem vsum aliquem sermonis metaphorici in obscurando, in amplificando, in delectando. Cur non enim? cum sit communis etiam proprio? Sed nullum alium esse: hoc vero primus Suares induxit in animum somniare. Alioquin, quid egit Dominus cum dixit se esse vitem, Patrem vero agricolam, discipulos palmites. Nolebat videlicet intelligi à suis: non agebat cum discipulis, sed Romæ orabat ad rostra & aucupabatur auram popularem. Apage affanias. Ille vero cum discipulis suis duodecim agebat: & instituendos susceperat: & tunc maxime, quod noluit omissum Suares, dixit amicos. In ea, inquam, concione, in qua metaphorice se vitem, pronuntiauit, *Vos dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Quare Suares immane mentitus est.

CAP. XVI.

De terminis disparatis in enuntiatione affirmatiua.

I. Speramus bona fide à nobis decursa cuncta Papistarum argumenta aduersus Sacramentalis enuntiationis tropum. Nunc erunt nostra vicissim inquirenda contra proprietatem. Quorum hoc est primum. Nulla enuntiatio propria, disparatum de disparato enuntiat affirmatiue. At hæc enuntiatio, *Hoc est corpus meum*, enuntiat affirmatiue disparatum de disparato: Ergo non potest esse propria. Est autem necessario vel propria vel figurata: non enim datur tertia Quare necessario sequitur, vt sit figurata, siue tropica. Quod nolunt aduersarii.

II. Maiorem momordit vnus omnium quem viderim Sebastianus Michaelis responsionis 2. ad Gigordum cap.12. prolato exemplo opposito ex vnione hypostatica Christi. Hæc inquit propositio, *Homo est Deus*, item *Deus est homo*, tam vera est & propria, & naturalis, vt nulla magis. Et tamen Deitas, & Humanitas sunt substantiæ, naturæque disparatæ

III. Respondeo, negari his propositionibus enuntiari disparatum de disparato. Imo inquit, Humanitas, & Deitas disparatæ sunt Recte, inquam: sed ineptus Sophista abit in aliam quæstionem. Nam *Deus est Homo*, non significat Humanitatem esse Deitatem, aut contra: quod nullus vnquam sanus Theologus est ausus eloqui: cum illud omnes Catholici diligenter disputarint aduersus hæreticos.

IV. Quomodo autem Homo dicatur Deus explicat Thomas part. 3. quæst.16 art.1. Nimirum hæc vocabula vsurpari vel concrete, vel abstracte, *Nomen*, inquit, *significans naturam communem in concreto potest supponere pro quolibet contentorum sub natura communi: sicut hoc nomen, homo, potest supponere pro quolibet homine singulari. Et ita hoc nomen, Deus, ex ipso modo suæ significationis potest supponere pro persona filii Dei. De quolibet autem supposito alicuius naturæ, potest vere & proprie prædicari nomen significans illam naturam in concreto: sicut de Socrate & Platone proprie & vere prædicatur homo. Quia ergo persona Filii Dei, pro qua supponit hoc nomen Deus, est suppositum naturæ humanæ vere, & proprie, hoc nomen homo potest prædicari de hoc nomine Deus, secundum quod supponit pro persona filii Dei.* Caietanus in eum locum, *Homo prædicatur de Deo, sicut species de sua hypostasi* Idem Thomas art. 2. *Hoc nomen, homo, potest supponere, pro qualibet hypostasi humanæ naturæ: & ita potest supponere pro persona filii Dei, quam dicimus esse hypostasin humanæ naturæ. Manifestum est autem quod de persona Filii Dei vere & proprie prædicatur hoc nomen, Deus.*

V. Itaque imperite Sebastianus dixit in his enuntiationibus disparata esse Dei & hominis nomina: quandoquidem non ferat vsus communis, vt disparentur species & hypostasis. Quæ ratio aliena est à Deitate, & humanitate. Cum ista nomina neque speciem designent, neque hypostasin, cum sint abstracta. Itaque etsi rem eandem significent, cum Deo & homine; tamen alia notione: vt in homine corpus & anima; corporeus & animatus. Recte enim dicas corpus esse animatum: & animam corporatam: minime autem corpus esse animam: aut animam corpus. Quare nihil hinc periculi fuit nostræ propositioni maiori.

VI. Et quia fulciebatur hæc maior plurimis exemplis è Scriptura petitis; quæ & nos alias collegimus; ille perfricans frontem cap. seq. *Negaui*, inquit, *in vniuersa Scriptura, vnam substantiam de altera prædicari per verbum, est, excepto gemino casu: vno, vt altera mutetur in alteram vt aqua in vinum: altero, vt eodem loco subiiciatur statim interpretatio.* Deinde, cum obiiciuntur, *Circuncisio est fœdus*, & si quid simile; respondet, Circuncisionem non esse substantiam, sed actionem: esse vero longum discrimen inter actiones & substantias. Substantias esse naturas & essentias: Actiones esse accidentia. Rursus Deum solum esse creatorem & conseruatorem substantiarum: at non actionum: cum hæ fiant motu creaturarum sub Dei prouidentia: denique esse actiones quasdam quibus Deus nullo modo cooperetur, imo prohibeat potius: itaque earum authores fiat ipsi homines: qui tamen substantiarum non sint, neque in esse, neque in conseruari. Redigam in methodum. Termini disparati prædicantur vel extra Scripturam, vel in Scriptura. Et in

Scriptura sunt vel Actiones vel Substantiæ. De disparatis extra Scripturam nihil agit. De Actionibus in Scriptura concedit disparatas prædicari de disparatis. At substantias negat, nisi illo alterutro casu.

VII. Noua mysteria, sed ex intemperie vehementis impudentiæ. In stem primæ distinctioni? Certe etsi negandum suas interdum esse Scripturæ phrases; tamen non toto genere discrepantes: sed vt in omnibus scientiis obseruari solet; quoties saltem non affectatur obscuritas, vt ex comparatione vsus communis, etiam quæ noue dicuntur, intelligi queant. Et sane Deus in erudiendo humano generi attemperauit se eius captui. Itaque non neglexit, generalia componendi sermonis axiomata. Atque omnino ita necesse fuit. Nam, quia sermo signum est συνθέσιν vim suam obtinens ex quodam quasi commercio: certe si omnino sit extra commercium positus; nullam ille vim obtinere poterit; vt plane barbarus. Itaque eandem rationem esse oportet sermonis figurati in Scripturis, & extra Scripturas. Sed concedamus tamen recens religioso Sophistæ, vt agatur de stylo sacro. Nam & nos non nisi ex eo colligimus exempla, quibus eum obruamus.

VIII. Actiones à substantiis distare non erat quod quisquam doceret, rem adeo tritam, & vbique obuiam. Sed vel omissam oportuit, vel demonstratum discrimen esse in hoc prædicationis vsu. Nam si sufficiat distinguere, cur non notauit substantiarum alias esse inanimes, alias animatas: & harum alias mares, alias fœminas? Scilicet hoc verum, etsi alias latum sit discrimen, nihilominus eadem ob causas disparari, & eadem ratione venire in vsum proprii figurative sermonis.

IX. Sed enim negat Substantias prædicari de substantiis disparatis in Scriptura. Egregie sane. Sed quomodo? Ratione sui, an nominum suorum? Nam illud cur negauit? Nemo enim, opinor, asseruit. Et sane prædicatio non rerum est, sed verborum, quæ proprie sunt non substantiæ, sed substantiarum nomina. Enimvero substantiæ ipsæ per se nunquam nisi proprie cogitari possunt, nempe secundum suam definitionem: itaque nunquam figurate. Imo ne actiones quidem, quas tamen Sophista non negat prædicari disparatas de disparatis.

X. Iam vero ratione nominum prædicari substantias de substantiis disparatis, æque ac actiones, impudenter est negatum. Nam qui dixit Herodem esse vulpem, profecto duarum substantiarum dixit nomina, & quidem disparatarum. Homo enim, & quadrupes brutum, nisi me sensus communis fallit, substantiæ sunt, & quidem disparatæ. Sed alterius nomen Vulpes prædicatur de altero nomine Herodes. Veruntamen, quia nomina signa sunt rerum: & signa solent pro suis rebus accipi, vt lapis nomen haud aliter attenditur, quam si ipsa rei substantia offerretur oculis spectanda, manibus tractanda: inde vsus obtinuit, vt cum nomina prædicentur, prædicari substantias dicamus. Itaque dictum Theodoreto, permutata fuisse nomina corporis & panis. Et Augustino Epistola 19. *Istos dies secundum illorum similitudinem nuncupamus, vt dicatur ipse dies, qui non est ipse: sed reuolutione temporis similis eius.*

XI. Huius igitur modi crebras esse prædicationes in Scripturis, mirum est cuiquam venire potuisse in mentem vt negaret. Obiiciebantur exempla. Circumcisio est pactum: & Ezechielis 37. *Ossa ista vniuersa domus Israel sunt.* Respondit Sophista: Circuncisionem esse actionem: nam substantiam esse ipsum præputium. Ossa autem illa retulisse Israelem non in sua substantia, sed in actione: id est quatenus iubente Deo pelle fuerunt obducti, neruisque & carne: ac quatenus steterunt.

XII. Vt subtilis est! Sed frustra. Nam hæc exempla in iis sunt, cum permutantur nomina signorum & rerum. Itaque interpretanda ex signorum natura. Atqui ita est: vt nulla res signum esse possit simpliciter sumpta quatenus ea res est. Oportet enim determinari per aliquid ad significandum. Breuiter, significatio genus est relationis. In omni relatione, termini sunt, & fundamentum relationis: vt termini Pater & Filius: vterque homo: sed non relate tamen quatenus homo, sed propter generationem, in illo actiuam: in hoc passiuam. Et tamen non hæc generatio dicitur relata: sed ii termini, id est ea substantiæ, quibus adest ea generatio. Sic Termes, lapis est sic positus. Hic situs non est substantia: sed accedens ad substantiam: & ratio est termini: & tamen non situs hic, termes est: sed lapis cui accedit. Sic expedita subtilitas. Non nego ossa esse domum Israelis propter obductionem pellis: sed ipsa ossa non fuisse ecclesiam domum Israelis, prorsus negatur. Etenim ipsa hæc domus Israelis, non nominata simpliciter, quatenus domus Israelis: sed quatenus restituenda ex miserrimo captiuitatis statu. Quid ergo ô Sophista? Placetne ipsam domum Israelis, non significari; non nominari à Propheta? Nec tu sanus, si dicas: & nos insani si crediderimus. Ad eum modum Circuncisio; designat præputium sed recisum: id est sic determinatum ad significandum fœtus.

XIII. Pergo ad alia. Concedit substantias de substantiis aliquando prædicari: sed tantum vel mutatas, vel statim explicatas. Arqui oppositum constat; vel hoc ipso exemplo, ossium, quæ dicuntur esse domus Israel. Nam ossa, vt diximus, erant substantia quædam: & domus Israelis substantia quædam: & hæ substantiæ valde disparatæ: tamen differre, *Ossa hæc vniuersa domus Israel est:* En tibi substantiam prædicatam de substantia per verbum est. Dic Sophista, fuerunt tunc illa ossa mutata in domum Israelis? Fuitne additum aliquid à Propheta; quo hæc enuntiatio explicaretur?

XIV. Par exemplum Genes. 41. septem vaccæ, septem anni sunt. An quia illæ transubstantiatæ in annos? Tu respondes, *Textum intuere: & inuenies id fuisse à Iosepho explicatum, quod Pharao non intelligeret.* Explicatum ais? Quidnam? Septem annos futuros sterilitatis; totique fertilitatis. Quo abis, impostor? Nam hoc profecto non quæritur: sed de hac phrasi, septem vaccæ sunt septem illi futuri siue fertilitatis, siue sterilitatis anni. Hoc inquam quæritur, verum à Propheta sit statim additum, quod enuntiationis genus esset illud, quum per verbum est prædicaretur substantia de substantia. At tu hoc non ostendis. Sed mones, prædictos annos fuisse: quasi quisquam nesciret. Sed hoc quid ad rem? Nam æque descriptæ sunt vaccæ septem, aliæ macilentæ, pingues aliæ: & his illæ succedentes. Sed non magis hæc descriptio, quam illa prædictio pertinet ad genus enuntiationis.

Quomodo in Eucharistia, primo ostentatus est panis; deinde explicatus esse corpus Christi: etsi non declaratum tropicene an proprie.

CAP. XVII.

Est *non poni pro* Futurum esse, *aut fieri, mutarive.*

I. SIc nugabatur Sebastianus Michaelis. Apud alios, solutionem argumenti propositi directam, & vt loquuntur scholæ, in forma fateor nondum vllam occurrisse. Veruntamen certum est, hanc illis Gorgonem oculis oppositam, coegisse ad tantum tamque varium laborem interpretandi. Nam sine dubio magnus hic interpretationum numerus ex pertinebat, vt aliquod remedium inueniretur huic incommodo. Id patet ex eo, quod plerique omnes de iis interpretationibus agunt sub titulo quæstionis de Veritate huius enuntiationis. Quare spero non facturum me præterrem, aut iniuriose in Papistas, si huc retulero examen omnium sententiarum, quæ fuere in statu quæstionis duntaxat indicatæ, non etiam iudicatæ. Et quanquam tam multus, non possit leuis esse compingendi in ordinem labor, tamen conabor, ne tanquam scopæ dissolutæ proferantur in medium.

II. Duo sunt sentientium ordines; alii enim, *Hoc*, concedunt designare substantiam panis: alii negant. Qui concedunt rursus in duos à me distinguentur. Quorum primus necesse habet distinguere enuntiationis rationem: vel per præsens, vel per futurum. Aliter enim dici de congerie lapidum, hi lapides sunt domus mea, aliter autem, hi lapides erunt domus mea. De præsenti ergo maiorem concedunt, negant minorem: at de futuro contra, negant maiorem minorem concedunt.

III. Huc refero, quicunque interpretantur, Hoc erit corpus meum: & qui hoc, fit, siue fiet, siue mutatur, aut mutabitur; siue transubstantiatus in corpus meum: siue, Hoc est, vel proxime futurum est. Denique vno verbo, quicunque totam propositionem non esse substantiue, sed transitiue interpretandam; vt monet Suarez. Et qui propositionem nude & ex verborum consideratam concesserunt esse falsam: ex intentione tamen proferentis habuisse veritatem: vtpote referentis significationem verbi *est* ad illud instans, in quo iam propositio non erat.

IV. Hæc vero commenta non sunt futura prolixe molesta. Nam primo, paucis quibusdam venerunt in mentem: sed longe pluribus displicuerunt. Et quidem Bellarminus inde captauit occasionem calumniandi Caluini, cap. 10. primi de Eucharistia, *Quod Caluinus scribit Catholicos, accidere Est pro transubstantiatur, qui est tropus omnibus gentibus inauditus mera calumnia est. Catholici enim dicunt quidem, colligi ex hac voce transubstantiationem: sed non dicunt, est poni pro transubstantiari. Nec solum hoc non dicunt, sed ne verisimiliter quidem id potest eis affingi, cum ipsi contendant pronomen Hoc non demonstrare panem, qui solus, eorum sententia, mutatur in corpus Christi.* Hactenus ille.

V. Sed suo more audacius, quam verius, & cupidius quam iustius occasiones affectans obtrectandi viro sancto. Nam primo falsum est omnes Papistas, quos ille Catholicos dicit, quomodo suos olim Donatistæ, non interpretari in pronomine *hoc*, panem. Audi Suarem sect. 7. disputat. 58. *Conclusimus, illo pronomine hoc, designasse Christum, id quod habebat in manibus, & discipulis tradebat. In quo Catholici omnes* (id est Papistæ) *conueniunt; dissentiunt tamen in explicando in particulari, quid illud sit, an substantia panis, an accidentia, an corpus Christi, an aliquid commune. Prima sententia est, pronomen hoc designare panem. Bonauentura, Occam, Holcot: etiam Valdenses. Secundus modus explicandi est, illud pronomen designare substantiam panis, non vt est in se, sed vt est conuersa in corpus Christi in termino prolationis verborum. Ita referunt antiqui Theologi. Tertius modus est, pronomen, hoc, designare substantiam panis: non vt panis est, sed vt hæc substantia, vel hoc ens.* Hæc Suarez, testis opinor non nullius fidei: vnde necesse est Bellarminum: vel turpiter ignorasse suæ religionis mysteria, vel certe malitiose dissimulasse in Caluini odium.

VI. Ex eo vide quantum sit eidem deferendum, neganti à suis, *Est* explicari, per transubstantiari. Certe constat aliquos interpretatos pro fieri, siue mutari: &, vt loquitur Suarez, transitiue, id est per transire. Quid hoc autem est, si non est transubstantiare? Nam & si fatear non omnia per transubstantiationem fieri, siue mutari, siue transire in aliud: tamen in hoc mysterio, nullam docent Papistæ, fiendi, (vt ita dicam cum Scholasticis) mutandi, transeundi rationem, præter transubstantiationem. Itaque velit nolit qui fieri dicit, aut mutari, aut transire, panem in corpus Christi, necessario dicit transubstantiari. Vt cum Psalmo 121. legimus, *In nomine Domini qui fecit cœlum & terram*: etsi gemina ratio sit faciendi, vnaque ex præparata iam prius materia; quomodo non homines tantum multa faciunt: sed & Deus plurima, vt cum fecit hominem ex terra: & Euam ex costa: alia cum ex nihilo; quæ creatio appellatur: tamen nemo Catholicus dubitauit, quin eo loco *fecit*, significet creauit; atque ita exponendum sit. Simili ratione, si apud Papistas, *Hoc est corpus meum*, significauit. Iquando, Hoc fit corpus meum; siue mutatur, siue transit in corpus meum. At fiendi, mutandi, transeundi in corpus Christi nulla sit alia ratio nisi per transubstantiationem: profecto necesse est Caluinum absolui. Nam si *Hoc est corpus meum*; significet, Hoc fit corpus meum: & hoc fit corpus meum, significet hoc transubstantiatur in corpus meum: velit nolit Bellarminus, Hoc est corpus meum, significabit Hoc transubstantiatur in corpus meum. Qui tropus est longe duriſſimus, quem Caluinus exagitabat.

VII. Sed ad rem redeo. Dominicus Soto artic. 5. quæst. 1. in distinct. 11. Quarti, *Bonauentura* inquit, *aut verbum est, accipi loco illius, quod est, fit, vt sit sensus hoc fit corpus meum. Hoc tamen salua auctoritate grauissimi doctoris, est nimium formam inuertere, aliter quam ea Christus vsus est. Item, cum conuersio fiat in instanti, non dici et exprimi per fieri sed per factum esse. Ad hæc distinctione nona, quæstione secunda, articulo vltimo ostendimus non esse concedendum, quod panis sit corpus, eo quod nullum manet subiectum vtrique extremo commune.* Paulo post, *Occam dicit pronomen demonstrare corpus, & ideo Est accipi pro Erit, puta, Hoc erit corpus meum: sed illa non est forma Christi: imo contraria phrasi illius: loquebatur enim vt homo dicens ad eo, Accipe hoc est per ix.*

VIII. Suarez disputat. 58. sectione 7. *Hæc opinio nullo modo à Catholicis sustinetur.*

lis sustinenda est; corrumpit enim propriam significationem verbi Est: quod si semel permittatur, nulla est vis in huiusmodi verbis ad probandam realem præsentiam corporis Christi. Vasques disputat. 201. cap. 1. *Si Verbum Est, idem esset, quod transit, aut conuertitur, non solum non esset conuersio panis in corpus Christi: sed etiam neque panis vllo modo deficeret; neque Christi corpus sub speciebus panis esset.* Gregorius de Valentia disputat. 6. quæst. 6. puncto 2. impugnans Bonauenturæ explicationem, *Hoc fit, sed contra est*, inquit, *quod nisi retineamus proprietatem in verbo Est, non habebimus præsidium in illa oratione ad probandum, quod per conuersionem hic fiat panis corpus ipsum Christi: sed oportet id aliunde pro certo supponere.*

IX. His argumentis illa nunc Papistis improbantur somnia: non veritatis amore; sed tantum in suæ transubstantiationis gratiam; quàm ornandam cum susceperint omnes, non est mirum varie a variis, quasi transformari: vt idem illi accidat, quod mulieribus obiecit festiuus poeta, *Dum molliuntur, dum comuntur annus est.* Sed nos, quibus ipsa transubstantiatio displicet, oportet sólidius.

X. Primum igitur: si dicas hoc erit, fit, mutatur, transit, transubstantiatur in corpus meum, id efficies, vt non significetur tunc sumi corpus Christi, cum tamen Paulus dixerit, panem esse communionem eius corporis. Nam qui vinum porrigens dixerit; Hoc vinum fiet sanguis; profecto non dicit sumi sanguinem: sic Matthæi 13. cum de grano sinapis dictum, *Quod acceptum homo seminauit in agro suo*; posteà subiicitur, καὶ γίνεται δένδρον, *Et fit arbor*: nullo tamen modo dici potest homo accepisse arborem: nisi forte potentia, quod neque Papistæ admiserint; neque nos perm ferimus.

XI. Secundo, negabis in his verbis esse formam huius Sacramenti. Nam omnem formam oportet præsentem esse. Etenim quæ futura est, nondum est: ac proinde ne forma quidem: sic, etsi semen futurum sit arbor, tamen arbor non est forma seminis: quia enim per formam res est id quod est, semen non esset semen, mira absurditate.

XII. Denique, figuram non sustuleris. Nam *Est* pro eo quod futurum sit, quodque mutetur, nulla est sermonis proprietas, sed tropus: familiaris ille quidem, & facilis: sed tamen tropus: sic enim congeriem lapidum adhuc confusam destinatam domui, esse domum dicimus: & pannum adhuc informe, vestem: nempe materiam dicentes pro materiato: & materiam quidem talem, quæ formam non habeat eius quod dicitur, ac proinde nequeat esse id quod dicitur.

XIII. Nos igitur qui pro certo habemus hoc quod Christus demonstrabat vere dici, atque esse corpus eius, tum cum traditur, accipitur, editur; non possumus pati, tam temere peruerti & verba Christi, & vim Sacramenti, vt id quod traditur, accipitur, editur, futurum dicatur corpus Christi. Itaque aduersus primam solutionem confirmatum est argumentum. Nam concedunt illi maiorem: nos minorem stabiliuimus, confutata absurda interpretatione. Quare supereſt conclusio certa, & demonstrata.

CAP. XVIII.

Verum Hoc *nihil significet.*

I. QVi negat eo pronomine designari panem, ii maiorem syllogismi propositi concedunt simpliciter. Sic neque Gardinerus in obiecto decimo tertio partis primæ, ausus est negare: & Salmero tractat. 20. tomo 9. *Dicimus*, inquit, *argumentum à verbo illo substantiuo Est: cuius ingenium & natura est, vt quoties res diuersarum naturarum quæ Latinis dicuntur disparata, vnit & copulat; ibi necessario ad figuram, & tropum accurramus: vt cum Dominus ait, Ego sum lux mundi: Ego sum ostium: Ego sum vitis vera: & similiter cum dicitur petra, serpens, leo, agnus. Nam hæc cum sint diuersa natura ab illis, de homine non possunt prædicari, nisi metaphorice & figurate.* Sanctesius cap. 7. repetit. 7. *Negamus in Scripturis inueniri, panem esse corpus Christi. Negamus id vere & proprie dici posse, cum vna natura nequeat esse altera prorsus diuersa: & cum panis & corpus Christi assimari non debeant in eodem supposito residere: nec manentia in duobus distinctis possint de se inuicem dici.* De Bollo, *Si illud ipsum fuerat corpus suum, quomodo poterat esse panis? N si absurdissime dixeris illud vnum fuisse duo, vnamve substantiam esse aliam, aut duo substantialiter diuersa esse substantialiter vnum, nempe panem esse corpus Christi humanum, & vinum sanguinem, quod vt factu est impossibile, ita & refugit communis sensus.* Et aliquanto post, *Disparata, vt decretum est Logicis, nullo modo possunt de se mutuo prædicari.*

II. Concessa igitur maiore, vt non sit necesse prolixius confirmari, totus disputandi labor in minorem incumbet: quam negant strenue Sic Gardinerus dixit, *Falso assumitur illud, hominem communi sensu prædictum, secundum sensum literæ intellecturum ex verbis Christi, dixisse eum panem esse corpus: quia illud Hoc, quod est subiectum in verbis Christi, non æquipollet in sensu communi disparato: quasi istæ propositiones, Hoc est corpus: & petra erat Christus, essent similes. In hac enim Christus disparatum prædicatur de petra disparato, & ex duobus disparatis conficitur propositio, Petra erat Christus. In illa vero hoc est corpus meum, non sunt duo disparata.*

III. Itaque nos contra sic disputamus: quæcunque propositio panem asserit esse corpus Christi, eadem de disparato disparatum enuntiat. At hæc quam habemus præ manibus enuntiat panem esse corpus Christi. Ergo disparatum de disparato. Maior rursus negari nequit.

IV. Nam omnino disparata sunt panis & corpus Christi, geminam ob causam. Priorem, quia quæcunque sunt vel sub eodem genere species diuersæ αὐτοτελῶς, vt sub Ente est Substantia & Accidens: sub animali homo & brutum: vel sub speciebus, generibusve diuersis; vt homo sub substantia, color sub accidente: ea omnia sunt disparata. Itaque nemo potuit vnquam vere dicere, vllam substantiam esse accidens: vllum corpus esse Spiritum: vllum hominem esse brutum. Ratio est in promptu, eaque necessaria. Nam sub eodem genere species diuersæ necessario habent definitionem diuersam: itaque formam aliam, per quam sunt id quod sunt: vnde obuia argumentatio: Substantia est Ens per se subsistens: At Accidens non est Ens per se subsistens: Ergo Accidens non est substantia. Quæ autem sub generibus, speciebusve diuersis, eadem sui generis, suæve speciei differentiam suscipiunt. Itaque similiter dixeris; Substantia est Ens per se subsistens: At color non est Ens per se subsistens. Ergo color non est substantia? Nimirum quia minor probatur argumento ab Accidente sub quo color: Nullum accidens per se subsistit: At color est accidens: Ergo non subsistit per se.

V. Altera causa est, quoniam indiuidua cuncta eo ipso quod numero differant, siue sint diuersarum specierum siue eiusdem, sint disparata: vt Petrus, Paulus, Matthæus, quantumuis homines. Iulius, Octauius, Tiberius, etsi Imperatores: Laurus Delphica, Platanus, Academica, Quercus Dodonea, arbores: Hierusalem, Samaria, Hiericho, vrbes: Taurus, Caucasus, Athlas, montes. Nam si sunt sub diuersis speciebus, vt Petrus, Laurus, Delphica, Samaria, Caucasus; ratio disparationis est ab speciebus. Et multo fortius à generibus, si sint sub diuersis generibus. Sin autem sub eadem specie; ratio est ab ipso numero: neque enim fieri potest vt quæ duo sint, aut tria, eadem siat vnum.

VI. Porro in panem Eucharisticum, & corpus Christi, vtraque concurrit disparationis causa: Primum enim sunt indiuidua; non enim quilibet panis proponitur, sed hic, id est, non ille ipse quem Christus accepit & tradidit: sed quem exemplo Christi sumit in manus quotidie Sacerdos. Non sumi autem aut species, aut genera, per se manifestum. Sed ne esse quidem indiuidua eiusdem generis manifestum: nam panis animal non est: At corpus Christi animal. Si non eiusdem generis: Ergo multò minus speciei.

VII. Propositio igitur cum sit necessaria; necesse est minorem negari. Itaque Sanctesius, *Negamus in Scripturis inueniri, panem esse corpus Christi.* Videlicet pronomen, *Hoc* negant referre, siue demonstrare panem; resoluendumve esse in *Hunc panem. Sed*, inquit Gardinerus, *Verbum corpus, quod est disparatum prædicatur de Hoc pronomine, quod certa natura notam non exprimit in sensu communi.* At nos posuimus tam initio nostram omnium Catholicorum sententiam esse, eo pronomine designari panem illum ipsum quem Christus assumpsit: quem eius exemplo quilibet assumit Ecclesiæ pastor communionem hanc sacræ plebi impertiturus. Nunc igitur locus est hac de re disputandi, tum κατασκευαστικῶς tum ἀνασκευαστικῶς, vt & nostram expositionem confirmemus; & aduersariam, imò aduersarias (non enim vna est) euertamus. Sed has euertemus priore loco; vt sit inde præscriptio commoda veritati.

VIII. Quomodo ergo non prædicatur de pane corpus Christi? Eunt in diuersa. Nam alii nihil significari contendunt: alii concedunt aliquid. Sunto illi priores. Salmero, *In verbo quæ nos proferimus, pronomen illud nihil demonstrat.* Olim Glossator in caput *Timorem*, de Consecratione, dist. nct. 2. *Dico quod per hanc dictionem Hoc nihil demonstratur: nam ipsa materialiter ponitur ibi.* Innocentius tertius (à quo fontium principium) de mysteriis Missæ lib. 4. cap. 17. *Si opponatur de Sacerdote, quia tunc consecrat cum illa verba pronuntiat? Respondetur quod Sacerdos nihil demonstrat* Durandus confirmat, quæst. 2. distinct. 8 Quarti. Quibus Suares, & Gregorius de Valentia addunt Ockam, Ioannem Maiorem, Picum Mirandulanum, Catharinum.

IX. Ratio somnii: Innocentio, *Quum illis verbum vtatur enuntiatiue, sed recitatiue.* Salmero dixit, *Quia verba sunt potius recitantis, quam enuntiantis.* Vt sit syllogismus. Nulla verba recitantis quicquam significant. At hæc verba sunt Sacerdotis recitantis. Ergo nihil significant. Probat maiorem Salmero, *Cumquis aliquid absens, etiam præteritum recitat, nihil demonstrat: quia pronomen, vel aduerbium demonstrandi, nempe Ecce, rem præsentem requirit, nam absens vel præterita non est ad sensum demonstrabilis* Probat Durandus. Si proferrentur nunc alitsuo modo significatiue; aut proferret ea Sacerdos ex propria persona, aut vt gerens personam Christi. Si in propria persona, falsum diceret proferendo, Hoc est corpus meum: quia non est ibi corpus Sacerdotis sub speciebus panis & vini. Si autem in persona Christi, adhuc falsum diceretur in his quæ consequuntur formam consecrationis vini, quia dicitur ibi de sanguine Christi, qui pro vobis, & pro multis effunditur. Constat autem quod à nunc in posterum non effundetur. Restat ergo vt dicantur tantum recitatiue.

X. Hæc etiam displicuit Papistis sententia: sed varie. Nam alii vtrumque modum coniunxerunt; vt videlicet proferantur recitatiue simul & significatiue. Sic videtur Thomas, *Dicendum est*, inquit, *quod etiam quando proferuntur à Sacerdote significatiue, & non tantum materialiter sumuntur.* Soto similiter, ac pene totidem verbis. Suares, *Dico primo, nunc de facto Sacerdos ita profert verba consecrationis, vt referat, ac reciter, quid Christus dixerit. Dico secundo: Verba consecrationis, non tantum recitando, sed formaliter etiam significando proferuntur à Sacerdote.* Veteres laudat Bonauenturam, Ægidium, Alensem, Richardum, Paludanum, Capreolum, Ockam.

XI. Sed tertium seorsim ordinem Vasques fecit, disputat. 200. altero delecto extremo, *Mihi sane*, inquit, *prima opinio summopere displicuit eo quod semper iudicauerim nulla ratione negari posse, verba consecrationis significatiue à Sacerdote vsurpari.* Et post, *Cum duo illum dicendi modi recitatiue & significatiue ita inter se pugnent, vt in eandem vocem, aut orationem simul conuenire nequeant; secunda etiam opinio mihi neutiquam probari potuit.*

XII. Video naturam Sophistarum? Vt nodum in scirpo quærunt: vt se atque alios fatigant inutiliter: vt rebus inuoluendis operam impendunt? Atqui prima sententia primum inutilis: ideoque recte refutatur a Thoma atque aliis; quia nodum non soluat. Respondet enim non de institutione huius Sacramenti, sed tantum de quotidiana praxi post institutionem. Atqui quæstio eadem est, eadem difficultas, siue hæc verba considerentur in ore omnium Sacerdotum, siue in ore ipsius Domini nostri Iesu Christi. Certe autem si nihil significant in ore Sacerdotum, quia referuntur ab iis materialiter: saltem aliquid significarunt in ore Christi, qui si non pronuntiauit recitatiue siue materialiter, necessario pronuntiauit significatiue, & formaliter. Sufficit nobis aduersus omnes figurarum osores, dum Christus loquutus sit figurate: quod non refutatur hoc tam lepido Sophismate.

XIII. Secundo, si, *Hoc* nihil significat: Ergo sensus est, nihil est corpus meum: quæ omnium figurarum monstrosissima figura est: & vere nunquam visitata, nunquam audita. Quid ergo promotum, nisi vt tropus tropo substitutus sit, & quidem visitatissimo, facillimoque in auditus, & monstrosus? Sic cine sapiunt Papistæ? Et quidem iam conquesti serio de obscuritate figuræ, tropi, allegoriæ? Scilicet, obscurius est, Panis est corpus Christi, quam nihil est corpus Christi.

XIV. Tertio non tantum pronomen *Hoc* recita iue proferrur ; sed etiam tota enuntiatio : itaque si hæc causa est, vt pronomen nihil significet ; ne tota quidem oratio significabit quicquam, neque adeo tota institutio : & ita Sacerdos eam recitans dabit sine mente sonum ; nec differet ab insano graculorum strepitu : inde autem quid redibit ædificationis ad Ecclesiam.

XV. Quartam rationem suggerit Thomas, *Quia secundum hoc verba hæc non applicabuntur ad materiam corporalem præsentem*, addit Soto, *sed narrarentur tanquam demonstrantia panem illum quem Christus consecrauit: & ita non perficeretur Sacramentum in hoc nostro pane. Nam secundum Augustinum, nisi accedat verbum ad elementum non fit Sacramentum.* Bonum sane argumentum : etenim quotidie nouus panis assumitur, nouum vinum, quæ nunquam Christus assumpsit : itaque non possunt ab eo fuisse consecrata verbis tunc semel prolatis : alioquin Sacramenta essent vel in taberna pistoria. Quod si consecrentur quotidie nouis actibus : certe necesse est vt etiam hodie aliquid operentur ea verba consecrationis : itaque etiam vt significent : nam hæc est vnica verborum efficacia.

XVI. In oppositio Salmeronis argumento negatur maior. Nam certe verba recitantis, eo quod recitentur, non desinunt esse verba. At Augustinus iampridem præscripsit, verbis neminem vti nisi aliquid significandi causa. Et Aristoteles prior, esse signa conceptuum mentis. Quod si signa sint, necesse est aliquid significare. Quare maior non tantum eo est falsa, quod possit infirmari per affirmationem specialem : vt qui dicat nullum animal esse rationale, mentitur, quia aliquid saltem sit rationis particeps : sed multo amplius ; quia opposita *de omni* affirmatio est vera, Omnia verba recitantis aliquid significant : quomodo impudenter mentitur, qui nullum hominem dicit rationalem : cum tamen omnis homo sit rationalis.

XVII. Et sane si nulla recitantis verba quicquam significarent, Ergo non posset ex iis vllum duci argumentum ad quicquam probandum. Quod esse absurdissimum quis ignorat ? Nam exempla sunt vbique obuia : & potissimum in Theologia, quæ resoluitur in authoritatem diuinam. Itaque qui disputant, eosdem oportet recitare aliena verba. Certe Matthæus cap 1. *Totum hoc factum est vt impleretur quod ait Dominus per Prophetam, dicentem, Ecce Virgo illa prægnans erit, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel.* Vbi habet recitationem, & quidem geminatam, quia retulit Euangelista verba Esaiæ : Esaias autem verba Dei in eumne finem, vt nihil significarent ? Imo contra, testatur Euangelista significatum iis verbis idipsum quod tunc erat factum. Scilicet mentitus Christus est, qui Lucæ 4. cum legisset in codice Esaiæ, *Spiritus Domini super me* & quæ sequuntur. Addidit, *Hodie impleta est hæc Scriptura audientibus vobis.* Quomodo enim impleta, si nihil significabat ?

XVIII. Actor. 8. legebat Æthiops Esaiæ verba : & Philippus ad eum, Ἆρά γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις, *Nempe intelligis quæ legis ?* Nugaris Philippe : quis enim intelligit, quæ nihil significant ? Nam ea tunc verba non pronuntiabantur primum ab Esaia : sed referebantur ab Æthiope tanquam aliena, non tanquam sua ? An nugatus etiam Christus, Matthæi 24. dicens, *Qui legit intelligat* ? An ridiculus Lucas cap. 24. cum de Christo, *Tunc aperuit eorum mentem, vt intelligerent Scripturas* quæ tamen non poterant nisi legi : legere autem non nisi recitare est.

XIX. Sed nihil demonstrat, ait Salmero, qui aliquid absens aut præteritum recitat. Atqui hoc non probat nihil significare : tum quia latius hoc patet quam illud : tum quia quoties quis recitat alterius verba, non hoc exigitur, vt ipse demonstret : sed vt significet quid demonstrarit ille cuius recitantur verba. Sic Ioannes cum recitat Baptisten dixisse, *Ecce agnus Dei*, etsi non demonstrabat ipse Christum, tamen tam aperte & perspicue significauit, vt non reliquerit incertum, quis ille fuerit ; imo quis ille sit, quem Baptistes demonstrarat, vel digito indice, vt pingitur apud Papistas Neque hodie quisquam est, qui admonitus vna illa vocula *Ille*, non ad eum vertat oculos mentis.

XX. Falsum est etiam in pronomine aduerbiove demonstrandi requiri rem præsentem. Non enim est perpetuum. Sane pronomina, *ille*, *ipse*, vim habent demonstrandi : & tamen haud raro rem absentem. Geneseos 3. *Ipsum conteret tibi caput* ; videlicet, semen mulieris, quod nondum vllum erat. Matthæi 1. *ipse saluum faciet populum suum.* Christus scilicet nondum natus. Lucæ 1. *Vxor illius de filiabus Aaron* Illius, nempe Zachariæ iam tum denati. Certe non erat Mosi præsens Nimbrot, cum diceret Genes. 10. *Is fuit potens venator.* Sexcenta sunt huiusmodi.

XXI. Sed absens, ait, non est ad sensum demonstrabile Imo sensum quem dicis ? Generali nomine, vt etiam auditum comprehendas : an stricto, vt non nisi tactum, vel cum eo visum ? Nam si hos tantum, concedo absentia non esse iis demonstrabilia. Sed quis iussit demonstrantia pronomina non nisi tactui & visui deseruire ? Imo nulla verba visui, tactuive subseruiunt nisi per accidens. Augustinus cap 3. lib. 2. de Doctrina Christiana, signa distinguit in ea quæ pertinent ad oculorum sensum, & quæ ad aurium, & quæ ad cæteros sensus : tum verba numerat in iis quæ ad aures Quid ergo tu mihi in verbis visum postules, aut tactum ? Sin autem sensum dicas generaliter, mendacium dicis profecto. Nam tunc omnia, tum præsentia quam absentia, sensui sunt demonstrabilia : quia in sensibus aures sunt, quibus per verba nihil non demonstrari potest. Omnia, inquam, possunt : non tantum præterita, futuraque, quæ cum fuerunt, futura esse sunt præsentia, tunc aliis sensibus vsurpari possunt : vt Genes. 6 *Hæ sunt generationes Noe :* Sed etiam id genus rerum, quæ cum maxime præsentes sunt, tamen reliquos sensus effugiunt. Matthæi 1. *Hæc autem eo cogitante.* Certe hominis cogitationes nullus vnquam visus vsurpauit : nullus tactus assequutus est : Et tamen isto pronomine demonstratiuo, *Hæc*, fuerunt à Matthæo insinuatæ nostris auribus.

XXII. Et tamen quid hoc ad Eucharistiam ? Nam in hac res est quædam præsens, & ad visum, tactumque demonstrabilis : nempe ea, quæ in manus erat à Christo sumpta : eaque quam eius exemplo & mandato Sacerdos quotidie sumit. Est enim & indiuidua & corporalis. Omnes autem substantiæ corporales indiuiduæ ita sunt, cum sunt præsentes. Atqui neque de eo pane Christus loquebatur, qui olim fuisset : sed de præsenti, mensæ appositio : neque Sacerdos eum habet præ manibus, quem olim Christus : Itaque tum Christus suum panem fregit : tum Paulus postea dixit, *Panis quem frangimus.* Porro, *omnes Scholastici*, ait Vasques, exped. disputat. 200. *vno ore pronuntiarunt materiam consecrationis debere ita esse in prospectu Sacerdotis, vt tanquam ei præsens pronomine* Hoc, *non autem pronomine* Illud, *demonstrari possit.* Itaque nihil sane obstat quominus pronomen, & olim demonstrarit aliquid, & nunc demonstret in hac propositione : vt sensus fuerit, Hoc illud quod nunc habeo præ manibus, quodque vobis trado, est corpus meum : & nunc fit, Hoc quod nunc Sacerdos sumit in manus, & tradit communicantibus, illud est de quo Christus dixit, *Hoc est corpus meum.*

XXIII. In Durandi dilemmate concedo non proferri à Sacerdote ex propria persona : sed ex Christi. Quod patet ex recitationis formula in omnibus liturgiis. In Basilii, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις εἰπών, λάβετε, φάγετε, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα. In Romano, *Benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens, Accipite, & manducate ex hoc omnes Hoc est enim corpus meum.* Nam illud εἰπών, *dicens*, in vsu solet esse cum verba non nostra, sed aliena proferimus. Matthæi 1. *Ecce Angelus Domini in somnio apparuit ei, dicens, Ioseph fili Dauid ne metuito accipere Mariam vxorem tuam.* Monuit Euangelista se vsum suis prius verbis, transire ad recitanda verba aliena. Itaque Salmero tomi 3. tractat. 30. *Obiiciunt præterea ex textu verba Angeli, Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Barradius, *Ex isdem Angeli verbis colliget forte aliquis nondum Virginem hoc tempore in domo Ioseph habitasse.* En tibi verba Angeli.

XXIV. Sed si in persona Christi, ait Durandus, ergo non sunt vera : quia dicatur de sanguine, *Qui pro multis effundetur*, qui tamen effusus est. Subtiliter : vt solent omnia Sophistæ. Sed nos negamus non esse vera. Si enim propterea non desierunt esse vera cum primum prolata sunt : ne nunc quidem erunt falsa, cum iterantur. Nam, exempli gratia, Matthæi 1. referuntur Esaiæ verba, *Ecce Virgo illa prægnans erit* ; in futuro ; cum tamen res ea iam tum præsens esset. Nam & Matthæus dixerat, *Inuenta est vterum ferre* : & Angelus iterum, *Quod in ea genitum est.* Quid ergo ? debuerat Matthæus, vt Durando gratificaretur verba prophetiæ μεταχηματίζειν, *Virgo illa prægnans est.* Actor. 2. ex Psalmis, *Quoniam οὐ καταλείψεις non es derelicturus animam meam apud inferos* Quid ? iterumne post eam Petri concionem Christus descensurus erat ad inferos ? Minime vero. Cur ergo non mutauit Petrus, *derelinques*, in dereliquisti ? Nimirum ab Durando nihil dum didicerat.

XXV. Ita sunt friuoli, qui negant hæc verba Institutionis esse significatiua. Sed Vasques qui vir erat, vt negaret recitatiue dici ? Atqui hæc phrasis, puto, designat cum verba non nostra sed aliena referuntur. Sunt autem aliena, si Christi. Non enim Sacerdos quotidianus, ipse Christus est. Ambrosius 4. de Sacramentis capite quarto, *Reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur ; oratio præmittitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbi venitur, vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi : Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.* Et sane alterutrum necesse est, vt in argumento Durandi : Vel sunt dicta ex persona Sacerdotis ; vel Christi. At si Sacerdotis, ingens mendacium est, dicentis, *Hoc est corpus meum.*

XXVI. Nam quod ait, opponi prorsus hæc duo, recitatiue, & significatiue, non auferet à viris cordatis : nisi nouam definitionem cogitet, hoc est, verbis abutatur nouo quodam modo. Et sane ita videtur : nam qui tam confidenter dixit solum significatiue proferri : tamen cap. 3. *Respondetur, Etiam si verba consecrationis, à Sacerdote significatiue proferantur, in ore eius significatiue non esse falsa : eò quod proferantur ab eo non nomine proprio, & in propria persona, sed in persona Christi.* Et secundo, *Significatiue solum à Sacerdote proferri, non autem recitatiue, hoc est narratiue tametsi in persona Christi ab eo efferantur : ideoque possit a iquo modo concedi dici recitatiue per repræsentationem.* Quam prudenter ; Dicuntur solum significatiue, non recitatiue : & tamen dicuntur significatiue, & aliquo modo recitatiue. Certe si duo modi sunt diuersi recitatiue & significatiue : & in verbis aliquis sit modus recitatiuus : ergo alius modus est significatiuus. Itaque recte dicas, ea verba dici aliquo modo significatiue : & aliquo modo recitatiue : ac proinde falsum, eadem dici solum significatiue. Itaque non est opus longa oratione aduersus hunc Sophistam disputatione.

CAP. XIX.

De iis qui Hoc *interpretantur Accidentia.*

I. SEquuntur qui per pronomen concedunt aliquid demonstrari. Horum duo sunt ordines : Quidam referunt ad accidentia panis, siue, vt familiarius loqui solent ad species ; quorum sententiam refert Suares, vt alias obseruatum : & explicat, vt eæ species sint in casu recto, vel in obliquo. Nempe, vt sensus sit, vel, *Hæc accidentia sunt corpus meum* : vel, *Hæc accidentia continent corpus meum.*

II. Vtrumque Suares reiicit ; priorem, quia necesse sit vt corrumpat propriam significationem verbi, est, cum accidentia panis non possint esse corpus Christi : itaque dari ansam Sacramentariis, vt dicant, *Hoc est*, id est, significat. Alterum, quia etsi verum dicat, tamen non explicet difficultatem, scilicet, quid sit illud, quod sub accidentibus in recto designetur.

III. At nobis etiam vterque absurdus est. Primum quidem, quia sic oporteret nunquam nisi postremis seculis intellecta esse hæc consecrationis verba. Quod patet, quia nullus vnquam Veterum meminerit vnquam vllorum accidentium ; neque in recto, neque in obliquis. Species quidem nominasse agnosco sæpiuscule : sed alio longe sensu, quam hodie pro accidentibus ; quod suo proprio loco ostensum imus. Deo dante : nempe speciem panis, id est, naturam panis : quomodo speciem hominis, speciem bruti, speciem lapidis. Denique vt Genes. 1. *secundum speciem suam.*

IV. Deinde, quoniam pronomen necessario referendum ad præcedentia : Hoc, inquam, quod acceptum in manus, quod consecratum est ; vt alias dicam plenius. At in præcedentibus nusquam accidentia fuerunt aut nominata, aut designata : sed panis, quo nomine nunquam vsus fert indicari sola accidentia. Neque poterit quisquam exemplum vllum dare ; nisi cum præcedentibus sunt accidentia ipsa designata.

V. Concedo simul substantiam designari, & eius substantiæ accidentia: sed coniunctim tamen, non autem separatim. Nam, exempli gratia, *Hoc est os ex ossibus meis*, cum diceret Adamus, profecto Euam totam intelligebat; ac proinde constantem ex ossibus, carne, pelle, colore suo. Sed quis tamen si interpretetur, Hæc pellis, siue hic color, seorsim à carne & ossibus; est os ex ossibus meis: quis hunc habeat pro sano? Christus dixit, *Hic est verus Israelita*: quis dubitet eum indicari qui esset in eo loco? At nemo tamen dixerit sensum esse, Hic locus est bonus Israelita.

VI. Videlicet, inquam, accidentia per accidens nominantur, non autem per se: quomodo in pane comedimus albedinem, quia panem cui inest: sed nemo tamen cum dixit te panem comedere, indicauit nihil præter albedinem comedere. Imo vlterius; negat te proprie comedere albedinem, sed tantum figurate. Quomodo si ad imaginem insanam illam Christophori insederit araneus; negent omnino Papistæ sese araneum adorare. Itaque cum Christus panem acceperit, tanquam panem propter ipsum: sed colorem panis, non nisi per accidens; profecto omnem superarit dementiam, qui ad colorem, non ad panem cogitarit directe pertinere verba consecratoria.

VII. Patet autem, non proprie, propter ipsa illa accidentia sumptum esse panem. Nam accidentia non possunt concipi, nisi vel indiuidua, vel secundum speciem, vel secundum genus. Non indiuidua tantum: quia præter illa ipsa quæ tunc erant, nulla daretur consecratio: quomodo nec panis simpliciter vt indiuiduum nominatum quasi nullum præterea liceret consecrare; sed secundum speciem, etsi determinatam per consecrationem. Non secundum speciem: Nam, exempli gratia, si tunc fuit panis azymus, non liceret panem fermentatum consecrare: aut contra, si fermentatus, azymum: & si vinum fuit rubrum, non liceret album. Quæ tamen absurda esse tenent ipsi Papistæ. Non denique genere: nam sic quæcunque accidentia esse possent corpus Domini: non tantum panis, sed etiam oleris: & sic liceret porrum consecrare in corpus Domini. Quæ cum sint omnia absurdissima; necesse est accidentia panis à Christo non intenta.

VIII. Et tamen si etiam intenta dicamus, non propterea nulla figura est futura. Nominabuntur enim, vt obseruauit Suares; vel in recto, vel in obliquo. In recto impossibile, accidentia esse proprie corpus Christi: quod obiecit Suares, & facile probatur ex doctrina Papistica; quæ distinguit in Eucharistia, Sacramentum tantum, Sacramentum & rem; denique rem tantum. Primo assignant accidentia; secundo corpus Christi verum: tertio corpus Christi mysticum. Do autorem idoneum, Lombardum 4. sentent. distinct. 8. *Sunt hæc tria distinguenda; vnum quod tantum est Sacramentum: alterum quod est Sacramentum & res: & tertium, quod est res, & non Sacramentum. Sacramentum & non res, est species visibilis panis & vini: Sacramentum & res, caro Christi propria, & sanguis: res & non Sacramentum, mystica eius caro.* Audi, quæso: Species panis non est res. Atqui corpus Christi est res: Ergo panis species non est corpus Christi. Rursus. Corpus Christi verum, non est Sacramentum tantum: At species panis est Sacramentum tantum: Ergo panis species non est corpus Christi. Quomodo igitur possunt proprie accidentia panis esse proprie corpus Christi? Scio subtilissimorum Sophistarum laudem Papistis deberi: sed profecto nulla tanta futura est subtilitas, vt ista conciliet: quandoquidem iam concessum est, non posse de se inuicem disparata proprie prædicari: est autem disparatum, inquit Cicero 1. de Inuentione, *quod ab aliqua re per appositionem negationis separatum; vt sapere, & non sapere*: Ergo etiam corpus Christi, & non corpus Christi, vtpote accidentia panis.

IX. Iam in obliquo sensus est; vel, sub istis speciebus continetur corpus meum: & tunc, vt monebat Suares, corrumpitur significatio verbi, est: Nam si proprie, est, significaret contineri: Ergo cum dixit Paulus, *Petra erat Christus*, figurata locutione, id esset, Petra continebat Christum; qui tamen nondum erat in rerum natura. Et, *Verbum erat Deus*, id est, Verbum continebat Deum: & infinita huiusmodi: quæ ne aduersarii quidem concessuri sunt vnquam, etsi odio veritatis in quidvis præcipites.

X. Vel sensus est, Quod continetur sub his speciebus est corpus meum. Et tunc geminatur incommodum. Nam primo recedit hic sensus in identitatem, de quo paulo post dicendum. Et tropus non vitatur: Nam secundum proprietatem verborum longe aliud est, Hoc est, aliud, Hoc, quod continetur hic, est. Nam hoc quidem potest esse proprie dictum; vt quod in amphoram infusum, est vinum: quod in poculo, pharmacum. Sed illud non potest; quoniam species indicantur continentes pro contento. Quid ergo factum compendii? Nempe vt pro tropo tropus sit suppositus, pro vocabulo, vocabulum. Nam nos tropum locamus in copula: illi in subiecto: nos metonymiam, illi synecdochen. Egregiam laudem Sophismatum! Immania trophæa scholasticæ subtilitatis!

Cap. XX.

De Identica enuntiatione, & indiuiduo vago.

I. IN iis, qui erubuerant negare aliquid significari per *Hoc*, pronomen, duo supersunt hominum genera; & quidem in Papistica Ecclesia nunc regnum obtinentia: nam quæ hactenus refutata sunt, vix partes fecerunt. Alii igitur indiuiduum vagum assignant: magnum nomen, & ἀμφιλεξιον, cui tribuit noua sophistice amplissimum imperium in vtrumque enuntiationis extremum; videlicet vt communis sit aliqua notio, tum subiecto, tum prædicato; quæ alias inter se videbantur & ipsa diffidere, & scholas secum in factiones traduxisse.

II. Gardinerus, *Verbum corpus, quod est disparatum, prædicatur de hoc pronomine, quod certæ naturæ notam non exprimit in sensu communi: sed solum designat, quod est in eo quod demonstratur vnum, nec altius in eius naturam penetrat: quemadmodum ex loquutionibus è familiari & quotidiano sermone petitis mox demonstrabo. Quis enim non sic loquitur, Hoc est vinum, hoc est mel, hoc est lac; porrecto videlicet digito, aut nutante capite in rem explicatam?* Facile sane principium, nullo labore illustrandum; non quodlibetariis illis exemplis, sed authenticis. Exodi 4. *Quid est quod tenes in manu tua? Respondit, Virga.* Esaiæ 63. *Quis est iste qui venit de Edom? Ego qui loquor iustitiam.* Pergit ille, *In quibus illud, Hoc, eam modo vim habet, vt vnum quiddam esse significet, quod ipsum quale quid sit explicandum relinquat prædicato.* Sensus est; à pronominibus demonstrari indiuidua, sed non indiuidue tamen: imo sub suæ speciei, siue sui etiam generis, interdum remoti indicatione. Vt si dicam, Hic est Augustus; non id dico, Augustum esse Augustum, quod nugatorium Gardinerus appellat: sed eum qui iam cognoscitur per communem aliquam notionem, puta viri, vel hominis, postea determino per suam proprietatem; vt sensus sit, hunc quem tu iam nosti virum esse, siue hominem; scito esse Augustum, atque eo nomine vndique circumscribi.

III. Hoc ipsum indiuiduum vagum interpretantur, contentum sub his speciebus nunc, aut saltem paulo post, continendum. Et dicunt pronomen accipi substantiue, hoc, id est, hæc res, vt sit frequentissime. Sed hæc ipsa res quid est? Soto, *Pronomen in forma consecrationis demonstrat, non quidem singulariter panem, qui nunquam est corpus: neque vero corpus: sed demonstrat communiter & in genere contentum sub illis speciebus, quod quidem in principio erat panis, & in fine corpus.*

IV. Sed hi vapulant Vasqui. Quia, inquit, pronomen, *Hoc*, aut sumitur substantiue aut adiectiue. Si adiectiue, nihil aliud demonstrare potest, nisi corpus: sic autem non demonstrabitur indiuiduum vagum, sed singulare & indiuiduum ex demonstratione determinatum: neque illud demonstrabit simul atque profertur, sed in fine totius orationis, & sensus. Sin substantiue: illud demonstrabit, pro quo directe supponitur, & quod, significat: Atqui pro speciebus non supponitur neque eas directe significat, sed contentum sub illis: Ergo non demonstrabit eas, sed contentum: ac proinde non erit sensus, contentum sub his speciebus est corpus meum, sed hoc contentum sub his speciebus est corpus meum: sic autem propositio est falsa, si pronomen, *hoc*, demonstret contentum sub his speciebus simul atque profertur, & antequam finiatur oratio, vt prædicti autores contendunt: quia tunc nullum aliud est contentum sub speciebus nisi panis, ac proinde illud demonstrare deberet, licet sub ratione contenti, quæ communis est.

V. Re vera indiuiduum vagum nomen est & obscurum & ineptum; rei tamen familiaris, facilis, & tritæ. Est enim verum, identicas esse quasdam propositiones, in quibus re idem sit prædicatum & subiectum, duntaxat ratione quadam distinctum: vt filius Abrahami est Isaacus. *Hic est Filius meus* & similes. Est rursus verum, in iis rationem distinctionis sumi à notione latiori; & prius occurrente ac cognita; postea distinctius circumscripta per attributum. Sed ineptum nomen esse nihilominus indiuidui vagi. Nam vagum sumi non potest nisi pro re indistincta, indeterminataque: quod nunc est absurdum. Nam in huiusmodi identicis enuntiationibus, subiectum vere est distinctum, & circunscriptum: quia videlicet, exempli gratia, per, *Hic*, significatur hic homo: atqui hic homo, tam est indiuiduum, quam Petrus, Paulus, & alius quisquam. Patet, quia vt plurimum, demonstratio fit ad sensum; vnde Papistæ vt exprimant illud, *Hic est agnus Dei*, Ioannem pingunt porrecto indice digito: vt sit sensus; Hic homo, quem vos nunc oculis vsurpatis, quique huc ad nos venit, est agnus Dei. Ioannis primo: *Ecce vere Israelita*: quis? Nicodemus veniens ad Christum. Atqui sensus nihil percipiunt vniuersale, sed tantum particulare, ac proinde prorsus determinatum. Nec dubito Scholasticos in re tam facile affectasse nomen tam remotum ab omni vsu, quo facilius abuterentur ad illudendum populis.

VI. Sed enim si indiuiduum sit: ergo absurdum est fingere aliquid commune pluribus: nisi forte totum aliquid sit compositum ex partibus: vt Arbor est ipsa vna, etsi nomine, imo etiam re communi, radicibus, & trunco, & ramis. Corpus vnum, commune pedibus, tibiis, cruribus, manibus, brachiis, trunco, capiti. Hic autem nihil est tale, vt commune possit dici pani, & corpori Christi: itaque non potest vtriusque vnum dici indiuiduum, ne vagum quidem.

VII. Præterea, si concederem dari posse, sensus esset, hoc panis indiuiduum, & hoc corporis indiuiduum, est corpus Christi: vel potius, sunt corpus Christi; quod est absurdissimum; & saltem ex parte falsum, nisi succurrat tropus aliquis: & quidem recedens ab communi vsu. Neque enim consueuerunt homines in enuntiationibus quæ sint partim propriæ, partim tropicæ. Nec si solerent, hic tamen admittere possent Papistæ, qui tantopere declamitant aduersus obscuritatem. Quid enim obscurius, aut magis supra captum populi, quam, *Hoc est corpus meum*, vt significetur, horum vnum est corpus meum; alterum non est nisi improprie? Scio vulgo dici de Amphora plena, Hoc est vinum: cum tamen duo sint distinctissima, amphora & vinum: sed scio vicissim neminem vnquam putasse dictum, Hæc amphora, & hoc contentum in amphora, est vinum: sed simpliciter hoc quod in amphora, est vinum.

VIII. Itaque alii malunt, *Hoc*, referri ad corpus, & designare prædicatum: sumique adiectiue. Maldonatus, *Ego omnibus viribus contendo adiectiuum esse, neque vlla ratione substantiuum esse posse, aut pro alia re, quam pro corpore Christi accipi.* Imperiose pro more. Nam Vasques & Baradas præcedentem sententiam saltem dixerunt esse probabilem: etsi hanc Maldonati Vasques probabiliorem dicat, Baradas sibi probari. At Suares illi videtur fauisse magis: tum quia postremo loco recitet: tum quia fusius explicet quam reliquas: tum etiam, & maxime, quod hanc illi comparans diserte, *Hæ duæ vltimæ sententiæ sunt probabiles, & magis in modo loquendi, quam re ipsa differunt: vltima vero simpliciter probanda est.*

IX. Sed vtcunque sit; tamen ita iubet Maldonatus, & cum eo non pauci, pronomen, *Hoc*, demonstrare idipsum quod est in prædicato: nempe corpus meum. Itaque sensum esse, *Corpus meum, est corpus meum*: vel saltem, *Hoc corpus, est corpus meum*: sic tamen vt corpus intelligas, non quodcunque, nam sic panis posset indicari; sed distinctius, nempe κατ' ἐξοχὴν sic notari corpus hominis. Quam resolutionem valde multi indignam existimant hoc Sacramento.

X. Maldonatus putauit reprehendi tautologiam, quasi ridiculam: & confidenter contra, *Hoc argumento*, inquit, *valde miror homines etiam doctos à recta sententia dimotos fuisse.* Admirationis causam subiicit, *Nec enim*, ait, *nouum est, sed vsitatum: imo, vt Dialectici docent, necessarium, ne in omni vera propositione subiectum & attributum pro eodem accipiantur: tamen non omnis propositio vera tautologica est; quia tautologica, non in acceptione, quam Dialectici sup-*

ctici suppositionem vocant, sed in significatione consistit, quando subiectum & attributum non solum pro eodem accipiuntur, sed etiam idem significant: nec idem solum significant, sed etiam eodem modo. Nam animal rationale est homo, non est tautologia, sed vera, recta, & prudenter enuntiata propositio, quamuis animal rationale & homo, & pro eodem accipiantur, & idem prorsus significent: quia idem quidem, sed non eodem modo significant: homo enim totam naturam, animal rationale, eandem naturam, sed distincte & per partes declarat.

XI. Hæc Maldonatus, & alia in eam rem nonnulla. Verum inutiliter. Primo enim non purgatur crimen tautologiæ. Nam, quæ exempla adferuntur non tautologicarum enuntiationum, ita distinguunt subiectum ab attributo, vt etsi non reapse tamen modo differant. Itaque modus de modo potius prædicatur: & quidem obscurior de clariore. Ast hic res eadem de re eadem prædicatur, non modus de modo. Etenim corpus Christi, non aliter est corpus, quam id ipsum quod per hoc designatur. Patet, quia si aliter, ergo manifestius est, Hoc esse, quam corpus Christi. Atqui falsum. Nemo enim aut tum sciebat, aut postea sciuit, id vllo modo esse corpus Christi: aut etiam vllum corpus animatum, quam sciuit esse corpus Christi. Itaque non potuit pronomen, *hoc*, designare corpus Christi, sub aliqua notione magis vniuersali: vt notant Scholæ, cum quis dicit, *Hic est agnus Dei*; per pronomen designari aliquem hominem venientem, quem certo viderent omnes adstantes: sed non æque nossent esse agnum Dei. Quod in hac enuntiatione nullum habet locum.

XII. Dicam clarius, si potero. In enuntiationibus illis non absurde tautologicis attributum aliquatenus differt a subiecto vt in, Homo est animal rationale; subiectum homo sumitur pro specie illa quæ iam ponitur saltem παχυμερῶς cognita: sed animal rationale, pro eiusdem speciei definitione; quam non itidem omnes habent perspicue notam: & quidem animal pro genere est, rationale autem differentia. Ast in istac, *Hoc est corpus meum*; si *hoc* sumatur, non pro pane, aut alio disparato, certe non potest, attributum corpus meum, assignari, neque pro genere, neque pro specie, neque pro differentia, aut qualitate, aut quo denique tali. Itaque superest vt sumatur pro eo ipso & re & ratione: ac proinde pura sit putaque tautologia.

XIII. Sed aliud est quod Maldonatum, & reliquos merito mirer non aduertisse. Videlicet hanc tautologiam non esse, aut solam, aut etiam propriam, saltem præcipuam rationem huius somnii refutandi. Cum enim Scholasticos lego, tum vero hanc designatam non obseruo. Soto artic 5. quæst. 1. distinct. 11. Quarti. *Sed neque ista opinio veritati consonat: nam tunc pronomen demonstraret corpus, atque adeo sensum faceret, quod corpus est corpus. Hæc autem forma non est operatiua, nec conuersiua panis in corpus: quoniam ante eius prolationem id ipsum erat verum.* Et paulo post, *Quia conuersio fit in instanti prolationis, tota loquutio debet ad illud instans referri: non tamen ita, quod ex parte subiecti præsupponatur id quod est terminus conuersionis, vt sit sensus, Corpus est corpus. Illa enim locutio non esset practica, & conuersiua, sed mere speculatiua: sicut homo est animal.* Durandus quæst. 2. distinct. 8. *Si singulariter demonstraret corpus Christi, veritatem posset habere propositio, referendo demonstrationem ad vltimum instans prolationis verborum; vt statim diceretur; quia tunc corpus Christi est sub speciebus panis, & esset sensus Hoc, id est, corpus meum est corpus meum. Sed ista forma non congruit Sacramento: quia per Sacramentum non efficitur, vt corpus Christi sit corpus, sed solum efficitur quod corpus Christi contineatur in Sacramento: propositio autem sic intellecta solum sentit, quod corpus Christi, sit corpus suum: & ideo illa forma non signat, quod efficitur per Sacramentum, quod est contra naturam cuiuslibet formæ Sacramenti.*

XIV. Hoc igitur est argumentum primarium: Omnis forma sacramentalis significat id quod efficitur, vt conficiatur Sacramentum. At hæc forma, Hoc est corpus meum, si exponatur per Hoc corpus, est corpus meum, non designat id quod efficitur, vt conficiatur Sacramentum: Ergo hæc non est forma sacramentalis. Maiorem illi sumunt tanquam positam extra aleam. Minorem probat res ipsa. Nam in identicis omnibus propositionibus id solenne est, vt designetur id quod erat ante prolationem, sed ignorabatur: non vero id quod fit per prolationem. Baptistes dixit, *Hic est agnus Dei*; nimirum speculatiue, vel loquebatur Soto: nam Christus iam ante erat agnus ille. Sic Christus ipse, *Ego sum vitis vera*: non vt tunc inciperet, quod nunquam fuerat, sed vt indicaretur id quod iam prius erat. Enimuero sensus id communis habet, non posse idem de eodem non semper verum esse: quia si falsum, ergo alias atque alias, aliter atque aliter esset, itaque non esset idem.

XV. Violenta obiectio est. Sed credin' sibi defuisse Sophisticen? Imo quod est in prouerbio, malo nodo malum cuneum aptauit. Nusquam, credo, sibi sperauit tantæ subtilitatis laudem quæsitam: atque ex ea triumphos. Quid enim? Docent nos magna hæc arcana, quæ dissertum eo. Date veniam, viri σεφισταὶ(?), audaci arcana vestra penetrare; mysteria etiam violare. Quanquam ab hostibus professis, quid necesse est veniam petere? aut quid eorum mysteria violare prohibet, quorum vel Deos debemus triumphandos veritati tradere?

XVI. Quid est igitur, quod ingeniosissimi cogitarunt homines? Nimirum vt negent semper verum esse, *Hoc est corpus meum*, sed tantum post consecrationem; docent, Verbum quodcunque capi dupliciter; sic enim habes apud Petrum de Aquila, vel secundum se, vel vt partem alicuius orationis. Priori modo habere suum significatum in instanti vltimæ syllabæ: posteriore autem, non nisi in vltimo instanti totius orationis. Hic autem poni pronomen, tanquam partem orationis: itaque non obtinere suum significatum ante vltimum instans totius orationis pronuntiatæ.

XVII. Sed hæc stulte dicta sunt profecto. Nam etsi Verbum secundum se non sit semper pars orationis, puta vel in Dictionario, vel quoties sumitur materialiter: tamen nunquam pars est orationis nisi secundum se: Ratio manifesta, quoniam plures sint orationis partes: ideoque numero distinctæ: singulæ ergo secundum se: non enim potest aliter: etsi omnes simul conficiant orationem. Sic in humano corpore etsi corpus humanum nullum sit membrum per se: tamen caput secundum se membrum est eius corporis, non enim secundum alia; quoniam hæc alia ipsa etiam singula sunt membra totidem. In hac ergo oratione, *Petra erat Christus*, tres sunt numero partes, tot videlicet, quot vocabula; ac proinde singula secundum se. Hoc posito patet ineptitudo sophismatis. Nam si omne vocabulum secundum se obtinet significatum suum statim in instanti prolatæ vltimæ, siue syllabæ siue literæ; At quodcunque verbum est pars orationis secundum se: Ergo quodcunque verbum obtinet significatum suum in instanti prolationis suæ: ac proinde non exspectat totius orationis nouissimum instans.

XVIII. Ad hæc; si in oratione posita membra nihil significarent per se: ergo sola oratio significaret: & quia hæc vna est: Ergo vnum esset signum duntaxat. At contra: lege Augustinum Adeodato suo contrariam instillantem doctrinam: De Magistro cap. 2. AV. *Constat inter nos verba signa esse?* AD. *Constat.* AV. *Quid? signum nisi aliquid significet potest esse signum?* AD. *Non potest.* Au. *Quot verba sunt in hoc versu,*

Si nihil ex tanta superis placet vrbe relinqui?

AD. *Octo.* AV. *Octo ergo signa sunt.* AD. *Ita est.* Videsne Augustino Magistro in vna eademque oratione octo esse signa; id est, totidem quot verba? Hoc primum. Sed hæc nihilne significantia? Ridiculum; cum eidem positum & esse signa: & nulla signa nisi aliquid significent. Veruntamen pergit Magister. AV. *Credo te hunc versum intelligere.* AD. *Satis, arbitror.* AV. *Dic mihi quid singula verba significent.* Viden' rursus Papistis esse peruersam mentem? Non enim credo Augustino, qui tentans vtrum sententiam totam discipulus suus intelligeret, putauit eundum per singulas voces; & quidem initio facto à particula, *Si*. Mentiuntur ergo Papistæ, qui, inquirentibus sensum totius enuntiationis sacramentariæ negant quatuor esse signa; etsi quatuor verba concedant. Nisi forte vt credendi, sic loquendi Papistis longe alia ratio sit quam Augustino.

XIX. Rursus si in oratione verba nihil singula significarent: Ergo nunquam posset vnius vocabuli propria significatio inquiri ex comparatione aliarum locutionum: Patet consequentia: quoniam hoc genus inquisitionis fit per inductionem. Inductio autem non fit nisi similium. Atqui cum diuersæ sententiæ, quatenus totæ, nunquam idem significent; non possent esse similes. Exempli gratia. Si quæras quid sit honorare; & quis obiiciat, Honorare Deum, Honorare parentes: quia non est idem hoc, quod illud, non erit etiam idem, honorare, & honorare: ac proinde dissimilitudo manifesta; vnde nulla posset educi communis significatio. Et qui arguet: Omnis pater honorandus à filio: is nugas agit meras: nempe, quia honorare non idem significabit in maiore & conclusione: ne pater quidem in vtraque parte antecedentis. Et ita in vniuersum tolletur è medio omnis ratiocinatio.

XX. Longe consultius Scotus quæst. 2. distinct. 8. Quarti, *Conceptus qui causatur per orationem prolatam, non habetur per eam nisi in vltimo instanti prolationis orationis.* Recte. Certum est enim nunquam posse totum obtineri, nisi ex omnibus simul partibus. Quia autem oratio successiue perficitur, non possunt omnes eius partes simul haberi, nisi in instanti eius postremo; ideoque nec ipsa tota. Nec quicquam periculi est ab ea obiectione, quam sibi Scotus opposuit; si ita sit: Ergo orationem causare conceptum suum, cum non sit amplius. Primo, quia non sola oratio ita est efficax: & recte Scotus opponit exemplum vocum singularum, quæ dantur non perficere conceptum suum nisi in vltimo instanti, id est, cum non sunt amplius. Deinde quoniam neque oratio, neque vocabulum vllum perficiat conceptum suum absolute per se: sed per aliud, id est, mouendo mentem, quæ ipsa proprie conceptum suum efficit successiue per partes, quas omnes cum collegit memoria, tum totus conceptus. Sic igitur verba non immediate per se conceptum totum generant in mente, sed per memoriam. Ita autem medicamentum sæpe sanitatem efficit, cum non sit amplius, nimirum per euacuationem peccantium humorum. Sic in signis sæpe. Nam stellarum passionibus Astrologi effectus assignant longe post futuros, quam desierint.

XXI. Denique potest negari, si in vltimo instanti producat conceptum suum, ideo efficere cum desiit esse. Nam conceptus in mente, æque ac oratio in voce est successiuus; & aggregatur paulatim, quasi cum aceruus crescit additione. Neque enim mens nostra nata est omnia simul concipere; sed distincte singula. Patet ex Analysi. Etenim qui totam Ciceronis orationem pro Milone laborat concipere, non tantum legit ab initio ad calcem; vt denique scopum oratoris assequi possit; sed etiam sigillatim progrediens primo exordium, tum edissertationem ipsam attendit; denique perorationem considerat: & in singulis singula rimatur argumenta. Neque negat se exordium esse assequutum, cum nondum attigit perorationem. Quare qui dicit conceptum orationis obtineri in vltimo instanti: sic dicit, quomodo domum confici ab architecto cum imponitur tecto manus vltima. Id enim significat, non fieri domum ab architecto, cum desit operari: sed tantum perfici domum hoc extremo actu, ita vt desinat ipsa ædificari, cum desinit ille operari.

XXII. Itaque constanter negamus in oratione singula verba nihil significare nisi in vltimo instanti totius orationis. Quod sane nemini vnquam dictum nisi Transsubstantiatoribus; quorum est propria monstrorum nouorum somniatio. Alioquin nulla difficultas cogeret in oratione interpretanda subsistere ante vltimum illud instans: Nam æque omnia nihil significarent: & id iam omnes scirent. Sed illud absurdum, & contra quotidianam experientiam. Imo haud raro accidit, vt cum totius orationis conceptus sit non difficilis, tamen quædam particulæ plus minusve turbent.

XXIII. Vin dicam semel? Nullius orationis non allegoricæ conceptus est figuratus. Nam eius qui dicit prata ridere, conceptus est prata esse florida, & virentia: qui quidem conceptus est valde proprius. Et qui Herodem esse vulpem, is designat esse astutissimum. Similiter alia plurima. Iam si nihil singula verba significent nisi tum cum conceptus ille obtinetur in vltimo instanti, nullum erit in oratione illa vocabulum figuratum. Videlicet quia nihil significabit nisi ipsum illum conceptum non figuratum. Atqui nullum esse in vlla oratione non allegorica verbum figuratum, absurdissimum est, & contra omnem experientiam. Allegoricam autem dico orationem, eam quæ constet ex perpetuo contextu verborum tropicorum. Patet autem absurditas, quia in, *Herodes est vulpes*, conceptus sit non figuratus, tamen vulpis nomen non dicatur nisi figurate.

XXIV. Coffetæus capite duodecimo Defensionis, cum Molinæus hoc sophisma traduceret pro merito: Quæro, inquit, quonam instanti suam

habue-

habuerint operationem verba Christi, *Lazare exi foras* :& quid significauit vox, Lazare; ante vltimam omnium pronuntiationem: mortuumne, an viuum, Similiter Lucæ 7. *Adolescens, tibi dico, surge*: Primumne vocabulum, an postremum potius id fuit, à quo editum est miraculum?

XXV. Respondeo, primum ea vocabula, siue singula, siue omnia nihil effecisse: sed tantum significasse id quod Christus efficeret. Secundo, Lazari & adolescentis nomina, nihil aliud significasse, quam mortuos illos iacentes alterum in monumento. alterum in feretro: & significasse, ante vllum auditum postremi soni: & ab isto nihil habuisse suæ significationis, Dico rursus, non constitisse effectum, quem significabat oratio, ante omnium prolationem. Sed quid hoc ad rem? Nam harum enuntiationum longe alia ratio est. Non enim dictum, Lazarus exit foras: aut Adolescens surgit, per præsens: sed per imperatiuum. Exi, surge: quibus significatio in futurum: Atqui non dictum, *Hoc erit corpus*, siue, *hoc est corpus*: sed rotunde, *Hoc est corpus*: Quomodo si Christus dixisset, Lazarus exit foras, non constitisset enuntiati veritas.

XXVI. Redeo ad institutum. Negabamus posse, *hoc*, pronomen supponere pro attributo. Obiiciebamus hoc argumentum, Omnis identica enuntiatio designat id quod semper est: At hæc oratio, Hoc est corpus meum, non designat id, quod semper est: Ergo non est identica. Nunc nego hoc argumentum solui posse per hanc huius instantis tam curiosam obseruationem,

XXVII. Ratio est gemina. Prior, quia hoc instans pertinet ad conceptum qui per orationem generatur in mente audientis. Hoc est, designat quomodo aut quando fiat is conceptus. At nostrum argumentum de hac conceptus generatione nihil agit, sed de re ipsa, etiam considerata extra mentem; & in ipsa potius rei de qua agitur natura. Exempli gratia, cum dicis, Isaacum esse filium Abrahami, quoniam Isaacus re vera idem est cum filio Abrahami, dico te rem significare quæ & perpetuo eadem sit, neq; possit esse aliter, siue ego concipiam, siue prorsus aluciner: siue tum loquaris, siue prorsus non loquaris: siue desinas loqui, siue pergas. Denique Isaacus filius erat Abrahami, antequam tu vel cogitasses nedum loquutus esses, & mihi indicasses: Sic Ioannis 1. *Ego non noueram illum*: & tamen de eo ipso, *Hic est de quo dicebam, pone me venit vir, qui prælatus est mihi*. Nempe ille is erat, antequam cognitus esset Baptistæ. Geneseos 28. *Vere est Iehoua in isto loco: ego vero non noueram* Sed in hac nostra materia, Hoc ita est corpus Christi; vt tamen nunquam fuerit, antequam Christus ita diceret, neque etiam indiuiduus ille panis qui quotidie consecratur, sit corpus Christi, antequam eadem verba Domini recitentur. Itaq; etsi concedam nō posse totum orationis conceptum à me obtineri nisi in vltimo instanti: tamen non propterea non est verum ante hoc vltimum instans hoc corpus esse corpus Christi.

XXVIII, Altera ratio, quoniam etsi totus conceptus sit in illo instanti, tamen cum is successiue tantum perficiatur; necesse sit, *Hoc*, significare aliquid, id est, suum particularem conceptum ante illud instans. Vnde si identica propositio sit, velint nolint Transubstantiatores, ante vltimum instans illud contentum in manibus Sacerdotis esset corpus Christi: vt Matth. 11. *Ipse est Helias, qui venturus est*: antequam quisquam audiat, *est*, postremā vocem; tamen nemo tam stipes, vt non intelligat Ioannem indicari paulo ante nominatum: & quidem tam aperte vt etsi subito tacuisset Christus, neque addidisset, *Helias qui venturus est*, tamen ignorari non posset aliquid cum voluisse dicere de Ioanne: quod tamen quia abrupta sententia esset fortasse ignoraretur. Fortasse, inquam: Nam alioquin abruptæ sunt quædam, quarum tamen conceptus non est in occulto: vt in Æneide, *Quos ego*, &, *Me, me*. Sed hæc sunt paulo alieniora.

Cap. XXI.

Hoc: *esse hunc panem, probatur ex Institutionis textu.*

I. NObis nunc demonstrandum, *Hoc*, pronomen demonstrare panem; ideoq; sic resoluendam enuntiationem, *Hic panis est corpus meum*, vt nulli subsit dubium, quominus disparatum de disparato prædicetur, quod nobis positum pro argumenti fundamento.

II. Prima probatio: ab institutionis ipsius contextu, *Edentibus eis Iesus, quum accepisset panem, & benedixisset, fregit, deditq; discipulis: & ait: Accipite, comedite, hoc est corpus meum*. Sic arguo, vel est identica propositio: vel *hoc*, refert aliud quam Christi corpus: At prius falsum, ex disputatis præcedente capite: Ergo posterius manet verum. Hoc posito, iam vlterius. Si refertur ad aliud, ergo in eodem contextu, vel ad præcedens, vel ad sequens: At non ad sequens: Ergo ad præcedens. At præcessit nihil præter panem: Ergo, Hoc, refert panem.

III. Primæ propositionis distinctio est necessaria, Is enim reperitur vsus geminus pronominis, Hic, vel, Iste. Nam præcedentium hæc exempla sunt. Matthæi 1. ταῦτα δὲ αὐτοῦ ἐνθυμηθέντος: *Hæc autem eo cogitante*: Hæc: quænam? Brugensis, *de dimittenda est compertum, quod existimabat, adulterium, & de modo dimittendi*. Atqui hæc præcesserant, Paulo post: τοῦτο δὲ ὅλον γέγονε, *Hoc autem totum factum est*. Quid hoc? Brugensis, *Scilicet quod dictum est de Maria desponsatione, de impregnatione ex Spiritu Sancto*. Maldonatus, *Non dubium est, quin sint Euangelistæ verba, volentis iis, quæ narrauerat ex Prophetæ testimonio fidem adhiberi*. Lucæ 1. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur*. Actor. 1, *Hi omnes perdurabant concorditer in oratione, & deprecatione*. Decimo, *Huic Prophetæ omnes testimonium dant* . Alia suppetunt infinita; quæ cur enumerem sigillatim.

IV, Sequentium ista sunt. Luc. 1. *Vnde hoc mihi*? Nempe statim, *vt veniat mater Domini mei ad me*. Secundo, *Et hoc vobis signum, inuenietis infantē fasciis inuolutū, iacentem in præsepi*. Actor. 2 *Hoc vobis notū esto; auribus percipite verba mea*: nempe quæ statim dicturus erat. Ad Rom. 6. τοῦτο γινώσκοντες, *Hoc scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est*: Prioris ad Tim. 1. εἰδὼς τοῦτο. *Sciens hoc, quod lex iusto non est posita*. Genes 17. *hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, atque inter semen tuum post te, vt circumcidatur omnis masculus* . Exod. 1. *Et hæc sunt nomina filiorum Israel, qui venerunt in Ægyptum cum Iacob: singuli cum familia sua ingressi sunt, Ruben, Simeon, Leui, Iuda*: & deinceps 12. *hæc est religio Phase: Omnis alienigena non comedet ex eo*. Mitto alia plurima.

V. Alterutrum ergo oportet in enuntiatione ista Eucharistica, pronomen, *hoc*, referri ad sequentia, vel præcedentia. Imo, autoribus aduersariis, tantum ad præcedentia. Nam hi in explicando illo Matthæi loco, *super hanc petram*, vide qui enuntient. Bellarminus de Romano Pontifice libro 1. cap. 8. *Demonstrat aliquam Petram, de qua paulo ante Dominus sit loquutus*. Lucas Brugensis in ipsum locum, *Non enim præcessit alterius petræ mentio, quam demonstret pronomen, hanc*. Iansenius, *Pronomen*, hanc, *demonstrat aliquam petram de qua fuit sermo*. Salmero tract. 2 3. partis, Tom. 4. *Illud pronomen, hanc, refert aliquam petram præcedentem*. Idem, *Illud relatiuum ad aliquod præcedens, ad oculum, vel ad aurem demonstratum referri debet*; Franciscus Agricola de primatu Sancti Petri cap. 1. *Vel puero liquidum fiat, Christum non de alia petra dixisse, quam cuius antea, & quidem proxime atq; immediate mentionem fecerat*. Vide horum hominum confidentiā. Quam confidentiam si voluerimus imitari; confecta nobis res est.

VI. Sed nos oportet non quid audaciæ sit in aduersariis, sed quid in re ipsa veritatis attendere, Itaq; cum alterum duorum, vt diximus, sit necessarium; vt pronomen referat, vel sequentia, vel præcedentia: Tum vero hoc loco referre sequentia falsum. Nam si textus habet, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum: & accepto poculo, ac gratias actis dedit eis, dicens, Bibite ex eo omnes*. Nam sequentia hic quænam dicas? An illud corpus meum? An vero quæ postea? Nam de his quidem absurdum; cum sciant omnes partes esse disparatas panem & calicem: & *Hanc*. pronomen omnino pertinere ad priorem, nullo modo ad posteriorem. An igitur referat corpus? Atqui cum dicitur relatiuum referri ad præcedentia vel sequentia: non solent intelligi, de eadem constructione, sed diuersis. Itaque oportet hic prætergredi totum illud membrum, *Hoc est corpus meum*. Alioquin oratio esset absurda, & præter vsum humanum.

VII. Præterea series ipsa postulat, vt iungantur potius præcedentibus. Vnde in Canone Romano addita fuit coniunctio causalis, *Hoc est enim corpus meum*. Brugensis, *Subauditur coniunctio, enim, quam exprimit Euangelista ad calicem: ideo enim ad comedendum hortatur, eo quod corpus ipsius sit*. Recte. Quemadmodum igitur, qui legunt, *Bibite ex hoc omnes, Hoc est enim sanguis meus*: non dubitant hæc nouissima pertinere ad illud præcedens, quod bibi iubetur, sic dubium relinqui non potest, quin, *Hoc est corpus meum*, referendum sit ad id quod comedendum porrigebatur. Alioquin tam absurde dictum fuisset, quam si dictum; Accipite, comedite, baculus stat in angulo, ἀπροσδιονύσως.

VIII. Sed & exemplum est manifestum in altero Sacramenti membro; Apud Lucam, *Itidem & poculum postquam cœnasset, dicens, Hoc poculum est Nouum Testamentum*. Apud Paulum similiter. Viden vt est consulto repetitum poculum? Porro Iansonius cap. 4. Liturgicor. 4. *Calicis verba cum verbis quibus consecratur panis eundem habere modum significandi, nemo cum ratione dubitabit*. Cum igitur eadem sit ratio poculi & panis: certe vt, *hoc*, repetit poculum: sic omnino, hoc, repetere panem ex præcedentibus.

IX. His argumentis soluendis opponunt; etsi pronomen, hoc, pertineat ad præcedentia, tamen non demonstrare panem. Et hoc varie docent.

X Primo à Syntaxi Grammatica, Gardineri verba, *Si Grammaticā consulimus, omnis accusatiuus actionem in se recipit verbi cui subiicitur, & suo ex accusatiuo fit nominatiuus eiusdem verbi passiui congruens. Vnde post verbum benedixit, vt plenus accusatiuus sit, oportebit repetere panem acceptum: & post verbum fregit, panem acceptum benedictum: & post verbum dedit, panem acceptum benedictum, fractum. Et illud omnino obseruandum, vt secundum modum actionis alicuius verbi præcedentis aptetur in vltimo verbo accusatiuus, adeo si quod verbum præcesserat, quod substantiæ mutationem designet, in vltimo accusatiuo continebitur Verbi gratia: Accepit quis vinum & mel, miscuit porro, & dedit bibere Si quæratur quid dedit bibere. non repetam pro accusatiuo vinum & mel, quæ propter mixtionem in sua substantia non durant, sed aliam constituunt speciem, videlicet mulsum. Itaq; actio verbi miscuit, non est dissimulanda in vltimo accusatiuo: nec quia dico, accepit vinum & mel, deinde miscuit vinum & mel: non dicam tamen dedisse bibere vinum & mel: sed accusatiuus verbi dare, erit mulsum. ad exprimendam actionem verbi miscuit præcedentis*. Sic prolixe Gardinerus. Breuius Michael, *Petrus. Vt videas quam male collegerit, si quis dixisset, Hominem percussit, occidit, sepeliuit; hominem viuum sepeliuisse, an potius mortuum putabis? Clemens, Mortuum sane sepultum putabo. Petrus. Quid ita sodes? Clem. Quia antequam sepeliuit occiderat, licet ad eundem casum recte verba referantur. Pet. Cur non ergo eodem modo, licet verba, Accepit, fregit, dedit, ad panem referantur, mutationem tamen eam factam interea credas, quam Christus appellans suum corpus, edixit?* Bellarminus *Dominum accepisse ac benedixisse panem non vulgarem, vt acceperat, sed benedictum & benedictione mutatum. Intercedit enim inter, Accepit, & dedit, verbum benedixit, quod facit ne omnia verba regant eundem accusatiuum eodem modo se habentem*. Summa est, distingnendum esse. Quia si, *hoc*, regeretur duntaxat à verbo, *Accepit*, posse ferri, vt diceretur: Hic panis est corpus meum: sed quoniam regitur à verbis, Accepit, benedixit, fregit; dedit: Ergo non esse panem.

XI. Insto. Concedi sic intelligendum, Hic panis acceptus, benedictus, fractus, datus, est corpus meum. Nam vt ratio Grammaticæ non dictaret; abunde probaret Apostolus Paulus; qui, *Calix*, inquit, *benedictionis, cui benedicimus: Panis quem frangimus*. Sed & norunt Papistæ, apud nos nullum panem esse corpus Christi nisi in ipso vsu; vnde neque benedictio exsulare potest, neq; fractio, neq; distributio, neq; adeo manducatio Et vero hæc nobis inter alias controuersia aduersum eos, qui etsi nunc vrgeant panē acceptum, benedictum, fractum, datū: tamen extra hunc disputationis feruorem, fractū, datumq; susq; deq; habent; nec minus dicunt esse corpus Christi etiam si à nemine frangatur, & nemine detur, Vt appareat manifeste non rei veritatem candide spectare, sed tantum præsentem victoriam pertinaciter affectare. Sed vtcunq; sint animati; nos illud prolixe concedimus.

XII. Ne mutatio quidem facesset negotium. Nam etsi vehemens sit contentio, quænam sit aut cuiusmodi, tamen est eius temporis, cum de Transsubstantiatione sumus acturi, Interea notamus, concedi à nobis aliquod genus mutationis per consecrationem fieri: sed talem per quam panis sit corpus Christi: quod explicabimus plenius alias,

XIII. Nunc quod contendunt; horum verborum, *Hoc est corpus meum*, sensum esse. Hic panis benedictus (nam hoc vnum illis futurum satis: reliqua facile condonaturis) siue hic panis sic benedictione mutatus, est corpus meum; primo est absurdum, eadem ratione, qua refutatur sensus identicus. Nam dicendo, Hic panis mutatus, est corpus meum, non significatur id quod fit per eorum verborum prolationem; itaque verba sunt non nisi contemplatiua, vt loquuntur: quod apud eos magni sceleris instar est. Nec vero etiam inter Catholicos ferendum. Nam quemadmodum quum dixit Adamus, *Hoc nunc os ex ossibus meis*, non recens creauit Euam; sed quid esset Eua iam ante creata docuit: sic profecto qui, Hoc, iam mutatum in corpus meum, est corpus meum; non efficit Sacramentum: sed iam ante explicat: quomodo etiam Paulus dixit, *Petra erat Christus*, non efficiendo, sed contemplando tantum.

XIV. Præterea cum tota hæc nostra disputatio instituta sit, vt enunciatur enuntiatio illa sacramentalis esse vel propria, vel figurata: tum vero hæc interpretatio neq; propriam eum habet, neq; figuratam refutat. Nam quia mutatio gemina est: vna quæ rem ipsam eius qui in suæ, tum materiæ, tum formæ proprietate; vt cum mutantur tantum accidentia: altera quæ prorsus naturã mutat, quæ prius fuit, vt cum Loth vxor facta est statua salis. Si priorẽ dicas, manet nostrum argumentum integrum: quoniam manet semper panis, vt nos asserimus: ac proinde disparatum enunciatur de disparato: quo modo consentiunt Papistæ, nullo sensu proprio vere dici, panem esse corpus Christi. Sin alteram, nouum genus erit figuræ: Nam si mutata est prorsus natura; non potest proprie retineri nomen prioris naturæ, quæ esse desiit. Sic etsi verum, semen mutari in arborem; tamen nemo tam stupidus est, vt imaginetur proprie dici, *Semen est arbor*. Neq; Theologus vnquam somniauit: vxorem Lothi fuisse salem: alioquin verum esset, salem fuisse vxorẽ Lothi. Nimirum certum est, materiam dici de materiato per metonymiam. Et huc pertinet exemplum Michaelis. Nam quia nullum corpus mortuum est homo; vt pote priuatum sua forma, per quam habet vt sit id quod est: nec sepelitur nisi corpus mortuum: profecto qui sepultum dicit hominem, loquitur improprie, significans duntaxat hominis exdauer esse sepultum, id est, partem quæ fuit hominis.

XV. Denique res fiet manifestior præsenti illo exemplo alterius partis. Nam cum dixerunt Lucas & Paulus, *hoc poculum*; nemo negare potest intelligi hoc illud poculum acceptum, benedictum, traditum discipulis: & tamen potestne quisquam negare: hoc poculum sic decurrens per omnes illos accusatiuos, dici figurate, id est, συνεκδοχικῶς, continens pro contento? Quare patet hanc multorum accusatiuorum congeriem, tam curiose affectatam, non tollere figuram: alioquin tolleret æque ex calice, atque ex pane.

XVI. Verum enimvero Petrus Michael de hoc poculo sic philosophatur. Primo, Nullam Euangelistam dicere, Hic calix est sanguis: sed *hic calix est sanguinis mei*: & ita diserte significare sanguinem in calice fuisse. Secundo, Calicis nomen, pro ea quæ in ipsa erat potione accipi. Quis enim dubitet Christum de eo loquutum, quod dabat ad bibendum: τὸ ἐκχυνόμενον quod effunditur pro Apostolis: quod dabat in remissionem peccatorum? Quorum nihil poculo: sanguini omnia conueniant.

XVII. At qui in primo, etsi verum est non dici, Hic calix est sanguis, tamen etiam falsum dici, *hic calix est sanguinis*: quanquam ita referatur in Canone Romano. Nam apud Lucam legimus, *Hic calix est Nouum Testamentum in sanguine meo*. Apud Paulum vero, *hic calix Nouum Testamentum est in meo sanguine*. Itaq; falsum etiam Michael infert significari, sanguinem in calice fuisse. Longe enim aliud est, Calix sanguinis, qua ratione videlicet vulgo calix vini, id est, plenus vino, aliud, Calix Nouum Testamentum: nam illa propria phrasis est, &, opinor, vsitata olim apud Scythas, qui mutuum sanguinem propinabant: hæc vero nunquam audita nisi in hoc Sacramento: & quidem ita vt non possit negari figurata, vel à iuratissimis figurarum hostibus. Non enim potest esse idem sanguis Christi, & testamentum in sanguine Christi: Itaq; si concedamus hunc calicem esse proprie sanguinem Christi, profecto non poterit concedi esse itidem proprie testamentum Christi. Sunt enim disparata, sanguis Christi, & testamentum: ille, res naturalis: hoc vero res moralis, & in sola mente.

XVIII. In secundo iam professi sumus calicem sumi pro potione contenta. Sed ea quæ sumpta erat, & ideo prius nominata. Nam sanguinem suum Christus nondum aut nominarat, aut indicarat: neque Apostoli poterant calicis nomine designare. Præterea hoc ipsum rediret ad identicam propositionem iam explosam. Quare potio intelligenda est, ea ipsa quæ in poculo erat essumpta.

XIX. Nam quod negat ei potioni conuenire τὸ ἐκχυνόμενον, & quidem pro peccatis, nihil habet obscuri. Hæc enim referuntur ad designationem eius sanguinis, ex quo constat non subiectum enuntiationis: sed attributum; vt si dixisset Paulus, Petra erat Christus ex cuius latere effundendus erat sanguis & aqua; (quod etiam postulat analogia, vt alias obseruauimus) hoc quicquid est de latere non pertineret ad petram, enuntiationis subiectum, sed ad Christum attributum: itaque figuram non excluderet.

XX. Grammaticam tractat aliter Sanctesius; Reperit 3: capit. tertio, τὸ ποτήριον Græcis. & poculum Latinis de sua natiua significatione æqualiter & indifferenter vasculum, & potionem complectitur; Porro in sacris literis pro potione frequentius quam pro vasculo: & ob id in eisdem literis habendam rectam & naturalem poculi pro potione significationem, & non eam quæ vasculum importet: cum dictionis significatio deputetur ea naturalis, quæ fit magis communis & vsitata: figurata vero quæ longius à communi recedit. Quæ autem adduntur, *Quod pro vobis funditur*, *quod benedicimus*, non nisi ridicule & impie vasculo accommodari possunt: sed possunt potioni, id est, sanguini.

XXI. Atqui putabam hoc delirium solius esse Sebastiani Michaelis, non vllius viri sani. Bene est, quod vnus & alter concurrit. Perierat pudor è mundo si tertius accessisset. At nos opponimus omnes interpretes institutæ Eucharistiæ, quorum nemini venit in mentem poculum aliter sumi quam pro vase. Anselmus in priorem ad Corinthios, *In sanguine meo*, *quo plenus est idem calix*. Lombardus, *Quasi dicat*, *id quod continet hic calix*. Benedictus Iustinianus: *Ambrosius hoc*, inquit, *poculum Nouum Testamentum est: itaque in melitis expressit Græcam vocem* ποτήριον, *quod significat id vnde bibitur*, *siue cyathus*, *siue calix*, *siue vrceus sit*. Guillaudus, *hoc contentum in hoc calice*, *seu poculo*. Salmero, *Dicitur calix Nouum Testamentum in sanguine*; *quia complectitur sanguinem*. In Lucæ vicesimum secundum, Cartusianus, *Ponitur continens pro contento*, *vt sit sensus*, *sanguis meus existens in calice*. Gotranus, *hic est quasi hypallage*, *hic calix in sanguine meo*, *id est*, *hic sanguis in calice est Nouum Testamentum in meo sanguine*. Caietanus, *Calix seu poculum*, *vas pro vsu bibendi sonat*, Catechismus Tridentinus. Quod vero dicitur, *hic est calix sanguinis mei*, *sic intelligendum est*, *hic est sanguis meus*, *qui hoc calice continetur*. Denique, *hæc est communis explicatio Theologorum*, inquit Suares, disput. 50. sect. 2. Vns de Bielem lect. 52 in Canonem.

XXII. Et deriuantur quidem ποτήριον, & poculum à potando: sed qui inde concludat, æque designare potum & vas: idem dicat ψαλτήριον esse cantionem: & habitaculum esse habitationem. & multa similiter absurde. Quis enim nescit ab eadem origine nomina multiplicari in varias significationes: & aliud esse Psalmum, psalterium psalteriam ab eodem fonte?

XXIII. In Scripturis, inquit, sæpius pro potione. Fieri potest, inquam. Sed quid facies calici? An isto etiam significari proprie potionem. Et tamen ea voce plerunque inuenias redditum ποτήριον; imo nunquam poculum, nisi cum proprie, & octo locis omnino: Geneseos quadragesimo bis: Iudicum nono: Ester primo: in Cantico bis: bis in Apocalypsi: alias semper calicem leges. Et sane non est verum, eam propriam esse significationem, quæ sit magis communis: sed quæ prima. Nam alioquin Ecclesiam, & Baptismum nunquam dabis tam frequenti in vsu fuisse; quam pro communione Sanctorum, & lauacro regenerationis: quas tamen notiones constat non esse proprias. Neque adeo si esset verum; æquum esset magis communem vsum metiri ex Scripturis. Quis enim ignorat cuique scientiæ sua esse vocabula propriis vsibus aptata? Nam profecto Baptismum semel puto in Scripturis vsurpatum pro lotionu? quæ tamen erat notio magis communis.

XXIV. Concedo illa de effundendo, & benedicendo calice, non posse in vasculum proprie dictum competere; sed vsurpari tamen proprie pro potione, non est consequens: Nam cur non potius improprie: Nam tu ipse Sancte si disputas in eam rationem, paulo ante exponens alium locum, *Metaphorica & tam lata illa locutio probabilissime putatur*, *Donec bibam illud nouum in regno Patris mei*. Vnde probas metaphoram? *Regnum enim Dei*, inquit *Apostolus*, *non est esca & potus*. Patere ergo nos itidem ex iis absurdis concludere: dictum quod tuus Thomas scriptum reliquit 3. partis quæst. 78. art. 3. cum dicitur, *Hic est calix sanguinis mei est locutio figuratiua*. *Et potest dupliciter intelligi*. *Vno modo secundum metonymiam*, *qua ponitur continens pro contento*. *Alio modo potest intelligi secundum metaphoram*, *prout per calicẽ similitudinarie intelligitur passio Christi*. Imo Cæsar Bullingerus contra Tractatum Orthodoxũ p. 2. sect. 10. *Dixit*, *Hic calix pro vobis effusus*, *est Nouum Testamentum in meo sanguine*, *id est*, *id quod continetur in calice*: *quandoquidem calix secundum se*, *non potest effundi*. Denique Suares disputat. 46. sect. 3. *Quamuis illa vox significet potum sibi contentum*; *tamen illa valde vsitata significatio*, *licet sit translata*.

XXV. Hactenus solutionis pars prima. Nunc altera est Bellarmini. Pronomen, hoc, non demonstrare præcise panem, nec corpus, sed in communi substantiam, quæ est sub illis speciebus: sic tamen vt demonstratio proprie ad species pertineat, non quidem vt sensus sit, Hę species sunt corpus meum: sed in obliquo hoc modo, *Sub his speciebus est corpus meum*.

XXVI. Verum hæc solutio facile refellitur. Nam primo omnes huiusmodi enuntiationes per indiuiduum vagum, designant præcise substantiam. Non enim potest vllum indiuiduum esse non præcisum. Itaq; cum legimus, Act. 26: *Dimitti poterat homo hic*, etsi sit indiuiduum vagum, *homo hic*, tamen nihil designatur non æque præcisum ac si Paulus esset expressus. Neq; in vllis enuntiationibus huius ordinis alia esse potest.

XXXVII. Deinde perplexitatem vide, Nam cur dictũ, non demonstrari præcise panem, aut corpus? Nam ita videtur concedi tantum secundũ quid vtrumq; demonstrari. Quomodo ergo secundum quid? Vnde non alterutram tantum, sed vtrumq;? Ergo sensus esset Hic panis, & hoc corpus meum est corpus meum. Quod tam absurdum; vt nemini hactenus fuerit dictum. An potius, vt secundum quid panis, id est secundum accidentia? Quomodo ergo corpus? etiam ne ipsum secundum sua accidentia? Nõ tolerabunt corporalis præsentiæ tanti amatores. Et tamen æque negatũ, vtrumq; demonstrari præcise? Et quid ergo erit vnde præcisio illa definienda sit.

XXVIII. Sed hoc, id est, substantia sub illis accidentibus. Falsum ergo est, demonstrationem proprie ad species pertinere. Nam ita vsus est; vt quoties quid designetur per istiusmodi pronomina, intelligatur indiuiduũ suis circumstantiis designatum: vt cum Christus dixit, *hic est verus Israelita*, intellexit illam substantiam quæ mouebatur, & veniebat ad se, id est, locum mutabat: itaq; sensus fuit, Hæc substantia ab illo loco veniens ad istũ. Et ita non præcise substantia, sed cum suis accidentibus. Verum hæc accidentia nõ proprie demonstrabantur tanquam subiectum prædicationis: sed tantum per accidens, vt describentia subiectum. Similiter cum diceret, *hoc est os ex ossibus meis*; substantiam intellexit à se in eo loco visum: sed neq; locus, neque visus subiectum erat eius enuntiationis.

XXIX. Quid nos autem agimus? Profecto inquirimus huius nostræ enuntiationis subiectum, & quidem proprium, quodq; per se non per accidens Christus habuit in mente, cum diceret; *Hoc est corpus meum*. Quare sicut cum audimus. Hæc substantia mouens se ad nos, est verus Israelita; neque motum, neque locum, neque eos, ad quos fiebat motus; sed illam substantiam concipimus proprie vereque subiectum; reliqua autem nullo modo subiectum; quia tantum per accidens: nam si non per accidens: sed proprie; ergo nunquam illa substantia, fuisset verus Israelita, nisi illo ipso momento cum ita moueretur: Sic cum audimus, *Hoc est corpus meum*, & inquirimus quodnam illud sit verum & proprium subiectum de quo præ-dicetur corpus meum, absurdissime respondent qui species, id est, accidentia designant: nisi forte tam valde insaniant, vt negent illam substantiam, quæ latet sub iis accidentibus, esse corpus Christi, nisi quandiu sic latitet,

ac proinde

ac proinde ne tum quidem cum traderetur pro nobis in crucem. Quod si obtinet, eadem ratio erit cum in proditione Iscariotes dixit, Marc. 14. *Quemcunq; osculatus fuero, is est*: quoniam sensus est: Ea substantia quam osculatus fuero, est Iesus: consequens erit, vt nunquam fuerit Iesus, nisi quandiu ipsum proditor osculatus est.

XXX. Denique hæc omnia eo redeunt tandem, vt identica sit propositio: Quænam enim erat, quæso, illa substantia quæ continebatur sub accidentibus? Nonne illud ipsum Christi corpus? At Bellarminus ipse refutat hanc identitatem. Quia vero sacramentalia non sint speculatiua, sed practica; efficiatq; quod significent. Doceat ergo nos quomodo fiat vt horũ verborum, vt substantia illa quæ latet sub accidentibus illis, sit corpus Christi. Nam si dicat, effici vt ita lateat, rem dicit quam non quærimus. Hoc enim agitur vt sciamus quomodo, *Est corpus meum*, prædicetur de, *hoc*, Exempli gratia, cum inquiritur quo sensu legamus, *Ecce vere Israelita*: etsi significetur, Hæc substantia ad me veniens: tamen nullo modo quæritur, vnde factum vt hæc substantia veniret ad Christum: sed quomodo ea quæ supponebatur venire, esset vere Israelita. Itaque supponuntur accidentia non significantur.

XXXI. Et sane si verbum, id effici quod significetur, non potest profecto ab ista enuntiatione effici, vt id corpus sit sub accidentibus istis. Id conficio ex istis Bellarmini verbis respõdentis Martyri arguenti ex particula, *Est*. *Verba illa consecratoria, vt quamuis aliam sententiam non habere perfectam significationem, nisi in vltimo instanti, quo profertur vltima vox: pendet enim intellectus, donec ad finem veniatur: in eodem autem vltimo instanti ponitur effectus verborum in esse, id est, conuersio panis in corpus Christi?* Hinc facile conficitur argumentum. Nullum effectum consecrationis ponitur ante vltimũ instans prolatæ enuntiationis. At hæc substantia latens sub accidentibus, ponitur ante vltimum instans totius enuntiationis: Ergo id ipsum, non est effectum consecrationis. Maior conceditur ab Aduersario. Minor sic probatur. Omne significatum prioris partis enuntiati, ponitur ante vltimum instans totius enuntiationis: At hoc est significatum prioris partis: Ergo ponitur ante vltimum instans. Maior patet, quia significatum cuiuscunque vocabuli absoluitur in vltimo instanti pronuntiationis eiusdem vocabuli: Non enim habet ab enuntiatione tota, sed à seipso, vt seorsim significet. Minor est manifesta ex iam dictis: quia cum conseruetur integra hæc pars, *est corpus meum*: Ergo altertius *Hoc*, necesse est significatur esse, Hæc substantia latens sub accidentibus.

Cap. XXII.

Argumenta quibus Papistæ disputant Hoc *non esse hunc panem.*

I. Sic frustra solutio est. Sed habent argumenta, quibus sperent se demonstraturos non esse legitimum sensum, *Hic panis est corpus meum*. Esto hoc primum ex Maldonato. Si Christus voluit, dicere, *hoc* id est, panis est corpus meum, quare vno verbo non dixit clarius, hic panis est corpus meum? Id enim verborum continuatio postulabat: accepit panem, & cum benedixisset, fregit, deditque discipulis suis, dicens, hic panis est corpus meum.

II. Ridicule. Nam cur non ego vicissim, si voluit dicere, hoc corpus est corpus meum, quare non vno verbo dixit clarius? Et quid est denique quod non possit his artibus eludi? Poterat clarius dicere quam dixit, *Ego sum vitis, & vos palmi es*: Clarius quam, *Semen est verbum Dei*: & infinita similia. Quis enim neget plurima esse non tantum figurata, quæ potuissent verbis propriis exprimi: sed etiam ambigua, quorum etiamnum sensus inquiritur, quæ poterant distinctius? Nempe igitur ita est, cum potest eadem res pariis efferri phrasibus, autori permittitur electio? neque quisquam tam temere sapit, vt omnium rationem sibi reddi oportere putet. Et audent Iesuitæ Christum suæ tyrannidi ita subiicere, vt nisi iis consultis non potuerit nisi proprie loqui?

III. Deinde nego potuisse clarius dici, quam hic à Christo dictum est repetendum esse panem. Nimirum quia clarissima sit phrasis, quæ vsitatissima. Atqui in omnibus linguis vsitatissimum, vt pronomen sit pro nomine. Sic Geneseos 15. cum dixisset Abrahamus, *Vernaculus meus heres meus erit*. Deus respondit, *Hic non erit heres tuus*; non repetito vernaculo. Matthæi 3. *Temporibus illis adfuit Ioannes Baptista*. Et post: *Hic est ille de quo dictum est per Esaiam*: non iteratur, Hic Ioannes Baptista. Luc. 7. *Vides hanc mulierem*? Post: *Hæc lacrymis rigauit pedes meos*: non autem iterato, hæc mulier. Vide igitur importunitatem: tu illis omnibus exemplis facile credas demonstrari superius nomen; nec obtendes vel vmbram obscuritatis: hic tam durus, vt nisi totidem literarum formis audias, Hic panis; clames tenebras: obscuritatem accuses?

IV. Secundum argumentum est eiusdem. Cur cum tres Euangelistę, & Apostolus huius Sacramenti institutionem exposuerunt, & soleant aliis in rebus verbis plerumq; discrepare, dum alius obscurius, alius clarius idem dicit, in hac re eodem omnes verbo vsi sunt? Cur nemo, aut casu, aut consilio dixit, hic est corpus meum, aut hic panis est corpus meum?

V. Respondeo facile: quia neq; casu, neq; consilio voluerunt hæc verba mutata. Quis tu enim es, qui iis legẽ imponas, vt nihil vel figuratæ dictum repetant αὐτολεξεί? Nonnulla mutauerunt, fateor: sed non omnia. Qua libertate alia nonnulla retinuerunt; eadem & ista. Quanquam à te debuimus quærere potius, quænam foret causa mutandi? Nam quam tu obscuritatem prætendis, tuum est somnium; non vlla rationabilis causa. Neq; sane Caluinus ipse voluisset, aut potuisset clarius, certius distinctius suam illam sententiam enunciare, si ei foret enuntianda: nisi cum stupidissimis tui similibus Sophistis negotium fuisset; quibus præter ineptam φλυαρίαν, præter importunum ἀδολεσχίαν nihil est gratum. Sed Apostolis profecto nunquam finis fuisset nugarum, si scripsissent in gratiam eorum, quibus tam peruersa mens est.

VI. Quod si tamen nonnihil stupiditas hærebat; promptum datum est auxilium in membro proximo: in quo, quod erat Matthæo dictum, *Hic est sanguis meus*: Lucas dixit, *hoc poculum*; nec aliter Paulus. Nemo negat eandẽ vim esse prioris & posterioris: proinde & interpretationem. Dic ergo Maldonate, quia æque in priore panis præcessit, vt in posteriore poculum: æqualiter interpretandum nobis ostendisse, Hunc panem, & Hoc poculum. Sin pergis vitiligare, perge sane vitiligare, Nobis mens est sana.

VII. Tertium argumentum multorum est; Alphonsi de Castro, Maldonati, Vasquis, Dedchi, Brugensis, & aliorum. Quod & Latine sic & Græce diuersi, quam panis generis sit pronomen. *Panis* ἄρτος masculini, τοῦτο, *hoc*, neutrius. Non ergo ad panem referri potest, cum quo genere non conuenit. Panigarolla lectione 16. *Quid eo ineptius, quid peius ad quod miser confugit, vt dicat articulis, Hoc & Hic. significari panem & vinum? An censebit hoc esse Grammatice loqui, si dicatur, hoc panis est corpus meum, & hic vinum est sanguis meus.*

VIII. Respondeo, negari consequentiam. Nam omnia adiectiua substantiuari possunt in neutro genere: quod norunt vel infimæ classis discipuli rudimentorum. Et ne prolixe exempla colligam: En tibi huic nostro germanum ex Græco, Latioque textu Geneseos 2: ᾠκοδόμησεν κύριος ὁ θεὸς τὴν πλευρὰν ἣν ἔλαβεν ἀπὸ τοῦ ἀδὰμ εἰς γυναῖκα. καὶ ἤγαγεν αὐτὴν πρὸς ἀδὰμ· καὶ εἶπεν ἀδάμ, τοῦτο νῦν ὀστοῦν ἐκ τῶν ὀστέων μου, καὶ σὰρξ ἐκ τῆς σαρκός μου. *Et sanctificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* En tibi τοῦτο, *hoc*. pronomen neutrum: relatum ad præcedentem mulierem fœminini generis: At in Chaldaica paraphrasi, הדא זמנא גרמא מגרמי, *Hac nunc os de ossibus meis*. Et Theologi Louanienses vertentur Gallice, *Cela maintenant est os de mes os*: manifeste intelligentes substantiuatum. Simile apud Libanium in Diogene, ἐμοὶ γὰρ ὑπείληπται καλόν. ὁ δίδωσι πράττειν ὁ κύριος καὶ νῦν σοὶ μὲν ταῦτα ἀταξίαν, ἐγὼ δὲ παιδείαν ἡγοῦμαι, *Equidem rectũ esse iudico quod concedit is, in cuius potestate sum. At nunc tu quidem ista petulantiam, ego vero disciplinam censeo*. Nam etsi hic non est mutatum genus, tamen numerus est alteratus; cum non magis de masculino neutrum, quam singulari plurale construi Grammatica patiatur. Plutarchus, Phocione de politica administratione loquens ἐὰν δὲ μιχθῇ, *si admisceatur*, nempe, τὸ ἐπιεικές, *moderation*, τοῦτο ἐστὶν ἡ πάντων μὲν ῥυθμῶν, πασῶν δὲ ἁρμονιῶν ἐμμελεστάτη καὶ μουσικωτάτη κρᾶσις, ad verbum reddam: nam Lapus liberius, *Hoc est omnium numerorum & harmoniarum ac concentuum perfectissima, & maxime musice concinnitas*. Basilius & genus mutauit & numerũ, homilia de humana Christi natiuitate, Χριστοῦ γέννησις ἡ μὲν οἰκεῖα ἢ πρώτη καὶ ἰδία αὐτοῦ τῆς θεότητος σιωπῇ τιμάσθω. *Christi generatio propria quidem illa & prima quæq; diuinitatis eius est, silentio colatur*: μᾶλλον δὲ καὶ τοῖς ἐννοίαις ἡμῶν μὴ ζητεῖν ἐκεῖνα, μηδὲ πολυπραγμονεῖν ἐπιτάξωμεν, *Imo vero nostris etiam cogitationibus imperemus ne illa inquirant, neq; curiose rimentur.*

IX. Iactat Sophista bis, prius quasi concedens substantiuatum esse. Et primo præscribit, Hoc, inquit, tenemus, pronomen, *hoc*, non distincte accipi pro pane, sed argumentando obtinendum esse, vt pro illo sumatur.

X. Respondeo, primo falsum sumi: nihil enim distinctum est, si non distincte, *hoc*, pro pane accipiatur: itaque nulla argumentatio illa nostra est, sed tantum obiectionis solutio. Deinde quid tum si esset? An quod nobis negatur, nefas erit argumentis obtineri? Nimirum sibi ille præcauet, qui toties quasi prætor creatus, sua pronuntiet edicta; vt sibi argumentandi laborem minuat. Denique quid? Non ipse argumentis euincere conatur pronomen, *hoc*, idem ipsum accipi pro corpore? Scilicet ille poterit nobis tanquam incommodum obiicere, nos pro eius laude oportebit agnoscere! Tanti est partes mutare.

XI. Nunc disputat, Si substantiuum est, inquit, cur potius non sequamur interpretationem Christi, *Hoc*, quod vobis do, est corpus meum; quam Caluinistarum somnium, Hoc quod vobis do, est panis. Deinde vt concedamus substantiuum esse, cur vulgarem potius Catholicorum explicationem, quæ naturæ pronominis multo magis conuenit, non sequamur, vt pronomen, *hoc*, neque pro pane, neque pro corpore Christi sumatur, sed tantum significet id, quod Christus daturus erat, & vt vocant, indiuiduum vagum sit?

XII. Enimvero, inquam, Caluinistæ nomen nobis iniuri nemo mirabitur, qui Loioliticorum pecorum norit ingenium. Sed Caluino imputari hanc interpretationem, Hoc, quod vobis do, est panis, indignabitur quisquis audierit aliquando vetus illud, *Cum bonis bene agier*. Enimvero & nos, & Caluinus Christi sequimur interpretationem ad amussim; & accurate tenemus illud ipsum, Hoc quod vobis do, est corpus meum, id est, hic panis quem vobis do. Porro indiuiduum illud vagum, id est, neq; panẽ, neq; corpus, nec Catholicorum esse quisquã dixit nisi Papista, cui præ cerebri vitio nihil Catholicum nisi Papisticum: nec conuenire naturæ pronominis, vllus sibi persuadebit nisi cui ne sensus quidem communis non heteroclitus.

XIII. Sed hæc ille, quasi cum pueris luderet, quod credo, sæpius erat solitus. Nunc quasi cum viris serio: Omnibus viribus contendo, inquit, Adiectiuum esse: neq; vlla ratione substantiuũ esse posse, aut pro alia re quam pro corpore Christi accipi. Papæ! virum grauem: virum cuius vires terreant omnes cuiuscunq; generis aduersarios. At impudentem Goliathum, quem vel pastorculi funda fundat? Sed enim edicti tam peremptorij, quæ causa? Minime dubium, inquit, quin eodem modo hoc pronomen sumendum sit, cum de pane, & cum de sanguine. At cum de sanguine, non refertur ad vinum, sed ad sanguinem. Hoc probat ex Luca & Paulo, qui pronomen cum sequenti, non cum præcedenti coniunxerunt; dicentes, *hoc poculum*. Deinde ex editione Latina, in qua habetur, *Hic est sanguis meus*.

XIV. Atqui edicenti huic prætori reclamat prætor alius Iansenius Concordiæ, cap. 131. *Cum dubitanti & quærenti de re aliqua, quid est hoc vel illud, dicimus, Hoc est lapis, hoc est argentum: pronomen hoc tantum in genere at confusum conceptum alicuius indiuidualis substantiæ: & est sensus, Hæc res, vel hæc substantia est lapis; vel est argentum: sic & præsentis orationis sensus est,* Hoc. *id est, hæc substantia, quæ scilicet his velatur accidentibus est corpus meum*. Vides comparari hanc enuntiationem aliis, in quibus manifeste pronomen est substantiuatum: & exponi per *hæc res*. Vnde Vasques c. 3. disp. 201. *Cum his*, inquit, nempe qui putant substantiue pronomen vsurpari, *nouissime sentit Iansenius*. Et vero idem Iansenius explicans verba Calicis, *Pronomen neutrum, hoc, magis conuenit indeterminatæ demonstrationi substantiæ, qualem demonstrationẽ supra dictum est esse in his consecrationum verbis*. Sed & Scholasticis olim vix aliter visum. Certe Thomas in 11. prioris ad Corinthios. *Ergo sensus est, Hoc, id est, contentum sub his accidentibus, est corpus meum.* Nam cur eos nominem qui dixerunt indiuiduum vagum?

XV. Rur-

XV. Rursus huic prætori potentissime opponuntur omnes Papistæ nostri, id est, Galli: qui non aliter vertunt hæc verba huius consecrationis, quam per substantiuum. Louanienses, *Prenés, mangés, ceci est mon corps.* Et ita constanter in Marco, Luca, Paulo. Profitentur tamen Louanienses hærere constanter editioni Latinæ vulgatæ. Neque mihi lectus est quicquam, qui aliter. Sebastianus Michaelis 2. responsionis, capite 12. *Absurdus quidem sensus esset, si dixisset, Hic panis est corpus meum: At non dixit. Sed dixit: Ceci, hæc res, hæc substantia est corpus meum.* Manifestum est autem nostra lingua, *Ceci*, esse *Hoc*, Latinum substantiuum: Nam si adiectiue esset, *Hoc est corpus meum* vertendum fuerat, *Cetui cy est mon corps* Quid Gallos dico? De Bollo in authentica probatione Christiani sacrificij; *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, tam aperta, tam clara, & per se intellectu facillima, vt nullo quovis idiomate aliud sonent, quam quod Gallus inquit; Ceci est mon corps: Germanus,* Das ist mein Leib. *Hispanus Esto es mi cuerpo. Italus. Questo è il mio corpo.*

XVI. Concedimus eandem rationem esse panis & calicis: atq; adeo hoc nos argumento sumus iam vsi. Sed τοῦτο referri ad sanguinem non ad vinum: pretio debet auferre Maldonatus, non vi rapere: quanquam ne hoc quidem sperare potuit, nobis viuentibus, videntibus. Retulit Lucas ad sequens: hoc vero mendacium est: nam poculum non est sequens: sed repetitum quod præcesserat. Enimvero quid ludit vocabulis Sophista? Quæstio nunc est vtrum referatur ad *sanguis meus*, Sophista probat referri ad poculum. Non rideris auditores? Sane idem est *sanguis meus, & Nouum Testamentum in sanguine meo.* Itaque comparatis Matthæo & Luca, Enuntiatio erit, *Hoc poculum est sanguis meus.* Et non mentitur Maldonatus?

XVII. Sed Latinus interpres vertit, *Hic est sanguis meus.* Sed Iansenius, inquam, sic notauit, *Pro illo, Hic est sanguis meus, Græce est, τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμά μου, vnde patet non solum quod dictio, Hic, non sit aduerbium hoc loco, sed pronomen: Verum etiam quod pro pronomine masculino, hic; verti posset neutrum hoc, vt ita sit, Hoc est sanguis meus, Quæ versio magis conueniret, ei quod præcidit; Bibite ex hoc omnes: vt iam eiusdem generis pronomen subiiciatur, subiiciendo, Hoc est enim sanguis meus.* Hæc ille. Sed & rursus Gallice legunt omnes Papistæ, *Ceci est mon sang*: nemo *Cestuy ci est mon sang.* Et videtur Damascenus interpretatus, cap. 14. 4. de Orthodoxa fide, *Ipso Domino dicente,* τοῦτό μού ἐστι, οὐ τύπος τοῦ σώματος, *Non dixit, Hoc est typus mei corporis.* Imo longe prior Tertullianus, Quarto contra Marcionem, *Hoc est corpus meum, id est figura corporis mei.* Nam id signat, *Hoc est figura corporis mei.* Nec certe aliter Scholastici indiuiduum vagum sunt imaginati, vt esset Hoc, id est, hæc res.

XVIII. Bellarminus cornuto pugnat argumento. Vel illud, *Hoc accipitur* adiectiue vel substantiue. Si adiectiue debet concordare cum substantiuo: quare non potest demonstrare panem, sed corpus. Nam panis est masculini generis tam Latine, quam Græce; at in neutro genere habetur τοῦτο; & Latine *Hoc*, quod conuenit cum corpore; quod Latine & Græce est neutri generis. Similiter in altera specie, vinum Græce est masculini generis, & sanguis neutri: Dominus autem dixit, non οὗτος, sed τοῦτο. Latine autem è conuerso, vinum est neutri, & sanguis masculini: & tamen omnes legunt, *Hic est sanguis*, non *hoc*, vinum scilicet *est sanguis.* Si accipitur substantiue, tum sensus erit. Hoc, id est hæc res est corpus meum. Si autem hæc res de pane dicatur, absurdissima propositio erit. Non enim potest dici hoc de re quæ cernitur & aperte cognoscitur, nisi sit generis neutrius res illa. Ratio est; quia cum subiectum debeat esse notius prædicato: cum subiectum est notum audientibus in particulari, non debet efferri per nomen vniuersale: sed tunc solum debet efferri per nomen vniuersale, cum non est notum, nisi in vniuersali. Vt cum vident aliqui longe nescio quid, sed non discernunt quid sit, arborne, an lapis, an homo: ego autem video esse hominem: quare dicam cæteris, illud est Homo: at si videant hominem, sed non discernant quis sit, Petrus, an Paulus, an quis alius, non dicam illud est Petrus, quia iam sciunt esse hominem; sed dicam ille est Petrus. Cum ergo discipuli panem viderent, & panem esse non ignorarent; absurdissima fuisset locutio, si de illo pane Dominus dixisset, *Hoc est corpus meum*, cum debuisset dicere, Hic panis est corpus meum.

XIX. Sic ille subtiliter Sophista. Ast ergo contra solide respondens; siue adiectiuum sit, siue substantiuatum pronomen; nihilominus eo demonstrari panem; vsitato, trito, familiari; linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, vsu. Itaque sane, etsi concessetim non male coniicere, qui *Hoc*, substantiuatum dixerunt: quoniam ita planius, & clarius intelligatur sententia eius enuntiationis: tamen libere dico, non videri vehementer contendendum. Imo credo cum Græce, cum præcipue Latine (nam Hebraice non est opus dicere, vbi genus neutrum nullum) durius esse; & accedens ad barbarismum: vt dicatur, *Hoc est sanguis meus.* Neque futurum quenquam paulo elegantius aut Latinum, aut Græcum, qui non dixerit; *Hic est sanguis meus*: eodem tamen sensu, Hoc vinum, siue hoc poculum est sanguis meus. Et qui contra asserant Papistæ, hos, ego, non Papista, assero nihil videre, nihil scire aut Græce, aut Latine.

XX. Videamus argumenta Bellarmini; prius de adiectiuo. Debet, ait, concordare cum substantiuo. Quonam, inquam, substantiuo? Præcedente? Nam hoc puto Bellarminum velle: quod constat ex sequentibus, cum negat conuenire, cum ἄρτος, qui sit masculini generis. Itaque ponit Bellarminus debere congruere cum substantiuo præcedenti in eodem genere, &, puto, numero. Atqui hoc nego. Constanter, inquam, nego: & dico contra, esse vsitatissimum, familiarissimum, quotidianum, vt relatiuum referens nomen præcedens, genere, imo & numero, concordet cum sequente, quod de eo pronomine, atque adeo de antecedente nomine prædicetur.

XXI. Exempla suppetunt μυρία ὅσα. Exoterica. Herodianus libr. 1. κοσμίους τὸν τρόπον. καὶ σώφρονας τὸν βίον. γαμβροὺς αὐτῷ ἠξίου ἑλέσθαι. ταῦτα γὰρ μόνα τῆς ψυχῆς ἴδια καὶ ἀναφαίρετα ἡγεῖτο κτήματα. Politianus vertit, *Qui morum probitate, atque modestia, vitaque innocentia præcellerent, eos sibi generos deligendos putabat, Hæc enim sola animi bona certa esse stabiliaque dicebat.* Rursus agens de primo vitæ periculo Commodi ab insidiis Quintiani; αὕτη μὲν δὴ πρώτη καὶ μεγίστη αἰτία τῷ μειρακίῳ μίσους ἐγένετο πρὸς τὴν σύγκλητον βουλήν. *Hæc igitur prima, maximaq; odij causa adolescenti aduersus Senatum exstitit.* Libanius, Chria I. αὕτη μὲν ἡ τῶν πραγμάτων Ἀλεξάνδρῳ τιμωρία, Morellio interprete, *Hæc rerum testimonia Alexandrum tuentur*: nam re vera induxerat Libanius quædam magnorum virorum exempla illustria ergo amicos? sed ad verbum, *Isthæc rerum est vindicta Alexandro*: pro hæc res tuentur Alexandrum. Heliodorus Æthiopicon 1. ὁ δὲ Θύαμις· τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα τοῦ λῃστάρχου, *At Thyamis: hoc enim nomen erat latronum duci.* Polybius lib. 2. τὸ Καπιτώλιον ἐκόσμησε τοῖς σημαίαις, καὶ τοῖς μανιάκοις· τοῦτο δ' ἐστὶ χρυσοῦν ψέλλιον, *Signis militaribus & maniacis, ita vocant armillas aureas, Capitolium ornauit* Tertio, Διαιρεῖ τὸν Ἀπεννῖνον· τοῦτο δ' ἐστὶν ὄρος συνεχές, *Apenninum secat: Hic autem mons est perpetuus.*

XXII. Sacra. Geneseos 32. ויאמר יעקב כאשר ראם מחנה אלהים זה εἶπε δὲ Ἰακὼβ ἡνίκα εἶδεν αὐτούς, παρεμβολὴ θεοῦ αὕτη, *Quos Angelos cum vidisset Iacob, ait Castra Dei sunt hæc.* Exodi 8. de ciniphibus, אצבע אלהים הוא *Digitus Dei est hic.* cum tamen Græce: δάκτυλος θεοῦ ἐστὶ τοῦτο, *Digitus Dei est hoc.* Deuter. 4. *Scitis quod docuerim vos præcepta atq; iustitias.* Et paulo post, כי הוא חכמתכם: ὅτι αὕτη ἡ σοφία ὑμῶν, *Hæc est enim vestra sapientia.* Ioannis 17. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν. *Hæc est autem vita æterna. vt te cognoscant solum verum Deum*: id est, interprete Thoma, *Intelligere & videre Deum, est vita æterna.* Ad Romanos 11. Sicut scriptum est, *Veniet ex Sion ille liberator, & auertet impietatem à Iacob*: καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη, *Et hoc illis à me fœdus.* Prioris ad Corinthios 9 ἡ ἐμὴ ἀπολογία τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνουσιν, αὕτη ἐστί, *Mea defensio apud eos qui in me inquirunt, hæc est*: vbi Iustinianus. *Bifariam hæc verba accipi possunt: nam & ad superiora; & ad ea quæ consequuntur referri possunt.* Ergo inquam, *Hæc*, pronomen fœmininum refert vel istud, *signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino*: vel istud, *Nunquid habemus potestatem manducandi & bibendi?* Vtrumuis autem debuit esse neutrius generis. Damascenus Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 14. τοῦτον τὸν ἄρτον εἰκονίζουσι τῆς προθέσεως. αὕτη ἐστὶν ἡ καθαρὰ θυσία δηλαδὴ καὶ ἀναίμακτος; *Hunc panem, panes figurabant propositionis. Hæc est pura scilicet hostia & incruenta, quam ab ortu vsque ad occasum ipsi offerri per Prophetam Dominus loquitur.* Ad Ephesios 5. *Mysterium hoc magnum est.* Iustinianus, *Pronomen, Hoc, aperte ostendit ea verba referri, ad id quod paulo ante fuerat enarratum.*

XXIII. Manifesta nunc res est. Nam ita erat argumentum. Omne pronomen concordat cum nomine quod refert. At *hoc* non concordat cum pan. Ergo non refert panem. Atqui his exemplis solide confutatur maior. Nam in Heliodoro, Thyamis masculinum, refertur per τοῦτο *Hoc* neutrum. In 32. Geneseos, Angeli plurales masculi referuntur Hebraice per זה Hic, singulare, & Græce per αὕτη fœmininum singulare; & Latine per *hæc* neutrum plurale. In Ioannis 17. *Cognoscere Deum*, quod quidem neutrum est, refertur per αὕτη, *Hæc* fœmininum. Cur non igitur hoc loco panis qui præcessit, queat itidem referri per *Hoc* pronomen adiectiuum concordans cum corpore substantiuo sequente.

XXIV. Iam de substantiuato quid habet? Non potest, ait. *Hoc* dici de re quæ cernitur, & aperte cognoscitur, nisi sit neutri generis res illa. O Donati! O Prisciani! O quotquot estis Grammaticæ rei autores classici: cur hoc arcanum tandiu celatum est? Cur relictum inueniendum; proponendum, exponendum vni tandem Bellarmino? Imo vos olim Septuaginta: tu, tu Hieronyme, quomodo tam facile solœcismum admisistis, vt de Eua præsente, & oculis vsurpata Adami, diceretis τοῦτο, *Hoc*? Ne tu quidem Plutarche, fuisti congruus, qui τὴν πολιτείαν fœmininam repetiueris, per τοῦτο? Adde Polybium lib. 1. Ἀφελόμενοι τὴν ἐκ διαφέσεως αὐτῶν μάχην: ὅπερ ἴδιον ἐστὶ γαλατικῆς χρείας: *Ab atax elatione eorū pugna: quod proprium est Gallici vsus.* Magnum Bellarmini priuilegium, vt autores classicos possit de ponte deiicere; & Polybium docere male fœminino, μάχην, copulari neutrum ὅπερ.

XXV. Audite rationem philosophicam: sed physicamne, an metaphysicam? Debet, ait, subiectum notius esse prædicato: itaque non debet efferri per nomen vniuersale. Atqui, inquam, antecedens vehementer falsum. Nam, exempli gratia: in hac enuntiatione falsum, *Dialectica est ars bene differendi*; nemo dixit vnquam Dialecticam (subiectum) esse notiorem, arte differendi, prædicato: imo hoc cum declaret prius, oportet esse notius. Deinde si esset verum, tamen intelligendum erat comparatum cum attributo: non cum eo quod refertur. Nam alioquin æque pronomen natum, atque nomen: videlicet quia re non differant: vt in hoc enuntiato, *Hoc est os ex ossibus meis*: quia *Hoc*, Euam significat; æque notum vtrumque: ac proinde si Eua notior, quam *os ex ossibus meis*, itidem, *Hoc* notius. Quæ ratio eadem in *Hoc est corpus meum.* Et sane in vtraque id quod ignorabatur, & erat explicandum, attributum fuit: itaque olim dictum, *Quod videtur panis est: quod autem fides postulat instruenda, corpus est Christi.* Item, *aliud videtur, aliud intelligitur, quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem.*

XXVI. Denique id, quod appellarunt Scholastici ridiculo nomine vagum indiuiduum, semper notius est indiuiduo signato. Hoc, id est, hæc res longe notior, hoc pane, hoc viro, hac fœmina. Ratio facilis: quia nemo ignorare potest id quod videt, quod sentit; quod intelligit, esse rem aliquam. Et potest ignorare esse corpus. Et quia rerum, id est, τῶν ὄντων aliæ substantiæ, alia accidentia: & substantiarum aliæ corpora, alij Spiritus, minus ignorari potest, hoc aliquid substantiam esse, quam corpus. Et quia corporum, alia animata, alia inanima, minus potest ignorari quid esse corpus; quam esse animal. Et sic deinceps. Itaque qui pro hoc pane, dixerit, Hoc simpliciter multo certius dixerit, ac proinde notius, quam qui panem.

XXVII. Et vero, quid de tuis dicturus es gregalibus, Bellarmine, qui sunt interpretati, Hoc contentum sub speciebus panis, est corpus meum: & tamen noluerunt dici. Hoc corpus meum, est corpum meum, etsi re vera idem esse putent Hoc contentum, & corpus meum? Dic, dic Bellarmine; illud ipsum, Hoc contentum est, ne magis notum illo prædicato; an est potius obscurius? Nam si clarius; Ergo contra quam tibi visum

potuit

potuit efferri per nomen vniuersale: sin obscurius; Ergo tuum illud antecedens falsum; quo nos opprimendos sperasti.

XXVIII. Iansonij ad hanc rem noua subtilitas est, capite octauo quarti Liturgicon; probantis ex verbis calicis debere pronomen ad corpus referri, cum sit eadem vtriusque ratio. Cum in forma calicis, inquit, suppositum pronominis, quod est in subiecto sit res expressa in prædicato, pro parte saltem qua in eo ponitur calix; neque i. vacuus, neque enim de illo dixit Dominus: Hic calix est sanguinis mei: sed calix cum suo contento, dicente Irenæo, temperamentum calicis sui Dominus sanguinem confirmauit: necesse est suppositum subiecti etiam ad contentum calicis extendi: imo etiam esse rem illam quæ in prædicato tanquam contentum calicis exprimitur. Quando enim per vocabulum quod est in subiecto plura suo ordine denotantur supposita, debent singula pro re sibi in prædicato respondente supponere: alioqui enim aliqua in parte non esset vera prædicatio; eo quod in omni vera prædicatione subiectum supponat pro re prædicati. Laboraui in assequenda mente tam perplexæ disputationis. Tandem sic concepi. Si in consecratione calicis, subiectum supponit pro attributo: Ergo & in consecratione panis. Consequentia patet; quoniam vtriusque eadem ratio. Antecedentis mira probatio est. Prima ex Luca & Paulo. In consecratione Eucharistici calicis, exprimitur continens Eucharistici liquoris: apud Lucam in prædicato, *Hic est calix Nouum Testamentum in sanguine meo.* Apud Paulum vero in subiecto, *Hic calix Nouum Testamentum est in sanguine meo*: Ex quo apparet pronomen quod in subiecto ponitur, saltem pro parte calicis designare rem eandem; quæ ponitur in prædicato. Secunda ex vsu Ecclesiæ, ponentis vocem calicis in prædicato, *hic est calix sanguinis mei.* Tertia ex verbis Euangelistarum inter se collatis. Apud Matthæum, *hic est sanguis meus*, vbi prædicatum in recto: Quod idem apud Lucam fieri oportet; nec aliud reperitur nisi calix ponatur in prædicato. Postrema. In omni vera enuntiatione subiectum supponit pro re prædicati.

XXX. Respondeo, ad argumentum; non negari consequentiam; nam ea ipsa nos pugnare in oppositum. Sed vehementer negari antecedens: etsi enim demus calicem intelligi non vacuum; sed continens pro contento; tamen non concedimus subjectum supponere pro attributo. Nimirum quia hic calix sit intelligendus, idem qui prius nominatus, cum diceretur Christus accepisse calicem similiter vt panem. Nempe, vt verum panem, ita verum vinum in calice: siue veri vini calicem. Quare hoc verum vinum, siue hunc veri vini calicem, esse Nouum Testamentum in sanguine Christi. Et eo sensu dixisse Irenæum Temperamentum calicis, id est, κρᾶμα. Atqui sanguis non est κρᾶμα.

XXXI. Primæ probationi lumbifragium est ab eo ipso, cui forte prima venit in mentem. Verba habes, *Id tamen, vt verum fatear*, inquit, *ex verbis allegatis*, Pauli & Lucæ, *non euadit omnino indubitatum. Eo quod Lucas apud Græcos non habeat Est. Paulus vero id habeat in quibusdam solummodo codicibus & nominatim Complutensibus. Proinde ex textu Lucæ & Pauli certum haberi non potest, num Est ponendum, sit ex loco, vt calix sit in subiecto, an vero in prædicato.* Amo candorem: dum sit perpetuus, Nam quid iuuat, semel bonum virum mentiri?

XXXII. Lucas & Paulus Hebraismo vsi sunt; nullo addito verbo. Quemadmodum enim habes Geneseos 2. זאת הפעם עצם מעצמי; *hoc nunc os ex ossibus meis.* Decimo septimo זאת בריתי *hoc fœdus meum*: Et alias sæpe, sic τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη. Itaque cum constet esse vtriusque idem consilium, similiter vertendum fuit, vel vtrinque, *hic est Nouum Testamentum*, siue, quod idem est, *hic calix est Nouum Testamentum est*: vt sit calix vtrobiq; vel subiectum, vel attributum: non autem hic subiectum, illic attributum.

XXXIII. Vtrum autem melius? Præscripsit Syrus דיתיקא חדתא הנא כסא איתוהי, *hic calix est Nouum Testamentum.* Et editio Complutensis. Sed & Chrysostomus, atque Oecumenius, apud quos habes τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν, *hoc poculum illud Nouum Testamentum est.* Quam lectionem sequuta est editio Latina, indeque omnes Latini. Fauet Sacramentalis loquutio; per quam nomina permutantur: nulla enim permutatio esset, si calix esset attributum, Tum autem analogia. Nam quomodo illud αὕτη ἡ διαθήκη, cum articulo designat non *hoc pactum*: Genes. 10. הוא העיר הגדלה αὕτη ἡ πόλις ἡ μεγάλη, *hæc est ciuitas magna.* Sic τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη, sonat, *hoc poculum est Nouum Testamentum*

XXXIV. In secunda probatione, quam quæso dicit Ecclesiam: Nam profecto Latina sola dixit, *hic est calix sanguinis*: Et dixit nulla præeunte Scriptura. Cur huic Ecclesiæ deferamus potius quam Græcæ? & Syræ? & Arabicæ?

XXXV. In tertia. Sanguis meus apud Matthæum, idem est, quod *Nouum Testamentum in sanguine meo*, apud Lucam & Paulum: Itaque habes vbique prædicatum in recto. Quare est necesse calicem poni in prædicato.

XXXVI. In postrema, vehementer falsum, in omni vera enuntiatione subiectum supponere pro attributo. Vehementer, inquam, absurdum: itaque nunc primum dictum. Alioquin nullas propositiones oporteret veras esse præter identicas. Quod quis vnquam est imaginatus? Aut quis negauit, aliquando prædicari disparatum de disparato; Nam quod statim explicat; se rem prædicati dicere, non ratione substantiæ, sed accidentis aut similitudinis; nugatur. Tam enim potuit facile dicere. ratione metaphoræ, aut metonymiæ, aut synecdoches, aut Ironiæ; denique ratione disparationis. Et quid non? Atqui aliud est supponere pro prædicato; & pro re prædicati. Si Hoc, siue hic calix supponat pro contento in calice, pro sanguine Christi; tum supponit pro prædicato ipso, non pro re prædicati: quoniam & calicem constat non pro se dici, sed pro contento: & sanguinem dici non pro re contenti: sed pro ipso toto contento, si fides Papistis. Denique quid iuuat λογομαχεῖν? Fateantur Papistæ in *hoc*, siue *hoc calice*, non esse substantiam prædicati, id est sanguinis: & nos dabimus inesse aliquid prædicati; nempe ratione similitudinis.

CAP. XXII.

Hoc esse hunc panem, probatur ex aliis Scripturæ locis, & ex Patribus.

I. IGitur institutio Cœnæ firmiter probat subiectum prædicationis Sacramentalis esse hunc panem. Nunc idem probat Paulus prioris ad Corinthios 11 qui recitatæ institutioni subiicit, *Quotiescunque, ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis. Quisquis ederit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne. Probet quisq; seipsum, & ita de pane illo edat: & de poculo illo bibat*, siue Græce ἐκ τοῦ ἄρτου, ἐκ τοῦ ποτηρίου, *ex pane, ex poculo*: sine pronomine quidem: sed cum articulo tamē cuius vim non male per pronomē expressam voluerunt interpretes, nō tantū Latini, Vetus ille ac vulgatus, & Beza, sed etiam Syrus. Nemo autem nō videt Paulum interpretari verba institutionis, *Edite hoc est corpus meum.* Itaq; oportet *hoc*, esse *hunc panem*, aut Apostolo fidem derogari.

II. Præterea capite 10. *Poculum benedictionis, cui benedicimus nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?* Hic ergo audimus quid sit hoc quod in Eucharistia benedicitur & frangitur. Atqui idipsum in institutione dicitur esse corpus Christi, hic autem communio corporis Christi. Designatur autem in institutione per pronomen, Hoc: nunc vero per, Hic panis. Itaque hic sensus est; Hoc est communio corporis Christi, & in institutione, Hic panis est corpus Christi. Nempe igitur ita: vt panis designet speciem Sacramentalem: at vero; *quem frangimus* indiuiduum: vt ne intelligatur quilibet panis: sed Hic, id est, qui frangitur isto solenni ritu, & vt vno verbo dicam, mysticus.

III. Chrysostomum audi interpretem, σφόδρα πιστῶς καὶ φοβερῶς εἴρηκεν, ὃ γὰρ λέγει τοῦτό ἐστιν· ὅτι τοῦτο τὸ ἐν ποτηρίῳ ὂν ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν. *Valde fideliter dixit & terribiliter. hoc est autem quod dicit: id quod est in calice, est id quod fluxit è latere.* Apud Oecumenium Photius, ἐπάγει καὶ λογισμὸν πῶς γινόμεθα σῶμα χριστοῦ· τί γάρ ἐστι; φησὶν ὁ ἄρτος· δηλονότι σῶμα χριστοῦ, *inducit ratiocinationem quomodo simus corpus Christi. Quid est*, inquit, *panis ille? Nimirum corpus Christi.*

IV. Patres autem magno huc numero veniunt, & constantes. Irenæus cap 32 quarti, *Eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens, hoc est corpus meum: & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est* Capite tricesimo quarto. *Quomodo constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius?* In quæ verba Fischerus notauit, teste Feuardentio, *Ipsis primis verbis velut rem certam affirmat constare panem & vinum esse corpus & sanguinem Domini.* Magno Papistarum incommodo, qui negant fieri posse vt panis sit corpus Domini. Idem Irenæus lib. 5. cap. 2. *Eum calicem, qui est creatura, suum sanguinem, qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem: & eum panem, qui est à creatura, suum corpus confirmauit, ex quo nostra auget corpora.* Paulo post, *De calice qui est sanguis eius, nutritur, & de pane qui est corpus eius augetur.*

V. Iustinus Martyr Apolog. 2. Τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. *Eam in qua per preces Verbi ab ipso gratiæ actæ sunt alimoniam, vnde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Tertullianus de Oratione cap. 6. *Corpus eius in pane censetur; Hoc est corpus meum*: Aduersus Iudæos cap. 10 *Panem corpus suum appellans.*

VI. Cyprianus Epistola 63. *Sic calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque sibi misceatur: quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrumque adunatum fuerit, & copulatum & panis vnius compage solidatum*: Et 6. *Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum: & sanguinem suum, vinum appellat de botris atq; acinis plurimis expressum.* De vnctione Chrismatis; *Dedit Dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuiū. propriis manibus panē & vinū; in cruce vero manibus militū corpus tradidit vulnerandum, vt in Apostolis securius impressa sincera veritas, & vera sinceritas exponeret gentibus, quomodo vinum & panis caro esset & sanguis.*

VII. Cyrillus Mystagogica quarta, αὐτοῦ οὖν ἀποφηναμένου καὶ εἰπόντος περὶ τοῦ ἄρτου, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα. τίς τολμήσει ἀμφιβάλλειν λοιπόν, *Cum ipse enuntiet, & dicat de pane, Hoc meum est corpus: quis deinceps audeat dubitare?* Paulo post: Μὴ πρόσεχε οὖν ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ, σῶμα γὰρ καὶ αἷμα χριστοῦ κατὰ τὴν δεσποτικὴν τυγχάνει ἀπόφασιν, *Ne ergo consideres tanquam panem nudum, & vinum nudum: corpus enim sunt & sanguis Christi. secundum enuntiationem Dominicam.* Iterum, ταῦτα μαθὼν καὶ πληροφορηθεὶς, ὡς ὁ φαινόμενος ἄρτος, οὐκ ἄρτος ἐστὶν, εἰ καὶ τῇ γεύσει αἰσθητὸς, ἀλλὰ σῶμα χριστοῦ· καὶ ὁ φαινόμενος οἶνος, οὐκ οἶνός ἐστιν, εἰ καὶ ἡ γεῦσις τοῦτο βούλεται ἀλλὰ αἷμα χριστοῦ, *Hoc sciens & pro certo habens panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiam si gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi: & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.*

VIII. Gregorius Nyssenus in Baptismum Christi, Ὁ ἄρτος πάλιν ἄρτος ἐστὶ τέως κοινός· ἀλλ' ὅταν αὐτὸν τὸ μυστήριον ἱερουργήσῃ σῶμα χριστοῦ λέγεται καὶ γίνεται, *Panis item panis est initio communis: sed vbi eum mysterium sacrificauerit, corpus Christi fit & dicitur.* Ambrosius de Sacramentis quarti 4. *Quomodo potest, qui panis est, esse corpus Christi?*

IX. Theodoretus Dialogi 1. cap. 8. Ἐν δέ γε τῇ τῶν μυστηρίων παραδόσει σῶμα τὸν ἄρτον ἐκάλεσε, καὶ αἷμα τὸ κρᾶμα, *In mysteriorum traditione corpus panem vocauit, & sanguinem eam mixtionem.* Paulo post: τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν *Visa illa symbola honorauit appellatione corporis & sanguinis.* Iterum: *Cuius putas symbolum & typum esse sanctissimum cibum?* Diuinitatisne Domini Christi, an corporis & sanguinis? δῆλον ὡς ἐκείνων, ὧν καὶ τὰς προσηγορίας ἐδέξατο, *Non dubium quin illorum, quorum & nomina acceperunt.* Dialogi 2. cap. 14. *Quid vocas oblatum donum ante Sacerdotis inuocationem? Cibum ex talibus seminibus.*

Quomo-

Quomodo alterum symbolū nominamus? Commune & hoc nomen est poculi spec e significans. Post sanctificationem vero πῶς ταῦτα προσαγορεύεις, quomodo hac appellas? Corpus Christi, & sanguinem Christi. Hieronymus ad Hedibiam, *Nos autem audiamus, panem quem fregit Dominus, dedit q; discipulis suis esse corpus Domini Saluatoris,* Chrysostomus homil. 34. in 1. ad Corinth, τί γάρ ἐστιν ὁ ἄρτος; σῶμα χριστοῦ *Quid enim est panis? Corpus Christi.*

X. Augustinus Epist. 103. *Secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est; Sacramentū sanguinis Christi sanguis Christi est.* In sermone ad infantes apud Bedam in 10. prioris ad Corinth. *Quod vidistis panis est, & calix: quod vobis etiam oculi vestri renunciant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, Panis est corpus Christi, calix sanguis.*

XI. Damascenus Orthodoxæ fidei lib. 4. οὐκ ἔστι τύπος ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ· μὴ γένοιτο, ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου τεθεωμένον. αὐτοῦ τοῦ κυρίου εἰπόντος, τοῦτό μου ἐστὶν οὐ τύπος τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ σῶμα· καὶ οὐ τύπος τοῦ αἵματος. ἀλλὰ τὸ αἷμα, *Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi. Absit enim hoc: sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente, hoc est meum non figura corporis, sed corpus: & non figura sanguinis sed sanguis.* Theophylactus in 26. Matthæi: εἰπὼν δὲ τὸ μού ἐστι τὸ σῶμα, δεικνύει ὅτι αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἐστὶν ὁ ἄρτος ὁ ἁγιαζόμενος ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ οὐχὶ ἀντίτυπος, *Porro dicens, Hoc est corpus meum, ostendit, quod ipsum corpus Domini est panis, qui sanctificatur in altario, & non respondens figuræ.* Manifeste: Panis non est typus, siue antitypum corporis: sed panis est ipsum corpus.

XII. Sic loquuti passim Veteres, Nec dubito in eam sententiam redire phrasin, quæ dicit consecrari panem in corpus Christi. Alcuinus Epistola 69. quæ ad Lugdunenses, *Panis, qui in corpus Christi consecratur, absq; fermento vllius alterius infectionis debet esse mundissimus.* Et post: *Ex aqua & farina panis fit, qui consecratur in corpus Christi. Aqua & vinum in sanguinem consecrabitur Christi.*

XIII. Habemus igitur quod volebamus; in enuntiatione Sacramentali subiectum esse hunc panem. Itaque de pane prædicari corpus Christi: quod cum non ignorarent Papistæ soluere sunt conati. Alphonsus de Castro; quod aiunt, inquit, hoc mirabile Sacramentum vocari panem, atque inde colligunt, aut panem ibi esse, aut ipsum panem esse corpus Christi, non recte colligunt. Hoc primum pessime. Non enim id argumentum est nostrum. Quia Sacramentum dicatur panis, ideo esse panem. Sic enim; quia Christus dicatur panis, Iohannis sexto, colligeremus itidem Christum esse panem: quod est absurdum. Quid ergo? Longe aliter: nimirum quia, hic panis dicatur corpus Christi: & quidem ille panis, vbi nullus locus est elabendi: nisi neges verum panem fuisse sumptum in manus & benedictum.

XIV. Sed enim hoc est negare consequentiam. Negandi rationes tres reddunt. Vnam Alphonsus: quia solenne sit in Scripturis Sacris, vt panem appellent, quod comedi quouis modo potest: hac igitur generali appellatione Christi corpus, panem appellari. Alteram idem: vsitatissimus est loquendi modus, vt rem eo nomine appellemus, quo res ex quo genita est vocabatur: vt Exodi 7. serpens vocatur virga Mosis. Tertiam Thomas habet; existimans panem dici propter species remanentes.

XV. Sed hæc fiunt inutiliter. Peccat Alphonsus; qui putet vna eademq; opera solui, cum concluditur ex illis locis remanere panem post consecrationem: & cum, *hoc* designare hunc panem. Atqui ratio est diuersa. Nam illa prior conclusio est contra Transsubstantiationem, cuius hora nondum venit: hæc vero contra proprietatem verborum: quæ nunc quæstio est. Ego autem si cogerer Transubstantiationem concedere: tamen quouis me stipite stupidiorem faterer, si concederem hanc enuntiationem cuius sensus sit, Hic panis est corpus meum, esse omnino propriam, & nullo modo figuratam. Nimirum quia prorsus impossibile sit, hunc panem dici corpus Christi absque aliquo tropo; id est tam proprie quam si dixeris, Hoc est vinum Rhenanum, aut Hic est panis triticeus: quibus exemplis vtitur Costerus.

XVI. Concedo solere in Scripturis panem appellari, quicquid aliqua ratione comedatur: sed non est satis. Restat enim explicandum, vtrum semper proprie, an aliquando improprie. Sane apud Hebræos vocabulum לחם etsi perpetuo panis reddatur; tamen latius patet, quam apud Græcos ἄρτος, aut apud Latinos panis. Nam panis, vt notarunt Veteres etiam in hoc mysterio, dicitur congestus ex multis tritici, siue hordei granis in farinam versis, tum aqua maceratis, in pastam redactis & coctis. At Hebraicum nomen deductum, à comedendo, siue consumendo, latius est. Kimchi in radicibus וכל לחם ענינו כלל לכל מאכל, *Omnis* לחם *significatione sua complectitur omnem cibum.* Dauid de Pomis כל מזון, *Quicunq; cibus.* Quanquam verum tam sæpe panem significare, vt proprium videatur: quod explicauit Kimchi הלשון הזה על הלחם יותר משאר המאכלים לפי שהוא עיקר מאכל האדם והורגל: *Solet vsurpari hac dictio de pane magis quam de reliquis cibis: quoniam est fundamentum alimenti humani.* Quare nemini mirum, Manna esse panem appellatum, etsi simile semini coriandri. Sed & Genes. 3. *in sudore vultus tui vesceris pane*; recte notauit Fagius in Targum, *Non tam panem, quam cibum significat*: & Mercerus, *Panis nomine quiuis cibus intelligitur.*

XVII. Sed enim gemina ratio comedendi: vna propria; quæ fit per os corporis in quo dentes sunt, quibus manduntur cibi, & inde in stomachum traiciuntur: vt Genes. 2. *Ex omni arbore horti comedendo comedes* Nono, *Carnem cum anima eius, quæ est sanguis eius, non comedetis.* Sed interdum alia ratio est comedendi, vbi neque oris, neq; dentium, neque stomachi vllæ sunt partes. Psal 69. *Zelus domus tuæ comedit me.* Et 69. *Comederunt Iacob.* Decimoquarto, *Comedunt populum meum.* Augustinus Concione de 2. part. Psalm 50. *Eos quos Domino lucrantur, quodammodo manducat Ecclesia.* Iam vero, quorum definitio diuersa est, ea necesse est esse homonyma: ac proinde reapse disparata: quare si vnum proprie dicatur: alterum necesse est improprie dici.

XVIII. φροῦδη solutio igitur. Non enim, quia quicquid aliquo modo comeditur panis dicitur; ideo quicquid panis dicitur, proprie dicitur. Reliquit ergo disputandum Alphonsus vtrum hoc loco proprietas sit an improprietas, cum tamen dici nequeat proprie hic panis est corpus meum, nisi proprie vocabulum panis vsurpetur. Non posse autem in promptu est. Quoniam enunciatio hæc non panem dixit indefinite, sed hunc panem. Et quidem ex Veterum interpretatione factum ex farina macerata, vt vinum ex multis acinis expressis.

XIX. Concedo solere quæ mutata sunt vocari de nomine pristino. Sed hoc ipse concedit Alphonsus improprie fieri. Verba recito, *Si alicui dedisses vinum, quod ille postmodum artificio aliquo, aut operante natura vertisset in acetum, quod ille iterum ad comedendum aliquam aliam rem tibi porrigeret, diceret tibi nec improprie, Ecce tuum vinum, quod largitus es mihi: nimirum hac locutione designans acetum illud ex vino dato fuisse genitum: quia ex illius materia genitum est: cum tamen vere, & iuxta nominis propriam significationem acetum non possit dici vinum, quid res sint specie substantiaq; differentes.* Vicimus ergo, inquam, mi homo: si verum quod subiicit, *Ad hunc modum in sacratissima Eucharistia cum panis vertatur in corpus Christi fit inde vt corpus in quod vertitur eodem nomine vocetur, quia panis commutatus in corpus vocabatur, non quod panis sit, sed quod panis loco subrogatus, atq; ideo præteriti panis nomen conseruat.* Duo enim inde fiunt consequentia contra Papisticam declarationem. Vnum, *Hoc* pronomen cum dicat hunc panem, non referri ad corpus identice: sed ad panem præteritum. Nam qui dicit, *Ecce tuum vinum*, intelligit sine dubio illud ipsum quod ante erat; & ideo addit, *quod largitus es mihi.* Qua ratione hic intelligendus panis, quem Christus acceperat. Deinde hoc panis nomen, itidem vt vini, non vsurpari iuxta nominis propriam significationem: & addita quidem ratione euidentissima, quod res sint specie substantiaque differentes. Quo posito viderit Alphonsus, quo iure potuerit dicere, non improprie dici de aceto, *Ecce vinum tuum.* Nam ego quidem Homerum excusarim interdum dormitantem, sed non possim tamen concipere, quomodo non improprie dicatur, quod non dicatur secundum propriam nominis ratione. Lanfrancus contra Berengarium, *Solemus aliquas res; illarum rerum ex quibus efficiuntur, nominibus appellare: quamuis in aliam naturam translata iam non possint esse illud, quod sunt res illæ ex quibus probantur effectæ: sicut D. Augustinus in extremo Psalmorum explanationis opere, crystallum vocat niuem multorum annorum duratam tempore, & serie seculorum, cum nix sit liquida & humida, crystalli vero natura existat dura & sicca: ac per hoc cum tam diuersæ naturæ sint in vtrisque, non recte quis crystallum niuem vocauerit, nisi eo locutionis modo, quo res effecta materialis solet nomine appellari.*

XX. Supersunt Thomæ species remanentes. Hæ vero, quid habent, quæso, firmius? Nam quia panis dictus substantia est cum suis proprietatibus. Certæ species, id est accidentia, siue proprietates, sic enim interpretantur, cum non sint substantiæ, non possunt esse proprie panis. Itaque improprie: quomodo solent nonnunquam metonymice adiuncta nominari pro subiectis: aut contra. Sic enim poetæ niuem dicunt pro canitie: aurum pro capillis virginum: & pro genis purpuram: nimirum propter accidens, videlicet colorem. Sic in Scriptura pedes Dei, dextra Dei, oculi, aures, cor, propter effecta.

XX. Quid tandem? Nimirum panis, quia comedatur: panis quia fuerit panis, quia retineat accidentia. Esto sane, inquam. Verum hæ enuntiationes non proprietatem firmant: sed tropi rationem indicant. Atqui non hoc agebatur: sed illud: non quærebatur, inquam, ratio tropi, vt si interrogarem, quare Herodes fuerit appellatus vulpes: aut Ioannes Elias: aut Christus vitis; sed vtrum tropus omnino sit aliquis. O male consumptos tantos labores! O male exercitam subtilitatem tantam! Volunt probare nullam esse figuram: coacta est stabilire aliquam figuram. Non eandem fateor: sed aliam. Quid tum? Quasi minus periissent Saguntini: qui maluerunt igni, quam gladio.

CAP. XXIII.

Aliis argumentis ex Patribus probatur Tropus.

I. Alia sunt argumenta nonnulla contra proprietatem: sed nunc breuiter iudicanda tantum: quoniam plenius vindicanda sequentibus locis, à quibus habent vim suam.

II. Primum ita est. Quæcunque enuntiatio prædicat de signo rem significatam, eadem prædicat disparatum de disparato. Ast hæc prædicat significatum de signo. Igitur disparatam de disparato. Maior patet ex natura relatorum: quæ ἅπερ ἐστὶ ἑτέρων εἶναι λέγεται, *id quod sunt aliorum esse dicuntur*, ait Aristoteles. Minor probatur, quia Eucharistiam constet esse signum; quia Sacramentum: & constet rem significatam esse corpus & sanguinem. Sic enim frequentissimi Patres docuerunt: apud quos negari nequit panem & vinum, dici signa τύπους, ἀντίτυπα, σύμβολα corporis & sanguinis: atq: inde etiam eorundem Sacramenta: quæ vis est Relationis: quomodo pater dicitur filij & filius patris; & seruus Domini: & Dominus serui. Nam Augustinus de Consecratione distinct. 2. Canone 65. *Qui discordat à Christo, non manducat carnem eius, nec bibit sanguinem: etsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ perditionis cotidie accipiat.* Et 48. *Hoc est quod dicimus, hoc omnibus modis approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine: Sacramento & re Sacramenti.* En tibi Sacramentum rei, & rem Sacramenti: vt docuit Aristoteles, πάντα τὰ πρός τι ἀντιστρέφοντα λέγεται, *Omnia relata reciproce dicuntur.*

III. Secundum argumentum. Quæcunq; enuntiatio verbum *Est*, vsurpat pro *significat*, eadem est figurata. At hæc talis. Ergo figurata. Maior patet, quoniam significatio longe distat à proprietate verbi substantiui: vel testibus aduersarijs in eam partem pertinacibus, vt negent fieri posse, vt *Est* sumatur in eum sensum: solo Bellarmino excipiente duntaxat cum de Vocabulis agitur, vt gladius est ensis: quæ exceptio huc non pertingit: vbi vocabulum nullum est aut attributum, aut subiectum enuntiationis.

IV. Sed & ipsa significandi ratio concipit aliud & aliud; id est disparata. Augustinus de principiis Dialecticæ cap. 5. *Signum est, quod sensum sensui, & præter se aliquid animo ostendit.* De doctrina Christiana secundi capite 1. *Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire.* Potuit breuius, signum est, quod significat: sed significandi periphrasin maluit: vnde patet in significando semper concipi

concipi aliud & aliud. Quod si aliud à se; Ergo non idem. Ingens ergo mendacium, si dicas propriè, id quod significet, esse idipsum, quod significetur. Vnde illud Hieronymi in Apologia aduersus Ruffinum, *Quando dico tropicam, doceo verum non esse quod dicitur, sed allegoriæ nubilo figuratum.*

V. Minor non est obscura: neque negari potest, quin Veteres significandi verbo, & æquipollentibus sint vsi in designanda relatione horum Sacramentorum ad corpus Christi. Dionysius Eccles. Hierar. 3. *Positis in diuino altari veneratione dignis*, συμβόλων, δι' ὧν ὁ Χριστὸς σημαίνεται, *signis per quæ Christus significatur & percipitur.* Cyprianus de Chrismate, *Significata & significantia* nominat. Ambrosius 9. de ijs qui initiantur, *Post consecrationem corpus Christi significatur.*

VI. Tertium argumentum. Nulla permutatio nominum, est propriæ significationis, siue absque tropo. Ast in Sacramento Eucharistiæ permutatio est nominum. Ergo non propria significatio. Maior patet; quia permutatio est rei alienæ translatio: Non potest autem nomen alienum non vsurpari, tropicè, vt spicis, & vaccis prorsus alienum nomen erat annorum. Itaque Cicero de Claris oratoribus τρόπους definit, *Verborum immutationes.*

VII. Fieri autem nominum permutationem in Eucharistia, manifestè testatum Patribus. Augustino Epistola 26. *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumq; ipsarum rerum nomina accipiunt. Sic ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est.* Theodoretus dialogi 1. cap. 8. cum obseruasset aliquando corpus suum appellatum panem, ἐν δὲ γε, inquit, τῇ τῶν μυστηρίων παραδόσει σῶμα τὸν ἄρτον ἐκάλεσε, καὶ αἷμα τὸ κρᾶμα. *In mysteriorum traditione, corpus panem appellauit & sanguinem potum.* Et statim, ὁ δὲ γε σωτὴρ ὁ ἡμέτερος ἐνήλλαξε τὰ ὀνόματα, καὶ τῷ μὲν σώματι τὸ τοῦ συμβόλου τέθεικεν ὄνομα, τῷ δὲ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματος, *Ipse igitur Saluator noster permutauit nomina, & corpori quidem symboli nomen imposuit, symbolo vero corporis nomen.* Mitto alia. Sed obserua, quemadmodum cum corpus suum, panem appellauit Christus, tropo vsus est, quoniam corpori hominis alienum nomen est panis, sic omnino tropo vsus est cum panem dixit esse suum corpus, quoniam æquè pani alienum nomen est corpus hominis.

VIII. Quartum argumentum. Quæcunque sine tropo, propriè dicuntur esse aliquid, eadem sunt absolutè & simpliciter id quod dicuntur. At quæ dantur in Eucharistia, non sunt absolutè & simpliciter, id quod dicuntur, nempe corpus & sanguis Christi. Ergo eadem non dicuntur propriè & sine tropo corpus Christi. Maiorē nemo, vt spero, vocabit in dubium. Nam propriè prædicari dicuntur ea de alijs, quorum ratio essendi, id est, definitio, ijsdem conuenit. Homo propriè dicitur animal, quoniam tota animalis definitio homini competit. Nix dicitur candida, quoniam candidi definitio non potest ei denegari. Et sic omnia. Enimuero quia tropus est translatio nominis alieni. Ergo in propria prædicatione, quæ tropo opposita, oportet nullum esse nomen alienum. Si non alienum, ergo genuinum. Cum autem alienum sit, id quod competit alienæ rei, quatenus est alia: Ergo genuinum id oportet esse, quod rei competat, quatenus ea res est. Quod si est, tum oportet ei semper & absolutè conuenire, vt homini nomen animalis: nunquam potest homo dici nisi animal. Et si quando non animal dixeris hominem, necesse est figuram esse.

IX. Minor iam probatur, itidem ex Veteribus, apud quos solenne est elementa Eucharistica esse aliquo modo corpus & sanguinem Christi. Sic Augustinus paulo ante dixit, *Secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est.* Et quidem addito, *Ita Sacramentum fidei fides est.* Quis autem dubitat impropriè Sacramentum fidei, id est Baptismum, esse fidem? Idem in sententijs Prosperi apud Gratianum canone 40. *Cœlestis panis, qui caro est, suo modo vocatur corpus Christi.* Vbi Glossa, *Id est, cœleste Sacramentum, quod vere repræsentat Christi carnem, dicitur corpus Christi, sed improprie.*

X. Multum satagunt, vt his argumentis satisfaciant: inquirentes quomodo sint hæc omnia Patribus dicta, scripta. Sed semper reuoluuntur, aut in Præsentiam realem, aut sæpius in Transubstantiationem; quarum disputationi nunc non decet præuertere, ne postea actum agere cogamur.

FINIS LIBRI DECIMI.

LIBER VNDECIMVS.

DE EVCHARISTIA.

Caput Primum.

OECONOMIA FVTVRARVM DISPVTATIONVM.

AD corporis Christi manducationem, sanguinisq; potum vocat nos ordo noster. Paucis tractatio fuit separata, plerisque confusa cum præsentia, de qua constitutum nobis posteriore loco disputare: quamuis huius Papistę consectarium faciant. Nam Cæsaris Bulingeri verba sunt hæc, *Hæc quæstio pendet ab illa realis præsentiæ, & transubstantiationis: quoniam si perfecta sit conuersio substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, manentis realiter præsentis sub speciebus panis & vini fieri nequeat vt quis species comedat, nec comedat corpus & sanguinem Christi.* Quæ ratio valuit vt apud aduersarios stabiliri non possit nisi pertractatis illis præcedentibus capitibus, aut certe præsuppositis.

II. Ast ego attendo primum, corporis & sanguinis sumptionem latius patere, quam Eucharistiæ communionem: saltem quatenus spiritualis est, etiam apud aduersarios, deinde huius causa illam Eucharisticam esse institutam: atque adeo nihil Eucharistiam prodesse absque ea, & quidem spirituali, vel Papistis confitentibus. Itaq; si τὰ καθ' ὅλου merito præcedant ea quæ minus latè patent; si causa suis effectis iure præeat, putaui posse non inconsulto huic parti ante alias illas præsentiæ, & transubstantiationis locum assignare. Tum autem quoniā plenè disputari queat & concludi absq; vlla opera illarum. Denique ne aduersarij quidem de hac manducatione disputaturi sint, sublata præsentia & transubstantiatione: itaque si has sustulerimus, superfluus iste nobis labor esset, & perirent κυρία ὅσα σοφίσματα huc pertinentia. Hæ nobis visæ sunt causæ legitimę nostri ordinis.

III. Disputarunt proprio labore Catholici, Theodorus Beza, vtraque Apologia ad Claudium de Sainctes. Antonius Sadeel de spirituali, item de Sacramentali manducatione corporis Christi. Consensus Orthodoxus, c. 1. 8. & 9. Iuellus Defensione Apologiæ c. 12. Heslopæus ca. 16. septimoque tractatus 3. de tota re Sacramentaria. Hospinianus parte Historiæ Sacramentariæ lib. 2. c. 3. Molinæus in defensione sanctæ Cœnę c. 19 & Clypeo fidei ad art. 36. Petrus Valadanus Apologiæ contra Richelium c. 25.

IV. Papistæ: Claudius Sanctesius Repetitione 5 & 6. Gardinerus cōfut. part. 1. obiectis 94. 95. 96. Cæsar Bullingerus responsionis Catholicæ part. 1. sect. 14. 15. 16. Ioan. Fischerus Roffensis lib. 4. & 5. de veritate corporis & sanguinis Christi. Iacob. Iantonius Liturgicon lib. 4. c. 7. & deinceps. Ioan Dedelus in Antithetis discursu 4. & 15. Antonius Tholosanus dialogo 16. & 17. Franciscus Humblotus in phantasmate cœnæ ministralis. Gregorius de Valentia Commentariorum Theologicorum tom. 4. disp. 6. quæst. 3. Beaulius in destructione argumentorum Montignij Ministri Parisiensis. Coffetæus defensionis Sanctæ Eucharistiæ contra Molinæum c. 18. & 19.

V. Sententiam Catholicorum explicauit confessio Gallicana art. 37. & 38. *Affirmamus Sanctam Cœnā Domini, alterum videlicet Sacramentum, esse nobis testimonium nostræ cum Domino nostro Iesu Christo vnitionis, quoniā non est duntaxat mortuus semel, & excitatus à mortuis pro nobis, sed etiam vere nos pascit, & nutrit carne sua & sanguine, vt vnum cum ipso facti, vitā cum ipso cōmunē habeamus. Quāuis n. nunc sit in cœlis, ibidē etiāmansurus, donec veniat mūdū iudicaturus: credimus tamē eū arcana & incōprehensibili Spiritus virtute nos nutrire & viuificare sui corporis, & sanguinis substantia per fidem apprehensa. Dicimus autem hoc spiritualiter fieri, non vt efficaciæ & veritatis loco, imaginationem aut cogitationem supponamus, sed potius, quoniā hoc mysterium nostræ cum Christo coalitionis tam sublime est, vt omnes nostros sensus, totumq; adeo ordinem naturæ superet deniq; quoniam cum sit diuinum ac cœleste, non nisi fide percipi & apprehendi potest. Credimus, sicut antea dictum est, tam in Cœna quam in Baptismo, Deum nobis reipsa, id est vere & efficaciter donare, quicquid ibi Sacramentaliter figurat, ac proinde cum signis coniungimus veram possessionem ac fruitionem eius rei, quæ ibi nobis offertur. Itaq; affirmamus eos qui ad sacram mensam Domini puram fidem, tanquā vas quoddam, afferunt, vere recipere, quod ibi signa testificantur, nempe corpus & sanguinem Iesu Christi, non minus esse cibum, ac potum animæ, quam panis & vinum sunt corporis cibus.*

VI. Sententiam suam Papistæ voluerunt expressam, primum in palinodia Berengarij, c. *Ego Berengarius* de Consecrat. dist. 2. *Consentio Sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ mēsæ, eandem fidem me tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus autoritate Euāgelica & Apostolica tenendā tradidit, mihiq; firmauit, scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiā verum corpus & sanguinē Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter, non solum Sacramento, sed veritate manib. Sacerdotū tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* Id olim ita explicatum, Tridenti breuius multo, & minori verborum emphasi, can. 8. sess. 13. *Si quis dixerit Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, & non etiam Sacramentaliter ac realiter, anathema sit.*

VII. Hæc vtrinq; fuere definita, nunc amplius explicanda in hunc modū. Soleñia illa verba, *Accipite, edite, accipite, bibite*, describunt eā, quā Scholastici dixerunt materiā propinquam, qua determinatur materia remota ad vsum certum, vt inde fiat Sacramentum, nimirum, quia in hoc vsu fundamentum est relationis signorum ad rem significatam, sicut in Baptismo lotio aquam determinat.

VIII. Porro quia hæc relatio similitudinis est, & quæ similia sunt, inter se nomina cōmunicant, factū, vt huiusmodi propinquæ materiæ vocabula nō tantū vsurpentur in materia remota, sed etiā in rem transferantur, quę alterū terminū relationis efficit. Vt in Baptismo lauari dicuntur nō tantū corpora per aquā, sed etiā animæ per sanguinē Christi. Ad quem modū in Eu-

chariſtia edere, bibere, ſic ſunt propria ſpecierum panis & vini nutrientium corpora noſtra, vt de corpore dicantur etiam, ſanguineque Chriſti.

IX. Et vero, quemadmodum in Baptiſmo lotio gemina eſt, vna corporalis, quæ ſigni, altera ſpiritualis quæ ſignificatæ rei, ſic in Eucharistia, diſtingui oportuit manducationem potumq; corporalem, & ſpiritualem, vt illa peragatur à corpore, per eius inſtrumenta ad hoc à natura comparata, vt inter omnes homines ratio eſt nutr endi corporis edendo & bibēdo. Iſta vero fiat à mente per eius facultates & operat ones: ideoq; non ſit niſi metaphorica: tranſlatis ſcilicet vocabulis, ab actibus corporeis, ad mentales.

X. Hac diſtinctione ſuppoſita iam conſtat apud vtroſque, ſpecies panis & vini in hoc Sacramento, manducari, bibique corporaliter, itaque etiam propriè. Deinde non edi, bibive metaphoricè, aut per vllam actionem mentalem. De corpore etiam Chriſti, ac ſanguine haud minus conſtat edi, bibique ſpiritualiter, ſiue metaphoricè per actionem mentalem, quæ fides dicitur, vnde nemini dubium, quin quemadmodum panis & vinum ore, ſic corpus & ſanguis fide ſumi rectè dicantur.

XI. Rurſus, quoniam quicunque ad Eucharistiam accedunt, ijdem à natura habent inſtrumenta edendi, bibendiq;, nemo ambigit, ijſdē omnibus æquè manducari, bibiq; externas illas ſpecies, nullo bonorum, malorumve diſcrimine, puta Petri, & Iſcariotæ. Et viciſſim, quia cuncti vere fideles, itidem obtinuerunt verum illud organum fidei, quo peragitur eſus potuſque ſpiritualis, neutri reuocant in dubium ab omnibus fidelibus corpus & ſanguinem Chriſti fide manducari & bibi.

XII. His communi conſenſu definitis, gemina quæſtio ſupereſt. Vna, vtrum quemadmodum panem vinumq; non tantum corpore verū eſt ſumi, ſed etiam certū non niſi corpore, ſic corpus & ſanguinē Chriſti, ita fide ac mente, vt non niſi mente ac fide ſumi, ſit legitimum Chriſtianorū dogma. Altera inde conſequens, vtrum quemadmodū ſpecies externæ promiſcuè patent omnib. nec hominibus tantum, ſed etiam animantibus, ſic res ipſas indiſcriminatim ſumi à quibuſlibet fidelibus, infidelibus, imo hominibus, beſtijſque pie credendum ſit.

XIII. Conſtabit ergo capite gemino diſputatio: vno de manducatione qua corporali qua ſpirituali, altero de manducatione indigna, nam communi conſenſu ea manducatio, quæ fit à non fidelib. ſiue ij ſint homines ſiue beſtiæ, obtinuit indignæ manducationis nomen, ex verbis Pauli 11. prioris ad Corinth. Sic tres futuræ ſunt partes huius materiæ, diſputabimus enim ſeorſim de corporali, quam tuentur Papiſtæ: tum de ſpirituali, cui attendunt Catholici: poſt de indigna, quæ rurſus Papiſtas nacta eſt patronos.

CAP. II.

De corporali manducatione Papiſtarum ſententia.

I. PApiſtæ manducationem Chriſti ſolent diſtinguere, primum in Sacramentalem & ſpiritualem: Bonauentura in 4. diſt. 9. quæſt. 1. *Duplex eſt modus manducandi. Cuius diſtinctio oritur à triplici principio. Videlicet à diſpoſitione ſumentium. Quia quidam accedunt male diſpoſiti, & hi manducant Sacramentaliter, quidam bene, & hi ſpiritualiter. Vlterius ſecundo oritur diſtinctio à modo ſumendi. Quidam enim ſuſcipiunt ore corporis, & hi Sacramentaliter: quidam vero ore cordis, & hi ſpiritualiter, vnde ſecundum duplex os, duplex manducatio. Tertio oritur diſtinctio ab ipſo Sacramento, quia duplicem habet rē quarum vna poteſt recipi ſine altera, ita ſicut duplex eſt Baptiſmus fluminis & flaminis à duplici re: ſic eſt duplex modus manducandi. Et hoc vltimum eſt, quia vna reſpoſſit ſumi ſine altera,*

II. Diſtinctionem admittit Thomas part. 3. quæſt. 89. art. 1. ſed breuius, *In ſumptione huius Sacramenti duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſum Sacramentum, & effectum ipſius. Perfectus modus ſumendi hoc Sacramentū, eſt quādo aliquis ita hoc Sacramentum ſuſcipit, quod percipit eius effectum. Cōtingit autem quandoq;, quod aliquis impeditur à percipiendo effectu huius Sacramenti, & talis ſumptio huius Sacramenti eſt imperfecta. Sicut igitur perfectum contra imperfectum diuiditur, ita Sacramentalis manducatio, per quam ſumitur ſolum Sacramentum ſine effectu ipſius, diuiditur contra ſpiritualem manducationem, per quam quis percipit effectum huius Sacramenti, quo ſpiritualiter homo Chriſto coniungitur per fidem & caritatem.*

III. Hæc ſufficiebat olim diſtinctio: nec erat amplior tradita à Lombardo in ſententijs. Sed deinceps vlterius progreſſa ſubtilitas, vtrumque membrum multiplicauit. Suares diſp. 62. ſect. 1. *Spiritualis ſumptio diuiditur poteſt in ſpiritualem tantum. Et in ſpiritualem & Sacramentalem ſimul. Prioris modo ſpiritualis ſumptio proprijſſime ſumpta eſt, quæ fit per votum ſeu deſideriū huius Sacramenti.* Sic ille prius membrum definiuit, alterum neglexit forte quia facilè intellectu ex præcedentib. Sed poſtea, *Diuiditur Sacramentalis ſumptio in Sacramentalem tantum, & ſpiritualem & Sacramentalem ſimul.* Et paulo poſt, *Hæc Sacramentalis ſumptio, ſi fiat ſine fructu ſpirituali, dicitur Sacramentalis tantum, ſi vero fiat cum fructu, dicitur etiam ſpiritualis, ſiue ita determinetur ab effectu, ſiue ab ſtatu, & diſpoſitione cum qua fit.*

IV. Soto paulo aliter, quæ: 1 diſt. 11. *Nonnulli quatuor conuenerant māducandi modos, ſcilicet realiter tantum, vt manducat brutum, & Sacramentaliter tantum, vt manducat homo in peccato, & ſpiritualiter tantum, vt manducat, qui baptizatur, & qui per contritionem, & fidem viuam efficitur membrum Chriſti, antequam Euchariſtiam manducet, & Sacramentaliter ſpiritua literq; coniunctim, vt manducat iuſtus Sacramentum ſuſcipiens.* Improbat ſtatim. Nam *Antiqui*, inquit, *merito non curarunt niſi duos diſtinguere modos, nā brutalis hæc manducatio, non eſt per ſe manducatio Sacramenti, ſed per accidens, poſtquam non adeſt intentio manducandi Sacramentum, ea autem quæ ſunt per accidens ab arte, vt ait Ariſtoteles ſunt relinquenda. Item illa manducatio mere ſpiritualis, quæ eſt deſiderium expreſſum Euchariſtiam manducandi, non eſt māducatio in re, ſed eſt votum, & deſiderium manducandi.* Tum concludit, *Duo ergo ſunt præciſe modi manducandi in re, ſcilicet vnus mere Sacramentalis, & aliter ſimul ſpiritualis.*

V. Cardinalis de Turrecremata ad Canonem, *Quid eſt Chriſtum manducare*, de conſec. diſtinct. 2. cum bimembri diſtinctioni obiecisſet, poſſeſſi trimembrem, vt in Baptiſmo, ſuſcipiendi rem & Sacramentum, vel Sacramentum & non rem, vel rem & non Sacramentum, reſpondet, *Hic etiā poteſt fieri talis diſtinctio. In quibuſdam enim coniunguntur dua manducationes, & hi ſuſcipiunt rem & Sacramentum, in quibuſdam ſeparatur, & hi ſuſcipiunt vel rem tantum, vel Sacramentum tantum Sed quia hæc diuiſio, magis ſe tenet ex parte ſuſcipientium, quam ex parte Sacramenti ideo non eſt propria huic Sacramento, ſicut Baptiſmo.*

VI. Hæc illi, & fortaſſe aliter alij, non eſt enim noſtrum ad vnguē exſequi, quicquid apud eos ſubtilitatis eſt. Sed hoc notari volumus, à Lōbardo fundamentum diſtinctionis poni in Sacramenti reb. *Sicut ſunt duæ res illius Sacramenti, ita & duo modi manducandi.* Bonauentura a. eth non hinc ſolū, tamen hinc præcipue arceſſit, diſerte notans vnā rem Sacramenti, ſumi poſſe ſine altera. Vt intelligamus duos manducandi modos eſſe duob. rebus parallelos. Longe aliter, quam poſtea Scholaſtici. Et nunc omnes Papiſtæ, qui vtrumq; modū referunt ad corpus Chriſti, quæ altera tantū Sacramenti res eſt: ſic n. intelligunt, corpus ipſum illud realiter ſumi manducatiq; tū Sacramentaliter tantum, tū ſpiritualiter tantū, nempe vt ſint vnius eiuſdēq; rei manducandæ duo modi. Inde coacti diſtinguere Sacramētum à fructu Sacramenti, cū tamen fructus intelligant beneficia precedentia a communione legitima, puta vnionē cum corpore myſtico, & remiſſionem peccatorum, cum tamen veteres rem Sacramenti conceperint, corpus ipſum Chriſti cui deſtinata ſpecies panis, & ſanguinem, cui ſpecies vini. In quo quantum ſit momentum ſuo loco ſumus expenſuri.

VII. Nunc de manducatione corporis. Sanctesius c. 1. repet. 5. *Credimus à nobis tam vere corpus excipi, quam ſedet ad dextrā Patris: atq; inde longe ampliores atq; vberiores fructus ad nos peruenire, quam ſi ſolo animo, & fide amplecteremur.* Tā vere inquit, & poterat ferri, ſed relatè ad ſolū animum, vt neceſſe ſit veritatē intelligi, non in re ipſa, ſed in modo ſumendi, videlicet per organum corporis. Quod dictum Berengario ἰωφατικῶτερα, *Non tantū in Sacramento, ſed etiam in veritate ſenſualiter frangi, & dentib attriri.* Itaq; Roſſenſis contra Oecolampadium lib. 3. c. 13. *Si carnē quæ pro nobis in cruce fuerit immolata, neges in os noſtrum ſumi realiter, & edi, atq; tranſglutiri, perperam cogitas.* Sanctesius c. 3. ſcripſit, *à dentibus noſtris vere circa carnis illius ſubſtātiam exercetur actio* Dedehus, *Catholici*, inquit, *admittunt manducationem veram, realem, ſpiritualem corporis Chriſti, hoc ſenſu, vt ſit ſubſtantialis, & corporalis, hoc eſt, verum, reale, naturale corpus eius tam ſubſtantialiter diſtribuatur per ſanctam Euchariſtiam, quam erat in vtero Virginis, & in cruce.* Et iterū *Corpus & ſanguinem Euchariſticū ingredi in os noſtrum ſuper linguam noſtram & inter dentes noſtros.* Sebaſtianus Michaelis ca. 20. reſponſionis 2: *Dicebam manducationem eſſe realem, vt aliorum ciborum, quandoquidem tranſeat per os noſtrum, & organa manducationis, atq; in nos ingrediatur.*

VIII. Ita notari debent omnia diligenter, quæ rem non relinquunt in dubio. Nam primo conſtat de ipſiſſimo corpore Chriſti agi per ſe, nō a. per aliud. Secundo de locali motu eius corporis, vt videlicet extrinſecus aduenies ingrediatur in os, & ſtomachum, vbi prius non erat tam propriè, quam panis & vinum. Ingrediatur autem, & in eo ingreſſu ſubijciatur ori. dentibus, linguæ, œſophago, ſtomacho. Denique & horum actionibus, vt vtrumq; dicatur, diſtincte, tum manducari, tum bibi. Nam alioquin certū eſt per eadem organa tranſire potum, & cibum: ſed alias tamen eſſe circa cibum actiones, alias circa potum, à quibus actionib. propria differentia edendi, & potandi. Quare corpus Chriſti ijs eorum organorum actionibus excipi, quibus, quæ vulgo comeduntur, & ſanguinem ijs, quibus quæ bibuntur. Itaque diſerte dictum Sanctesio exerceri dentium actionem circa ſubſtantiam corporis.

IX. At Gloſſaror Confeſſionis Berengarianæ, viſus erat non ſine horrore legere illud, fidelium dentib. atteri. Itaq; cautelam adſcripſiſſe *Niſi ſane intelligis verba Berengarij, in maiorem incides hæreſin, quā ipſe habuit, ideo omnia referas ad ſpecies ipſas, nam de Chriſti corpore partes non facimus.* Similiter Cardinalis de Turrecremata, *Profeſſio iſta bene intellecta eſt vera & vere Catholica, alias non recepiſſet eam Apoſtolica ſedes, in qua ſemper religio Chriſtiana immaculata permanſit Intelligi autē debet ſic, vt vtrumq; dictum capiatur ratione ſpecierum exteriorum, circa quas contingit eſſe attritionem fractionē & maſticationem.* Cuius ſententiæ videntur eſſe nonnulli hodie. Nam Sebaſtianus Michaelis c. 20 *Manifeſtum eſt, cum quid miſcetur alteri, quod ſit comeſtibile, id quod ei admiſcetur, etſi non poſſit dentibus mandi: tamen vere māducari, ſi cum ea ſit quæ manducetur: vt ſi paſtæ panis admiſceantur ramenta auri & fragmenta gemmarū.* Cæſar Bulengerus c. 2. lib. 4. contra Pleſſæum, *Sufficit accidentia mandi, & teri, corpus a cum accidentibus deſcendere in ſtomachum. Sunt enim attendenda actiones, ſecundum id quod proprium, non per accidens. Accidens eſt, quod corpus Chriſti non teratur, quia glorificatum, impaſſibile, abſq; quantitate.*

X. Et tamen hac ipſa limitatione addita vix Berengario veniam dat Cardinalis. Nam ſtatim, *Nec iſte modus loquendi eſt tenendus*, ſignificans vtcunq; varijs artib. queant, tam dura verba molliri, tamen Chriſtianis eſſe conſultiſſimū, vt abſtineant vti, tam noua, tā nunquā antea audita phraſi. Nec vero vnquā fuiſſe ſimpliciter admiſſa, ſed καπῶ, *Recepit tamen*, inquit *Eccleſia profeſſionem iſtam Berengarij, & publicauit: quāuis minus* (mirum niſi hoc peccatū ſit typographi, vt minus repoſitum, pro nimis) *expreſſam ad elidendū ſuū errorem, quia nō concedebat corpus Chriſti ibi veraciter eſſe, niſi ſicut in ſigno, vnde propter hoc recepit illum Eccleſia, vt intelligeretur ibi vere eſſe, & non vere diuidi.*

XI. Sed Guitmundus Auerſanus frontem perfricuit, vt ſtrenuè poſſet eſſe Papiſta, & quantumuis durum atterendi verbum diſputauit, non de ſpeciebus dictum, ſed de ipſiſſimo Chriſti corpore, & quidē proprijſſime excepta læſione & partiū diſtractione. Obiectionem habuit à Berengario, *Abſit*, aiebat *vt vnquam hoc Deus velit. Non enim fas Chriſtum dentib. atteri.* Reſpondet ille, *Ego vero in primis quæro quid dicant ſignificare atteri. Si n. intelligant atteri vel preſſius tangi, aut fortius premi, quæroquare nō ſit fas Chriſtum dentib. atteri? Nam ſi ideirco hoc ipſum non eſt fas, quia non poſſit fieri, eadē ratio eſt, quam de natura dicunt, ſcilicet quia natura non poteſt pati. Et nimium vana ratio, nulla quippe rerum impoſſibilitas poteſt impedire volunt atē Dei. Deinde quare non poſſit dentib. premi, qui manib Thomæ & poſt reſurrectionē potuit attrectari? Et ſanctæ mulieres, quib. occurrit poſt reſurrectionem, ſcriptum eſt, quia tenuerunt pedes eius. Nulla namq; ratio eſt, vt non poſſit tangere dens, quod tangit manus. Nam ſicut ad manus, ita & ad totum corpus pertinet tactus, quare quicquid tangit manus, poteſt & toto corpore tangi, poteſt igitur & denti-*

dentibus tangi. Porro quod potest vel leuiter tangi, cum solidum corpus sit, cur non possit etiam fortiuscule tangi, quod est atteri? Si ergo corpus Domini post resurrectionem manibus Thomæ Apostoli & sanctarum mulierum potuit tangi: cur hodie à credentium dentibus non possit vel leuius, vel pressius tangi, id est, atteri, nulla obstare ratio videtur. Hæc ille, & alia nonnulla, vt probet, non tantum quod sperauit his confeciſſe, videlicet posse atteri, sed etiam non esse indignum Christo, qui multa alia non sit dedignatus propter salutem fidelium. Quæ omnis laus subtilitatis perit viro scilicet tanto, si nō sit superflua Glossatoris, aut Cardinalis meticulosa cautio.

XII. Vlterius Papistæ perrexerunt ad reliqua masticationem consequentia, ne remaneat imperfecta manducatio. Traijcitur cibus in stomachum, vt in eo plus minusve duret. Quid corpus Christi manducatum, imo etiam attritum? Bonauentura quæst. 2. art. 2. in partem 2. dist. 13. quarti. *In ventrem ire est dupliciter, aut quantum ad substantiam, aut quantum ad cibandi efficaciam. Primo modo descendit aliquod corpus in ventrem, etiam si non sit cibus: secundo modo non, nisi sit cibus. Si ergo loquamur quantum ad cibandi efficaciam, sic certum est quod corpus Christi non vadit in ventrem, sed in mentē: quia caro Christi non reficit ventrem, sed mentem. Si autem loquamur quantum ad substantiam, sic certum est quod non vadit in mentem, sed vtrum sic vadat in ventrem, dubium est propter diuersitatem opinionum. Aliqui enim dixerunt, quod non solum in ventrem, sed etiam vadit quocunq; illa species deferuntur, salua natura illarum, siue in ventrem muris siue in locum immundum. Aliqui dixerunt, quod non solum in ventrem hominis vadit, sed etiam ibi manet, quandiu species illæ sunt ordinabiles ad refectionem, vnde dixerunt, quod in ventrem vadit, & moratur, quousq; refectionis operatio compleatur. Alij dixerunt, quod ad ventrem perueniūt, quousq; incipiant consumi, & amplius non morantur. Aliqui dixerunt, quod solum est cum illis speciebus, quandiu sunt cū aliquo sensu, & visu, vel gustu.* Sic ille enumerat, tum comparans, edicit extremas videri peccare primam luxuria, alteram penuria, intermedias esse æquè probabiles. Cardinalis de Turrecremata iudicauit aliter, in canonē, *Tribus gradib.* Describo *Prima opinio quæ dicit, quod corpus Christi defertur, quocunq; species deferuntur, in ventrem canis, vel suis, vel in loca immunda, videtur vera, saluo enim vero esse specierum adhuc non desinit esse Sacramentum, nec Christus sub specie panis. Secunda opinio videtur esse simpliciter vera quantum ad aliquid, quia dummodo species sunt in suo vero esse, & ordinabiles ad refectionem non desinit esse Sacramentum, sed quod ibi sit corpus Christi quousq; sit completa refectionis operatio, cur non existentibus speciebus in vero esse suo permanet operatio refectionis, non videtur verum, nec vero simile. Similiter tertia opinio vera est secundū quod tunc dicitur esse sumptio completa, quando speciebus dissolutis Christus transit in animam, secundum autem quod sumptio dicitur esse completa facta degustatione sine deglutitione, non est vera. Quarta autem opinio vera est.*

XIII. Thomas rem hanc non exsequitur tam minutè, neq; vero etiam ex professo, sed agens eausam peccatorum, art. 3. quæst. 80 *Quidam antiqui errauerunt, dicentes quod corpus Christi nec etiam Sacramentaliter à peccatoribus sumitur, sed quam cito labijs peccatoris contingitur, tam cito sub speciebus Sacramentalibus desinit esse corpus Christi.* Hunc errorem Turrecremata describit aliter, putantium quod corpus Christi nunquam intret ventrem, sed dicētium, quod tantum est in ore: & tunc illud esse sub specie, sed quando glutitur transire in mentem. Sed Thomas pergit, *Sed hoc est erroneum, derogat n. veritati huius Sacramenti, ad quam pertinet, quod manentibus specieb. corpus Christi sub eis esse non desinat. Species autem maneret, quandiu substantia panis maneret, si ibi adesset. Manifestum est autem, quod substantia panis assumpta à peccatore non statim esse desinit, sed manet, quandiu per calorem naturalem digeratur. Vnde tandiu corpus Christi sub speciebus Sacramentalibus manet à peccatoribus sumptum.*

XIV. Habes corpus Christi manducatum, id est, non ore tantum & dētibus obnoxium, sed etiam stomacho, siue vētriculo, nō fidelis tantum, sed cuiuscunq; hominis, nec huius tantum, sed bestiæ. Imo vlterius habes quærendum in locis immundis, id est in cloaca, *Quod aures piæ abhorrent*, aiebat Bonauentura, *& si diceremus hæretici & infideles deriderent nos & irriderent.* Delicatior æquo, non decet enim strenuum papistam tam leuiter moueri scrupulis hæreticorum. Quin potius constanti, id est: Romana fide conculcare, quicquid est absurdorum, atque adeo, quia vbicunq; Christus sit, adorandus venit, etiam in cloaca: sint autem etiam adoranda quæcūq; ei adiacent per concomitantiam, sine dubio vna cum eo, sed taceo. nam reliqua facile deuorabit Romana confidentia.

XV. Sed quem vidisti in stomacho, inde nunc audito deiectum per vomitum. Nam Eucharistiam posse euomi pro certo habet Beda, canone, *Si quis per ebrietatem*, de consecrat. dist 2. Itaq; quæsitum vtrum hic vomitus pertingeret ad corpus ipsum, Bonauenturam audi, eadem illa quæstione. *Quod dicit Beda, quod aliquis vomit, hoc dictū est de specierum vomitu, & pœna imposita non est, nisi quia species illæ fuerūt cōtentiuæ Dominici corporis, & ideo in magna reuerentia sunt habendæ.* Paulo post, *Nihilominus tamen alia* sententia *videtur securior, & autoritatibus magis concordare, quia corpus Christi cum illis speciebus descendit ad stomachum, & sub illis est, quādiu illæ sunt sub propria forma, & habent rationem reficiendi, & secundum ordinationem ad refectionem humanam Sacramentum erat. Vnde concedunt, quod corpus Domini est in stomacho, quia ibi sunt species vt cibus: & ideo si euomuntur species, euomitur Eucharistia. Et si species possit ab alijs discerni, sumenda esset. Si a. species istæ transeant stomachum indigestæ propter aliquam infirmitatem, sunt tunc extra proprietatē refectionis: & ideo si vadant in secessum, non est ibi corpus Domini. Vtrum autē hoc sit verum, nescio: tamen securum mihi videtur, quod si quis euomat species perceptibiles, magna reuerentia est exhibenda.* Hunc imitatus est ille de Turrecremata in illum Canonem, *Si quis per ebrietatem*, sed vt videtur aliquanto securior.

XVI. Catholici concedunt corpus Christi si comedatur corporaliter, etiam teri dentib. in stomachum abire, distribui in viscera, secedere in loca obscœna, ejici e. iā posse per vomitū. Videlicet, quia soleant absurda multiplicari in infinitum. Itaque vt semel tantam Babelem diruant à fundamentis, negant corpus Christi vnquam manducatum corporali manducatione: negant in eum vllum finem fuisse institutum Eucharistiæ Sacramentum. Et exsecrantur Sophistas, qui maluerint in hæc blasphema se præcipitia conijcere, quam ab initio sapere.

CAP. III.

De Manducatione in sexto Ioannis, vtrum sit Sacramentalis.

I. PRimum ac communissimum Papistis argumentum est ex c. 6. Euang. secundum Ioañem, mira verborum vehementia inculcatum, indeq; prolixè diductum.

II. Cæterus sic argumentum concepit: Rex quispiam alicui Reip. serio promittens, vel certam pecuniæ vim, vel aliud eximium donum, indignam se rem faceret, atq; ridiculam, si pictam pecuniam vel imaginem illius doni mitteret. Christus igitur, qui Ioan. 6. tam multis verbis, tamq; serio spopondit Ecclesiæ suæ daturum se corpus suum & sanguinem suum in cibum & potum, certe illusisset Ecclesiæ suæ, si præter frustum panis, quo corpus illud significaretur, nihil reliquisset. Reliqui Papistæ consentiunt eam esse vim ratiocinationis, nimirum a certitudine promissionis. Bellarminus, *Probanda est eadem veritas*, inquit, *ex promissione Domini, quæ habetur apud Ioan. c. 6.* Suares, *Præcipua promissio, qua maxime probari potest hæc veritas, facta est à Christo Ioannis 6.* Mitto alias. Sed argumenti forma futura est expeditior hoc modo. Quidquid serio promisit Christus se daturum, id ipsum re præstitit: At promisit serio se daturum corpus suum in cibum, sanguinem in potum: Ergo idipsum re præstitit.

III. Respondeo potuisse nonnihil morulæ interponi dum disputaretur, vtrum quæcunque promissa fuere, eadem re fuerint iam impleta. Et vtrum omnia promissa fuerint exhibenda in Eucharistiæ institutione. Certum enim, & quædam promissa dilata esse in cœlestem patriam, cuius obtinendæ causa, tota ipsa religio Christiana est instituta, & non necessario, quicquid promissorum fuit, reduci in institutionem Eucharistiæ de qua tamen nunc ex professo disputatio: & sane possent hæc capita permitti otiosis, atque in schola exercentibus ingenia, siue puerilis victoriæ gloriolam aucupantibus. At nobis non est tantum abs re nostra otij: Itaque pergimus ad τὸ κεφάλαιον.

IV. Repeto igitur positam distinctionem corporis manducandi vel Sacramentaliter & corporaliter, vel spiritualiter, & de manducatione spirituali: concedo vniuersum syllogismum, quoniam hæc nihil nunc ad rhōbum: quandoquidem nec nos ei contradicamus: nec Papistæ sint ea contēti. At de corporali, quam itidem Sacramentalem vocant, nego minorem. Quam cum confirmant ex cap. 6. Ioan. dico in eo capite Christum & serio & prolixe pollicēri se daturum suum corpus in cibum, sanguinem in potum, sed nego in potum & cibum corporalem, qui dentibus teratur, deijciatur in stomachum, indeque eijciatur siue per vomitum, siue per posteriora analytica: quod nos absque horrore cogitare nequimus, illi etiam magnifice profiteri sunt ausi.

V. Obfirmant se aduersarij, & geminum laborem suscipiunt, vnum probandi Christum illo Ioan. capite agere de Sacramentali manducatione: alterum agere de corporali. Priorem ex professo Bellarminus c. 5. primi: Suares disput. 46. sect. 2. Vasques disput. 179. capite 4. Sanctesius repet. 6. cap. 6. Roffensis præfatione 5. libri contra Oecolampadium. & alij, maxime qui commentati sunt in Euangelium Ioannis, Maldonatus, Toletus, Pererius, Salmero.

VI. Non est tamen consensus vniuersalis. Nam ex Catholicis non defuere (ait Vasques) qui sentirent prædictum locum non esse intelligendum de manducatione & sumptione Eucharistiæ, sed de spirituali. Ita docent Gabriel in Canonem, Nicolaus Cusanus epistola 7. ad Bohemos, Caietanus part. 3. quæst. 80 art. 8. Ioan. Hesselius in libro de Communione sub vna specie: Iansenius c. 59. Concordiæ Euangelicæ. Ruardus Tapperus art. 15. neque abhorret Valdensis tom. 2 de Sacramentis, c. 91. Istis addе Ioañem de Ragusio de Communione sub vtraque. Et Armacanum lib. 9. c. 8. Mentitus est ergo Coffetæus, Constanter opinari omnes Catholicos (Papistas sic appellat) in hoc c. 6. peculiariter de Eucharistia sermonem esse.

VII. Porro qui affirmatiue disputant, ita constituunt statum quæstionis, vt non integram disputationem complectantur, sed partem duntaxat. Bellarminus, *non est*, inquit, *controuersia, an in toto capite agatur de Eucharistia, constat enim non ita esse. Nam & de miraculo panum, & de Fide, & de Incarnatione agitur in magna parte capitis. Solum igitur quæstio est de illis verbis Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, & de sequentibus fere ad finē capitis.* Similiter Coffetęus, esse extra controuersiam, non posse initium eius capitis intelligi de reali manducatione, quæ fiat in Sacramento: quandoquidem agatur de multiplicatione panum. In sequentibus autem ad versum vsq; 51. non agi formaliter nisi de manducatione spirituali, sed, ab eo loco, expresse sermonem haberi de reali manducatione carnis Christi in Sacramento. Sic Pererius distincta triplici māducatione, Christū de vtraq; hoc est, partim de spirituali, partim de sacramentali esse loquutū. In priori parte ab illa sententia, *Operamini cibū*, vsq; ad illā, *Panis, quē ego dabo*, de spirituali: in posteriori autem, vsque ad finem, manifeste de reali & sacramentali. Salmero tractatu 23. *Non est ignorandum caput sextum Ioannis in tres partes principales distingui. Et in priori narrat signum Domini, quod edidit dum ex quinq; panibus satiauit quinq; millia hominum. In secunda parte, quæ incipit ab illis verbis. Quæritis me, agit de pane diuinitatis, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Quanquam quædam non inepte vel incommode ad Eucharistiam valeant accommodari, certius tamen & veritati magis consonum videtur, vt dicamus Dominum nihil ad literam de Eucharistia in his duabus partibus disseruisse, quanquam principia quædam, & fundamenta iaciat, & veluti proœmium quoddam præmittat, ad opportune & commode de illa loquendum. In tertia vero parte, quæ incipit ab illis verbis, Ego sum panis viuus, vsq; ad finem capitis aggreditur tractatum de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.* Cæsar Bulengerus sectione decima septima primæ partis responsionis Catholicæ ad tractatum Orthodoxum, *Hucvsq;* (id est, ad versum quadragesimum octauum) *omnia verba Christi intelligenda sunt de pane spirituali fidei: quicquid sequitur deinceps intelligi nequit nisi de vero corpore Christi quod comeditur in Eucharistia.*

VIII. Sic illi suam disertè satis expresserunt sententiam. Nunc nostram .Bellarminus, *Fere omnes*, inquit, *negant hæc verba ad Sacramentum Eucharistiæ pertinere*. Haud dissimiliter Vasques, *Dicunt Christum in eo capite nihil de Eucharistia, neque de corporali ipsius manducatione, & sumptione, sed de spirituali tantum, hoc est, de fide, qua credere debemus in Christi humanitatem, & passionem, loquutum fuisse*. Petrus Michael capite quarto Dialogo 1. *Existimant à Christo corporalem aut externam manducationem corporis reiectam, atq; damnatam, tum eam quæ spirituali modo per fidem fit, per anticipationem probatam esse, ne quis postea in verbis institutionis hæreret*.

IX. Sic isti de nobis nimis indistincte, minusque plenè nugantur, vt solent aduersariorum aduersarij bona vel non videre, vel etiam nolle videre. At nos nobis conscij veritatis, vel non videntium imperitiam emendare, vel videre nolentium nequitiam castigare oportet, nullo casu veritis innocentiam prodere. Nos ergo, qui non nisi spiritu & fide concedimus edi posse corpus Christi, negamus vlla parte huius sermonis doceri, indicari've vllam aliam Christi manducationem, siue corporalem appellet, siue sacramentalem, siue alio quopiam nomine: At spiritualem fieri cum alias, tum solenniter in sacrosancta Eucharistiæ communione. Et cum fit in hac communione, tum posse sacramentalem appellari, propter addita externa signa, non tamen formaliter tanquam ipsa in sese sacramentalis esset, & fieret alterius cuiusdam generis. Sed quasi quis verbalem diceret eam ipsam, cum fit in auditione verbi, tum enim non designareti ipsum corpus Christi inferri in aures per sonum verborum, sed tantum audito eo sono mentem potentissime moueri, vt ipsa fungens officio, suo modo id ipsum corpus comedat. Hac igitur ratione hunc sermonē Domini nostri Iesu Christi, & quidem non dimidiatum, sed totum, pertinere ad Eucharistiam, atque adeo aptissime fuisse applicatum à Veteribus. Sed tamen de Cœna ipsa habitum, qua videlicet Cœna est, siue Sacramentum, constanter negamus.

X. Hanc nostram sententiam habes apud Caluinum Ioan. 6. ad illa verba, *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Ex his verbis palam apparet perperam de Cœna exponi totum hunc locum. Nam si verum esset, quicunq; ad sacram Domini mensam se ingerunt, carnis & sanguinis eius fieri participes, omnes similiter vitam referrent, scimus autem multis in exitium cedere. Et certe ineptum fuisset ac intempestiuum de Cœna tunc disserere, quam nondum instituerat, ideo de perpetua fidei manducatione eum tractare certum est. Simul tamen fateor, nihil hic dici, quod non in Cœna figuretur, ac vere præstetur fidelibus, adeoq; sacram Cœnam Christus quasi huius concionis sigillum esse voluit. Atq; hæc ratio est, cur apud Ioannem nulla fiat Cœnæ mentio. Itaq; genuinum ordinem sequitur Augustinus, dum inter explicandum hoc caput, Cœnam non attingit, donec ad finem vsq; ventum est, tunc autem docet mysterium hoc in symbolo repræsentari, quoties Ecclesiæ sacram Cœnam celebrant, alibi quotidie, alibi tantum diebus Dominicis*. Paulo post, cum explicat cur seorsim dicta caro cibus, & sanguis potus: *Sic etiam*, inquit, *in Cœna quæ huic doctrinæ respondet, non contentus panis symbolo, calicem simul adiungit, vt duplicē vitæ tesseram in ipso habentes, eo solo contenti esse discamus*. Beza similiter ad ea verba, *Panis quem ego dabo, caro mea est*, sic annotauit. *Caro ἡ σὰρξ, id est, humanitas hæc mea, hoc corpore & hac anima constans, quāuis distincte postea faciat carnis & sanguinis mentionem, sicut etiam in huius, de qua hic agit, communicationis symbolis, hæc duo distincte fidei consideranda proponuntur*.

XI. Non dissentit Martyr contra Gardinerum parte 1 obiecto 32. *De sexto capite Ioannis, an ad Eucharistiam pertineat, nos ita respondemus. Sermonem ibi de Sacramento Cœnæ non institui. Ibi enim Cœna cum Symbolis non ordinatur, nam nec panis, nec calicis, nec gratiarum actionis, nec fractionis, nec distributionis, nec testamenti, nec memoriæ, nec annuntiationis mortis Christi, mentio vlla eo loco instituitur. Huc spectabant illi qui dixerunt, illud caput ad Eucharistiam non pertinere: Quoniam tamen res ipsa, id est, corporis & sanguinis Christi spiritualis manducatio, & potus ibi luculenter traditur, ad quam postea Euangelistæ ad finem historiæ suæ declarant Christum adiunxisse symbola externa panis & vini, idcirco nos caput illud à Sacramento Eucharistiæ non putamus esse alienum: Imo Patres illos libenter recipimus, qui illa verba ad hoc negotium transtulerunt. Quid enim sibi aliud volunt, panis & vinum, quæ postea addita sunt in Cœna, nisi vt magis excitemur ad manducationem illam corporis & sanguinis Domini, quæ multis verbis diligentissime tractata fuerat in sexto Ioannis?* Aliquanto post, *Vt tandem aliquando concludam. Nos asserimus in sexto capite Ioannis traditam esse spiritualem manducationem Christi per fidem, & Christum in vltima illa sua Cœna Symbola ad eam, & certa quædam verba addidisse, nec vllam concedimus veræ carnis Christi manducationem nisi spiritualem quam ita distinguimus, quod externa symbola interdum adiuncta habeat, interdum non habeat*.

XII. Similiter Plessæus de Eucharistia quarti capite tertio, *Licet de spirituali agat* manducatione, *non eo minus nobis Sacramentalem exponit, quæ sub Sacramentis sensuum obiectis, fidei nostræ adminiculis, non eo minus spiritualis. Et hunc locum Patres hoc sensu perpetuo acceperunt, quippe qui eum tanquam commentarium aliorum Euangelistarum adhibent*. Orthodoxus consensus capite primo, *Etsi concio Christi de manducatione carnis suæ apud Ioannem ad Sacramentalem Cœnæ ritum, & externa ipsius symbola non pertineat, tamen negari non potest hanc ipsam manducationem, de qua ibi concionatus est Christus, in institutione Cœnæ, per panis & vini symbola, Sacramentali hoc ritu fuisse commendatam, hoc est, carnem & sanguinem Christi non aliter in Cœna ad manducandum & bibendum dari & offerri, quam Christus de eo apud Ioannem discipulis suis sit concionatus. Non enim alia ratione manducari in Sacramento Cœnæ potest caro Christi, quam qua dicitur esse vere cibus*. Beza in illud, *Spiritus est qui viuificat*, Ioann. sexto, *Hallucinari mihi videntur tum qui Christum proprie & specialiter hic esse de Sacramentali suæ carnis esu, & sui sanguinis potu loquutum sentiunt, tum qui nihil ista ad Cœnam Domini pertinere tam pertinaciter contendunt. Nam quod ad illos attinet Christum constat de carnis, iam tum ijs quos alloquebatur, imo etiam Patribus præsentis per fidem fruitione, minime sane ad sacræ Cœnæ institutionem differendæ loquutum. Sed illud vicissim verissimum est quod ad rem ipsam attinet, eandem esse statuendam eiusdem, & vnius Christi perceptionem spiritualem videlicet per fidem, siue in simplici verbo, siue adhibitis Sacramentalibus signis, nostræ [ali]menti sumenda præbeatur*.

XIII. Supersedeo testes plures nominare, nam res est manifesta, quanquam aduersarij voluerunt videri non labore nullo nostram assecuti sententiam, quasi non eam satis apertè professi essemus. Sed tamen vere illis dictum negari à nobis agi Ioannis sexto de Sacramentali manducatione corporis Christi: itaque cum de hac agatur, tunc totum esse caput hoc ponendum. Et verum nihilominus hoc ipsum caput pertinere ad mãducationem corporis Christi. Nam istæc duo enuntiata non sunt opposita, vt perimant se mutuo: Etenim qui de animali agat, eundem non necesse est de bruto agere, quia non omne animal brutum. Et qui de homine disputat, eundem non est necesse de vestibus agere, cum non omnis homo sit vestitus.

XIV. Denique status hic quęstionis est, vtrum sermo Christi descriptus Ioannis sexto, agat de Sacramentali manducatione corporis Christi: non hoc sensu, vt ea sit manducatio carnis Christi, quæ fit in Eucharistia, nam hoc vltro damus, sed vt sit manducatio Sacramentalis, quatenus Sacramentalis, hoc est reapse elementorum panis & vini: Vt eum de illis Christi verbis ageretur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, quæsitum est, an intelligatur præcise, de ablutione per aquam elementarem, vnde futurum vt salus negetur omnibus quoquomodo non baptizatis, an vero vt Lombardus notauit, de ea regeneratione, quæ in Baptismo, nec tamen in solo Baptismo fiat. In hac igitur quæstione priorem partem affirmant Papistæ, Catholici negant.

CAP. IV.

Quibus præiudiciis coniiciatur agi de Sacramento Eucharistiæ.

I. Longa series argumentorum, quæ alij aliter distinguunt in ordines. Ego in præiudicia, & in argumenta ex ipso contextu. Illa futura huius capitis.

II. Primum præiudicium, Maldonati, Bellarmini, Salmeronis, Coffetæi. Quis credat Ioannem nihil prorsus in tam longo Euangelio de Eucharistiæ mysterio dixisse: cum hoc ipsum sibi proposuisse videatur, vt maxima quæque mysteria consectaretur? Atqui si hoc loco de Eucharistia non egit, nusquam egit. Est igitur verisimile, more eum suo, quæ ab alijs Euangelistis de ea re dicta fuerant præterijsse, dixisse vero hoc loco, quæ fuerant prætermissa. Forma. Si hîc non dixit, ergo nusquam: At hoc absurdum: Ergo illud.

III. Respondeo, de Eucharistia agi, cum de eius parte altera agatur, vt de homine, cum de anima rationali. Itaque si rem significatam sophistæ dicant, conceditur vniuersum argumentum, quia nullo modo aduersum nos qui iam satis superque sumus protestati manducationem Christi spiritualē pertinere ad Eucharistiam, vt rem signorum, quæ & significetur, & efficiatur nec aliud negauimus, quam agi hoc loco de manducatione Sacramentali, quatenus est Sacramentalis.

IV. Quod si igitur alteram dicant partem, hoc est, hanc manducationem Sacramentalem, quatenus Sacramentalis est, quæ verè & propriè thesis est nostra, tum vero nos assumptum negamus. Negamus, inquam, esse absurdum nihil à Ioanne tractatum fuisse de ipsis Eucharistiæ signis, siue panem dicas & vinum, siue eorum species. Cur enim magis absurdum, quam quod omnino prætermiserit institutionem ipsam, quam reliqui Euangelistæ explicandam putarunt tam curiosè, & per singulas particulas?

V. Sed erat illi propositum maxima quæque mysteria consectari. Scilicet nullum fuit nascentis Christi: nullum circumcisi, nullum baptizati, vt confidenter Ioannes omitteret, Aquilæ instar non captans muscas. An Sophistæ potius ignorari vellēt, quod sciunt omnes? Postremum omnium Euangelistarum scripsisse, vt colligeret quæ alijs erant omissa, vel breuius perstricta? Salmero Prologem. 34. *Illud quoq; diligenter annotandum est, posteriores Euangelistas, qui cæterorum libros viderunt, animum præcipue adiecisse ad ea supplenda, quæ priores omiserunt, vt testatur Hieronymus, ea tamen omnia quæ anteriores scripserant, non putarunt esse repetenda, alioqui posteriores prioribus longiores essent, quod est manifeste falsum: sed ea tantum suppleuerunt, quæ in alijs desiderabantur, quæ vero scripta abunde erant, posteriores tacent: vt de adoratione Magorum, & cæde Innocentium, quam solus narrat Matthæus. Ioannes vero, qui vltimo loco scripsit, & aliorum Euangelia legit, & probauit: multa, imo fere omnia quæ in alijs deerant, vel desiderari potuerant, ample præstitit: quædam porro à reliquis enarrata repetit, vt circumstantias quasdam ab illis omissas adiungat*.

VI. Didicerat Salmero à Vetustioribus Theophylacto Λέγεται ὁ ἅγιος τὰ τῶν ἄλλων εὐαγγελιστῶν ἀναγνοὺς, θαυμάσαι μὲν αὐτοὺς τῆς περὶ πάντα ἀληθοῦς ἀφηγήσεως, ἐπικρῖναι δὲ ὡς ὑγιῶς ἔχοντα, καὶ μηδὲν πρὸς χάριν εἰπόντας τῶν ἀποστόλων. ἃ μέν τοι οὐ σαφῶς εἶπον ἐκεῖνοι, ἢ τελείως παρέλιπον, ταῦτα αὐτὸν ἐξαπλῶσαι, καὶ πληρῶσαι, καὶ προσθεῖναι διὰ τοῦ ἰδίου εὐαγγελίου, *Dicitur hic Sanctus, lectis aliorū Euangelijs, admiratus eorum esse in cunctis exactā ad veritatem narrationem, & iudicasse optime habere, neq; quicquam dixisse in gratiam Apostolorum, tamen illis minus perspicue dicta, aut prorsus omissa, explicasse, illustrasse & addidisse per proprium Euangelium*. Euthymio, *Motus à Christo ad præsens opus accessit, & quædam narrat, quæ etiā ab alijs scripta erant, ne videatur Euāgelium suum ab aliorum Euāgelijs separasse, præcipua tamen illi cura fuit quæ ab alijs relicta erant, addere ac de diuina Saluatoris gratia plura ponere, sicut necessarium esse ob insurgentes hæreses iudicauit*.

VII. Ioannem ergo, qui ipse sibi præscripserat pensum, vt non omnia diceret, quæ essent historiæ Euangelicæ: sed quæ essent alijs prætermissa, aut breuius dicta, quis miretur hanc omisse huius Sacramenti narrationem cui plenissime satisfactum esset à reliquis, quorum non poterat diligentiam non probare, non admirari?

VIII. Secundum præiudicium. Maldonati, Sanctesij, Salmeronis, Coffetæi. Consuetudinem fuisse Christi, maiora mysteria, antequam reipsa fierent, insinuare, vt ad ea cum fierent, excipienda, intelligendaque, discipulos

pulos erudiret, assuefaceret, præpararet, eiusque rationem reddere: *Vt cum factum fuerit, credatis, vt non scandalizemini, vt eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Antequam Baptismum institueret, dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Antequam moreretur, sæpe discipulis dixit se tradendum esse: Antequam in cœlum ascenderet, dixit, *Quia vado ad Patrem,* Antequam mitteret Spiritum Sanctum, *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis.* Credendum profecto est, & de Eucharistiæ Sacramento, quo vix maius vllum mysterium est, antequam reipsa institueret, disseruisse. Nam si nihil dum scientibus discipulis, de improuiso dixisset, *Hoc est corpus meum.* vtique exhorruissent aut certè dubitassent, interrogassentque, quid ea verba sibi vellent. Atqui non exhorrescunt, nihil addubitant, nihil interrogant, iam igitur Christum de ea re ante differentem audiuerant. Vbi, quæso, nisi hîc? Distinguo argumentationis partes. Si prædixit Christus mysterium Eucharistiæ: Ergo hæc concio fuit de Eucharistiæ Sacramento: At prius verum: Ergo posterius. Probatur consequentia, quia si non hoc loco, ergo nusquam. Probatur assumptum. Primo, Maiora mysteria Christus solitus erat prædicere: At Eucharistia vix vllum maius mysterium: Ergo Eucharistiæ mysterium fuit prædictum. Rursus: Si nusquam prædixisset, ergo discipuli de improuiso audientes, horruissent, dubitassent, interrogassent: At hoc falsum, ergo illud.

IX. Respondeo, mysterium propriè esse rem significatam, impropriè rem significantem. De priori, vt paulo ante, concedituit totum argumentum, quanquam, nulla probationum sit necessitas, Nam consuetudinem fuisse Christo insinuandi magna mysteria antequam fierent, non est axioma vniuersale, sed tantum de re frequenti. Magnum fuit mysterium ipsa hæc multiplicatio panum descripta à Ioanne tam exactè, & tamen nunquam alias prædictum. Mystica etiam fuit curatio cæci à natiuitate, Ioannis nono, & tamen nunquam prædicta. Nec necessaria consequentia est, Apostolos futuros in horrore, si subito audissent, iam assuetos magistro maxima solito mysteria tradere, & supra fidem: atque adeo expertos iam sæpius, nihil ab eo horrendum doceri? Veruntamen haud est nostrum hic diutius hærere, cur enim curiosè refutemus, quæ nobis non nocent?

X. Sed si mysterium dicatur res significans, id est, Sacramentum, quatenus Sacramentum, id est, sacrum signum: negatur assumptum, videlicet prædixisse Christum se aliquanto post daturum hoc Eucharistiæ Sacramentum.

XI. Ad confirmationem primam rursus dico, non esse axioma vniuersale. Nam neque inducta exempla, continent inductionem plenam, & sunt ipsa alterius generis. Nam res ipsæ ostenduntur, non vlla earum signa, vt apparet in morte, & paracleto. In Baptismo etiam, quia nasci aqua & Spiritu, non ipsum Baptismum aquæ denotat, vt est alias nobis disputatum. Est autem importuna sophistice, πρὸς βαίνειν εἰς ἄλλο γένος, & argumentari à dissimilibus. Certte, πρὸς ἀνάλογον comparantur, res rebus, & signa signis: at non res signis. Si volueris prædictas res esse, puta regenerationem, mortem, paracletum: patiar concludentem, prædictam esse manducationem Christi. Item si dixeris, prædicta earundem rerum signa fuisse, possim non irasci concludenti, ergo etiam manducationis signũ aliquod fuisse insinuatum. Sed vt posito, prædictas eas res fuisse, concludas ergo prædicta fuisse manducationis signa, quis tam stupide patiens, vt non indignetur? Me vide: dico prædictum donandum Spiritum fuisse, dico iterum donatum fuisse Spiritum eundem, per insufflationem, & linguas igneas: & tamen dico in prædictione illa, nullum fuisse verbum de insufflatione, deq; linguis igneis. Similiter dico confidenter: prædictam fuisse manducationem Christi corporis in hac concione, dico eandem manducationem exhibitam fuisse in Cœna Domini, & tamen dico in illa ipsa concione, nullum verbum esse de Cœna Domini, quatenus, inquam, hæc Cœna significat externa signa.

XII. In secunda confirmatione negatur consequentia. Primum, quia etsi nulla prædictio præcessisset insufflationis, aut linguarum ignearum: tamen nemo Apostolorũ, horruit, dubitauit, interrogauit, ad ipsam insufflationem, ipsasque linguas igneas, quanquã non essent soliti videre. Deinde, quia in ipsa exhibitione Eucharistiæ nihil fuit, vnde aut horror, aut dubitatio oriretur. Nam in comedendo pane, bibendo vino nihil est horrendum: aut præter consuetudinem naturæ: quod notare solent Veteres, ad horrorem excludendum. Si quis horror esse poterat, is futurus erat in manducatione corporis: sed tum non poterat, quoniam hæc ipsa iam præcesserat admonitio, admonitio, inquam, de re, quæ erat vere supra naturam non de signo, re naturali.

XIII. Tertium præiudicium, Maldonati, Salmeronis, Bellarmini. Quia est verisimile, nunquam Christum vim, fructumque tanti Sacramenti explicuisse copiosius, quam his verbis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Illic enim tantum dicit, quid nobis tradat, corpus nimirum, & sanguinem suum, quem autem fructum ex eo percepturi simus aut nullo modo, aut vno tantum verbo, eoque obscuro, & ambiguo declarat. *Quod pro vobis datur.* Quod si alicubi de huius Sacramenti fructu disseruit, hic certe disseruit, alius enim locus vbi id agat, nullus est. Sic Maldonatus. At Salmero: In alijs Euangelistis solum narratur, commemorationem fieri, & annuntiationem mortis Christi, qui fructus non est solus huius Sacramenti, sed etiam manere in Christo, & illum in nobis, illo viuere & nutriri, nũquam mori, vitam æternam, & pignus resurrectionis habere, quæ omnia apud Ioan cap 6. solum explicantur.

XIV. Respondeo, fructum Sacramenti, qua Sacramentum est, esse ipsam communionem corporis & sanguinis Christi. Quæ autem enumerata sunt, pertinere ad fructum communionis huius ipsius corporis. Itaque fructum proximum, quærendum ab ipso pane & vino, distinguo à fructu remoto. Illum dico, nec debuisse nec potuisse latius exponi, quam in ipsa Sacramenti institutione, nec adeo potentius aut efficacius, quam his ipsis paucis verbis, *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus,* quibus monemur vt ne attendamus rerum naturæ, sed mutationi factæ per gratiam, vt Theodoretus monuit.

XV. Alterum fructum fatemur, necessario fuisse latius explicandum. Sed quid id potest aduersum nos, qui fatemur itidem fuisse hac ipsa concione explicatum f. sissimè? tota, inquam, ista concione, non autem vna aliqua eius eaque exigua particula? Quin hoc ergo Sophista potius agit, quod debuit aduersum nos, vt probaret agi non de re ipsa Sacramenti, quatenus hæc distinguitur à Sacramento, sed de Sacramento ipso? Hoc si non potest, cur non tacet? cur non desinit esse molestus?

XVI. Quartum præiudicium Salmeronis est, copulantis tamen cum præcedenti. Si hoc caput de Eucharistiæ spirituali sumptione in Sacramento non intelligeretur, nunquam in Euangelio explicatus esset nobis rectus huius Sacramenti vsus. Non enim alibi, cum tantum dicatur, *Comedite,* nec declaretur modus. Nam etsi Paulus dicat *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat*: non tamen declarat, quid sit illud salutiferum comedere, quod hic Dominus explicat, dicens esse manere in illo, vel venire ad illum, vt ipse ait in præsentia.

XVII. Sed hoc quid est? Aut quis nouus quæstionis status? Non enim positum ab initio, vt ageretur de Eucharistiæ spirituali sumptione in Sacramento. Quin hæc monstra sunt verborum. Quid enim est sumptio Eucharistiæ in Sacramento. An quomodo ille nugabatur olim, qui matrem dicebat gestasse filium in vtero, quasi aliæ solerent in penula? Vidistin' tu aliquando Eucharistiæ sumptionem vllam sine Sacramento? Tam profecto, quam cœnæ absque conuiuio. Sed hoc mitto. Illud nego, te pollicitum esse acturum de spirituali corporis Christi sumptione in Sacramento. Imo potius de sacramentali eiusdem sumptione: siue, vt titulus habet huius tui tract. 23. *Disputationem* illam *esse de Sacramento Eucharistiæ.* Cur subito mutas?

XVIII. Sed nunc donemus ita voluisse dictum. Quem ergo Sacramenti vsum appellat? Specierumne panis & vini, aut corporis & sanguinis? Nam si horum, etsi fortè non propriè, tamen nemo contradicit, huius manducationis vsum hac concione explicatum fuisse, & quidem luculentissime: quanquam vsus huius ego quidem videre non possum, quo differat à fructu: maximè cum describi dicatur permanere in Christo, vicissimque habere Christum immanentem. Sed id quicquid sit, non enim vacat inquirere, concedimus hac explicatum concione.

XIX. Sed si dicant vsum ipsarum specierum, tum vero negamus, aut non esse satis explicatum hic in institutione, maximè apud Paulum, aut fuisse alibi commodius explicandum. Nam is vsus vel ceremonia est determinans elementa, vt fiant Sacramenta, & sufficientissime continetur in verbis, *accepit, benedixit, fregit, dedit discipulis, dicens, accipite, edite,* vel est ceremoniæ vsus legitimus, & hic à Paulo descriptus est, dicente, *Probet seipsum quisque*, & deinceps. Neuter autem debuit in hac disputatione contineri, cum nondum esset Sacramentum institutum.

XX. Sedenim, inquit, cum dicitur, *Comedite*, non declaratur modus. Hoc ego non intelligo. Quis enim modus? Edendi panis, an corporis? Huius, non erat opus: quia ex hac ipsa fuit concione petendus. Illius, absurdum: quis enim modus panis comedendi, nisi ipsum comedere? Aut si quis, cur opus explicatione, cum res sit naturalis, nec instituta? Nisi forte explicari oportuerit singula vocabula tum vsurpata, & accipiendi, & benedicendi, & frangendi, imo ipsum panem, vinum, calicem, & reliqua absurdissimè, & contra omnem humanitatis vsum, qui solet ita voces vsurpare, in loquendo, vt notas supponat, alioquin progressus foret in infinitum.

XXI. Fateor, cum iussit Paulus, se quenque probare, non eadem opera exponere, quid sit comedere corpus Christi, id est, manere in Christo: sed hoc pertinet ad rem Sacramenti explicatam hac concione, illud autem ad Sacramenti ipsius species visibiles, earumq; vtum legitimum, sic satis explicatum, vt oportuit in institutione.

XXII. Quintum præiudicium, Bellarmini, Maldonati, Salmeronis. Si hac in concione nullum est præceptum de hoc percipiendo Sacramento, ergo nusquam vllum est: At hoc absurdum: Ergo illud. Probatur cõsequentia à remotione. Nam quod dicit Christus in vltima cœna, ait Maldonatus, *Accipite, manducate, Accipite, bibite*: item, *Bibite ex hoc omnes*, illis solis dictum, qui tum aderant. Et apud alios Euangelistas, ait Bellarminus, soluni exstat institutio, vt quoties Sacramentum sumitur, id fiat in memoriam Dominicæ passionis. Assumptum probat Salmero: Quia sit adeo necessarium hoc Sacramentum ad salutem, vt eius virtute, actu vel voto accepti, omnia alia Sacramenta habeant suam efficaciam, sicut riuuli à fonte, & vmbræ à corpore, & figuræ à re ipsa figurata.

XXIII. Respondeo concedi, quod est in assumptione, absurdum fore, si in toto Euangelio nullum sit præceptum, quo sanciatur sacra Eucharistię communio. Etsi perperam probetur ex imaginaria illa necessitate. Est enim falsum reliqua Sacramenta vim suam sumere ab isto. Nam certe Baptismus vtilis ad salutem, alioquin quid fieret infantibus, qui nec voto, nec actu capaces Eucharistiæ percipiendæ? Veruntamen aliud genus est necessitatis inter fideles potentissimum, nempe ipsa Domini institutio. Nam ab huius voluntate necesse est pendere pietatis exercitia.

XXIV. Negatur autem consequentia, quoniam præceptum, sit hæc ipsa quam indicarunt, institutio, inque ea hæc ipsa verba, in quibus summouendis laborant Qua de re plene disputatum nobis huius tomi libro 8. capitibus 2. & 3. Itaque nugatur Bellarminus, qui summouendam sperauit leuissimo hoc verbo, Tantum extat institutio, quasi diceret nullum exstare præceptum, quia tantum exstet præceptum. Ineptus etiam Maldonatus, qui non patitur institutionis verba proferri latius quam ad tunc præsentes. Enimuero quid habet, quo magis probet, hæc verba. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: hæc, inquam, verba, dicta ad tum absentes? Aut quabitis vitam in vobis: hæc, inquam, verba, dicta ad tum absentes? Aut quabitis si loquatur quisquam, vt suæ vocis sonum percipi speret ab longe positis. Papistas excipio Sacerdotes, qui in angularibus suis missis, perinde loqui solent, ac si myriades haberent adstantium. Sed non si isti φρενοβλαβεῖς, Christus alienus fuit ab humanitate.

XXV. Sextum præiudicium, Salmeronis & Pererij 36. disputat. in hoc ecput, ab autoritate Ecclesiæ. Ratio firma est, inquit, ab vsu & consuetudine Ecclesiæ Catholicæ, quæ in die solenni corporis Christi Euangelium accipit ex c. 6. Io. Nam etsi quandoque Ecclesia vbi non est Euangelium, vel lectio propria, in officio Missæ soleat lectionem aliquam alicui solennitati appli-

tati applicare non iuxta sensum literalem, vt facit in festo Assumptionis B. Mariæ, in quo legit Euangelium de historia Mariæ & Marthæ, vbi tamen est lectio propria de aliquo mysterio loquens, non illam prætermittit. Cum ergo extra controuersiam sit, tres priores Euangelistas ad literam loqui de institutione huius Sacramenti à Christo facta: Ecclesia non vsurparet verba cap. 6. Ioan. si non crederet, & à maioribus accepisset, hoc caput ad literam de illa esse intelligendum.

XXVI. Respondeo primum, quicquid illud est de festo corporis Christi, non esse Ecclesiæ Catholicæ testimonium, sed Romæ idololatricæ delirium. Quomodo enim? cum festum illud recentis fuerit institutionis? Nã Vrbanus quartus ei autor, anno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, teste Panuinio, additionibus ad Platinam, cum iam antea sancita esset Transubstantiatio. Itaque si quid hic virium, ea sunt particularis testimonij.

XXVII. Secundo, consequentiæ infirmitatem ostendit ipse Salmero, concedens interdum aptari lectiones quasdam non ad literam. Quid enim obstat, quominus cum alijs, istanc etiam? Quia, inquit, non solet omittere proprias lectiones. Esto sane, inquam. Sed hîc peculiaris causa fuit, quod institutio Eucharistiæ iam locum occupauerat in canone. Videbatur autem absurdũ bis in eodem Officio idem Euangelium recitari. Itaque decursum ad illud, etsi non proprium, tamen vicinum.

XXVIII. Sed enim illa notata sunto ἐν παρόδῳ. Cæterum nos ipsi, qui certum habemus non agi de Sacramento, tamen solemus idem ipsum caput Ioannis Ecclesiæ prælegere dum sumus in Eucharistiæ celebratione. Quod non fieret, si non pertineret ad Eucharistiam. Imo scimus pertinere, quia videlicet diuina concio est de re Eucharistiæ, etiam si non de signis, siue propriè de Sacramento.

XXIX. Septimum præiudicium, Bellarmini, Salmeronis, Maldonati, Pererij, Roffensis, Coffetæi, omnium, ab autoritate Conciliorum & Patrũ. Salmero. Cum in controuersijs fidei, Ecclesia & Patres vtantur hoc capite Ioañis intellecto de Eucharistia, non soleant autem illi contra hæreticos decertare nisi in sensu literali, sequitur vel Patres illos turpissime hallucinatos fuisse, si sensu mystico disputabant, aut hæreticos nostros, quod verisimilius existit, longe à scopo aberrare, qui nolent in eo capite mentionem de Sacramento fieri.

XXX. Concilia numerantur. Ephesinum in Epistola ad Nestorium: Nicenum secundum, Act. 6. tom. 3. Tridentinum sess. 21. c. 1. Cabilonense secundum canone 46. Senonense c. 10.

XXXI. Patres autem. Origenes in Numeros homilia 16. Cyprianus de Cœna Domini, de Oratione Domini a, 1. contra Iudæos c. 22 Hilarius de Trinitate lib. 8. Basilius in moralibus regulæ 21. c 1. Chrysostomus homilia 44 & 45 in Ioannem. Epiphanius hæresi 55. Ambrosius 4. de Sacramentis c. 5. & 1. quinti, & 1. sexti, & quarti de fide 5. Innocentius primus Epistola 93. inter Epistolas Augustini. Ephrem de die iudicij. Augustinus 1. de peccatorum meritis & remissione 20. & 24. primo contra Iulianum: & serm 2. de verbis Apostoli. Hieronymus in cap. 1. ad Ephesios. Theophilus secundo paschali. Gregorius Nyssenus in Ecclesiasten, & libro de perfecti Christiani hominis forma. Cyrillus in 6. Ioannis. Theodoretus in Impatibili: & historiæ Tripartitæ lib. 7. c. 11. Procopius in 33. Esaiæ. Gaudentius tract. 2. ad Neophytos: Maximus Taurinensis, in illa verba Psalm. 21. *Deus meus respice in me.* Leo sermone 6. de ieiunio septimi mensis. Prosper in Psalm. 135. verba illa, *Qui dat escam omni carni.* Hesychius 9. in Leuiticum cap. 22 Isidorus cap. 18. primi de Officijs Ecclesiasticis: Eusebius Emissenus homilia 5. de Pascha: Cassiodorus in Psalmum 109. Damascenus 4. de fide c. 14. Bernardus Sermone tertio in Psalmum, *Qui habitat in adiutorio Altissimi.* Denique Theophylactus, Euthymius, Rupertus in 6. Ioan. Hi satis multi, etsi non dubitem ab alijs alios posse laudari.

XXXII. Respondeo primo, Conciliorum Niceni secundi, & Tridentini nunquam passuros Catholicos esse vllum in rebus Theologicis momentum, Tridentini maxime aperte Papistici, & totum Transubstantiationis negotium amplexi. Nam Niceno illi præiudicio sola Idololatria fuit, alioquin hoc capite non admodum metuendo. Innocentio tertio causa est communis cum Tridentino, præiuit enim Transubstantiatoribus. Sed & Senonense Concilium prouinciale totum Papisticum & ex professo, vtpote coactum contra Lutherum, anno demum vicesimo octauo supra sesquimillesimum. Quare istis omnibus poterant supersedere aduersarij, & sibi alioquin occupatissimis tantillum laboris detrahere.

XXVIII. In reliquis nihil est, quod quenquam mouere queat. Primum enim plurimi sunt qui de Eucharistia, siue de manducatione Sacramentali prorsus non loquuntur: sed tantum de communione cum Christo, significata per manducationem carnis, & potum sanguinis. Sic profecto Innocentius illa 93. epistola, quæ apud Augustinum, *Illud vero*, inquit, *quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmijs etiam sine Baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducauerint carnem Filij hominis, & biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis.* Sic ille. Quis non videt hanc esse mentem. Neminem habere vitam, qui non comederit carnem, & biberit sanguinem Christi. At non baptizatos non edere, & bibere eam carnem eumue sanguinem: Ergo non baptizatos non habere vitam æternam. Atqui assumptio esset falsa, de manducatione sacramentali. Nemo enim Catholicus negauit vnquam posse absque ea vitam constare baptizatis. Certe Augustinus in eam rem disertus apud Bedam in decimum prioris ad Corinthios, & Gratianum canone, *Quia passus*, de Consecratione distinctione secunda, *Nulli est aliquatenus ambigendum tunc vnumquemq; fidelium corporis, sanguinisq; Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisq; consortio, etiam si antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur quando ipse hoc, quod illud Sacramentum significat, inuenerit.* Audin', posse corpus manducari, & sanguinem bibi, quod significatur in Eucharistia, antequam Sacramentum ipsum edatur aut bibatur? Ergo, inquam, non est verum, ab Innocentio intelligi esum Sacramentalem, quod tamen aduersarij sibi induxerunt in animum. Scio solitam esse Eucharistiam tradi infantibus baptizatis, sed dico, non assertum, neminem aliter potuisse saluari.

XXXIV. Et addo Salmeronem nugari, dum commentatur; Obiecisse Patres Pelagianis, voluisse eos infantibus tribuere, quod nemini detur, qui non fuerit Eucharistiæ particeps iure communionis vel propriæ vel alienæ. Nam hæc communionis distinctio soli huic commentatori venit in mentem. Nemo, inquam, alienam communionem dixit siue Eucharistiæ, siue corporis Domini. Vincat Sophista, si vel vnum testem dederit. Et sane, quid opus erat alienam comminisci, cum propria esset in vsu?

XXXV. In eodem ordine Ignatius est in Epistola ad Romanos, ἄρτον θεοῦ θέλω, ἄρτον οὐράνιον, ἄρτον ζωῆς, ὅ ἐστι σὰρξ τοῦ χριστοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ· καὶ πόμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος, *Panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ qui est caro Christi Filij Dei, & potum volo, potum eius, qui est caritas incorruptibilis.* Et Prosper in Psalm. 135. *Qui dat escam omni carni. Hæc est esca de qua Dominus dicit, Caro mea vera est esca, quæ datur omnibus gentibus. Quia nullus renatorum fidelium, ab esu eius excipitur.* Nyssenus in Ecclesiasten homil. 8. δυσώδης μὲν πᾶς ῥύπος τῆς ἁμαρτίας, ἡ ἀρετὴ χριστοῦ ἐστιν εὐωδία. ἡ δὲ ἀγαπητικὴ σχέσις, τὴν πρὸς τὸ ἀγαπητὸν ἀνάκρασιν φυσικῶς κατεργάζεται. ὅπερ ἂν οὖν διὰ τῆς φιλίας ἐρώμεθα, ἐκεῖνο γινόμεθα, ἢ εὐωδία χριστοῦ ἢ δυσωδία. ὁ γὰρ καλὸν ἀγαπήσας, καλὸς καὶ αὐτὸς ἔσται, τῆς ἀγαθότητος τοῦ ἐν αὐτῷ γινομένου πρὸς ἑαυτὴν τὸ δεξάμενον μεταποιούσης. διὰ τοῦτο ὁ ἀεὶ ὢν ἡμῖν ἑαυτὸν προτίθησιν εἰς ἐδωδὴν, ἵνα αὐτὸν ἀναλαβόντες αὐτὸ ἐν αὐτοῖς ἐκεῖνο γινώμεθα ὅπερ ἐκεῖνός ἐστι. φησὶ γὰρ, ὅτι ἡ σάρξ μου ἀληθῶς ἐστι βρῶσις, καὶ τὸ αἷμά μου ἀληθῶς πόσις, *Fœtida quidem est omnis sordes peccati: contra autem virtus est bonus odor Christi, amandi autem habitudo naturaliter efficit contemperationem cum eo quod amatur. Quod ergo diligimus per amorem, per illud efficimur Christi bonus, vel malus odor. Qui enim quod bonum est, & honestum amauit, ipse quoq; erit bonus & honestus, bonitate eius quod in ipso, eum, qui accepit, in seipsam transmutante. Propterea nobis seipsum comedendum proponit is qui semper est, vt cum ipsum in nobis ipsis acceperimus, illud fiamus quod ille est. Dicit enim, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Hæc illi. In quibus quid sit ad Eucharistiam propriè & expresse pertinens, ego quidem videre non possum: nec vero etiam docuerunt aduersarij.

XXXVI. Sed & Theophili mens Paschali primo valde est aliena. *Nec vanitatem appellamus*, inquit *substantiam corporalem, vt ille æstimat, alijs verbis in Manichæi scita concidens, ne & Christi corpus subiaceat vanitati, cuius edulio saturati, ruminamus quotidie verba dicentis, Nisi quis comederit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit partem mecum.* Nempe docuit Origenes, omnem corpoream substantiam esse vanitatem. Negauit Theophilus, obiecto corpore Christi à quo habetur vita æterna. Cui quidem obiectioni suum pondus est siue in Eucharistia, siue extra eam.

XXXVII. Ne ij quidem qui mysteria nominarunt. Athanasius in Synopsi Noui Testamenti lib. 4. ἀποπλέουσιν οἱ μαθηταὶ εἰς καπερναοὺμ. ἦλθεν ὁ ἰησοῦς ἐκεῖ, ἦλθον καὶ οἱ ὄχλοι· τότε αὐτοῖς περὶ τῶν μυστηρίων διαλέγεται, *Discipuli nauigant in Capernaum: huc & Iesus venit, & turba. Tunc eis de mysterijs disserit.* Chrysostomus in Ioan. homil. 44. μέλλει λοιπὸν εἰς τὴν τῶν μυστηρίων ἐμβαλεῖν παράδοσιν, *Iam in mysteriorum traditionem deuenturus est.* Nam etsi Græcis mysteria, interdum Latinis sint Sacramenta, & quidem Eucharistiæ, tamen etiam frequenter, non signa Sacramentalia, sed arcana dogmata, & quæ habent aliquid obscuri. Et hîc ita sumi doceo, ex Chrysostomo: qui primum dixit acturum deinceps de mysterijs Christum, nempe ab eo loco vbi legis, *Ego sum panis vitæ*: vbi tamen consentiunt Papistæ non agi de Eucharistia propriè. Deinde homi. 45. εἰ δὲ ἐξετάζοι τις τί δήποτε καὶ τὸν περὶ μυστηρίων ἐνέβαλε λόγον. ἐκεῖνο ἂν εἴποιμεν πρὸς αὐτὸν ὅτι καὶ τούτων σφόδρα τῶν λόγων ὁ καιρὸς ἦν. τὸ γὰρ ἀσαφὲς τῶν εἰρημένων ἀεὶ τὸν ἀκροατὴν διανίστησι, καὶ προσεκτικώτερον ἐργάζεται, *Quod si quis percontaretur, cur mysteriorum sermonẽ adduxerit: respondebimus quod horum nunc maxime tempus erat. Obscurius enim dictum semper auditorẽ erigit, & attentiorem reddit.* Viden? non opponi τὰ μυστήρια, non rebus ipsis per ea significatis, quæ ratio spectat ad signa Sacramentalia, sed exponi per res obscure dictas? At hæc ratio conuenit mysterijs quatenus arcana sunt dogmata.

XXXVIII. Concurrit Cyrillus, qui tertij in Ioan. c. 28. cum dixit, *Totũ incarnationis mysterium tetigit, occultius enim spiritalem cibum ostendit, quo anima simul & corpus sanctificati in Christo viuimus: sed apertius hoc modo dicturus est.* Tum c 3. *Quanquã solitus fuerit Christus ænigmatice quodam modo, nec aperte nimium mysteria exponere, ne res diuinæ scelestis etiam hominibus in derisionem paterent, nonnunquam tamen propter auditorum imperitiã, cum nihil eos intelligere videat, omni ambiguitate sermonis remota, dilucide ac breuiter totam mysterij vim explicat, vt nulla excusatio non credentibus relinquatur.*

XXXIX. His phrasibus similes istæ. Hilarij 8. de Trinit. *Quod autem in eo per Sacramentum communicatæ carnis & sanguinis simus, ipse testatur dicens, & hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis, quoniã ego viuo, & vos viuitis, & ego in vobis.* Iterum, *Perfectæ autem huius vnitatis Sacramentum superius iam docuerat, dicens, Sicut me misit viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducauerit carnem meam, & ipse viuet propter me.*

XL. Constat igitur mysterium, siue Sacramentum carnis manducatæ, sanguinisq; potandi non esse Sacramentalem illum esum & potum, de quo nunc nobis controuersia. Nam nec Ioan. 14 vnde est ille locus prior citatus ab Hilario, agit de Sacramento Eucharistiæ; neque hic posterior ex hoc 6. c. conceditur a Papistis agere de spirituali duntaxat.

XLI. Supersunt alij testes plurimi, quos negare nec possumus, nec volumus agentes manifeste de Eucharistia: eo deriuare hoc 6. cap Ioan. Quid ergo? Nempe negamus propterea sequi eam concionem agere propriè de Sacramentali manducatione, quatenus Sacramentalis est, verum de spirituali, cui adhibentur Sacramenta: vno verbo, corporis Christi esu significato per Sacramenti sumptionem. Hoc ostendo varijs argumentis.

XLII. Primo, Veteres de hac ipsa Eucharistia interpretantur alios nõ paucos locos, qui tamen de Sacramento, quatenus Sacramentum est externum, non agunt. Exemplo est ille ipse locus ex 14. Ioan. iam iam citatus ab Hilario, *Hic mundus iam me non videt*, & quæ sequuntur. Eusebius Emissenus homilia illa quinta de Pascha, *Ipsum fuisse in manna illius specie præsignatum, etiam Propheta euidenter ostendit, dicens, Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducauit homo. Et quis panis angelorum est, nisi Christus,*

qui

qui eos cibo caritatis, & lumine suæ claritatis exsatiat? Paulo post, Dominici sanguinis vinum aqua esse miscendum disputat ex Prouerbiis, *Venite, & edite de meis panib. & bibito vinum quod miscui vobis.* Possunt alia conquiri plurima.

XLIII. Sed & hoc ipso in capite Ioannis non illa tantum ad Eucharistiã inflectuntur, quæ in ea parte sunt, de qua Papistæ contendunt: sed etiam quæ in altera, & priore, quam iidem coguntur fateri, tantum agere de spirituali communione, vt capite præc. expressum est. Hesychius in 22. Leuitici: *Quando lacrymis quis pœnitentiæ ablutus fuerit, tunc sancta comedet: quia panis eius est ille, de quo Dominus in Euangeliis dicebat, & panis quem ego dabo caro mea est. Quod & nunc panis memoriam faciens, & quos oporteat de eo comedere distinguens addidit, Morticinium & captum à bestia non comedent, nec polluentur in eis. Ego sum Dominus: vt hoc quod dictũ est, Ego Dominus, quum audias, intelligas hunc dicentẽ, Ego sum panis qui de cœlo descendit,* Cyrill. in Apologetico anathematismi 11. *Quia n. vita secundum naturam est Verbum, quod ex Deo Patre est, viuificatricem effecit suam carnem: & hac ratione facta est nobis benedictio viuificatrix, εὐλογία ζωοποιός: Proinde & Christus dicebat, Amen, amen dico vobis, ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, & vitam dans mundo.* Et rursus, *Panis, quẽ ego dabo, caro mea est, pro mundi vita:* August. de peccat. meritis & remis. lib. 1. c. 24. *Quid aliud etiam, qui Sacramentum mensæ Dominicæ vitam vocant, nisi quod dictum est, Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi. Et, panis quem ego dabo caro mea est, pro seculi vita?* In Ioannem tractatu 11. *Quo traijcit per Baptismum Iesus, cuius figuram tunc gerebat Moyses, qui per mare traijciebat? Quo traijciebat? Ad manna. Quid est manna? Ego sum, inquit, panis viuus, qui de cœlo descendi. Manna accipiunt fideles, iam traiecti per mare rubrum.*

XLIV. Hinc nobis argumentum manifestum. Nam certe, si, quia ad Eucharistiam deriuantur illa, *Panis quem ego dabo caro mea est:* ideo hæc oportet ad literam & proprie dici de sacramentali sumptione, tum certe etiam illa, *Ego sum panis qui de cœlo descendi:* itidem necesse erit ad literam agere de Sacramentali sumptione: At hoc falsum: nam concedunt ipsi Papistæ, agere de altero sumptionis genere, id est, spirituali. Vnde Augustinus in Ioannem tractatu 26. *Hic est ergo panis, qui de cœlo descendit: vt si quis manducauerit ex ipso non moriatur: sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum.* Discant ergo ne illud quidem esse firmum, quo vtuntur argumento.

XLV. Adde hanc ipsam carnem esse his verbis à Christo dictam cibum spiritualem, teste Athanasio in illud Euangel. j, *Quicunq; dixerit* περὶ τῆς τοῦ σώματος βρώσεως διαλεγόμενος, καὶ διὰ τοῦτο πολλοὺς ἑωρακὼς τοὺς σκανδαλισθέντας, φησὶν ὁ κύριος, *De esu sui corporis disputans ac propterea multos scandalizatos conspiciens, ita locutus est, Hoccine vos scandalizat? Quid si igitur Filium hominis spectaueritis ascendentem vbi erat prius? Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Hic n. de vtroq;, carne, & spiritu suo loquutus est, & spiritum à carne discriminauit, vt non solum id quod oculis apparebat, sed naturam quoq; inuisibilem credentes, disceremus ea quæ loqueretur, non carnalia esse, sed spiritualia. Quot n. hominibus corpus eius suffecisset ad cibum, vt vniuersi mundi alimonia fieret? Sed propterea ascensionis suæ in cœlum mentionem fecit,* ἵνα τῆς σωματικῆς ἐννοίας αὐτοὺς ἀφελκύσῃ, καὶ λοιπὸν τὴν εἰρημένην σάρκα βρῶσιν ἄνωθεν οὐράνιον, καὶ πνευματικὴν τροφὴν παρ᾽ αὐτοῦ διδομένην μάθωσιν, *vt eos à corporali intellectu abstraheret: ac deinde carnem suam de qua locutus erat, cibum è supernis cœlestẽ, & spiritualẽ alimoniam à se datã, intelligerent. Quæ n. locutus sum vobis, inquit, spiritus est & vita. Quod perinde est, ac si diceret,* τὸ μὲν δεικνύμενον καὶ διδόμενον ὑπὲρ τοῦ κόσμου, δίδοται τροφή, ὡς πνευματικῶς ἐν ἑκάστῳ ταύτην ἀναδίδοσθαι, *Corpus meum quod ostenditur, & datur pro mundo, in cibũ dabitur, vt spiritualiter in vnoquoq; distribuatur, & fiat singulis tutamen præseruatioq; ad resurrectionem vitæ æternæ.* Res est manifesta. Nam comparantur vt diuersa etiam apud Papistas corporalis manducatio, quam Sacramentalem dicunt: & spiritualis. Illi contendunt verba illa Christi, *Panis quem ego dabo*, agere de corporali, siue Sacramentali: ast Athanasius illa eadem verba asserit intelligenda de spirituali alimonia, quæ πνευματικῶς ἀναδίδοται, spiritualiter distribuitur singulis.

XLVI. Absoluo in Cyrillo, qui c. 4. quarti in Ioannem sic annotauit, *Viuificantem huius mysterij cognitionem iterum atq; iterum in mentib. eorum imprimere studet. Et quomodo quidem carnem suam dabit ad manducandum, non docet: quia intelligere illi non potuerunt: quam magna vero bona si cum fide manducabunt, adipiscentur, id iterũ, atq; iterum aperit, vt æternæ desiderio vitæ ad fidem compellantur, per quam etiam facilius doceri poterint, sic n. Esaias dixit, Si n. inquit, non credideritis, nec intelligetis. Oportebat igitur fidei primũ radices in animo iacere, deinde illa quærere, quæ homini quærenda sunt. Illi vero antequam crederent, importune quærebant. Hac igitur de causa, Dominus quomodo id fieri possit non enodauit, sed fide id quærendum hortatur. Sic credentib. discipulis fragmenta panis dedit, dicen, Accipite, & manducate, hoc est corpus meum. Calicẽ etiam similiter circuntulit, dicens, Bibite ex hoc omnes, hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Perspicis quia sine fide quærentib. mysterij modum nequaqua explanauit: credentib. a. etiam non quærentib. exposuit?* Eadem fuit mens Chrysost. hom. 46. in Ioannem, καὶ πόθεν, φησίν, ἤδει αὐτὸ νοῆσαι τί ποτέ ἐστι τὸ σάρκα φαγεῖν ἐκεῖνοι; οὐκοῦν ἔδει τὸν καιρὸν ἀναμένειν, καὶ πυθέσθαι, καὶ μὴ ἀπαγορεῦσαι, *Et quomodo potuerunt intelligere, quid esset carnem manducare? Expectare igitur temporis opportunitatem eos oportuit, non discedere: interrogare, non desperare.*

XLVII. Ne hoc quidem obscurum. Manducatio Sacramentalis, est modus manducandæ carnis Christi explicatus in institutione Eucharistiæ: At hic modus non est explicatus hoc 6. c. Ioannis c. Ergo modus ille manducandi in Eucharistia non est explicatus hoc 6. c. Ioan. Maior patet ex aduersariorum contestatione. Minorem vero Cyrillus diserte ponit, & Chrysostomus saltem indicat.

XLVIII. Salmero tamen admonet nõ solere Patres contra hæreticos certare nisi ex literali sensu. Quod etsi confidentius sit dictum tamẽ non libet refutare. Sed quid ad rẽ? Ergone ea verba esse de Sacramento ipso intelligẽda? Ast ego consequentiã nego. Nam eadẽ ratio esset prioris partis eius cõcionis, quam nemo audet de Sacramento peculiariter interpretari. Nempe ergo non meminere Papistæ seipsis adstipulantibus geminam manducationẽ in Eucharistia fieri: vnam Sacramentalẽ proprie, quæ fiat ore corporis alteram spiritualẽ, quæ fiat fide: Atqui nos concedimus de spirituali adiurerã loqui concionem illam Christi. Quare vel hanc negandum est habere quicquam cõmune cum Eucharistia: vel concedendũ, concionem illam ad literam pertinere ad Eucharistiam. Etsi non literaliter Sacramentalem designet: sed eam propter quam Sacramentalis est instituta.

CAP. V.

Argumenta sumpta ab ipsa concione.

I. HActenus præiudicia fuere, nunc erunt argumenta ex ipsa concione. Hoc primum, Bellarmini, Maldonati, Salmeronis; à comparatione huius concionis, cum colloquio illo cum Nicodemo, quod extat c. 2. Bellarm. sic concepit. Sicut Dominus, vt Baptismum insinuaret, dixit Nicodemo, & aliquoties repetiuit, *Oportet vos nasci denuo:* &, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* Ita hoc loco, vt insinuaret alterũ Sacramentum, nimirum Eucharistiæ dixit, & repetiuit sæpius, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis:* & *qui mãducat carnem meam.* Et sicut mirabatur eo loco Nicodemus, neq; poterat capere, quomodo fieri deberet illa generatio: sic etiã hoc loco mirantur discipuli, quomodo possit fieri ista manducatio. Habes expressa capita duo similitudinis; repetitionem eorundem verborum, & admirationem auditorum: Ex quibus Salmero solam repetitionem vrget: Sed Maldonatus tertium addidit, Nicodemi, & Iudæorum incredulitatem, & quartum occasionem captatam illic ab ætate Nicodemi: hic à Iudæorũ persona panem quærentium.

II. Respondeo, nos has similitudines non impugnare: sed negare ex iis sequi sexto cap Ioannis agi de Sacramentali manducatione, quatenus Sacramentali, Ratio negandi: prima. Quia ne ad Nicodemum quidem loquutus sit Christus de generatione Sacramentali, quatenus Sacramentali, sed quatenus spirituali: qua de re disputatum nobis alias: Nunc breuiter probo, quia alioquin nemo ingrederetur in regnum cœlorum, nisi Sacramentaliter renatus, quod falsum etiam apud Papistas, qui sufficere dicunt Baptismum flaminis, & Baptismum sanguinis: in quorum neutro est generatio Sacramentalis.

III. Secunda ratio: quoniam hæc consequentia concluderet non tantum de posteriore parte concionis, sed etiam de priore: qua tamen nobis Papistæ cedunt, tanquã agente de manducatione mere spirituali. Etenim occasio illa loquendi à panib. fuit ab initio totius sermonis: Itaq; inde ortum est, vt Christus diceret, *Operamini cibum qui non perit:* &, *Panis ille Dei is est, qui de cœlo descendit,* & *Ego sum panis ille vitæ,* Et alia. Nec vero ad alios dicta ista prima, quam illa postrema: itaq; æque incredulos cum prima audirent; Nã & exprobrauit Christus, *Dixi vobis, vos etiam vidisse me, & non credere,* Sed & Io. notat murmurasse, quia diceret, *Ego sum panis ille qui cœlo descendi.* Repetitio deniq; diserta est, *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam: Ego sum panis ille vitæ.* Quare ita statuendum, hæc similitudinis capita, aut non concludere Eucharistiam in postrema parte concionis: aut concludere etiam in prima: At hoc falsum, non nobis tantum profitentib. sed etiam Papistis confitentib. Ergo illud verum: quod nos volumus.

IV. Secundum argumentum, Bellarmini, Salmeronis, Sanctesij: à collatione huius concionis cum institutione Eucharistiæ: Tanta est n. similitudo, inquit Bellarmin, vt plane clamare videatur diuina Scriptura, ibi reddi, quod hic fuit promissum. Salmero. Tantum sibi consentiunt & conueniũt, vt ipsa sibi inuicem explicatio quædam, commentarius, atq; interpretatio existant: & non secus inter se connectuntur, quam promissio, & exhibitio illius, qui fidelis est in omnibus verbis suis. Vt magnæ temeritatis existat, negare Christum in hoc loco de Sacramentali corporis & sanguinis sui cõmunicatione proprie egisse.

V. Sed Bellarm. negligentius comparationem contentus est indicare: at Salmero, Sanctesiusq; exsequuti sunt minutim per partes singulas adusque decem: Ille tractatu vicesimo secundo, iste repetitionis sextæ. cap. 5. Primo notant tempus anni, festum Paschæ anno scil. vertente. Secundo, promittitur inde panis, panis hinc porrigitur: vtrinq; cum gratiarum actione, & benedictione, & distributione. Item cum miraculo illic multiplicationis, hic mutatæ substantiæ. Tertio, veritas illic promissa, hic præstita. Quarto, vtrobiq; Filius hominis. Quinto, ibi de futuro, Dabo: hic de præterito, Dedit: Ibi panis, non quem accipiam, sed quem dabo; hic alius panis quem accepit, triticeum & azymum, alius quem dedit, carnem suam: Sexto, ibi promissa in cibum caro illa, quæ danda pro mundi vita: hic porrectum corpus in cibum, quod pro nobis datur. Septimo, Ibi, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Hic autem, *Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus.* Octauo, vt apud Capharnaum turbis recedentibus, soli duodecim cum Iesu discubuerunt. Nono, vt ibi dixit Apostolis, *Nunquid & vos vultis abire?* & Petrus respondit, *Domine ad quem ibimus?* sic post carnem Christi Apostolis dispensatam, Petrus in Cœna negat se Dominum aliquando deserturum, & idem reliqui discipuli affirmarunt. Decimo, vt apud Capharnaum dixit, *Vnus ex vobis Diabolus est:* sic in Cœna Domini narrat Ioannes Sathanam introisse in Iudam vnum ex duodecim.

VI. Vide subtilitatem, copiam, elegantiam, vehementiam. Nisi cohibuissent se, ibant demonstratum, similiter vtrinque fuisse hymnum decantatum, fuisse ascensum in montem: fuisse sudatum sanguine, fuisse osculum datum: & laternas allatas. Nam quid difficile tam catis, tam vehementib. ingeniis? Sed enim videamus, ne non sit aurum, quicquid splendet, vt est in nostro prouerbio. Sæpiuscule enim accidit, vt curiosissima subtilitas degeneret in ridiculam affectationem, & μικρολογίαν. Non negamus sane similes esse locos: sed capita tamen similitudinis inepte esse quædam affectata dicimus: in quibus etsi non sit multum momenti, quod attinet ad præsentem controuersiam, tamen intolerabile est, tam impotenter abuti Sophistas nostra patientia.

VII. Vtrinque festum *Plachæ*. Recte: Sed Ioannes testatur fuisse propinquum, cum factum est miraculum panum. Quam propinquum non exprimit. Certe aliquot dies intercessisse sit verisimile. Nam nec eodem die, nec præcedenti, aut etiam tertio, videntur tot hominum millia fuisse in deserto, potius quam in vrbe, aut ad vrbem, propter eam solennitatem;

At

At vero institutam Eucharistiam constat ipso illo festo, eiusque adeo prima solennitate: Magnum scil. argumentum similitudinis: & dignum quod nõ omitteret diuina ingenia.

VIII. Panis promittitur hinc, inde panis porrigitur; cum gratiarum actione, & benedictione. Imo non vnum peccatum. Primo, quem vtrinque audio: sed quid tum, si ὁμωνύμως? Nam, *panis quem ego dabo*: metaphoricus est? At alter panis, naturalis. Tanta ergo hic similitudo, quanta inter calicem, qui acceptus, datus est discipulis in Cœna, & calicem, quem paulo post, atque adeo eadem nocte Christus dixit Matthæi 26. *Transeat à me calix iste.* Secundo, cum gratiarum actione, & benedictione, aut cum miraculo, fuisse promissum Io. 6. vehementer falsum. Nam illa actio gratiarum, benedictioq; & illud miraculum pertinuerunt ad panem exhibitum pridie, non ad promissum postridie. Itaque nulla similitudo.

IX. Vtrinque duodecim. Nugæ. Nam quid comparatur, quæso? Successusne, an ipsa res potius? Res inquam, ipsa, promissæ carnis, & postea exhibitæ? An euentus post vtramque eam rem succedens? Atqui duodecim remanserunt reliquis discedentib. post auditum sermonem: qui erat habitus cunctis præsentibus: At cum Iesu fuerunt duodecim ab initio institutionis; & quidem consulto, & in eã rem nata opera. Breuiter, duodecim per accidens: quia relicti ab aliis per infidelitatem recedentib. postque peractam concionem: At duodecim in mensa destinato, & vocati, vt actio ipsa conficeretur. Suntne similia?

X. Petrus in Cœna pollicitus est se non deserturum. Imo post Cœnam, & cum hymno cantato, exitum esset in montem olearum. Matthæi 2. Itaq; hæc circunstantia non pertinet ad Eucharistiam, magis quam illud quod statim: quum venisset Christus in locum qui dicebatur Gethsemane, dixit Christus, *Sedete hic*: Vnde factum, credo, vt vndecimum similitudicis caput constituere ausi non sint: cum tamen legerent, *Facite vt isti discumbant.* Certe absurdum est, quæcunque illa nocte facta sunt, aut dicta, habere pro appendicibus Eucharistiæ.

XI. Hæc igitur capita ridicule sunt enumerata: ab eiusmodi ingeniis, quæ quicquid obuium est rapiunt absque iudicio, atque in aduersarios iaciunt, vt pueri sectantur aues testaue, lutoue. Sed is mos mirum quantum sit alienus a Theologia, quæ nihil agit non sincere; & non tam victoriæ quam veritatis causa.

XII. Sed nunc ad argumentum respondeo: & nego si similes sint loci, ergo eosdem esse: id est, etiamsi non pauca sint communia, tamen vtrinque agi prorsus eandem rem. Videlicet, quoniam Sacramentum res sit composita, ex signo & re significata, siue ex re terrena, & cœlesti. Itaq; quomodo cum hominem constet esse compositum ex corpore & anima, potest quis de homine loqui aliquando secundum animam tantum, aliquando secundum corpus: interdum etiam secundum vtrumque: sic de Eucharistia nonnunquam secundum signum, aliquando secundum rem significatam, alias secundum vtrumque. Et vt erunt sermones de anima sola: item de corpore solo: similes saltem κατὰ μέρη, sermonib. de vtroque: sic sermones de signo solo & de re sola similes futuri sunt κατὰ τὸ ὅλον, sermonib. de vtroque. Nec tamen qui sermones erunt de vno, erunt iidem de alio. Hoc ergo peccat argumentum, quod cum non negemus concionem illam Christi pertinere ad Eucharistiam: quandoquidem fateamur in hac sancitam esse communicationem spiritualem corporis, & sanguinis Christi: tamen transitus fiat ad alteram partem Eucharistiæ, quæ est de signo distincte: cuius est propria manducatio Sacramentalis quatenus Sacramentalis. Nos igitur merito consequentiam negamus. Quomodo si quis diceret, sermo de anima, & sermo de corpore, pertinet vterque ad sermonem de homine: Ergo sermo de anima, est sermo de corpore. Quo nihil cogitari posset absurdius. Non n. quæcunque concurrunt in compositum, eadem sunt inter se. Itaq; Aug. *Qui discordat à Christo non manducat carnem eius, nec bibit sanguinem, etsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ perditionis quotidie accipiat.* Vbi manifestissima est, non tantum distinctio, sed etiam disparatio Sacramenti, & rei.

XIII. Tertium argumentum Maldonati, & Vasquis. Si de Sacramento Eucharistiæ Christus vsquam agere voluisset, illudque nobis depingere, certe clarioribus verbis vti non potuisset.

XIV. Respondeo falsum asseri. Nam Christus potuit vti, & re vera vsus est clarioribus, cum voluit Cœnam nobis depingere: Nemo enim est, qui neget ipsam illam institutionem quæ recitatur à tribus Euangelistis, & Paulo fuisse Eucharistiam ipsissimam. Neque verba quicquam dubij relinquunt, aut vllam negandi præbent occasionem. Patet vel hoc vno argumento. Nam quia Eucharistia constat pane vinoque in manus sumpto: eoque fracto distributoque, & consecrato: profecto qui hæc omnia exprimit longe clarius loquitur de Eucharistia, quam qui tacet eadem. Atqui hoc capite tacentur omnia. Nam qui panis pridie erat distributus, non magis ad corpus Christi pertinet, quam pisces: Ergo potuit Christus longe clarius loqui de Eucharistia, quam sit hoc loco loquutus.

XV. Et sane solent illi clara appellare propria, obscura autem tropica: Itaque in hoc ipso argumento Maldonatus, *Non intelligo*, inquit, *cuius sit iudicij atque prudentiæ, relictis, quæ clara, quæ propria, quæ facilia sunt obscura, metaphorica, difficilia consectari.* Vnde constat, cum dicunt non potuisse clarioribus verbis vti Christum: velle non potuisse magis propriis. Atqui hoc impudentissimum est. Quare? Quoniam quicunque vtitur figuratis, idem potest vti propriis: ac proinde clarioribus: si propria sint clariora. At hic, hic, inquam, in hac ipsa concione, denique istis verbis Christus vsus est tropicis, figuratisque. Vin probem? Non ibo longè. Salmero mihi testis erit, tract. 14. to. 8. *Deserendus est hic sensus de ferina manducatione: & intelligendum in verbis Domini subesse figuratam locutionem.* Paucis interpositis, *Vt per manducationem carnis intelligamus sumptionem corporis sub specie panis, & per potum sanguinis, sumptionem sanguinis sub specie vini: qui sensus propterea non proprius, sed metaphoricus dicitur. Nam licet species panis proprie edatur, & species vini bibatur: caro tamen ipsa Christi in Sacramẽto existens, etsi sumatur, non proprie manditur, nec conuertitur in substantiam sumentis: nec est modo quãto & diuiso, vt possit proprie edi. Et idem suo modo dicendum de sanguine. Figurate ergo caro dicitur manducari, symbolo eius, hoc est, specie panis, proprie manducato: & figurate sanguis dicitur bibi, eius signo, nempe specie vini, proprie pota.*

XVI. Non anquiro, bene an male figuratam manducationem explicarit. Sufficit, siue bene, siue male: tamen manducationem nominari figurate. In his, inquam, ipsis verbis Christi, quæ nunc sunt præ manibus manducandam carnem Christi non dici sensu proprio. Aut ergo retractent Sophistæ, suum illud perpetuum μετωνύμιον de obscuritate figuratæ locutionis: vel nunc concedant: & fateantur friuolam, inanem, imo stupidam esse illam Maldonati interrogationem, *Quibus clarioribus verbis vti potuisset?* Et sane indicauit Salmero clariora, *Vt per manducationem carnis intelligamus.* Quid intelligamus quæso? Aliquidne obscurius & difficilius: & magis accedens ad ænigma? Sed intelligamus, *Sumptionem corporis sub specie panis,* Heus Sophistæ; discite aliquid, si potestis, à vestrate Sophista: imo à vestro Sophista: Hæc verba, *Manducatio carnis*, figurata sunt: hæc ita figurata significant. *Sumptionem corporis sub specie panis*: Ergo, inquam, sumptio corporis sub specie panis, clarior est, facilior est, expeditior est, quam manducatio carnis. Et ita Christus loquens potuit clariorib. verbis vti: & nos terrendos speret quisquam vnica interrogatiuncula?

XVII. Quartum argumentum, Roffensis, Bellarmini, Coffetæi, Petrinij; sumptum à verbis, *Panis quem ego dabo, caro mea est.* Argumentum erit in hunc modum. Hæc verba intelligenda sunt, vel de spirituali manducatione, vel de Eucharistia: At non de spirituali: Ergo de Eucharistia. Primam propositionem ponunt tanquam per se notam. Assumptum probant. Mãducatio spiritualis est omnium temporum: At hæc manducatio non est omnium temporum: Ergo non est spiritualis. Maiorem probat Bellarminus, quia etiam Patres Veteris Testamenti Christum spiritualiter comederunt: imo, ait Coffetæus, ab ipsa orbis natiuitate.

XVIII. Non esse omnium temporum hanc manducationem, quod erat assumptum, probant: Nihil in futurum est omnium temporum. At hæc manducatio est in futurum: Ergo non omnium temporum. Maiorem supponunt, tanquam sua luce manifestam. Minorem probant: quia dictum, *Quem ego dabo.* Et illustrat comparatione Roffensis. Christum de triplici pane differere: Primo, de manna: secundo, de Verbo Dei, quod similitudine carnis peccatricis obtegebatur: tertio, de sua carne. De primo, verbum esse præteriti, *Panem cœlestem dedit eis:* De secundo, præsentis: *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* De tertio, futuri, *Et panis quem ego dabo, caro mea est.* Addit Coffetæus, non posse hic futurum sumi pro præterito; quoniam bis vsurpetur, *dabo*, in eadem sententia: iuxta editionem Græcam; *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Hoc posterius, inquit non potest de præterito exponi: quoniam de passione agat adhuc futura: Ergo neque illud prius: nisi velimus peruertere sensum verborum Christi.

XIX. Respondeo, in primo syllogismo non esse legitimam disparationem: quoniam fiat etiam in Eucharistia manducatio spiritualis. Itaque sic potius fuisse concipiendam, vel de manducatione corporis Christi, vel de manducatione Sacramenti eius corporalis; Ita postulante nunc proposita quæstione. Sed tamen, vt condonemus Sophistis sua verba: negamus assumptum. Nam corporis Christi, nulla manducatio est, nisi spiritualis. In secundo syllogismo, quo hæc probatur assumptio: conceditur maior: sed negatur minor: nã hoc manducatio, quæ promittitur his verbis, *Panẽ quem ego dabo, caro mea est*, vere fuit omnium temporum, ab ipso initio mundi: quia nunquam quisquam fidelis fuit, qui non manducauerit carnem Christi: & de Patribus sub lege diserte Paulus asserat, bibisse eundem potum spiritualem, edisse eandem escam spiritualem.

XX. In tertio syllogismo, quo confirmatur hanc manducationem non esse omnium temporum, negatur maior, quæ statuit, id quod futurum sit, non esse omnium temporum. Etenim si hæc sit negatio legitima: Ergo quod est omnium temporum, non esset in futurum: quod est aperte absurdum. Tria enim sunt tempora, præteritum, præsens, futurum. Itaque quod est omnium temporum: oportet esse & in præteritum, & in præsens, & in futurum: aliter non esset omnium temporum. Corrigant ergo, & dicant, quod si in futurum tantum, non esse omnium temporum: & dicent nobis consentientibus: sed nunquam tamen consensuris assumptioni, Hanc manducationem corporis & sanguinis Christi, esse in futurum tantum.

XXI. Nam quid habent vnde probent? Verbum futurum, dabo. Eia oprime: quasi, qui asserat futurum, neget præteritum. Exempli gratia, cum legimus hoc ipso capite, *Qui venit ad me, nunquam esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam.* En tibi in futurum, esuriet, sitiet: an quia falsum, si dixisset, Qui venit ad me, nunquam esuriuit: & qui credidit in me, nunquam sitiuit? Rursus, *Et eum qui venit ad me non eiiciam foras.* An quia verum, olim alias quempiam eieciisse: Apocalypseos 2. *Victori dabo edere ex arbore vitæ, quæ est in medio paradisi Dei. Victor non lædetur à morte secunda.* Scilicet neque bonus ille latro, neque Srephanus, neque Iacobus, aliquot annis prius mortui, ederunt de arbore vitæ, aut lapsi sunt à morte secunda. Et non pudet Sophistas vanitatis?

XXII. Sed dedit, dat, dabo. Optime sanè: quid ergo? Ergone dabo, excludit præteritum? Cur potius, quam præsens excludat aut præteritum, aut futurum? Nam profecto ex vi sua, tempus præsens non magis præteritum comprehendit, aut futurum: quam futurum, includit præsens, aut præteritum. Quare si Christus ita concluditur daturus, vt non dederit; Ergo pater ita dicendus dare, vt neque antea dederit, neque postea sit daturus. Placetne? Atqui cum legitis, *Pater meus dat panem de cœlo verum*: conceditis agi de manducatione spirituali: & rursus hanc spiritualem manducationem conceditis esse omnium temporum: vnde necessaria consequentia non tantum tunc Patrem dare, sed etiam olim dedisse, & postea etiam esse daturum. Quod si verbum præsentis non potest excludere præteritum aut futurum: quæ ratio coget quæ futura prædicuntur, nihil pertinere aut ad præsens, aut ad præteritum.

XXIII. Nec est, quod Coffetæus opponat non posse futurum exponi per præteritum: nam quis huc delatus est? Nos certe tantum negamus sequi, si Christus polliceatur se daturum corpus suum manducandum: ergo eandem corporis manducationem nunquam fuisse in vsu.

XXIV. Petrinius necnon alij expendunt Græcum contextum, ἄρτος ὃν ἐγὼ δώσω ἡ σάρξ μού ἐστιν, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, *Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Bis *dabo*: quod notatu dignissimum: Prius refertur ad Eucharistiam, alterum ad crucem.

XXV. Sic semper facilius Sophistis sumere, quam probare. Nobis con-

tra

tra certum posterius dare, non absurde exponi de cruce: etiam si nihil vetet, latius. Sed certe prius restringi ad Eucharistiam argumentis opus est extorquere, alioquin non dabimus: qui censemus in terpretandum, dandam in cibum: quandoquidem panis sit cibus: neq; alia notione soleat nominari: aut etiam nominatus sit in tota ea oratione. Est autem caro Christi cib. extra Eucharistiam: quare oportet hunc locum latius produci quam ad Eucharistiam: vt sit sensus, carnem Christi esse eum panem, quem in præcedẽtibus pollicitus erat Domini s.

XXVI. Quintum argumentum Bellarmini, Maldonati. Iste, Cur carnem (ait) & sanguinem: cur esum, & potum distinxit: nisi quia de carne & sanguine suis, ad modum cibi & potus, specie panis & vini dandis, loquebatur? Ille. Ista distinctio tam frequens carnis & sanguinis, ac cibi & potus, aperte indicat Christum loqui de communicatione sui, sub speciebus panis & vini: alioqui enim quorsum ea distinctio, toties præsertim repetita? Spiritualis enim perceptio; non eget ista distinctione, cum vno modo fiat: idem est enim manducare & bibere in sumptione per solam fidem. Adde quod illa expressio, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, significat diuersum modum sumendi carnem & sanguinem Christi, qui plane perit, si tollas species Sacramentales. Nempe ita: Omnis distinctio edendi, & potandi, carnis & sanguinis agit de Eucharistia: At in hoc sermone est distinctio illa: Ergo in hoc sermone agitur de Eucharistia.

XXVII. Respondeo, distinctionem illam dici vel metaphoricam, vel propriam. Si propriam dicas, negatur minor. Quia re vera tota hac concione, perpetua est allegoria vitæ corporalis, ad vitam spiritualem. Sin dicas metaphoricam: negatur maior. Nam edere & bibere proprie pertinet ad Eucharistiam: metaphorice autem fit sine Eucharistia; Teste Augustino, iam crebro citato, *Vnumquemque fidelium fieri corporis Domini participem, quando in Baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari illius panis calicisque consortio, etiam si antequam panem illum comedat, calicemque bibat de hoc seculo migrauerit*. Et contra, etiam ab Eucharistia separari potest, vt hac participata non edatur caro, non bibatur sanguis Christi, teste eodem, *Qui disco: da à Christo, non manducat carnem eius, nec bibit sanguinem, etsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ perditionis quotidie accipit*. Obserua diligenter. Neque omnis qui comedit carnem, & bibit sanguinem Christi, idem manducat panem, bibitue vinum Eucharisticum: Potestne potentius demonstrari, aliud esse e ler: carnem & sanguinem Christi, aliud in Euchariſtiæ Sacramento, edere panem, bibere vinum? Quod si est, tum non est necesse, qui loquatur de edenda carne illa, bibendo sanguine, loqui de Eucharistiæ Sacramento.

XXVIII. Et sane Maldonatum audi statim, *Si nullum postea specie panis & vini Sacramentum instituisset, aliam quæreremus interpretationem, conaremurque quoquo possemus modo, ad eius mortem accommodare*. Ergo, inquam, tu concipis aliam quandam posse dari causam, cur distincta sit caro à sanguine: distinctus cibus à potu. Quid ergo nunc nos terres, quasi pereat omnis ratio eius distinctionis, nisi species cogites panis & vini? Ne indignare, nos bone Sophista, quib. persuaderi nondum quitum est, vllam institutam corporalem manducationem potumve corporis Christi: aliam quærere interpretationem.

XXIX. Atqui aiunt, ea distinctio significat diuersum sumendi modum. At manducare, & bibere metaphoricè, non sunt diuersi modi sumendi: Ergo hæc distinctio, non significat edere & bibere metaphorice. Respondeo negari maiorem: neque enim diuersum modum sumendi designari: sed eundem per diuersas metaphoras, sicut paulo ante distinguuntur à Christo esurire & sitire, *Qui venit ad me, nequaquam esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam*. Et tamen nemo negat eundem designare non esurire, & non sitire. Itaque Augustinus decimo sexto tertij de doctrina Christiana, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, figura est, præcipiens passioni Domini esse communicandum*. Certe vnica ratio est sumendi: communicare passioni Domini & tamen hæc vnica ratio designari dicitur per edere carnem & bibere sanguinem.

XXX. Sextum argumentum Salmeronis. Constat in illo capite sermonem haberi de quinque panibus, quos benedictione Dominus multiplicauit, & per Apostolos distribuit, & turbam satiauit, ita vt superauerint duodecim fragmentorum cophini, & populus acclamauerit, *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum*. Huic autem signo aptius & melius coniungitur tractatio de manducando pane vitæ in Eucharistia: quam de manducatione pure spirituali passionis Christi per fidem: cum in speciebus Sacramenti vere manducatio interueniat: quemadmodum in pane Domini multiplicatio euenit. In illa præcessit benedictio Domini, quasi typus quidam illius benedictionis, qua vsus est in Cœna, & modo vtitur per ora sacerdotum. Deinde sicut panis ibi distributus fuit per Apostolos; ita sacrosanctæ Eucharistiæ distributio non nisi per sacerdotes, & Episcopos fuit. Adhæc sicut ibi turbam satiauit, ita hic Dominus miraculo existens in Eucharistia, digne & recte sumentes reficit & implet. Adde quod ibi multi cophini superfuerunt, quibus alios possent Apostoli satiare: ita hic integer agnus sumitur, & vbi manducatus est à populo, integer perseuerat. Et vt ex cibo sumpto turba cognouit Iesum esse prophetam, qui venturus erat in mundum: ita fideles agnoscunt Dominum in fractione panis. Argumenti vis Hæc concio interpretanda est vel de manducatione Eucharistiæ, vel de manducatione passionis Christi per fidem. At non de ista, ergo de illa. Probatur assumptum: quia altera illa manducatio Eucharistiæ similior.

XXXI. Respondeo primum, mirari me cur manducationem dixerit mortis Christi: nos enim non solemus ita, neque quisquam Theologorum, quod ego quidem sciam: Etsi alioqui verum sit comedi carnem illam quæ est morti tradita: sed hoc si sufficit, tum vero etiã manducatio Eucharistiæ dicenda est manducatio mortis. Sed ille viderit. Nos qui syllabas non aucupamur, simpliciter intelligemus manducationem corporis per fidem, & negabimus assumptum in Syllogismo.

XXXII. Ad confirmationem eius dico primum, non probari à Salmerone manducationem Eucharistiæ similiorem esse huic edito signo, quam manducationem per fidem: sed tantum illam esse similem, vnde demonstratio nulla esse potest. Non enim si illa similis, propterea non altera. Et si est altera similis: tum vel nullum argumentum erit a similitudine: vel æque illa altera manducatio continebitur in hac concione

XXXIII. Deinde quæro, quam ille similitudinem velit: reine externæ ad rem externam: an rei externæ ad internam & spiritualem? Nam si priorem, videlicet panis multiplicati ad species Sacramentales: negamus hanc similitudinem primum esse ad rem: deinde constare. Non ad rem: quandoquidem nostra nulla quæstio sit de manducatione specierum: sed de corpore Christi. Non constare, manifestum, vel ex eo quod Sophista cogatur desilire ab vna similitudine ad alteram. Nam benedictio, distributio, ad species pertinet: at refectio, superabundantia, non nisi ad ad corpus,

XXXIV. At si alteram eligat, id est similitudinem panis multiplicati, cum corpore Christi, tum vero constanter dicimus, hanc vere impleri in manducatione spirituali. Hanc, inquam, quæ esse debet: non eam, cuius ille capita inquisiuit. Nam benedictio huc non pertinet, quoniam corpus ipsum Christi non benedicetur. Sed distributio corporalis, recte distributionem significat spiritualem: & manducatio, manducationem: & saturitas, saturitatem: & superabundantia, superabundantiam: & agnitio agnitionem: & nutritio nutritionem: & vita vitam, & cætera similiter. Nec vero vel ipse ausus est Sophista huic parti contradicere.

XXXV. Sed & aliter videre est, quam inconsiderate dictum sit, huic miraculo aptius & melius coniungi tractationem de manducando pane vitæ in Eucharistia. Nempe quoniam ipsi Papistæ fatentur hanc tractationem esse tantum in secunda parte concionis: priorem vero partem esse de manducatione spirituali. Quid ergo? Speratne Sophista se persuasurum: aut magis coniunctam esse partem posteriorem, quam priorem, id est eam quæ non nisi interpositis aliis non paucis, quam eam quæ immediate? Aut aptius copulari id quod minus, quam id quod magis.

XXXVI. Et vero notarunt interpretes hunc commodissimum nexum cibi corporalis & Spiritualis, per familiarem anagogen. Villagudus, *Auditorum animos singulari anagoge erigit à cibo corporali, quem illi tantopere quærebant ad cœlestem & spiritualem panem transiens*. Maldonatus, *Sumpta occasione à corporali, quem illi quærebant cibo, ad spiritualem cibum transfert: quemadmodum Samaritanam illam mulierem de aqua corporea, de qua loquebatur, ad spiritualem traduxit*. Pererius, *Cernens Christus turbam, quam in deserto satiauerat, ipsum cupide sectari, eius cibi sæpius percipiendi auidam: volens eam à corporalis cibi cupiditate ad desiderium præstantioris cibi spiritualis traducere, instituit hunc sermonem*. Heus tu obseruato, transferri sermonem non à corporali ad corporalem: Non ergo ad Eucharistiam manducationem: nam hæc est corporalis. Transferri ergo à corporali ad spiritualem. Quare nos vicimus,

XXXVII. Septimum argumentum Salmeronis. Cum Iudæi obiecissent Christo, *Quod ergo tu facis signum: vt videamus & credamus tibi: quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto*. Dominus respndit, *Patres vestri manducauerunt manna in deserto*, & reliqua. Nempe igitur petentibus signum visibile, vt crederent, proponit carnem suam sub specie panis. Ergo signum à Christo exhibitum debet esse sensibile: & consequens panis Sacramentalis: non manducatio mere spiritualis, aut fides: quæ insensibilis est. Difficillimum argumentum ad formandum: vt non conquerantur sibi factam iniuriam: qui impune blaterant ἀ. ὁ. ξ. Viderint. Ego sic concipio. Quicquid Christus promisit postulantib. signum visibile, id ipsum est signum visibile. At manducatio sub specie panis est signum visibile. At manducatio sub specie panis est signum visibile Ergo hanc promisit Christus. Et rursus, At manducatio spiritualis, non est signum visibile. Ergo hãc non promisit Christus.

XXXVII. Respondeo, priorem syllogismum de manducatione sub specie panis, manifeste peccare in forma; vtpote affirmatum in secunda figura. Id primum, & obiter. Non enim concedendum Sophistis, vt pro arbitrio agant ferant lectores: quasi nisi sibi ipsis debentes rationem suarum ratiocinationum. Quid enim alioquin tutum foret?

XXXIX. Deinde negatur maior. Quis enim iussit Christum nullum negare signum visibile, signum visibile postulantibus? At ipse contra est disertus Matthæi 12. *Natio mala & adulterina signum requirit. Sed signum non dabitur ei, nisi signum illud Ionæ Prophetæ*. Quod quidem erat tunc temporis signum inuisibile. Nam *Deus non debet hominum voluntati obsequi: præcipue deprauatorum*: ait Franciscus Lucas Maldonatus, *Non esse illis dandum signum id est illis petentibus, atque rogantibus: quia malo animo, & tentandi causa quærebant*. Et post, *Cum ad credendum signum petant, respondet non esse dandum illis signum, quale petunt, vt credant, sed quale non petunt, vt condemnentur*. Ergo inquam, non tenetur Christus signum dare visibile, quoties postulatur. Imo ne signum quidem vllum. Quare hoc saltem nomine possunt Iesuitæ in vtramque aurem dormire: neq; esse solliciti, quomodo Christus sit functurus officium suum.

XL. Confirmatur responsio: ex eo quod respondens postulantibus signum id visibile, immediate dixerit: non illud quo de nunc agunt aduersarij: sed hoc potius, *Amen, amen dico vobis, non dedit vobis Moses panem illum cœlestem: sed Pater meus dat vobis panem illum vere cœlestem. Panis ille Dei is est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo* Itaque hæc potius verba sumi debent responsa petentibus signum visibile. Quis enim credat non responsurum nisi interpositis variis sermonibus, id est aliis interrogationibus? Atqui hæc verba sunt in ea parte, quæ tam aperte agit de manducatione non visibili, sed spirituali, vt ne aduersarij quidem potuerint contradicere? Salmero etiam ipse non agnoscere. Respondit ne ergo Christus temere, & inconsiderate? An Sophistæ potius ἀνόητοι κατυλῶσι.

XLI. Octauum argumentum Salmeronis. Sicut Nicodemo ambigenti de possibili renascentia ex spiritu, Christus respondit legem ferens, & necessariam esse indicans renascentiam per Baptismum, & vsus est illa solita asseueratione, *Amen Amen*. Et illo aduerbio *Nisi*, quod necessitatem indicat: & comminatus est, *Non potest intrare in regnum Dei*: ita hoc loco de altero Sacramento, non tantum possibile, sed & necessarium indicauit, vsus iisdem verbis autoritatis significantibus pondus, & commina-

minatus est, *non habebitis vitam in vobis*. Adeo vt qui illud præceptum Baptismi admiserit, necessum sit vt ex hoc de manducanda carne, & bibendo Christi sanguine in Sacramento admittat.

XLII. Pertinet ad argumentum in hoc capite primum. Sed ita Sophistæ numerum augent, vt videantur pondus cumulare. Videamus tamen. Ambigenti, ait, de renascentia ex Spiritu. Falsum, inquam. Ambigebat enim de corporali: de que ea putabat Christo sermonem esse. Diserte. *Quomodo potest homo gigni qui senex est? Nunquid potest in vterum matris sua secundo introire, ac gigni*? Maldonatus, *Homo adhuc carnalis carnaliter res minime carnales intelligit. Spiritus ei loquitur, inquit Aug. & carnem ille sapit.* Toletus, *De carnali generatione verbum interpretatur: & fieri non posse iudicat.* Villagudus, *Nihil vltra res humanas cogitans corporalem quendam ventrem, & reditum hominis rursus ad partum fingere cogitur.* Hoc fuit primo notandum.

XLIII. Christum autem loqui de spirituali, nullum dubium. Sed & nos concessimus de eadem manducatione corporis agi, quæ iancitur in Eucharistia. Hoc si Sophista sit contentus, nihil est quod vlterius pugnemus. Sed ille aliud vult: & hoc ipsum nos noluimus. Sunto, inquam, similes loci: sed καθ' ἑτι non absolute. Quatenus ergo? Quatenus, inquam, vtrinque res agitur spiritualis. Et hoc sufficit. Nam in colloquio cum Nicodemo, Regeneratio metaphorice sumitur, non autem κατὰ τὸ ῥητὸν. Cur non ergo potuit in hac concione manducatio spiritualis esse? Repeto. Non obstitit reduplicatum Amen, Amen: non necessitatis index, *Nisi*: non comminatio: quominus regeneratio per aquam & spiritum fuerit spiritualis. Ergo nehic quidem, aut geminata asseueratio, aut necessitatis index, aut comminatio obstabit, quominus manducatio sit non corporalis. Sufficit ad argumenti absurditatē. Ambigenti de possibilitate renascentiæ corporalis, Christus respondet de renascentia spirituali. Ergo ambigentibus de manducatione corporali, Christus respondit de spirituali.

CAP. VI.

Vtrum Ioannis sexto manducatio sit corporalis.

I. SIc disputata est pars prior; vtrum in ea Concione agatur proprie de Sacramento Eucharistiæ quatenus Sacramentum est. Nunc altera disputanda, vtrum agat de edendo & bibendo corporaliter, siue per organa corporis. Nam hoc etiam polliciti sumus. Quanquam videri poterat confectum negotium. Etenim fatentur Papistæ nunquam corporaliter edi carnem, & bibi sanguinem, nisi in sumptione Eucharistiæ: vnde consequens: si non agat hæc concio de Eucharistia proprie, non agere etiam de hac corporali manducatione & potatione. Quia tamen sperarunt habere proprias rationes, separatasque à superioribus: non est hæc pars superflua.

II. Primum argumentum Salmeronis tractatu 21. & Vegæ thesi 114. à verborum proprietate, siue propria verborum significatione: à qua minime nobis recedendum, nisi mens loquentis, siue scribentis alia fuisse vel ex ipsius rei absurditate, vel ex aliis manifestis indiciis constare possit. Est autem sermonis propria significatio manducatio corporalis: nec constat vlla absurditate, vlloue indicio alius sensus. Ergo manducatio corporalis est tenenda. Maiorem probat autoritate iurisprudentium, & Theologorum.

III. Respondeo maiorem esse extra aleam: itaque à nobis prolixe concedi. Sed in minore positam esse controuersiam. Quam sic explicamus, vt sint eius duæ partes: vna, propriam significationem verborum esse manducationem corporalem: altera, nullis absurdis aut indiciis constare alium sensum. Priorem ita explicamus, vt verba sint vel absolute, manducandi, & bibendi: vel copulate, manducandi carnem Christi, & bibendi sanguinem. Manducandi & bibendi vocabulis absolutis, possum concedere designari corporalem sumptionem, tanquam propriam: quandoquidem ei rei certum est primitus esse imposita vocabula. Sed ea verba absolute nunc vsurpari, nego. Quoniam dicite dictum: comedere carnē Christi, bibere sanguinem Christi.

IV. Iam vero verborum eorundem sic copulatorum, comedere carnem Christi, bibere sanguinem Christi, nego propriam significationem esse manducationem corporalem. Nam quis nescit huiusmodi copulationibus mutari verborum significationem? Ridere proprie gestus est oris in homine. Sed copulate cum dicis prata ridere, nunquam quisquam eum gestum intellexit. Fames proprie significat nimium defectum cibi solidi in animante: & tamen Amos 8. vers. 11. fames audiendi Verbum Domini, nihil tale designat. Sic comedere etsi proprium sit, cum legis Geneseos 2. *Ex omni arbore horti comedendo comedes.* Et 19. *Fecit eis conuiuium, infermentata quoque coxit, & comederunt*: & plurima similia: tamen figurata sunt. Gen. 31. *Comedendo comedit argentum nostrum*: Psal. 69. *Zelus domus tuæ comedit me.* Et 78. *Iuuenes eorum comedit ignis.* Et 79. *Quia comederunt Iacob.* Prou. 30. *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* Itaque dico, etsi absolute comedere, & bibere sit proprie actio corporalis: tamen comedere carnem Christi, & bibere sanguinem Christi nullo modo esse actionem corporalem: ac proinde figurate sumi.

V. Quantum ad alteram partem attinet: Sophistas dico nimium sibi indulgere, quasi ex tribunali edicentes nullo absurdo, nullo indicio constare hic alium sensum, quam proprium: cum tamen eorum nunc sint arguendi partes: quæ cum nostræ futuræ sunt, tum spero nobis nos ipsos non defuturos. Dum id exspecto, nunc dico ex adiunctis constare figurate sumi manducare. Adiuncta autem appello tū eos qui iubentur comedere, tum id quod iubetur comedi. Et illustro exemplis. Cum legebamus comedere argentum: dicebamus figuratum esse. Quare? Nam puto si de struthio camelo ageretur, à quo ferunt comedi ferrum: nemo contenderet non posse proprie comedi argentum: vel rursus si de pane sermo esset, nemo inficias iret potuisse Labanum proprie comedere panem suarum natarum. Sed concurrit vtrumque, vt & de Labano agatur: & de argento: erat autem contra naturam Labani, vt proprie comederet argentum: itaque huc deuenitur, vt Labanus non nisi metaphorice dicatur comedisse argentum gnararum. Rursus: cum legis Psalmo decimo quarto, *Comedunt populum meum*: si de feris ageretur, quarum est etiam homines vorare, vt Geneseos trigesimo septimo, *Ferra pessima comedit eum*: vel si saltem de Polyphemis, aut Canibalis: posset dubitari vtrum propria locutio esset: verum cum agatur de hominibus |: & his quidem humanioris culturæ; nemo dubitat metaphoricum esse sermonem. Eadem nunc ratio. Nam quinam iubentur comedere? Non profecto vrsæ aut leones: sed homines. Et qui homines? Canni baline? Minime omnium: sed hominum omnium minime barbari, aut feri. Quid autem iubentur comedere? Carnes: quas? Vitulinas, an Veruecinas? Merebantur Pappolatræ, veruecibus, ac vitulis stupidiores, sed non has; verum carnes hominis: & cuius hominis? Christi, benefactoris, Saluatoris. Itaque ne mirentur Papistæ nos vitulorum, nos veruecum sibi τὸ ἀνόητον obijcere, qui negent vllo indicio constare hoc loco vocabula esse tropica.

VI. Quid plura: Andabatas committo: repetens Salmeronis verba mihi descripta paulo ante ex tract. 44. & tom. 8. *Intelligendum in Verbis Domini subesse figuratam locutionem: vt per manducationem carnis intelligamus sumptionem corporis, sub specie panis: & per potum sanguinis: sumptionem sanguinis sub specie vini: qui sensus propterea non proprius, sed metaphoricus dicitur. Nam licet species panis proprie edatur, & species vini proprie bibatur: caro tamen ipsa Christi in Sacramento existens, etsi sumatur, non proprie manditur, nec conuertitur in substantiam sumentis: nec est modo quanto & diuiso, vt possit proprie edi.* En tibi victoriam? En tibi triumphos! A proprietate verborum agunt: quam tamen fatentur: quam fateri coguntur nullam esse. An non sic Tantalus captabat vndas fugientes?

VII. Rursus. Tenendus est, aiunt, sensus proprius, si nulla absurditas, nullum indicium obstet. Esto sane. Sed quid dicunt ergo de prima illa parte eius concionis? Nam in ea habent, *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Ego sum panis vitæ. Vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Nonne habentur his locis eadem panis, & manducandi vocabula quibus dicunt esse propriam illam significationem sumptionis corporalis? Alterutrum ergo fateantur necesse est; vel non esse intelligenda de spirituali manducatione, quod tamen non sunt ausi dicere: vel contra quam nunc concludant, non si is sit proprius sensus, ideo vbique retinendum, aut etiam in huius concionis parte altera: quod nos tenemus.

VIII. Erat in hoc argumento Stoicæ cuiusdam seueritatis exemplum: sed nunc videte Academicæ mollitiei experimentum sensim cedentis. Est ipsius Salmeronis, tractatu vicesimo tertio extremo: qui quasi victus non posse excludi tropum similis esse voluit nec neganti, nec cedenti. Quandoquidem in exponenda Sacra Scriptura, vbi proprius sensus haberi potest, non est quærendus metaphoricus: ita vbi haberi potest figuratus, & metaphoricus minus remotus à litera, & minus procul petitus, non est quærendus remotior, & magis tropicus. Cum ergo à verbis panis & vini, cibi, & potus, carnis & sanguinis, famis & sitis, satietatis cibi & potus, manducationis & bibitionis, remotior sit alienior que ille sensus, qui tradit spiritualem manducationem per fidem tantum sine Sacramento, quam ille qui manducationem spiritualem, tradit in vsu Eucharistiæ: quia saltem sunt species, panis & vini corporales, quas sensibiliter edimus, & bibimus: & in eis re, vel voto acceptis, vel in quauis illarum omnia vberius & spiritualiter faciamus; venit ergo hic sensus alteri magna cum ratione præferendus, ac proinde solus amplectendus.

IX. Labascis ergo, inquam, & qui à tuis dideceras loqui de orali manducatione carnis Christi: nunc multi æstimaueris, si possis vel hoc saltem auferre, vt loquatur Christus de spirituali manducatione sui corporis, sed simul de corporali specierum panis. Et propemodum obtines, vt ne tibi simus infensi, obtineres prorsus vno adhuc addito verbulo, nam nos quidem professi iam pridem sumus, de ea Christum loqui manducatione, quæ fiat etiam in Cœna, id est, tum cum simul corporaliter sumuntur species illæ. Tantum non patimur ita coerceri, vt ne latius pateat, aut fiat etiam extra Cœnam. Hoc tu igitur, ne cunctator addere, Salmero, & pax esto. Non enim odimus te, sed tuam causam non probamus.

X. Sed enim, propinquiorem sensum cum dicit assumendum, si quis sit, concedi posse putamus, addita eadem conditione, quæ prius fuit posita: nimirum, si nulla absurditas, nullumue indicium remotiorem postuler, Non credimus autem hunc de corporis mandu atione sub speciebus panis, nulla aut absurditare, aut alio indicio refutari posse, neque aduersarios videmus sudasse in eo scrupulo nobis eximendo.

XI. Quamuis etiam mirum sit cur hunc dicant sensum viciniorem proprio qui dicat, simul spiritualiter edi & corporaliter: quam eum qui spiritualiter tantum. Agimus enim de manducatione, non cuiuslibet rei, sed corporis Christi: cuius ratio distincta à ratione specierum. Nam illi competit spiritualis manducatio: huic vero corporalis. Quare quemadmodum cum de his speciebus agas: non est verum simplicius esse, comedi spiritualiter & corporaliter: quoniam corporaliter duntaxat manducentur: sic cum agas de corpore longe simplicius est, comedi tantum spiritualiter: quam spiritualiter & corporaliter simul. Enimuero quod species edātur spiritualiter, aut corpus corporaliter, id per accidens fit: nimirum illis propter corpus, huic propter species. Est autem quod per se magis propriū, eo quod per accidens.

XII. Secundum argumentum à comparatione mannæ. Tholosanus dialogi septimi partitione prima. Opponit carnem suam mannæ: & manducationem suæ carnis, manducationi mannæ. Atqui manna comedebatur realiter & actu per os corporis. Ergo per idem os corporis Dominus intellexit suum corpus recipi manducarique: tamen absque alteratione, aut corruptione. Alias non bene copularentur hæ manducationes; si vna realiter & per os corporis: altera fieret tantum spiritualiter, & ore cordis, siue fide.

XIII. Immane quam Bœotum ingenium. Nam à quo alias expectassemus tam crassum delirium? Opponit manducationem carnis, manducationi mannæ. Ergo vtraque eadem. Quid ergo? Nonne opponitur mannæ caro? Ergone idem manna & caro, id est eiusdem generis? Non pu-

de-

det Sophista, re tam grandem, tam pueriliter decipi? Nos multo fortius: si opponuntur manducationes, Ergo sunt diuersi generis. Itaque si mannæ manducatio sit oralis: corporis manducatio non potest esse oralis. Neque aliter putamus posse legitime opponi.

XIV. Verum non omnes æque cum isto stupidi. Bellarminus: comparatio, inquit, non fit inter mana, & corpus Christi, vt sumitur sola fide, sed vt sumitur in Sacramento: id quod perspicuum est ex prioris ad Corinthios decimo: vbi comparat Apostolus transitum maris rubri cum Baptismo, & manna cum Eucharistia: tum etiam quia corpus Domini, vt sumitur sola fide, non defuit Veteribus, imo illud in manna ita sumebant opinione aduersariorum, vt nos sumimus in Eucharistia. Salmero addidit tractatu vicesimo tertio elegantem similitudinis explicationem. Nam vt ille panis non sine admiratione hominum de cœlo descendebat, & omne delectamentum in se habebat, vt conuerteretur ad quod quisque vellet: & qui plus colligebat, vel minus, non propterea magis vel minus habebat: atque illo cibo Patres vsque ad ingressum terræ promissæ sustentati sunt: quis ignorat in his expressam fuisse imaginem, non quidem Christi patientis, sed Christi in Eucharistia collocati, quivere de cœlo descendit, non tantum quantum ad diuinitatem, sed etiam quantum ad humanitatem de Spiritu Sancto conceptam? Hic panis omnium morborum spiritualium est medicina, & omnium desideriorum complementum, omniumque spiritualium deliciarum delectamentum: vt ad omnes vsus nostros, & necessitates supplendas, pro voluntate hominis conuertatur: neque qui maiorem hostiam, minoremve accipit, aut duabus, aut vna specie vtitur, propterea maiorem aut minorem fructum accipit. Denique hic cibus, vtilis est nobis peregrinantibus in hac vita, donec perueniamus ad terram illam viuentium, vbi sine velo Dominus visus, manducatus & potatus, omnes Angelos, & sanctos beat, & felicitate satiat.

XV. At nos dicimus comparationem fieri mannæ cum corpore Christi, vt sumitur fide siue in Eucharistia, siue extra Eucharistiam: itaque non proprie vt sumitur in Eucharistia. Ratio nobis, tum quia nunquam Christus sumitur nisi per fidem: tum etiam, quia omnia illa quæ considerantur in manna, habent sua parallela in Christo per fidem manducato: & non habent omnia in Christo, quatenus in Eucharistia manducatur.

XVI. Paulus, aiunt, comparat mana cum corpore Christi, vt sumitur in Eucharistia. Ergo etiam 6. Ioan. Christus. Respondeo primo: Paulum non comparare manna cum corpore Christi: sed cum pane Eucharistico: & eius comparationis fundamentum esse Christum: qui exhiberetur tum in mana tum in Eucharistia: quomodo etiam rubrum mare Baptismo, propter similitudinem effectuum. At non sic Christum: nam hic non comparat se manæ per similitudinem, sed per oppositionem diuersorum effectuū: vt mana non daret vitam, sed Christus. Quare dissimilis est locus Pauli huic Christi loco. Et dissimilitudo constat gemino capite: vno, quod Christus duos terminos correlatos habeat, mana, & seipsum, at Paulus duos, mana & Eucharistiæ Sacramentum. Altero, quod relationis in verbis Pauli fundamentum sit cōmunis effectus, nempe manducatio Christi. At fundamentum relationis in verbis Christi sit disparitas effectuum. Quare manifesta est consequentiæ vanitas: alioquin contrarii essent Christus & Paulus: cum ille Christum sub Eucharistiæ speciebus dissimilem faciat mannæ: at Paulus similem faceret: quod ferri non potest

XVII. Secundo hæc eadem comparatio est in priore parte concionis, *Amen, amen dico vobis: non dedit vobis Moses panem de cœlo: sed Pater meus dat vobis, panem de cœlo verum.* Atqui hac parte ipsi concedunt aduersarii agi de Christo tantum per fidem manducato. Ergo, inquam, non valet consequentia opposita in 2. parte. Nam si hæc oppositio inferret necessario Christum sub specie panis: hunc eundem sub specie panis inferret in priore: quod falsum.

XVIII. Non defuit Veteribus corpus Domini fide manducatum. Minime sane, inquam: quid tum? Nempe hoc esse oportet argumentum: Caro Christi comparata manæ defuit Veterib. at caro Christi fide sumpta non defuit veterib. Ergo caro Christi fide sumpta non est ea quæ comparatur manæ. Respondeo. Si hæc ratiocinatio sit necessaria, & hanc itidem fore necessariam. Caro Christi fide sumpta, non est ea quæ comparatur mannæ. At fideles Christiani sumunt carnē Christi cōparatam manæ: Ergo Christiani nō sumunt Christi fide. Quod est absurdum. Nempe igitur in syllogismo Papistico neganda est maior. Nusquam n. Christus dixit: eam carnē quam oppositam manæ, defuisse Veteribus: sed tantum ipsum manna non fuisse panem vitæ: videlicet consideratum in seipso: quomodo neque panis Eucharisticus in seipso est corpus Christi: etsi alioquin Sacramentum corporis Christi. Nam manna Iudæi obiecerant, non tanquam Sacramentum: sed tanquam cibum corporeum. Itaque & Christus consideratum ex eorū mente tanquam cibum corporeum, negauit esse panem vitæ. Sed non propterea negauit vllum fuisse panem vitæ Veteribus.

XIX. Salmeronis capita non concludunt agi de carne Christi, qua manducatur sub speciebus panis: sed tantum de carne Christi quæ manducatur sub iis speciebus. Nam eæ omnes proprietates non conueniunt ei carni quatenus comeditur: siue vt portentose loqui maluit Salmero, quatenus collocata est sub iis speciebus: sed quatenus est caro Verbi nobis data. Primum quis negat carnem Christi, quæ fide comeditur, esse de cœlo? Nam Christus ipse, *Pater meus*, inquit, *dat vobis panem de cœlo verum*: & tum dicit cum, testibus aduersariis, sermo est de spirituali cibo, esse omnium morborum spiritualium medicinam, cum fide sumitur: adeo verum est vt in Eucharistia si sine fide sumatur, nulla sit medicina, sed potius morbus: imo non morbus, sed mors ipsa, condemnationem dixit Paulus. Eadem ratio delectamenti spiritualium deliciarum, & omnium necessitatum spiritualium: ac proinde etiam sustentationis in hac peregrinatione. Sic n. Paulus dicebat sibi Christum esse lucrum, & viuenti & morienti, ad Philippens. 1.

XX. Quanquam hæc capita sint importune Salmeroni quæsita, cum nihil pertineant ad Christi verba. Sunt enim capita similitudinis inter manna & corpus, quæ nulla est in hac concione: nō autem oppositionis, quam solam Christus attigit. Sed & illud caput importunissimum: de eo qui plus minusue acciperet. Quare? Quoniam pertineat non ad mannæ & corporis siue similitudinem, siue dissimilitudinem: sed ad comparationem potius, similitudinem q; manæ & specierum. Et enim plus minusve nullo modo referri potest ad carnem Christi, quæ nunquam nisi tota comeditur. Itaque hæc argumentatio præter nugas nihil habet.

XXI. Petrinus in Ministrophthoria addit præcedentib. hoc argumentū. Quandoquidem comparetur panis cœlestis, Mannæ Hebræorum: necesse est ambo conuenire in idem manducationis genus. Atqui in manna Veteres tum spiritualiter comedebant carnem Messiæ venturi: tum mana ipsum ore sumebant. Ergo necesse est Dominum loqui de quadam manducatione, quæ fiat per os corporis.

XXII. Oporter, inquit, concurrere in idem manducationis genus. Immaniter, inquam falsa assertio. Non enim omnes comparationes esse trium terminorum tantum: vt si panem, & carnes comparem, quia edantur eodem modo: quomodo se Christus Deo comparat in credendo, Ioan. 14. *Creditis in Deum, etiam in me credite.* Sunt plurimæ quatuor terminorum, vt Matthæi 13. *Simile est regnum cœlorum, homini seminanti bonum semen in agro suo*, item *grano sinapis*: item, *fermento*, item *thesauro occultato*: quarum comparationum nulli termini conueniunt in quicquam eiusdem generis: sed singulis sua correlativa sunt toto genere diuersa. Comparetur ergo sane corpus Christi cum mana: sed conuenire vtrumque in manducationem eiusdem generis, non debuit Sophista quasi vi rapere, sed argumentis extorquere. Et vero nos contra probamus facile. Nam cum vel tota oratio, vel saltem prior pars loquatur de spirituali manducacione Christi: At hæc comparatio cum Manna sit in priore parte: omnino necesse est eam carnis manducationem esse spiritualem: quæ cum non sit eiusdem generis cum manducatione orali: fieri non potest, vt comparati termini concurrant in manducationem eiusdem generis: contra quam sumpsit nugator.

XXIII. Tertium argumentum Bellarmini ex verbis manducandi, & bibendi, tam sæpe repetitis, & cum iuramento, *Amen, amen*, confirmatis. Illa enim verba non possunt figurate accipi, sed proprie: tum quia semper propria significatio sequenda est, nisi euidenter probetur contrarium; tum quia valde absurdū esset, Dominū non semel, sed sæpius iuramento confirmasse, oportere manducari ipsius carnem, si hoc non nisi figurate faciendum esset. Neque enim iuramento confirmare licet, nisi sententias apertissimas, & certissimas, & quæ non possint in alium sensum torqueri, ne detur occasio periuriis. Forma est. Nullus sermo figuratus confirmatur iureiurando. At hic sermo de comedenda carne, confirmatur iureiurando: Ergo non est figuratus.

XXIV. Respondeo negari maiorem. Nam causa, ratioque iurandi veritas est. Itaq; omnis sermo verus, potest confirmari iureiurādo. Est autem aliquis sermo figuratus verus: Ergo aliquis sermo figuratus potest iureiurando confirmari. Atque adeo, etsi multa iampridem ostenderunt Sophistæ documenta inconsultæ temeritatis, tamen sunt mirati quî sit factum vt contra tot, tantaque in contrarium exempla, sit ausus Bellarm. tam impudenter mentiri, *Non licet*, ait, *iuramento confirmare, nisi sententias apertissimas, & certissimas, & quæ non possint in alium sensum torqueri.* Cum tamen non ignoret a Iesuitis hoc demum seculo doceri palam, licere etiam iurantib. vti æquiuocatione mentali.

XXV. Sed Christus ipse de quo nunc quæstio est, quoties iurauit in verba impropria, & figurata? Matthæi 5. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*? Propriane omnia: an figurate carcerem, pro inferno: figurate quadrantem, pro pœna? Et 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Lucæ duodecimo, *Amen dico vobis, præcinctus faciet, vt discumbas, & prodiens, ministrabit eis.* Ioan. 1. *Amen, amen dico vobis deinceps videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes super filium hominis.* Et 3. *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, nō potest videre regnum Dei.* Psal. nonagesimo octauo, *Iurauit Dauid seruo meo, & ædificabo in generationem thronum tuum.* Satin hæc multa sunt exempla locutionum figuratarum iuramento confirmatarum, contra Bellarmini audaciam.

XXVI. Sed & in hac ipsa concione, quater omnino Christus vsus est hac iureiurandi formula. Primo, *Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia comedistis panes illos.* Secundo, *Amen, amen dico vobis non dedit vobis Moses panem illum cœlestem: sed pater meus dat vobis panem illum vere cœlestem.* Tertio, *Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam* Deniq; *Amen, amen dico vobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis.* In his exemplis nullum est siue tropo. Nam in primo: quid est, *Non quia vidistis signa*? Nonne falsum si ad literam? Itaque Maldonatus, *Voluit dicere, in illis ipsis miraculis non quærere eos quod spirituale, sed quod carnale erat.* In secundo constat consensu Papistarum panem cœlestem quem dabat Pater esse metaphoricum: nimirum quia spiritualem: nondum enim peruentum erat ad secundam partem, in qua sola τὸ ἐντὸν vrgetur. In tertio, Quid illud est, *Qui credit habet vitam æternam*? Atqui in vita æterna nullus locus fidei. Itaque verius proprie, *Qui credit nondum habet vitam æternam.* Recte igitur Maldonatus, *Habere, non habiturus vitam æternam dicitur, qui in Christum credit, quia quamuis vitam iam æternam non habeat, ius ad illam habet.* Item Toletus, *Non quod nunc quando credit habeat in re, sed in nouissimo die. Quando vero credit, habere dicitur, quia ius ad rem habet. Fides enim viua fidelis, est velut pignus, & ius quoddam ad vitam æternam.* In postremo denique præter id quod est in quæstione: certe negari non potest illud, *Non habetis vitam in vobis*, ad literam falsum esse: non enim, opinor, cadauerum concio erat. Et tamen differte ἐν ἑαυτοῖς ζωὴν: non vt Latine, *non habebitis*: sed non habetis, *id est mortui manetis*, ait Maldonatus. Nam *significat eos nunc esse mortuos, ac similes cadaueribus, in quibus nulla anima, nullus motus, nulla actio, nullum signum vitæ sit.* Ergo, inquam, necessario metaphora est. Quare audacissima assertio est: nullam figuratam propositionem posse iureiurando confirmari.

XXVII. Atqui, inquit, non est danda occasio periuriis. Ingens scilicet, hæc cura Iesuitas sollicitat, post inductas æquiuocationes mentales. Sed enim, quid Christo factum, quem docuimus tam sæpe iurasse in verba figurata? Et quidem ita vt ter translata fuerint in sensum alium? semel Ioan. tertio cum Nicodemus putauit agi de generatione carnali. Et

bis

bis in hac ipsa concione. Primum, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare, qua vescamur?* Iterum, *Durus est hic sermo: quis potest eum audire?* Aut cur non dedit occasionem periurio? Nimirum hæc occasio nulla est a proprietate: aut tropo: sed a veritate, aut falsitate.

XXVIII. Quartum argumentum Bellarmini, Vasquis, Salmeronis, Sanctesij à mente eorum apud quos concionabatur Christus. Qui sensus fuit auditorum intelligentium verba Christi, idem fuit Christi nuncupantis. At ille fuit de manducatione carnali. Ergo & iste. Probatur minor varie. Sed non est controuersia apud nos: itaque probationes omittimus.

XXIX. In maiori totus labor. Primus ergo Sanctesius sic. Si non iudicassent aliter quam per solam fidem ex Christi verbis carnem eius dandam esse & accipiendam, sine controuersia non adeo durus illis visus fuisset sermo Christi: nec minime credendi, nec murmurandi apparentem arripuissent occasionem: nec Christus Apostolos interrogandi, an & ipsi vellent abire. Nulli enim, cum Christus intulit, Patris opus esse, vt in eum crederent, exhorruerunt: imo audientes à Patre dari panem de cœlo verum, mox dixerunt, *Domine semper da nobis panem hunc*: post carnis vero promissionem statim litigarunt. Ex quo planum fit ipsos non in eo fuisse deceptos, quod putarint Christum carnem suam reipsa daturum vt manducaretur: sed in eo quod nolebant credere recte dari posse, aut exspectare quomodo eam daturus esset.

XXX. Secundo Salmero. Si nullo modo haberet locum, vel ferina manducatio, quam ipsi intelligebant, vel esus in Eucharistiæ mysterio, re profecto declarata, atque a Domino explicata, facile eorum scandalum, & offensio sedari potuisset. Poterat siquidem Dominus dicere: Nemo offendatur verbis meis: intelligo tantum in fide, & Spiritu sumendum esse corpus & sanguinem meum: nihil a vobis meis verbis aliud exigo, quam vt simpliciter in me credatis. Ergo tam Iudæi ipsi, quam discipuli suis verbis, & facto retrocedendi: quam Dominus ipse non sedans illorum scandalum, & eorum retrocessioni non occurrens, apertissime demonstrant sermonem de manducanda Christi carne, & bibendo eius sanguine verum esse & proprium, & citra metaphoram intelligendum. Bellarminus: Dominus non correxit eorum sententiam: sed iterum inculcauit, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis.* Quis credat, rem facilimam, qualis est credere in Christum, voluisse Dominum cum tanto offendiculo discipulorum inuoluere, tot obscurissimis metaphoris, cum potuisset vno verbo rem totam declarare? Et confirmatur, quia solebat Dominus, si quid per parabolas obscure proponeret, postea discipulis explicare, Hic autem non explicuit aliter: sed dixit eis qui non recesserant, *Vultis & vos abire?* Quasi diceret, Non habeo aliud quod faciam: insinuaui mysterium: fide hic est opus, qui non vult acquiescere, abeat.

XXXI. Respondeo maiorem syllogismi mire esse absurdam. Nam auditoribus frequenter contigit aberrare à mente loquentis. Ioannis quarto, cum diceret Christus Samaritanæ, *Tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam*: tum illa, *Domine, neque quo haurias habes, & puteus profundus est: vnde ergo habes aquam illam viuam* Maldonatus, *Aquam viuam, quam pollicitus erat Christus, non aliam quam illam ipsam intellexerat, quam ex illo puteo ipsa hauriebat: aut aliam certe generis eiusdem.* Eratne hæc mens Christi? Similiter tertio: cum de regeneratione à Christo Nicodemus audisset, intellexit de regresso in vterum matris. Maldonatus, *Homo adhuc carnalis carnaliter res minime carnales intelligit. Spiritus ei loquitur, inquit Augustinus, & carnem ille sapit.* Siccine Christus? Matthæi decimo sexto, *Iesus dixit eis: Videte, & cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum. Ipsi vero disceptabant inter se, dicentes, Panes non sumpsimus.* Lucas Brugensis, *Cum intelligerent de fermento panis admiscerì consueto, tanquam vetarentur Pharisæorum & Sadducæorum, hominum impiorum, ac deploratorum vescì pane.* Quid calumnias memorem de destruendo templo: deque Elia inuocato? Scilicet ista sunt magnifica experimenta axiomatis Papistici. Veram Christi mentem eandem esse quæ auditorum. Imo hoc ipso loco, quodnam fuit Capernaitarum somnium? Ferina manducatio: sic enim nominat Salmero: quomodo scilicet, venditurus mancllo: & vt per partes erogaretur caro. Pergite, viri fortes: & quoniam semel decretum Christi mentem discere a Capernaitis: concludite: Christum haud aliter cogitasse, quam ferinum in morem lacerandam fore suam carnem, quasi in macello. Placetne? An pudet audaciæ, stultitiæ, furoris? Nam quo iure corrigatis Capernaitarum mentem, si eadem illa sit, quæ Christi?

XXXII. Sanctesij confirmationem refutet, qui poterit concipere. Hoc sane constat, visum iis adiutoribus carnem Christi aliter dandam, quam per fidem nec opus fuit, vt hoc Sophista curiosius illustraret; quod ipso Sole, vt ita dicam, luculentius est. Verum fuisse deceptos, in eo tantum quod nollent credere recte datum iri: non autem quod crederent re ipsa datum iri: vnde conficit? Aut illud, *Ex quo planum fit*, quo iure dictum? Ita ne? quia Capernaitæ somniarunt. Ferino more laniandam: (nam hoc fuit: etsi dissimularit Sanctesius) ex eo fit manifestum, non peccasse nisi quod nollent credere sic rite, recteque faciendum? Et Coræbo quisquam posthac stultitiam obiecturus sit?

XXXIII. Non est interpretatus aliter Christus? Quid tum? inquam. An quia certum, quibuscunque non subiecit interpretationem Christus, eadem vel ad literam accipienda: vel sic vt concepta sunt ab auditoribus? Docete ergo, ô quos nihil latet; vbi admonita fuerit Samaritana, ne aquam ex puteo intelligeret. Docete vbi illa de templo calumnia fuerit clarioribus verbis à Christo declarata: ne errarent sui calumniatores. Et quando admonitri illi alteri, non Eliam, sed Deum fuisse inuocatum. Nam si hæc non potestis, quid prodest aliis exemplis niti? Fatemur equidem Nicodemum admonitum de regeneratione per aquam: quod etsi æque obscurum erat: tamen esto sane explicatio. Et illud de fermento fatemur discipulis non fuisse diu in tenebris. Sed hæc exempla sunt particularia, ex quibus nunquã stitui queat vniuersale axioma: nisi quicquid est rectæ rationis immutatum fuerit in gratiam Papistarum.

XXXIV. Sed potuit, aiunt, tumultum facile sedare. Imo, inquam, præuenire: si nihil eorum dixisset, quæ dicta sunt. An propterea nullus fuit? Quemadmodum igitur: non si potuit præuenire non dicendo: ideo non dixit: sic etsi potuerit sedare, ea dicendo, quæ Sophistæ nugantur, ideo tenebatur dicere, quia nugati sunt Sophistæ: quibus nihil est pensi, quid dicant, dum ne taceant. Imo vide; Negauit Cyrillus explicuisse Christum, id cuius causa tumultus fuit, *Dominus*, ait, *quomodo id fieri posset, non enodauit: mysterij modum nequaquam explanauit.*

XXXV. Et sane rem consideremus. Murmuratum est bis: Primo, *Murmurabant ergo Iudæi de eo quia dixerat, Ego sum panis ille qui de cœlo descendi. Et dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit iste è cœlo descendi?* Iterum postea, *Pugnabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare, qua vescamur?* Deinde; *Multi ex discipulis eius his auditis dixerunt, Durus est hic sermo: quis potest eum audire?* Nego in his quicquam esse, quo sit explicatus quæstionis nodus.

XXXVI. Nam in primo quæstio erat, quomodo è cœlo descendisset: quæ ipsa phrasis impropria est: quandoquidem descendere sit mutare situm ex alto in locum inferum. Quod Christus nec secundum diuinitatem erit, nec secundum humanitatem: vt patet exemplo mannæ. Tum autem causa dubitandi expressa fuit, quod noti essent parentes: hoc videlicet argumentationis genere. Nullus natus ex mare & fœmina descendit è cœlo. At hic natus ex mare & fœmina: Ergo non descendit è cœlo. Quid opponit Christus? Primum, non posse ad se venire, nisi quem Pater trahat: deinde: qui in se credat, habere vitam æternam: ideoque se esse panem vitæ. Maldonatus, *At si Christus diceret: Nolite murmurare de iis, quæ non intelligetis: ideo autem non intelligetis, quia à Patre meo non trahimini.* Toletus, *Dicit Dominus, Nolite murmurare: nemo enim mihi credit, nemo mea verba capit, nisi qui à Patre tractus est.* Viden? pro explanatione obiici ignorantiam non intelligentium? Ergo hæc prima difficultas remansit non soluta. Cur non potuit hic dicere Christus, Ne murmurate, intelligo me per vnionem personalem esse panem cœlestem, atq; adeo è cœlo descendisse. Dixitne? Minime omnium. Cur ergo non obiicis Christo, non sedasse scandalum? Aut si non hic, cur istic magis.

XXXVII. In secundo, quærebatur, quomodo posset dare carnem suam vescendam. Causam dubitandi notant alij quod crederent fieri non posse: alij, quod absurdum, ac nefarium esset. Quid autem Christus? *Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis.* Quid hoc est responsi? Voletus, *Dominus sententiam eandem confirmat, terrorem incutiendo: quasi diceret: vobis dixi carnem meam me daturum in panem & non creditis: ego dico vobis iterum, & augeo sententiam: nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, vos non habebitis in vobis vitam.* Christus ergo ingeminat idem quod prius erat dictum. Non ergo exponit: non explicat: non remouet causam disputandi. Quid ergo rursus? An non potuit dicere: nolite disceptare: dabo vobis carnem meam sub specieb. panis? An quia nostris ille legibus non sit obnoxius?

XXXVIII. Quid habent, quo insultent aduersarij? Nam huc redit subtilitas. Non explicauit Christus se agere de sumptione per fidem & spirituali. Ergo de ea non egit. Immane mendacium. Nam primo contra. Non explicauit se agere de sumptione corporali: Ergo neque de ea egit. Quo inferior hæc est consequentia? Quis hanc repudiare possit, qui priori locum deserit? Deinde manifesta absurditas est: ex priori dubitatione: quæ pertinet ad eam concionis partem, quam concedunt omnes agere de spirituali sumptione. Ergo, inquam, etsi nullis id desertis verbis testatus sit Christus, quantumuis opposito murmure: tamen certum est eum locutum de spirituali manducatione. Cur non in altero loco?

XXXIX. Quis credat, ait Bellarminus, voluisse rem facillimam inuoluere tot obscurissimis metaphoris? Quam rem, inquam facilimam? Manducationem scilicet spiritualem. Quibus obscurissimis metaphoris? Edendi scilicet, & bibendi. Nugator magne quid agis? Annon eadem res facillima erat in priore parte? Illa ipsa, iuquam, spiritualis manducatio? Nonne eædem illæ obscurissimæ metaphoræ? Quære ergo cur in illa priore parte voluerit Christus rem facillimam obscurissimis metaphoris inuoluere. Aut nos a te potius, cur hoc sit inuoluendi crimen durius in secunda, quam in prima. Nam si causam tu nullam habes, præter arbitrium tuum, nihil nisi sibilos exspectato.

XL. Solebat si quid obscure proponeret, postea discipulis explicare. Semperne? Alias refutatum. Sed & hic in præsenti. Nam obscure, id est, metaphorice erat proposita in priori parte manducatio spiritualis: nec tamen explicata. Præterea inepta obiectio est. Nam tu obiicis explicatas fuisse discipulis postea parabolas. At tu hic vis statim, & apud eosdem. Hæc enim tu querela est: hanc concionem non cum aliis locis comparantis: sed in partibus examinantis. Enimuero si postea & inter discipulos priuatim vis factam expositionem; etsi ne hoc quidem sit perpetuum, tamen habemus vnde tibi satisfiat. Nam & in hoc capite legimus, *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Et iterum in Eucharistia instituenda, si quid nunc obscuri fuit, manifeste indicatum est; vnde Cyrillus restabatur postea non petentibus hæc mysteria fuisse explicata.

XLI. Quintum argumentum Salmeronis. Hoc caput, si de simolici duntaxat incorporatione per fidem in Christum passum, esset accipiendum, profecto præceptum hoc, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, cum illo incideret, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* Atqui hoc falsum est. Nã aliud est nasci spiritualiter: aliud vero nutriri in vita accepta, vel vitam tueri. Manducare ergo & bibere carnem Christi, & sanguinem eius, quod est iam viuentis, aliud Sacramentum continet, quam illud renascentiæ, quod est nondum existentis neque viuentis.

XLII. Respondeo negari consequentiam. Nam profecto si renasci est nondum existentis, manducare vero existentis; non possunt idem esse renasci, & manducare. Itaque refutat ipse Salmero suum hoc consequentiæ μοχθολύκειον. Et sane dicat nobis, si non dedigneturinterrogatus aliquando respondere; vtrum concidant hæc, regeneratio, & manducatio illa designata in priori parte concionis: an non. Nam si coincidant: ergo hæ, quas profert, differentia sumptæ à regeneratione & manducatione, nihil concludunt, & falsa nunc specie absurditatis nos terrent, adeoque assumptio est falsa. Sin a. non coincidunt: Ergo rursus maior est falsa, quæ statuit incorporationem per fidem coincidere in regenerationem. Nam si vera esset: Ergo in priore parte huius concionis valeret. Nonne id potius manifestum est, Sophistas ita agere cum cordatis viris quasi cum ludunt cum pueris? Aut potius non putare sibi agendum cum illis cordatis.

XLIII. Se-

XLIII. Sextum argumentum eiusdem. Dominus panem suum aliter edendum docet, quam mana. Constat a. manna in figura & typo sumptum fuisse, & spiritualiter, per fidem saltem, à bonis manducatū fuisse. Hic ergo non tantum in fide & in figura, sed reipsa in Sacramento edimus. Alioquin boni Iudæi olim manducantes manna nobiscum in edendo conuenirent, si panis noster tantum figura est.

XLIV. Nusquam fœdius, aut impudentius peccatū. Nā quid est: Mana fuisse in figura & typo sumptum? Fuisse spiritualiter per fidē manducatum? Dupliciter omnino dici potuit. Semel, mana manducatum fuisse, ita vt esset alterius rei typus. Iterum ita, vt esset alterius signi res significata. Nam hoc modo dicimus corpus Christi in typo panis comedi. Prior sensus admittitur: quem habemus à Paulo: sed non habemus tamen in ista concione: quæ opponit mana suo corpori; imo sibi ipsi, tanquam rem rei, non tanquam signū rei. Nam signi & rei similitudo est, quā Christus nullam attingit, sed oppositionem duntaxat, ac proinde dissimilitudinē. At alter sensus penitus alienus est à Theologia: nulla n. res aut hic à Christo, aut alias vsquam dicitur typus fuisse huius mannæ: vt sic manna ederetur in typo: quo modo corpus Christi dicimus.

XLV. Rursus spiritualiter & per fidem edi manna quid est? An sic comedi vt nullus vsus fuerit organorum corporis? sed eius vsus formaliter & simpliciter fuerit per spiritum, & fidem? Apage absurditatem! Apage delirium! Quis hactenus tam alte sterlit? An potius sic fuisse esitatum corporaliter, vt haberet adiunctam fidem manducantem id quod significabatur per manna? Esto. Quanquam phrasis sit noua: nec vsitata inter Theologos. Sed hoc tū posito, quid sequitur? Comedine corporaliter Christi corpus? Portentū ratiocinationis. Manna edebatur corporaliter, in se, at id quod significabat, spiritualiter & per fidem. Atqui panis Christi manducatur aliter. Ergo nō manducatur spiritualiter per fidem. Deum immortalē, quodnam id genus est imposturæ? Imo ego contra: Ergo panis Christi manducatur spiritualiter. Nonne n. longa lataq; est differentia; cum manna per se corporaliter, per aliud spiritu aliter dicitur comedi: At panis iste Christi per se spiritualiter, per aliud corporaliter?

XLVI. Vosque adeo: vos testes appello Sophistæ. Nā vbi, aut qua concionis parte mana comparatur pani Christi? Nēpe cum dictum, *Non dedit vobis Moses panem illum cœlestē.* Et rursus. *Patres vestri comederunt manna in deserto & mortui sunt.* Atqui hic vterq; locus pertinet ad priorē concionis partem, quæ de spirituali manducatione tractat. Vin probē? A me ipso non habeo. Ne à veterib. quidem: quorū non tam fuit superstitiosa subtilitas: sed à tuis. Bellarmino, *Solū quæstio est de illis verbis, Panis quem ego dabo caro mea est: & de sequentib. fere ad finē capitis.* Coffetæo, negante agi formaliter nisi de manducatione spirituali vsq; ad versum 15. Quib. Pererius consentit. Atqui hæc mannæ oppositio superior est illo versu, quem illi designant. Quem tu, Tu ipse Salmero, designasti: Tu, inquā, tam portentosæ nunc ratiocinationis autor. Quis hic pudor est? Tā manifeste vobis ipsis repugnare: vt quod dictum sit, non dictum sit tamen? Hæccine vestra Theologia est: Tam inconstans? tam vaga? tam nulla sede sedens? *Vir animo duplici, inconstans est in omnibus viis suis,* Iacob 1.

XLVII. Septimum argumentum vehementissimum, à verbis, *Caro mea vere est cibus.* Alphonsus de Castro. Ecce iā non dicit solum caro mea est cibus: sed ne vllo modo exponi valeat *est* per significat, addit vere. Nihil clarius aut expressius dici potuit. Quod si caro Christi in Eucharistia tantum est significatiue, & per quandam imaginem; non ergo vere est cib. sed significatiue, aut imaginarie est cibus. Quod bene notabis, lector: nam hic locus præ omnibus aliis maxime aduersarium configit, nostrumq; propositū confirmat: de Bollo. Quid potuit clarius præfari ad ostendendā veræ carnis veritatem, & pretiosum sanguinem suum, non figurate, nec metonymice datum esse in cibum & potum, carnem scilic. à sanguine non seiungens? Nec putandum est, quod particula illa *vere* sine prædicati maxima assertione expressa sit. Habet n. acutam emphasin. Nec Metaphysices peritos latet, ens, res: verum, bonum, terminos esse conuertibiles: adeo quod quic quid vere est, realiter est, & econtra. Apud Latinos hoc aduerbio *Vere* vtimur in repugnantiam & contra vanitatē falsi. Sic Gen. 20. *Vere soror mea est.* Iosue 7. *Vere peccaui.* Post. Regum. 5. *Verè scio quia non est alius Deus, quam, Deus Israel.* Matthæi 14. *Vere tu es Filius Dei.* Et 27. *Vere Filius Dei erat iste.* Lucæ 24. *Surrexit Dominus vere.* Actorum 12. *Scio vere, quia Dominus misit Angelum suum, & liberauit me de manu Herodis.* Hæc dissertatio est: cuius vim idem de Bollo contraxit ad marginem. Ego paulo distinctius, seruata tamen materia ad vnguem. Quicquid vere manducatur, apud homines constantes corpore & spiritu, idem corpore manducatur. At caro Christi vere manducatur apud homines constantes corpore & spiritu. Ergo caro Christi corpore manducatur. Probatur minor isto syllogismo apud Salmeronem tractat. 22. Tomi 8. Quod vere cibus est, vere manducatur. Sed caro Christi vere cibus est. Igitur caro Christi vere manducatur. Probatur maior à vi particulæ *Vere.* Nam si Christi caro vere cibus est (ait Salmero) & absque parabola, ea est omnino comedenda. Quod enim non parabolice est cib. vtique re ipsa & ratione aliqua corporea cibus esse iudicatur.

XLVIII. Respondeo in primo syllogismo negari maiorem. Nam, quicquid comeditur spiritualiter, vere comeditur. At quod spiritualiter comeditur, non comeditur corporaliter: Ergo non quicquid comeditur vere: etiam corporaliter comeditur. Probatur maior: quoniam quicquid falsō comeditur, prorsus non comeditur. Ratio in promptu, quoniam ens, res, verum, bonum conuertuntur. Assumptio facile constat ex ipsorum aduersariorum consensu. Cumenim doceant priorem partem concionis agere de manducatione spirituali, tamen nondum quenquam vidi, qui mendacij Christum accusaret.

XLIX. Sed aiunt non potuisse clarius præfari non figurate: non metonymice carnem dandam in cibū, sanguinem in potū. Sed hoc absurdissime dictum est. Nā si veritas excludit omnem figuram & metonymiam: ergo omnia figurata & metonymica oportebit esse falsa: quod nondum quisquā dixit. Et sane quid Scripturæ fieret, quæ veritas est veritatum? Nam in ea figuras esse creberrimas, frequentissimas, non est qui neget, nisi cui ne Sol quidem isto meridie luceat.

L. Ea vero exempla sunt in oppositum. Ioan. 1. ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, *Erat lux vera.* Et 5. ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή. *Ego sum vitis vera.* Ad Hebr. 8. τῶν ἁγίων λειτουργὸς, καὶ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς, *Sanctorum minister, ac tabernaculi veri.* In Ioan. 14. *Singulis horum nominum apponitur articulus,* ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, ἡ ζωή, *illa via, illa veritas, illa vita: vt intelligamus, non quam libet viam, aut veritatem, aut vitam, sed veram illam, & vnicam.* Ergo Christus est vera via. Salmero to. 9 tract. 20. *Agnus sensibilis in lege, declinabat Christum verum agnum* Et tamen Christum esse lucem, vitem, viam, agnū, aut tabernaculi ministrum, absque vlla figura, vllaue metonymia, non credet vel Chorœbus, vt centum asserant Sophistæ. Adde ista Nysseni de vita Mosis, ὁ ἀληθὴς ὄφις ἡ ἁμαρτία ἐστί, *Verus serpens peccatum est.* Chrysostom. ad Ephesios hom. 20. τὸ ἐκ τῆς πηγῆς ἐξ ὕδατος τεχθὲν γνήσιον καὶ ἀληθινὸν καὶ φῦμα, *Quod iam nascitur ex aqua nascitur, verus fœtus, & corpus.*

LI. Itaque de luce Thomas, *Quoad nos, qui nomina rebus imponimus ex earum proprietatibus nobis notis: prius inuenitur insensibiliter,* videlicet nomē lucis, *quod prius impositum est à nobis hoc nomen ad significandum lucem sensibilem, quam intelligibilem: quamuis secundum virtutem prius & verius conueniat spiritualibus, quam sensibilibus.* Quæ ὡς φασι est tropi. Sic n. fit semper, vt propria dicantur nomina, iisrebus, quibus significandis primo sunt imposita: translata autem, quæ ab eo vsu mutuo sumuntur ad secundariū & posteriorem. Cum igitur nomen lucis ab hominibus impositum sit corporali rei: certe non potest applicatum luci spirituali non esse tropicum, Quantumuis ergo Verbum dicatur lux vera: tamen dicitur metaphorice.

LII. De vite res est manifestior si quid interpretum fides valet. Thomas, *Ego sum vitis per quandam similitudinem.* Toletus, *Per similitudinem, non per substantiam Christus Vitis, sicut & leo, & agnus dicitur.* Salmero tractat. 56. to. 9. *Ait igitur, Ego sum vitis vera: quatenus Deus & homo sum: vt mediator & redemptor à Deo propositus: non quidem proprie, sed metaphorice exerceo vitis officium.* Ergo, inquam, Christus est vitis vera, metaphorice.

LIII. Et sane, Veræ nomen sic Thomas explicat ibidem, *Sciendum, quod verum aliquando diuiditur contra similitudinarium: sicut homo verus, ab homine picto: aliquando à corrupto: sicut acetum à vino, quod est vinum corruptum. Hoc ergo quod dicitur, Ego sum vitis vera, accipitur secundo modo, vt discernat se à vite corrupta.* Manifesta iam res est. Verum distinguitur aliquando à similitudinario, id est ab eo quod per similitudinem dicitur & tropum, aliquando à corrupto. At si non semper distinguitur à similitudinario: Ergo non semper excludit tropum. Friuolum ergo nunc argumentum aduersariorum. Paulo aliter Salmero: sed non aliene. *Quod spiritualia corporeis atq; externis veriora sint: quia diuiniora & permanentiora: & quod ad rem ipsam attinet, magis illis quadrant vocabula, siue nomina: etsi ex modo significādi magis ista corporea, ad quæ significanda prius sunt imposita denotant.* Nota veriora quoad rem, non quoad modum significandi. Atqui admodum significandi pertinent tropus & proprietas: non a. ad rem ipsam. Maldonatus in Ioan. 15. *Nos multis iam locis docuimus ab effectis veram vitem appellari, quia melius atq; perfectius homines in se per fidem natos nutrit, quam sacramenta sua natura lis vitis: quemadmodum vocatur lux vera, non quod vere lux sit, qualis ista solis est: sed quia melius quam ista homines illuminat: supra, & panem verum & viuum, non quod vere panis sit: non enim vere, sed metaphorice panis dicitur: sed quia melius quam panis nutrit.*

LIV. Vtrouis modo recte possunt explicari verba, quibus nunc occupamur. Caro mea vere est cib. exclusa, non similitudine, ac proinde tropo: sed corruptione: vt sensus sit: caro mea etsi dicatur cib. per similitudinem ductam à cibo corporeo: tamen eo dissimilis est, quod caro mea non corrumpatur, vt cibus iste corporis: nam iste perit: illa autem permanet in vitā æternam. Rursus caro mea est vere cib. non ratione significandi: nam hæc mutuo sumpta est à cibo corporis, cui prius id nominis impositum est: sed ex re ipsa significata.

LV. Christophorus à Sacro bosco capite vno & vicesimo de Eucharistiæ Sacramento. Quoad illud, quod ipsi nobis ex Euangelio obijciunt, vbi Christus ait, *Ego sum vitis vera.* Respondeo longe aliud id esse. Nam vera, & vere non eandem significationem habent. Vnde Saluator noster, ne quis putaret eum dicere velle, se in rei veritate vitem esse, non ait, Ego vere sum vitis: sed *Ego sum vitis vera.*

LVI. Sed ineptum est κενοφυκτὸν. Nam omnino idem est, *Caro mea est vere cibus:* & caro mea est verus cibus. Item, *Ego sum vitis vera:* &, Ego sum vere vitis. Nam Cæsar Bulengerus sect. 17. partis contra Tractatum Orthodoxorum, *Christus dixit, Ma chair est la vraye viande, & mon sang est le vray breuuage.* Mentem videlicet exprimens aduerbij *vere,* per adiectiuum, *Mea caro est verus cib. & sanguis meus est verus potus.* Idem contra Plessæum c. 3 lib. 4. *Possetne certiores nos reddere, quam cum dixit, Ceci est mon corps: ma chair est la vraye viande: Hoc est corpus meum: caro mea est verus cib.* Karnkouski Controu. 4. thes. 4. *Apud Ioannem dictum, carnem Christi verum esse cibum, verumq; potum eiusdem esse sanguinem.* Et ante omnes Origenes hom. 7. in Numeros, *Tunc in ænigmate erat manna cib. nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cib. sicut ipse dicit, Quia caro mea vere est cibus.* Nonni paraphrasis Ζωὴ γὰρ πολὺ ** ἐτήτυμόν ἠμιτρὴ σάρξ, Αἷμα δ' ἐμὸν νημερτὲς ἐφ' ποτόν, *Vita enim est ** verum caro mea: sanguis a. meus verus est potus.* Chrysostom. in Ioa. hom. 46. τί ἐστιν ὁ λέγει, ἢ τοῦτο βούλεται εἰπεῖν ὅτι ἀληθὴς βρῶσις αὕτη ἐστὶν ἡ ψυχὴν σῴζουσα, *Quid est quod dicit? An hoc vult dicere, eum esse verum cibum qui animam seruet?* Et quod magis est in textu ipso recitando legit ἀληθὴς non ἀληθῶς, vt etiam Basilius in 3. Esaiæ. Maldonatus, *Illud ergo ἀληθῶς vere, aut vt Apollinaris in Cathena Græca, & textus ipse Cathenæ legunt, ἀληθὴς verus est cibus, & verus est potus, non naturam significat, sed effectum.* Nempe quia paulo post, *Verum igitur cibum, & verum potum vocat, quia vere animas nutrit, & vitam æternam illis præbet: sicut supra vocauit se panem verum: non vtiq; natura: neq; n. vere ac proprie, si naturam spectes, panis est: sed effectu, quia vere præstat, quod panis præstare solet, cum ad id fiat, vt vere homines viuant: & infra vocat se vitem veram: non quod vera sit vitis: sed quod id quod vitis facit, vt sarmenta sua nutriat, multo ipse verius facit.* Vbi vides primo promiscue dici vere cibum, & verum cibum: vt omnino necesse sit commentitium illud esse discrimen. Deinde collationem cum iisdem phrasibus non tantum cum vite vera: sed etiam cum *vero pane* cœlesti, qui erat nominatus in priori parte, vbi nemo ambiget metaphoricam locutionem esse.

Tertio: negari vere cibum dici natura, æque ac veram vitem. Atqui si nulla metaphora est, necesse est dici panem per naturam. Denique dici panem propter effectum: vt paulo ante legebamus in Salmerone.

LVII. Hæccine sunt satis: Nunc audite Colonienses in suo Enchiridio, obijcientibus in Eucharistia panem nominari post consecrationem, respondentes, solere Scripturam res quaslibet vocare nominib. earum ex quibus fiant: vt quum dicitur homini, *Quid superbis terra & cinis?* nempe vt efficiant non esse tamen panem in Eucharistia post consecrationē. Hoc igitur posito, *Panis*, inquiunt, *dicitur, quod re vera panis anima sit, & Angelorum, vitam æternam mundo ministrans.* En tibi re vera panem etiam post consecrationem: qui tamen non sit panis. Ite nunc Papistæ. Et nobis aduerbium obiicite, tanquam certam demonstrationem, veritatis, realitatis, corporalitatis. An quia multo amplius vere, quā re vera? otiose respondsuros exspectabo. Interea monebo: qui nūc dicit, *Caro mea vere ἀληθῶς est cibus*, paulo ante dixisse, *Pater meus dat vobis τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀληθινὸν panem de cœlo verum.* Certe constat cibum & panem eadem vsurpari notione: itaque habes verum panem & vere cibum. Quid ergo iuuat aucupium syllabarum.

LVIII. Octauum argumentum, Iacobi Suaris sermone 2. sumptum ex his verbis, *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me ipse viuet propter me.* O mirabilis affectus, & dilectionis signa! quando quidem autor ipse horum mysteriorum id solum in votis habet, vt sicuti propter Patrem viuit, ita nos propter eum manducatione corporis sacratissimi viuamus. Verum autem esse inficiari nemo potest, Christum non viuere propter Patrem per accidentia sola, vel solos effectus, sed per participationem substantiæ, ei ab æterno communicatæ, cum constet ambos fontem & originem vitæ esse. Itaque vt similitudo ab ipsomet facta absoluatur, quis in dubium reuocabit assertionem istam, nos scilicet propter eum, & ex eo viuere debere, per substantialem, non accidentariam manducationem, qualem esse illam, quæ fidei virtute fieri predicatur, nemo sanus dubitabit; cum fides sit in nobis accidens, quod potest adesse, & abesse? Assentiendum igitur huic veritati, aut neganda penitus sunt verba Domini nostri Iesu Christi. Similiter Bulingerus contra Plessæum libri 4. cap. 3. *Quoniam Pater manet in me realiter & actu: ita qui manducant carnem meam viuunt per me quia realiter & actu maneam in iis sicut Pater meus manet in me.* Beaulius, *Inde enim consequens est, sicut Iesus viuens propter Patrem habet in se non effectus, non accidentia, sed fontem essentialem, imo ipsam substantiam vitæ: sic eum qui ederit corpus Christi, accipere per hanc manducationem, non nudos effectus, charismata, accidentia, & influentias vitæ, sed fontem essentialem, & substantiam vitæ in seipsum.* Forma est; Si Christus viuit participatione substantiali, non accidentaria Patris: Ergo & fideles viuunt participatione Christi corporis substantiali, non accidentaria.

LIX. Respondeo, substantialem, & accidentariam dici vel propter obiectum, id videlicet, quod participatur, vel propter rationem participandi. Priori modo, conceditur argumentum: quandoquidem sit extra Thesin. Nam & nos communicationem spiritualem defendimus esse hoc modo substantialem: vt monuimus, & explicaturi sumus plenius paulo post: id est habere pro obiecto non vlla Christi accidentia: sed ipsam substantiam carnis & sanguinis Christi. Itaq; hoc argumentū aut inutile est, aut longe alios petit quam nos.

LX. At altero modo, negatur consequentia. Manifestum est enim Christum non comparare communionem communioni, nisi κατὰ τι: id est secundum efficaciam, non autem secundum eandem vtriusque rationem. Alioquin quid absurdius? Nam ratio secundum quam Christus participat substantiam Patris, primum naturalis est: & ab æterno, ac proinde non accidentaria, quantum spectat personas in Trinitate: secundo est hypostatica, quantum naturas in Christo. At nostra per gratiam: ideoque vere accidenteria: cum possit à nobis abesse, & nobis adesse. Denique communio per quam Christus participat substantiam Patris, non est manducatio, neque vnquam sic appellata aut in Scriptura, aut in Patribus: multo minus est oralis, & corporalis. Et vero manducatio præsupponit cibum: cibus nutritionem: id est, causam vitæ: sed extraneam ei qui manducat: sic enim natura fert: At participatio illa substantiæ Patris, non est Filio extrinseca, siue personam spectes, propter vnitatem essentiæ: siue naturam humanam, propter hypostasin. Cum ergo hæc participatio substantiæ sit intrinseca: At manducatio sit participatio extrinseca: non potest dari, eādem rationem esse participationis per quam Christus viuit: & per quam nos viuimus: Quanquam in hunc effectum concurrant, vt sicut illa filio, sic ista nobis vitæ causa sit. Cuiusmodi analogia est etiam inter cibum spiritualem, & cibum corporalem. Nam Salmero tractatu 22. tom. 8 *Cyrillus ad Euoptium, diuinitatis* inquit, *naturam minime edi: sed iccirco cibum dici, quia pascit animam nostram ad eam similitudinem, quæ cibus pascit corpus nostrum.* Id est, sicut corpus viuit propter cibum, sic anima viuit propter diuinitatem. Et tamen non sequitur diuinitatem esse cibum eadem ratione cum cibo corporeo: nam hic editur, at diuinitatis naturam negat edi Cyrillus. Muta titulos, rem ipsam habes nostram.

LXI. Nonum argumentum ex de Bollo. Cum bis filius Dei dicat se daturum carnem suam, semel nobis, & iterum pro nobis: cumque vtriusq; doni ratio ita coalescat, vt prioris donationis intelligentia pendeat à sequenti, quia dicit se daturum carnem suam, & eam carnem, quam dabit pro mundi vita, qui absque errore cupit scire, quo pacto prior datio complebitur, animaduertat quo pacto posterior datio completa est. Nonne re ipsa Christus obtulit Patri suo carnem suam vsque ad mortem pro mundi vita? Promisit igitur eandem carnem, non spiritu solum, sed per interpositam ipsius rei substantiam, à nobis manducandam: quod vtique alibi non fit, quam in Eucharistiæ Sacramento. Nam quæ ratio patitur, vt priorem dationem à posteriore separemus, cum posterior ideo sit adiecta, vt priorem interpretaretur ac declararet? Hæc ille: & aliquanto plura. Summa est: eodē modo intelligendam vtramq; dationem. At posteriorem corporaliter. Ergo & priorem.

LXIII. Respondeo, modū dationis indicare vel subiectum, vel formam dandi. Concedo eodē modo intelligendum vtramq; quod attinet ad subiectum: nempe vt vtrinq; concipiatur vera caro Christi: quomodo in ipsa institutione, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangetur.* Sed hoc quid ad rē? Non n. consectarium, dari corporaliter, si detur eadem caro. Hoc posterius prolixe concessimus: illud prius constanter negamus. Et docemus exemplo. Nam eadem caro, quæ data est pro mundi vita datur à Patre, in panem cœlestem: quamuis hanc dationem ipsi Papistæ non aliter concipiant, quā spiritualiter.

LXIII. Ast si formam dandi, negatur maior. Nam etsi res eadem detur, tamen datur aliter atq; aliter. Vin probem? Secunda datio visibiliter facta est: non prior. Prior sub specie panis, non posterior. Posterior cruente: incruente prior. Prior manib. atq; ori: minime poste ior. Non est necesse omnia percurrere. Cur tu me cogas dicere: si posteriot datio fuit corporalis: Ergo & prior: & nolis tamen ipse dicere: si posterior fuit cruenta, Ergo & prior? Si illa sub propria carnis specie: Ergo & ista? An quia tyrannis quicquid lubet, licet?

LXIV. Sed posterior addita explicationis causa. Cur, inquam magis quā prior? Aut cur non æque licet: Ego daturus sum pro mundi vita, eam carnē, quam dabo vobis: æque ac contra: Ego daturus sum vobis carnem, quam daturus sum pro mundi vita? Nam profecto æquē tum temporis vtraque pars erat obscura, quia futura: & prior tamen præcessura. Deinde quid tū? Posterior enim pars satis fungitur suo officio, si subiectum dationis declaret. Itaque nihil obstat, quominus quam substantiam dedit in cruce corporaliter, & non spiritualiter, eandem dicatur dedisse in Cœna spiritualiter, & non corporaliter.

CAP. VII.

Varia argumenta pro esu corporeo.

I. ARgumentum primum, à 6. c. Io. huc vsque fuit, admodum prolixum Transeo nunc ad reliqua. Esto igitur hoc secundum etsi vix ordo certus teneri queat. Tonstallus libr. 1. Non in figura, quæ nec vitam habet ipsa nec vlli donat, sed in veritate Christum esuri sunt, qui viuificam eius carnē edent, quibus ob illum esum vitam æternam dabit. Ita concipio. Nullus esus figuratus viuificat. At esus carnis Christi non est figuratus.

II. Respondeo, negari maiorem. Negandi ratio: quoniam prior pars concionis Christi, quæ fuit Io. 6. agit tantum de manducatione figurata: concedentibus etiam Papistis. Nunquid ea non est viuifica? Beaulius, *Vt nunc accedamus ad eos locos Ioan. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hoc est opus Dei, vt credatis in eū quem misit ille: Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ: qui venit ad me non esuriet: & qui credit in me nunquam sitiet. Dico, eos omnes intelligi de manducatione in spiritu, secundum mentem & cogitationem* Viden disertum testem? Figuratam esse eam manducationem, quæ tamen sit viuifica? Nam profecto panis vitæ, est viuificus cibus.

III. Occasio Sophismatis est ab homonymia figuræ. Esus figuratus est vel in verborum tropo: vel in signis visibilibus. Et hic rursus geminus, vel coniunctus cum recitato: vel ab ea seiunctus. Esus in verborum tropo, est ille mere spiritualis, significatus per metaphorica vocabula. Alter est per vocabula metonymica, propter relationem signorum ad rem significatam. Sed hic coniunctus cum rei veritate, quando quod exterius geritur in figura: perficitur interius in veritate. Seiunctus a. quum nihil est præter id quod est exterius. De hoc tertio solo vera maior est. Nam profecto hoc genus manducationis & figuratum est, propter exterius elementum: & inutile imo contra noxium: quoniam sic manducatur & bibitur iudicium.

IV. Sed primorum duorum longe alia ratio est. Nam de primo; præter eos locos ex priore parte concionis, in quibus habemus apertum consensum aduersariorum: Augustini testimonium disertum est, sæpe reuocatum in memoriam, forte etiam sæpius reuocandum: in Baptismo quemque fidelem fieri participem corporis & sanguinis Domini, & effici membrū Christi, etiam morientem antequam panem edat, calicemque bibat, *Sacramenti enim illius participatione ac beneficio non priuabitur*, ait, *quando in se hoc quod illud, Sacramentum significat inuenitur.*

V. Secundum autem nemo dubitat esse viuificum, sed nota viuificationis rationem esse in coniunctione vtriusque. Patet: nam si figuratum & exterius, cum solum est, & separatum, ab eo quod per fidem, non tantum nō est vtile, sed etiam noxium: At contra coniunctum cum eo quod per fidem, non tantum non est noxium: sed etiam viuificum: Augustin. serm. 2. de verbis Apostoli, *Tunc autem hoc erit id est, vita vnicuique erit cor us & sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter, manducatur & bibitur.* Non potest negari: quin vtilitatis ratio sit in eo quod est per fidem. Sic enim, cum obseruatum, corpus absque anima mortuum esse, at cum anima viuum: certa veritas habetur, rationem viuendi esse in anima. Itaque si verum, externum hunc esum viuificum propter internum: consequens est, internum ipsum multo magis esse viuificum. Et communi notione: Propter quod quidquid tale, idipsum esse magis tale.

VI. Est & alia ratio. Nam si nullus esus figuratus esset viuificus: Ergo beatarum animarum in cœlis esus non esset viuificus. Nam illæ profecto edunt figurate. Psalmo decimo septimo, *Ego in iustitia videbo faciem tuam: satiabar cum expergefacta fuerit imago tua.* Si satiantur: & manducant At figurate. Non enim, puto, per instrumenta corporea. Lorin. *Beatitudo sæpenumero accommodate ad eas voluptates, quas gustando tanti faciunt homines, nominibus describitur, verbisque similem quendam gustum designantibus vt prandij, cœnæ, nuptiarum, manducandi panem in regno Dei: edendi, & bibendi super mensam in regno Christi.*

VII. Argumentum tertium eiusdem Tonstalli. Verba ipsa Lucæ 22. manifeste testantur Christum corpus suum non in figura solum, nec in sola significatione, sed ipsum naturale corpus suum, vere in mysteriis præsens edendum: & naturalem sanguinem suum: vere in mysterio præsentem bibendum, ea veritate porrexisse, qua illud idem corpus in ara crucis pro nostra redemptione in mortē dedit: & qua vitalem viuificumque sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum effudit. Hoc enim

corpus

corpus manducamus, de quo dixit Christus quod pro vobis datur: & hunc sanguinem bibimus, de quo ille dixit, qui pro vobis effunditur.

VIII. Facilis solutu nodus. Veritas alia rei: alia modi. Illa concludit corpus & sanguinem tam vere dari manducandum, bibendumque, quam vera fuit mortem Christus est datus. Hæc autem, dari manducandum eodem modo, quo crucifigendum. De priori conceditur vniuersum argumentum Nonnen. sumus protestati sic credere: De altera a. constans contradictio est. Certe visibiliter traditus est in crucem Christus: An etiam visibiliter manducatur? Non igitur eodem modo.

IX. Et quia hæc omnia dicuntur in eum finem vt concludatur corporalis modus, oppositus spirituali: vide quam longe ab iis recesserit Aug. qui in veritate, & spiritualiter pro eodem sumat. In Ioannem tract. 27. *Vnde qui in Christo non manet, & in quo nõ manet Christus, spiritualiter & in veritate carne ipsius non mãducat.* Sermone 2 de verbis Apostoli, *Tunc vnicuiq; vna erit cum Christo, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur & bibitur.*

X. Ac sane legis Ioannis sexto, *Cibum qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Et hæc omnia de cibo figurato: sunt enim in priore concionis parte. Quid ergo: falsone daturus se promittit Christus? An potius in veritate? Absit vero quisquam Christum Christianus mendacem faciat. Nam de Patre quid opus dicere? Ille dabat panem cœlestem: sed ἀληθινὸν Quid? ἀληθινὸν non ἀληθῶς? Monstrum. Nam panis non verè datus, falso datur: id est non datur. At si non datur, non accipitur. Si non accipitur, non dat vitam mundo. At ille dat vitam mundo, teste Christo: Ergo accipiebatur: si accipiebatur, ergo dabatur: si dabatur ergo vere dabatur: id est in veritate. Quare dari in veritate, & tamen dari manducandum non corporaliter, non opponuntur inter se.

XI. Quartum eiusdem. Nihil omnino manducari potest, quod non sit corporale: spiritus enim solus esibilis non est: nec corpus & sanguinem habet, sicut Christus in Euangelio dixit, Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Christus ideo, qui Verbum caro factus est, aperte dixit, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: vt corpus eius spirituale a fidelib. sumi, & sanguis eius spiritualis bibi in perpetuum suæ passionis mortis, & resurrectionis monumentum, posset: ita quod neque spiritus sine corpore, nec corpus sine spiritu sumeretur.

XII. Itane? Et hæc tandem decrepita mundi senectus debet ediscere, quicquid quouis modo manducetur, esse corporale? Quid ergo futurũ est animæ Christi? Quid Christi Deitati? Suntne illæ corporeæ? Nisi forte nullo modo comedantur, ne per concomitantiam quidem: quã tamen Papistæ vt corculum suum amant. Sed illi viderint. Ego non putem tanti. Sed n argumentum ita est: quicquid editur est corporale: at Christi corpus editur in Sacramento. Ergo Christi corpus est corporale. Grande Sophistices operæ pretium! Immane δόξον; Christi corpus esse corporale! Atqui, nugator, aliud oportuit. Quicquid est corporale editur corporaliter: at corpus Christi in Eucharistia, est corporale: Ergo editur corporaliter. Conclusisses quod erat in quæstione: hoc saltem nomine non ineptus.

XIII. Nos maiorẽ rideremus: qui scimus primum multa esse corporalia quæ nunquã edantur, aut edenda sint, vt Cœlum, Solem, Lunã, terram: & quæcunq; bibuntur, aquam, vinum, alia: deinde quædam esse corporalia, quæ edantur non corporaliter: atq; adeo corpus ipsum Christi: saltem confitentibus Sophistis, extra Eucharistiã Quid tu ergo dicturus fuisses Tõstale, si tibi argutulus Sophista hoc obiecisse. Quicquid est corporale, editur corporaliter: At corpus Christi extra Eucharistiam est corporale: Ergo corpus Christi extra Eucharistiã editur corporaliter? Nam profecto cum pronuntiauit Christus: ossa sibi esse & carnẽ, non agebat Eucharistiæ negotiũ. Quid, inquam, tibi fuisset animi? Nam nobis idem quod nunc. Negauimus tibi, negaremus illis maiorem: & diceremus contra Corpus Christi extra Eucharistiam editur non corporaliter. At corpus Christi extra Eucharistiã est corporale. Ergo aliquid corporale editur non corporaliter. Maiorem habemus certam non à Catholicis tantum, sed à Sophistis etiam tuis. Minorem tu ipse confirmas ex Euangelio.

XIV. Quartum esto Dedehi discursu 14. Aduersarij tam pertinaciter hærent manducationi suæ Sacramentali spiritualique per fidem, vt non possint attendere corporali & miraculosæ, quam nos Catholice tenemus: à qua refert anima vitam æternam: corpus etiam accipit suam resurrectionem. Ambo n. egebant sua redemptione: quandoquidem ambo erant per peccatum obnoxia damnationi mortis & inferni, sub perpetuæ tyrannide Satanæ. Forma hæc est. Si tam eget redemptione corpus quam anima. Ergo tam eget manducatione carnis Christi, corpus, quam anima.

XV. Respondeo, facile concedi egere manducatione carnis Christi tam corpus quam animam hominis. Cui n. ignotum illud Io. 6. *Amen, amen dico vobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis?* Sed hoc constituto, restat quærendum, vtrum indigeant manducatione vna communi: an vtrumq; sua propria: vt scilic. anima seorsim à corpore: & corpus seorsim ab anima carnem illam comedat. Negamus nos sane vtrique suam esse seorsim necessariam: quod velle videtur Sophista: cum non possit aliter concludere suam manducationem corporalem.

XVI. Etenim scimus vnam communem sufficere: vt exempli gratia, ad hanc vitam sustinendam, necessarius est tum animæ tum corpori (ex quib. vnitis vita hæc constat) esus panis. At non tamen vt geminetur actus edendi, vt seorsim anima panem edat sibi: seorsim corpus sibi. Sed eadem illa actione, qua corpus comedit panem, effici vitam hanc corporis & animæ propter arctissimam vnionem. Similiter ergo cum agitur de vita spirituali sufficere dicimus tum animæ tum corpori vnam communem manducationem, quæ fiat ab anima: quæ sibi ipsa peculiariter non est victura, sed etiam corpori suo communicatura vitam eandem.

XVII. Confirmatur facile: quoniam alioquin nullum corpus suscitandum esset olim, nisi cui communicata esset Eucharistia. Quod falsum. Nam Christus dixit Ioannis 6. *Hæc est voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: ego vero suscitabo eum vltimo illo die.* Et dixit tam cum ageret de spirituali manducatione per fidem. Quis nunc neget à spirituali manducatione consequi non tantum vitam animæ, sed etiam corporis resurrectionem? Nam certe resurrectio non potest vel cogitari sine corpore. Cyrillus in ea verba, *Filius accipiens, quasi ignis scintillas, viuificantis spiritus virtutem, ac sua natura bonum sic in eis immittit, vt ad immortalitatem totum hominem transformet.* Toletus, *Resurrectionis meminit, quia dixerat se esse panem vitæ æternæ, ne forsan arbitrarẽtur non esse morituros credentes in eum, & panem hunc manducantes: aut dum se morituros arbitrantur, sententia veritatem non reciperent: propterea exposuit morituros quidem corpore credentes, & panem hunc accipientes: sed huius panis virtute ad vitam æternam reuocandos.* Attende huius panis virtute, cum tamen manifeste ageret de pane spirituali.

XVIII. Quintum Bellarmini ex c. 13. primi de Eucharistia. Prioris ad Corinthios 11. *Qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Vbi reprehenduntur quidam, quod indigne recipiant corpus Christi, & inde dicuntur non vitam, sed iudicium haurire. Ast isti non recipiunt spiritu, & fide corpus Christi, quia vtiliter reciperent, si ita reciperent. Ergo recipiunt solo corpore. Idem argumentum est apud Iansonium 4. Liturgicon c. 11.

XIX. Respondeo, hoc argumentum proprie pertinere ad alium locum de manducatione indigna: vbi plenius Deo dante discutiendum erit. Nunc breuiter, nego antecedens. Nam Pauli verba sunt, *Probet autem quisq; seipsum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat: nã qui edit & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* Quorum cõstructio hæc est: Nam qui edit de pane illo, & bibit de poculo illo. Itaque non dixit Paulus quenquam edere indigne corpus Christi: vt voluit Bellarmin. confidentius quam verius. Nos concedimus de pane illo, & poculo edere & bibere alios quidem digne, alios vero indigne: sed de corpore Domini nunc negamus, alias prolixius exposituri.

XX. Sextum eiusdem capite duodecimo: ex prioris ad Corinth. 10. & istis verbis, *Communicatio sanguinis Domini: communicatio corporis Domini.* Probat tribus argumentis significari corporaliter, realiter, proprie sumi carnem, & sanguinem. Primo, quia sensus proprius, & literalis semper est eligendus, nisi euidenter probetur contrarium. Secundo, quia sic exposuerunt Veteres Sancti, ac præsertim Chrysostomus, quem alij sequuntur, homilia 20. in eam Epistolam, *Horum verborum hæc sententia est, quod est in calice, id est quod à latere fluxit, & illius sumus participes.* Tertio, ex intentione & proposito Apostoli, quod erat auertere Corinthios à sacrificiis Gentilium, & esu carnium immolatarum: ostendendo mensam, & sacrificium longe præstantius, quo frui possunt. Sed si vera caro, & verus sanguis non est in altari, sed tantum figura & signum, non magis mouebit oratio Apostoli, quam moueret, qui personæ amatæ offerret vestem sericam depictam, vt eam auerteret a veste serica vera concupiscenda.

XXI. Respondeo, his Pauli verbis nullam contineri communionem corporalem, propriam, sed tantum veram, & eatenus realem, id est, rei ipsius, quæ est corpus: & sanguis Christi: de quib. dictum, *Hoc est corpus meum hoc, hoc est sanguis meus.*

XXII. Prima probatio crebra est repetitio: præterea nihil. Nobis enim alias dictum, esse euidentes causas, quæ cogant à proprietate recedere verbi communicandi, si tamen hæc ipsa corporalitatem inferret: quod ego quidem nunquam concesserim. Etenim ad Gala: 2. *Dexteras dederunt mihi & Barnabæ κοινωνίας societatis.* Ad Philippens. 4. *συγκοινωνήσαντες, Simul communicantes tribulationi meæ:* His inquam, locis, nulla corporalis societas fuit. Nam Paulo Barnabæque cum reliquis Apostolis tantum eiusdem muneris. Philippenses autem, non erant implicati proprie iisdem tribulationibus cum Paulo: nisi quatenus communia facit caritas, quæ re vera sunt propria. Illustriora sunt ista: *κοινωνία τῶν ἁγίων πνεύματος, Cõmunicatio Sancti Spiritus.* Ad Philippens. primo, *Super communicatione vestra in Euangelio.* Ad Philemonem, *Communicatio fidei tuæ.* Certe neque spiritus, neque Euangelium, neque fides communicari possunt corporaliter. Itaque necesse est aliquam esse communionem spiritualem. Cur ergo proprietatem Bellarm. vrget.

XXIII. In secunda probatione falsum est, quenquam Veterum interpretatum esse communionem corporis corporaliter, quod imus probatum suo loco. Sed certe Chrysostomus qui hic citatur tanquam eximius, & ex omnibus certo consilio delectus, nihil habet eiusmodi. Vere dixit, id quod est in calice, esse id quod è latere fluxit: Quod quis neget? qui audierit à Christo, *Hoc est sanguis meus, qui pro vobis effundetur?* Dixit, illius nos esse participes. Et dixit, autore Paulo: sed non magis dixit corporaliter participes, quam Paulus ipse. Cur impostorem agit Bellarminus?

XXIV. In tertia probatione constat ex sola lectione, velle Apostolum auertere Corinthios à communione idolorum. Constat in eam rem proponere communionem corporis & sanguinis Domini. Et hanc communionem esse aliquid præstantius: Sed inde argumentum ab Apostolo sumi, non constat. Nam videtur ab oppositione potius, quæ post exprimitur diserte, *Non potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmonium.* Et ita Chrysostom. *Nos quoque ad calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia, & quæcunque sumus adepti, ita ipsum offerimus, & communicamus, gratias agentes, quod ab errore liberarit hominum genus: quod cum longe essemus prope fecerit.* Et paulo post, *Quomodo ergo non contraria, inquit, facitis, ô Corinthij. Deo quidem benedicentes, quod vos liberarit ab idolis, rursus autem ad illorum mensas currentes.* Salmero, *Vos ipsi iudicate, num scil. verum sit quod dico. Indignum est n. vos cum impiis societatem inire, vt in vnum coalescatis corpus.* Paulo post, *Sensus ergo est. Vos estis ex corpore Christi membra eius corporis, & sanguinis eiusdem participes: decet ergo vos, vt ad corpus Diaboli vos adiungatis.* Ac sane, qui nihil cogitat nisi comparationem secundum plus & minus, prorsus neruos succidit argumentationi Paulinæ. Sed nunc quidem haud multum interest.

XXV. Illud maioris momenti: Nihil Paulum concludere, si vera caro, & verus sanguis non sit in altari. Scilicet corporaliter: sic enim proposuit: & nos repetimus: quod ille vafre proculdubio neglexit repetere: vt exigua declinatione magnam impostura faciat. Sed nos negamus nihil actum fore Paulo, si corporalem manducationem somniarit. Facile iudicium à simili. Voluit Christus Iudæos abducere à nimia cura cibi corporalis, ex opposita comparatione cibi manentis in vitam æternam. Negasne vllam vim fuisse argumenti, nisi cibum corporalem diceret? Atqui vos ipsi fate-

fatemini, Papistæ, dixisse cibum mere spiritualem. Cur Paulo minus virium, à Christi communione spirituali aduersus communionem dæmonum.

XXVI. Sed non mouerer, qui concupiscenti vestem sericam veram, offerret pictam? Inepte dictum Bellarmine. Nam primo, qui communicabant dæmonibus, non possunt comparari concupiscentibus vestem sericam. Deinde cur pictæ vesti comparas communionem spiritualem Christi? Ergone aliud nihil Christus habuit in animo quam vestem pictam pro vera, cum dixit, *Pater meus dat vobis panem illum vere cœlestem*? Vide ineptiam. Mãducationem spiritualem dicis vestem pictam: corporalem, verã: & tamen corporalem sine spirituali inutilem. Itane, ô populares! vestem veram inutilem esse absque veste picta: Hoc vobis verum: hoc vobis sanũ videbitur? At tu, Sophista, audi: In Eucharistia communio est corporis & sanguinis: sed neutrius picti: imo veri: quod toties puderet iterare, nisi vos non puderet toties oppositam calumniam repetere. Sed communio panis & vini, est quædam quasi picta communio eius corporis & sanguinis. Nescis distinguere? Quid ad nos? aut cur in nobis faba cudatur: Tu aut taceto: aut quod nescis, discito.

XXVII. Humblotus sic maluit in replica ad primam Chimæram. Quæ communio est corporis & sanguinis Iesu Christi, dat, exhibetque in præsenti id corpus, eumque sanguinem: At fractio panis, & benedictio calicis, est communio corporis & sanguinis Iesu Christi: Ergo dat, & exhibet in præsenti id corpus, eumq; sanguinem.

XXVIII. Respondeo, prolixe concedi omnia. Sed negari omnem exhibitionem in præsenti, esse corporalem, & non figuratam. Certe Christus dixit, *Pater meus dat vobis panem illum vere cœlestem.* Audin tu Sophista? Pater dat, An qui dat, non exhibet in præsenti? Nam in præteritum, dedit: in futurum, dabit. At Christus in præsenti, dat: Omnino igitur exhibebat præsentem. An etiam corporaliter? Negant omnes tui: qui de spirituali cibo interpretantur. Nempe igit ur dare in præsenti, opponitur non esui metaphorice dicto: sed non efficaci: aut si efficaci, saltem in futurum, secluſa præsenti energia.

XXIX. Septimum argumentum Iansonij cap. 11. quarti Liturgicon: Si Eucharistia, sinue Sacramentum Cœnæ Dominicæ, saltem ob spiritualem præsentiam, est corpus & sanguis Christi: consequitur quotiescunque illud ore manducatur, etiam corpus Christi ore manducari. Sicut ex eo quod Christus in membris suis cum effectu dictæ vnionis præsentia spirituali est, dicitur ipse in pauperibus vestiri, cibari, potari, pati persequutionem, & reliqua. Quod quandoquidem nulla possit ratione negari, cum corpus Christi in Eucharistia sit substantialiter præsens, tanto grauiore ratione dicetur corpus Christi in Eucharistia manducari ore, quanto magis ibi est, vbi substantialiter est.

XXX. Nugæ in perpetuo vocabulorum lusu. Certe caro Christi in Eucharistia manducatur ore. Et sic ferme perpetuo Patres non verentur loqui: nec nos indignamur confiteri. Sed proprie manducari, hoc vero est quod negamus. Nam id proprie manducatur, quod non tantum ore sumitur, sed etiam per se: At non quod per aliud. Exempli gratia: Paulus dixit iudicium siue condemnationem manducari, cum quis panem manducat indigne. Certe si panis ore manducetur: etiam condemnatio manducatur ore. Sed hoccine proprie. Minime vero: quia non in se, sed in pane. Simili ratione dico, cum panis sit corpus Christi: & panis edatur ore; etiam corpus edi ore: Sed quia edatur non per se, sed in pane, ideo nego corpus Christi proprie edi ore. Nimirum quomodo panis est corpus Christi, eo modo corpus editur ore; videlicet improprie.

XXXI. Idipsum patet ex ipso illo exemplo pauperum & Christi. Christus dicitur vestiri, cum eius pauperes vestiuntur. Lana vtique. Quid ergo? Estne quisquam adeo delirus, vt Christum regnantem in cœlis dicat proprie lana vestiri? Sed imputat sibi factum, quod tamen non est factum. Augustinus de Ciuitate Dei libri 17. cap. 9. *Christi ipsius, qui est caput Ecclesiæ, non possent inueniri vlla peccata, qua opus esset humanis correptionibus seruata misericordia diuinitus coerceri: Sed in eius corpore ac membris, quod populus eius est. Ideo in libro Regnorum iniquitas eius dicitur, in Psalmo autem filiorum eius. Vt intelligamus de ipso dici quodammodo, quod de eius corpore dicitur: propter quod etiam ipse de cœlo, cum corpus eius, quod sunt fideles eius, Saulus persequeretur, Saule, inquit, Saule, quid me persequeris?* Recte: Christum persequebatur Saulus: sed in membris eius: Itaque quod de Christo sic dicitur, non absolute, sed quodammodo dicitur, id est, improprie. Eadem sane ratio esto corporis & sanguinis Christi: vt ore sumantur, sed in pane & vino: ideoque non proprie, sed quodammodo. Non inuidebimus.

XXXII. Octauum argumentum Petri de Bollo. Sedulo obseruandum est, hostiam pacificam & pro peccato atque delicto, non solum spiritu, sed etiam corpore, partim à Sacerdotib. ac Leuitis, partim ab offerentib. atque adstantib. manducari solitam esse. Quando ergo Christus, ait, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Accipite, & comedite*, significabat ad manducandum ipsum esse, quod offerre debebat Deo in sacrificio cruento. Hęc illa, subticens consequens: Ergo id corpus debet non tantum Spiritu, sed etiam corpore comedi.

XXXIII. Respondeo primum, nunquam dictum hostiam illam pacificam manducatam spiritualiter à quoquam, sed tantum corporaliter. Itaq; negari consequentiam. Enimuero si consequens est, corporaliter comedendum corpus Christi, quoniam illa hostia sic comedebatur: similiter consequens erit corpus Christi non esse comedendum spiritualiter: quoniam neque illam hostiam. Atqui hoc falsissimum, vel confessione Papistarum. Ergo & illud.

XXXIV. Sed potissima negãdi ratio, quod ὁμωνύμως hostia nominetur. Videlicet altera significans, altera significata. Atqui non est verum eadem ratione vtramque percipi: sed aliter, atque aliter. Non sequitur, si agnus torrebatur, etiam Christi corpus debuisse torreri. Non sequitur, si hostia sectiliter distribuebatur, etiam Christi corpus secari in frusta. Et multa similiter. Vin' discrimen manifestũ? Nulla bestia edebatur nisi post peractam immolationem: At corpus Christi fuit manducatum pridie, quam immolaretur. Rursus, nulla hostia fuit vnquam manducata seculis, aut etiam annis integris post immolationem. Ast hæc aduſq; finem mundi. Quid igitur iuuat λειτουργεῖν?

XXXV. Deniq; Aug. *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis? neque bibituri sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent.* Vide non bibendum sanguinem illum qui fusus est: Ergo neque manducandam carnem, quæ crucifixa. Non igitur edendum de ipsa hostia. Quomodo Aug. alibi, de ea hostia secundum se non licere edere.

XXXVI. Nonum argumentum Petri Aurati paradoxo 29. Comedit Adam ex ligni fructu prohibito, quo factum est, vt tam ipse, quam omnis eorum posteritas, mortis incurrerit sententiam. Quamobrem æquum fuit, vt si ad vitam vnquam reuocandi forent, id fieret per alterius ligni frustum quem etiam essent comesturi. Is vero fructus alius non est, quam ligni crucis, Christus ipse. Quare consectaneum est, vt sicut Adam olim corporalis mortis fructum ederat, ita & nos quoque corporaliter hunc vitæ fructum edamus, quo restituamur.

XXXVII. Conceditur prima consequentia: si ex eiu fructus vetiti perierunt homines: Ergo comedendum esse fructum crucis, vt restaurentur. Sic enim docuit Christus disertissime, Io. 6. *Nisi ederitis carnem Filij hominis, nõ habebitis vitam in vobis.* Sed negatur alterum consequens, si Adamus ederit corporaliter, etiam nos debere. Nam vnde id habet? At nos contrarium ab experimento. Nam Adam ipse restitutus est vitæ: & tamen nunquam fructum hunc crucis edit corporaliter. Nec Adamus tantum, sed etiam omnes Patres sub Veteri Testamento Quid hos dico? Etiam in Nouo Testamento plurimos credimus: imo Papistæ credunt ipsi plurimos seruari, qui tamẽ hac corporali manducatione n unquam vtantur. Alioquin vsus Eucharistię esset absolute necessarius, quod nunquam illi daturi sunt. Deniq; Christus *Panis ille Dei is est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* Vbi tamen concedunt sermonem esse de manducatione spirituali: quod & Auratus diserte posuit. De hoc igitur pane spirituali, non corporaliter, sed spiritualiter mãducato, certi sumus eum dare vitam mundo, id est, iis, qui propter corporalem manducationem fructus vetiti perierant.

XXXVIII. Decimum Edmundi Augerij artic. 1. cap. 2. Fieri non potest (de iis si sermo sit, qui possunt & tenentur) vt hauriatur vita æterna, gloriaque secundum corpus, ex carne Christi, si non comedatur actu, atque in propria substantia corporali: Haud magis quam corpus nostrum haurire vitam corporalem ex spiritu, nisi actu vnito coniunctoque.

XXXIX. Non bene argumentum percipio. Nam quorsum illa pertinet restrictio? An vt sic intelligamus: Nemo obligatus, & potens actu percipere in propria substantia corporali carnem Christi: potest percipere ex ea carne vitam æternam, nisi actu percipiat eius substantiam carnalem? Atqui ἀδολεσχία est puerilis: vt si dies est, dies est. Quasi dicas: Nemo obligatus nõ occidere potest habere vitã æternã, nisi nõ occidat. In hoc a. sophismate, nõ opus est immorari. An igitur potius hoc modo, Nemo obligatus & potens percipere vitam æternam: potest eã obtinere, nisi actu sumat corporalem substantiam carnis Christi? Manifestum mendacium est. Nam omnes homines tenentur, & possunt percipere vitam æternam: Et tamen hanc multi obtinent, qui tamen eius carnis substantiam corporalem non capiunt: alioquin manducatio spiritualis non esset saluifica: quod ne Papistæ quidem dixerint.

CAP. VIII.

De Vnione Christiana.

I. PRolixius argumentum huc reseruauimus ab vnione Christianorum cum corpore Christi: Hanc Beaulius distinguit in substantialem, & non substantialem. Illam duarum substantiarum vnientium se vnam alteri. Hanc esse spiritualem, rursus geminam: vnam per actiones intellectus, cognoscentis, contemplantis credentis, siue, intelligentis aliquid à se dissitum, distansque: alteram, quæ dici queat vnio affectus, per voluntatem, quum absentem & procul positum amamus, desideramus, speramusque in eum: & si quid est simile. Porro vnionem quæ fit in Eucharistia, esse primi generis, id est, substantialem: quoniam corpus & Christi substantiæ sint: vt & corpora nostra, nostræque animæ.

II. Sed in eo sophistica distinctio est. Nam nos vnionem concedimus esse substantialem, consideratis videlicet rebus vnitis. Vere enim dictum est has substantias esse, videlicet hinc corpus & sanguinem Christi: illinc corpora, atque animas nostras. Cæterum substantiali opponendam fuisse accidentalem: videlicet cum terminorum saltem alter est accidens: cuius modi sententia est, qui nihil in Eucharistia dari dicunt præter beneficia in nos a Christo redundantia: quæ partes nobis nunquam placuerunt. Reiecta igitur hac accidentali vnione, substantialem admittimus. Sed addimus hanc ipsam distinguendam ex ratione vniendi in spiritualem & corporalem. Illam quæ per fidem, id est, per actiones intellectus & voluntatis: non enim discerpimus in duas. Alteram quæ per organa corporea.

III. Et quia Papistæ non sint contenti illa spirituali, quam nos paulo post latius imus explicatum, ideo huius quæstionis statum recte positum, hunc esse: vtrum substantia corporis Christi vniatur, siue corpori, siue animæ nostræ per modum corporalem, siue vt diximus, per organa corporis, inter quæ etiam locus est. Illorum affirmantium hæc inueni argumẽta.

IV. Primum Humbloti in nullitate primæ Chimæræ. Quodcunque nutrit animam quomodo panis & vinum nutriunt corpus: debet sua substantia contingere substantiam animæ: aut ad eam accedere. At corpus & sanguis Christi nutriunt quomodo panis & vinum nutriunt corpus: Ergo corpus & sanguis Iesu Christi debet sua substantia contingere substantiam animæ, vel ad eam accedere. Probat maiorem. Quod donat substantiam suam animæ, eamque huic coniungit nutriendæ, debet substantia sua contingere vel accedere ad substantiam animæ: At quicquid nutrit animam, sicut panis & vinum nutriunt corpus, donat substantiam suam animæ, eiq; coniungit nutriendæ: Ergo quod nutrit animam, sicut panis & vinum nutriunt corpus, debet sua substantia contingere substantiam animæ, aut ad eam accedere.

V. Respondeo negari maiorem vtriusque syllogismi. Et facile. Nam quia in priori parte concionis Christi, conceditur agi de cibo spirituali;ac proinde panis nomen in ea sumi metaphorice: omnino oportet hanc metaphoram sic exponi;vt Christus alat nos, quomodo panis alit corpora nostra. Norunt enim omnes metaphoram esse similitudinem concisam, siue implicitam. Quæ ratio seruata est in Ioan.decimo quinto cum Christus se vitem esse dixit, omnibus nota metaphora, inquit Maldonatus. Hanc metaphoram explicans Villagudus, *Quemadmodum*, ait, *vitis lignum tortuosum, asperum, & abiectum habere videtur, sed maxime bonum, ac odoriferum succum in ramos transfundit: ita oculis quidem carnis erat Christus vilis, aspera, & abiecta persona: sed vt vt caro cum suis asseclis iudicauerit, Christus omnia bona in credentes effundit.*

VI. Quod si Christus alat nos, id est, mentes nostras (sic enim Thomas in 6.Io. *Ego sum panis vitæ: nam, sicut supra dictum est, Verbum sapientiæ est spiritualis cibus mentis, quod eo mens sustentatur.*) quomodo panis alit corpora nostra: si certe necesse est, vt donet mentib. substantiam suam: & ita erit vnio substantialis. Et tamen nemo hactenus docuit in manducatione illa spirituali substantiam Christi contingere substantiam mentis nostræ. Cur ergo non negaremus, quod tam audacter asseruit Sophista.

VII. Intelligo vim facere in comparationis phrasi. Nam quid est, inquit, dare substantiam suam animæ, seque ei coniungere ad eam nutriendam: & quidem vt panis & vinum nutriunt corpus: si non est aliquid amplius, quã sua substantia animam tangere, atque ad eam accedere.

VIII. Sed quid hoc aliud est, quam misere nugari: & importune voculas aucupari? Peccatur παρὰ τὸ κατά τι ὡς ἁπλῶς. Vin doceam exemplis? Dicebat paulo ante Villagudus: Quemadmodum vitis bonum & odoriferum succum in ramos transfundit: ita Christus omnia bona in credentes effundit, Dic tu, At vitis in ramos per naturalem vegetationem: Ergo etiam Christus per naturalem vegetationem. Speresne te euasurum cacchinnos? Ne hic quidem. Et cur eam longius? Nam in hac ipsa nostra comparatione satis exempli est Corpus & sanguis Christi nutriunt animam, quomodo panis & vinum corpus: At panis & vinũ sic nutriunt, vt sumantur per partes, & commolantur, & mutẽt suam naturam: Ergone etiam corpus & sanguis Christi? Ne vos quidem docetis, Papistæ. Cur nos sperastis illa potius admissuros vestra somnia?

IX. Sanctesius Repet.5. longe prolixius ac curiosius hanc vnionem excussit. *Conuenit*, inquit, inter omnes, quemcunque esum & potum corporis & sanguinis Dominici eo tendere, vt nos efficiat vnam carnem cum Christo, ipsique coadunet. Proinde facile ex effectu licebit coniicere & concludere veritatem ac conditionem, sed modum manducationis; an spiritualis tantum existat, an etiam corporalis. Edocemur à Patribus per Scripturas, nos non solis animis, nec sola fide aut caritate consociari oportere cum carne Christi, sed re vera vnum reddi cum ipso corpus naturale ac substantiale, nõ tantum corpus mysticum & spiritale: quod quasi secundarius effectus ex priori, si pie exercetur, exuberat. Hæc illius verba hanc argumenti vim concipiunt. Quæcunque manducatio corporis Christi efficit vt simus cum Christo vnum corpus naturale, ac substantiale: ea manducatio est corporalis. At manducatio corporis Christi in Eucharistia, efficit vt simus cum Christo vnum corpus naturale, & substantiale: Ergo manducatio corporis Christi in Eucharistia est corporalis.

X. Confirmationem Minoris duobus comprehendit capitibus. Primo, Coniunctionem illam (qua scilicet fiamus cum Christo vnum corpus naturale, & substantiale) veteres Christiani probant multis modis; vno, per Scripturas: altero comparationem cum paribus coniunctionibus: tertio, per similitudines: quarto, ptr dictinctionem aliarum coniunctionum quas hic solas fieri negant expresse: quinto, per huius propriis verbis & exquisitis inclinationem: sexto, per confutationem eorum, qui solam spiritalem introducebant: septimo, per damnationem eorum, qui carnem nostram ca pacem huius coniunctionis negabant: octauo, per causas, finem & necessitatem eiusdem.

XI. Alterum caput ita est. Porro nos eam coniunctionem assequi per realem & substantialem carnis & sanguinis Dominici in Eucharistia præsentiam & perceptionem, Scripturis, Rationibus, Similitudinibus, atque aliis modis astruunt: tamque certo in Ecclesia id semper fuisse creditum monstrant, vt ex ea fide tanquam ex indubitato principio ac fundamento, Religionis Christianæ articulos de Consubstantialitate Filij cum Patre contra Arrianos: & diuinitate in carne Christi residente, contra Nestorianos: deque carnis nostræ immortalitate atque resurrectione, contra Valentinianos & Marcionitas asseruerint. Quæ omnia, inquit, excutiamus ordine & expediamus.

XII. Vides disputationis futuræ molem. At nos corpus Christi naturale, & substantiale nullum didicimus agnoscere, præter vnum illud indiuiduum humanæ naturæ, quod est in vtero Virginis conceptum, deinceps baptizatum à Ioanne, crucifixum, sepultum, suscitatum, delatum in cœlos. Præter hoc, quodcunque dicitur Christi corpus, id mysticum esse. Corpori naturali agnoscimus fideles vniri nullo modo per contactum, aut cõpositionem, sed tantum per spiritualem copulationem, cuius vinculum fides: atque inde constare, tanquam effectum proprium vnionem cum mystico. Dicam clarius, & quidem vsus eadem distinctione quam à Pomponio Iureconsulto Sanctesius mutuatus est. Corpus aliud ἑνωμένον, vt hominem lapidem, lignum: aliud συνημμένον, vt ædificium, nauem: nempe ex cõtingentibus: tertium ex distantibus, vt populum, legionem, gregem. Quãquam siue Tribonianus autor peccarit, siue descripserit non bene Sanctesius; non videatur exactam diuidendi rationem sequutus; At nos, ea missa, dicimus fideles non vniri Christo, illo modo aut primo, aut secundo. Sed tertio potius: & vinculum nullum esse aliud, quam spirituale. Itaque in syllogismo negatur constanter vtraque pars assumptionis: negatur aut Scripturam, aut Veteres Orthodoxos quicquam tale docuisse.

XIII. Admonemus tamen à vafro Sophista mutatos esse terminos in secundo capite. Nam assumptionem nominasse diserte, vnum corpus naturale ac substantiale effici Christianorum & Christi in Eucharistia. Cum tamen postea longe frigidius, exprimatur realis & substantialis carnis & sanguinis perceptio. Scilicet Sophista desperauit posse tam crassum demonstrari commentum: itaque quam potuit molli flexu; diuertit alio: quo tamen opus non fuit. Quantum in eo sit momenti, manifestum fiet suis locis.

XIV. Nunc percurramus disputationis capita proposita: Scripturam indicat ad Ephesios 5. *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam: & tradidit semetipsum pro ea. Viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed eam fouet; & nutrit, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, Sacramentum hoc magnum est: dico in Cqristo, & Ecclesia.* Nos inquit Sophista, ex hac Scriptura contendimus exigi copulationem corporis nostri cum carne Christi: tum ex ratione matrimonij, tum quia scribatur nos esse os ex ossibus, & carnem de carne eius. Nam Apostolus Christi cum Ecclesia coniugium non simpliciter comparat cum matrimonio, sed cum illo quod inter Euam atque Adamum intercessit: in quo dupliciter Eua fuit vno caro cum carne Adami: prius origine, quia de viro sumpta fuit, ob idque dixit, *Os ex ossibus, & caro de carne mea:* postea commixtione cum Adamo. Vt Eua ergo ab Adamo carnem suscepit ad suæ carnis formationem: ita ad reformationem & innouationem carnis nostræ, decet nos à Christo carnem mutuari, vt prius origine inueniamur os de ossib. & caro de carne eius. Argumenti huius partes distinguo & dispono. Quicunque fiunt corpus Christi ex carne & ossib. eius, ij participant carnẽ & sanguinem Christi corporaliter. At in Eucharistia fiunt Christiani corpus Christi ex carne eius & ossib. eius: Ergo in eadem participant corpus & sanguinem Christi corporaliter.

XV. Respondeo negari maiorem. Nam quicunque fiunt corpus Christi, iidem fiunt corpus ex carne & ossibus eius: Ast quicunque fiunt corpus Christi, non participiant carnem eius & sanguinem corporaliter: Ergo non quicunque fiunt corpus ex carne & ossibus eius, iidem participant carnem & sanguinem corporaliter. Maior per se patet: Nam qui fiunt corpus Christi iidem fiunt eius membra: & hæc Paulus dixit esse ex carne & ossib. Christi. Sunt enim diserta, *Membra sumus corporis eius, de carne eius, & ossib. eius.*

XVI. Minor demonstratur ex Baptismo. Nam in Baptismo nemo corporaliter participat carnem & sanguinem Christi. Et tamen in Baptismo baptizati fiunt corpus Christi: Ergo quicunque fiunt corpus Christi non participant corporaliter carni & sanguini Christi. Maior patet, ex confessione aduersariorum: qui id genus participationis nullum agnoscunt nisi in Eucharistia. Minor diserta apud Augustinum, in Bedæ commentariis 10. ad Corinthios, *Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in Baptismate membrum Christi efficitur.* Pelusiota lib.3.ep.195. de Baptismate agens infãtium ἐγένετο συγκληρονόμος τοῦ μονογενοῦς καὶ σύσσωμος αὐτοῦ διὰ τῆς μεθέξεως τῶν ἱερῶν μυστηρίων κατέστη, καὶ εἰς τὴν σάρκα αὐτοῦ τελεῖ καὶ ὥσπερ τὸ σῶμα τῇ κεφαλῇ, οὕτως αὐτῷ ἥνωται). *Natura nostra vnigeniti cohæres effecta est, ac per sacrorum mysteriorum perceptionem concorporea ipsi reddita: & in ipsius carnem censetur: & quemadmodum corpus capiti, eodem modo ipsa ei copulata est.* Chrysostomus huncipsum locum ad Ephesios explicans, πῶς οὖν ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ ἐσμεν, καὶ ἐκ τῶν ὀστῶν αὐτοῦ, τινὲς τὸ αἷμά φασι καὶ τὸ ὕδωρ· οὐκ ἔστι δέ, ἀλλ' ὥσπερ ἄνευ συνουσίας ἐκεῖνος γέγονεν ἐκ πνεύματος ἁγίου, τοῦτο καὶ ἡμεῖς γινόμεθα ἐν τῷ λουτρῷ, *Quomodo ergo sumus ex carne eius, & ex ossibus eius? Quidam dicunt sanguinem & aquam: Sed non est. Sed sicut ille absque coitu factus est ex Spiritu Sancto, nos quoq; hoc fimus in lauacro.* Theodoretus, *Sicut n. Eua ex Adam facta est, ita nos ex Christo Domino. Cum eo n. in Baptismo consepelimur, & vna cum eo resurgimus, & corpus eius comedimus, & sanguinem bibimus.* Theophylactus, *Ex illius carne constamus & ossib. quia vt ille ex Spiritu, & nullo congressu progenitus est, sic ipsi in regenerationis lauacro, vtcunq; sumus mysteriorum participes: per Baptismum namq; confestim iterato creamur.*

XVII. Addo: Qui per fidem fiunt Christo concorpores, iidem sunt membra corporis eius: At qui per fidem fiunt concorpores Christo, non participant corporaliter carnem & sanguinem Christi: Ergo qui fiunt membra corporis eius, non semper corporaliter participant carnem & sanguinem Christi. Patet secunda propositio consensu Papistarum. Primam probat Theophylacti testimonium in Io.15. Πάντα ἄνθρωπον, τὸν διὰ τῆς πίστεως μέρος γενόμενον τῆς ῥίζης καὶ ἑνωθέντα τῷ κυρίῳ σύσσωμον αὐτοῦ γενόμενον, δεῖ καὶ καρπὸν φέρειν, *Omnem hominem, qui per fidem factus sit pars radicis, & vnitus Domino, eique concorpor, oportet fructum ferre.* En tibi hominem Christo concorporem per fidem.

XVIII. Tertio, si hæc Pauli verba mystica sunt, spiritualiterque intelligenda, ergo non corporaliter, & proprie. Consequentia negari non potest. Antecedens probatur. Ambrosius, *Hoc spiritualiter intelligendum est. In eo enim dixit nos esse membra eius: quia caput est ipse totius Ecclesiæ: vt quia per ipsum esse cœpimus, caput nostrum dicatur: quasi ex quo omne corpus subsistat, vt membra eius omnis spiritualis creatura sit, si tamen in nomine eius genu flectat.* Audis spiritualiter. Quomodo? Salmero *Veteres Theologi Latini Græcos imitati spiritualem sensum interdum illum appellant, qui alias dicitur tropicus, vel metaphoricus, aut figuratus, qui tamen re vera literalis est, non mysticus.* Iustinianus, *Ambrosius tropum & figuram agnoscit: Hoc enim, inquit, spiritualiter intelligendum est: quem dicendi modum plerique Veterum sequuti sunt, qui sensum metaphoricum, quamuis proprium at literalem, mysticum seu spiritualem appellare solent.* Manifesta est igitur mens Ambrosij: hæc quæ Paulus dixit de membris corporis Christi ex carne & ossibus, esse metaphorice intelligenda. Quæris in eo testimonio quantum sit momenti? Respondebit Iustinianus, qui cum obseruasset Hieronymum propriam significationem probasse; rationibus aliquot oppositis concludit, *Prior itaque interpretatio* (Ambrosij) *quæ est Græcorum, planior videtur, & simplicior.* Subiicit, *Cum Hieronymo tamen sensit olim Irenæus.* Sed rursus, *Vix credo hanc qualemcunq; explicationem* (Irenæi) *huic loco, & Apostolico proposito aptari posse.*

XIX. Probat tamen ille maiorem: quia vnio illa nostri cum Christo comparetur matrimonio nõ cuilibet, sed Euæ cum Adamo. Huius autem gemina ratio fuerit: vna in origine, per quam Eua fuerit ex Adamo desumpta: altera in corporum commixtione. Argumentum: Vt Eua ab Adamo carnem suscepit ad suæ carnis formationem: ita nos ad reformationem decet à Christo carnem mutuari. At Eua non tantum spirituali contactu

carnis Adami formata est, aut ad eam peruenit tantum spiritualis nescio quis influxus: neque propter fidem aut per eam aliquam desumptam perfectionem, sine carnis substantia potuit haberi & reputari os & caro de ossibus ac carne Adami.

XX. Sed primum: vnde habet comparationem fieri tantum cum matrimonio illo primo Adami & Euæ? Nā si hoc verum: ergo non quosuis cōiugatos Paulus alloquitur, aut ridicule alloquitur. Nā in quib. non sint eædē causæ hos ridiculū est hortari argumento ducto ab iis causis. Atqui eæ causæ non sunt in vllis coniugatis præter Adamum & Euā. Et tamen Apostolus quoslibet coniugatos hortatur. Quid ergo? Ridiculumne malimus esse Paulum, vt Papistis gratificemur? & horum ἀκρασίαν adorare, quam illius ἔνθεα παραγγέλματα venerari? Papistæ faciant, bruta pecora: & prona in somnia. Nos aliter quibus os sublime datum, cœlumque tueri iussum.

XXI. Præterea condonetur etiam ab illo solo coniugio ductam esse comparationem. Quid tum? Scilic. illud egregium acumen est: sicut Eua ab Adamo carnem suscepit: ita nos à Christo. Quam carnem, Deus bone? Illamne qua constat natura humana? Monstrum somnij. Nam contra non nos à Christo, sed Christus à nobis carnem suscepit. Theophylactus: *In ea forma, qua & visus & cognitus est, carnis nostræ & sanguinis particeps fuit.* Scilic. à Christo Maria suam habuit: potius quam à Maria Christus. Quid multo opus? Nam ipsum se sua absurditate commentum prodit: Sumus corporei per carnem: non per carnem sumus Christiani: & ante sumus corporei, quam Christiani: multi etiam pergunt esse corporei, postquam desierunt esse Christiani. Nec vero vnquam mihi persuaserim hanc carnem cogitatam à Sanctesio: etsi mereatur eius in disputando inhumanitas, vt nihil humani à nobis speret.

XXII. Sed hac omissa carne: quam illi quæso mentem fuisse dicemus? Vt Eua sumpsit ab Adamo carnem ad formationem, sic nos ad reformationē à Christo. Atqui, ô bone, Eua sumpsit carnem, qua subsisteret post formationem. Cui vnquam Theologo dictum nos parte subsistere, qua reformamur? Nisi forte reformationem nouo more dicat resurrectionem. Absurde. Quæ n. per resurrectionem caro reformatur, ea est, quam habuimus non à Christo, sed à parentib. Tum a. de resurrectione nullus hic Apostolo sermo, sed de præsenti fomento Ecclesiæ.

XXIII. Denique condonato catachresin importunissimam: & quod nunquam hactenus factum, dato id quod in nobis Christus efficit reformando, carnem dici. At certe reformatio, renouatio est. Renouatio autem mentis, teste Paulo ad Ephes. 4. *Renouari spiritu mentis vestræ.* Quid ergo? Ludit nos Sophista vocabuli sono inani. Nam hæc caro, si carnem placet abusiue dicere, non caro est: sed spiritus mentis. Atqui spiritus mentis non renouatur corporaliter: nihilo certe magis quam caro generatur spirituali ter. Itaque manifeste absurda consequentia: vt alias sæpe obseruauimus, abuti Sophistas comparationib. quasi infinitæ essent æqualitatis.

XXIV. Secundum caput erat propositum. Comparatio parium coniunctionum: Ergo Veteres, inquit, illam vnionem nostri cum Christo conferunt, cum vnitate quam habet Filius Dei cum Patre; & cum vnitate quam habet humana natura in Christo cum Diuinitate. Catholici enim & Ariani consentiebant eadem vnitate, licet impari, Patrem & Filium vnum dici, qua nos cum Christo vnum censeremur. At Arriani subiungebant cum Christo solius voluntatis, fidei, & caritatis spiritali vinculo nos consociari: ac proinde non aliam vnitatem in Patre & Filio conquirendam. Catholici retorquent responsum in autores, grauissimeque disputant in nobis manere Christum corporaliter, carnaliter, naturaliter, secundum veritatem naturæ, & carnis: vti nos in ipso manemus eodem pacto per eius incarnationem, quia scribitur, Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: Ita vt oporteat eius carnem nostræ conglutinari, sicut nostra caro eius diuinitati conglutinatur: & ex eo sequi, non solam spiritalem vnitatem inter eius naturam & Patris, sed realem, naturalem, substantialem. Cyrillus quoque testatur Christum secundum carnem vitem esse, & nos palmites secundum eandem: vt ita carnaliter ab ipso pendeamus, & ipsius carni adhæreamus. Quapropter nec vera incarnatio Christi & realis, nec vnio Patris & Filij in substantia defendi inuicte potest, quin prius stabiliatur corporalis nostra cum Christi carne coniunctio. Vis argumenti. Similis est vnio nostri cum Christo, vnioni Filij cum Patre: & vnioni Diuinitatis cum humanitate in Christo: At hæ sunt substantiales, & naturales: Ergo & illa.

XXV. Respondeo negari consequentiam: cuius nullum aliud fundamentum sit, quam id quod iam diximus de abusu comparationum. Vt si dicam; similes sunt Angeli Sanctis in resurrectione. At Sancti in resurrectione habebunt vera corpora: Ergo Angeli in resurrectione habebunt vera corpora. Prima propositio constat ex reciprocatione. Nam si Sancti futuri sunt similes Angelis: Ergo & Angeli Sanctis. Altera patet ex resurrectionis veritate. Et tamen conclusio est absurda. Quid est? Nimirum vitiosa syllogismi forma aliud concludens quam oportuit. Fuit enim dicendum: Ergo Angeli futuri sunt similes Sanctis qui habituri sunt vera corpora. Eadem hic ratio est. Similis est vnio nostri cum Christo, vtrique illi vnioni & Patris cum Filio: & humanitatis cum Deitate. Nihil verius. At hæ vniones sunt substantiales & naturales. Anathema negantib. Ergo nostra vnio est substantialis, & naturalis. Inepte dictum: Nam oportuit, ergo nostra vnio cum Christo est similis vnioni substantiali & naturali.

XXVI. Quanquam non memini legisse vnionem nostri cum Christo comparatam, à quoquam vnioni naturarum in Christo. Neque vero vllos è Patrib. locos recitauit aut Sanctesius, aut quisquam alius in eam rem. Comparatam video vnioni Filij cum Patre, qua de re multa verba sunt Hilarij & Cyrilli Alexandrini; sed non debuit hac occasione Sanctesius vnionem hypostaticam nominare.

XXVII. Fateor dictum Patribus, vnionem nostram cum Christo esse naturalem: forte etiam substantialem, quanquam id vocabuli non legam. Fateor dictum, corporaliter in nobis manere Christum. Fateor iis phrasibus probandis argumentum sumi à manducatione corporis & sanguinis Christi, etiam in Eucharistia. Sed eas phrases nego similes esse phrasibus nostrorum Papistarum, aut dissimiles nostræ confessioni. Clarius, nego significare modum vllum corporalem, vnionis nostræ cum Christo: sed tantum veritatem humanæ naturæ, per quam Christo copulamur: quamque manducemus in Eucharistia. Quomodo videlicet nos profitemur Christum ipsum totum secundum substantiam humanam nobis dari, a nobis accipi: Quanquam eius donationis modus non sit corporalis. Mentitur n. Sanctesius ad eam vnitatem tria exigi, carnem nostram quæ coniungatur, carnem Christi cui coniungamur, & coniunctionem ac contactum vtriusque corporalem: Nam hoc tertium nusquam leges apud Veteres. Sed hæc omnia per partes explicanda differimus in caput proximum, cum de Patrib. agetur ex professo.

XXVIII. Sequebantur disputationis promissa capita: tertium de similitudinib. quartum de distinctione coniunctionum, quintum de verbis propriis & exquisitis: sextum de confutatione solius spiritalis vnionis, septimū de capacitate carnis nostræ. Sed hæc tota occupantur in autoritatib. Veterum, quib. proprius locus assignatus est: ita his dilatis, octauum superest de causis, fine, & necessitate vnionis corporalis: quæ tamen satis indistincte tractantur: vt & priora capita. Expedienda tamen, vtcunque se habeant.

XXIX. Primo, inquit, docemur à Scriptura ita omnes in Christo viuificari, sicut in Adamo moriuntur: quod argumentum Tertullianus appellat non ex diuersitate, sed ex parilitate. Homines itaque viuificari carne oportet in Christo, sicut in Adamo moriuntur. Considerandum vero restat, quomodo carne in Adamo moriamur, vt hoc exemplo discamus, quomodo in Christo carne viuificemur. Non obimus mortem ex Adamo, quia credamus ab illo nostri corporis fluxisse substantiam: sed potius quod reuera ex eo transfundatur & propagetur caro nostra: vt efficiamur os ex ossibus eius, caro de carne. Itaque vt similitudini & relinquatur locus, in Christo non viuificabimur nisi re vera, & non credendo duntaxat eius substantia nostræ carni admisceatur, vt reddamur os ex ossibus, & caro de carne.

XXX. Perpetuus morbus à comparationibus κατά τι ad absolutam parilitatem. Quid his facias Sophistis, tam desperate ægrotantibus, & sine intermissione: vel potius insanientibus, nec per dilucida interualla? Atqui parilitati renuntiat ipse: ne nobis procul sit abeundum. Non enim dixit Adami substantiam nostræ admixtam: quod tamen de Christo dixit. Nec dixit, ex Christo transfundi, propagarique carnem nostram: quod dixit de Adamo. Quærit aliquis dissimilitudinem? Videlicet per propagationem sumitur ab Adamo initium essendi nobis: at non ab admixtione Christi: nos enim oportet prius existere quam misceri Christo. Et cum tu Sanctesi, tam manifeste diffidas tuæ parilitati, ausus es sperare, nos ei tantum delaturos, quantum volueris? Atqui qui petit timide, docet negare.

XXXI. Nego igitur aut è Scriptura, aut è Patribus constare, nos eodem prorsus modo viuificari per Christum, quo sumus occisi ab Adamo. Sed tantum, quatenus similitudo est inter causas & effecta: per efficaciam communem: Nempe vt Adamus causa fuerit mortis; Christus vero viuificationis. Quæ similitudo obstare non potest, quominus dissimiles sint rationes operandi. Vis scire? Ipsum aduoco testem, *Non viuificabimur*, inquit, *in Christo, nisi re vera eius substantia nostræ carni admisceatur.* Esto. Sed quomodo admisceatur? Corporaliterne? Atqui id negas fieri nisi in communione Eucharistiæ. Quare inquam, si sine Eucharistia nemini caro Christi admiscetur: Et sine hac mistione, viuificatur nemo: profecto sine communione Eucharistiæ nemo viuificabitur. Placetne? Etiā infantes baptizatos non viuificari? Sed & Eucharistiæ communionem esse itidem necessariam ad salutem, vt Baptismum? Nam hoc soletis negare Papistæ. Quod si vobis nunc constetis, debetis fateri aliquos viuificari, absque communione Eucharistiæ: ac proinde absque ea corporali mistione carnis Christi. Non igitur omnes eodem prorsus modo viuificari à Christo, quo sunt occisi ab Adamo. Tu videris. Nos sane absque exceptione audimus omnes qui viuificentur, viuificari à Christo, vt occisi sunt ad Adamo. Et quia manifestum, in quibusdam nullam esse corporalem vnionem, qualem aduersarii volunt: negamus in hac comparatione vllam contineri conditionem eius corporalis vnionis.

XXXII. Secundo, Sanctesius disputat à spe resurrectionis. Hanc impossibilem esse, nisi prius caro nostra carne Christi viuifica imbuatur ac perfundatur, atque ita vim habeat in se habitantem. Quoniam fieri nequeat vt hoc corpus nostrum, omni corruptioni obnoxium ex sua natura, vitam immortalem producat: ob idque sit necessarium carne fermentari, & ad vitam excitari. Sic Cyrillum dicere, *Audis aperte clamantem non habituros vitam, nisi sanguinem eius biberimus, & carnem manducauerimus. In vobis dicit, id est, in corpore vestro.* Syllogismus. Quæcunque caro resurrectura est: hanc oportet habere in suo corpore vitam habitantem: At qui non corporaliter edit carnem, & bibit sanguinem Christi, non habet in suo corpore vitam habitantem: Ergo quæ caro non corporaliter edit carnem, & bibit sanguinem Christi, nulla resurrectura est.

XXXIII. Respondeo negari assumptum. Nam carnem resurrecturam dupliciter: vel ad mortem æternam, vel ad vitam æternam: Quæ ad mortem, illa caro nulla indiget communione carnis Christi: alioquin præter Christianos nemo esse resurrecturus; quod est alienum à fide Catholica. Nam profecto Iudæi, Turcæ, Ethnici: neque spiritualiter, neque corporaliter communicant carni & sanguini Christi. Non corporaliter, quia nulla apud eos celebratio Eucharistiæ. Non spiritualiter, quoniam fidem nullam habent. Rursus infantib. Christianis aut necessaria esset Eucharistia, vt olim nonnullis creditum: aut nulla futura resurrectio. Quod vtrumque absurdum est, & contra fidem Catholicam.

XXXIV. Iam ad vitam suscitanda caro est omnium fidelium. At fidelibus non contingit tamen corporalis communio carnis Christi: siue nullis, vt docent Catholici, siue saltem non omnibus, vt fatentur Papistæ. Inde necessaria ratiocinatio. Omnis caro suscitanda in vitam æternam habet in se vitam: At aliqua caro suscitanda in vitam æternam, non communicat corporaliter carni Christi: Ergo aliqua caro non corporaliter communicans carni Christi, habet in se vitam: contra quam Sanctesius assumebat.

XXXV. Et sane Christi verba sunt in priori parte cōcionis, *Amen, amē dico vobis, qui credit in me habet vitā æternā.* Et, *Panis ille Dei is est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* Item, *Hæc est voluntas eius, qui misit me, v*

omnis

omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: ego vero suscitabo eum vltimo illo die. Quæ omnia vel cum ipsi Papistæ cogantur intelligere de spirituali manducatione: omnino necesse est confiteri eam carnem quæ spiritualiter ederit carnem Christi, habere in se, id est, in suo corpore vitam.

XXXVI. Instat Sanctesius; Omnium corpora vitam receptura. Sed resurrectionis nostræ, immutationisque triplicem causam dari in Scripturis: Dei potentiam: Spiritus Sancti virtutem: de qua dictum ad Rom. 8. *Qui suscitauit Iesum à mortuis, suscitabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem eius spiritum in vobis.* Denique carnem Christi susceptam, & carni nostræ per Eucharistiam infusam. Itaque, negat se spem gloriosæ resurrectionis adimere ijs, qui ex legitima excusatione sine esu corporali carnis Christi mortem oppetierint in fide Iesu Christi, modo alijs non fuerint destituti necessarijs. Sed negare perfectissimam & intimam causam resurrectionis vllos assequutos, nisi quibus accesserit Christi caro, cuius immortalitate mortua caro nostra ad parem immortalitatem restauretur, & quasi quodam fermento nostra massa corrupta augeatur, vt omnia disponantur suauiter, & in primum innocentiæ atque incorruptionis statum reparetur homo, vt spiritus eius spiritu Christi, eiusque carne hominis caro suũ consequatur finem.

XXXVII. Hæc ille & nonnulla alia, verbis turgida, re inania. Nam primo non confirmat assumptionem suam: quod inprimis oportuit. Neq; enim tantum illi in Theologia regnum, vt liceat pro autoritate edicere, neminem habere in se vitam, absque corporali illa manducatione. Hoc igitur ille probandũ neglexit: tantum soluere laborauit obiectiones nostras. Imo non laborauit: sed αὐτοκρατορικῶς edixit, non obtineri perfectam causam, de qua tamen nihil erat in argumento.

XXXVIII. Sed hæc ipsa solutio cuiusmodi est? Tres esse causas resurrectionis, & in ijs tertiam, corporalem manducationem. Quid hoc ad rem? Nempe, ait, perfecta causa absque ista non habetur. Hoc qui dictum sit inquiramus. Interrogo igitur, quomodo tres sint, integrales'ne, vt singulæ resurrectionem efficiant per se: an partiales, vt nisi concurrant omnes nihil efficiant? Si dicat integrales: confirmat iure à nobis minorem negari. Non essent enim integrales, si non per se singulæ efficerent: At si efficiunt singulæ: Ergo resurrectio constat interdum absque tertia, ac proinde etiã vita in carne resurrectura. Sin partiales malit, ergo sequeretur nullam earum præstare resurrectionem, quod est falsum: quia saltem sine corporali ista manducatione: ne ipso quidem diffitente Sanctesio, eos resurrecturos qui alijs non fuerint destituti necessarijs, etsi mortem oppetierint absque illa manducatione.

XXXIX. At saltem, inquit, non habent perfectam causam. Quid hoc rursus est? Nam si sunt integrales causæ, id est, singulæ per se & seorsim efficientes, necesse est esse perfectas. Sin sunt partiales, quomodo vna sola perfecta est? Nullæ enim partiales sunt perfectæ. Nisi forte eam dicas perfectã quæ reliquas perficiat, id est, quæ vltima detur cæteris omnibus iam positis ita tamen vt non efficiant illæ, nisi hac postrema accedente. Quod genus perfectionis hîc locum habere nõ potest, geminam ob causam. Vnam, quia manducatio corporalis, non semper præsupponat reliquas causas, nisi mẽdaces sint Papistæ, qui concedunt manducari posse carnem Christi corporaliter absq; spiritu, vnde etiam negant efficacem esse. Alteram, quia sine ista, reliquas concedunt esse efficaces. Neq; enim vel Sanctesius ausus negare, constitisse resurrectionem, tum Patribus in Veteri Testamento, tum alijs in Nouo, quibus non obstitit Sacramenti priuatio.

XL. Sed erat, inquit, imperfecta causa. Ergo, inquam, imperfectum quid efficiebat: quomodo imperfectus calor, imperfecte segetes coquit: quomodo imperfecta vis ciborum, imperfecte nutrit. Iam vero in hoc argumento quid agunt imperfecte causæ illæ? Resurrectionem ne ipsam, an in resurrectione vitam æternam? Neutrum credunt Catholici. Contrane somniatum Papistis? Nondum audiui: nec ausus Sanctesius imperfectionis attingere rationem. Nec Catholici vllam expresserunt. Quare quod tam confidenter dixit Sophista, non habuisse perfectam causam, dixit a se, dixit audacter, dixit inepte.

XLI. Pro tertia causa corporalis vnionis cum Christo profert abundantiam caritatis Christi in nobis, per quam verbum caro fieri, & corporaliter habitare in nobis non tantum voluit, sed permanere nobiscũ decreuit non contentus nobiscum communicasse carni & sanguini, & per mortem destruxisse eum qui habebat imperium mortis, id est, Diabolum, omniaq; nostri causa gessisse, atque omnia nobis & seipsum multis modis spiritalibus ac naturalibus dedisse, omnesq; creaturas in alimentum nostrum creasse. Quod solum reliquum erat ad amoris effusionem, suamet carne totã totam carnem nostram alere instituit, adeoque intime nobiscum manere & coniungi, vt intra nos penetret, ac se insinuet, commisceatque corporaliter quæ dilectionis vehementia matrum omnium ac parentum caritatem omnem superat

XLII. Scilicet hæc argumentatio est! Scilicet hæc est confundendorũ hæreticorum ratio! Hæc scilicet Papistica soliditas! Thesis erat: Vtrum comedenda sit corporaliter caro Christi. Affirmationi probandæ assumitur perfectio amoris & caritatis Christi erga nos. Quis erat qui deficienti Sanctesio succurrat, & formam explicet argumenti, cui se imparem sensit ille? Repetamus orationis seriem, partes expendamus. Communicauit Christus carni & sanguini, per carnem destruxit Diabolum? dedit ipse nobis multis modis spiritualibus & naturalibus, & omnia & seipsum: omnes creaturas in vsum nostrum creauit. Docte, bene, verissime. Quid tum? Non fuit istis contentus Christus. Quid ergo amplius? Sua carne tota totam nostram carnem voluit alere, & intime nobiscum manere, sese nobis corporaliter commiscere. Quid hoc est, Sophista? Vllane conclusio ex antecedentibus? Qua arte? quibus medijs? An potius temeraria asseueratio: eius qui quid dicat satagit, magis quam qua dicat ratione? Scilicet tibi nos credituri sumus nunc declamanti, potius quam prius asserenti.

XLIII. Audi Sophista. Nobis certum, intime Christum voluisse in nobis manere. Nec tu docuisti, ne glorieris, docuit Christus ipse Ioan. 10. *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manebimus.* Sexto, *Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Anathema ergo contradicenti. Sed voluisse carnem nostram sua carne alere corporaliter: voluisse sese nobis commiscere corporaliter, nullus dixit Christus, tu dixisti Sophista. Quis, aut quantus? Caue speres hæc nobis æquè cum illis persuadenda.

XLIV. Et facile est portenta imaginationis arguere. Nutrire nostrã corpora. Qui? corporaliter? nam hoc agimus. Et tu indigneris tibi obijci Thyesteam cœnam, Cyclopicas dapes? Quasi nunquam sit dictum cibum esse mentis non ventris: frustra parari dentes & ventrem, & alia quæ paulò post occurrent. Vniri & miscere corporaliter æque falsum: Si enim vniretur, misceretur ve, etiam maneret: At non maneret corporaliter, vel vobis profitentibus Papistis, qui non nisi momentum temporis huic conceditis mixtioni, hoc est, quandiu species non alterantur.

XLV. Quartam causam corporalis manducationis concepit in hunc modum. Nos omnes in vnum corpus voluit coaceruare, non tantum spiritualiter. Et is effectus est carnalis coadunationis omnium nostrũm cum Christo.

XLVI. Voluit nos omnes coaceruare in vnum corpus. Rectè sanè. Sed corpus quale? Mysticum. Sic enim omnes Patres appellant. Itaque absurdissime dictum, In vnum corpus coaceruare, non tantum spiritualiter. Quasi mystici corporis alia possit esse ratio quam mystica, siue spiritualis. Apparet absurditas, quia nec omnes sunt vnum corpus, qui Sacramentaliter communicant: Nam multi ponunt obicem, vt loquuntur Sophistæ, nec omnes Sacramentaliter communicant, qui sunt vnum in Christo corpus, vt qui baptizati decesserint, teste Augustino.

CAP. IX.

De Patribus.

I. TRanseo ad Patrum dicta. In quibus Areopagitam cur primum omnium Sanctesius collocarit, equidem non video. Cap. 3. Hierarchiæ Ecclesiast. in Theoria, δοκεῖ γάρ μοι τῶν ὑμνουμένων ἁπασῶν θεουργιῶν πραγματεία περὶ ἡμᾶς γεγονέναι. *Videtur mihi omnium quæ laudantur à nobis diuinorum operum ac munerum ratio in nos extitisse.* Et paulo post, κατιδοῦσα δὲ τὴν ἐγγινομένην ἡμῖν ἐρημίαν τῶν θείων δωρεῶν ἐπισκευάζουσιν ἡμᾶς ἀγαθοῖς εἰς τὸ ἀρχαῖον, καὶ ἐκκαλεῖσθαι ἐν τῇ παντελεῖ τῶν ἡμετέρων προσλήψει, τὴν τελειοτάτην τῶν οἰκείων διάδοσιν ἀγαθουργῆσαι, καὶ ταύτῃ κοινωνίαν ἡμῖν θείων καὶ τῶν θείων δωρήσασθαι. *Contemplata autem, præ negligentia destitutos donis cœlestibus, acquisitis nos bonis in pristinum statum reuocasse, ac nostris omnibus assumptis, perfectissimam suorum distributionem perfecisse, eaq; distributione Dei nobis, diuinorumq; communionem donasse.* Hæc Dionysius, cuius mentem placuit facilius exprimere, quam hactenus ab interpretibus sit factum.

II. Ego vero me fateor nihil hic videre, quod ad istam faciat corporalem Christi siue manducationem, siue communionem, nec vero etiam dignatus Sanctesius est saltem indicare: Hoc clarum non agere peculiariter de Eucharistia: sed de tota hymnologia Catholica, ea nimirum quæ celebrat in vniuersum beneficia in nos à Deo collata, περιεκτικὴ τῶν εἰς θεόθεν ἀφιγμένων ἱερῶν δώρων. Itaque exprimitur ἁπασῶν θεουργιῶν πραγματεία: quam rationem diuinorum operum dixit editio postrema Parisiensis Petri Lanselij Iesuitæ, aliæ aliter, sed manifestum significare potentiam diuinam exserentem se in suis operationibus salutaribus, vt nihil sit peculiare Eucharistiæ, magis quam Baptismo: aut etiam reliquis partibus Christianæ vocationis. Πρόσληψις παντελὴς τῶν ἡμετέρων, Incarnatio est, siue vt exponit Pachymeres, τελεία ἐνανθρώπησις. Τῶν οἰκείων ἀνάδοσις, designat quæcunque iure sunt Christo propria bona, nobis communicari, quod sane fit etiam sine Eucharistia, ac proinde aliter quam per corporalem manducationem.

III. In reliquis plurimi sunt testes: Nos corpus Christi sumere, carnẽ manducare, sanguinem bibere. Et quidem vere. Vt Andreas in libro passionis inducitur, loquens de Agno immaculato. *Qui cum sit vere sacrificatus, & vere populo carnes eius manducatæ, integer perseuerat & viuus.* Origenes homilia 5. in diuersa loca Euangelij, *Quando sanctum cibum, illudq; incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus, & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.* Concilium Nicenum primum, *Intelligamus pretiosum ipsius corpus & sanguinem* ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς, *vere nos accipientes credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola.* Ephrem in de Natura Dei minime scrutanda cap. 5. *Esto fidelis atq; innocens, participa immaculato, corpori Domini tui fide plenissima, certus quod agnum ipsum integrum comedis.* Iterum. *Hoc sane excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemq; sermonem, quod fecit nobis vnigenitus Filius Christus Saluator noster. Ignem & spiritum manducandum ac bibendum præstitit nobis, corpus scilicet, & sanguinem suum.* Chrysostomus homil. 60. ad populum Antiochenum, *Cogita quali sis insignitus honore, qua mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt, neq; libere audent intueri, propter emicantem splendorem, hoc nos pascimur huic nos vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus & vna caro.* Nazianzenus oratione 2. de Paschate, *Absq; confusione, & dubio comede corpus, & sanguinem bibe, si saltem vitæ desiderio teneris, neq; sermonibus qui de carne habentur fidem deneges, neq; ob passionem offendaris. Constans esto, firmus, & stabilis, in nulla re propter aduersariorum sermones fluctues.*

IV. Infinita reperias apud Patres huius generis dicta, singulis, vt ita dicam, paginis obuia. Sed ab ijs quid sperare possunt emolumenti Sophistæ? Constat enim geminam distingui rationem sumendi Christi, id est, manducandi corporis, & bibendi sanguinis, vnam corporalem, alteram spiritualem. Quid ergo? Nempe Sophistica illatio est à posito genere ad positam speciem. Est animal; ergo est homo. Nos sane negamus vllam esse corporalem manducationem. Sed aduersarij non potuerunt similiter negare vllam esse spiritualem. Nobis ergo legitima causa irridendi conclusionem. Illis nulla satis firma ratio stabiliendæ consequentiæ.

V. Sed *Vere*, ait Bellarminus in Andrea, excludit manducationem in solo signo, aut spiritu. Atqui, inquam, manducatio in spiritu, non est in solo signo. Hæc enim phrasis designat nihil comedi præter signum, quod

certe non nisi corporaliter manducatur. Itaque manducatio in spiritu non pertinet eo, nisi per aliud, videlicet quatenus ad corporalem manducationem accedit fides, per quam spiritualis conficitur. Esto sane igitur verum, per phrasin illam, vere manducandi carnes agni, excludi manducationem in solo signo: Sed excludi manducationem in spiritu, quæ frons potuit asserere? An quia quod fit in spiritu, non fiat vere: Caue dixeris. Nam Filius nullo modo dixit mendaciter, *Pater meus dat vobis panem illum vere cœlestem*: cum tamen, testibus Papistis, excluderet omnino manducationem in signo: Neque enim patiuntur Papistæ hæc verba in priore parte cõcionis Christi, intelligi de Eucharistia, sed de sola spirituali manducatione. Quid autem est, Τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀληθινὸν, *Panem de cœlo verum* nisi eum qui detur è cœlo ad verè comedendum? Est enim inde ducta metaphora. Quare velint nolint Sophistæ; necesse est Christum spiritualiter manducatum, vere manducari.

VI. In Origene: non possunt, inquit, ista dici nisi de veto corpore Domini, quod vere ore corporis accipiatur. Nam, si loqueretur, ait, de corpore Domini per metonymiam, id est, de pane significante corpus Christi, non vocaret incorruptum epulum, non ei dici vellet, *Domine non sum dignus*: Si vero loqueretur de ipso Christo per panem significato, qui per fidem accipitur: non diceret, *Vbi indigne ingreditur, vbi ad iudicium ingreditur accipienti*: quod enim ab impijs accipitur, non est nisi externum symbolum.

VII. Respondeo, ista dici de veris speciebus externis, quę vere accipiuntur ore corporis, sed relate ad verum corpus Christi. Quemadmodum alia plurima, vt cum dixit Chrysostomus, *Ipsum vides, ipsum tangis, lingua rubescit sanguine.* Cum item plerisque dicitur frangi corpus. Nam consentiũt aduersarij horum nihil competere ipsi corpori Christi per se, sed speciebus externis. Et ipse Chrysostomus, rem istam negat sensib. iudicandam, quib. solemus decipi. Quemadmodum igitur corpus Christi dicitur videri, & tangi, & frangi propter species, quæ ipsæ vere videntur, tanguntur, frangũtur: sic dico corpus Christi dici ingredi sub tectum nostrum, & indigne ingredi, etsi ipsum perse vere omnino non ingrediatur, sub tectum, id est, corpus nostrum, vel saltem non nisi spiritualiter.

VIII. In Ephrem. Dicit, inquit, mirabile, quod Angeli, in corpore assumpto manducarint cibos corporeos, sed mirabilius esse, quod nos homines corporei & lutei comeda mus ignem & spiritum, id est, corpus cœleste Christi. At nulla esset admirationis causa, si tantum in signo corpus Christi manducaremus: imo mirabilior multo fuisset illa Angelorum manducatio quam nostra sit.

IX. Contra potius manifestum est Ephrem habuisse in animo manducationem spiritualem: adeoq; eam describere paulo ante verba excepta à Bellarmino, *Fidei oculum qui possidet*, inquit, *manifeste ac lucide intuetur Dominum, & certa plenissimaq; fide sancti issimum agni immaculati, vnigeniti Filij cœlestis Patris corpus manducat, ac sanguinem bibit.* Itaque sensus est eius cõparationis, quam pro fundamento vrget Sophista, mirabile fuisse Angelos in terris manducasse cibos corporeos, sed mirabilius homines manducare corpus Christi. Nempe quia præter Angelorum sit spiritualem naturam edere corporaliter, & præter hominum naturam corporalem, edere spiritualiter. Nam quod illud, *in signo tantum*, repetit Sophista non vtilius. Me piget iterum interpretari.

X. Non alienus ab hoc ordine Cyprianus apud Sanctesium in Cœna, *Dixerat sane huius traditionis magister, quod nisi manducaremus eius carnem, & biberemus eius sanguinem, non haberemus vitam in nobis, spiritali nos instruens documento, & aperiens ad rem adeo abditam intellectum, vt sciremus quod mansio nostra in ipso sit manducatio, & potus: quasi quædam incorporatio subiectis obsequijs, voluntatib. iunctis, affectibus vnitis. Esus igitur carnis huius quædam auiditas est, & quoddam desiderium manendi in ipso, per quod sic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem caritatis, vt hæreat palato nostro, & viscerib. sapor dilectionis infusus, penetrans & imbuens omnes animæ corporisq; recessus.*

XI. In quibus verbis quid, quæso, est pro carnali manducatione? Imo quid non contra carnalem manducationem? Nam nos quidem speramus huic testi locum futurum inter nostros. Et sane, etsi plenioremtractationẽ differre oporteat, tamen nunc breuiter, quid est, *quod mansio nostra in ipso sit manducatio, & potus?* Atqui nulla mansio est corporis Christi oraliter manducati, paulo post recedentis, siue auolantis, cum primũ corruptæ sunt species. Sed &, *quasi quædam incorporatio*, manifestè tropicum olet, ne quis contactum corporum imaginetur, quem etiam prius negauerat. Præterea incorporationis ratio manifesta, *subiectis obsequijs, voluntatib. iunctis, affectibus vnitis*, quæ cuncta sunt animæ distinctæ a corpore. Quid hoc? *Esus carnis est quædam auiditas, & desiderium manendi in ipso?* Hæc scilicet auiditas est carnis, hoc desiderium corporis. Denique sapor dilectionis quomodo potest propriè hærere palato, & viscribus infundi? Quibus speratur persuadendum his notis describi corporalem manducationem?

XII. Sunt in speciem paulo vehementiora testimonia, quæ corporib. nostris, eorumue organis videntur corporis Christi communionem tribuere. Basilius 2. de Baptismo c. 2. *Si tales minæ aduersus eos positæ sunt, qui temere ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur, quid dicendum est de eo qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim maius aliquid is est templo secundum Domini vocem, tanto grauius & terribilius est in animæ impuritate constitutum corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes vel tauros.* Chrysostomus in Matthæum homil. 83 *O quot modo dicunt, vellem formam & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre! Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta eius desideras videre: ipse vero seipsum tibi tradit, non vt videas solum, verum etiam vt tangas, & in te habeas.* In Ioan. homil. 46. *Christus vt maiori nos adstringeret honore, & suum in nobis ostenderet desiderium, non se tantum videri permisit desiderantibus, sed & iungi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri.* Ad Neophytos, *Quum te egredientem post conuiuium dominicum viderit inimicus, post cœlestes epulas tanquam ignem leonis ore flammantem fugit & deserit, omni vento velocior, nec approximare contendit, & quum cruentam linguam tuam de longe ille crudelis perspexerit, mihi crede, non stabit, & quum os tuum senserit rutilare, gressum suum retro cum timore torquebit.*

XIII. Interdum nocent nimis expressa, vt nunc Papistis, qui si contenti fuissent solis præsentiæ, aut manducationis vocabulis, potuissent vtcunque latere: & ex ijs latebris negotium facessere Catholicis. Sed cum corradunt, quæcunq; quomodocunque dicta legunt, supra fidem dicta, efficiunt, vt sibi minus credatur. Quid enim hoc est argumentorum? Continere corpus Christi: ipsum videre, ipsum tangere, dentes infigere eius carni, ignem leonis ore flammare, linguam cruentare, os rutilare. Hæc omnia Patrib. dicta: Ergo, aiunt, propriè & corporaliter editur corpus Christi, proprie & corporaliter bibitur eius sanguis. Itane? Aft ego contra. Me vide: Vide quam me confidentem res ipsa faciat. Hæc omnia Patribus dicta: Ergo nec propriè nec corporaliter editur corpus, bibitur sanguis Christi. Vin causam scire? Quia illorum nihil est, quod fiat propriè, aut corporaliter. Itaque quo sunt vehementiora: quo sunt ardentius dicta, hoc magis figuram redolent, improprietatem ipsa suam produnt.

XIV. Contingere. Nempe corporaliter. Mentitur ergo Cyprianus de Cœna Domini, *Nostra & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates.* Certe si cõtactus est corporeus, oportet vniri substantias, non enim potest aliter vel fieri, vel etiam animo concipi. Biel lect. 81. *Sanguis ille, vt in Sacramento nullum corpus potest humectare, vel tingere, sed neq; ab aliquo corpore tangi.*

XV. Ipsum videri. Imo ipse Chrysostomus eadem ipsa homilia in Matthæum 83. οὐδὲν αἰσθητὸν παρέδωκεν ἡμῖν ὁ Χριστός. ἀλλ' αἰσθητοῖς μὲν πράγμασι, πάντα δὲ νοητά, *nihil sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus quidem sensibilibus, omnia vero quæ tradidit intelligibilia sunt.* εἰ μὲν γὰρ ἀσώματος ἦς γυνὴ καὶ αὐτὰ σοὶ τὰ ἀσώματα παρέδωκε δῶρα, ἐπεὶ δὲ σώματι συμπέπλεκται ἡ ψυχὴ, σοὶ αἰσθητοῖς τὰ νοητὰ σοι παραδίδωσι, *Si tu incorporeus esses, nude ipsa dona incorporea tradidisset tibi: quoniam vero corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* Atqui, inquam, quicquid est propriè & corporaliter visibile, est etiam proprijssime sensibile, αἰσθητόν: Quis enim negat visum esse sensum?

XVI. Quid? Nonne in scholis celeberrima quæstio est, Vtrum corpus Christi prout est in hoc Sacramento videri possit? Thomas art. 7. quæst. 76. part. 3. disertus est, *Duplex est oculus scilicet corporalis proprie dictus, & intellectualis, qui per similitudinem dicitur. A nullo autem oculo corporali corpus Christi videri potest, prout est in hoc Sacramento.* Et argumentatur in eam partem & quidem ex supposito fundamento Transubstantiationis, *Primo quidem, quia corpus visibile per sua accidentia immutat medium. Accidentia autem corporis Christi sunt in hoc Sacramento mediante substantia, ita scilicet quod accidentia corporis Christi non habent immediatam habitudinem, neq; ad hoc Sacramentum, neq; ad corpora, quæ ipsum circumstant. Et ideo nõ possunt immutare medium, vt sic ab aliquo corporali oculo videri possint. Secundo, quia, vt supra dictum est, corpus Christi est in hoc Sacramento per modum substantiæ. Substantia autem in quantum huiusmodi non est visibilis oculo corporali: neq; subiacet alicui sensui, sed nec etiam imaginationi, seu soli intellectui, cuius obiectum est, quod quid est.* Vide Suarem disput. 53. sect. 4. Item Dominicum de Soto in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 7. Et in isto lege, *Quarta conclusio. Inter oculos corporales solus oculus Christi in Sacramento videt seipsum sub Sacramento existentem, non tamen videre potest modum essendi, quo est sub Sacramento, quod pertinet ad solum intellectum.*

XVII. Res est admodum notatu digna. Ipsum vides, inquit Chrysostomus, & quidem comparate. Sunt, ait, qui optent videre vestimenta, calceamenta Christi. Atqui hic ipse videtur: Ergo ipsum, quem dicit, intelligit ipsam personam Christi, atque hanc ipsissimam videri. Quomodo, Carnaliter, an spiritualiter? Nam spiritualiter nos quidem concedimus, quomodo Thomas dicebat esse obiectum intellectus. Aft aduersarij nunc omnia referunt ad corporalem modum, itaque tenentur explicare Chrysostomum, de oculo corporali, cuius tamen nullas hîc esse posse partes profitentur Scholastici.

XVIII. Cum autem dicunt non videri, prout est in hoc Sacramento, nihil habet difficultatis. Nimirum, quia persuasi sunt aliquando visum esse per miraculum, id est, alia ratione, quam quæ Sacramentalis sit. Quod si sic, ergo extra ordinem: vt si forte, semel, bis, ter, intra multa secula. Nam neque superstitiosissimi multa exempla annotarunt: At Chrysostomus nihil significat extraordinarium, sed familiare Sacramento. Patet ex phrasi, *Ipsum vides.* Alloquitur enim quemcunque Christianum præsentem celebrationi sacræ. Patet ex oppositione, multi vellent videre vestes, & calceamenta, at tu vides ipsum. Itaque fieri non potest, vt miraculosam aliquam visionem cogitarit.

XIX. Quid reliqua nunc dicam? Dentes infigi carni eius. Adde si velis Cyprianum in de Cœna, *Cruci hæremus, sanguinem fugimus, & intra ipsa redemptoris nostri vulnera figimus linguam*, adde ex eodem ibidem interius, & exterius rubricatos, & quæcunque possunt esse similia. Et vt dixi, quo magis hæc sunt vehementer dicta: tanto magis omnem fidem excedunt. Mitto illud de cruce, cuius, puto, nullæ partes sunt in Transubstantiatione, nisi per intellectum: nam sensus non nisi præsentium: At crucem quis corporaliter vnquam dixit præsentem in Eucharistia? Sed profecto rubedo ad accidentia pertinet sanguinis Christi. Atqui negant Papistæ vlla hîc esse sanguinis accidentia, sed duntaxat substantiam, & quidem per modum substantiæ. Non ergo verum rubefieri quem quam sanguine Christi, proprie & corporaliter. Biel lectione 81. *Sanguis ille vt in Sacramento nullum corpus potest humectare vel tingere.* Infigi linguam eius vulneribus proprie & corporaliter, quis vel audiens non statim horreat? Sed & impossibile est. Nam vulnera sunt accidentia corporis: At huc, vt dixi, nulla accidentia Papistæ admittunt. Quid? Interius rubricatos, quis vidit, quis videre potuit? Sed neque ignem leonis ore flammantem.

XX. Quid ergo? Mentitosne dicimus Veteres, viros sanctos? Minime gentium. Sed confidentissimos impostores Papistas, Illos vere dixisse contingi corpus Christi, & videri, & comedi, & in eius carnem dentes infigi, in vulnera linguam immitti, & si qua sunt similia. Istos ridi ulè interpretari mordicus ad literam, quæ dicta sunt non tantum μεταφορικῶς, sed etiam ὑπερβολικῶς. *Cruci hæremus*, inquit Cyprianus. Quomodo? Corporaliterne? Nouum monstrum, vt Transubstantiatio corporaliter præsentem crucem exhibeat. An per concomitantiam? Non puto, quandoquidem hæc earum rerum sit, quæ non diuulsæ, vt Deitas, corpus, anima. At nunc sane non negent, credo, tam procul distare crucem a corpore

pore Christi, quam ab vltimo cœlo, terram istam: At si non per concomitantiam, multo minus ex vi verborum. Quod si non sit realiter crux præsens, quomodo possumus in sacra communione cruci hærere proprie & corporaliter? Quod si hoc figuratum est, cur in eadem re tenemur reliqua, non nisi ex prima verborum notione accipere? Itaque consultissimum est, vt omnia mystice intelligantur, translatis à signi phrasi ad rem significatā. Imo & re significata hyperbolicè amplificata, vt plerunque fieri amat ab oratoribus Nam certe illa de cruce, de igne, de rubore, de vulneribus, manifestam amplificationem redolent hyperbolicam, cum eorum propriè nihil sit omnino, nihil esse possit.

XXI. Aduersantur serio Sophistæ. Et de Basilio Gardinerus. Concionabatur apud populum rudem, quem expediebat veritate instrui, non falli desultoria alternatione loquendi. Paulo post, cum obijcimus, Non contingi proprie corpus Christi, quod sensib. non adsit: Quid (ait) tu narras propriè? Quasi quia digitus ad carnem Christi non penetret, non dicatur contingere. An non dicimus propriè contigisse manu Regem, qui vestem qua corpus tum tegebatur contigit? Et propter corporis præsentiam læsisse maiestatem?

XXII. Apud populum rudem, ait. Quomodo, inquam, rudem? Scholasticæne ἐγκυκλοπαιδείας: an doctrinæ Sacramentariæ? Nam si huius, magnum mendacium. Etenim solebant Veteres omnino tacere apud huiusmodi imperitos. Quis enim illud non nouit Theodoreti Dialogo secundo, οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν, εἰκὸς γὰρ τινὰς ἀμυήτους παρεῖναι, *Non est aperto sermone vtendum. Fieri enim potest, vt adsint aliqui nondum mysterijs initiati.* Imo illud Areopagitæ initio Hierarchiæ Ecclesiasticæ, ἀλλ' ὅρα ὅπως οὐκ ἐξορχήσῃ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. εὐλαβηθήσῃ δέ, καὶ τὰ τοῦ κρυφίου θεοῦ τοῖς νοεροῖς καὶ ἀοράτοις γνώσεσι τιμήσεις, ἀμέθεκτα μὲν αὐτὰ καὶ ἄχραντα τοῖς ἀτελέσοις διατηρῶν. *Vide ne Sancta Sanctorum enunties: sed reuereberis ea potius, & quæ occulti Dei sunt cognitione mentis & animi in honore habebis ac pretio, ita tamen vt ea non tradas, & intacta nullo Sacramento initiatis conserues.* Itaque si ad tales sermo fuisset Basilio, ne ista quidem dixisset. Dixit autem: Ergo non ad imperitos mysteriorum, ὁ γὰρ μυηθείς, inquit Pachymerius initio Paraphraseos eius libri Dionysij, καὶ ἐντὸς γενόμενος τῆς ἁγίας σκηνῆς, ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ ὀφείλει θεωρεῖν τὰ τῆς πίστεως μετὰ πίστεως, *Qui est initiatus, ingressusque interiora tabernaculi, detecta facie debet contemplari quæ fidei sunt, cum fide.* Quare nulli debet esse dubium Basilio negotium fuisse cum non imperitis rei Sacramentariæ.

XXIII. Ergone cum imperitis humanioris literaturæ? Non eam inficias. Nam etsi Christianorum haud pauci sint etiam in vmbris Scholarum exerciti, tamen plerosque etiam ἀγεύστους huius eruditionis certum. Sed quid tum? Proptereane figuratis istis locutionibus abstinendum fuit Basilio? Quasi Cypriano, nemo propositus fuerit auditor præter Platonem, Aristotelem, Demosthenem. Et tamen ille cruci hærere, vulneribus infigere linguam dixit. Quid Chrysostomo? Cuiusmodi fuit auribus seruiendum, cum diceret carni dentes infigi, & ignem ore flammantem, & cruentam linguam? Quod si Cyprianum, si Chrysostomum non terruit hoc genus ἀπειροκαλίας, cur magis Basilium? Næ ita est; Sciuisse sanctos Patres suos post Baptismum, sufficienter eruditos, vt ne terrerentur figuratis locutionibus, aut etiam hyperbolicis. Sed nunc Sophistæ, immani suæ plebis stupore plebem metiuntur illorum temporum.

XXIV. Indignatur nos propterea negare tangi propriè corpus Christi, quod sensibus non adsit. Atqui eadem ratione negant Scholastici, etiam videri. Cur non nos bene tangi? Dominicus Soto in 4. distinct. 10. quæ. 1. art. 7. ex Tho. *Substantia quatenus substātia, non est sensibilis corporali sensu.* Quid ais? Estne tactus aliquis sensus corporeus: Et non nugantur! Non sunt impostores Papistæ: qui volunt corpus adesse tantum per modū substantiæ, & tamen esse sensibile corporali sensu. Imo sensibile tactu, quo nullus sensus est magis corporalis.

XXV. Sed propriè, ait, corpus regis tetigit, qui tamen vestem. Propriène? Quis iussit vnquam, Nam vsitate fateor: quia sunt quædam figuræ etiam vsitatissimæ. Sed propriè regem (id est, corpus regis) tangere, qui non nisi vestem: constanter nego. Nam Lucæ 8. mulier illa hæmorroissa dicitur tetigisse Christum. Sed propriè ne? Imo Matthæi 9. *Accedens à tergo tetigit fimbriam vestimenti illius. Dicebat enim apud se, Si solum tetigero vestimentum eius, liberabor.* Audin'? si solum tetigero vestimentum. Nonne sunt opposita tangere solum vestimentum, & tangere eum? Omnino si vtrumque proprie. Sed non, si alterutrum figuratè.

XXVI. Bellarminum contraxit Baptista. In Basilio corpus cōtingi, neque intelligi potest, reale corpus extra Eucharistiam: quia illud impij non sumunt: & tamen de his Basilius loquitur. Neque symbolum corporis, tum quia non maius esset crimen accedere ad hunc panem indigne, quam ad arietes vel tauros in Veteri Testamento: tum quod non posset esse par crimen eorum qui Christum interfecerunt, & qui sola symbola indigne tractarent: Ergo loquitur de corpore Christi in Eucharistia.

XXVII. Atqui primum conclusio non est contra nos, qui sponte fatemur eam puritatem adferendam ad communionem Eucharistiæ, quam Basilius imperat, & propter eam ipsam causam, nempe dignitatem corporis Christi. Tum autem quia scimus paulo prius mentionem factam μυσταγωγίας: cuius occasione facile inducimur in hanc quæstionem esse deuentum de legitima communione. Itaq; si nihil voluit aliud, non erat quòd sibi ramices rumperet. Veruntamen negamus eam conclusionem obstare, quominus mystica sit phrasis, comedere Christi corpus, itidem vt, videre, manducare, & aliæ iam indicatæ.

XXVIII. Et tamen argumentatio est. Nam si quia corpus reale extra Eucharistiam non recipiant impij, ideo necesse est Basilium non loqui de eo extra Eucharistiam. Eadem ratio apud nos firmissime concludet non loqui de reali corpore Christi in Eucharistia. Quoniam neque extra, neq; intra Eucharistiam comedatur ab infidelibus reale corpus Christi, quod paulo post sumus disputaturi.

XXIX. Ne de symbolo quidem non agi persuasit, in quo non quid sit ipsum attenditur, sed quid significet. Itaque falsum, non maius crimen ad hunc panem indigne accedere, quam ad vetera symbola; Cur non enim? Cum maiori crimine violetur Nouum Testamentum, quam Vetus? Ad Heb. 2. *Si per Angelos dictus sermo fuit firmus, omnisq; transgressio & contumacia iustam mercedis retributionem retulit: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutē, quæ cum enarrari cœperit per ipsum Dominum, ab ijs qui ipsum audierant, fuit nobis confirmata?* Non posse par crimen esse eorum qui Christum occiderint; & eorum qui symbola indigne tractauerint; itidem est falsum. Sed id postea nobis discutiendum. Interea Paulus nominatim dixit, *Quisquis ederit panem hunc* (symbolum) *& biberit poculum* (symbolum) *Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

XXX. De Chrysostomo Bellarminus: intelligit, ait, Christum ipsum videri, & tangi, sed in specie aliena, non sua, id est vere adesse, & recipi sub illis speciebus, quæ proprie videntur & tanguntur, licet in propria specie Christus in Sacramento non videatur, nisi oculis fidei, neque sensibilis sit, at in Sacramento est.

XXXI. Rectè, videri, tangi, sub specie aliena: adde & comedi; sic pax esto. Nam fieri non potest vt ipse videatur in aliena specie, videatur inquam proprie. Nam tu ipse sic distinguis: *Recipi sub illis speciebus, quæ proprie videntur.* Si illæ propriè, ergo sub ijs Christus impropriè. Perge Bellarmine: & quomodo Christum negas in Sacramento videri nisi oculis fidei, sic negato in Sacramento comedi nisi dentibus fidei. Nam nos quidem paria facimus: & corpori relinquimus suas species.

XXXII. Atqui, ais, vere dicebantur videre, tangere, & hospitio excipere Angelos, qui illos recipiebant in corpore assumpto, vt Abraham, Lot, Tobias, alij. Rectè, inquam. An tu nos audisti aliquando Chrysostomum accusantes mendacij, aut negantes vere communicari corpori Christi: Absit. Sed & Christus dicit, sibi dari eleemosynam, quando datur pauperi, vnde sequitur in paupere Christum accepisse eleemosynam. Propriene? Minimè: nam qui propriè, is per se recipit, non per alium. Sic nego Abrahamum, Lotum, alios proprie vidisse Angelos, aut tetigisset, sed propriè vidisse, tetigisse corpora ab ijs assumpta. Breuiter, oculis corporis visa sunt corpora, oculis mentis visi sunt angeli, cum cogniti. Similiter in hoc negotio, dentibus corporis comeduntur symbola: dentibus animæ comeditur corpus Christi: vtrumque verè, sed illud propriè, hoc figuratè.

XXXIII. Alium testimoniorum ordinem aggredior. Irenæus c. 2. libri 4. *Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum est eius, quemadmodum Apostolus ait in ea quæ est ad Ephesios Epistola, Quoniam membra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius. Non de spirituali aliquo & inuisibili homine dicens hæc: Spiritus neq; carnem, neq; ossa habet, sed de ea dispositione, quæ est secundum hominem, quæ ex carnibus & neruis, & ossibus consistit, quæ de calice, qui est sanguis eius nutritur, & de pane, qui est corpus eius, augetur.* Tertullianus de resurrectione carnis capite octauo, *Videamus nunc de propria etiam Christiani nominis forma, quanta huic substantiæ friuolæ,* (carni) *ac sordidæ apud Deum prærogatiua sit, etsi sufficeret illi quod nulla omnino animæ salutem possit adipisci, nisi, dum est in carne, crediderit, adeo caro salutis est cardo, de qua quū anima Deo allegitur, ipsa est quæ efficit, vt anima allegi possit. Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur: Caro vngitur, vt anima consecretur: Caro signatur, vt & anima muniatur: Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur: Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera coniungit.* Augustinus contra Aduersarium Legis & Prophetarum lib. 2. ca. 9. *Nos autem audiamus, & intelligamus duos in carne vna, Christum & Ecclesiam, sicut Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum carnem suam manducandam, bibendumq; sanguinem dantem, fideli corde atq; ore suscipimus, quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare quam fundere.* Notandum, inquit Bellarminus, quod dicit, non solum corde, sed etiam ore sumi carnem Domini.

XXXIV. Imo negat Augustinus cibum esse dentis: negat parandum dentes: Concilium Nicenum negat ad satietatem sumi, sed ad sanctificationem. Nam profecto si ore sumitur, etiam dentibus. Si corpus saginat, nutrit, auget, etiam saturat: si inquam est ad saginam, etiam ad πλησμονήν. Et quid opus est, quæso, Papistas disputare, ipsis accidentibus panis remanere vim nutriendi, si vere, si proprie, & absque vllo tropo dicantur corpora nostra pasci, saginari, augeri corpore Christi?

XXXV. Quanquam quid interrogo? quid coniecturas quæro? Habeo profitentes, non nutriri, non saturari, non augeri corpus nostrum corpore Christi. Thomas art. 6. quæst. 77. in Tertia, *Ex hoc cibus nutrit, quod conuertitur in substantiam nutriti. Dictum est autem, quod species Sacramentales possunt conuerti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur, per eandem autem rationem possunt conuerti in corpus humanum, per quam possunt conuerti in cineres vel in vermes, & ideo manifestum est, quod nutriunt.* Vide. Idipsum quod in Euchatistia generat vermes, nutrit corpora nostra. At Christi corpus ipsum non generat vermes. Ergo Christi corpus ipsum non nutrit corpora nostra in Eucharistia. Manifesta maior ex verbis Thomæ. Minor constat ex eodem in artic. præced. *Manifestum est,* inquit, *quod ex corpore & sanguine Christi, quæ ibi veraciter sunt, non generatur aliquid, cum sint incorruptibilia.* Ergo conclusio est certa, quia legitima. Quid? nonne docent continuo recedere corpus Christi, quum corrumpuntur species Sacramenti? Ergo, inquam, corpus Christi non nutrit, non pinguefacit, non auget corpora nostra. Manifestum est enim ea nutrire, & augere, quæ manent in nutrito Quare si corpus Christi non maneat, ridiculum fuerit asserere, ex eo nutriri vllum corpus.

XXXVI. Necesse est ergo, aut falsum dixisse eos patres, aut impropriè esse loquutos. Nos hoc malumus. Et facile docemus in Tertulliano cuius vehementiora vocabula sunt, *Caro,* inquit, *corpore & sanguine vescitur, vt anima de Deo saginetur.* Compara cum præcedentibus, videbis aliud corpori tribui, quam animæ. In Baptismo, *caro abluitur, vt anima emaculetur.* Non corpus emaculatur, nec anima abluitur: nempe quia abluere signum est: Ast emaculari res significata: Abluere actio corporalis, non pertingens ad animam, emaculari res spiritualis, propria animæ. Sic caro vngitur, anima consecratur, sic reliqua. Cur non itidem similiter, caro vescitur, edulium designet corporale, ast anima saginatur, cibum spirituale? vt quemadmodum in reliquis, non pertineat sagina hæc ad corpus, quum

si sani-

ſit animæ: neque veſci illud ad animam, quoniam ſit corporeum? Analogia ſane eo ducit, plena, planaque via. Quemadmodum ergo aqua, chriſma, ſignum crucis, impoſitio manuum, non rem ſignificatam deſignant, ſed tantum eius ſigna, quæ ſunt corporea: ſic enim corpus illud, & ſanguis, quo caro veſcitur, nominata ſunt pro ſignis externis, & corporeis. Turbat nonnihil noua ratio nominis, ſed imperitos. Nam quis neſcit panem & vinum eſſe corpus & ſanguinem? Auguſtinus Canone, *Hoc eſt*, de Conſecratione diſtinct. ſecunda: *Eſt igitur Sacramentum, & res Sacramenti corpus Chriſti.*

XXXVII. In Irenæo quid inuenerit Sanctesius non facile dixeris. Certè enim qui dixit, de calice qui eſt ſanguis, nutriri, & de pane, qui eſt corpus, augeri, nihil dixit admodum difficile, aut quod eos torquere poſſit, qui docent de pane, qui eſt corpus Chriſti, fieri vermes, negant tamen de corpore Chriſti, vt paulo ante. Et ab iſtis facile potuit illud intelligi, quod præceſſit, *Carnem corpore & ſanguine Chriſti nutriri.* Etiam prius, *fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia.*

XXXVIII. Nihil obſcurum admodum. Et tamen Roffenſis contrà Oecolampadium lib. 5. c. 2. laudatus à Feuardentio annotationibus in Irenæum. Alere multa dici poſſunt, quæ minime tamen in carnem vertuntur, quam fouent. Aurum enim, & margaritæ, gemmæque cum in medicaminibus teruntur, miram aſſeruntur à medicis virtutem & fomentum præbere corpori: nec tamen ipſa vertuntur in ſubſtantiam corporis. Et pari modo, quid prohibet viuificatricem Chriſti carnem illis, à quibus piè ſumitur, potentiſſima quadam, & ineffabili ſua virtute præſtare fomentum, & modo quodam alere?

XXXIX. Euge: quam commode! quam curioſe: Miror non nominatum aurum potabile: immane quam ſalubre inuentum Chymiſtarum. Scilicet eum in finem Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, vt totum Galenum imbibiſſe oporteat, ſi quis velit tanti Sacramenti vim cognoſcere. Et fortaſſe moniti à Fiſchero Feuardentioque, ij qui totum Geneſeos primum caput auſi ſunt in Alchimiam transformare, ne ab hac quidem inſtitutione manus abſtinebunt. Sed enim quis ſubtilitatem improbet, auri nutrientis, qui audiuerit etiam lambendo ſaxo, & bruta nutrita, & hominem? Non creditis? Audite egregiam ſane fabulam, valde creditam Fiſchero: & dignam, quæ legendas impleat: Audite ergo & credite, *Sacerdotem quendam niuis algoris adactum neceſſitate, dum in Alpibus à via deerraſſet, mitiorem à ventis & niuibus vallem reperire ſperans, deſiliſſet, neq; reducta quaqua verſum exitum comperiſſet, neq; vnde deſilierat propter altitudinem reaſcendere poſſet, ſub exeſam & propendentem rupem ſeſe fame moriturum coniecit, ac deſperauit. Sed vt erat luna plena, vidit noctu ſerpentum diuerſa genera contendere ad lapidem quendam, & illic linguis lapidem lingere, & poſt horam quæq; in ſua antra reuerti. Et incidit ei cogitatus quidnam illic ita lingerent ſequenti item nocte ſimiliter. Et miratus magis intra ſe quærens quid ita, tertia demum nocte iam pene viribus deſtitutus, ante omnes ipſe acceſſit & linxit, & inter lingendum ita reſtitutus fuit, quaſi cibo refectus: Et ſic per totam illam hyemem ſub rupe latitauit, donec in fine Aprilis niue ſoluta, peruijs iam factis alpibus, quoſdam audiret in vicino colloquentes.* Hæc illa narratio eſt, pura, nitida, elegans, quicquid Priſcianus queratur. *Quod ſi merus lapis tantum præſtare fomenti potuit citra diminutionem ſubſtantiæ ſuæ quid mirum ſi Chriſti caro, quæ vere viuificatrix eſt, citra quamuis iniuriam ſui piè ſumentes alat, & vim tribuat, ad immortalitatem reſurgendi?* O, vir magne, Parce, parce, quæſo, diſputare. Quem enim iſtæc portenta non moueant. Tacemus, & in tui gratiam non inquirimus, vnde, aut quæ nam illa ſerpentum genera plena hyeme, in tantis niuibus, quantas ſcimus Alpinas eſſe, mouentium ſe, & ex antris ſuis exeuntium quotidie: quæ alibi tota hyeme ſolent nuſquam apparere. imo nuſquam moueri, donec veris calore reuiuiſcant. Non quærimus, quando factum vt in Aprili liquefactæ fuerint Alpinæ niues.

XL. Sed enim tam commodæ ſubtilitatis ſumma eſt, nutriri corporà duplici rerum genere: quarum aliæ mutentur in ſubſtantiam corporis nutriti, vt panis, & vinum, aliæ minime, vt aurum, margaritæ, gemmæ, & lapis ille, quem ſerpentes lambebant, ſacerdoſque ille inter niues Alpinas. Corpus & ſanguinem Chriſti eſſe non prioris generis, ſed poſterioris. Itaque non abſurde dictum patribus, ex ijs nutriri corpora noſtra, etiam ſi non vertantur illa in ſubſtantiam horum, vllamue ſui ſuſcipiant iniuriam.

XLI. Atqui Patres non accuſabamus nos, quaſi abſurdè loquutos, ſed Papiſtas oppugnabamus abſurde interpretatos, quaſi de ipſo corpore Chriſti dicto propriè & abſque vllo tropo. Itaque debuit ſubtilis ſophiſta, demonſtrare, quædam nutrire corpus propriè & κατὰ τὸ ῥητὸν, quorum ſubſtantia non tranſeat in ſubſtantiam corporis nutriti. Nam nos quidem negamus. Thomas: *Ex hoc cibus nutrit, quod conuertitur in ſubſtantiam nutriti.* Athenagoras de Reſurrectione: δεῖ συμβαίνουσαν καὶ κατὰ φύσιν εἶναι τὴν τῷ τρέφοντι σώματι δύναμιν ταῖς τοῦ τρεφομένου ζώου δυνάμεσι, καὶ ταύτην ἐλθοῦσαν δι' ὧν πέφυκε χωρεῖν, καὶ καθαρθεῖσαν ἀκριβῶς τοῖς φυσικοῖς καθαρσίοις εἰλικρινεστάτην γενέσθαι πρὸς πρόσληψιν εἰς οὐσίαν, *Oportet conſentientem, ac ſecundum naturam eſſe corporis nutrientis vim viribus eius animalis quod nutritur, eamq; deſcendere per naturalia vt ſic loquar, cribra, & ſecernicula, & expurgatam plane naturalibus illis emundationibus ſinceriſſimam reddi, vt corpori addatur ad eſſentiam,* ἣν δὴ καὶ μόνην ἐπαληθεύων ἄν τις τοῖς πράγμασιν, ὀνομάσειε τροφήν, *quam ſolam, ſi rerum vocabulis vere vtaris, alimoniam voces.* Adde Phyſicorum axioma ex Ariſtotele, *Ex ijſdem nutrimur, ex quibus ſumus.* Nyſſenus Catecheſeos c. 38. παντὸς σώματος ἡ ὑπόστασις ἐκ τῆς τροφῆς γίνεται, *Cui ſuis corporis ſubſtantia ex alimento ſit.*

XLII. Itaque negamus aurum, margaritas, gemmas lapides vllos propriè nutrire. Etſi conſtet apud omnes habere vim magnam ad fomentum corporis. Nam quis neget fomentum latius patere quam cibum? Nonne ignis fouet corpus: nulla tamen ſuæ eſſentiæ parte: multo minus conuerſione ſui in ſubſtantiam foti corporis, ſed ſola refocillatione virium frigore læſarum, idque per calorem ſuum, id eſt accidens. Imo veſtes non aliam ob cauſam in vſu quam vt foueant corpus Sic odores, & multa alia. Dicamus ergo fomenta diſtare ab alimentis: Illa, quæ vires adiuuent corporis, per proprietates quaſdam ſuas, & accidentia ſuæ eſſentiæ: Iſta vero, quæ per ſuam ſubſtantiam ſubſtantiam augeant corporis.

XLIII. Iam Patres, quomodo ſunt loquuti? Non de fomento, ſed alimento, id eſt, cibo: ſic enim datur Euchariſtia. Cur ergo ad fomenta diuertit Sophiſta? Et quidem non nutritionem tantum exprimente Irenæo, ſed etiam, augmentum & ſubſtantiam, *Ex quibus*, ait, *augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia.* Quod de auro, de gemmis, nunquam dictum cuiquam. Itaque concludendum prorſus loquutos eſſe Patres, non abſurdè, ſed tropicè, ſiue myſtice permutatis videlicet nominibus, vt corpus nuncuparent & ſanguinem, pro pane & vino, ſignis eorum, ex quibus vere augetur, & ſubſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia.

XLIV. Negat hoc Bellarminus in Tertulliano, quoniam ait, concideret eius argumentum. Dicent enim hæretici, qui negabant veram reſurrectionem, quod ſicut ſola anima verum corpus Chriſti percipit, caro autem non ipſum corpus, ſed eius figuram: ita ſolam animam vere & propriè reſurgere: carnem autem non vere & propriè, ſed metaphoricè.

XLV. Atqui primum, Tertulliano argumentum non eſt à ſola Euchariſtia: ſed à Baptiſmo, ab vnctione, à ſigno crucis, ab impoſitione manuum. In quibus omnibus diſertè diſparat id quod fit in anima: & corporis figuram tribuit, animæ rem ſignificatam, vt concludat, ergo corpus reſurrecturum. Vnde habuit Bellarminus hoc ſomnium, vt hæreticorum obiectionem timeret in Euchariſtia ſola, nihili faceret in reliquis. At nos ſi in Baptiſmo, in vnctione, in conſignatione, in impoſitione manuum hæreticorum acumen contemnimus, certe in Euchariſtia Ieſuitarum ſubtilitate non mouebimur. Et vero male huic Sophiſtæ conceptum eſt argumentum. Non enim peculiariter ab Euchariſtia, ſed generalius à prærogatiua corporis (vt loquitur Pamelius,) in nominis Chriſtiani forma, id eſt, in vniuerſa religione Chriſtiana. Senſus eſt, religionis Chriſtianæ, per quam præparamur ad æternam vitam, partes omnes impleri per corpus: non autem in anima ſola, & ſeorſim à corpore. Itaque momentum argumenti in his verbis, *Non poſſunt ſeparari in mercede, quas opera coniungit.* Vt ſit ſyllogiſmus: qui in operando coniunguntur, non ſunt ſeparandi in præmio. At caro & anima coniunguntur in operando. Ergo non ſunt ſeparandæ in præmio, id eſt vita æterna. Probatur minor illa inductione: nec poteſt infirmari illa diſtinctione, quia etſi æterna ſymbola ſint tantum figuræ, tamen per ea corpori applicata perficiuntur in anima res ſignificatæ. Et hoc eſt, quod intendit Tertullianus.

XLVI. His ita explicatis: non eſt difficile Cyrillo Hieroſolymitano ſatisfacere, cuius in catecheſi quarta myſtagogica, ſunt hæc verba. Μετὰ πάσης πληροφορίας, ὡς σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνομεν Χριστοῦ. ἐν τύπῳ γὰρ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα. καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα, ἵνα γένῃ μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτοῦ. οὕτω γὰρ καὶ χριστοφόροι γινόμεθα τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος εἰς τὰ ἡμέτερα ἀναδιδομένου μέλη, *Quare omni cum certitudine, vt corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus. Nam in typo panis datur tibi corpus, & in typo vini datur tibi ſanguis, vt ſumpto corpore & ſanguine Chriſti, efficiaris ei concorporeus, & conſanguineus. Sic n. ſimus Chriſtigeri, cũ eius corpus, & ſanguis fuerint in membra noſtra diſtributa.* Quæ verba Bellarminus, negat poſſe intelligi de corpore ſymbolico, quaſi ſolum panem in membra recipiamus. Nam de illo corpore loqui, de quo immediate antea dixerat, corpus Domini ſub ſpecie panis ſumi, vbi diſtinguitur corpus à pane.

XLVII. Imo, inquam, de ipſo corpore vero, propriè & abſque tropo intelligi non poteſt. Nam profecto diſtributio ἀνάδοσις non poteſt de eo dici, niſi per vehementem hyperbolen: quam Grodecius molliuit, cum dixit, *In membra noſtra receperimus.* Cum tamen alluſio ſit ad nutritionem per modum cibi: quæ re vera fit per diſtributionem in omnia membra panis & vini cocti, digeſtique. At non in corpore & ſanguine Chriſti: quæ ne Sophiſtæ quidem dicunt tranſire vltra ſtomachum: in quo quandiu cibus manet, nulla fit diſtributio. Enimuero recipitur in membra noſtra, etiam id quod in vnum tranſit, puta, manum aut ſtomachum, ſed non ſic quod ἀναδίδοται, quo verbo vſus Cyrillus: id enim ſignificat cum multis ſimul quid per partes communicatur. Quod de corpore Chriſti, nondum inuentus eſt qui diceret Chriſtianus.

XLVIII. Agit autem Cyrillus de eo corpore de quo dixerat, non quomodo perfide Grodecius reddidit, *Corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus*, ſed ὡς σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνομεν Χριστοῦ: addita particula ὡς, quam quo iure extinctam voluerunt Sophiſtæ? De eo rurſus corpore, de quo dixerat, non *ſub ſpecie panis, ſub ſpecie vini*, quo ſubſtituto opus fuit Tranſubſtantiatoribus, ſed ἐν τύπῳ ἄρτου, ἐν τύπῳ οἴνου. In typo, in figura, in ſigno panis & vini. Eſto igitur ſane vt vult Bellarminus, diſtribuatur ſane, imo recipiatur idem illud corpus, ſed in typo. Atqui fieri non poteſt, vt quod fit in typo, de re ipſa dicatur propriè & abſque vlla figura. Vel enim oportet corpus & ſanguinem figuratè dici pro typis, vt proprium ſit τὸ ἀναδίδοσθαι: vel hoc figuratè, vt corpus & ſanguis propriè.

XLIX. Gregorius Nyſſenus viſus eſt omnium duriſſimus. In de vita Moſis ſic loquitur, ait Bellarminus de Euchariſtia, *Panis eſt abſq; ſemine, abſq; aratione, abſq; vllo humano opere nobis paratus. Is deſuper defluens inuenitur in terris, Panis enim qui de cœlo deſcendit, qui verus cibus eſt, qui ænigmatice hac hiſtoria ſignificatur,* (mannæ pluuiam intelligit) *non incorporea quædam res eſt, quo enim pacto res incorporea corpori cibus fieret? Res autem quæ incorporea non eſt, corpus omnino eſt.* Hic duo habemus, quæ excludunt omnes quæ fingi poſſunt ab aduerſarijs expoſitiones. Primo, Panem Euchariſtiæ ſine ſemine, ſine aratione, ſine opere humano fieri: quod non conuenit pani triticeo. Loquitur ergo de vero corpore Chriſti, cui illa omnia conueniunt Secundo eundem panem corpore manducari: non ergo loquitur de corpore Domini, vt eſt in cœlo, & ſola fide ſumitur, ſed de vero corpore, vt eſt in Euchariſtia.

L. Miram ſtupiditatem Ieſuitæ! Exclamarem vehementius, niſi me modeſtia retineret, adeo nihil ille in contextu Nyſſeni vidit, nihil diſtinxit: *An forte nihil diſtinctum voluit?* Vtcunque: ſed nos tanta ſtupiditate pati nobis quenquam imponere? digni ſimus, qui vulgi fabula ſimus. Græca ſic habent, & ſic vertenda fuerunt, diſtinguendaque ſuis membris. Τί οὖν ἐστιν ὃ μανθάνομεν: *Quid igitur hinc diſcimus?* nempe ex hiſtoria mannæ, Αἱ

ὅτων

σων ἀφισάσει καθαρσίων ἑαυτὸν ἐκκαθᾶραι ἵνα τῆς Αἰγυπτίας τε καὶ ἀλλοφύλου ζωῆς ὥστε κενώσῃ τὸν τῆς ψυχῆς αὐτοῦ θύλακον πάσης τῆς κατὰ κακίαν τροφῆς, ἣν σιτοῦνται οἱ Αἰγύπτιοι. καὶ οὕτως τὴν ἄνωθεν κατιοῦσαν τροφὴν ἐν ἑαυτῷ καθαρᾷ τῇ ψυχῇ δέξασθαι ἣν οὐ σπορά ἡμῖν τις ἐκ γεωργίας αὐτοφυὴς ἀλλ' ἕτοιμος ἄρτος, ἄσπορός τε καὶ ἀνήροτος, ἄνωθεν μὲν κατιὼν ἐπὶ δὲ γῆς εὑρισκόμενος. *Nempe quantis purgationibus seipsum oporteat quemque purgare*(nugator Trapezuntius infercit de suo, fidem, Baptismum, laborem, omnem virtutem, omnem Euangelicam doctrinam) *Ægyptiaca, & aliena vita, adeo vt vacuetur anima pera omni nequam alimento, quod sufficiunt Ægyptij: & sic ex alto descendentem cibum in seipso pura mente excipere, quem nobis, qui ab ea sumus agricultura, satio nulla produxit, sed paratus panis sine semine arationeque ex alto demissus, in terra vere repertus.* Hæc pars allegoriæ prima, quæ docet ab illo cibo Mosaico ascendendum altius ab cibum allegoricum, anima excipiendum.

LI. Altera pars sequitur, continens allegoriæ ἀπόδοσιν. In qua vertenda meras nugas egit Trapezuntius. Ea sic habet, Νοεῖς δὲ πάντως τὴν ἀληθινὴν ταύτην βρῶσιν διὰ τοῦ κατὰ τὴν ἱστορίαν αἰνίγματος, *Intelligis omnino verum istum cibum per ænigma huius historiæ.* Significat non esse difficile transferre historiæ illius partes ad allegoricum illum cibum. Atque adeo præit ipse, ὁ ἄρτος ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς, οὐκ ἀσώματόν τι χρῆμά ἐστι πῶς γὰρ ἂν σώματι τροφὴ γένοιτο τὸ ἀσώματον, τὸ δὲ μὴ ἀσώματον, σῶμα πάντως ἐστί, *Nimirum panis ille è cœlo demissus, non est quid incorporeum, Quomodo enim corpori cibus fuisset, id quod incorporeum? Atqui quod non est incorporeum, omnino corpus est.* Ea protasis; ponens quæ ratio fuerit mannæ: nunc ἀπόδοσις, Τοῦδε σώματος τοῦ ἄρτου οὔτε ἄροσις οὔτε σπορὰ ἐγεώργησεν. ἀλλ' ἡ γῆ οἵα ἐστι μένουσα, πλήρης εὑρίσκεται τῆς θείας ταύτης τροφῆς, ἧς οἱ πεινῶντες μετέχουσι, τὸ κατὰ τὴν παρθένον μυστήριον διὰ τῆς θαυματοποιΐας ταύτης προπαιδευόμενοι, *Huius autem panis corpus* (mirare Trapezuntium vertentem, *Huius corporis panem*) *non aratio, non satio excoluit, sed terra. qualis erat manens? plena inuenitur diuini huius cibi, cuius sunt participes, qui famelici prius didicerunt, mysterium illud huius miraculi in Virgine.*

LII. Estne igitur qui imposturam non videat? Illa, inquit, panem sine semine sine, aratione, sine opere humano fieri, non conueniunt pani triticeo. Fateor, inquam. Sed neque ita dicta à Nysseno de pane Eucharistico: sed de manna prius: deinde de corpore Christi, sed quid hoc ad cibum propriè corporalem de quo agimus? Non enim si hæc non pertinent ad panem: ideo necesse est corpus Christi manducari corporaliter.

LIII. Imo, inquit, cum panem corpore manducari dixit. Quem panem, inquam? Manna concedo. Sed hoc quid ad nos? Corpus Christi, nego, atque hunc dico imposturæ cumulum. Nam vbi dictum corpore recipi? Nempe cum dictum πῶς ἂν σώματι τροφὴ γένοιτο τὸ ἀσώματον? *Quomodo corpori fieret cibus incorporeum?* Atqui hoc ego dictum nego de corpore Christi. Dictum assero de manna. Et immanem impostorem fuisse Trapezuntium, quum redderet, *Panis qui de cœlo descendit, qui vere cibus est, qui ænigmatice hac historia significatur, non incorporea quædam res est.* Cum Græca referant id ipsum quod ego Latine expressi.

LIV. Sensit ergo Nyssenus manna, quantumuis cœlo demissum, & non satione, non aratione procuratum, fuisse cibum corporeum, ac proinde corpus. At cibum in altera parte allegoriæ, cui manna respondeat, diserte illi dictum initio oportere, καθαρᾷ τῇ ψυχῇ δέξασθαι, *Sincera mente excipere.* Viden distantiam? Imo viden imposturam? Manna dixit ille esse cibum corporum: isti transferunt ad corpus. Ille dixit corpus Christi mente pura excipi: isti dissimulant. Abi, & cum eis micato in tenebris.

LV. Sed in Catechesis maioris capite 37. vix ne ipsi quidem Nysseno iurato crediderint non esse purè putè Papistam. Bellarminus multa sperat obseruasse: corpus Christi immortale coniungi per Eucharistiam cum nostro mortali corpore, & illud sibi simile reddere, id est, efficere vt gloriosũ & immortale aliquando resurgat, *Quemadmodum*, ait, *parum fermenti totam massam sibi similem reddit, sic & corpus illud, quod à Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert, atque commutat. Nam vt pestiferum cum salubri commistum, illud efficit perniciosum, sic & corpus immortale reddit totum illud, in quo susceptum est, natura simile immortali.* Et infra, *Fidelium corporibus coniungitur, vt ea coniunctione cum immortali, homo etiam immortalitatis particeps fiat.*

LVI. Sed illud *in nostrum corpus ingrediens*, aliter est Græcè, ἐν τῷ ἡμετέρῳ γενόμενον, *cum fuerit in nostro.* Et quanquam hoc fatear non pertinere ad summam rei, tamen ostendit, quam libenter suis phrasibus effingere gaudeant Veterem mentem. Neque vero non obseruandum in eodem capite, quum agitur de corporalibus pharmacis vnde sumpta dissimilitudo, tum legi, ἐντὸς ἀνθρωπίνων γίνεσθαι σπλάγχνων, *admitti intra viscera hominis*, οὐκ ἔστιν ἄλλως ἐντὸς γενέσθαι τοῦ σώματος, εἰ μὴ διὰ βρώσεως ἢ πόσεως τοῖς σπλάγχνοις καταμιγνύμενον, *Fieri non potest vt sit aliquid aliter intra corpus, nisi per esum & potum misceatur visceribus.* Ast de hoc cibo ad salutem, vel illud ἐν τῷ ἡμετέρῳ, vel etiam, ὡς ἂν ἐν ἡμῖν γενόμενον, *vt cum in nobis fuerit hoc salutare medicamentum*: quam distinctionis religionem nollem tam nihili fieri.

LVII. Sed respondeo, Gregorium nihil dicere de vnione, manducationeve corporali: sed tantum de vnione, & si velis etiam de manducatione corporis Christi. Quam intelligi spiritualem, nihil prohibet. Imo hæc cogunt, *Quomodo qui venenum sumpserunt: alio medicamento extinguunt vim quæ affert interitum,* οὕτως οἱ διαλυόντος τὴν φύσιν ἡμῶν ἀπογευσάμενοι πάλιν ἀναγκαῖον εἰς καὶ τοῦ συνάγοντος τὸ διαλελυμένον ἐπιδεηθῆναι, *Ita cum id gustauerimus, quod nostram dissoluit naturam, rursus necesse est, vt opus habeamus eo quod cogit ac conciliat id quod erat dissolutum, vt cum in nobis fuerit hoc salutare medicamentum, veneni damnum, quod corpore fuerat inditum, per contrariam repellat affectionem.* Quibus verbis nemo non videt necessitatem stabiliri huius alexipharmaci, nempe vt quomodo corpori necessarium antidotum est aduersus venenum, sic homini aduersus peccatum. Atqui hoc pharmacum, per Eucharistiam non est necessarium, quia etiam spiritualis manducatio potentissima est aduersus peccatum, & ex eo mortem, vt constat ex priori parte concionis Christi in 6. Ioan.

LVIII. Bulengerus part. 2. contra tractatum Orthodoxum sectio. 31. objicit primo Gregorium expresse dicere, corpus Christi per manducationem misceri nostris visceribus, sicut medicamentum ore sumptum. Secundo dicere clare, panem & vinum per Verbum Dei mutari & conuerti in corpus & sanguinem Christi.

LIX. Respondeo illud prius esse merum mendacium. Nam de missione & visceribus agit tantum Gregorius ἐν τῇ ἀποδόσει comparationis, quæ est de corporali medicamento. Manifestissima est in textu partium distinctio, en tibi πρότασιν, *Quomodo qui venenum sumpserunt dolo & ex insidijs, alio medicamento extinguunt vim quæ affert interitum, oportet autem sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum admitti intra viscera hominis, vt per illa distribuatur in vniuersum corpus virtus eius quod fert opem.* En tibi nunc ἀπόδοσιν *Ita cum id gustauerimus, quod nostram dissoluit naturam, rursus necesse est, vt opus habeamus*: & quæ paulo ante descripsimus. Vides in apodosi nulla esse viscera? Sed tantum in protasi? Ergo ea pertinent ad corporale medicamentum. Et vero, quomodo ad corpus Christi? Non enim hoc ἐφ' ἅπαν καταμερίζεται τὸ σῶμα, per intestina. Quis enim dixit vnquam hoc opus esse naturalis πέψεως, ab stomacho in iecur: inde in venas? Nouum sane genus Theologiæ, & mirum Cur non dicam igitur mentiri Bulengerum? Vtinam hîc primum, aut solum.

LX. Panem & vinum mutari in corpus & sanguinem, scio dixisse Gregorium, καλῶς οὖν καὶ νῦν τὸ τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον εἰς σῶμα τοῦ θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι πιστεύομεν, *Recte ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credo transmutari.* Καλῶς, inquam. Recte sane. Nam quis nostrûm negauit? Non enim sua natura quisquam dixit panem esse carnem, & carnem Christi Ergo oportet, aut non esse, contra Verbum Dei, *Hoc est corpus meum*, vel esse per transmutationem. Sed hanc cuiusmodi? Transsubstantiationem? sed alias.

LXI. Pergo ad nouum ordinem, eorum qui vnitatem nostri cum Christo exaggerant. Chrysostomus in Matthæum homil. 83. οὐ γὰρ ἤρκεσεν αὐτῷ τὸ γενέσθαι ἄνθρωπον, οὐδὲ τὸ ῥαπισθῆναι καὶ σφαγῆναι, ἀλλὰ καὶ ἀναφύρει ἑαυτὸν ἡμῖν· καὶ οὐ τῇ πίστει μόνον, ἀλλ' αὐτῷ τῷ πράγματι σῶμα ἡμᾶς αὐτοῦ κατασκευάζει, *Non sufficit ipsi hominem fieri, flagellis cædi, & crucifigi, sed nos secum in vnam, vt ita dicam, massam reducit, neque id fide solum, sed re ipsa nos corpus suum efficit.* In Ioannem 48. οἱ μεμυημένοι παρακληθεῖ τοῦσιν τοῖς λεγομένοις: ἵν' οὖν μὴ μόνον κατὰ τὴν ἀγάπην γενώμεθα, ἀλλὰ καὶ κατ' αὐτὸ πράγματι ἐκείνῃ ἀνακερασθῶμεν τῇ σαρκί, διὰ τῆς τροφῆς γὰρ τοῦτο γίνεται, ἧς ἐχαρίσατο βουλόμενος ἡμῖν δεῖξαι τὸν πόθον ὃν ἔχει περὶ ἡμᾶς, διὰ τοῦτο ἀνέμιξεν ἑαυτὸν ἡμῖν, καὶ ἀνέφυρε τὸ σῶμα αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς, ἵν' ἕν τι ὑπάρξωμεν: καθάπερ σῶμα κεφαλῇ συνημμένον, *Initiati obsequantur ijs quæ dicta sunt, vt non solum per dilectionem, sed re ipsa in illam carnem conuertamur. Per cibum enim id efficitur, quem nobis largitus est, volens nobis indicare quanto affectu in nos feratur. Propterea miscuit seipsum nobiscum, vt vnum quid simus, velut corpus capiti connexum.* Homilia vicesima quarta in priorem ad Corinthios, sic nos vniri corpori Christi per Eucharistiam, quemadmodum corpus illud vnitum est Verbo, per incarnationem, id est, vere & realiter. Item amantes aliquando præ nimio amore morsu appetere eos quos diligunt, vt eo modo indicent cupere se, si posset fieri, intime vniri, & fieri vnum cum illis. Christum autem hoc mirabili modo per Eucharistiā effecisse, vt vere corpori eius intime vniremur. Quæ omnia frigidissima & ridicula essent, inquit Bellarminus, si tantum in signo Christi corpus acciperemus.

LXII. Sophistæ pellem nunquam mutant, nec possunt quicquam non veteratorie agere? Quid illud est, *Si tantum in signo Christi corpus acciperemus?* Atqui nos docemus etiam sine signo Christi corpus accipi, vt extra Eucharistiam, & accipere per modum cibi, siue panis. Quid ergo? Nempe dictum oportuit, si tantum in signo corpus Christi corporeis organis acciperemus. Hæc enim quæstio est, quam quandiu dissimulabit Iesuita, toties Sophistam aget, & impostorem. Sed nos, quos oportet imposturam cauere, ita accipiamus, ac si dictum esset, Quæcunque Chrysostomus dixit esse frigidissima, si non sumatur nisi in signo corpus Christi per corporis organa, & strenue negemus Nam vtrunque verissimum est, & vere, vehementerque loquutum esse Chrysostomum; & tamen nunquam acceptum esse corpus Christi per organa nostri corporis, nisi in signo, videlicet, pane & vino.

LXIII. Quid enim Chrysostomus dixit? Vniri nos Christo. Sæpe auditum: sed nemo negat, manducationem spiritualem, esse vnionem. Quid amplius? Addidit vniri, non fide tantum, aut caritate, sed re ipsa, καθ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα. Recte, inquam, sed ipsam illam spiritualem manducationem dicimus esse vnionem huius generis. Quis enim dubitet realiter vniri Christo, qui fiat membrum corporis eius? Nam cum fidem, caritatemvè Chrysostomus opponit rei ipsi, manifestè sentit plus esse quam voluntatis nudam vnionem, cuiusmodi illa est, quæ inter amicos. Atqui certum est, fieri membra Christi, non in Eucharistia tantum, sed iam in Baptismo. Et sane, non potest in æternum viuere, qui non re ipsa vnitus Christo. Viuere autem in æternum, qui spiritualiter manducent eum, perspicuum est ex concione illa, quæ toties nobis redit in orbem. Quare nulla consequentia est, qui re ipsa vniatur Christo, hunc comedere corpus Christi per organa corporis, id est corporaliter.

LIV. Instat Bellarminus. Sed ista vnio membrorum cum capite, qua efficimur vnum corpus mysticum cum Christo, proprie obtinetur per Baptismum, & necessario præcedere debet sumptionem Eucharistiæ. At Chrysostomus dicit per Eucharistiam nos coniungi Christo noua quadam & vera vnione. Præterea, reipsa nobis coniungi corpus Christi, non minus opponitur coniunctioni mysticæ membrorum cum capite, quam coniunctioni per fidem & dilectionem, neque enim illa magis realis est, quam ista. Denique illa exempla Incarnationis & amantium, satis refellunt figmenta aduersariorum.

LXV. Recte, inquam, præire debere sumptioni Eucharistiæ vnionem membrorum cum capite: sed Chrysostomum dicere per Eucharistiam obtineri nouam quandam vnionem cum Christo: næ Iesuiticum mendacium est. Nusquam, nusquam Chrysostomo dictum. Satis igitur Bellarmino, veram dicere suam nouam ne inurito Chrysostomo. Profecto Chrysostomus nullam aliam concepit in Eucharistia, quam eam ipsam quæ fit in Baptismo. Nec oblitus est indicare ἵνα ἕν τι ὑπάρξωμεν, aiebat, καθάπερ σῶμα κεφαλῇ συνημμένον, *Vt simus vnum quid, sicut corpus capiti vnitum.* Nã hæc vnio est corporis mystici, quam non diffitetur Bellarminus proprie obtineri per Baptismum.

LXVI. Op-

LXVI. Opponi coniunctionem nostri cum corpore Christi, coniunctioni mysticæ, rursus mendacium est: nunquam Chrysostomo cogitatum. Coniunctionem corporis mystici cum capite, non esse realem, rursus mendacium est, alienum à Chrysostomo. Nam de hac ipsa coniunctione, κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα, sic loquutus est, διὰ τοῦτο ἀνέμιξεν ἑαυτὸν ἡμῖν. καὶ ἀνέφυρε τὸ σῶμα αὐτοῦ πρὸς ἡμᾶς. *Propterea miscuit seipsum nobis, & corpus suum in nos confundit*, ἵνα ἕν τι ὑπάρξωμεν, καθάπερ σῶμα κεφαλῇ συνημμένον. *vt vnum quid simus, velut corpus capiti connexum.* Siccine Iesuitis opposita dicuntur, quorum vno posito alterum consequenter ponitur? Sed & eodem argumento constat esse realem. Nam ipsi aduersarij haud aliter concipiunt, illam, μίξιν καὶ ἀνάφυρσιν: atque adeo non putant potentius exprimi posse realitatem suam. Nec alia spe citatur ab eis Chrysostomus.

LXVII. De Incarnatione & amantibus, vellem plenius expressisset mentem suam. *Ast* ego de Incarnatione nihil reperi: nisi hoc forte sit, καθάπερ τὸ σῶμα ἐκεῖνο ἥνωται τῷ χριστῷ, οὕτως καὶ ἡμεῖς αὐτῷ διὰ τοῦ ἄρτου τούτου ἑνούμεθα. *Quemadmodum corpus illud vnitur Christo, sic & nos ei per panem hunc vnimur.* Id si voluit Bellarminus: etsi duriusculum sit, corpus vnitum Christo, pro vnito Deitate, tamen esto sane. Verum enimuero nego aut in eo, aut in illis mordacibus amicis, quicquam esse aduersus vnionem spiritualem. Explicarem forte prolixius, si dignatus esset Sophista indicare repugnantiæ capita. Nunc quando fuit illi satis dicere, mihi satis esto negare.

LXVIII. In explicanda nostri vnione cum Christo, duo supersunt ex Veteribus confidentissime à Papistis ferme omnibus laudati testes, Hilarius, & Cyrillus Alexandrinus. Prolixa descriptio erit, sed necessaria. Hilarium ergo octauo de Trinitate, quem contraxit Bellarminus, integrum Sanctesius recitauit in hunc modum, *Eos tunc qui in Patrem, & Filium voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo vtrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis, an per concordiam voluntatis. Si enim vere verbum caro factum est, & nos vere verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes sumus, quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius, non naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse, quia in Christo Pater, & Christus in nobis, vnum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosq; vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas asseritur cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum sit vnitatis. Non est humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendum, neq; per violentam, atq; impudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati alienæ atq; piæ intelligentiæ extorquenda peruersitas est. Quæ scripta sunt legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tūc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atq; impie discimus. Ipse enim ait, caro mea vere est esca, & sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra vere caro est, & vere sanguis est, & hæc accepta atq; hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingit plane his verum non esse, qui Christum Iesum verum Deum esse negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus in Deo est. Quod autem in eo per Sacramentum communicatæ & carnis & sanguinis sumus, ipse testatur, dicens: Et hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis quoniam ego viuo, & vos viuetis: quoniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Si voluntatis tantum vnitatem intelligi vellet, cur gradum quendam atq; ordinem consummandæ vnitatis exposuit, nisi vt cum ille in Patre per naturam diuinitatis esset, nos contra in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rursus in nobis per Sacramentorum inesse mysterium crederetur, ac sic perfecta per Mediatorem vnitas doceretur, cum nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, & in Patre manens ipse maneret in nobis, & ita ad vnitatem Patris proficeremus, cum qui in eo naturaliter secundum natiuitatem inest, nos quoq; in eo naturaliter inessemus ipso in nobis naturaliter permanente Quod autem in nobis naturalis hæc vnitas, ipse ita testatus est. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, eius tantum in se assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Perfectæ autem huius vnitatis Sacramentum superius iam docuerat, dicens, Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat carnem meam, & ipse viuet per me. Viuit ergo per Patrem, & quo modo per Patrem viuit, eodem modo nos per carnem eius viuemus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur, vt id de quo agitur secundum propositum exemplum assequamur. Hæc vero vitæ causa nostræ est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione, qua viuit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eū viuimus, id est, naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se Patrem habeat, cum viuat ipse per Patrem? Hæc autem ideirco à nobis commemorata sunt, quia voluntatis tantum inter Patrem & Filium hæretici mentientes vnitatis nostræ ad Deum vtebantur exemplo, tanquam nobis ad Filium, & per Filium ad Patrem, obsequio tantum ac voluntate religionis vnitatis, nulla per Sarcamentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur, cum & per honorem nobis datum Filij Dei, & per manētem in nobis carnaliter Filium, & in eo nobis corporaliter & inseparabiliter vnitis, mysterium veræ ac rationalis vnitatis sit prædicandum.*

LXIX. Cyrillus non est breuior Hilario: cuius hæc sunt apud Sanctesium. Ex lib. 10. in Ioan. c. 13. postquam Arianum notasset negantem substantialitatem Patris & Filij, propter comparationem vitis & agricolæ, *Quoniam*, inquit, *nos nulla ratione humanitati Christi posse ita attribui existimat, quasi fide atq; dilectione, non carne illi coniungamur, age pauca de hoc dicamus. Non negamus recta nos fide, caritateq; sincera Christo spiritualiter coniungi, sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idq; à diuinis Scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitat Christum etiam sic vitem esse, nos vero palmites, qui vitam inde acquirimus? Audi Paulum dicentem: Quia omnes vnum corpus sumus in Christo. Quia etsi multi sumus, vnum tamen in eo sumus: omnes enim de eo pane participamus. An fortasse putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cum in nobis fiat, non ne corporaliter quoq; facit communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium membra Christi sunt? Nescitis quia membra fidelium membra sunt Christi? Saluator ait. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo Vnde considerandum est non habitudine solum, quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, verumetiam & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum ex vtrisq; factum videatur: sic communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso.* Paulo post, *Cur igitur secundum carnem nos esse palmites pernegat: An non conuenienter dici potest, vitem eius humanitatem esse, & nos palmites propter identitatem naturæ? Eiusdem enim naturæ vitis & palmites sunt. Ita & spiritualiter & corporaliter nos palmites, & Christus vitis* Lib. 11. c. 26, *Vt igitur inter nos & Deum singulos vniret, quamuis corpore simul & anima distemus, modum tamen adinuenit consilio Patris & sapientiæ suæ congruentem. Suo enim corpore credentes per communionem mysticam benedicens & secum & inter nos vnum corpus nos effecit. Quis enim eos, qui vnius sancti corporis vnione in vno Christo vniti sunt, ab hac naturali vnione alienos putabit? Nam si omnes vnum panem manducamus, omnes vnum corpus efficimur. Diuidi enim atq; seiungi Christus non patitur. Iccirco etiam Ecclesia corpus Christi facta est, & nos singuli membra Christi secundum Paulum Vni enim Christo per corpus suum coniuncti, quoniam in nobis illum, qui est indiuisibilis, accepimus, ipsi potius, quam nobis membra nostra accommodantes Quod autem Ecclesia cuius corpus ex singulis hominib. tanquam membris compositum, Saluator vero caput sit, Apostolus ostendit dicens, Vt iam non simus paruuli fluctuantes, nec circumferamur omni verbo doctrinæ in nequitia hominum, veritatem autem sequentes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusq; membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritatem. Quod autem corporalis hæc vnio ad Christum participatione carnis eius acquiratur, ipse rursus Paulus de mysterio pietatis disserens testatur: Quod alijs generationib. inquit, non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius in Spiritu, gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes passionis in Christo. Si omnes inter nos vnum sumus corpus in Christo, nec inter nos solū, verum etiam cū eo, qui per carnem suam ad nos transiuit, quomodo vniuersi & inter nos & in Christo vnum non erimus: Christus enim est huius vnionis vinculum, qui Deus simul & homo. Sed de vnione corporali satis. De spirituali autem eandem viam sequentes, dicimus, quia Spiritu Sancto recepto, & inter nos quodammodo & cum Deo vnimur. Nam quamuis vnicuiq; nostrum Patris, & suum Spiritum distribuit, indiuisibilis tamen Spiritus est, & distributus singulis spiritus in seipso vnit, & omnes quibus distributio facta est, vnum ex seipso efficit. Et sicut virtus sanctissimæ Christi carnis vnum corpus facit participantes, eodem arbitror pacto, in quibus indiuisibilis Dei Spiritus habitauit, eos omnes ad spiritalem vnitatem conducit.*

LXX. Hæc Hilarius, hæc Cyrillus: quibus tam prolixis nihil existimatum est, disertius: nihil clarius, nihil maioris momenti. Et sane titillarunt Papisticas aures vasta nomina, naturalis, corporalis, naturaliter, corporaliter. At nos miramur, vt alias, ita nunc monstrosam stupiditatem, sic sonis hærentem, vt sententiam negligat. Nam profecto longe discessit à mente tam bonorum autorum, quibus nihil minus cogitatum, quam ijs definire verbis modum siue vnionis nostræ cum Christo, siue mādvcandæ eius carnis. Excutio per partes. Nam sic videor argumentum posse concipere. Vnio naturalis & corporalis, fit per manducationem naturalem & corporalem eius cum quo fit vnio. At omnis vnio nostri cum Christo est naturalis & corporalis. Ergo vnio nostri cum Christo, fit per manducationem naturalem, & corporalem, ipsius Christi.

LXXI Respondeo vnionem naturalem, corporalemque dici vel propter terminos vnionis, vel propter modum vnionis alias obiectiuè, aut formaliter: Priore designari res vniendas, quænam sint. Posteriore vero indicari rationem secundum quam fiat earum rerum vnio, siue media per quæ contrahatur. Sic hominum in matrimonio fit vnio corporum & animorum: quoniam termini vnionis illius, sunt vtrinque tum corpora, tum animi. Et quidem animorum vniendorum etiam modus est non corporalis: sed corporum partim corporalis, per συναφῆ, partim spiritualis, per illam quæ est animorum, ex qua fit vt vere matrimonium constet etiam inter longe dissitos.

LXXII. Itaque si vnionem intelligas obiectiue, conceditur minor. Neque enim censemus frustra carnis, & sanguinis: imo corporis vsurpata fuisse nomina. Sed negamus maiorem. Neque persuaderi possumus omnem corporum vnionem esse formaliter corporalem. Certe Paulus erat corpus: & tamen vnitus Corinthijs spiritualiter: Prioris ad Corinth. 5. *Ego vt absens corpore præsens autem spiritu iam vt præsens iudicaui, vt is qui hoc ita perpetrauit, vobis & meo spiritu in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis, cum potestate Domini nostri Iesu Christi, huiusmodi, inquam, homo tradatur Satanæ.* Act. 4. *Multitudinis eorum qui crediderant, erat cor & anima vna.* Et ne longius abeam. Nulla manducatio corporis Christi spiritualis, fit per manducationem naturalem & corporalem: At omnis manducatio corporis Christi spiritualis, est vnio nostri cum Christo, obiectiue naturalis & corporalis: Ergo aliqua vnio nostri cum Christo obiectiue naturalis, & corporalis, non fit per manducationem naturalem & corporalem. Minor patet: quia manducatio corporis Christi, habet pro obiecto corpus Christi: alioquin non esset manducatio corporis. Maior non est obscura: eo ipso quod ea manducatio dicatur spiritualis: Nam ipsi Papistæ diametraliter opponunt manducationem spiritualem manducationi corporali.

LXXIII. Quod si vnionem intelligant formaliter, id est corporalem dictam, & naturalem plene conceditur maior, alias enim implicaretur contradictio. Sed negatur minor. Non enim verum est, vnionem nostri cum Christo esse formaliter naturalem & corporalem. Alioquin manducatio Christi spititualis, non esset vnio nostri cum Christo, quod absurdum est.

LXXIV. His positis nunc inquirendum superest, vtra de vnione loquantur

quantur Hilarius, & Cyrillus. Ea ne quæ obiectiuè naturalis sit & corporalis: an potius quæ formaliter. Nos hanc negamus, illam dicimus. Papistæ contra. Horum videamus nunc argumenta: postea nostra: & quidem ordine meo.

LXXV. Primum esto Bellarmini in Cyrillo: qui c. 13. in Ioannem 4. *Firmam*, ait, *fidem mysteriis adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus, illud Quomodo aut cogitemus, aut proferamus.*

LXXVI. Audio: sed vim argumenti percipio nullam. Quid enim est, non cogitandum quomodo in mysteriis fidei: Ergo sermo est de vnione formaliter corporali? Ignoscant Oedipi: Nos Daui sumus: & quanquam Christiane docti, non anquirendum, Quomodo, quoties Deus est loquutus: tamen Christiane scimus non vti Papistica placita eodem priuilegio cum mysteriis diuinis. Deinde iterum scimus cum inuestigatur sensus mysteriorum, non tamen quæri illud, quomodo. Alioquin quid faciunt nunc Papistæ, disputantes vtro sensu hæc vnio sit intelligenda, corporaline, an spirituali: Quod cum agunt si negant se peccare: quid habent, quo nobis insultent? Nisi ad personas redeant, & quomodo Oecumenicum titulum damnandum concedunt in Ioanne Constantinopolitano: negant in Romano, sic nobis interdicant, sibi permittant inquirere, Quomodo. Sed nos talibus tyrannis nihil debemus, nisi longum flere.

LXXVII. Secundum ibidem. Cyrillus ostendit, Deo nihil esse impossibile, & probat potuisse nobis dare carnem suam ad manducandum, quia multa alia fecerit mirabilia, vt cum virgam in serpentem, & aquas mutauit in sanguinem, cum diuisit mare, cum ex petra scaturire fecit aquas. Quæ omnia ineptissime dicerentur, si nihil esset Eucharistia, nisi signum Domini.

LXXVIII. Atqui primo nonnihil detorquetur institutum Cyrilli: Falsum enim probare Christum potuisse nobis dare carnem suam ad manducandum, sumpto argumento ex illis miraculis. Non enim id agebat. Sed non esse inquirendum, Quomodo. Propositio est, *Aliorum culpa perdocti, cum Deus operetur, non quæramus quomodo, sed operi sui vim, atque scientiam illi soli concedamus.* Huic propositioni subiiciuntur argumenta tria. Vnum ab exemplo naturæ diuinæ, quam credentes seruamus, etiam alioquin ignoratam: alterum ex Esaiæ 55. vnde constat consilia Dei esse supra captum nostrum: tertium à simili: quia cum artifices periti promittunt incredibilia, tamen fidem obtineant. His absolutis, *Si vero tu, ô Iudæe, Quomodo etiam nunc clamas, hanc tuam imperitiam ego quoq; secutus, libentur quomodo ex Ægypto exiuisti, rogabo: quomodo in serpente Mosaica fust virga conuersa: quomodo lepra manus affecta, vno momento temporis, in pristinum statum restituta iterum fuit:* & reliqua quæ Bellarminus recensuit. Patet ex serie, quæstionem nullam fuisse, vtrum Deus posset dare carnem suam: sed vtrum in omnibus operibus Dei interrogandum sit, quomodo.

LXXIX. Deinde, quid illud est, *Omnia ineptissime dicerentur, si nihil esset in Eucharistia, nisi signum Domini?* Mitto non quæri vtrum nihil sit in Eucharistia præter signum: mitto neminem nostrum ita asserere. Hoc dico, Cyrillum de Eucharistia non agere: ne nominare quidem: sed de spirituali manducatione. Non tantum quia tota illa concione 6. Ioannis de ea sermo est, vt suo loco disputaturi sumus: sed etiam quia testibus Papistis nondum erat Christus loquutus nisi de ea. Quare ad eam pertinebat istud Iudæorum, Quomodo. Quamobrem Eucharistiam importune nunc oggerit Bellarminus.

LXXX. Tertio, Quid tum si concedamus agi de Eucharistia? An consequens est ideo agi de vnione formaliter corporali? Imo quia Iudæi tum interrogassent, *Quomodo*, cum audissent Christum loquutum non nisi de spirituali manducatione, id est vnione: & hoc, Quomodo seueriter exagitet Cyrillus, ostendit sibi hoc mentis esse, Ne tum quidem cum agitur de spirituali manducatione corporis Christi, licere opponere Iudaicum, *Quomodo.* Quod vel nihil pertinet ad Eucharistiam, vel ostendit in Eucharistia fieri hanc spiritualem manducationem.

LXXXI. Tertium argumentum ex decimo quarto quintoque eiusdem libri. Docet non solum animum per Spiritum Sanctum in beatam vitam ascendere, sed etiam corpus nostrum corruptibile per contactum & manducationem carnis Christi incorruptibilis, immortale fieri. Et illustrat similitudine insigni, *Sicut enim scintilla ignis in fœnum aut paleam immissa totum inflammat: sic Verbum Dei per Eucharistiam nostra natura corruptibili coniunctum totam resurgere faciet immortalem & gloriosam.*

LXXXII. Imo vtrunque hunc locum Bellarminus falsauit. Primus sic habet. *Oportuit enim certe, vt non solum anima per Spiritum Sanctum in beatam vitam ascenderet: verum etiam vt rude atque terrestre hoc corpus cognato sibi gustu, tactu, & cibo ad immortalitatem reduceretur.* Vides gustum, tactum, cibum, manducationem non vides quam ille substituit: Ridicule tamen. Nam etsi cibus videatur rem potius designare, manducatio modum: tamen hic ipse modus geminus est, spiritualis, & corporalis. Vnde Ioannis 6. atque adeo in priori parte concionis, non tantum Christus dicitur panis, id est cibus: sed etiam manducare vsurpatur de vnione spirituali, *Patres vestri comederunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis ille qui de cœlo descendit, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.*

LXXXIII. Præterea, quid attinet siue manducationem, siue cibum tam curiose attendere, vt obliuiscaris tactum, gustum non memineris? Cuius enim rei putas dictum tactum, dictum gustum? Si tymbolorum panis & vini: abis à thesi, quæ disputat de manducatione siue vnione corporis Christi formaliter corporali: sin autem corporis Christi, abis non tantum à veritate, sed etiam à teipso: Nam & antea tactum notauimus nullum esse corporis Christi, vt neque visum: sed & tu (nisi forte recedas à doctrina tuorum magistrorum) nullum agnoscis gustum nisi panis & vini. Sed profecto gustus panis & vini, etsi vere queat dici cognatus corporibus nostris, tamen ne tibi quidem est immortalitatis causa. Et vt in reliquis restites, tamen non potes negare gustum omnino esse accidentium, accidentia autem nulla abs te admitti in Eucharistiæ manducatione, quæ sint corporis Christi.

LXXXIV. Vtrum igitur statuis? Propriene loquutum Cyrillum, an figurate? Nam si proprie, mentiris igitur ab eo stabiliri manducationem formaliter corporalem corporis Christi in Eucharistia: nam ea nullum habet gustum, nullum tactum, cognatum rudi, atq; terrestri huic corpori. Sin figurate, cur mihi non liceat gustum, tactumque, & cibum interpretari de manducatione spirituali? Imo tibi: tibi, inquam cur liceat interpretari manducationem formaliter corporalem: à qua cuncti soletis omnes tropos arcere quam teueriſſime?

LXXXV. In altero loco ex cap. 15. primum illud. *Per Eucharistiam*, glossema est adulterinum, temeraria audacia insertum, qua plerunque plus valent Sophistæ, quam argumentorum subtilitate, aut etiam testium grauitate. Tolle hoc glossema, ne ausus quidem esset Iesuita locum nominare, nedum proferre. Quanquam ne hoc quidem addito victor euadit. Nam Verbum coniungi nostræ naturæ per Eucharistiam: quis negabat nostrum? Hoc quæritur vtrum per manducationem formaliter corporalem, an potius formaliter spiritualem: nec magis hæc verba in vnam propendent, quam in alteram: Sed quibus impudentia comes est, omnia pro se interpretatur: nec aliter pati possunt. At nos dicimus ita Cyrillum intelligendũ, vt sit, quemadmodum scintilla ignis in fœnum paleamve corporaliter immissa, totum incendit: sic Verbum Dei in naturam nostram spiritualiter immissum, totam inflammauit.

LXXXVI. Hactenus de Cyrilli mente: nunc de Hilarij, Vbi Bellarminus ita versatur, vt vim faciat in Eucharistia, de qua totum locum interpretatur. Itaque vim disputationis hoc syllogismo comprehendo: Omnis manducatio Christi in Eucharistia, est vnio formaliter corporalis. At Hilarij vnio naturalis & corporalis, est manducatio in Eucharistia. Ego Hilarij vnio naturalis, siue corporalis, est formaliter corporalis.

LXXXVII. Respondeo primum, manducationem Christi in Eucharistia vel late dici, vt eadem quæ alias, atque aliter, fiat etiam in Eucharistia: quomodo ipsi Papistæ volunt spiritualem adiungi Eucharistiæ, quam dicunt corporalem, etsi non negent extra Eucharistiam fieri: vel adæquate: id est vt fiat non nisi in Eucharistia & per Eucharistiam, quæ mens est Papistarum, de illo suo corporalis manducationis commento. Si late sumas, potest absque incommodo concedi minor. Nam & hæc nostra sententia est, & Veterum, eandem coniunctionem nostri cum Christo, quæ fit, pura in Baptismo, sanciri isto Sacramento peculiari institutione ei dicato. Vnde disertissima fuerunt Augustini verba apud Bedam in 1o. prioris ad Corinthios, quæ cum dixerunt eum qui fit in Baptismate membrum Christi, fieri participem corporis sanguinisque Dominici, etiam si nec panem comedat, nec vinum bibat: addunt, *Sacramenti enim illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum significat inuenitur.* Vnde manifestum eam ipsam communionem Christi, quæ obtinetur in Baptismo, esse rem significatam: esse beneficium Eucharistiæ. Hæc igitur si mens esset aduersarij, rum solutio erit à maiori negata, de qua dicam paulo post.

LXXXVIII. Sin autem sumat adæquate, profecto falsa est minor. Nunquam enim somniauit Hilarius, illam quam nominat corporalem vnionem cum Christo, sic fieri in Eucharistia, vt nunquam extra: quod nos probabimus postea.

LXXXIX. Hactenus minor. Nunc maiorem dico vndequaque esse falsissimam: atque adeo ipsam thesim nunc disputationi obiectam. Vnde fit, vt non possit excusari nugatio. Etenim hoc testimonium Hilarij inducebatur, vt probaretur in Cœna manducationem Christi esse formaliter corporalem: quoniam per eam fiat vnio ista cum Christo siue naturalis, siue corporalis. At nunc contra, concluditur hæc vnio esse siue naturalis, siue corporalis, quoniam fiat per manducationem in Eucharistia, formaliter corporalem. Quantum acumen!

XC. Hoc argumentum non formauit Bellarminus: itaque nec solicitus fuit confirmare per partes. Tantum collegit argumenta quinque ex Hilarij verbis, quæ non facile dixerim quo pertineant, ad minoremne, vt probet agi adæquate de manducatione Eucharistica: an ad maiorem, vt statuatur manducatio Eucharistica esse corporalis. Itaque me oportet in tanta incertitudine ad vtrunque esse paratum, & retinere ordinem obiicientis.

XCI. Primum ergo argumentum ex illis verbis, *Nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus.* Etenim, inquit, illud *Cibo Dominico*, cogit intelligi manducationem corporalem, non solam spititualem. Ratio, quia cibus Dominicus omnium consensu est Eucharistia. Vult igitur Hilarius nos dum Eucharistiam percipimus, in illa & per illam, vere carnem Domini sumere. Formo. Cibus Dominicus est Eucharistia. At Verbum caro vere percipitur in cibo Dominico. Ergo Verbum caro vere sumitur in Eucharistia.

XCII. Respondeo primo, maiorem vel vniuersaliter sumi, vt omnis cibus Dominicus sit Eucharistia, quomodo homo est animal. Vel indefinite, siue specialiter, vt animal est homo, id est, quoddam animal est homo. Vniuersaliter sumpta falsa est: quoniam, vt iam notatum, non in sola Eucharistia, Christus est cibus. Sin autem indefinite. Conceditur, sane: sed non pertinebit ergo adæquate ad Eucharistiam, in quo vim esse oportet argumenti, si qua est. Et sane conclusio, vt est concepta, non concludit quæstionem. Nihil enim opus erat inferre, corpus Christi vere percipi in Eucharistia: quod vltro damus. Sed hoc opus erat, non percipi nisi in Eucharistia.

XCIII. Præterea, ne hoc quidem dubium, vtrum vere percipiatur in Eucharistia: quod & nos statuimus: sed sumptionem esse formaliter corporalem. Ac sane sic proposuerat Bellarminus, *Cogit*, aiebat, *intelligi manducationem corporalem.* Quod nos negamus. Ita superflue diligens Sophista, id probat, quod non negatur: & supine securus id negligit: quod ipse sibi disputandum posuerat.

XCIV. Sed enim certa solutio est: his verbis, *Cibo Dominico* vere designari manducationẽ corporalem, quæ fiat in Eucharistia, quam esse cibum Dominicum nemo Christianorum dubitet. Sed hanc manducationem esse nõ carnis Verbi, sed elementi externi: nempe panis, quam Augustinus appellauit panem Domini, distinxitque à pane Domino. Quare Hilario Verbum carnem cibo Dominico sumere, id ipsum esse, quod nos contendimus, in manducando corporaliter panem Eucharisticum, manducari spiritualiter carnem Christi.

XCV. Secundum argumentum, ex illis verbis, *De naturali in nobis Christi veritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus.* Quæ indicant mysterium Eucharistiæ tale esse, vt paradoxum stultissimum videri possit, nisi à Deo proponeretur. At Christum sola fide manducari, & esse in

nobis,eo tantum modo quo sunt cætera,quæ animo apprehenduntur, neque paradoxum, neque stultum videri potest, etiam si id non diceretur à Deo. Vere autem stulti haberi possemus, si absque Dei Verbo crederemus, veram Christi carnem ore corporali manducari: nam id semper infideles stultissimum paradoxum æstimarunt.

XCVI. Vtrum vult concludi? Eucharistiamne adæquate? Videtur maluisse sumere tanquam per se notum: quod tamen negamus nos. Nam naturalis veritas Christi in nobis est, ex mente Hilarij, etiam extra Eucharistiam: vnde vt diximus, consequens necessarium, non intelligi formaliter naturalem, quod tamen si non obtinet Bellarminus laterem lauat. At Hilarius nunquam ita testatus est: neque Bellarminus firmauit.

XCVII. An igitur potius concludit manducationem formaliter naturalem? Argumentum ita erit. Omnis communicatio Christi: quæ infidelibus est paradoxum, ea est formaliter naturalis. At communio Christi, quam asserit Hilarius est infidelibus paradoxum. Ergo eadem est formaliter naturalis. Respondeo maiorem esse falsam. Nam communio spiritualis semper fuit apud infideles paradoxum. Est enim mysterium cœleste: At cœlestia caro non capit. Atque adeo Iudæi ipsi non tum cœperunt admirari verba Christi, cum ad secundam concionis partem peruenit Christus: sed etiam in prima: qui enim negabant de cœlo descendisse, non poterant credere eum esse panem cœlestem: Quomodo ergo credidissent potuisse manducari ad vitam æternam.

XCVIII. Sed argumentatur Sophista, Christum esse in nobis eo tantum modo, quo cætera quæ animo apprehenduntur, neque paradoxũ est: neq; stultũ. At Christũ sola fide mãducari & esse in nobis, est eo tantũ modo esse in nobis, quo cætera, quæ animo cõprehenduntur. Ergo Christum sola fide manducari, neque paradoxũ est neq; stultũ. Respondeo negari assumptũ. Nã quæ sunt in nobis per solam animi apprehensionem, vtpote Lapis in Physico, aut Eclipsis Solis in Astrologo, vt diuitiæ in concupiscente mendico, panis in desiderante famelico: ea nihil efficiunt in iis in quibus sunt: nam neq; medicus diues est: neque famelicus fit satur: neque Astrologus deficit ipse neque Physicus durescit. Sic neque epulo ille etsi in animo haberet aquam ex digito Lazari, tamen nihilo magis refrigerabatur. At Christus per fidem manducatus, ita est in nobis, vt etiam agat in nobis. Vin scire? Audi Christũ, *Panis ille Dei is est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Hæc est voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: Amen, amen, dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam.* Quæ omnia de manducatione spirituali dicta esse consentiunt Papistæ Catholicis. Itaque velit nolit Bellarminus, necesse est Christum per fidem manducatũ aliter esse in manducante, quam aquæ guttulam in animo Epulonis aliter, inquam, quam reliqua, quæ ille dixit animo comprehendi. Et sane etsi verũ sit, vtrinque esse comprehensionem animi: tamen non est verum, vtrinque esse fidem, quæ facultas est quædam animi, quibusdam propria & peculiaris, atque adeo ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων.

XCIX. Tertium argumentum, ex illis verbis, *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra vere caro est, & vere sanguis est.* Et mox, *An hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant.* Hæc verba non possunt accipi nisi vno ex his tribus modis. Vel Christum assumpsisse veram carnem: vel veram carnem fide manducari in Sacramento: vel veram carnem reipsa & ore corporis sumi, cum sumitur Eucharistia. At non primo, non etiam secundo: Ergo tertio tantum. Non de assumptione probat: Primo, quia non agat Hilarius de Incarnatione, sed de Eucharistia: neque disputet contra Manichæos, negantes habere veram carnẽ: sed contra Arianos, negantes diuinitatem Christi. Secundo, quia cum dixisset, *Nisi ab eo discimus:* & protulisset, *Caro mea vere est cibus*, vt probaret nobis Christi carnem naturaliter vniri: deinde immediate addidit, *De veritate carnis & sanguinis*: Ergo de veritate carnis communicatæ agit, non veritate assumptæ. Tertio, quoniam probet non posse ambigi de veritate carnis Domini, cum qui dixit, *Caro mea vere est cibus*, vere sit Deus, apertissime indicet loqui de veritate carnis in Eucharistia. Ratio: quia non sequatur Christus est vere Deus: Ergo habet veram carnem: Neque dixit, *Caro mea vere est cibus*. Ergo habet veram carnem. At vere sequitur, Christus Deus est, qui dixit carnem suam esse cibum nostrum: Ergo in Eucharistia est vera caro Domini. Ratio consequentiæ, quia cum Deus sit, potuit præstare quæ dicebat. Iam non agi de secundo docet, quoniam nihil sit; veram Christi carnem manducare fide, nisi credere Christum habere veram carnem, & in ea carne vere esse mortuum pro nobis. Deinde, quia ad id probandum non foret opus argumento a diuinitate Christi asserentis: non enim est difficile, posito mysterio incarnationis, veram carnem, fide manducari.

C. Respondeo: negari assumptum. Nam vere Hilarium agere de vtroq; membro, & primo, & secundo: addo etiam de tertio, modo ne adæquate. Est enim verum supponere veritatem incarnationis: & veritatem manducationis per fidem, cuius Sacramentum certissimum fit Eucharistia. Itaque id manducari spiritualiter, quod fuit assumptum corporaliter: id autem in Eucharistia manducari quod manducetur spiritualiter, etiam extra Eucharistiam.

CI. At negat Bellarminus agere de Incarnatione, sed de Eucharistia. Quomodo inquam, agere? Ex professo, an per occasionem? Ex professo, cõcedo non agi de Incarnatione: sed & de Eucharistia nego. Itaque si ea ratio bona est, vt concludatur non agi de Incarnatione, quia non est id argumentum propositum Hilario: erit etiam bona, non agi de Eucharistia, quia ne id quidem Hilarius susceperit. Sin autem obiter, & oblata occasione: atque propter aliud, concedo sane sic agi de Eucharistia: sed vicissim eodem modo agi dico de Incarnatione. Itaque si legitima sit ratio Bellarmino asserendi agi de tertio capite: mihi quoque legitima est, agi de primo.

CII. Non agit contra Manichæos negantes habere veram carnem. Concedo. Sed agit contra Arianos negantes diuinitatem. Ne hoc quidem eo inficias. Sed hæc quid ad rem? Disputationis enim hæc facies est. Voluntariam non naturalem vnitatem Patris & Filij introducebant Ariani. Hilarius naturalem tuetur. Quia videlicet naturaliter in nobis Christus maneat, id est, per humanitatem. Quare si Pater & Filius vnum sunt, quemadmodum Christus & nos: Ergo Pater & Filius vnum sunt naturaliter. Probat Hilarius Christum & nos vnum esse naturaliter: quia *vere carnem corporis nostri Christus assumpsit. Et nos vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus: quia Pater in eo est, & ille in nobis.* Hinc patet quomodo cum Incarnationis, tum Eucharistiæ mentio sit facta: nimirum, vt subsidiariorum argumentorum probandæ assumptioni, quæ posuit nobis vnitatem esse naturalem cum Christo.

CIII. Concedo illud prolatum, *Caro mea vere est cibus*: sed non vt probaretur nobis Christi carnem naturaliter vniri: nunquam enim ita dictum Hilario: sed Christum nobis naturaliter vniri: ea enim sunt eius verba, quæ vir modestus non debuit mutare: cum non sit idem sensus, vt postea dicam. Concedo statim additum, de veritate corporis & sanguinis non esse relictũ dubitandi locum: Sed illud, *agi ergo de veritate carnis communicatæ, non assumptæ*, non possum concipere. Nam neque alia caro est assumpta, quam communicata: si autem sensus sit agi de carnis communione, non assumptione, manifesta allucinatio est. Nam hæc verba, *de veritate carnis & sanguinis*, agunt de assumptione, non communicatione, quantumuis immediate connexa illis, quæ de communione. Nimirum quia vtrumque erat demonstrandum, & vniri nobis Christum, & vniri nobis Christum, & vniri per veritatem naturæ: prius factum, per verba Euangelij, de vera esca, & vero potu. Alterum fit hac clausula, quæ rem ponit extra aleam, duplici argumento: vno à professione Domini, videlicet, carnem & sanguinem nominantis: altero à fide nostra, aperte profitentium vere carnem, & vere sanguinem.

CIV. Non bene sequitur, Christus Deus est, ergo habet veram carnem. Non sequitur, Dixit, *Caro mea est vere cibus*: Ergo habuit veram carnem. Contra vero bene sequitur, Christus, qui dixit carnem suam esse cibum nostrum, Deus est: Ergo in Eucharistia est vera caro Domini. Sed primum Bellarminus quare distraxit duo prima, & confudit in tertio? Quare non dixit, Christus, qui dixit caro mea est vere cibus, est Deus: Ergo habuit veram carnem, æque ac in postremo membro? Aut si sic dixisset Hilarius, cur minus necessaria consequentia esset? Nisi forte id præstare impotens esset. Sed vere nihil horum dictum Hilario. Bellarminus potius nihil videt, aut certe nihil vult videre.

CV. Non est, ait difficile posito incarnationis mysterio, veram carnem fide manducari, vt opus fuerit argumento à diuinitate Christi. Imo sui semper similis Sophistes est: nullo tali argumento vsus est Hilarius. Deinde si vsus, tamen nihil esset absurdi: nisi apud eos, apud quos carnem Christi fide manducare, nihilo plus habet, aut mysterij, aut virium, quam quum animo concipit quis lapidem, aut stellam. Sed longe aliud statuet, qui à Christo audierit *cibum quem filius hominis dabit vobis.* Et, *Non dedit vobis Moses panem illum cœlestem, sed Pater meus dat vobis panem illum vere cœlestem.*

CVI. Quartum argumentum ex eo quod Hilarius sæpissime repetit Christum naturaliter esse in nobis per sumptionem Eucharistiæ. Nam vnũ esse in alio naturaliter, est naturam vnius vere in altero esse. Hoc probat ex his verbis, *Cur gradum quendam, atque ordinem consummandæ vnitatis exposuit, nisi vt cum ille in Patre per naturam diuinitatis esset, nos contra in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rursus in nobis per Sacramentorum inesse mysterium crederetur?* Vbi docet Filium esse in Patre naturaliter, quia natura Filij vere est in Patre, cum sit vna vtriusque natura: item nos esse in Christo naturaliter, quia vere naturam nostram sibi Deus vniuit per mysteriũ Incarnationis. Denique Christum naturaliter esse in nobis, quando sumimus Eucharistiam: quia naturam suæ carnis nobis vnit. Sicut igitur vere & proprie natura Filij est in Patre, & natura nostra est in Christo, ita necesse est vere & proprie natura carnis Christi fit in nobis, quãdo Eucharistiã sumimus.

CVII. Christum esse in nobis per sumptionem Eucharistiæ, dictum cõcedo ab Hilario, quanquam iis verbis nunquam vso. Sed per Eucharistiam solam neque dixit, neque innuit vnquam. Quo tamen valde opus erat Papistis, vt non semel annotatum. Rursus esse in nobis naturaliter per Eucharistiæ sumptionem, vere dixit: sed secundum obiectum, non secundum formam: hoc est, vt dicebamus, in Eucharistia naturam sumi, videlicet carnem, siue corpus quanquam non naturaliter, siue modo naturali.

CVIII. Itaque etiam hoc facile, Naturaliter in alio esse: significare Hilario naturam vnius vere in altero esse Nam hoc ipsum ambiguum: quandoquidem aduersarius intelligit suo more, de præsentia formaliter corporali. Quod tamen Hilarius aliter. Hoc patet, quoniam in Christo nos esse, explicet per corporalem eius natiuitatem: quæ profecto non admittit eum modum formaliter corporalem, quem aduersarij imaginantur.

CIX. Quare istud perperam: sic vere & proprie naturam Christi esse in nobis: vt naturam Filij in Patre. Nam ex duobus capitibus cur vnum est selectum? Hilarius enim non tantum notauit Filium in Patre: sed etiam Filiũ esse in nobis. Itaque si similitudo esset vlla, dicendum foret: sic Filium in nobis esse, quomodo Filium in Patre, & nos in Filio. Sed hoc de nobis in Filio consultius sibi omittendum Bellarminus putauit: nempe alienum à suo instituto. At nos reuocati voluimus: vnde patet, non pertinere ad vim argumenti id quod proprium est vnitati Filij & Patris. Nam aliter, id est, si hoc ipsum esset argumentum: tum vel eodem modo oporteret nos in Christo esse: quo Filium in Patre: vel absurde Hilarium res diuersarum proprietatum in eandem similitudinem comparasse.

CX. Itaque verius est non similitudinem ab Hilario notari, sed seriem: videlicet, vt exponeret quomodo omnes, id est, Pater, Filius, nos, vnum simus. Nimirum quia Filius vnum cum Patre: nos vnum cum Filio: vnum autem cum Filio nos, tum quia nos in eo per corporalem eius natiuitatem, id est incarnationem: tum quia ipse in nobis per Sacramentum communicatæ carnis. Sic paulo ante legas, *Ita enim omnes vnum sumus: quia & in Christo Pater est: & Christus in nobis est.* Iterum, *Vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & vere homo ille, quia ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis.* Sed & iterum, atque adeo in hac ipsa orationis parte, quam nunc vrget Iesuita, nulla similitudinis nota est, sed graduum discriminatio, *Gradum quendam,* inquit, *atque ordinem consummandæ vnitatis exposuit.* Quis autem ordo? *Vt cum ille in Patre per naturam diuinitatis esset,* (primus gradus) *nos contra in eo per corporalem eius natiuitatem,* (secundus) *& ille rursum in nobis per Sacramentum inesse mysterium crederetur,* (tertius) *ac sic per Mediatorem vnitas doceretur, cum nobis in se manentibus*

tibus, ipse maneret in Patre, & in Patre manens maneret in nobis: & ita ad vnitatem Patris proficeremus, cum qui in eo naturaliter secundum naturitatem inest, eos quoque in eo naturaliter ineſſemus ipso in nobis naturaliter permanente. Vbi illa Bellarmini similitudo occurrit? Vbi, inquam, dictum sic nos esse in Christo, quomodo Christum in Patre? At manifesta gradatio: vnum nos esse cum Patre, & Filio: quia sit in Patre Filius: & nos in Filio: & Filius in nobis.

CXI. Superest quintum argumentum, ab his verbis, *Hæc vero vita nostra cum est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, vitam nobis per eum ea conditione, qua vixit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum viuimus, id est, naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se Patrem habeat, cum viuat ipse per Patrem?* Et infra dicit, *Filium Dei carnaliter in nobis manere per Eucharistiam.* Quid potuit clarius dici, ait Bellarminus, quam in nobis carnalibus Christum per carnem suam carnaliter manere? Si enim fide tantum, & non corporis instrumento Christi carnem manducaremus, non esset in nobis carnalibus, id est, quatenus carne constamus: sed esset in mente, & animo nostro tantum: neque esset carnaliter, sed spiritualiter.

CXII. Respondeo nusquam Hilarium dixisse in nobis carnalibus Christum manere carnaliter per carnem suam. Sed alias per carnem, alias carnaliter. Nimirum quoniam idem sit ei, carnaliter & per carnem. Itaque alterutro tantum semper vsus, nunquam vtroque simul. At Bellarmino necesse fuit vtrumque simul: nempe tanquam diuersa: quasi *per carnem* designet naturam secundum quam vnio fiat: *carnaliter* autem eius vnionis modum. Hæc impostura est. Item, cum dixit post à se descriptam periochen, Hilarium dicere Filium Dei carnaliter in nobis manere per Eucharistiam: præstitisset ipsa verba describere, quam faciem nouam fingere, *Hæc iccirco à nobis commemorata sunt*, inquit Hilarius, *quia voluntatis tantum inter Patrem & Filium vnitatem hæretici mentientes, vnitatis nostræ ad Deum vtebantur exemplo, tanquam nobis ad Filium, & per Filium ad Patrem, obsequio tantum ac voluntate religionis vnitis, nulla per Sacramentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur: cum & per honorem nobis datum Filij Dei, & permanentem in nobis carnaliter Filium, & in eo nobis corporaliter & inseparabiliter vnitis mysterium vera ac naturalis vnitatis sit prædicandum.* Hæc Hilarius: in quibus etsi perinde nobis sit loquatur necne de Eucharistia: tamen videtur Sacramentum carnis & sanguinis non apte redditum per Eucharistiam, forte melius exponendum per mysterium, & arcanum, vt significet Sacramentum Incarnationis, siue naturæ humanæ veritatem in Christo, nobis etiam communicatæ per fidem. Quia tamen verum est, hanc ipsam communicationem fieri in Eucharistia, esto sane liberum: & hæc annotatio doceat nihil aliud, quam Bellarminum suis verbis id expressisse, quod sibi sperauit commodius.

CXIII. Ad rem venio. Nihil, inquit clarius, quam in nobis carnalibus, Christum manere per carnem, siue carnaliter: sic enim liceat mihi emendare peccatum iam notatum. Ad quid, inquam clarius? Puto ad tuam illam exprimendam manducationem formaliter carnalem. At tu profecto mentitus es: qui ipse commentus es aliquid clarius verbis Hilarij. Cum enim iste nunquam dixerit nisi alias per carnem, alias carnaliter: tu longe clarius dixisti, *per carnem carnaliter*. Sed ambigue tamen Hilario dictum, nisi totus disputationis contextus subueniat, occasionem tibi præbuit referendi ad modum, quod tamen de termino debuit intelligi.

CXIV. Atqui si fide tantum: ergo non esset in nobis carnalibus, id est, quatenus carne constamus. Negatur, inquam, consequentia. Non enim obstat fides, quominus & ipsi nos carne constemus, & ipsam Christi carnem participemus. Imo efficit fides, vt qui carne constamus ipsam Christi carnem participemus: etsi efficere nequeat vt carnaliter participemus. Quid enim? Cum Christus dixit. *Qui venit ad me, nequaquam esuriet: qui credit in me, non sitiet vnquã*: nonne significauit se futurum in iis, qui crederent in se? Atqui statim, *Qui venit ad me, non eijcium foras.* Venitur ergo ad Christum, vt intra Christum. Qui autem sit intra Christum, in quo non sit Christus, nondum audiui Catholico cuiquam dictum. Sed quid habeo tam procul? Nam Hilarius dixit nos esse in Christo per corporalem natiuitatem. Atqui profecto non sumus nos in Christo per organa vlla corporis nostri. Quid ais ergo Bellarmine? Qui fit vt nos esse possimus in Christo absque vllis organis nostri corporis: & non possit Christus in nobis esse absque vllis nostri corporis organis? Nam ne erres, tam vere nos esse in Christo dicimur per corporalem natiuitatem, quam Christus in nobis, per Sacramentum corporis & sanguinis. Quid? nonne tu dixisti, sic nos esse in Filio, quomodo Filius est in Patre? Dic Bellarmine, Filium esse in Patre per organa corporis: & induces fortasse nos fateri non posse esse in Christo absque organis corporis. Sed illud si non potes, caue hocà nobis exspectes. Nam etsi non simus æque tecum Sophistæ: nouimus tamen æque tecum omnes aditus extitusque Sophistices: quomodo Hippocrates venena norat æque ac quisquam Venenarius.

CXV. Non esse, ais, in nobis per carnem, sed per fidem, & Spiritum, neque carnaliter, sed spiritualiter. Distinguo esse per carnem. Nam si formaliter, id est, carnali modo: prorsus sic nego dictum ab Hilario. Sin autem obiectiue, nego consequentiam. Nam, vt paulo ante, in nobis est per carnem propter corpoream natiuitatem, ita docente Hilario. Enimuero esse in nobis per carnem, non tollit esse in nobis per spiritum: dummodo Spiritus nominetur pro ratione essendi, non veto pro re ipsa. Certe enim si comeditur caro Christi per spiritum, siue per fidem, omnino caro Christi est in nobis per spiritum, per fidem. Illud autem est extra controuersiam, vt sæpe sæpius annotatum.

CXVI. Atque hactenus aduersariorum labor in peruertendo Hilario, & Cyrillo. Nunc vtrumque nos simplicitati suæ restituamus. Consentimus Gardinero, sentire nos propter substantiam carnis nostræ assumptæ esse in Christo naturaliter: & Christum item in nobis naturaliter esse propter substantiam carnis eius in mysterio datæ, & acceptæ. Sed hæc illa ratio est, quam obiectiuam diximus: nempe quia hoc modo designentur termini vnionis: hinc caro Christi, illinc caro nostra, id est, Christus quatenus homo, & nos veri homines. Neque dubitamus, quemadmodum nos concipiendi sumus præditi ea substantia per quam sumus homines: sic Christum etiam accipiendum præditum ea substantia, per quam est verus homo. Nam Christo qua Deus est, vniri non possumus, nisi quatenus est Mediator: Mediator autem est, quatenus nobis ὁμοούσιος. Hoc igitur semel esto constitutum, ea vnione, quam naturalem, & corporalem dixerunt Hilarius & Cyrillus, denotari copulationem verarum vtrinque naturarum humanarum, quarũ altera in Christo, altera in singulis nobis.

CXVII. Sed hanc esse mentem siue Hilarij siue Cyrilli, vt asseram illud corpus Christi verum sumi à nostro corpore vero, siue naturaliter, siue corporaliter, id est per modum aliquem naturalem, aut corporalem: hoc vero confictum dicimus, hoc falsum, neque vnquam aut dictum aut somniatum Hilario, Cyrillo. Probamus his argumentis.

CXVIII. Primo, quoniam eadem vnio quæ Hilario naturalis siue per naturam, Cyrillo corporalis dicitur & carnalis, siue secundum carnem, & corpus. Itaque eadem ratione vtrumque epitheton sumendum est. Si igitur per naturalem non termini designentur vnionis, sed modus, absurdum fiet, dici nobis vniri Christum secundum modum corporalem: At siue fiat vnio per fidem, siue per Eucharistiam, nihil est in ea naturale, sed per gratiam: Quis enim contradicat?

CXIX. Quin Hilarius ipse quid intelligat per natura vnum, aperte docet paulo ante hæc ex ea disputatione excerpta verba: nempe quoties aliquid est commune in quod conuenitur. Audi diserta. *Quorum anima, & cor vnum omnium erat, quæro vtrum per fidem Dei vnum erat. Vtique per fidem: per eam enim anima vna, & cor vnum omnium erat. Et interrogo vtrum fides vna, anne altera sit? Vna certe, etiam ipso Apostolo autore, vnam fidem, sicuti vnum Dominum, & vnum Baptisma, & vnam spem, & vnum Deum prædicante. Si ergo per fidem, id est, per vnius fidei naturam vnum omnes erant, quomodo non naturalem in his intelligis vnitatem, qui per naturam vnius fidei vnum sunt? Omnes enim renati erant ad innocentiam, ad immortalitatem, ad cognitionem Dei, ad spem fidei: & non possunt hæc sibi esse diuersa, quia & spes vna est, & Deus vnus est: sicuti & Dominus vnus est, & Baptisma regenerationis vnum est. Si hæc assensu potius vnum sunt quam natura: his quoque qui in hæc renati sunt, vnitatem voluntatis ascribe. Sin autem regenerati in vnius vitæ atque æternitatis naturam sunt per quod anima eorum, & cor vnum est, cessat in his assensus vnitas, qui vnum sunt in eiusdem regenerationis natura. Non nostra loquimur, neque ad illudendas audientium aures corrupto dictorum sensu aliqua ex his mentita compingimus: sed sana doctrina formam tenentes, quæ sincera sunt sapimus & prædicamus. Docet enim Apostolus, ex natura Sacramentorum esse hanc fidelium Dei vnitatem, ad Galatas scribens. Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non inest Iudæus neque Græcus: non inest seruus neque liber: non inest masculus neq; fœmina: omnes enim vnum vos estis in Christo Iesu. Quod vnum sunt in tanta gentium, conditionum, sexuum diuersitate, nunquid ex assensu voluntatis est, an ex Sacramenti vnitate, quia & his Baptisma sit vnum, & vnum Christum induti omnes sunt? Quid ergo hic animorum concordia facies, cum per id vnum sint quod vno Christo per naturam vnius Baptismi induantur?* Paulo post, *Itaque qui per rem eandem vnum sunt natura etiam vnum sunt, non tantum voluntate: quia & ipsi res eadem effecti sunt, & eiusdem rei, atq; efficientiæ sunt ministri.*

CXX. Obserua primum descriptionem vnionis naturalis in postrema clausula, oppositæ vnioni per solam voluntatem. Quæ ratio perpetua est, toti huic eius disputationi, susceptæ contra Arianos, negantes aut nobis siue inter nos, siue cum Christo, ac proinde etiam Filio cum Patre, aliam esse vnionem quam voluntatis. Quod commune etiam Cyrillo: qui, *Non tamen negamus*, inquit, *recta nos fide carere atque sincera Christo spiritualiter coniungi; sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus.* Vnioni ergo secundum voluntatem tantum, opponit Hilarius vnionem naturalem, id est, eam qua fit vt per rem aliquam vnum sint ea quæ vniuntur. Rem aliquam intellige igitur, quæ sit aliquid per se reale vnionis obiectum: vt exempli gratia, vnus Christus, quem omnes induimus.

CXXI. Obserua secundo, vnionem hanc naturalem nostri cum Christo assignari etiam Baptismo & fidei. Atqui manifestum est consensu etiam Papistarum, neque per fidem, neque per Baptismum vllam fieri vnitatem naturalem, id est, per modum naturæ nostræ. Nam etsi realis sit, propter terminos, tamen propter modum spiritualis est. Manifestum igitur naturalem vnionem Hilario non esse, quam aduersarij somniant, formaliter, inquam, sed obiectiue.

CXXII. Adde reciprocationem naturalis vnionis. Nos enim in Christo esse naturaliter: & naturaliter in nobis esse Christum, frequens est Hilario combinatio, *Est ergo*, inquit, *in nobis ipse per carnem, & sumus in eo, dum seciũ hoc quod nos sumus in Deo est. Quod autem in eo per Sacramentum communicatæ carnis & sanguinis simus, ipse testatur dicens, & hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis, quoniam ego viuo, & vos viuetis: quoniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Duplicem ergo rationem vnionis naturalis describit, vnam nostri in Christo: alteram Christi in nobis. Hanc demonstrat ex communione panis & vini: sed illam ex natiuitate. Nam, *Nos in eo*, inquit, *per corporalem natiuitatem.* Vnde & illud, *Quod in eo per Sacramentum communicatæ carnis & sanguinis simus*, perperam refertur ad Eucharistiam, quæ differt à natiuitate. Debet potius intelligi *Sacramentum communicatæ carnis & sanguinis*, ex illo ad Hebræos 2. *Quoniam pueri communicarunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem*: Et sit Sacramentum generali illa notione quæ arcanum dogma designat: hoc videlicet loco illud Incarnationis. Nempe vt in Christo simus per incarnationem. Qua mente Cyrillus dixit c. 12. quinti in Ioannem, *Vitem humanitatem eius esse, nos palmites propter identitatem naturæ.*

CXXIII. Hinc facile intellectu: longe alio sensu naturalem vnionem nominari ab Hilario, quam à Papistis. Illa enim per quam sumus in Christo, nihil habet eius formalitatis, quam necessario in hac exigunt controuersia Papistæ. Non enim eo minus separatum est Christi corpus à corporibus nostris: vnde necessario excluditur illa formaliter corporalis mistio, quam expressam putarunt in Cyrillo per admixtam ceræ ceram. Nemo igitur non videt, quandoquidem vnitas naturalis per quam nos sumus in Christo, constet etiam prorsus separatis corporibus, illam item vnitatem naturalem per quam Christus sit in nobis, non destitutam etiam si localiter separatum sit corpus Christi à corporibus nostris.

CXXIV. Huc refer Cyrillum vnioni nostri cum Christo comparantem

vnionem fidelium inter se cap. 16. vndecimi, ad explicandum illud Christi, *Sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*: non hoc sensu tantum vt vnum simus cum Patre & Filio sed etiam vt ipsi inter nos. Ille igitur, *Considerandum est, si ad vnitatem consensus & voluntatis*, (quam videlicet vrgebant hæretici) *naturalem etiam inuenire possumus, per quam nos inter nos & omnes Deo colligemur. Fortassis enim etiam corporali vnione coniungimur: licet adeo diss parati sumus, vt vnusquisque seorsum & subsistat & circumscribatur.* Hæc ille similiter vt Hilarius, concludentes vnitatem solius voluntatis inter Patrem & Filium, propter vnitatem voluntatis inter Filium & nos, refutauit indicata vnitate naturali inter Filium & nos: & sic Cyrillus inducentes eandem voluntatis vnitatem inter Patrem & Filium, propter vnitatem voluntatis fidelium inter se, repulit indicata naturali, siue corporali vnitate fidelium inter se: quam tamen diserte notet constare etiam separatis corporibus: sicut apertum est Petrum & Paulum ita esse vnum, vt tamen Petri corpus nunquam sit, nunquam futurum sit intra Pauli corpus.

CXXV. Denique Cyrillus 13. decimi, *Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & vitam traduci: nisi naturalis vita corpus ei coniungeretur. Non credis mihi hæc dicenti? Christo te obsecro fidem præbe. Amen, amen, inquit, dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Nota vnionem istam siue naturalem, siue corporalem statui absolute necessariam ad salutem. Nemo enim negat absolute id dici necessarium, quo non tantum posito ponitur, sed etiam sublato tollitur effectus. Hoc habes disertum. At qui illa quæcunque vnio est, quam Papistæ naturalem intelligunt & corporalem, minime omnium est absolute necessaria. Neque enim ea posita, ponitur salus, teste indigna manducatione: neque eadem sublata tollitur, alioquin absq; communione Eucharistiæ nemo salutem assequeretur.

CXXVI. His conficitur argumentis, naturalem illam, siue carnalẽ, siue corporalem vnionem nostri cum Christo non esse realem commixtionem naturarum, id est, vt loquebamur, formaliter talem: sed tantum obiectiue, id est, cuius vtrinque termini sint naturæ humanæ hinc Christi, hinc nostra: siue caro & corpus Christi, caro & corpus fidelium: quanquam alioqui caro carnem neque tangat, neque penetret.

CXXVII. Bellarminus vt soluat consequentiam, notat in Hilario distingui, esse vnum naturaliter, & vnum esse in alio naturaliter. In priori, satis esse vere participari naturam ipsius rei in qua sunt vnum: & ita fideles vnum esse naturaliter per fidem regenerationem, Baptismum. Sed in posteriore, non esse satis participari quomodocunque eandem naturam: sed amplius, naturam vnius mere esse in alio. Et hoc modo Filium esse in Patre, quia natura Filij vere est in Patre. Notat rursus, vnitatem per honorem, eandem esse cum vnitate per Eucharistiam, explicantem enim Hilarium illud ex 17. Ioannis, *Et ego honorem quem dedisti mihi dedi eis*: dicere, honorem quem habeat à Patre filius datum esse nobis, quia fecerit Filius, vt vnum simus cum eo, sicut ipse vnum est cum Patre: vt autem simus vnum cum eo, fecisse per mysterium Eucharistiæ, per quod in nobis per carnem suam vere maneat.

CXXVIII. Sed ista ψόδων γέμει. Primo falsum est distingui esse vnum naturaliter: & esse vnum in alio naturaliter. Nam contra Hilarium vnitatẽ nostrã cũ Christo exponere per esse nos in Christo, Christũ in nobis. Nos esse in Christo per incarnationem, siue eius natiuitatem: Christum esse in nobis per fidem, caritatem, Baptismum, Eucharistiam. Secundo falsum, vnum esse in alio, explicari, per naturam vnius mere existentem in alio, id est, mistam, quodammodo, sic enim puto concipi à Bellarmino. Nam quod de Filio dixit & Patre, nunquam Hilarius explicauit, nisi per communem naturam, id est, quia Filius eandem habeat naturam cum Patre, Est quidem verum naturam Filij non esse diuulsam à natura Patris: quemadmodum nostra natura diuulsa est à natura Filij, etsi eadem: sed hoc Hilarius nusquã attendit, *Quia oli Patri & Filio*, inquit, *ex natura proprium est vt vnum sint, quia Deus ex Deo, & vnigenitus ex innascibili, non potest nisi in originis suæ esse natura: ita vt & in substantia natiuitatis suæ qui vnigenitus est, existat, neque aliam ac diuersam diuinitatis natiuitas habeat, quam ex qua profecta est. Veritatem: nihil nobis ambiguum Dominus ad fidem relinquens, absolutæ vnitatis huius toto consequentis sermone docuit, naturam.* Tertio falsum, vnitatem per honorem, quicquam esse apud Hilarium distinctum ab ea vnitate quam naturalem dixit: Falsum assignari peculiariter Eucharistiæ mysterio. Atque adeo falsum in eius explicatione, vllam mentionem inseri Eucharistiæ. Sic potenter scilicet nouit aduersarios refutare Bellarminus.

CAP. X.

De inutilitate manducationis carnalis.

I. CONtra corporalem illam manducationem sic disputant Catholici. Primo, Si manducatio corporalis carnis Christi esset legitima, ergo esset instituta à Christo. At posterius falsum, ergo & prius. Consequentia non eget demonstratione. Assumptum probatur tribus argumentis. Primo, nihil institutum à Christo, est inutile: At manducatio corporalis carnis Christi est inutilis: Ergo hæc eadem non est instituta à Christo: Maiorem nemo negat. Minorem probo ex Ioan. 6. *Caro non prodest quicquam.*

II. Aduersarij minorem impugnant: & primum argumento refutant suo: deinde conantur verbis Christi satisfacere. Probant ergo vtilem esse manducationem carnalem enumeratis eius vtilitatibus. Petrus Michaelis c 8. primi dialogi quatuor designat. Primo, magis testatum Dei amorem: quod amantissimarum matrum more non alieno lacte, sed proprio suo corpore & sanguine suos pascere, & conseruare voluerit. Secundo Dei beneficium maius, quod non fidei & gratiæ tantum, verum etiam corporis arctissimo coniunctionis nexu, Christo Saluatori, tanquam caro de carne & os de ossibus eius coniungantur, vnumque cum eo fideles efficiantur. Tertio, quod per Christi carnis cum carne nostra vnionem, vim viuificam tanquam immortalitatis quoddã semen carni nostræ imprimi Vereres testentur. Quarto, quod maiores sic amoris faces nobis Deum adhibere voluisse Chrysostomus censeat, vt adillum redamandum obligatiores nos videremus, vtpote quos non figuris tantum & significationibus sui corporis, sed illo ipso pascat, atque conseruet.

III. Insto, primum has omnes vtilitates esse manducationis spiritualis: vnde saltem conficeretur superfluam esse carnalem: ac proinde etiam inutilem: vtpote, quæ actum ageret: quod in vno eodemque Sacramento, quis toleret? Patet in primo capite: nam Christus, cum dixit se esse panem illum vitæ, qui è cœlo loquebatur consentientibus etiam Papistis, de manducatione spirituali, non autem Sacramentali: atqui panis vitæ ne intelligi quidem potest, non pascens, non conseruans eum cui datur: Ergo cum se Christus spiritualiter dat comedendum, tum vero seipso edentes pascit & conseruat. Nec possunt excipere aduersarij seipso quidem, at non corpore suo: quod enim id monstrum esset? Maxime cum neque caro propter se cibus sit, sed propter inhabitantem Deitatem. *Nam si sola intelligitur*, ait Cyrillus, in 6. Ioannis, *nihil prorsus viuificare potest, quippe quæ viuificante indigeat: cum vero incarnationis mysterium laudabili cura secutati fueritis, & habitantem in carne cognoueritis, quamuis nihil penitus caro per seipsam possit, viuificam tamen esse factam credetis: nisi etiam Spiritum Sanctum non posse viuificare contendatis. Nam quoniam cum viuificante verbo caro coniuncta est, tota est effecta viuificata.* Denique optime cap. 15. quarti in Ioannem, *Non alius ipse est quam caro sua.*

IV. Deinde per eandem manducationem efficimur caro de carne, & os de ossibus eius. Quod facile constat ex 5. ad Ephesios, *Quoniam membra sumus corporis eius, ex carne eius, & ossibus eius.* In quæ verba Chrysostomus, πῶς οὖν ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ ἐσμὲν, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ, *Quomodo ergo sumus ex carne eius & ex ossibus eius? Quidam dicunt sanguinem & aquam: Sed non est. Sed sicut ille absque coitu factus est ex Spiritu Sancto, τοῦτο καὶ ἡμεῖς γινόμεθα ἐν τῷ λουτρῷ, nos quoque hoc fimus in lauacro.* Atqui in lauacro nulla esse potest carnalis manducatio. Et vero, cum Christus dixerit non posse palmites à se recisos vllum fructum ferre, necesse est quicunque fructum ferant (& hi omnes sunt qui ad vitam destinati) eos vnitos esse Christo: ac proinde eius membra: nam & palmites sunt vitis membra. Quare constat hoc secundum beneficia esse manducationis spiritualis.

V. Iam vero posteriora duo capita ab ipsis pendent. Nam vita æterna resurrectionẽ complectitur, necessario: vt si per manducationẽ spiritualẽ habeamus vitam æternam, omnino consequatur ex eadem haberi resurrectionem. Et vero Cyrillus 13. quarti in Ioannem, non dixit ex Christi carne immissa in nostrum corpus consequi hanc resurrectionem: imo in naturam nostram. Verba enim sic sunt, *Non enim potest natura nostra, vitæ coniuncta non viuificari. Et quemadmodum si quis scintillam ignis in fœno aut palea occultauerit, totum id ignitum necessario fiet: sic Verbum Dei tanquam scintilla in naturam nostram immissum totam in se inflammauit, atque ad vitam interitu penitus destructo reduxit.* Quod si quæras, quid sit Verbum in naturam nostram immissum, habes ab ipso paulo ante, *Quia Filius Dei homo factus est, omnes profecto resurgemus.* Immissum ergo per incarnationem in naturam humanam, non per carnalem manducationem in stomachum cuiusque.

VI. Quas porro quæris ardentiores faces amoris, quam quas diximus? Eadem enim beneficia, itidem obligant: Itaque si ipsum corpus habes tibi communicatum: si ex eo tibi arctissimam communicatam coniunctionem: si vitam æternam, resurrectionemque pigneratam, potesne aliquid excusationis proferre, quo aut non ames, aut etiam minus ames? Et vero cuiusmodi fuisse putes Sanctorum amorem sub lege? quos tamen negant Papistæ fuisse participes carnalis huius manducationis? Scilicet amauit Christum magis Petrus Michaelis, nunc corporum satur, quam bonus ille latro, eo ipso quo crucifixus est die, translatus in Paradisum, quanquam nihil ei fuisset commune cum ista carnalitate.

VII. Sic sunt omnia manducationis spiritualis. Sed nulla, dicebam, carnalis. Enimuero si essent, vel perpetua, vel accidentaria. Si accidentaria: Ergo non in eum finem institutio fuit. Quis enim quicquam instituit in finem accidentarium? Scio posse falli homines, & non omnium consiliorum euẽtus adipisci: sed id fieri, non quia quicquam instituant in finem accidentarium, sed quia maior vis finem impediat, quod est absurdum in institutis diuinis: cum Deus sit omnipotens.

VIII. Suntne igitur perpetua? Minime omnium. Nam quis ausit dicere infideles, atque hypocritas, imo etiam canes & porcos pasci & conseruari corpore Christi carnaliter sumpto? Nam profecto conseruari eos qui pereunt, nemo dixerit, nisi cui vel sensus communis luxatus sit. Viri autem Christo tanquam carnem de carne, & ossa de ossibus, qui non dissentiant à Christo, nisi qui monstra loqui amet. Vnde etiam ausus Augustinus negare ab iis sumi corpus & sanguinem Christi. Nec reliqua difficiliora. Nam immortalitatis semen in iis esse, qui destinentur æternæ morti, quis ferat, quis in canibus, & porcis? Sed neque amoris maiores faces inde habent iidem, qui discordant à Christo.

IX. Hactenus vtilitates nunc vehementer disputant de verbis Ioannis. Primus, Cæsar Bullingerus contra Plessæi libr. 4. caput 3. accusat nos desertis locis diserte, & perspicue definientibus ea quæ sunt fidei, delitescere sub cortice quorundam obscuriorum, ad perstringendos oculos imperitorum. Et 1. part. contra tractatum Orthodoxum segm. 22. Hæc verba sunt obscura. Est autem fraus magna, verborum perspicuorum velle sensum destruere, ex obscuritate aliorum difficilium & absconditorum.

X. Festiue sane quasi eius esset definire qui obscuri sint, qui perspicui loci. Sed miserrimus est nostri Deus, vt æque homines faceret: & longe magis pios, religiososque: imo latis constantes, vt ridere queamus nouos, & à se ipsis creatos prætores. Enimuero quis dixit Veterum: imo quis dixit non Papista, obscuriora esse verba, *Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam: verba mea spiritus & vita sunt*: quam illa superiora, *Panis quem ego dabo, caro mea est*, & similia? Et si à nullo habent autore, à qua saltem ratione habent? An non potius ab hoc insano præiudicio obscura esse, quæcunque non consentiunt Papisticis somniis, & nunc Transubstantiationi? Ap-ge phreneticos. Nobis persuasissimum nihil esse causæ cur hæc nunc verba obscuriora dicantur, quam quæcunque nobis opponuntur carnalis manducationis gratia.

XI. Secundo loco mihi sunto, qui nobis sua somnia imputarunt. Maldonatus in 6. Ioannis, *Probare ex hoc loco nituntur Christum carnem suam nobis in Eucharistia Sacramento non dare, quia caro non prodest quicquam, quorsum*

ſum autem daret nihil profuturam? Ianſenius, *Ex eo quod dicitur caro nõ prodeſt quicquam hi qui negant veritatem corporis Christi in Euchariſtia, hodie conati ſunt ſuum errorem defendere inferentes ex eo inutiliter Chriſtum ſuam carnem nobis in Sacramento reliquiſſe, eo quod ipſo teſte caro nihil proſit.* Luſitanus Suares ſermone 8. *Non immerito dicunt iuxta fidem ſuam, carnem non prodeſſe quicquam, eamque pro nihilo nobis dari. Eorum enim Patriarcha Caluinus expreſſiſſime ait, malos nihil in hoc Sacramento ſuſcipere: Sanctos autem ſi qui ſunt (eius hæc ſunt verba) eo non egere.*

XII. Sed Luſitanus ille impudentiſſimus, quæ nuſquam verba ſunt Caluini, ea fingit ex Caluino deſcripta αὐτολεξεί. Non opinor prolixe refellendus. Certe non docuit Caluinus impios nihil ſumere in hoc Sacramento. Qui enim potuit, qui ſciuit eoſdem Sacramentum ipſum ſumere? Quod ſi non hauſiſſet è Scripturis docentibus indigne comedi hunc panem, & bibi hoc vinum, poterat ſaltem ab Auguſtino diſcere, qui eos dixit tantæ rei Sacramentum quotidie ſumere ad propriam condemnationem. Sed docuit confidenter impios non ſumere ipſum corpus, ipſum ſanguinem Chriſti: quod diſputabitur ſuo loco.

XIII. Sanctos non egere corpore & ſanguine Chriſti, dixiſſe Caluinum, totidem verbis, aut omnino vllis verbis, quis Diabolus potuit vel cogitare? Bene quod Luſitanum iſtum ſcimus Franciſcanum fuiſſe. Nihil dico amplius. Meritus eſt enim is cucullus, vt nihil diri cenſeatur ab eo alienum. Sed contra Caluinus explicans hæc ipſa verba in quibus ſumus. *Nec recte etiam illi, qui Chriſti carnem prodeſſe dicunt quatenus crucifixa eſt, comeſam vero nihil nobis afferre. Quin potius comedere eam neceſſe eſt, vt crucifixa proſit.* Et diſertius aliquanto ante, cum in eo eſſet vbi dictum, *Caro mea vere eſt cibus, Quum affirmat carnem ſuam vere eſſe cibum animas, ſi careant cibo iſto, famelicas eſſe ſignificat: tunc ergo vitam in Chriſto inuenies, ſi vitæ materiam quæras in eius carne.*

XIV. Reliqui peruertunt argumentum noſtrum. Nunquam enim negatum nobis carnem Chriſti dari, aut vtiliter dari in Sacramento. Neque vereor vt cuiuſquam noſtrûm poſſint Sophiſtæ abuti nomine, ad ſuam hanc calumniam confirmandam. Remittant nobis noſtra ſenſa exponere, & ea ſi poſſint refutent: ſed ipſos ſibi fingere tragelaphos, hos eoſdem nobis affingere: & ſic denique in eos armari, quis paſſurus eſt? Breuiter dico, noſtri argumenti nullam vim eſſe aliam, quam quæ eſt à nobis expoſita. Huic iubemus Sophiſtas hærere, aut mutos eſſe.

XV. Sed rem ipſam tandem videamus eſt. Miras ambages in explicandis tam paucis verbis Chriſti. Negant omnes manducationem corporalem carnis Chriſti eſſe inutilem, quod aſſumebamus: Sed cum ad probationem ventum, hoc opus, hic labor eſt, adeo nihil habent certi quo ſe proripiant. Velim in claſſes ordinare meo more: ſed fateor non poſſe: itaque numero aggrediar. Notent Lectores tam multiplicem varietatem veritati vtilem eſſe, cuius ſimplex oratio ſolet ipſa ſibi non eſſe aduerſa, cum mendacium neque ſibi conſentiat, neque veritati.

XVI. Quæritur quo ſenſu ſit caro nominata. Hic Luſitanus ſermon. 8. Peterem lubenter ab eis, de qua carne loquutus Dominus, & vtrum de ſua intelligat, an de Capharnaitarum. Tum ſibi ipſi ſubito reſpondens. Neque vero adeo amentes, aut perfrictæ frontis, niſi penitus ſint hebetes, exiſtimo, vt Chriſtum de ſua loqui reſpondeant. Si quis autem dicat de Capharnaitarum carne loquutum, nouimus inquit, & indubitanter tenemus eam, nihil hoc in hoc myſterio operari potuiſſe, ideoque à Domino nullam de ea factam mentionem. Itaque concludere poſſumus eum de neutra verba feciſſe.

XVII. De neutra, ais. At nos de ea Capharnaitarum carne non loquutum prolixe concedimus. Imo bardum, ſtupidum, amentem dicamus fuiſſe, ſi quis ita in animum induxerit vnquam. Quid enim ineptius, quam cum tota oratione Chriſtus loquutus ſit de ſua carne edenda in vitam æternam: & Capharnaitæ ſcandalum ex eo paſſi ſint, quod ſuam carnem promitteret dandam in cibum: denique ad extremum dixiſſe, ô Capernaitæ, veſtram carnem ſi quis ederit, nihil inde ad eum commodi rediturum eſt. Hoc vere eſſet de cœpis interrogatum de alliis reſpondere.

XVIII. Sed de ſua carne non loquutum Chriſtum, non ſumus tam faciles, vt concedamus. De eadem, inquam, carne, de qua, tota fuit oratione loquutus. Niſi forte Chriſtum fingimus ἀπροσδιόνυσα, loquutum, & impoſuiſſe auditoribus, variis importuniſque ambiguitatibus: quod nos certe religioſiores ſumus, quam vt credere poſſimus. Diſputat tamen contra Maldonatus, *Non vident*, ait, *homines, vt ſibi videntur valde acuti, iſta ratione ſe non hoc ſolum myſterium, ſed omnem prorſus religionem Chriſtianam euertere Si enim caro non prodeſt quicquam, cur eam Chriſtus aſſumpſit? cur pro nobis eam cruci ſuffixit?*

XIX. At nos acuti ſimus, an obtuſi, iudicium nullum permittimus Maldonato, iurato modeſtiæ hoſti: profitemur tamen acuminis relicta laude Sophiſtis, malle ſoliditatis dignam Theologia. Interea negamus euerti aut religionem Chriſtianam, aut hoc Euchariſtiæ myſterium, ſi Chriſtum diximus loqui de carne ſua. In qua ſententia ſcimus habere ſocios plurimos, tum Veteres, tum etiam Papiſtas, de quibus, credo, non eſt tam impudenter loquuturus Ieſuita, quam de nobis iracunde, & impotenter. Veruntamẽ, ſi caro Chriſti ſit inutilis, ait, ergo fruſtra eſt aſſumpta, fruſtra in crucem oblata Diſtinguo, inquam: vt ſit inutilis abſolute, vel ſecundum quid. Priori modo negatur antecedens: neque enim nos quiſquam audiit dicentes, carnem illam Dei eſſe protſus inutilem, ſiue quocunque modo intellectam. Itaque amamus Ianſenium: qui, *Ex his*, inquit, *verbis nude intellectis non tantum ſequeretur Chriſti carnem inutiliter eſſe in Euchariſtia: ſed etiam inutiliter Verbum carnem factum eſſe, vt habitaret in nobis. Proinde certum eſt in his verbis opus eſſe commentario.*

XX. Poſteriore modo, negamus conſequentiam: non enim ſequitur, ſi ſit quodammodo inutilis caro Chriſti, propterea inutilem eſſe eius aſſumptionem, aut crucifixionem. Neq; viciſſim ſequitur, ſi vtiliſſima ſit aſſumptio, & crucifixio, ideo nullo modo dici poſſe carnem eam inutilem. Teſtes habeo Papiſtas ipſos, qui ſaltem laniatam, ſiue crudam, ſiue coctam conſentiunt eſſe inutilem: Sentiſne argumentũ Bellarmine? Si quia inutiliter non fuit aſſumpta, aut crucifixa, nullo modo ſit inutilis: Ergo neque ſi manducatur per fruſta, ferino more, futura eſt inutilis: quod tamen abs te conceditur, Et rurſus, Si per fruſta ferino more ſumpta, ſit inutilis: ergo etiamſi vtiliſſime fuerit aſſumpta & crucifixa, tamen aliquo modo eſt inutilis. Denique non effeciſti; non eſſe Chriſtum de carne ſua eloquutum hæc ipſa verba; quæ habemus nunc præ manibus.

XXI. Veruntamen ſi de carne Chriſti nihil eſt: quid eſt igitur? Maldonatus: Multi graues autores ita videntur expoſuiſſe, quaſi caro non pro vera carne ſed pro carnali hominis ingenio: & ſpiritus non pro ſpiritu vero, ſed pro ſpirituali, & à Deo per fidem illuminato homine ſumatur: ſenſus ſit; *Spiritus eſt, qui viuifica*, id eſt, fides eſt, quæ hominis ingenium ex carnali ſpirituale reddens, efficit vt percipiat; quæ ſunt Dei, hoc eſt, viuificare. *Caro non prodeſt quicquam*, id eſt carnale ingenium, humana ratio nihil iuuat, ſed potius impedit ad percipienda diuina myſteria. Non diſplicuit hæc ſententia Maldonato; ſed neque ſatisfecit vndique. Verum amplexi ſunt non pauci; Ioannes Dedehus diſcurſu *16.* Renatus benedictus Panoplia in hunc locũ. Petrus Michaëlis Dialogi 1 c. 4. Luſitanus ſerm. 8. Et quidem Michaëlis diſputat curioſius reliquis.

XXII. Sed nos non negamus quidem, vt paulo poſt, ſenſum carnalem; ſenſumque ſpiritualem intelligendum, ſed horum verborum de quib. nunc agimus. Verum iſti ſenſum intelligunt carnalem, cuiuſmodi eſt in omnibus hominibus non illuminatis à Spiritu Sancto, quantumuis nihil ſuſpicetur de hac carne Chriſti: & ſimiliter ſpiritualem, cuiuſmodi fuit, puta in Abrahamo, quem credidiſſe Paulus dicit in ſpem præter ſpem. Inde Petrus Michaël, Non de ſua carne, ſed carnali hominum ingenio loquutus eſt, dum non aſſequitur diuina, & à ſenſuum perangusto iudicio pendet. Beaulius, Caro nihil aliud ſignificat quam humanam rationem oppoſitam fidei, quæ habenda erat in Ieſum, credendo eſſe non filium Ioſephi, ſed Dei, cœlo demiſſum. Hunc vero eſſe verborum Chriſti ſenſum perſuaderi nõ poſſumus.

XXIII. Illi habere ſperant hæc argumenta, partim apud Bellarminum, partim & diligentius apud Petrum Michaëlem. Primum, Quod niſi hoc ſenſu verba accipiantur nequaquam Chriſtus Iudæorum interrogationi reſpondiſſe videatur. Quærentibus enim non quid prodeſſet eius caro, ſed quomodo dare eam poſſet ad manducandum, ſi reſpondiſſet ſuam carnem non prodeſſe, infidelitatem auxiſſet, concedendo tacite ſe quod promiſerat non poſſe præſtare: At vero de illorum carnali ſenſu intelligens, aptiſſime reſpondet, & deprauatam res diuinas intelligendi conſuetudinẽ caſtigat.

XXIV. Reſpondeo valde ad rem reſponſum fuiſſe: quoniam videlicet, immanis illa de carne manducanda cogitatio coercita fuit, & refutata. Concedimus enim quæſtionem non fuiſſe de vtilitate carnis, quam diſertiſſime Chriſtus expreſſerat tam ſerio promittens ex eius manducatione vitam: vt nulla ſuperfuerit Capernaitis cauſa, vel ignorandi, vel dubitandi. Sed de modo fuiſſe, vtrum ſcilicet comedenda eſſet carnaliter an ſpiritualiter. Nam etſi neutrum Chriſtus diſerte expreſſiſſet, tamen Capernaitis totos ſua cogitatio occupabat: & quoniam edendi ſpiritualiter phraſin nunquam antea vſurpatam audiuerant, non poterant à carnalitate manducationis mentem ſuam abducere. Quomodo Nicodemus, qui nunquam naſci ſpiritualiter audiuerat, regreſſum cogitabat in vterum maternum. Itaque illud *Quomodo*, non dubitantis eſt, ſed negantis. Quaſi totidem verba eſſent: fieri non poteſt, vt det nobis carnem ſuam comedendam. Solutio Chriſti & legitima eſt, & directa per diſtinctionem, Carnem comedere dupliciter dicitur, vel ſpiritualiter, vel carnaliter. Carnaliter, nego me dixiſſe vt cogitatis: quoniã hæc comedendi ratio nihil prodeſt. Sed ſpiritualiter teſtor me dixiſſe: & hoc genus manducationis ad vitam eſſe neceſſarium. Sic, inquam, molliſſimus nexus eſt ſolutionis: & vis ſolida. Aſt ex Papiſtarum mente vniuerſaliſſima eſt, vt applicari poſſit cuicunque dogmati fidei Chriſtianæ, peruerſe vel interpretato, vel impugnato: Quomodo Paulus prioris ad Corinthios 2. dixit, *Hominem ψυχικὸν, animalem, non eſſe capacem eorum quæ ſunt Spiritus Dei.*

XXV. Pergit Michael argumentando, Chriſtum toto capite conſueto ſibi more prius ad quæſtiones Capharnaitarum reſpondiſſe: deinde arguiſſe quod non crederent: cauſam etiam adieciſſe infidelitatis huiuſmodi, *Omne quod dat mihi Pater ad me veniſſet.* Et iterum, *Non poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Qua conſuetudine hac quoque ſententia eos caſtigari, quod ſpiritu neceſſario ad credendum deſtituti eſſent, deprehendes ſi κατὰ λέξιν omnia accurate obſeruabis.

XXVI. Dato veniam nobis in tantis tenebris cæcutientibus. Profitemur nihil huiuſmodi videre, aut ſcire quid ſit, κατὰ λέξιν omnia obſeruari: neque adeo vim vllam ſentimus argumentationis. Toto capite, inquit, reſpondit primum ad quæſtionem: deinde arguit quod non crederent: & tamen non niſi duos verſiculos annotat: ex tam prolixo capite. Quaſi quis diceret, tota terra ſegetum ferax eſt: & indicaret Siciliam, Ægyptumque. Sanuſne? Atqui inquam, verum eſt iis locis, primo reſponſum eſſe ad quæſtionem, deinde increpatam eſſe incredulitatem. Sed in reliquo ſermone aliter. Vt cum dictum, *Hoc illud eſt opus Dei: vt credatis in eum quem miſit ille*, Et iterum, *Non dedit vobis Moſes panem illum cœleſtem* Et tertio, *Niſi ederitis carnem Filij hominis.* His inquam, locis, reſponſum eſt ad quæſtionem abſque vlla incredulitatis increpatione. Cur non dicam potiori iure, ſi diligenter attenderis, & omnia κατὰ λέξιν obſeruaueris, te comperturum hoc loco non fuiſſe caſtigatam incredulitatem, ſed reſponſum ad quæſtionem?

XXVII. Amplius dico: Si verum eſt, ſemper Chriſtum primo reſpondiſſe, dein caſtigaſſe: tum vero neceſſe eſt, hæc verba continere reſponſionem, non vero caſtigationem. Textus enim habet tres partes Primam, *Hoc vos offendit? Quid ſi igitur conſpiceretis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius?* Secundam. *Spiritus eſt qui viuificat: caro non prodeſt quicquam: verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Tertiam, *Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt.* Itaque aut reſponſionem nullam eſſe oportet ad quæſtionem, aut eſſe in aliqua harum partium. Non eſt autem in prima: quia hæc agat de perſona Chriſti, teſte Thoma, vt doceret eſſe è cœlo. Non in tertia: Nam in ea manifeſta eſt exprobratio incredulitatis: Ergo ſecundam oportet continere reſponſionem ad quæſtionem. Oportet igitur illam carnem, non ſignificare incredulitatem Capharnaitarum: ſed ipſam quæſtionem deſignare de manducatione carnis Chriſti.

XXVIII. Tertium argumentum Michaelis. Quod ſtatim poſt hæc verba ſubiecerit, *Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt.* Quæ inepte adiecta videri merito poſſent, & nullam ἀκολουθίαν haberent, niſi eo modo acciperetur, ac ſi dixiſſet, Caro non prodeſt quicquam ad credendum, ſed ſpiritus: at verba mea ſunt ſpiritus: ſed vos non creditis, quia carnales eſtis. Id enim eſt, quod

quod ſubſequitur. *Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt ad me venire, niſi ei datum fuerit à Patre meo*, ſignificat enim, propterea ſe antea dixiſſe neminem ad ſe venire poſſe, niſi a Patre tractum, quia caro non prodeſt quicquam ſed ſpiritus eſt qui viuificat.

XXIX. Imo illud, *Sunt quidam qui non credunt*, non refertur ad illud, *Caro non prodeſt quicquã*: ſed ad illud, *Durus eſt hic ſermo*: Teſtis eſt Thomas, apud quem hæc eſt ſermonis οἰκονομία, *Poſtquam compreſſit litigium Iudæorum & murmur, conſequenter Dominus ſedat ſcandalum diſcipulorum Et primo agitur de ſcandalo diſcipulorum recedentium: ſecundo, examinatur deuotio remanentium: Ibi, Dixit Ieſus ad duodecim. Circa primum tria facit. Primo, ponitur ſcandalum diſcipulorum: ſecundo benignitas Chriſti ad reprimendum ipſum: ibi, Sciens autem Ieſus. Tertio, ponitur pertinacia & incredulitas recedentium: ibi, Ex hoc multi diſcipulorum.* Et explicato primo membro, venit ad ſecundum, *Ponitur benignitas Chriſti ad ſedandum ſcandalum. Et primo denuntiat & manifeſtat ſcandalum: ſecundo remouet cauſam ſcandali: ibi, Si ergo videritis: tertio innuit ipſam cauſam, ibi, Sed ſunt quidam.* Paulo poſt in expoſitione 2. membri, *Tollit occaſionem ſcandali: qui quidem erat de perſona dicentis, & de verbis dictis. Et ideo remouet occaſionem ſcandali quantum ad perſonam dicentis: ſecundo quantum ad verba: ibi, Spiritus eſt.* Denique in exponendo 3 membro, *Demonſtrat cauſam ſcandali: quæ erat infidelitas eorum: quaſi dicat, cauſa ſcandali veſtri non eſt duritia ſermonis, quem loquutus ſum vobis, ſed infidelitas veſtra.* Ex hac diſtributione res eſt manifeſta. Nam in tribus membris, in quæ ſectum eſt primæ diuiſionis membrum ſecundum, In illis, inquam, tribus membris, ſecundum, in quo continetur benignitas Chriſti ad reprimendum ſcandalum incipit a verbis *Sciens autem Ieſus*: & definit ante iſta, *Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro.* Hoc autem ſecundum totum refertur ad ſedandum illud ſcandalum, *Durus eſt hic ſermo.* Itaque cum in poſtremo huius commate audis, *Sed ſunt quidam qui non credunt.* Ea cauſa eſt, quare caro non proſit quicquam, vt ſupponebat Sophiſta omnia perturbans inconſiderate, & imperite.

XXX Et vero quis poſſit concipere hæc ſomnia? Caro non prodeſt quicquam ad credendum, ſed ſpiritus: at verba mea ſunt ſpiritus: ſed vos non creditis, quia carnales eſtis? Copæ quidem hæ ſunt diſſolutæ per particulas aduerſatiuas perpetuas. Niſi forte illud, *At verba mea ſunt*, intelligas non aduerſatiue: ſed quomodo in ſcholis notari ſolet ſubſumptio: vt, Omnis homo eſt animal: At Petrus eſt homo: Vt ita ſubſumat Chriſtus ſua verba eſſe non carnem, ſed ſpiritum. Eſto ſane. Sed tunc quid eſt? *Sed vos non creditis*? Ad quid referas aduerſatiuam particulam? Non enim ad proximum, *Verba mea ſunt ſpiritus.* Qua enim ratione opponerentur? Ergo ad remotius, *Caro non prodeſt quicquam ad credendum* Quod rurſus fateor me non intelligere. Tum autem, *Vos non creditis, quia carnales eſtis*, etſi verum eſſet, tamen non dixit Chriſtus. Eſt autem petenda interpretatio verborum Chriſti, non ex quibuſcunque verbis; ſed ex iis, quæ Chriſtus dixit. Nam alioquin facile eſt fingere, hoc illudve dici poſſe, vel dici potuiſſe.

XXXI. Quartum argumentum Michaelis, à certiſſima regula, quæ nullam habet in Scripturis ſacris exceptionem: quod quotieſcunque nomini carnis opponitur nomen ſpiritus, non pro carnis natura, ſed pro infirmitate & culpa quæ naſcitur ex humana carne, nomen accipi oportere: Geneſeos ſexto: Matthæi 6. & 26. Ioann 1. & 3. Ad Roman. 8. & 9. Cum ergo etiam hoc loco videamus oppoſita eſſe, nomen carnis, & nomen ſpiritus neceſſe eſt carnem pro culpa & infirmitate accipere: quæ cum nefas ſit in Chriſto ponere, conſequens eſt verba illius, non de ſua carne, ſed auditorum imbecillitate intelligenda eſſe.

XXXII. Ain tu? Semper, & ſine exceptione, carnem oppoſitam ſpiritui culpam eſſe? Quomodo igitur illud interpretaris Petri 3. primæ, *Mortificatus quidem carne, viuificatus autem ſpiritu*? Et Pauli 1. ad Romanos, *Facto ex ſemine Dauidis ſecundum carnem: declarato Filio Dei potenter ſecundum Spiritum ſanctificationis.* Nam in iſtis caro opponitur Spiritui manifeſtiſſime, & in Chriſto. Quid ergo? Falſumne eſt in Chriſto nefas ponere culpam & infirmitatem? An potius carnem ſignificare culpam & infirmitatem?

XXXIII. Sed enim, quid tibi vis? Nempe non ſignificari ipſam carnis Chriſti naturam. Cur diſputas? Aut quis tibi negabat? Nam nos quidem hoc tantum, nihil pertinere ad carnem Chriſti, vt expreſſimus: non ipſam ſimpliciter, ſed ſecũdum captũ aduerſariorum, id eſt, carnem carnaliter ſumptam: quæ quidem notio nihil in Chriſto ponit culpæ infirmitatisve, ſed in Iudæis non parum ſtupiditatis. Hoc ſi tu velis, pax eſto: ſed non efficies tamen, vt hæc caro nihil pertineat ad carnem Chriſti: quum ſit impia Capernaitarum cogitatio de carne Chriſti comedenda.

XXXIV. Quintum argumentum Si colligatur ex eo, quod Chriſtus ait carnem ſuam non prodeſſe, non dari reipſa nobis ad manducandum: colligi quoque poſſet eodem modo, ne per fidem quidem à nobis debere manducari. Quia ſi non prodeſt cum fide reipſa ſumpta, multo minus proderit cum fide non reipſa ſumpta.

XXXV. Calumniator: quis negauit carnem Chriſti cum fide reipſa ſumi? Certe non diſputas aduerſum nos: quibus realis ſumptio tam perſuaſa eſt, quam cuiquam debuit. Repone carnalem ſumptionem, vt ne ſis calumniator: Quanquam non ſanus diſputator. Non enim ſi non prodeſt caro Chriſti carnaliter manducata: ideo non prodeſt fide ſpiritualiter manducata.

XXXVI. Nihil eſt ergo cauſæ cur quiſquam neget hæc verba pertinere ad eam carnem de qua edenda ſunt acta tam multa in præcedentibus. Nam & Cyprianus de Cœna Domini, expreſſit, *In cogitationibus huiuſmodi, caro & ſanguis non prodeſt quicquam.* Itaque quæſita ſunt alia effugia, & diſputatum quo ſenſu Cæſar Bullingerus 1. partis contra tractatum Orthodoxum ſegmen. 22. negat vllam fieri mentionem manducandæ carnis, bibendive ſanguinis Chriſti: & qui contradicat hunc dicere album eſſe nigrum, & nigrum album.

XXXVII. Peremptorio videlicet edicto, cui non liceat intercedere. An vt Iulium Cæſarem æque exprimat re ac nomine? Et perpetuum in Theologia Dictatorem ætas habeat noſtra? Sic eſt ſane: nam alioquin tantum ſubiicitur argumentorum, quantum eſt in ſylua piſcium. Sed nobis perſuadere nullus Dictator poteſt Chriſtum ἀπροσδιόνυσα eſſe loquutum, & nihil pertinentia ad ſcandalum Iudæorum. Lyranus œconomiam deſcribens, *Poſita*, inquit, *doctrina Chriſti, hic conſequenter exponitur: & primo ponitur eius expoſitio: ſecundo ex hoc oſtenditur aliquorum reprobatio, & aliorum confirmatio, ibi, Ex hoc multi. Prima in duas, quia primo ponitur expoſitionis occaſio, ſecundo, ipſa expoſitio, ibi, Sciens autem Ieſus.* Poſtea itidem, vt paulo ante Thomas, geminum caput doctrinæ diſtinguit exponendæ: vnum de deſcenſu è cœlis: alterum de manducatione carnis: *Spiritus eſt. Hic exponit ſecundum de quo murmurabant, ſcilicet quia dixerat carnem ſuam eſſe cibum neceſſarium ad ſalutem: & ipſi intelligebant hoc, ac ſi daretur in propria ſpecie.* Paulo poſt, *Caro non. Quia caro manducata eo modo, quo intelligebant, non eſſet vtilis, ſed magis horribilis.* Eia, interceſſum eſt Iulij Cæſaris edicto: & aſſertum, factam eſſe mentionem manducandæ carnis Chriſti.

XXXVIII. Habemus ergo carnis vocabulo ſignificari hoc loco carnem Chriſti: & quidem manducandam: quod agnouit magna pars etiam Papiſtarum. Sed quomodo? Nam in hoc laborant vehementer, occaſione etiam ſumpta ex Veteribus. Sunt ergo qui explicent carnem ipſam Chriſti & quidem comedendam, ſed ſecundum ſe. Stapletonus Antidoto in hunc locum, Vera verborum expoſitio hæc eſt, Caro Chriſti ſi ſola eſſet, & mere humana, qualem Capernaitæ intelligebant, non prodeſſet ad vitam: At quia Spiritus & diuinitatis caro eſt, ipſique coniuncta, prodeſt, & efficax eſt ad vitam: diuinitas enim per ipſam viuificat. Tholoſanus dialogi 17. partit. 1. Vocabulum Spiritus ſignificat deitatem Filij Dei. Caro eius humanitatem. Itaque Chriſtus docet, vnde expectandus ſit fructus quem dixerat. Docet igitur ſe non eſſe hominem tantum, ſic enim eius carnem non profuturam, ſed etiã Deum: diuinitatem porro producturam hos magnos effectus. Autores laudant Cyrillum 4 in Ioannem c. 23. & 24. & de Ciuitate libri 10. c 27. Athanaſium libro de Incarnatione Chriſti, & in illud, *Quicunq; dixerit verbum aduerſus Spiritum Sanctum.* Damaſcenum 4. de Orthodoxa fide 14. Sic enim Stapletonus enumerauit: ſed fortuito, vt videtur: certe immerito, Athanaſium, & Damaſcenum, & Auguſtinum.

XXXIX. Cyrillum non nego. Cuius verba lego. *Non imperite, inquit omnino viuificam carnem eſſe negatis. Nam ſi ſola intelligitur, nihil prorſus viuificare poteſt, quippe quæ viuificante indigeat. Cum vero incarnationis myſterium laudabili cura ſcrutati fueritis, & habitantem in carne cognoueritis, quamuis nihil penitus caro per ſeipſam poſſit, viuificam eſſe factam credetis, niſi etiam Spiritum Sanctum non poſſe viuificare contendatis. Nam quoniam cum viuificante Verbo caro coniuncta eſt, tota eſt effecta viuifica. Non enim ad corruptibilem ſuã naturam iunctum Dei verbum detraxit: ſed ipſa ad melioris virtutem eleuata eſt. Quoniam ergo natura carnis, vt caro eſt, viuificare nequeat, facit tamen hoc quia totam verbi operationem ſuſcepit. Corpus enim eſt non cuiuſuis hominis, cuius caro prodeſſe quicquam non poteſt (non enim Pauli aut Petri, aut cæterorum) ſed ipſius vitæ & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc poteſt.* Hæc ille: & alia nonnulla.

XL. Sed cuius, quæſo, ingenij eſt, vnius ſolitarij doctoris ſententiæ hærere, cæteris omnibus neglectis? & quidem nullo prolato argumento? Nam qui in has partes ierunt, omnibus id vitium fuit, vt non expendant quare ita Cyrillus ſenſerit. Vnde vehemens argumentum, non electione huc eſſe delatos, ſed neceſſitate: & tanquam tempeſtate non in portum, ſed in breuia compulſos.

XLI. Atqui hæc aliena foret Chriſti reſponſio. Quandoquidem non id controuertebant Iudæi, vtrum caro Chriſti dare vitam poſſit manducata: ſed omnino, vtrum eſſet manducanda. At ſi Cyrillo credimus, non reſponderit Chriſtus, quomodo ſit manducanda: ſed tantum, ſi manducaretur, futuram viuificam. Quod tamen ſæpius erat iam inculcatum. Quis autem nõ videt, quanto facilius, & dignius reſpondere ad quæſitum? Non poterant autem Capernaitæ, poſita manducatione, dubitare de vita ſaltem ad tempus, cum haberent experientiam teſtem. Neque enim carnes pecudum ſolę: ſed etiam humanæ ſeruierunt alendo corpori.

XLII. Hîc Maldonatus, Noluit, ait, Chriſtus reſpondere quæſtioni illi, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum.* Sed verbis illis diſcipulorum, *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire.* Durum autem dicebant eſſe ſermonem, quia dixerat, neminem vitam habere poſſe, niſi carnem ſuam manducaret, teſtibus Chryſoſtomo, & Euthymio. Itaque docet qua ratione caro ſua vitam tribuat, non quia caro, ſed quia cum ſpiritu coniuncta eſt.

XLIII. Imo, inquam, Chriſtus ad vtrumque reſpondet. Quia videlicet vtrumque refertur ad idem. Nam diſcipuli durum ſermonem non dicebant niſi propter horrorem humanæ carnis manducandæ. Vin' teſtes? Villagudum audi, *En carnalium verba: Durus eſt hic ſermo (aiunt) quem loquitur de comedenda carne viui hominis, & bibendo ſanguine: non poſſe quenquam viuere, niſi edat eius carnem, & bibat eius ſanguinem, quippe hoc fecerit eum victurum in æternum.* Ianſenium, *Durus eſt hic ſermo, de comedenda ſcilicet carne viui hominis, & bibendo ſanguine eius.* Carthuſianum, *Quis poteſt eum audire tam ſonet tam male, Quaſi dicat, blaſphemare videtur, & obturandæ ſunt aures. Verba ſiquidem Chriſti de comeſtione ſuæ carnis potuque ſanguinis carnaliter intelligebant, putantes quod ſic promitteret ſe daturum ſuum corpus ad manducandum ſanguinemque ad potandum quomodo alij cibi ac potus apponuntur.* Gorranum, *Diſcipulorum murmuratio erat ex hoc, quod dixerat carnem ſuam dari ad manducandum, & quod ſine hoc non eſt ſalus.* Et paucis interpoſitis, *Multi ergo ex diſcipulis eius audientes, quod nunc dictum eſt de manducatione carnis, dixerunt, durus eſt hic ſermo, id eſt, crudelis & inhumanus. Humanam etenim carnem manducare quis poſſet? Quis poteſt eum audire? Non dicunt credere, ſed audire, propter horribilitatem.* Gloſſam ordinariam, *Multi carnaliter ſapientes quaſi particulatim carnem qua indutus erat, ſe eis daturum promitteret, contra naturam eſſe putant, vt cibum hominum humanam carnem daret.* Et hos omnes Papiſtas.

XLIV. Sed vetuſtiores. Euthymium, *Durus eſt, hoc eſt, ægre admitti poteſt: hic ſermo, puta de ipſo comedendo.* Theophylactum, Τίς γὰρ σαρκικὸς ὢν δύναται παραδέξασθαι πνευματικὴν τροφὴν, καὶ ἄρτον ἐξ οὐρανοῦ καταβαίνοντα, καὶ σάρκα ἐσθιομένην; *Quis enim carnalis, poſſit admittere ſpiritualem cibum, panem è cœlo delapſum carnem comeſam.* Alcuinum ex Auguſtino, *Prout voluerunt, ita intellexerunt, & more hominum, quia apud eos erat* (in Auguſtino, *quia poterat*, incertum an melius) *Ieſus, aut hoc diſponebat Ieſus, carnem, qua indutum erat verbum velut in conciſam,* (in Auguſtino melius, *veluti conciſam*) *diſtribuere credentibus in ſe.* Rupertus: *Illis quidem durus erat hic ſermo, quo dixerat Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Primum, quia ſic intelligebant ſecundum carnem quam*

ſoli

soli sapiebant, quod concidi, & sic manducari oportere dixisset carnem suam quemadmodum consueuerant concidere & manducare carnes agni, seu cuiuslibet bruti pecoris, & bibendum esse sanguinem suum, quomodo nec animalis cuiuspiam sanguinem gustare lex permitti, dicens, non comedetis cum sanguine: iuxta sensum vel doctrinam eius neminem posse vitam habere in se, nisi fecisset: quod tam autoritate legis diuinæ, quam communi sensu omnium hominum constabat horrendum & execrandum facinus esse: atque ideo non modo ad consequendam vitam non valere, sed etiam eidem vitæ omnino contrarium vel repugnans existere. Deinde, & hoc illos mouere poterat, cum eiusmodi sensum haberent, quod etsi vllo modo fas esse potuisset, sic illum concidi & manducari, sanguinemque eius ebibi, vix paucis sufficere, vt vnusquisque modicum quid acciperet, atque ideo vix centum homines ad vitam pertingere posse, cum copiosa multitudo hominũ ad vitã pertinentiũ, nulli nisi soli Deo numerabilis sit.

XLV. Hi nobis testes: vt alios missos faciam. Neque contra aut Chrysostomus, aut Euthymius: quorum neuter prolixus, aut disertus. Euthymium paulo ante descripsimus. Chrysostomus sic habet, Σκληρός ἐστιν ὁ λόγος, τί; ζωὴν ἐπαγγέλλεται καὶ ἀνάστασιν, ὅτι ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔφη καταβεβηκέναι, ἀλλ' ὅτι σωθῆναι ἀδύνατον τὸν μὴ φαγόντα τὴν αὐτοῦ σάρκα, ζωῆς οὖν, εἰπέ μοι, σκληρὰ καὶ τίς ἂν ταῦτα εἴποι, *Durusne sermo est, quod vitam denuntiet, & resurrectionem? quod è cœlo descendisse dicat? An quia fieri non posse vt seruetur, qui non manducet eius carnem? Hæccine, quæso, dura sunt? Quis dixerit?* In quibus, quid obseruarit Maldonatus, velim expressisset: nã ego quidẽ nihil videre possum. Non enim colligit Chrysostomus caussas cur non crederent Capharnaitæ: sed contra cur absurdum esset eos non credere. Ita concludens, τίς ἂν ταῦτα εἴποι? Nimirum non propterea esse durum sermonem, vel communi sensu teste.

XLVI. Constat ergo quæstionem hanc fuisse; Vtrum credendum esset, esui futuram cuiquam carnem Christi. Et constat Iudæos negasse, hac expressa negandi caussa, siue quod impossibile esset vnum corpusculum omnibus hominibus distribui: siue quod durum, crudele, inhumanum. Constat tertio Christum huic quæstioni respondisse. Quis autem non videt, non fuisse responsum, si valet expositio Cyrilli: sed tantum repetitam assertionem quæstionis aiam prius iterum atque iterum inculcatã?

XLVII. Neque hæc sola thesis argumentum suppeditat: sed & sequentia. Nam quid est, quæso, *Verba mea spiritus & vita sunt?* Fingamus sane, sic loquutum fuisse Christum; Deitas mea, ea est quæ viuificat: sed corpus per se & absque ea nihil prodest. Quo ergo sensu, inquam, audimus statim, *Verba, quæ ego loquutus sum vobis spiritus & vita sunt?* Et primum omnium; quæ verba? Nisi forte ne hoc quidem incertum, referre vel totam concionem, vt nos putamus, vel certe illa, quæ sola propemodum adorant Papistæ de carne sua manducanda, & sanguine bibendo: quorum vtrum sit nunc nostra non interest. Toletus, *Verba superius prolata de carnis suæ manducatione.* Pererius, *Verba quæ ego dixi de manducanda mea carne.* Sed non opus testibus. Fac igitur spiritum significare Deitatem: quis sensus erit, Verba quæ loquutus sum vobis de manducanda carne mea, sunt Deitas? Aut hoc ipsum quibus machinis efficiet quisquam, vt significet, corpus meum vnitum Deitati viuificat? Nam neque Verba, corpus significant: & aliud dicit, est Deitas, aliud vnitum Deitati; atque adeo vt hoc sanum, ita illud blasphemum.

XLVIII. Hac sic explosa Cyrilli explicatione, videamus alias. Apud vnum Pererium disputatione quadragesima tertia in sextum Joannis hanc inuenio. Caro Christi si tantum sumatur sacramentaliter, sine fide ac dilectione, nihil confert: quia spiritus est qui viuificat: id autem est, quia tunc manducatio carnis Christi prodest manducanti, cum habet adiunctam simul spiritualem manducationem, quæ fit per actus fidei & deuotionis. Et hanc imputat Augustino, ac Cyrillo æque cũ præcedente.

XLIX. Verum hæc Augustini, Cyrillique nomina gratis sunt addita. Certe Cyrillus in tota horum verborum explicatione, nihil habet, quod ad Sacramentum torqueri queat. Augustini etiam locum ego quidem nullum vidi, qui eo spectet. Quid igitur habere potest hæc interpretatio momenti, nullo autore fulta, nullo argumento stabilita? Præterea, vnde huc transfertur illa sacramentalis sumptio? Oporteret sane ex præcedentibus, propter illud, *Verba quæ loquutus sum*: Atqui in præcedenti oratione de sacramentali sumptione, quatenus, inquam, sacramentalis dici potest, nullum fuit verbum.

L. Superest alia interpretatio, quæ carnem intelligit cogitationem illam carnalem Capernaitarum de comedenda Christi carne. Costerus, Existimabant dilaniandam, ad instar animalium, Christi carnem, dentibusque vorandam: quæ sic comesa non magis prodest quam Christi sanguis, quem astanter forte manibus, vel cruci adhærentẽ forte lambissent. De Valentia similiter §. 20 punct. 1. quæst. 3. disp. 6. Cogitationem illam carnalem & insipientem Capharnaitarum nihil ad rem pertinuisse; cum scilicet falso putarent Christi carnem consueto more comedendam esse, sicut carnes eduntur concisæ in macello. Laudant autores, Tertullianum de resurrectione carnis: Chrysostomum homilia quadragesima sexta in Ioannem: Cyprianum sermone de Cœna Domini: Augustinum tractatu 27. in Ioannem, & in Ps. 98 Cyrillum catechesi mystagogica 4.

LI. Respondeo, illud de dilaniatione vel præcise dici, vel ὡς ἐν τύπῳ. Priori modo, vt nulla alia interpretatio sit admittenda, nisi quæ huic dilanationi mordicus hæreat: vnde differentia sit manducandi, puta hædum, qui quia non potest totus in os ingredi, ideo in particulas secandus est: & deglutiendi, puta pilulas medicas, quæ singulæ iniiciuntur in stomachum, vt in eo integræ concoquantur. Ac proinde negauerit Christus se manducandum per partes, sed totum deglutiendum affirmarit. Altero autem modo sensus sit, imaginatos esse Capharnaitas corporali quadam latione comedendam eandem carnem, exempli gratia, vt fit cum laniantur agni carnes, & dentibus manduntur. Qui modus, etsi diserte hanc laniationem includat, tamen non excludit alias species manducationis corporalis. Qui vsus frequentissimus: Psalmo 11. *Transmigra in montem sicut passer*: significatur siue celeritas, siue timiditas, siue incertitudo quietis: etsi peculiariter nominetur, siue passer, siue auicula: quanquam alioquin perinde leporem dixisset, aut quid aliud. Et 15 *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Pro columba dic hirundinem; aut quid simile, perinde erit. Mitto infinita similia. Solent tamen eligi paradigmata vehementia, non vt iis solis hæreatur, sed vt vehementius animum moueant. Matth. 10. *Ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Æque potuit sicut auriculas inter vngues aquilarum, sed ouium vehementius erat exemplum.

LII. His positis dico interpretationem propositam facile à nobis admitti posteriori modo: Nempe Capernaitas, nihil nisi carnale cogitantes, ac proinde manducationem concipientes nullam nisi per corporis instrumenta, os, dentes, palatum, œsophagum, stomachum, damnari verbis istis: cuius manducationis παράδειγμα sit maxime nobile in carnibus distractis in macello. Sed Papistas facile apparet nolle discedere ab illo ipso paradigmate: ac proinde nolle damnari, nisi manducationem coniunctam dilaniationi. Denique non manducationem improbari, sed laniationem proprie. Vtri iudicant verius? Docebunt ipsi illi, quibus ea debetur interpretatio. Itaque describo locos ante omnia.

LIII. Tertullianus cap. 37. de Resurrectione carnis, *Sic & si carnem ait nihil prodesse: ex materia dicti dirigendus est sensus. Nam quia durum & intolerabilem existimauerunt sermonem eius, quasi vere carnem suam illis comedendam determinasset, vt in spiritu disponeret statum salutis, præmisit, Spiritus est qui viuificat: atque ita subiunxit, caro nihil prodest, ad viuificandum scilicet. Exsequitur etiam quid velit intelligi spiritum: Verba, quæ loquutus sum vobis, spiritus sunt, vita sunt. Sicut & supra: Qui audit sermones meos, & credit in eum qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transit de morte in vitam. Itaque sermonem constituens viuificatorem, quia spiritus & vita sermo, eundem etiam carnem suam dixit: quia & sermo caro erat factus, proinde in causam vitæ appetendus, & deuorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus.* Chrysostomus in Ioannem homilia 46. Οὐδὲ λέγει πιστοὶ ἐστὲ πνευματικῶς δεῖ τὸ περὶ ἐμοῦ ἀκούειν· ὁ γὰρ σαρκικῶς ἀκούσας, οὐδὲν ἀπώνατο, οὔτε χρηστόν τι ἀπέλαυσε· σαρκικὸν δὲ ἦν τὸ ἀμφισβητεῖν πῶς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβέβηκε. καὶ τὸ νομίζειν ὅτι υἱός ἐστιν Ἰωσήφ, καὶ τὸ πῶς δύναται ἡμῖν τὴν σάρκα δοῦναι φαγεῖν· ταῦτα πάντα σαρκικά· ἅπερ ἔδει μυστικῶς νοεῖν καὶ πνευματικῶς, *Hoc est, spiritualiter intelligenda sunt quæ de me dicta sunt,* siue quæ ad me pertinent. *Qui enim carnaliter audierit, nihil fuerit lucratus, neque vtilitatis quicquam acceperit. Erat autem carnale dubitare, quomodo è cœlo descendisset, & putare eum filium Ioseph, & quomodo possit nobis carnem suam dare comedendam. Hæc omnia carnalia sunt.* Paulo post, *Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus sunt, & vita sunt.* τουτέστι, θεῖα καὶ πνευματικά ἐστιν, οὐδὲν ἔχοντα σαρκικόν, οὐδὲ ἀκολουθίαν φυσικήν· ἀλλὰ καὶ ἀπήλλακται πάσης μὲν τοιαύτης ἀνάγκης, καὶ ὑπέρκειται καὶ τῶν νόμων τῶν ἐνταῦθα κειμένων· ἕτερον δὲ ἔχει νοῦν ἐξηλλαγμένον ὥσπερ οὖν ἐνταῦθα τὸ πνεῦμα εἶπεν ἀντὶ τοῦ πνευματικὸν· οὕτω σάρκα εἰπὼν, οὐ σαρκικὰ εἶπεν, ἀλλὰ σαρκικῶς ἀκοῦσαι, *Hoc est, diuina sunt & spiritualia, nihil carnale, nullam naturalem consequentiam habentia: sed omni necessitate huiusmodi libera, ac superiora legibus his positis. Alium vero sensum habent eximium. Sicut igitur hoc loco spiritum dixit pro spiritualibus: sic & carnem, non carnalia dixit, sed carnaliter audire.* Paucis interpositis, Τί δέ ἐστι τὸ σαρκικῶς νοῆσαι; τὸ ἁπλῶς εἰς τὰ προκείμενα ὁρᾶν, καὶ μὴ πλέον τι φαντάζεσθαι· τοῦτο γάρ ἐστι σαρκικῶς· χρὴ δὲ μὴ οὕτω κρίνειν τοῖς ὁρωμένοις, ἀλλὰ πάντα τὰ μυστήρια τοῖς ἔνδον ὀφθαλμοῖς κατοπτεύειν· τοῦτο γάρ ἐστι πνευματικῶς, *Quid autem est carnaliter intelligere? Simpliciter proposita spectare, neque aliud quid animo concipere. Hoc enim est carnaliter. Neque vero oportet sic iudicare ex iis quæ videntur: sed omnia mysteria interioribus oculis contemplari. Hoc enim est spiritualiter.*

LIV. Cyprianus in de Cœna Domini, *Orta fuerat aliquando, sicut in Euangelio Ioannis legitur, de nouitate verbi huius, quæstio: & ad doctrinam mysterii huius obstupuerant auditores, cum diceret Dominus, Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retro: quia horrendum eis, & nefarium videbatur vesci carne humana: existimantes hoc eodem modo dici, vt carnem eius vel elixam, vel assam, sectamque membratim edere docerentur cum illius personæ caro, si in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere: qua semel consumpta, videretur interisse religio, cui nequaquam vlterius victima superesset. Sed in cogitationibus huiusmodi caro & sanguis non prodest quicquam, quia, sicut ipse Magister exposuit, verba hæc spiritus & vita sunt: nec carnalis sensus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, nisi fides accedat.* Cyrillus mystagogica 4. Ποτὲ Χριστὸς τοῖς Ἰουδαίοις διαλεγόμενος ἔλεγεν, ἐὰν μὴ φάγητε μου τὴν σάρκα, καὶ πίητέ μου τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς· ἐκεῖνοι μὴ ἀκηκοότες πνευματικῶς τῶν λεγομένων, σκανδαλισθέντες ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, νομίζοντες ὅτι ἐπὶ σαρκοφαγίαν αὐτοὺς προτρέπει, *Olim Christus cum Iudæis disserens dicebat, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis: Illi vero non audientes ea secundum spiritum, scandalizati abierunt retro: eo quod existimarent sese ad humanatum carnium esum incitari.*

LV. Augustinus in Ioannem tract. 27. *Quid est ergo, non prodest quicquam caro? Non prodest quicquam, sed quomodo illi intellexerunt, carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur: non quomodo spiritu vegetatur.* Paulo post; *Sicut illi intellexerunt carnem meam, non sic ego do ad manducandum carnem meam.* In Psalmum 98. *Scandalizati sunt quidam discipuli eius, septuaginta ferme, & dixerunt, Durus est hic sermo: quis potest hoc intelligere? & recesserunt ab eo, & amplius cum eo non ambulauerunt. Durum illis visum est, quod ait, nisi quis manducauerit carnem meam, non habebit vitam æternam. Acceperunt illud stulte: carnaliter illud cogitauerunt: & putauerunt, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo: & daturus illis: & dixerunt; Durus est hic sermo. Ipsi erant duri, non sermo. Etenim si duri non essent, sed mites, dicerent sibi: Non sine causa dicit hoc, nisi quia est ibi aliquod Sacramentum latens: Manerent cum eo lenes, non duri, & discerent ab ipso, quod, illis discedentibus, qui remanserunt, didicerunt. Nam cum remansissent cum illo discipuli duodecim, illis discedentibus, suggesserunt illi tanquam dolentes illorum mortem, quod scandalizati sunt in verbo eius, & recesserunt. Ille autem instruxit eos, & ait illis, Spiritus est qui viuificat, caro autem nihil prodest: Verba quæ loquutus sum vobis spiritus est & vita. Spiritualiter intelligite, quod loquutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illũ sanguinẽ, quem fusuri sunt, qui me crucifigẽt. Sacramentũ aliquod vobis cõmendaui spiritualiter intellectum viuificabit vos: Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi*

LVI. Hæ ſunt Veterum in eum locum commentationes. In quibus primo obſeruandum laniationem legi duntaxat apud Cyprianum, & Auguſtinum. Nam reliquos generalius manducationem carnis ὀπτεύεσθαι. Certe Cyrillum σαρκοφαγίαν dicere: quæ tam laniationem continet, quam deglutitionem: vt proinde vtramque à Cypriano excludi ſit manifeſtum. Niſi cum Pſalmo 14. legas, *Deuorant plebem meam*; neges fuiſſe quod indignaretur Propheta, niſi addidiſſet, *Sicut eſcam panis*, quæ phraſis laniationem exprimit.

LVII. Secundo, Chryſoſtomum ἐμφατικώτατα: negare verba Chriſti, quicquam habere carnale, οὐδὲν ἔχοντα σαρκικόν. Mirum pondus. Certe carnalis manducatio, non tantum habet laniationem: ſed etiam dentium, palati, œſophagi, ſtomachi officia: & quidem tam propria, quam laniationem: ne dicam magis. Quare perſuaſiſſimum fuit Chryſoſtomo Chriſtum qua opera negauit carnis ſuę manducationem habere quicquam σαρκικόν, remouiſſe etiam dentes, palatum, œſophagum, ſtomachum: quæ membra tamen & neceſſario, & diſertiſſime retinent cum Capernaitis olim, etiam hodierni Papiſtæ. Adde συνώνυμα, non omiſſa Chryſoſtomo: liberationem ab omni neceſſitate τοιαύτη, id eſt, cuiuſmodi eſt in manducatione carnali: Sed & libertatem ab omni conſequentia naturali. Quid enim hoc eſt? Editur: ergo in fruſta minuitur, laniaturque: ergo in os ingeritur: ergo dentibus manditur: ergo per gulam demittitur: ergo in ſtomachum defertur: ergo concoquitur: ergo digeritur: ergo pars in excrementa ſecernitur. Quid plura? Hæ omnes ſunt φυσικαὶ ἀκολουθίαι. Has omnes φυσικὰς ἀκολουθίας abominatur Chryſoſtomus: Et, *Nullam habet*, inquit, *naturalem conſequentiam*. Quis hic ſenſus eſt? Nempe Capernaitarum hæc erant phantaſmata, & huiuſmodi Chryſoſtomi λύσεις. Edenda eſt caro Chriſti: Ergo lanianda: Nego. Ergo mandanda: Nego. Ergo per gulam: Nego. Ergo in ſtomachum: Nego. Ergo cum digeſtione: Nego. Ergo cum excrementis: Nego. Sic ille tollebat omnes conſequentias naturales: quarum vnam ſi conceſſeris, ô tu quicunque es Papiſta; tum ſtatim mentitum dixeris Chryſoſtomum: At nos te potius inſanum.

LVIII. Tertio, Chryſoſtomus huic carnali imaginationi, myſticum ſenſum opponit: ἅπερ ἔδει, inquit, μυστικῶς νοεῖν. Atqui non tantum laniatio, ſed ne deglubitio quidem myſticus eſt ſenſus. Nam is myſticus ſenſus dicitur, qui diſcedit à litera, id eſt, non ſignificatur ex proprio literæ vſu. Ideoque quam late patet vocabulorum propria ſignificatio, tam late neceſſe eſt patere literalem ſenſum, excludique myſticum. Vt, quia animal continet proptia ſui notione, tam hominem quam beſtiam: profecto qui animal dixerit eſſe mortale; ita proprie dictum aſſeret de homine, vt tamen non myſtice aſſerat de beſtia: etiam ſi beſtia non ſit homo. Dico igitur per manducationem intelligi proprie non tantum laniationem, quam ſolam horrent Papiſtæ, ſed etiam deglutitionem, quam adorant. Hoc in promptu eſt probare, quandoquidem ipſi contendant à manducatione carnis Chriſti arcendum omnem tropum: vnde ſequitur neceſſario retinendam propriam notionem. Quare mentitus eſſet Chryſoſtomus, aſſerens oportere hæc verba μυστικῶς νοῆσαι.

LIX. Et hæc quidem obſeruatu digna ſunt. Nam vt maxime verum eſſet, Auguſtinum, Cyprianumque totos hæſiſſe, itidem vt Papiſtas, illi quam diximus laniationi, tamen non minoris nominis Cyrillus & Chryſoſtomus, non deberent nullo haberi numero. Imo, vt ſpecies poſita non ſolet genus tollere, non propterea mentiti eſſent Cyrillus & Chryſoſtomus, quod contractius eſſent loquuti Cyprianus & Auguſtinus: vt qui homines docet eſſe mortales, non propterea negat omnia animalia eſſe mortalia. Sic igitur & vere Cyprianus, ac Auguſtinus dixere laniationem à Chriſto damnari: & vere rurſus Cyrillus, Chryſoſtomuſq; verba Chriſti habere quicquam carnale.

LX. Sed tamen non patiar Cyprianum, Auguſtinumve, videri tam portentoſe ὠμησεῖς, vt ei laniationi modicus hærentes, ne latum quidem vnguem inde diſceſſerint. Certe Cyprianus, non ſectam dixit duntaxat, ſed etiam aſſam, & elixam: crudæ non meminit. Quæ ſi præciſa conſideratio eſt, profecto eodem iure neges huic improbatum crudæ carnis eſum, quo neges improbatum deglutitæ. Et ſi elixam aſſamque dicas nominatam ὡς ἐν τύπῳ; vt ne cruda quidem admittatur: tum nos æque liberi ſumus ſectam ita interpretari, vt ne integram quidem excluſam oporteat.

LXI. Auguſtinus dixit, Sacramentum aliquod fuiſſe commendatum: & diſtinxit viſibiliter celebratum, ac inuiſibiliter intellectum. Eodem ſenſu, quo Chryſoſtomus dixit μυστικῶς νοεῖν; id eſt, aliter quam ſonet litera. Vnde expoſuit non ipſum comedi corpus quod erat crucifigendum. ſanguinemve, qui effundendus. Itaque Sacramentum intelligendum ita eſt, vt etſi corpus dicatur comedendum, tamen intelligatur corpus non comedendum. Quomodo? Nihil admodum difficile: Sed vt in omni metaphora, id ipſum non dicitur, quod videtur dici: Prata rident, quæ tamen rident minime. Populum comedunt, quem tamen non comedunt. Ego ſum vermis, & non homo: qui tamen non vermis erat, ſed homo. Et omnia ſimilia ſimiliter. Sic omnino corpus comedendum, negauit Auguſtinus comedendum: ſanguinem bibendum, negauit bibendum. Reuera enim, & ad ſenſum literæ, quomodo prata non rident, etſi rideant: ſic corpus Chriſti non comeditur, etſi comedatur. Denique quomodo illud, *Ego ſum vitis*. Toletus exponit, *per ſimilitudinem, non per ſubſtantiam, Chriſtus vitis*.

LXII. Atque hactenus actum eſto de interpretatione verborum Chriſti. Summa eſt, in *Caro non prodeſt quicquam*, improbari ſenſum illum craſſum, carnalem, beſtialem, qui obſeruabatur animis Capernaitarum, cum audirent Chriſtum loquentem de comedenda carne. Et quia non loquebatur de carne agnina, aut bubula, ſed de ſua; ergo & de carnis ipſius Chriſti manducatione improbari neceſſe eſt ſenſum illum Capernaiticum. Hunc autem ita concipiendum, vt omnem carnalis manducationis rationem, modumq; in ſe comprehendat, id eſt, vt loquebatur Chryſoſtomus, πᾶσαν φυσικὴν ἀκολουθίαν καὶ ἀνάγκην. Itaque habemus plenam demonſtrationem argumenti noſtri, cuius τὸ κρινόμενον fuit, Manducatio corporalis (nimirum formaliter) carnis Chriſti eſt inutilis. Quo confirmato reſtat concluſio: Ergo manducatio corporalis carnis Chriſti, non eſt à Chriſto inſtituta.

CAP. XI.

Manducationem corporalem eſſe impiam.

I. SEcundum argumentum probandæ aſſumptioni, quæ adſtruebat, non eſſe à Chriſto inſtitutam corporalem manducationem hoc eſto. Nihil mali inſtitutum eſt à Chriſto: At carnis Chriſti manducatio carnalis eſt mala: Ergo non eſt inſtituta à Chriſto. Maior per ſe patet, & inter Chriſtianos eſt abſque controuerſia.

II. Minor probatur, quod κρεωφαγία ſiue ἀνθρωποφαγία, ſemper fuerit horrori. Auguſtinus tertii de doctrina Chriſtiana cap. 16. *Si præceptiua locutio eſt, aut flagitium, aut facinus vetans, aut vtilitatem aut beneficium iubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata eſt. Niſi manducaueritis, inquit, carnem Filii hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere: figurata eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata ſit.* Idem ſecundi contra aduerſarium legis & Prophetarum c. 19. *Nos autem audiamus & intelligamus duo teſtamenta in duobus filiis Abrahæ, duabuſque mulieribus eius commixtione fœtatis: ſicut duos in carne vna, Chriſtum & Eccleſiam, iſtis nolentibus, ſine vlla obſcœnitate cognoſcimus: ſicut mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem, fideli corde atque ore ſuſcipimus: quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum ſanguinem potare, quam fundere.* Cyrillus 4. in Joannem 22. *Ex imperitia, multi qui Chriſtum ſequebantur, verba ipſius non capientes, perturbabantur. Nam cum audiſſent, Amen, amen dico vobis, niſi comederitis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, ad immanes ferarum mores vocari, ſe à Chriſto arbitrabantur, incitarique vt vellent crudas hominis carnes manducare, & ſanguinem bibere: quæ vel auditu horribilia ſunt.*

III. Hanc ob cauſam obſeruatum eſt Patribus Chriſtum voluiſſe in hoc Sacramento vti pane & vino, quorum vſurpatio nullum habeat horrorem. Ambroſius c. 4. quinti de Sacramentis. *Sed forte dicis, ſpeciem ſanguinis non video. Sed habet ſimilitudinem. Sicut enim mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis, vt nullus horror cruoris ſit, & pretium tamen operetur redemptionis.* Idem primo ſexti, *Vbi non tulerunt ſermonem Chriſti diſcipuli eius, ſed audientes quod carnem ſuam daret manducare, & ſanguinem ſuum daret bibendum, recedebant: ſolus tamen Petrus dixit, Verba vitæ æternæ habes, & ego à te quo recedam? Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam eſſet horror cruoris, ſed maneret gratia redemptionis: ideo in ſimilitudine quidem accipis Sacramentum, ſed veræ naturæ gratiam virtutemque conſequeris.* Auguſtinus apud Paſchaſium de corpore & ſanguine Domini cap. 4. & apud Gratianum de Conſecr. diſtinct. 2. capite *Vtrum ſub figura. Quia Chriſtum vorari fas dentibus non eſt, voluit in myſterio hunc panem & vinum vere carnem ſuam & ſanguinem conſecratione Spiritus Sancti potentialiter creari.* Lombardus 4. diſtinct. 11. ſegm. 5. *Sub alia autem ſpecie tribus de cauſis, carnem & ſanguinem tradidit Chriſtus, & deinceps ſumendum inſtituit: vt fides ſcilicet haberet meritum, quæ eſt de his, quæ non videntur: quia fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Et ideo etiam ne abhorreret animus, quod cerneret oculus: quia non habemus in vſu carnem crudam comedere, & ſanguinem bibere. Quia ergo Chriſtum vorari dentibus fas non eſt, in myſterio carnem & ſanguinem commendauit. Et etiam ideo, ne ab incredulis religioni Chriſtianæ inſultaretur. Vnde Auguſtinus. Nihil rationabilius, quam vt ſanguinis ſimilitudinem ſumamus: & ita veritas non deſit, ridiculum nullum fiat à Paganis, quod cruorem occiſi hominis bibamus. Ne ergo hoc fieret, & ne veluti quidam horror etiam cruoris, in ſimilitudinem accipimus Sacramentum.* Sed hæc poſtrema Auguſtini verba diſtinctius extant apud Gratianum eodem illo Canone, *Vtrum ſub figura. Nihil rationabilius, vt quia nos iam ſimilitudinem mortis eius in Baptiſmo accepimus, ſimilitudinem quoque carnis & ſanguinis ſumamus: ita vt & veritas non deſit in Sacramento, & ridiculum nullum fiat à Paganis, quod cruorem occiſi hominis bibamus. Si enim diſcipuli patienter ferre nequiuerint, quod Dominus dixit, Qui non manducat carnem meam: & cætera: ſed dixerunt, Durus eſt hic ſermo, quomodo ergo ferrent iſta increduli?* Theophylactus in Matthæi 26. ἐπεὶ γὰρ ἀσθενεῖς ἐσμὲν, καὶ οὐκ ἂν ἐδεξάμεθα κρέας ἐσθίειν ὠμὸν, καὶ ἀνθρώπου σάρκα, διὰ τοῦτο ἄρτος μὲν ἡμῖν φαίνεται, σὰρξ δὲ τῷ ὄντι ἐστί. *Quia ſumus infirmi, neque admiſerimus carnes crudas comedere, & quidem hominis, propterea panis nobis apparet, reuera autem caro eſt.*

IV. In his teſtibus notanda hæc ſunt. Primo, noſtri ſyllogiſmi propoſitionem minorem perpetuo conſenſu haberi veriſſimam: videlicet manducationem carnis humanæ, potumque ſanguinis, eſſe quid ſceleſtum, facinoroſum, crudele, horrendum. Quo axiomate tota conſtat vis argumenti. Adeo vt eo conceſſo, concluſio ſit in tuto. Secundo: noluiſſe Chriſtum vt id flagitium admitterent Chriſtiani: neque adeo Ethnici occaſionem haberent traducendi fidem Chriſtianam. Tertio: eam cauſam fuiſſe vſurpandorum externorum ſignorum, ſiue ea ſint vera & naturalia, vt tenent Catholici; ſiue quid aliud, vt ſomniant Papiſtæ: neque enim nunc intereſt. Quarto: inde conſequens eſſe, vt verba illa Chriſti de manducanda ſua carne, & bibendo ſanguine neceſſario exponantur per figuram.

V. Varium eſt ſolutionis artificium. Petrus Michael capite decimo Dialogi primi. Apoſtolicis Scripturis, atque potiſſimum fidei noſtræ myſteriis, regulæ iſtius vſum aduerſari, docet aliquot exemplis. Doctus à

Vega thesi 55. Agedum, ait, si eo quod accepisti sensu, regula intelligatur, annon spiritualiter intelligere oportebat præceptum Isaaci filii Abrahæ immolationis, Geneseos 22. Prophetæ percutiendi, 1. Reg. 20. Ducendi meretricem, & filios ex adulterio suscipiendi, Oseæ 1. nude incedendi per confertam multitudinem, Esaiæ 20 Humano stercore vescendi, Ezechielis 4 Quod falsum. Præterea, an non facinus significare videtur Virginis conceptus & partus, Dei in ventre muliebris gestatio, flagellatio, crucifixio, mors? Itaque vtendum ea regula, cum locutio, vel præceptum aliquod, ita facinus & flagitium præcipere videtur, vt nullum mysterium contineat: nihilque ad mores & religionem nostram conducat. Summa est, iuberi scelus, vel cum mysterio: vel sine mysterio. Pr ori modo concedi minorem; negari maiorem. Altero autem contra, concedi maiorem, negari minorem. Et hæc solutio videtur Richeomo non displicuisse libri 1. de Missa cap. 27. Notandum est, ait, Augustinum, docere; quoties Scriptura ad literam interpretata, sensum præbet absurdum, hoc est, sine mysterio, contra fidem, & bonos mores, tum exponendam esse figurate.

VI. Sed nobis persuaderi nequit vllum præceptum in Scriptura contineri, tanquam à Deo, vllius sceleris: quocunque tandem prætextu. Et in exemplis prolatis multa peccata obseruamus. Primum enim quædam enumerari inter scelera, quæ nullam habent sceleris naturam. Illud ex Ezechiele de stercore mãducando, primum est ex peruersione Latina. Hebraice תְּעֻגְנָה הָאדָת בגללי צאם, *In stercoribus excrementi humani coquent.* Nimirum teste Vatablo, *significans penuriam lignorum, qua accidere solet obsessis.* Hoc ine dignum sceleris nomine? Imo ne quidem si vesci legeremus. Quæ enim lex moralis prohibuit? Scimus durum esse, & contra morem humanum: sed longe hoc aliud est à scelere. Nudum incedere, eodem refero; non enim si præter honestatem humanum, ideò scelus est: alioquin quid illo futurum, quem Marci 4. legimus relicto sindone nudum fugisse? Quanquam non est necesse sic nudum intelligere apud Esaiam, vt præter cutem nihil habuerit: sed vt solet haud raro, per hyperbolen, is significari cui externa vestimenta desunt; aut certe non omnia necessaria; vt Genesios 31. *me nudum dimisisses.* Exodi 32 *Videns Moyses populum, quod esset nudatus.* Iobi vigesimo secundo, *Nudos spoliasti vestibus.*

VII. In Virginis conceptu, partuque, Deo in vtero gestato, primo nullum præceptum est: quo de nunc quæstio. Quæ enim Deus ipse facit, longe alterius sunt ordinis, quam quæ idem hominibus mandantur facienda. Deinde etsi esset præceptum, quodnam criminis vestigium? Aut qua lege prohibitum docebit mirus Iesuita, virginem concipere, & vterum gestare? Longe aliud fuit Angeli, imo & Ioseph iudicium. Nam hic cum crimen suspicaretur, non credens virginem concepisse, sed ex adultero, suspicionem criminis deposuit, cum primum didicit ab Angelo virginem concepisse. Flagellati, crucifixique Dei crimen fuit: sed Iudæorum, teste Petro Actorum secundo. Atqui Iudæis nunquam præceptum, vt DEVM flagellarent, crucifigerentve. Itaque nihil ad hanc rem. Multo minus Deus mortuus. Nam quis nescit, qui non sine crimine occiduntur: eosdem esse absque vllo proprio crimine mortuos.

VIII. Fornicaria Oseæ vxor nihil habet difficultatis. Haud paucis, iisque non infimi ordinis persuasum, non fuisse rem gestam, sed allegoriam. Quod si concedamus, nihil criminis est imperatum. Imperium enim ad opera pertinet: non allegoria. Aliis, ne obscuris, contra creditum, & Dei imperium fuisse: & postea promotum Prophetæ obsequium. Et demus sane. At Michaëlem Iesuitam, Iesuita Ribera scrupulo soluat, definiens nullum esse peccati vestigium, *Quæ tandem*, ait, *turpitudo est, vt homo humilis & gloriæ contemptor fornicariam vxorem duxerit, cum Salmon Princeps tribus Iudæ non dubitauerit Rahab meretricem, eandemque alienigenam ducere, ex eaque Boos genuerit? Nec culpandus Propheta interim. si meretricem conuerterit ad pudicitiam: sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet, ipse polluitur, si societur malo: sed qui malus est in bonum vertitur, si boni exempla sectetur.* Mitto plura describere.

IX. Supersunt exempla duo; vnum Abrahami iussi occidere filium: alterum eius qui iussus Prophetam vulnerare. Quæ magis esse videntur ad rem: vtpote re vera in eo rerum genere, quæ, propter prohibitionem legis, sunt peccata. Atque adeo nullam possunt habere excusationem, nisi ab extraordinario iussu diuino, à cuius nutu iustum pendet & iniustum. Et sane non omnis cædes iniusta est, multo minus omnis vulneratio: sed ea demum quæ illegitime fit. Alioqui enim magistratu iubente fiunt bene, multo magis Deo.

X. Itaque respondeo hæc esse singularia, & extraordinaria exempla. At nuncagi de ordinario perpetuoque præcepto. Explico. Imperauit Deus Abrahamo filium vnigenitum occidere. Imperauit semel Prophetam vulnerari. Nunquam autem sanciuit, vt quilibet Pater suum occideret filium: vt quicunque vulneraret obuium Prophetam. Ast manducatio carnis Christi, & potus sanguinis sancitur in perpetuum, vt ab omnibus admittatur absque discrimine; proposita etiam damnationis pœna, ni fiat. Hæc mens Augustini & omnium Patrum; hîc & scelus abominantium, & ridiculum auersantium. Certe Augustinus dixit præceptiuam locutionem esse, non fuisse: & videri scelus imperare, non autem imperasse. Est ergo longa exemplorum, & rei institutæ dissimilitudo.

XI. Rursus mysterium, quo sensu nominant? Enimvero si ex productis exemplis fiat iudicium, videtur hic sensus esse, non absurde imperari scelera, si aliquod mysterium designetur: Quemadmodum videlicet Isaaci cædes, Christi cædem: Matrimonium cum meretrice, populi Israelitici spiritualem fornicationem: nuditas Esaiæ, populi nuditatem siue extremam ignominiam: & stercora Ezechielis, incredibilem ex obsidione rerum penuriam. Hæc vero, inquam, quorsum? Nihil enim simile in hac carnis manducatione. Nam hæc non instituta, vt aliud aliquid significet, sed vt ipsa significetur. Itaque si analogia conseruaretur, oportuit esum panis scelus esse. Sic enim est res significans, & in qua mysterium est. Itaque cum manducatio carnis Christi, potusque cruoris, & sit contra fidem, bonosque mores, & non fiat propter alterius rei mysterium: sed propter se, nulla superest aduersus argumentum nostrum exceptio.

XII. Longe mirabilior est Gardineri, & Gropperi solutio, *Mysteriorum ignaris*, inquit ille ob ecto 226. primæ partis, *Figurata est locutio: Sed fideles norunt: quibus credentibus Christus aperuit modum: vt nihil prohibeat eandem locutionem fidelibus & spiritualibus esse propriam, quæ tamen infidelibus & carnalibus sit figurata, quorum iudicio videtur continere flagitium.* At iste in Augusti i testimoniis, *Hoc tantum conuincit, quod Domini sermonem carnaliter intellexerint: quasi illius caro, vt vsitata alia caro ex macello dissecatur, figurata sit. Hac enim via abominationem omnium atrocissimam iniecisset: hoc absit. Quare necessarium est Dominicam carnem aliter accipi, videlicet non carnaliter, aut cruente dissipatur: sed incruente, spiritualiter, hypostatice tamen, indiuidue, & viuide in Sacramenti mysterio suscipiatur: Idque Capernaitis obscurum erat: fidelibus autem nobis, per Dominum in sancta illius Cœna innotuit: qua quidem corporis Dominici fruitione, tantum non facinus committimus: sed opus Deo omnium sacratissimum, iuxta Dominicam voluntatem, perficimus.*

XIII. Immane commentum, Figurata esse Christi verba infidelibus existimantibus scelus esse manducari carnem carnaliter. Non autem fidelibus scientibus manducari non carnaliter. Vix possum concipere. Imo, quo magis assector, hoc minus assequor, quid sit figuratam esse loquutionem, iis qui carnaliter intelligunt. Et fortasse verum hîc vt alias, esse quæ tam impudenter asserantur, vt ratione nulla possint refutari: quomodo si quis neget ignem vrere, aut niuem dicat atram. Enimvero, quid est alicui figuratam esse locutionem? An quemadmodum hæc locutio, *Hoc est corpus meum* Papistis literalis est, nobis figurata: nempe quod eius literalem sensum tueantur illi, nos figuratum? Sic quidem oportuit: aut omnino immanem affectare κακοζηλίαν, nec loqui cum vulgo. Sed si ita est, ingens mendacium Sophistarum. Nam Augustinus figurum appellat sensum eum quem non Capharnaitæ tenebant: sed quem tenendum tradit ipse Christianis. Vnde sequitur literalem fuisse proprium Capharnaitis. Et vero literalis sensus hactenus omnibus definitus, quem ex suo communi vsu vocabula exhibent. At hunc non exhibent, qui commendatur ab Augustino: neque de eo quicquam vnquam venit in mentem Capharnaitis. Ita Gardineri, Gropperique prostituti pudoris est euasio.

XIV. Recte etiam Martyr docuit, in hoc libro præscribi ab Augustino sacrarum locutionum interpretandarum rationem: interpretandarum, inquam, non male, sed bene: & ideo interpretandarum apud Christianos. Quæ omnia longe abducunt à phantasmate Capernaitico. Quid? illud de vitando ridiculo infidelium? Siccine potuit intelligi, vt Capernaitis confirmet fuisse verba figurata? Denique, quandoquidem opponantur sensus literalis, & figuratus: si figuratus fuit apud hæreticos, lite alis autem apud Catholicos; potuitne hic literalis sensus horrorem cruoris tollere? Atqui hoc Veteres voluut fieri. Docento Sophistæ, qua tandem ratione.

XV. Tertiam solutionem excogitauit Pererius disput. 30. in 6. Ioannis. In hac posteriori parte sermonis Domini agi de manducatione corporis CHRISTI, non solum reali, sed etiam simul de spirituali. Spiritualem sine dubio esse figuratam: & ad hanc solam respexisse Augustinum: vtpote promptam & expeditam ad intelligendum. Realem vero, quæ in Sacramento, non excluisse, sed tacuisse, quia difficiliorem ad explicandum paucis verbis, cum tamen obiter diceret, & festinans ad alia.

XVI. Negat excluſam esse realem Nugator inquam, quid realem appellas? Nonne literalem? id est eam quæ proprie sumit & verbum manducandi, & nomen carnis: ideoque omnes terminos enuntiationis? Mentiris igitur, inquam, cum negas realem excluſam. Etenim figuratam, velis nolis, opponitur literali. Quæ autem opposita sunt, eadem excludunt mutuo. Vide: omnis mãducatio carnis Christi literalis excluditur ab Augustino. At omnis manducatio carnis Christi realis est literalis. Ergo omnis manducatio carnis Christi realis excluditur ab Augustino.

XVII. Rursus, quæ manducatio carnis Christi sceierata est, eam excludit Augustinus. At manducatio realis, scelerata est. Ergo manducationem realem excludit Augustinus. Probatur minor: quoniam si quæ manducatio carnis Christi scelerata est, eam oportet esse vel realem vel spiritualem. At non spiritualem: Ergo illam potius realem. Propositio patet, quia manducatio spiritualis & realis, sunt ἀντιδιηρημέναι, vt non possint plures dari. Assumptio patet, quia nulla ratio sceleris dari potest in spirituali. Imo Augustinus hanc substituit, vt vitet scelus. Hoc argumento: Manducatio carnis Christi, quæ nullum infert scelus, est ea quam Christus præcipit: At manducatio spiritualis est ea quæ nullum infert scelus: Ergo manducatio spiritualis est ea quam Christus præcipit. Nihil certius. Itaque Pererius nihil nisi manifeste illudit suis lectoribus, dum quorum vnum ponitur altero excluso, vult tamen persuadere vtrumque retineri. Quod genus hoc Sophistarum est?

XVIII. Supereſt solutio quarta, magis celebris. Bellarmini, Bullingeri, Coffetæi, Tholosani: ipsius etiam Pererii, Petrique Michaelis. Respondemus, ait Bellarminus, figuram ponere Augustinum in his verbis, ratione modi sumendi carnem Christi, non ratione substantiæ ipsius rei. Non enim vult dicere carnem Christi tropice manducari, si essentiam manducationis spectemus, quæ solum requirit, vt verus cibus ab ore traiiciatur in stomachum per instrumenta vitalia: sed vult dicere tropice manducari, quoad modum: nam ordinarius & proprius modus manducandi carnem, vt ea visibiliter secetur in partes, & particulatim sumatur, & cocta, non cruda. Caro autem Christi sumitur integra, & inuisibiliter, & sine vlla sui læsione. Quare non proprie, sed tantum figurate Christi caro occiditur, & laceratur in hac manducatione. Summa est. Distingui in hac manducatione substantiam rei manducandæ, à modo manducandi. Et hunc rursus esse geminum: vnum vt res manducetur inuisibiliter, integra, cruda. Alterum vt visibiliter, lacerata, cocta. Porro propriam manducationem intelligi iuxta hunc posteriorem modum: impropriam secundum primum: vtrique autem communem esse rei substantiam. Vnde Richeomus concedit, esse aliquam manducatio-

ducationem spiritualem carnis Christi: verum absque vllo præiudicio realis.

XIX. Hanc esse Augustini mentem probat Bellarminus argumento gemino. Vno; quod tropi causam assignet, ne scelus aliquod, flagitiumve præcipi videatur. Scelus autem futurum sit, Christi carnem occidere, secareque in partes: non autem spirituali quodam modo eam sumere absque vlla eius læsione. Altero, quod explicet quis sit sensus literalis, qui scelus sonare videatur: nempe cum putarunt Capharnaitæ carnem eam laniandam, vt in macello.

XX. Insto. Primum, omnino figuratam dici ab Augustino eam locutionem de manducanda carne Christi, & bibendo sanguine. Quod si verum: Ergo in ea interpretanda necesse esse recedi à literali sensu: quod tamen nondum poteramus obtinere a Sophistis nostris.

XXI. Secundo, quia non necesse omnia verba abduci à proprio vsu: sed sufficit tantum aliqua, vt fiat figurata loquutio: concedo in hac locutione, non esse necesse vtrumque & carnis, & manducandi vocabulum figurate interpretari. Vtrum ergo, inquies: Vtrum voles: inquam. Nam nunc quidem perinde est; ad Augustini quidem mentem. Nam quæ figurata locutio opponitur literali: & hæc carnalem manducationem infert: sufficit figuratam esse; vt hæc carnalis expungatur manducatio: quam obtinere non possumus, vt missam faciant Sophistæ. Quid ergo? Conceduntne carnem dici figurate, vt Bellarminus explicat, pro pane, quo significetur caro? Tum vero negem constanter manducandi vocabulum tropicum esse. Nam vel sensus ipsi docent ad literam manducari hanc carnem, id est panem. Ac proinde non illam carnem, quæ proprie CHRISTI est. Ingenue tamen dico non videri eam esse Augustini mentem.

XXII. Hanc potius, vt figura sit in manducando: nam communicare, & recondere in memoria, explicant potius verbum manducandi; quam nomen carnis. Tum autem cum mutetur in eam formam, id verbum, tum vero retinetur caro diserte, *Quod pro nobis*, ait, *caro eius crucifixa ac vulnerata sit.* Quod de pane proprie & absque figura dici nequit: vnde sequeretur vtrunque terminum esse improprium, quod neque dabunt Papistæ: neque nos vero postulabimus.

XXIII. Itaque concedimus libentes figuram dici ab Augustino, non ratione substantiæ carnis: sed modi sumendi. Sed hic modus quis sit non æque consentimus. Nam nos quidem ita distinguimus, vt sumendi modus sit vel proprius, vel figuratus. Proprium dicimus in manducatione proprie nominata. Itaque figuratum in manducatione figurata, quæ videlicet nihil habet commune cum propria, & excludat omnem membrorum corporis functionem, atque adeo, os, dentes, stomachum. Et sic Augustinum docemus intelligere. Vnde? Quoniam videlicet manducare interpretatur, communicare passioni Domini: & hoc ipsum, recondere in memoria. Nam neque passionis communicatio, in eum modum corporalis esse potest; tum quia passio, mors est, & mors non comeditur: tum quia eadem vel futura erat, cum sic loqueretur Christus; vel præterita, cum interpretaretur Augustinus: quæ autem vel futura sunt, vel præterita, non existunt actu: At quæ comeduntur realiter & proprie, ea oporteat actu existere. Neque vero etiam recondere in memoria, pertinere potest ad illa corporea membra, quibus manducatio propria conficitur.

XXIV. Ridemus vero etiam Sophistarum subtilitatem. Manducationis duos esse modos, vnum visibilem, alterum inuisibilem: vnum viui corporis, alterum occisi: vnum integri, alterum lacerati: vnum cocti, alterum crudi. Esto sane, inquam: vt ne semper diuinuæ subtilitati contradicamus. Sed quid ad Augustinum? Nam ille modum postulat figuratum: & quidem ita figuratum, vt sit recondere in memoria. Vin dicam clarius? Tu statuis duplicem modum, alterum crudi corporis, alterum cocti: & vis hic non coctum, sed crudum esse. Atqui si paulo libuisset vlterius progredi, rursus huius cocti modi, duos distinxisses modos, assum & elixum: quos Cyprianus annotauit. Quæro ex te, vtrum ea distinctione posita liberum sit tibi, vel cuiquam elixam Christi carnem comedere? Minime, inquies: nam siue elixæ, siue crudæ: eæ coctæ essent: atqui negamus coctas comedi. Recte, inquam: neque enim satis est distinguere, nisi etiam distinctio sit ad rem. Ast ego dico, tibi nunc similem accidisse nugationem. Nam Augustinus modum distinxit proprium & figuratum: istumque delegit, illum reprobauit. Quemadmodum ergo, cum eligenti tibi modum crudum, refutatus est modus coctus: ac proinde æque elixus & assus: sic debuisti statuere eundem Augustinum, qua opera seligit figuratum: eadem reprobasse proprium: atque adeo omnes modos, in quos iste proprius subdiuidi potest. Nondumne concipis, quid velim? Dicam aperte. Subtilitas istæc tua non distinguit modum figuratum, à proprio: sed duntaxat proprium disparat in subiectas species. Itaque quomodo ex electo crudo, sequitur reprobari tam elixum, quam assum: quia hic vterque coctus, non crudus: sic ex electo figurato, sequitur eliminari, tam visibilem, quam inuisibilem, tam viuum quam occisum: tam integrum quam laceratum: tam coctum quam crudum, Quare? quia omnes literales sunt. Itaque cum electus est figuratus, æque omnes reprobati. Scelus est, inquã manducare carnes Christi, non figurate. At siue visibiliter comedas, siue inuisibiliter: siue viuas, siue mortuas: siue integras, siue laceratas: siue coctas, siue crudas: comedis non figurate. Ergo siue visibiliter, siue inuisibiliter comedas: siue viuas, siue mortuas: siue integras, siue laceras: siue crudas, siue coctas, scelus est. Assumptum didici à teipso: qui vt hic concedis in odium Capernaitarum, comedere visibiliter, mortuas, laceras, coctas, esse literale: sic alias cum libet in odium nostri, disputas comedere inuisibiliter, viuas, integras, crudas, esse non figuratum. Itaque te teste, tu ipse magnus es nugator.

XXV. Experiar tamen sigillatim. Comedere visibiliter, aut inuisibiliter. Quo sensu istud? Eone vt inuisibilitas sit in eo ipso quod manducetur, an vero in ipsa manducationis actione? Exempli gratia; qui Imperator in hostia venenum sumpsit, ille profecto non vidit se edere venenum, latens in hostia. Isne ergo manducauit inuisibiliter venenum? Ferri, inquam, potest. Sed tamen improprie manducasse, opinor, dici non potuit, *Nam manducare proprie est solidæ alicuius substantiæ cibum, per os in corpus assumere*: inquit Christophorus à capite fontium Archiepiscopus Cæsariensis cap. 27. de Eucharistiæ Sacramento. At ille Imperator solidum venenum per os in corpus assumpsit: Ergo proprie manducauit. Crebrius experimentum in poculo, cum bibitur venenum inuisibile, ideoque inuisibiliter: & tamen proprie. Quare hic modus non pertinet ad Augustinum, qui omnino vult improprietatem stabiliri.

XXVI. An igitur inuisibilitatem statuendum est in ipsa actione manducandi? Nempe nos quidem id censemus Augustino fuisse in mente: esse etiam in rei veritate. Sed negamus esse in ea manducatione, quæ Papistis placuit: certe enim, aut nulla manducatio habet quicquam in actione visibile, aut hæc non est inuisibilis. Quid enim est in vllo communicante, quod non sit in quocunque conuiua? Dico clarius. In manducatione visibili, prima est iniectio in os; deinde deiectio in stomachum: vnde ergo metiris manducationem? Si ex iniectione in os; illa vero tam manifesta est in Eucharistiæ perceptione, quam in vllo vnquam conuiuio. Itaque tam illa visibilis, atque hæc. Sin ex deiectione in stomachum; tum vero vel omnis omnino manducatio est inuisibilis; vel hæc Eucharistica visibilis. Quæris cur ita dicam? Quia vel vtrobique deiectio est inuisibilis, per se: nam oculi nulli penetrant in corporis interna, vt quid in iis fiat πρώτως & per se discernant. Vel vtrobique visibilis ex circumstantibus signis, vt ex motu quodam earum partium per quas cibum transire est necesse. Quare si figuratam manducationem oportet esse inuisibilem: At hæc non est inuisibilis: Ergo hæc non est figurata: quod tamen Augustinus voluit.

XXVII. Denique mihi miraculo proximum est, Papistas nunc inuisibilitatem vrgere; qui alias visibilitatem in hoc ipso Sacramento commendent testem veritatis: A quo enim non auditum illud Chrysostomi, *Ipsum vides: ipsum tangis, ipsum comedis. Seipsum tibi tradit, non vt videas solum, sed vt tangas, & in te habeas.* Et scin' quo sensu? Bellarminum audi c. 22. libri 2. *Chrysostomus cum dicit Christum ipsum videri & tangi, intelligit ipsum verum Christum videri & tangi: sed in specie aliena, non in sua: id est vere adesse & recipi sub illis speciebus, quæ proprie videntur & tanguntur, licet in propria specie Christus in Sacramento non videatur, nisi oculis fidei, neque sensibilis sit, vt in Sacramento est.* Vos videte, quæso lectores, & tangite, quid hic sit miraculi. Corpus CHRISTI dum manducatur videtur & tangitur sensibus corporeis: hisce, inquam, oculis: istis ipsis manibus. Nam Papistæ, scio, ne pilo quidem minus permiserint. Siccine Christi caro videtur oculo vtroque: tangitur manu vtraque, dum offertur à Sacerdote, dum accipitur à plebe: & tamen hæc caro sumitur, comeditur inuisibiliter? O versutiam! ô fraudem infamem. Olim cum est huius manducationis asserenda realitas; importune vrgent tactum. Nunc cum eiusdem manducationis impugnanda figura est, abominantur tactum, abominantur visum, Ἀλλ' ἔγωγε, aiebat Satyrus, ἀποταγῶ ἀποτάσσομαί σοι τῆς φιλίας, εἰ σὺ ἐξ αὐτοῦ στόματος τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν ἐξάγεις; *amicitiam tibi dehinc renuntio, qui ex eodem ore calidum spiras & frigidum.*

XXVIII. Nam quid tum si sub aliena specie videri distinguant, non sua? Prius enim definitum oportuit, vtrum impropria sit, & figurata manducatio visibilis, non quæcunque, sed illa saltem, quæ sub propria specie. Quod si est, tum vero non proprie venenum aut manducatum est ab Imperatore, sub specie hostiæ: vel ab quouis alio potum, sub specie vini. Neque proprie pilulas medicas deauratas, quisquam sumpserit: nam auri quidem obducta illi species aliena est. Quæ si sunt insane absurda: cōsequitur, non propterea figurate manducari, quæ inuisibilia fiunt in se, & tantum visibilia in aliena specie. Imo sufficere sumi visibiliter in aliena specie, vt vere & proprie dicantur manducari. Itaque nullo modo satisfieri Augustino.

XXIX. Sic inutilis prima distinctionis particula. Altera est carnium viuarum & mortuarum; integrarum, & laceratarum. Ergone, inquam, certum nihil viuum proprie comedi? nihil non laceratum? Scilicet figurate comedunt pisces, quicunque minores demittunt in stomachum: & non nisi metaphorice Ionam Cete deuorauit. Sed natura sic habet. Vt quædam ante esum lanientur; quædam inter edendum conterantur, quædam integra immittantur in stomachum. Laniantur, quæcunque maioris molis sunt, quam vt ori ingerantur: vt panes, verueces, boues. Quæ autem iis minora, solent integra iniici in os. Conteruntur, quæ vel maiora quam vt laryngem transeant; vel solidiora, quam vt facile integra concoquantur demissa in stomachum. Sed in quibus neutrum obstaculum est; eadem solent integra sumi: pauca quidem in vsu quotidiano hominum: sed non itidem pauca in vsu bestiarum, de quibus tamen edere dicitur proprie. Itaque Christophorus à Capite-fontium, *Non enim opus est, vt quicquid estur, mandatur, & masticetur.* Et post, *Vt autem res aliqua comedatur, necessum non fuerit* (sic omnino legendum, etsi meus codex negationem non habeat) *primo dentibus in ore conteratur, sed suffecerit, vt in ventrem demittatur. Cum igitur solida aliqua substantia per os in ventrem demittitur, ea vere, ac reipsa manducari dicitur.*

XXX. Inde est de vita & morte facile iudicium. Mors præcedit interdum esum: aut comitatur: sed non semper. Certa est, quoties laceratio aut contritio. Sed harum si neutra: ne illam quidem opus est esse. Sic enim Ionam viuum Cete deuorauit. Quid? Etiamne saltem sequi? Ne hoc quidem. Sed tantum si fiat concoctio, & digestio: qui finis est proprius comedentium. Sed ita proprius tamen, vt per accidens possit esse nullus. Nam neque Ionas, vitam amisit, etsi vere & proprie deuoratus: & quis dubitat, qui pisces adhuc integri reperiuntur in intestinis aliorum posse etiam viuos educi, si mature fieret? At vos Sophistæ manducationi Eucharisticæ negatis vllam succedere concoctionem, aut digestionem. Cur ergo mortem nos velle cogitis?

XXXI. Supersunt coctæ carnes & crudæ. Facete, ita me Iesuitarum beet cohors. Non propria manducatio, quoniam non carnes coctæ. Quasi nulla propria esset crudarum. Atqui has potius amolitur Cyrillus, *Ad immanes ferarum mores vocari se à Christo arbitrabantur incitarique, vt vellent crudas hominis carnes manducare.* Item Lombardus, *Ne abhorreret animus, quod cerneret oculus, quia non habemus in vsu carnem crudam comedere.* Theophylactus, οὐκ ἐδεξάμεθα κρέας ἐσθίειν ὠμόν, *non toleramus carnem*

nem crudam comedere. Videte Sophistæ. Vos arcetis carnes coctas: illi carnes crudas. Quid superest. Nempe quod in Apologo ei, qui iuuenem vxorem habuit, & vxorem vetulam: ab ambabus caluitio damnatus. Figurata loquutio est, illis quidem iudicibus; quia carnes crudas edere horror est: rursus edicentibus vobis figurata locutio est, quia carnes has coctas edere non licet. Heus, heus Sophistæ, nobis ergo concedite, figuratam esse locutionem, quod has carnes neque crudas, neque coctas liceat edere. Et tacete.

XXXII. Examinemus argumenta in oppositum. Tropi causam assignat Augustinus, flagitium scelusve. At scelus est Christi carnem occidere, secareque in partes. Non autem edere, absque eius læsione. Facete sane. Atqui primum etsi scelus nominarit Augustinus, tamen horrorem Ambrosius, & Lombardus. Sed & Augustinus ridiculum Pagnorum. Quæ possunt subsistere etiam absque scelere. Quare etsi satisfaceret Bellarminus huic sceleri, tamen non satisfaceret argumento. Deinde non esse scelus comedere carnem Christi absque eius læsione, portentum est, falsum est: & absque vllo rationis adminiculo nimis prætorie edictum.

XXXIII. De lanianda carne, quæ conficit alterum argumentum, iam satisfactum præcedenti capite: & notatum fuisse nominatam non exacte, præciseque: sed ὡς ἐν τύπῳ. Id satis.

XXXIV. Denique dico, hunc ipsum horrorem, cui vitando diximus assumptum fuisse panem, pertinere ad hanc carnem Christi in Sacramento, siue crudam dicas, siue coctam, siue integram, siue laniatam. Sic ergo disputo. Nulla caro Christi in Sacramento, fuit vnquam aut cocta, aut laniata. At horror ille cui vitando fuit assumptus panis, pertinet ad carnem Christi in Sacramento. Ergo is horror non pertinet ad carnem Christi, aut coctam, aut laniatam. Quo ergo? Nempe ad crudam, & integram, quomodo esse potest in Sacramento. Propositionem maiorem concedunt vltro Papistæ. Minorem ipsi sufficiunt. Colonienses Enchiridii c. 6. de Eucharistia, *Quod si interroges cur Christus carnem & sanguinem suum his speciebus tecta & operta nobis exhibeat.* Nota. Exhibeat, non autem exhibere putetur. Vnde manifestum indicari, idipsum quod fit reipsa. Rursus nota. Nobis: Atqui si Capernaitis venit in mentem, siue cocta, siue laniata: at non nobis: volunt autem Colonienses attendi quid nobis fiat: non quid Capernaitæ sint imaginati. Pergunt, *Respondemus id fieri, tum vt fidem tuam exerceat: deinde ne abhorreat animus, quod cerneret oculus carnem & cruorem: denique ne ridiculum fiat Paganis, quod cruorem occisi hominis bibamus.* Catechismus ad Parochos, *Cum à communi hominum natura maxime abhorreat humanæ carnis esca, aut sanguinis potione vesci, sapientissime fecit, vt sanctissimum corpus & sanguis, sub earum rerum specie, panis, inquam, & vini nobis administraretur: quorum quotidiano & communi elemento maxime delectamur.* Hæc illi, & alii similiter, quibus supersedeo recitandis.

XXXV. Hoc posito, adhibitum nempe fuisse panem, siue panis speciem (nunc enim perinde est) vt nobis communicantibus Sacramento, nobis, inquam, nihil cogitantibus coctum aut laceratum, cum Capernaitis, horror nullus esset: ac proinde, vt hæc ipsa communio corporis cuiusmodi superest in legitimo vsu huius Sacramenti secundum Catholicam fidem, non esset horrenda, non ridicula: Hoc, inquam, posito, quæro denique ab aduersariis subtilissimis Sophistis, quid hoc esse putent stratagematis. Quo, inquam, sensu interpretentur, assumpto pane & vino, huic horrori fuisse prouisum. Respondet de Bollo, *Significabat illum manducationis modum, quo vere quidem caro Christi manducatur, ita tamen vt manducanti videatur non se manducare carnem, sed panem: & vt bibenti sanguinem eius, videatur non sanguinem potare, sed vinum.* Intelligo. Nempe quomodo in equo Durateo inclusi fuere Achiui, vt putarent Troes, se machinam admittere intra muros, non hostium manum. Quomodo Imperatori cuidam traditum venenum in Eucharistia, vt se crederet sumere non venenum, sed Eucharistiam. Quomodo posterioris ad Corinthios 11. pseudapostoli transformant se in Apostolos Christi, & Sathanas in Angelum lucis: vt cum admittant auditores siue pseudapostolos, siue Sathanam, putent se tamen Apostolos admittere, & Angelos lucis. Euge, eleganter, pulcre, ingeniose: nisi huc tandem res rediret, vt impostoribus Christus adnumeretur, cum non rem ipsam sustulerit, sed rei duntaxat sensum: instar veneficorum, sic porrigentium calicem, vt externam veneni speciem solam amoliantur, vim ipsam non comprimant: quo ipso nomine peius audiunt, quam ipso veneno. Atqui indignum est religione Christiana ex CHRISTO impostorem facere, & quidem in maximis mysteriis.

XXXVI. Veruntamen vt de re dicam potius, nego hoc ipso stratagemate horrorem tolli, si remaneat ipsa illa carnalis, corporalis, realis communio. Nam horror, vel sensuum est exterorum: vt qui est ex præsenti experimento: sic enim pueri horrent amara pocula, ad primum gustum: Vel animi: vnde vulgata phrasis, *horret animus*: & futurorum abominatio; Æneidos 3. *Nec tu mensarum morsus horresce futuros*: videlicet, cum in mente est idea rei horridæ, siue ab experimento præterito, siue ab aliena relatione, siue aliter. Nam hæc idea non minus horrore mentem concutit, quam præsens experimentum sensum mouet.

XXXVII. Ille primus horror, qui totus est sensuum, tollitur facile per imposturam factam sensibus solis. Nam sic bibitur venenum in vino secure: & pueris traduntur pharmaca melle linita. Et merito: quoniam sublata causa tollit effectum, natura comparatum, est autem huius horroris causa in sensibus. Ast alterius, medela est ab animo; mutata videlicet idea, à qua horror est: vt qui rem concipiebat sub ratione mali, deinceps in oppositam rationem concipiat, siue vt non malam, siue etiam vt bonam. Sic quam alii cicutam horrebant, bibit Socrates haud alio vultu, quam vinum solebat in conuiuio: persuasus scilicet inde sibi nihil futurum incommodi. Et vero tam potens hæc medela est, vt superet horrorem sensuum, id est efficiat, vt etiam cum horrent sensus, non horreat animus. Sic enim Christus ex sensu horruit mortem, & postulauit vt à se transiret: At secundum mentem, admisit, & dixit, *non sicut ego volo, sed sicut tu.*

XXXVIII. Nec verum duntaxat hinc certam esse medelam: sed & nullam præterea. Non enim profecto à sensibus: alioquin cum non afficerentur sensus, nullus esset horror: quod tamen falsum: nam rerum futurarum nullus est sensus: & est tamen horror. Præterea oporteret sensus esse potentiores, atque adeo superiores mente: quod est contra. Hinc fit vt & si cicuta vino temperata, retineat saporem vini gratum, tamen qui cicutam hanc bibebant horrore concutiebantur, quod scirent se bibere cicutam: videlicet, quia multo minus efficaciæ in sensu, quem facile titillat vinum: quam in mentis idea, quæ cicutæ mortiferam vim concipiebat.

XXXIX. Redeamus nunc ad nostrum stratagema. Non horrent, aiunt: quia videntur edere panem. Quo modo? inquam? Oculosne dicis: an mentem? Nam si oculos; possum concedere, videri non comedere carnem: quoniam sensui oculorum nihil apparet præter panem. Sed quid tum? Nam hic horror mentis est. Nam sensus nullo modo corpus concipit CHRISTI in hoc Sacramento, vel ex confessione Papistarum. Tum autem res ipsa docet hunc horrorem pertinere ad mores. Nam alioqui κρεωφαγίαν nihil habere sensibus aduersarium docet τῶν ἀνθρωποφάγων vsus: quin etiam opinio est multorum nullas esse carnes gustui gratiores humanis. Cum igitur is horror non sit sensuum, non potest ei medela esse à sensibus: neque proinde illud, *Videntur edere panem*, pertinere ad oculos.

XL. Ergo ad mentem debuit: vt sensus sit, qui communicet, ipsum sibi persuadere non edere carnem Christi. Quæ sane medela esse posset aduersus horrorem, vt absque horrore Alexander sextus Romanus Pontifex ebibit venenum à filio paratum, nihil cogitans nisi vinum. Sed hæc Papistis assertio falsissima est. Tantum enim abest, vt persuadeant non esse carnem Christi, vt contra toti sint in eo, vt persuadeant nullum esse panem, sed tantum speciem panis: re vera autem esse carnem Christi: ipsissimam, inquam, carnem Christi: tam ipsam, quam Polyphemo fuit ipsissima caro sociorum Vlyssis. Itaque prolixe disputant & pertinaciter disputant non esse fidem adhibendam sensibus: neque credendum id esse, quod oculi renuntient; quod gustus testetur. Scilicet ille horrorem tollat veneni propinati, qui clamet, non esse vinum in calice, quantumuis odor testetur, aut sapor.

XLI. Quamobrem oportuerat persuaderi Christianis non esse horrendum esum carnis Christi, potumve sanguinis: ac tum nihil opus fuisset illusis sensibus externis. Quomodo Abrahamus persuasus non esse horrendum à patre gnatum iugulari iubente Deo, aperte ausus est, nulloque adhibito artificioso circuitu. Quantumuis durum esset circuncidi senem centenarium: durius etiam infantem octiduanum: tamen iubente Deo ita factum absque vllis præstigiis. Quibus exemplis quis ausit dicere, non iri persuasum Ecclesiæ, ex mandato CHRISTI non tantum non horrendam fore, sed etiam piam illam κρεωφαγίαν, illam αἱμοποσίαν?

XLII. At Papistæ tam fuerunt stolidi vt sibi persuadere potuerint gemino concesso antecedente, nempe & comedi carnem Christi: & horrendum esse comedi hanc carnem: tamen negare consequentiam: ergo horrendum aliquid patrari in Eucharistia. Et quasi stoliditas esset subtilitas, sperarunt inde non suos tantum decipiendos: sed etiam nos deterrendos.

CAP. XII.

Carnis Christi manducationem carnalem esse impossibilem.

I. TErtium argumentum vnde probatur à Christo non esse institutam carnalem propriæ carnis manducationem, ita est. Nihil impossibile fuit institutum à Christo. At carnalis manducatio eius carnis est impossibilis. Ergo non est instituta à CHRISTO. Probatur minor. Omnis carnalis manducatio vnius humani corpusculi, mandata omnibus salutem optantibus, est impossibilis. Ast hæc est eiusmodi. Ergo impossibilis. Probatur maior: si esset possibilis, ergo vel laceratæ carnis, vel integræ. At neutrius. Ergo non est possibilis. Assumptum probo per partes.

II. De laceratæ carnis manducatione testes habemus Veteres, vno ore agnoscentes fieri non posse, vt caro Christi frustratim omnibus satisfaceret. Quod etsi non negent Papistæ, tamen necesse est testimonia saltem pauca recitari, ad disputationis ἐνέργειαν. Athanasius in illud Euangelii, *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis*, Τὸ πνεῦμα πρὸς τὸ κατὰ σάρκα διέστειλεν, ἵνα μὴ μόνον τὸ φαινόμενον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀόρατον αὐτοῦ πιστεύσαντες μάθωσιν, ὅτι καὶ ἃ λέγει οὐκ ἔστι σαρκικὰ, ἀλλὰ πνευματικά· πόσοις γὰρ ἤρκει τὸ σῶμα πρὸς βρῶσιν, ἵνα καὶ τοῦ κόσμου παντὸς τοῦτο τροφὴ γένηται, *Spiritum à carne discriminauit, vt non solum id quod oculis apparebat, sed naturam quoque inuisibilem credentes, discerent ea quæ loqueretur non carnalia esse, sed spiritualia. Quot enim hominibus corpus eius suffecisset ad cibum, vt vniuersi mundi alimonia fieret?* Cyprianus de Cœna Domini, *Quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retro, quia horrendum eis, & nefarium videbatur vesci carne humana: existimantes hoc eo modo dici, vt carnem eius vel elixam, vel assam, sectamque membratim edere docerentur: cum illius persona caro, si in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere: qua semel consumpta videretur interisse religio, cui nequaquam vlterius victima superesset.* Rupertus in Ioannem, *Deinde & hos illos monere poterat, cum eiusmodi sensum haberent: quod etsi vllo modo fas esse potuisset sic illum concidi & manducari, sanguinemque eius bibi, vix paucis sufficere, vt vnusquisque modicum quid acciperet: atque ideo vix centum homines ad vitam pertingere posse, cum copiosa multitudo hominum ad vitam pertinentium, nulli nisi soli Deo numerabilis sit.* Argumentum ita est. Christus instituit in Eucharistia suæ carnis talem manducationem, quæ sufficiat omnibus saluandis. At eius carnis manducatio per partes, non potest sufficere omnibus saluandis. Ergo ea manducatio per partes non est à Christo instituta.

III. Super-

III. Superest pars altera assumpti, quam sic probo. Nulla prima substantia corporalis potest à pluribus in solidum singulis teneri. At corpus Christi, est prima substantia corporalis. Ergo non potest à pluribus in solidum teneri singulis. Ideo neque manducari. De minore nulla prorsus controuersia. Maior est à luce naturali, & ab experientia. Vtraque docet posse nos frui rebus dupliciter: alias per eas ipsas: alias per aliud. Per ipsas, vt cum panis ipse manducatur, vinum bibitur: Et sic quæcunque ita sunt, vt ipsius vsus actio versetur proxime circa earum substantiam. Per aliud vero, vt cum agro aliquo dicimur frui, cum eius fructus percipimus, in quorum substantia proxime impenditur actus fruitionis. Quæ in primo sunt ordine res corporales, nulla vnquam experientia vllo docuit exemplo posse corporaliter totas à pluribus sigillatim percipi.

IV. In altero ordine quæ sunt, possunt interdum in solidum percipi à multis: sed tum vel non sunt primæ substantiæ: Sic natura hominis in solidum possideri nihil prohibet, ab Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Ismaele, Esau, Iosepho, omnibus. Vel si sint primæ substantiæ, certe per modum non corporalem: sed vel per κτίσιν: vt Abraham pater in solidum fuit Ismaelis, Isaaci. Sic Iacob omnium duodecim Patriarcharum. Vel aliquo morali modo: vt puta ciuitas, in solidum est omnium ciuium: Aristocratia omnium optimatum: non quod singuli totam teneant actu: non enim omnibus sigillatim omnes sunt partes commissæ; sed quia iure nulli negantur vllæ: & omnibus aperta ianua est ad omnes ciuitatis dignitates: Sic aliæ aliter. Et in hoc ipso negotio, quandoquidem negari non potest Christum spiritualiter manducari extra Eucharistiam: profecto corpus Christi, etsi sit prima substantia, & quidem corporalis: tamen in solidum tenetur, & possidetur à singulis fidelibus: At non corporaliter, sed spiritualiter.

V. Ratio impossibilitatis, est distractio: quoniam videlicet, vnaquæque res distraheretur à se ipsa: quod nulla cogitatio concipere potest: cum sit distractio ex diametro opposita vnitati: non possint autem res singulæ esse non vnæ: aut vnæ, si distractæ.

VI. Hæc distractio nulla est, primum in re infinita: etenim infinitas per se & proprie aduersatur distractioni, quæ rebus finitis solis potest accidere. Itaque Deus, cum est in singulis rebus totus, non distrahitur à se ipso: quanquam res ipsæ distrahantur inuicem. Secundo in iis, quarum perceptus est per aliud. Nam ager non propterea distrahitur; quia qui ab eo sunt fructus distrahantur. Tertio, ne in iis quidem, quæ per mutuam κτίσιν. Nam etsi totus Abraham pater sit Isaaci, & Ismaelis, & quidem paternitate secundum numerum alia & alia, tamen ipse Abraham, non desinit esse in se vnus. Sic constat vis argumenti nostri: vt corpo Christi, in se vna sit; Et tota tamen in singulis fidelibus: quia non corporaliter, sed modo quodam spirituali, siue per fidem. Aft omnino, qui eius totius fingant corporalem participationem, eos necesse est monstra fingere.

VII. Tantum illud poterit videri nimis breuiter positum, quod diximus nihil impossibile à Christo esse institutum. Sed nemo mirabitur, qui patres obseruarit eo nisos, vt huius ipsius carnis laceratione confutarent. Rationem enim addiderunt, quod non posset omnibus sufficere. Quo loco obseruanda Bellarmini vafrities est; qui huic argumento magnam fecit inclinationem, quasi aliud agens. Respondens enim Athanasio, negat hunc contra se facere, sed contra Capernaitas, qui putarint debere diuidi carnem in particulas, *Hoc enim modo*, inquit, *vere non sufficeret tam multis sine noua aliquo miraculo*; Quid promouens? Hoc certe vt doceat non esse soluendo huic argumento sine aliqua noua impostura. Nam, neque Athanasius, neque vllus Patrum, in hac ratione, vllam miraculi exceptionem addidit: sed simpliciter dixit, non posse sic sufficere. Non quod nescirent posse multa fieri præter ordinem naturæ, per miraculum: sed quod illud vere dicerent esse dicendum impossibile, quod non posset nisi per miraculum, cuius nullam disertam haberemus promissionem. Nam quid est, quo non feratur audaciæ temeritas humana, si ei liceat vbi volet, & cum volet comminisci miracula?

VIII. Si igitur vere Patribus dictum, fieri non posse, vt caro Christi sufficeret omnibus saluandis: etsi sciuerint miraculo factum, vt pauci panes multis millibus saturandis fuerint satis: sic nos merito possumus, & quidem magis dicere non posse carnem Christi distrahi in omnes fideles in solidum singulos: eo, quod hæc ratio multo magis contradicat naturæ corporeæ, quam illa laniatio.

IX. Alterum impossibilitatis argumentum à verbis Christi Ioannis 6. *Hos vos offendit? Quid si igitur conspiceretis filium hominis ascendentem vbi erat prius?* Manifestum est loqui Christum de suo paulo post futuro ascensu in cœlum. Et hunc opponere scandalo Capharnaitarum: quasi solutionem obiectionis, *Durus est hic sermo: quis potest eum audire?* Qua obiectione significabatur: crudele facinus contineri verbis Christi: id est manducationem eius carnis. Omnis manducatio carnalis humanæ carnis, vel solo auditu est horrenda: At hic iubet suam carnem carnaliter edi: Ergo iubet id, cuius horrorem nullæ aures ferre queunt. Soluit Christus non directe negata, vt oportebat, alterutra parte antecedentis: sed oblique, nempe opposito eo vnde posset sciri vtra pars esset neganda. Opponit ergo suum ascensum. Atqui hunc manifestum est non pertinere ad negationem maioris: quo enim modo conficeretur, ideo non esse horrendum comedi eius carnes, quia esset ascensurus in cœlum? Nec vero quenquam vidi ita exponentem. Itaque necessario pertinet ad negationem minoris: in hanc speciem: Non potest caro illata in cœlos dari in cibum corporalem in terris. Aft caro mea inferenda est in cœlos. Ergo non potest dari in cibum corporalem. Ratio maioris est manifesta: quia cibum corporalem oportet propinquissimum esse vtenti: neque enim possunt vlli cibi ex longinquo comedi, nisi aduecti. Atqui carnis in cœlo locatæ, ab iis qui in terris sunt distantia locorum est infinita. Itaque vel testibus externis sensibus manifesta erat demonstratio solutionis directæ.

X. Frequentissimus est iste obliquarum solutionum vsus. Lucæ 3. Baptistes interrogatus, *Numnam ipse esset Christus*, debuit directe negare: sed ille maluit oblique respondere, *Ego quidem baptizo vos aqua: sed venit qui validior me est*, & quæ sequuntur, vnde facile poterant interrogantes colligere quod quærebant. Quarto, Christus tentatus vt lapidem iuberet fieri panem, negauit facturum, sed oblique. Respondit enim dicens, *Scriptum est, non pane solo victurum hominem, sed omni verbo Dei.* Iterum iussus adorare tentatorem, non respondit totidem verbis se non adoraturum: sed oblique, *Scriptum est, Adorabis Dominum Deum tuum, & ei soli seruies.* Quinto, *Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis? Et respondens Iesus dixit, Non opus est iis qui sani sunt medico: sed iis qui male affecti sunt.* Actor. 1. *Domine num hoc tempore restitues regnum Israel? Dixit autem ad illos, Non est vestrum nosse tempora,* & reliqua.

XI. Nihil est igitur obscuri, aut difficilis. Et sane Augustinus concepit haud aliter tractatu 27. in Ioannem, *Hinc soluit quod illos mouerat. Hinc plane: si intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum: ille autem dixit se ascensurum in cœlum: vtique integrum. Cum videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius: certe vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus suum: certe vel tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur morsibus.* Hæc verba probauit & descripsit Alcuinus tanquam sua. Rupertus non abit seorsim, *Hoc nunc dico, quod vobis ipsis consentientibus constat valde repugnare vestro carnali sensui, scilicet ascensurum filium hominis vbi erat prius. Nam filium hominis ascendere in cœlum, & carnem eius sic manducari, sanguinemque eius sic bibi, quomodo vos intelligitis, omnino repugnantia sunt, simulque esse vel fieri nullatenus possunt.* Carthusianus, *Per hoc quod prædixit se in conspectu ipsorum, si secum manerent, ascensurum in cœlum, pateret potius, quod descendit de cœlo, & quod non daret corpus suum ad manducandum carnaliter, eo modo quo aliæ carnes eduntur, non sine earum diuisione, laceratione, & consumptione: quoniam naturale est vnumquodque redire ad locum suæ originis: imo secundum philosophos, vnumquodque conuertitur ad id vnde processit. Caro quoque sic comesta non potuisset ascendere.* Gorranus, *Defectiua est constructio: vnde supplenda est, Tunc scietis quia caro non est in frusta diuidenda, quia totus Christus integer est in cœlo, manet integer sub Sacramento, manet integer in corde tuo.*

XII. Nota: duo proponi tanquam opposita, Ascensionem, & manducationem Capernaiticam: itaque illa posita, hanc tolli. Sane quomodo eadem posita Christus ipse dixit Matthæi 26. *Me autem non semper habebitis.* Et 28. Angelus, posito *surrexit*, intulit, *non est hic.* Scio Sophistas cauillaturos, ex eo quod de laniatione est additum. Sed quid ad me? Primo enim, alias dixi hoc notatum, non exceptionis, sed illustrationis gratia; vt non propterea non sit legitima exclusio cuiuscunque manducationis carnalis. Deinde illud sufficit, solutionem esse ab oppositione. Nam cæteroquin Ascensio non soli opponitur laceratione; sed etiam præsentiæ locali: sine qua manducatio corporalis, vt dixi, nulla potest esse.

XIII. Ne hoc quidem dissimulo alias enumerari huius loci solutiones. Sed nihil me id mouet. Primum, quia nullus fuit hactenus ausus hanc nostram improbare, aut impugnare: ne Papistæ quidem hodierni, qui odio nostri ferme solent metiri suas sententias. Cur non possim ergo tuto huic hærere: atque inde argumentari? Nam profecto; si non valet aduersus carnalem manducationem, inepta erit etiam aduersus laniationem. Si me dicente; Ascendit in cœlos. Ergo, non manducatur in terris corporaliter: Papista consequentiam neget: Ergo etiam, dicente Papista, Ascendit in cœlos integer: Ergo non laniatur in terris; negabo itidem consequentiam. Non enim magis repugnat integritas laniationi; quam absentia manducationi corporali. Et illi ipsi fortasse meæ audaciæ præibunt suo exemplo; quo crucis veræ, sic enim distinctionis causa loqui solent, tot frustulorum plaustra ostentant per vniuersum orbem.

XIV. Sed deinde dico reliquas interpretationes huic nostræ comparatas esse exigui momenti. Chrysostomus, indeque Theophylactus, Thomas, & alii existimarunt Christum respondere Capharnaitis qui paulo ante murmurassent, quod se dixisset de cœlo descendisse: quasi diceret inde constituturum se descendisse è cœlis, quod in cœlos ascensurus esset. Verum Toletus, *Dura*, inquit, *expositio videtur. Illa enim multum à præsenti sententia distant, qua ad proxima refertur, nempe ad scandalum, quia dixerat, caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, tunc enim illi dixerunt, Durus est hic sermo: ad quod Dominus respondit. Hoc vos scandalizat? Et persequens adiunxit. Si ergo videritis filium hominis. Verba igitur hæc referuntur ad scandalum de carne & sanguine, in cibum & potum vitæ dandis.*

XV. Alii, in quibus Cyrillus, existimarunt argumento ostendisse potentiæ suæ Christum, vt persuaderet carnem suam posse dare in cibum, *Si enim putatis carnem meam vitam vobis afferre non posse, quomodo tanquam volucris in cœlum ascendet? quomodo per aera volabit? Hoc enim similiter generi humano impossibile est. Quod si præter naturam caro mea in cœlum conscendet, quid prohibet ne similiter præter naturam viuificet? Nam qui terrestre hoc corpus cœleste confecit, is etiam viuificum reddit, quamuis natura sui corruptibile fuerit.* Sed hæc ratio aberrat à scopo. Nam verba Capharnaitarum non obiiciebant impossibilitatem nutriendi: sed horrorem comedendi: hoc enim significat, *Quis potest audire?* Alioquin quis ægre tulisset pollicitationem vitæ, & quidem æternæ? Præterea Maldonatus valde improbat eos, qui censent Christum dixisse futurum vt non scandalizarentur Iudæi post eum ascensum, *Illud*, inquit, *mihi difficile persuadere possum, intelligendum esse, tunc scandalizari desinetis, aut tunc intelligetis, tunc credetis, quemadmodum omnes quos memini legere autores interpretantur. Nec enim ita loqui videtur Christus, quasi deceat, & probet, sed quasi reprehendat.*

XVI. Sunt istæ tamen omnes interpretationes quas potuerunt ab antiquis repetere. Nam aliæ sunt recentissimæ: atque adeo à Papistis nuper excogitatæ in odium nostri. Vnam vide ipsius Maldonati cui solenne fuit suis commentis indulgere, *Hoc vos scandalizat? Cum adhuc vobiscum sum? Cum facile intelligi potest, posse me vobis carnem meam dare ad manducandum præsentem præsentibus? Quid facietis, quum videbitis me ascendentem? quanto magis scandalizabimini? quanto minus credetis? cum videretis me in cœlo, vos in terra esse? Solet enim Christus auditores qui non credunt ea, qua faciliora sunt, sic obiurgare, quod cum ea non credant, multo minus qua maiora difficilioraque sunt, sint credituri.* Subtiliter. Sed audi, *Non nego me huius interpretationis autorem neminem habere: sed hanc eo magis probo, quam illam*

alteram Augustini, cæterarum alioqui probabilissimam, quod hæc cum Caluinistarum sensu magis pugnet, quod mihi magnum est probabilitatis argumentum. Magnifice sane: & vt papisticissimum decuit. Sed non obtinuit tam vehemens papimaniæ zelus, vt vel suis Iesuitis placeret. Nam Vasques capite quinto disputationis centesimæ septuagesimæ nonæ, *Ego vero valde miror viros doctos, & ingeniosos* (palpus est Iesuiticus) *non animaduertisse, discipulos tempore ascensionis non solum fuisse multo magis in fide mysteriorum confirmatos, ac proinde de hoc Sacramento, non potuisse magis dubitare, ac scandalizari, quam tunc scandalizati sunt ac dubitarunt; verum etiam ita fuisse in eo mysterio, & in aliis in Cœna & post passionem à Christo instructos, vt nihil prorsus de illo, aut de vllo alio dubitauerint, aut scandalizati fuerint.*

XVII. Quare non est quod vereamur ne nostra interpretatio non possit satisfacere, iis saltem quorum erit ingenium dissimile ingenio Maldonati, vt ei plurimum tribuant interpretationi, quæ plurimum erit aduersaria nobis. Cui hominum generi, si quod sit huiusmodi, vnum tantum sumus oppositiri, ἢ ὑγιαίνειν, ἢ κλαίειν. Nos interea nostra profecto simplicitas, consolabitur apud Deum; tuebitur etiam aduersus quorumuis hominum nequitiam.

XVIII. Tertium impossibilitatis argumentum addo. Nulla manducatio absque vnitione substantiarum, potest esse carnalis. At manducatio carnis Christi est absque vnitione substantiarum. Ergo manducatio carnis Christi non potest esse carnalis. Maior est extra contradictionis aleam: atque adeo confessa à Papistis, qui præsentem præsentibus Christi carnem iniiciunt in os, inque stomachum, atque excepta visibilitate haud aliter eam carnem statuit manducari, quam panem.

XIX. Minorem probamus ex Cypriano de Cœna Domini, *Nostra vero & ipsius coniunctio, nec miscet personas, nec vnit substantias, sed effectus consociat, & confœderat voluntates.* Non potuit dici disertius, in rem nostram: ne à Caluino quidem.

XX. Argumenti nullam solutionem inueni apud quenquam. Sed testimonium probatum Bellarminus eludere conatus est, respondens loqui Cyprianum de illa vnione, quæ sit proprius & principalis finis Eucharistiæ: & negare per Eucharistiam ita nobis vniri CHRISTVM, vt efficiamur cum illo vna persona, sicut fit in mysterio Incarnationis, vel vna natura, quomodo vnum est Pater cum Filio in arcano Trinitatis. Et solum affirmare vniri nos Christo per affectus, & voluntatis confœderationem. At non negare corporalem vnionem, qualis est inter nos & Christi corpus per Eucharistiam: hanc enim fieri: neque asserere tamen, quia non sit ea vnio finis Eucharistiæ, sed potius modus. Quid hæc sibi velint, vix possum concipere. Distinguitur, puto, gemina vnio Christi & nostri. Vna quæ sit proprius, & præcipuus finis Eucharistiæ: altera corporalis per Eucharistiam. De priori Cyprianum agere: hanc neque negare, neque asserere.

XXI. Propitius esto Iesuiticus genius non concipienti tantam, tam diuinam subtilitatem? Nempe si bona, si legitima distinctio est; illa prior vnio non fiet per Eucharistiam, nam hæc nota est posterioris. Hæc autem posterior, non erit proprius & præcipuus finis Eucharistiæ: nam hæc descriptio est prioris. Potest vtcunque ferri posterius membrum, quia certum est vnius rei posse dari varios fines. Sed non fieri per Eucharistiam, Eucharistiæ proprium & præcipuum finem, quis vnquam sperasset? Aut quod hoc genus est philosophandi? Hanccine ob causam reseruatos oportuit Iesuitas in hanc extremam mundi senectam, vt hæc arcana effutirent? Enimvero si non fit per Eucharistiam, Ergo ne per eam quidem obtinetur. Atqui si non obtinetur per eam, non potest esse eius finis: multo minus præcipuus finis: & proprius finis. Certe studiorum & effectus & finis eruditio: medicamenti & effectus & finis curatio: Agriculturæ & effectus & finis agrorum cultus; & similiter omnia.

XXII. Sed illud ipsum non esse illam vnionem corporalem proprium, præcipuumque finem Eucharistiæ, qui potest consistere? De proprio quæ causa? Nam erit igitur vel communis, vel per accidens. Atqui vtrumque contra mentem aduersariorum. Nullo enim alio modo Christum dicunt corporaliter vniri nobis, quam per Eucharistiam. Si ergo per solam Eucharistiam fit; non erit communis. Sed & necessario, id est semper fieri dicunt: non enim à fidelibus tantum, sed etiam ab impiis, imo & à canibus contendunt per Eucharistiam corpus sumi; id est misceri personas, vniri substantias. Non igitur per accidens. Quod si neque aliter, neque per accidens. Ergo omni & soli, & semper conueniet: & negabitur proprius?

XXIII. At saltem non est præcipuus. Quare? Non est, inquit, finis Eucharistiæ: sed medium. Quid audio? Corporalis manducatio est medium Eucharistiæ? Atqui si sit medium Eucharistiæ: Ergo Eucharistia est finis manducationis corporalis: Pudetne? Et forte nescio quid vitii est in codice: quanquam non correctum in vlla editione, quam quidem viderim.

XXIV. Voluit, forte dictum, vnionem corporalem esse medium ad illum proprium & præcipuum finem, nempe spiritualem vnionem. Sed nunquam concessuri sunt Catholici duplicem vnionem cum Christo. Fingant sibi tragelaphos Papistæ pro arbitrio: nunquam persuasuri sunt sanæ mentis hominibus, quenquam Christo vniri nisi spiritualiter. Itaque Cyprianus rotunde, *Nostra & ipsius coniunctio non vnit substantias*: mentitus, si vera dicunt Papistæ. Nam illa quam corporalem dicunt, nostrane est, an non est? Si non est, quid disputamus? quid importuni sunt aduersarii? Blaterent de ea quodcunque volent: etiam ad canes extendant & porcos. Sed si est nostra; tum non poterit excusari Cyprianus: Esset enim in promptu instantia: nostram & Christi coniunctionem vnire substantias: Sed præstat Papistis somnia sua permittere, Cypriano simplicitatis, veritatisque laudem conseruare.

XXV. Cæterum agere Cyprianum de vnione nostri cum Christo quæ per Eucharistiam, manifestum est ex altius repetita sermonis serie, *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed natura mutatus,* (Quis ille si non est Eucharisticus?) *omnipotentia verbi factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas ita Sacramento visibili diuina se infundit essentia, vt esset religioni circa Sacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus & sanguis Sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, vsque ad participationem spiritus. Non quod vsque ad consubstantialitatem Christi, sed vsque ad societatem germanissimam eius hæc vnitas peruenisset: solus quippe Filius Patri consubstantialis est, nec diuisibilis est, nec partibilis substantia Trinitatis. Nostra vero & ipsius vnio:* & deinceps quæ sunt à nobis descripta. Vbi, quæso, dicis loqui de proprio & principali illo fine Eucharistiæ? Hisne postremis verbis, quæ sunt ante tibi obiecta? Atqui non sunt hæc temere auellenda à toto corpore: in quo manifestum est agi de Eucharistiæ Sacramento. Et quidem tam manifestum, vt vos ipsi trahatis in argumentum Transubstantiationis. Aperta res est: Propterea mutari panem non effigie sed natura, vt vniamur Christo. Ergo hæc vnio est effectus Eucharistiæ: est finis Eucharistiæ: fit per Eucharistiam. Negamus ergo merito eam vnionem quæ fit per Eucharistiam miscere personas, aut vnire substantias; Hoc satis est, quicquid obstrepant Graculi.

CAP. XIII.

De Vnione cum Christo.

I. HActenus fuit explicatio primi nostri argumenti contra carnalem manducationem. Nunc transimus ad secundum. Carnis manducatio instituta à Christo, est eiusdem Christi vnio cum comedentibus. At carnalis manducatio carnis Christi, non est vnio Christi cum comedentibus. Ergo hæc eadem non est carnis manducatio instituta à Christo.

II. Maior demonstratur ex Veteribus, qui serio huc eunt. Chrysostomus homilia in Ioannem quadragesima quinta, Ἐκεῖνοι μὲν οὐδὲν ἐκαρπώσαντο ἐκ τῶν εἰρημένων. ἡμεῖς δὲ τῆς εὐεργεσίας δι' αὐτῶν τῶν ἔργων ἀπολελαύκαμεν. Διὸ καὶ ἀναγκαῖον μαθεῖν τὸ θαῦμα τῶν μυστηρίων τί ποτ' ἐστί, καὶ διὰ τί ἐδόθη, καὶ τίς ἡ ὠφέλεια τοῦ πράγματος. Ἓν σῶμα γινόμεθα· μέλη, φησίν, ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ. οἱ δὲ μεμυημένοι παρακολουθείτωσαν τοῖς λεγομένοις· ἵν' οὖν μὴ μόνον κατὰ τὴν ἀγάπην γινώμεθα, ἀλλὰ καὶ κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα εἰς ἐκείνην ἀνακερασθῶμεν τὴν σάρκα· διὰ τῆς τροφῆς γὰρ τοῦτο γίνεται. ἧς ἐχαρίσατο βουλόμενος ἡμῖν δεῖξαι τὸν πόθον ὃν ἔχει περὶ ἡμᾶς· διὰ τοῦτο ἀνέμιξεν ἑαυτὸν ἡμῖν, καὶ ἀνέφυρε τὸ σῶμα αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς, ἵνα ἕν τι ὑπάρξωμεν, καθάπερ σῶμα κεφαλῇ συνημμένον, *Illi quidem tunc temporis nullum ex dictis fructum perceperunt: at nos ipsis factis beneficium accepimus. Itaque necesse est nos edoceri, quid hoc sit mysteriorum miraculum. Et quorsum datum, quæue sit eius rei vtilitas. Vnum corpus efficimur. Membra,* inquit, *ex carne eius, & ex ossibus eius. Assequantur initiati hæc dicta. Vt igitur non per solam caritatem id efficiamur, sed etiam re ipsa immisceamur ei carni: id fit per eum cibum, quem nobis gratis concessit, cum vellet demonstrare, quam sit nostri cupiens. Propterea immiscuit se nobis, suumque corpus implicuit nobis, vt vnum aliquid simus, instar corporis capiti vni.* Hilarius 8. de Trinitate, *Si vere carnem corporis nostri, Christus assumpsit, & vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas asseritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum sit vnitatis?* Iterum, *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra vere caro est, & vere sanguis est: & hæc accepta atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo & Christus in nobis sit.* Cyrillus in Io. 11. c. 26. *Suo corpore credentes per communionem mysticam benedicens, & secum, & inter nos vnum corpus nos efficit.*

III. Minor probatur primo sic. Vnio nostri cum Christo affectus consociat, & confœderat voluntates. At carnalis hæc communio affectus non consociat, nec confœderat voluntates. Ergo non est vnio nostri cum Christo. Maior probatur ex Cypriano de Cœna Domini, *Nostra vero & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates.* Minor autem probatur. Nam si affectus consociaret, Ergo quicunque ea vtuntur, idem vellent, quod Christus. At hoc falsum: testibus non tantum reprobis, sed etiam canibus & porcis, quibus hæc manducatio est communis.

IV. Minor rursus probatur. Vnio realis Christi cum fidelibus, nunquam deficit: At hæc manducatio carnalis deficit: Ergo hæc non est vnio realis Christi cum fidelibus. Realem dico, vt distinguam ab ea, quæ κατὰ δόκησιν, secundum apparentiam, puta per externam professionem, cum quilibet iactat se esse Christi membrum: sed & inde ducto argumento alij de aliis bene & pie iudicemus: neminem temere condemnantes. Nam huius generis vnionem nemo est qui aut ignoret, aut neget posse diuelli: imo reaspe diuelli quotidie infinitis exemplis, eorum qui naufragium faciunt circa fidem, & quos Dominus euomit, vt tepidos. Hanc vero non esse realem, id est, sic vt vero actu fuerint, qui sunt huiusmodi, coniuncti Christo facile probamus, ipso teste Christo Matthæi septimo, *Et tunc confitebor illis,* (qui tamen prophetarant in eius nomine, & dæmonia eiecerant) *Nunquam noui vos:* Nunquam, id est, autore Brugensi, *ne tum quidem cum signa ederetis, & prophetandi munere fungeremini, idque in nomine meo: Noui vos, meos, siue pro meis.*

V. Maior probatur. Nemo à Patre datus Christo, perit aut eiicitur foras. At quicunque realiter vnitur Christo, datur Christo à Patre. Ergo nemo realiter vnitus Christo perit, aut eiicitur foras. Maior patet ex 6. Ioannis, *Quicquid dat mihi pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me non eiiciam foras. Hæc est voluntas eius qui misit me, id est, Patris, vt quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in vltimo die* Rursus. Vocatio Dei est sine pœnitentia: Ast huiusmodi donatio Patris, est vocatio Dei: Ergo eadem est sine pœnitentia. Maior patet, ad Roman. 11. *Dona & Vocatio Dei eiusmodi sunt vt eorum ipsum pœnitere non possit.*

VI. Disertissime autem, *Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Nam etsi manere intelligatur varie, tamen cum absolute dicitur, non significat breuissimam stationem quantulam hanc circumscribunt vix ad vnam aut alteram horam. Sic Paulus, immutabilem constantiam consilij diuini descripsit ad Romanos nono, *Vt propositum Dei*

manerei.

manere. Sic iterum primæ Ioannis 2. firmitas Christianæ fidei, *Quod audistis à principio in vobis maneat* μενέτω (Latina editio *permaneat*) *si in vobis manserit quod audistis à principio, vos quoque in Filio & Patre manebitis*. Ibi Lorinus, *Plus aliquanto denotat, quam simpliciter in alio esse: videlicet vel moram, & quasi habitum, vt transeundi opponitur verbo, vel intimam societatem & coniunctionem*. Denique quod nunc μένειν est, *manere*, idipsum cap. 14. Ad eum veniemus, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν, *Et mansionem apud eum faciemus*. Iansf. c. 59. Concordiæ, *Patet quid sit manere in Christo & Christum in nobis: nempe quod non solum dicimur in illo manere, & ipsum in nobis, sicut amans dicitur communiter esse in amato, sed propter veram vnionem nostra naturæ cum diuina*.

VII. An vero manducatio carnalis nunquam deficiat; quæ minor est propositi syllogismi: non est multo labore disputandum: quandoquidem ipsi confiteantur Papistæ; Non vlterius manere in homine Christum oraliter manducatum, quam vt species sint corruptæ: quod nobis annotatum ab initio huius quæstionis. Quare necesse est tum desinere hanc manducationem: nempe vt non persistat inde facta vnio Christi & manducantis.

VIII. Lusitanus sermone tertio, huic, inquit, obiectioni vnanimes, & antiqui & nostræ ætatis Theologi respondent, verum quidem esse vnionem hanc Sacramentalem cessare: At virtute huius Sacramenti, & ratione carnis Dominicę in eo existentis, nostræque adhærentis, affinitatem adeo magnam contrahi, & habitum peculiarem ita permanere inter eum & nos, vt singulariter curam non solum animæ nostræ suscipiat: verum etiam corporis nostri ad illud sanctificandum & glorificandum.

IX. Sed hæc manifesta est elusio: nulla solutio. Etenim cum in argumento agatur de vnione reali; sit necne: Sophista respondet de vnionis effectibus. Et iis quidem effectibus, qui non sunt proprii vnionis illius quam realem, siue corporalem appellant, sed, tum nobis iudicibus, proprij vnionis spiritualis: tum ipsis consentientibus, saltem communis vtrique. Quod si omnes hi effectus habeantur ex sola illa vnione, quam vtrique dicimus spiritualem, vtrique dicimus ponendam: cur hæc addita est corporalis, quæ noui beneficii nihil afferat.

X. Enimuero manifestum est Christum loqui de se ipso, *In me manet, & ego in eo*. Aliud est autem Christum ipsum manere in nobis, aliud manere in nobis Christi beneficia, id est effecta. Nam Solis effecta sunt quidem in hac terra: sed tamen Sol ipse non est in hac terra: nisi metaphorice: quæ notio nunc nihil ad Papistas. Denique Papistæ distinguunt vnionem amoris, ab vnione reali. Atqui hæc vnio quam Lusitanus definiit amoris est: Ergo non realis.

CAP. XIV.

De necessitate manducationis.

I. MAnducatio carnis Christi instituta Ioannis sexto, est necessaria ad salutem. At manducatio carnalis carnis Christi non est necessaria ad salutem. Ergo manducatio hæc carnalis non est instituta Ioannis sexto. Maior est diserta in verbis Christi, *Amen, amen dico vobis, nisi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis*. Nihilominus certa maior, ex ipsa Papistarum confessione, qui ex omnibus Sacramentis solum Baptismum docent esse necessarium ad salutem. Itaque etiam consentiunt non esse Eucharistiam infantibus concedendam: quorum tamen plurimos decedere non dubitant. Cum tamen olim Augustinum & Innocentium testetur Maldonatus in 6. Ioan. hoc testimonio adductos, vt crederent infantes etiam baptizatos, nisi Eucharistiam perciperent, saluos esse non posse.

II. Rursus non poterunt euadere Sophistæ vim argumenti Hussitici: quo confecturos se sperabant vtramq; speciem esse omnib. necessariam: quum audirent tam diserte, tam sonore seorsim dictum edere, seorsim bibere. Quod genus enuntiationum copulatarum, quis nescit in duas simplices dispesci, eiusdem vtramque veritatis? Nempe, Nisi ederitis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis: &, Nisi biberitis sanguinem filij hominis non habebitis vitam in vobis. At qui edit corpus Christi, eo ipso non bibit sanguinē. Quo argumēto iam olim non pauci, atque iidem non ignobiles Transsubstantiatores passi sunt sibi persuaderi, quod nunc indignātur recentes Transsubstantiatores: nempe hanc manducationem, hunc potum non nisi spiritualem intelligendum.

III. Gemina sic obiectio est, cui satisfacere oportet Papistas, aut causa cadere. Neque enim oportet quicquam doceri in Ecclesia, vnde consequens fiat absurdum. In priori autem argumento manifesta absurditas est, tum nobis iudicibus, tum Papistis confitentibus. In altero absurditas consequentis compertissima habetur apud illos: sed apud nos tantum consequentiæ: neutrum autem illi possunt vitare: etsi valde satagant: quod nūc imus visum.

IV. Primum ergo Bellarminus, Maldonatus, Richeomus, Coffetæus, Petrinius hoc eodem consequentiæ absurdo nos vrgent. Maldonatus eodem argumento probari potest, non esse de manducatione quæ per fidem fit intelligendum. Quo enim modo infantes baptizati carnem Christi per fidē manducant, quos certo credimus saluos fieri? Habent, dicet aliquis, habitum fidei, qui cum cæteris diuinis virtutibus per Baptismum infunditur. Esto: tamen qui per fidem carnem Christi manducare dicitur, non habitu, sed actu fidei dicitur manducare: nihil enim solo habitu agimus. Iterum paulo post, in forma. Si ageretur hic de manducatione per fidem, manducatio per fidem esset omnibus necessaria. At non omnibus est necessaria: non enim infantibus. Igitur de manducatione per fidem non agitur.

V. Respondeo admitti consequentiam: vt necessariam, & absque exceptione veram, certamq; Nam phrasin ipsam ita designare: nisi manducaueritis & biberitis, non habebitis vitam. Et 18. Matthæi, *Nisi conuersi fueritis & fiatis vt pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum*, vbi Maldonatus, *Nihil aliud significare Christus voluit, quam non posse eos in regnum cœlorum intrare, nisi simplicitate, & humilitate similes essent pueris*. Et sane alias ita expressa impossibilitas. Matth. 12. *Quomodo potest aliquis ingredi domum validi alicuius, & vasa eius diripere, nisi prius vinxerit validum?* Quinto, *Nisi abundauerit vestra iustitia plusquam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum*.

VI. Itaque negatur assumptum. Nam re vera manducatio illa corporis Christi quæ fit per fidem, absolute necessaria est, vt nemo, prorsus nemo sine ea possit habere salutem, id est vitam animæ. Aut enim nihil dixit Christus, aut hoc dixit, cum dixit hæc solemnia verba, *Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis*. Chrysostomus, δεικνὺς τοῦ πράγματος τὸ ἀναγκαῖον, καὶ ὅτι πάντως γίνεσθαι δεῖ. *Insinuans huius rei necessitatem, & omnino oportere fieri*. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 2. δι' αὐτῆς γὰρ καὶ ἀναγεννώμεθα, καὶ τῶν θείων μετέχομεν μυστηρίων, ὧν ἄνευ τῶν οὐρανίων μετασχεῖν οὐχ οἷόν τε γερῶν, κατὰ τοὺς ἀψευδεῖς τῆς ἀληθείας χρησμούς. ποτὲ μὲν λέγουσης, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· ποτὲ δὲ ἐὰν μή τις φάγῃ μου τὴν σάρκα, καὶ πίῃ μου τὸ αἷμα· οὐκ ἔχει μέρος μεθ' ἐμοῦ, *Illius enim opera* Sacerdotij, *& regeneramur, & diuinorum participes efficimur mysteriorum, quibus sublatis nemo cœlestia præmia consequi potest, quemadmodum ex ipsius veritatis oraculis ab omni mēdacio alienis constat: primo quidem his verbis vtentis, Nisi quis regeneratus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum. Nunc autem, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit partem mecum*, ἄνευ τούτων οὐχ οἷόν τε τῆς θείας ἀξιωθῆναι λήξεως, *His remotis sempiternam sedem consequi non possumus*. Cyrillus Glaphyrorum 2. *De hostia agni*, τοῦ λόγου πάλιν αἰνιγματωδῶς ὑπεμφαίνοντος μὴ ἂν ἑτέρως δύνασθαι τὴν τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴν πρὸς ἐλευθερίαν μὲν τὴν ἐξ ἁμαρτίας ἀναδραμεῖν, τὴν δὲ τοῦ διαβόλου πλεονεξίαν ἀποφυγεῖν, καὶ εἰς τὴν ἄνω γενέσθαι πόλιν ἀπὸ τῆς ἐν κόσμῳ διατριβῆς, εἰ μὴ διὰ τῆς τοῦ Χριστοῦ μετοχῆς καὶ φιλανθρωπίας, *Significante nobis rursum figurate sermone, nullam animam posse aliter euadere peccatum ad libertatem, & diaboli tyrannidem effugere, ciuitateq; superna donari liberatam ab huius mundi conuersatione, nisi per Iesu Christi communicationem, atq; benignitatem, iuxta illud, quod dictum est ab eo ad insipientes Iudæos, Amen, amen, dico vobis, quod omnis qui facit peccatum seruus est peccati, seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Si igitur vos filius liberauerit, reuera liberi eritis. Et rursus, Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis*, & quæ sequuntur. Augustinus in Ioannem tract. 26. *Hanc* vitam æternam, *non habet, qui istum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit: nam temporalem vitam sine illo habere homines possunt, æternam vero omnino non possunt. Qui ergo non manducat eius carnem, nec bibit eius sanguinem, non habet in se vitam: & qui manducat eius carnem, & bibit sanguinem, habet vitam*. Mitto alia plurima ad eam rem testimonia.

VII. Et vero, quid aliter potest elici ex Christi verbis? id est, ex tam diserta: propemodum etiam curiosa reciprocatione affirmationis & negationis? Quæ sane esse nequit ex natura ipsius enuntiationis. Etsi enim verum, si quis non ederit panem triticeum, non victurum, tamen non verum si quis ederit, eum victurum: quod annotauit Augustinus. Et contra. Si cum dies est, operantur homines, non tamen propterea non operantur si dies non sit. Cum igitur ipsius enuntiationis nulla sit huiusmodi necessitas, oportet omnino esse à reipsa. Inde ergo textus, *Amen, amen dico vobis: nisi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui ederit carnem meam, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam*. Ad eundem modum Ioan 3. *Qui credit in eum non condemnatur, qui vero non credit, iam condemnatus est*.

VIII. Obijciunt infantes. Sed absurde. Nam Vasques capite quarto disputationis 73. de Eucharistia, *Per hanc manducationem spiritualem paruuli etiam consequuntur vitam illam cum Christo*. Augustinus, canone. *Quia passus* apud Gratianum, *Nulli est aliquatenus dubitandum vnumquemque fidelium corporis & sanguinis Domini tunc fieri participem, quando in Baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis & calicis consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, calicemq; bibat, de hoc seculo migrauerit*.

IV. Sed habitus, aiunt, nihil agit: At infantes habent habitum duntaxat fidei. Quorsum ergo dixere, quos nunc audiuimus, infantes participes esse corporis & sanguinis Domini, & ex ea participatione habere vitam? Enimuero hos mentitos oportuit, si communicatio carnis & sanguinis Christi non sit actus, & actus nullus ab habitu, & credere in infantibus, non nisi habitus. Nos concedimus infantes non credere actu, sed tantum habitu. Habitum autem nihil agere, ridiculum est. Nam habitus primum agit actus singulos; deinde, & magis ad rem, habitus agit internè, non autem externè. Internè, quia informat eum in quo est, inde enim Musicus, & Geometra, non quod cantet, aut metiatur: sed quo vtriusque tenet habitum. Sed non externè, neque enim habitus ille Musici delectat adstantes per auditum: Non Geometræ habitus docet me rationem diagoniæ & laterum: sed efficit tamen vt sciat ipse Geometra apud se eam rationem. Sic in cæteris. Itaque etiam ille credendi habitus, efficit salutem in quocunque credente: cur non etiam communionem cum corpore & sanguine Christi, qui cibus potusque est necessarius ad salutem?

X. Frustra igitur in nos, id est, in spiritualem manducationem torquetur argumentum. Sed iam videamus multiplex solutionis artificium. Decem solutiones inueni, nunc examinandas ordine fortuito. Esto mihi prima hæc apud Vasquen capite quinto disputationis ducentesimæ decimæ sextæ. Solutio quæ mihi multo magis probatur, est, multa esse præcepta, quæ toti Ecclesiæ conueniunt, vt ita per aliquos, non per singulos implenda sint. Sensus est, quem Salmero expressit tractatu trigesimo octauo tom. 8. Quod nisi in Ecclesia essent aliqui, qui vtramque speciem sumerent, non essent Christiani vitam habituri.

XI. Sed hanc solutionem impugnat idem Salmero, qua bene, qua secus. Bis videtur non malè. Primum, si hæc licentia tribuitur vniuersales sententias Scripturæ passim restringendi ad paucos, imo paucissimos, multa fidei Catholicæ dogmata abolerentur. Dici enim posset, non omnes cogi ad Baptismi legem, interpretando illam Domini sententiam; *Nisi quis renatus fuerit*, & dicendo ad paucos pertinere, & cum dicitur, *Nisi*

pœni-

pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, non omnes, sed quosdam tantum peccatores obligari ad pœnitentiam. Nec omnes ad humilitatem adstringerentur ex illa sententia, *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, non omnes, sed quosdam tantum peccatores obligari ad pœnitentiam. Nec omnes ad humilitatem adstringerentur ex illa sententia, *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum*: neque rursus ad fidem suscipiendam, ex illo, *Nisi credideritis non permanebitis*, siue, *non intelligetis*. Iterum, *si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*

XII. Iterum, quia etiam altera pars sententiæ similiter intelligenda videretur. Nempe, *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: id est, si quis inter vos ederit & biberit, reliqui omnes erunt salui. Sed hoc stare non potest. Non enim ob id, quod aliqui in Ecclesia vtramque speciem sumunt, omnes Christiani propterea saluantur, cum ex ipsis Sacerdotibus, qui sub vtraque sumunt, multi damnentur: sicut etiam ex laicis plurimi damnantur.

XIII. Sed res ipsa profecto est facilis. Primum enim non potest dari exemplum vllius similis expositionis. Imo cum frequentissima est huiusmodi phrasis, tum vero semper interpretatio est singulorum. Matthæi 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, nequaquam intrabitis in regnum cœlorum.* Quo sensu putas dictam iustitiam vestram? An vnius, alterius ve ex vobis? Apage somnia. Rectum est, iustitiam vestram vniuscuiusque. Maldonatus, *Reddit causam cur dixerit, Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis: quasi idem sit soluere, & non abundare eius iustitiam plusquam Scribarum & Pharisæorum.* Recte: Qui soluerit, de singulis intelligitur: Ergo etiam iustitia vestra. Iansenius, *Potest hæc sententia intelligi dicta specialiter ad Apostolos, & eorum locum in Ecclesia tenentes: Verum quoniam præcepta illa, quibus postea statim explicat, quæ sit iustitia illa abundantior quam requiritur, ad omnes pertineant Christianos, rectius hæc sententia intelligitur dicta populo, & omnibus Christianis.* Ioannis 15. *Ita & vos nisi in me manseritis.* Quomodo vos? Tantumne aliquis vestrûm? Imo singuli omnes. Actor. 15. *Nisi circuncidamini ritu Mosis non potestis seruari*, Scilicet in superstitiosorum gratiam vetustis phrasibus noua notio affingenda erit.

XIV. Secunda solutio Pererii, disput. 31. in 6. Ioannis: Dici potest sacramentalis manducatio esse simpliciter necessaria omnibus: sed vel in re, vel in voto, vt suo tempore sumatur: nam etiam Baptismus implicite continet votum percipiendi suo tempore Sacramentum Eucharistiæ. Consentit Salmero intelligendam spiritualem manducationem restrictam, & ordinatam ad Sacramentum Eucharistiæ, actu, siue voto perceptum, & indistincte. siue sub vna, siue sub duabus speciebus, ab Ecclesia dispensetur, & à populo participetur. Sensus est, distingui manducationem & potum, alias in re, & concedi maiorem, negari minorem: alias in voto, & concedi minorem, negari maiorem.

XV. Papæ! quis hoc exspectasset à tam subtilibus Sophistis? Videte, quæso, stuporem. Si tamen etiam stupor in tanta re satis digne dicitur. Nam hæc quidem manifesta proditio est causæ Papisticæ: & ad nostram accessio. Manducatur, inquiunt, in voto: manducatur etiam in re. Esto sane. Sed quid est nobis propositum ad disputandum? Nonne manducatio carnis Christi realis? Nam, sic opinor, definita est ab initio: &, propter nostra Bœotica ingenia, amplius designata corporalis, oralis: non enim poteramus concoquere realem adæquate supponi pro Papistica: Non inuideo. Sed ad rem: Si apta distinctio est, ergo manducatio in voto, non est realis, non corporalis, non oralis. Nam hæc ita definita est, vt fiat cum per organa corporea cibus solidus iniicitur intra stomachum. Per votum autem, viderint illi vtrum caro Christi iniiciatur in stomachum: sed profecto non per organa corporea. Manifesta igitur conclusio; manducationem in voto esse non realem. Cum ergo manifestum sit manducationem carnalem in re non esse necessariam: & tamen Christum agere de manducatione necessaria: euicimus, quod voluimus: Christum non agere de manducatione in re, id est, reali, corporali, Papistica.

XVI. Tertia solutio, Guillaudus in hunc locum: Respondeo, Hic locus eo tendit, vt credentes recipiamus id, quod exhibiturus erat Christus pro mundi vita. Quid hoc erat? Caro & sanguis effusus pro generis humani satisfactione & vita. Iam qui Eucharistiam recipit sub specie panis, & corpus & sanguinem recipit: nam sub illa specie totus Christus continetur. Vasques capite quinto disputationis ducentesimæ decimæ sextæ latius explicat. Vt vis huius præcepti sit in re, quæ sumenda est, non in modo sumendi illam: id est, non in speciebus panis & vini, neque in medio sumendi corpus & sanguinem, videlicet manducando & bibendo, sed in sumptione corporis & sanguinis, quocunque modo illa sumantur: & quia sub specie panis non solum caro Christi, sed etiam sanguis eius sumitur, ideo huic præcepto satisfieri altera tantum specie. Eandem solutionem Thomas habet in hunc locum Ioannis.

XVII. Improbatur hæc solutio, non tantum nobis Sophistarum hostibus: sed etiam Vasqui, & Salmeroni; quorum argumenta videat qui volet. Ego primum dico illudi auditoribus, non eludi argumentum. Concedo agi à Christo de re manducanda, non de modo manducandi. Sed hoc si est, tum vero certum est non agi de manducatione carnali: nam hæc modus est rei. Cur ergo sunt aduersarii tam pertinaces in asserendis his verbis manducationi, quam appellant realem, corporalem, oralem? Nam quia ipsis consentientibus non hæc tantum, sed etiam altera quæ spiritualis, pro obiecto, siue potius subiecto habet ipsam carnem Christi: certe necesse est differre modo oralem, & corporalem. Ideoque si verba hæc sint de orali, esse etiam non de re tantum, sed etiam de modo. Et si non sit de modo: tum neque igitur de orali. Quod nondum obtinere potuimus, vt nobis tuto liceret asserere.

XVIII. Ne obiiciunto, eadem ratione non agi de spirituali. Nam revera aliter se res habet. Quoniam reapse nulla est carnis Christi manducatio, præter hanc spiritualem. Itaque non differt a manducatione orali, tanquam modus à modo: sed tanquam verum à falso. Ac proinde cum victi sunt à nobis tota hac disputatione, duo modi, factum est propter statum controuersiæ. Sed non si nos cogit aduersariorum importunitas somniis suis verba nostra commodare, propterea verbis Christi æquum est vim inferri.

XIX. Ad vtramque speciem quod attinet, cuius argumenti vis non est nisi ad hominem; id est, ex hypothesi aduersarii: nihil est quo eludi queat obiectio. Nam si loquatur Christus de orali sumptione, fieri non potest, vt non differant modo manducare & bibere. Itaque Vasques, *Verba Domini, non tantum referuntur ad rem ipsam sumptam, sed ad modum sumendi eam. Nam manducare & bibere, si verba proprie vsurpentur cuiuis speciei conuenire non possunt: neque enim sanguis sub specie panis bibi dicitur: sicut neque corpus sub specie vini manducari: quamuis sumi dicatur. Christus autem præcepit vt bibamus.* Et hoc didicit ab Innocentio tertio, cuius verba interest recitari, ex 21. c. 4. de Mysteriis Missæ, *Quamuis sub specie panis sanguis sumatur cum corpore: & sub specie vini corpus sumatur cum sanguine: tamen nec sanguis sub specie panis, nec corpus sub specie vini bibitur aut comeditur: quia sicut nec sanguis comeditur, nec corpus bibitur, ita neutrum sub specie panis bibitur, aut sub specie vini comeditur: etsi concessibile videatur, quod corpus bibendo, aut sanguis comedendo sumatur.* Nihil potuit disertius pronuntiari in partes Iacobelli.

XX. Sed pro nobis pergit Vasques, *Si prædictam solutionem probare velimus, oportet, vt improprie verba prædicta capiamus, & ita nihil in eo capite de calice sanguinis Christi, dictum putemus.* Optime. Si de re tantum agatur, non etiam de modo, illo scilicet, quo oralis manducatio, potioque describitur, necesse est verba edendi bibendique figurate intelligi. Contra ergo, si non intelliguntur figuratè, necesse est intelligi modum, non vero rem duntaxat. Iam si modus significetur, vicit Iacobellus: & Papistæ sunt ridiculi.

XXI. Quarta solutio apud Vasquen. Solutio non improbanda est, particulam, &, habere vim disiunctiuam; vt Actor. 3. *Argentum & aurum non est mihi*: pro eo quod est, argentum vel aurum. Aut quod eodem recidit, si notionem habeat coniunctionis, ita illam habere, vt iuxta phrasim Hebraicam, quam sacri Scriptores in altera lingua scribentes, & interpretes etiam sæpenumero sequuntur, repetat etiam negationem præcedentem: & sensus sit, Si neque manducaueritis carnem Filii hominis, neque biberitis, & cætera. Et hoc modo argumentum sumptum ex illis verbis nihil probat: Nam ille qui horum alterum præstat, sine dubio satis facit, & vitam habebit, quam solum Christus negat ei, qui nihil horum faciet.

XXII. Atqui hæc euasio primum nihil attingit absolutam necessitatem Eucharistiæ, cui tamen morbo medendum erat. Nam etsi dicas, nisi aut ederitis carnem Christi, aut biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam: ponis necessitatem consequentiæ; ac proinde etiam antecedentis, saltem alterutrius: vt si non bibas, saltem edas. Et si neutrum præstes, nullam habeas spem vitæ. Cum tamen hæc non præcidatur etiam neutrum præstantibus.

XXIII. Deinde temeraria interpretatio est. Cur non enim temerariam dicam, cuius nullum est exemplum? Nam quod ille laudat ex Act. præter audaciam nihil habet. Num vere Petrus negabat sibi esse aurum, & argentum, id est, vtrumque simul deesse dicebat. Etenim causam voluit Petrus reddere, quare non daret talem eleemosynam, qualem rogabatur: nimirum pecuniariam: quam nullam haberet. Quem defectum expressit per species; quæ erant saltem præcipue ex auro, & argento. Atqui disiunctio nullum talem exprimit: Nam qui negat se habere vel aurum vel argentum, is non negat sibi vllam pecuniam adesse: sed tantum alterutram. Atqui hæc nulla legitima caussa fuisset. Non enim verum est, qui nullum aurum habeat excusari à danda eleemosyna, si saltem argentum possideat: aut contra. Itaque Oecumenius vniuersalem defectum interpretans non est dignatus vtrumque repetere, *τὸν παντελῆ τοῦ χρυσοῦ αὐτῶν ἀκτησίαν ἐμφαίνει, Ostendit eos aurum prorsus nullum possedisse.*

XXIV. Repeti negationem præcedentem; quid erat opus arcessere à phrasi Hebraica? Quasi non sit vniuersalis omnibus linguis vsus: Sed non propterea is sensus est, qui in disiunctionem cadat. Hic potius: Nisi ederitis carnem, & nisi ederitis sanguinem: nimirum vt conditionis necessitas communis sit vtrique membro: vt Matthæi quinto: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum: & nisi abundauerit plusquã Pharisæorum: absurdissime autem per disiunctionem, aut Scribarum, aut Pharisæorum. Et 14. *Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces?* nempe nisi quinque panes, & nisi duos pisces. Similiter 17. *Nisi per precationem, & ieiunium.* Infinita sunt huiusmodi exempla: Prioris ad Corinthios 1. *Nisi Crispum & Caium.* Posterioris ad Thessalonicens. 2. *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati.*

XXV. Andacter dictam: sed non temere, nusquam datum iri exemplum in oppositum. Nam si disiunctio est, diserte exprimitur. Prioris ad Corinthios 14. *Nisi vobis loquar, aut per reuelationem, aut per cognitionem, aut per prophetiam, aut per doctrinam.* Prioris ad Timoth. 5. *Nisi sub duobus aut tribus testibus.* Denique etsi Hebraicam phrasin Sophista nominarit, tamen nullo vel leuissimo exemplo suum adiuuare potuit commentum. Quid ergo nos necesse est amplius laborare?

XXVI. Quintam solutionem Thomas habet parte 3. quæst 73. art. 3. *Dicendum, quod sicut Augustinus dicit, exponens illud verbum Ioannis, hunc cibum & potum, scilicet carnis suæ & sanguinis, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis & vocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus eius.*

XXVII. Sed eam solutionem nullus nunc quod sciam Papistarum amplexus est. Et merito, sibi aduersam. Nam illi animose tuentur his verbis agi de reali & orali manducatione carnis Christi. Atqui societas illa, nulla est oralis manducatio. Neque vero Ecclesia caro Christi est, absque tropo: sed omnino per metaphoram. Si ergo valet Augustini expositio, perierunt Papistæ: nos vicimus, hactenus saltem vt vera negemus orali, corporali manducationi vllum hic locum esse. Nam profecto carnem ipsam realem excludi non patimur. Et quanquam non negemus carnem ipsam realem etiam constare, tamen tenemus non nisi secundario: vt illam societatem etiam constare, tamen tenemus non nisi secundario: vt qui dicit Solem ortum esse, idem dixit, diem esse: sed tamen primo & per se Solis ortum significat. Omnino ad eam rationem, quicunque loquitur

quitur de vera communione carnis Christi, idem societatem Ecclesiæ comprehendit: sed idem tamen directe ipsam illam carnis communionem per se & propter se nominat. Itaque quam absurde, ex eo quod diem designari dixeris per Solis ortum, confeceris Solem ipsum non minus esse apud Antipodas: tam indigne ex huius Ecclesiæ societatis occasione, excluseris ipsam Christi carnem.

XXVIII. Sexta solutio Villagudi in sextum Ioannis. Respondeo, inquit, licet viua fide quis consequatur vitam æternam citra receptionem Eucharistiæ, ob legitimum impedimentum, propter quod non licuit illi recipere Sacramentaliter corpus Dominicũ, tamen non solum vitam æternam habet qui digne recipit Eucharistiam, sed & maiore, & copiosiore gratia abundat, quam si non manducasset & recepisset veram Iesu Christi carnem.

XXIX. Stupide, inquam, & absque iudicio. Nam obiectio erat totidem his verbis ab eo concepta. Insurget quispiam, dicens, *Non est Sacramentalis hæc manducatio necessaria: nam qui solam fidem viuam habet, hunc fructum vitam æternam consequitur absque hac manducatione.* Vnde constat necessitatem vrgeri, non indeterminate quamcunque, sed ordinate ad vitam æternam. Atqui hæc solutio, præter vitam æternam nobis comminiscitur ampliorem aliquam gratiam, quam conferat sumptio Eucharistiæ. Quid ad nos? Nam Christus dixit diserte, *Non habet vitam æternam:* vnde solida vis obiectionis: Hanc manducationem esse necessariam ad vitam æternam: at non item oralem manducationem. Re vera igitur hæc solutio concedit nobis, quicquid in argumento ponimus: & vagatur extra oleas, vt aliquid dicere videatur cum plausu. Denique potuit non ludere tempus, si cum iis rem habuisset, qui omnem vsum Eucharistiæ tollunt: hi enim vere refutantur, si constet ampliorem aliquam gratiam dari. Sed qui dicant non esse necessariam ad vitam æternam: hos Sophista vitat tanquam scopulos.

XXX. Septima solutio, Pererii in 6. Ioannis disputat. 31. Illud etiam responderi potest, hîc non agi de prima acquisitione gratiæ, & vitæ spiritualis: sed de eius conseruatione, atque confirmatione. Hoc enim indicant verba illa, quæ subiunxit Dominus, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Illud enim, manet, significat quandam continuationem, & conseruationem, & perseuerantiam in vita spirituali iam accepta. Quinetiam perspicue hoc declarant verba ipsa manducandi & bibendi. Non enim manducamus & bibimus, vt acquiramus vitam corporalem, quam non habemus: sed vt quam iam habemus, reficiamus, & conseruemus. Sane Sacramentum Eucharistiæ institutum per se fuit à Christo ad reficiendam, & roborandam, atque conseruandam vitam spiritualem.

XXXI. Sed oblitus est Sophista applicare solutionem quæstioni: quam ipse conceperat hoc syllogismo, *Hæc verba aperte demonstrant agi de manducatione corporis Christi simpliciter omnibus necessaria ad salutem: vtpote sine qua spiritualis vita animæ constare non queat: id enim significant illa verba Non habebitis vitam in vobis. At sine Sacramentali manducatione Christi potest constare vita animæ: per solum nempe Baptismum, vel perfectam animi conuersionem ad Deum: Ergo in istis verbis Christus non egit de reali & Sacramentali manducatione carnis suæ.* Huius sic propositæ argumentationis oportet refutari vel primam, vel secundam propositionem. Quomodo igitur? Nihil enim docetur, nisi non esse necessariam mãducationem Eucharisticam, ad primam acquisitionem gratiæ: sed tantum ad eius conseruationem. Esto sane, inquam. Sed sicut in hac vita, etsi necessarius non sit cibus ad generationem primam, tamen necessarius adeo est ad vitam, vt sine illo hæc pereat: ita in dispensatione salutis, hæc manducatio prorsus necessaria describitur ad vitam æternam. Atqui manducatio istæc oralis, carnalisque neque ad acquirendam, neque ad conseruandam. Constat ergo, argumentum: etiam posita hac distinctione.

XXXII. Et hanc necessitatem audi quomodo Nyssenus expresserit orationis Catecheticæ c. 37. ὥσπερ οἱ δηλητήριον διʼ ἐπιβουλῆς λαβόντες ἄλλῳ φαρμάκῳ τὴν φθοροποιὸν δύναμιν ἔσβεσαν· χρὴ δὲ καθʼ ὁμοιότητα τοῦ ὀλεθρίου καὶ τὸ ἀλεξιτήριον ἐντὸς τῶν ἀνθρωπίνων γενέσθαι σπλάγχνων, *Quomodo qui venenum sumpserunt dolo & ex insidiis, alio medicamento extinguunt vim quæ affert interitum: oportet autem sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum admitti intra viscera hominis:* οὕτω τοῦ διαλύοντος τὴν φύσιν ἡμῶν ἀπογευσάμενοι, πάλιν ἀναγκαῖον ὡς καὶ τοῦ συνάγοντος τὸ διαλελυμένον ἐπεδεήθημεν· ὡς ἂν ἐν ἡμῖν γενόμενον τὸ τοιοῦτον ἀλεξιτήριον τὴν προεντεθεῖσαν τῷ σώματι τοῦ δηλητηρίου βλάβην διὰ τῆς οἰκείας ἀντιπαθείας ἀπώσοιτο, *Ita cum id gustauerimus, quod nostram dissoluit naturam, rursus necesse est vt opus habeamus eo quod conciliat id quod erat dissolutum: vt cum intra nos fuerit hoc salutare medicamentum, veneni damnum quod corpori fuerat inditum per contrariã repellat affectionẽ.* Et paulo post, ἐπεὶ οὖν ἐκεῖνο γέγονε κατὰ τὸ δυνατὸν τῇ φύσει τρόπον τὴν ζωοποιὸν δύναμιν τοῦ πνεύματος δέξασθαι· μόνου δὲ τοῦ θεοδόχου σώματος ἐκείνου δεξαμένου τὴν χάριν, ἄλλως δὲ δειχθέντος μὴ εἶναι δυνατὸν ἐν ἀθανασίᾳ γενέσθαι τὸ ἡμέτερον σῶμα, εἰ μὴ διὰ τῆς πρὸς τὸ ἀθάνατον κοινωνίας ἐν μετουσίᾳ τῆς ἀφθαρσίας γενόμενον. *Necesse est ergo eo modo, quo natura potest spiritus viuificam suscipere virtutem. Cum autem solũ illud corpus, quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit, ostensum sit autẽ aliter fieri non posse, vt nostrũ corpus sit in immortalitate, nisi per communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis, oportet considerare,* & quæ sequuntur. Audin necessitatem? sed cuiusmodi? Certe cuiusmodi summa esse potest. Dic primam gratiam, dic secundã, perinde est, dum constet non posse fieri vt immortales simus absque ea communione. Nam profecto non iis tantum necessaria est immortalitas, quibus nulla dum gratia est, sed etiam qui iam acceperunt.

XXXIII. Octaua solutio Sebastiani Michaelis, ad incommodum de adultis. Non dicere Christum, Non potestis ingredi: nec dicere, in regnum Dei: sed tantum, *Non habebitis vitam in vobis*: id est, realiter & actu in vobis non estis habituri carnem meam, diuinitatem meam, personamque: qui tamen sum ipsa vita. Esse autem aliud, non habere realiter & actu in propria carne carnem realem Christi, aliud, non ingredi in paradisum: cum Veteris Testamenti Patres illam non habuerint, habuerint tamen istud.

XXXIV. Nihil est, quod comparari possit cum hoc acumine. Quasi iam auditoribus persuasum esset habendam esse ipsam carnem Christi; & tantum quæstio superesset de modo habendi. Non pudet τῆς φλυαρίας? Imo certum est à Christo demonstratam fuisse necessitatem percipiendæ carnis suæ, ab effectis: itaque illud *habere vitam*, effectum esse inhabitantis carnis. Patet ex sequentibus, *Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego excitabo eum in vltimo illo die.* Vnde Augustinus, *Hæc non vtique cadaueribus, sed viuentibus loquebatur: Vnde ne istam vitam intelligentes de hac re litigarent, sequutus adiunxit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternã. Hanc ergo non habet, qui istum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit.* Ergo non habebitis vitam in vobis, dictum fuit de vita æterna. Atqui Christi caro, non est ipsa vita æterna: sed causa vitæ æternæ: quomodo paulo ante Nyssenus dicebat esse ἀλεξιτήριον restaurans ea quæ in nobis erant labefactata διὰ τοῦ δηλητηρίου. Certe qui istum panem comederit corporaliter, habet istum panem intra se. Ac proinde si hic panis vita est, habet hanc ipsam vitam; hanc ipsam, inquam, carnẽ, hanc Deitatem, hanc personam. Sed si non habet hanc vitam, & habet tamen intra se hunc panem: necesse est hunc panem non esse hanc vitam. Quid ergo ineptius hoc Sophismate?

XXXV. Esto sane aliud, habere hunc panem, hanc vitam: aliud, ingredi in paradisum. Sed tamen quicunque non ingreditur paradisum, non habet hanc vitam: quomodo qui non habet diem, non habet Solem in horizonte suo: etsi aliud sit Sol supra horizontem, aliud dies: quod manifestum fuit vel in tenebris Ægypti, vel in morte Christi, cum tenebræ factæ sunt per omnem terram. Et quia constat aliud esse causam, aliud effectum.

XXXVI. De Patribus sub lege, non difficile negotium. Non habuerunt, inquit, hunc panem: Sane, inquam, si corporaliter, si carnaliter, si oraliter dicas: sed si ipsam carnem Christi, manifeste falsum: quoniam eundem constat illos cibum spiritualem comedisse, quem nos comedimus. Atque adeo hinc argumentum certum nobis accrescit, vt ab infantibus: vt à multis Christianis adultis.

XXXVII. Nona solutio Bellarmini. Dico hunc locum ad solos adultos pertinere, qui quidem aut re ipsa possunt, aut saltem desiderio tenentur hoc Sacramentum aliquando percipere. Nempe igitur contractio est gemina verborum Christi. Prior ad adultos. Vt necessitas communionis intelligatur vel vniuersaliter, vel tantum respectu adultorum. Si vniuersaliter, tum negari maiorem. Negandi ratio triplex est Bellarmini: Vnam, quia hoc Sacramentum non sit institutum ad vitam dandam iis qui non habent, sicut Baptismus: sed ad conseruandam iis qui habent. Non est autem ista conseruatio necessaria, nisi iis, in quibus vita iam acquisita minui, aut perdi potest, quales non sunt infantes. Altera: Cum loquitur de manducatione panis, id est, cum carnem suam panem vocat, satis aperte indicat, se non loqui de infantibus, qui non vescuntur pane sed lacte. Tertia, Quia hæc verba, *Nisi manducaueritis*, sonent præceptum, vel medium ad salutem necessarium. Si præceptum, aut ad infantes non pertineat; cum eius non sint capaces: aut certe excusentur, cum non possint implere: id enim est commune omni præcepto. Si medium, certe solum iis qui vitam possint amittere, cuiusmodi non sunt, qui vsu rationis carent. Quartam exhibet Sebastianus Michaelis, quoniam Christus in loquendo vsus sit secunda persona, *Manducaueritis, Biberitis, Habebitis*: atque id apud eos qui ratione vterentur.

XXXVIII. Insto contra: Esse necessitatem vniuersalem. Nam id ipsum diserte verba indicant: quia, Nisi ederitis, significat, quicunque non ederit. Et Nyssenus rationem reddebat: quia non possit qui venenum sumpsit, sperare vitam, nisi sumpto opposito pharmaco. Atqui non adulti tantum, sed omnino omnes homines sumpserunt venenum. Et ea caro est pharmacum ἀλεξιτήριον: Ergo omnibus omnino hominibus ea caro necessaria est.

XXXIX. Ad rationem primam oppositam respondeo, concedi Eucharistiæ Sacramentum non esse institutum ad vitam dandam iis qui non habent: verum negari hoc loco agi de Sacramento, sed de re eius Sacramenti, quæ huius loci subiectum est. Itaque Christus dixit, *Non habebitis vitam in vobis.* Est autem longe aliud, non habere vitam, & non retinere. Nam hoc præsupponit necessario illud: non enim potest retinere vitam, qui vitam nullam habet, sed potest tamen habere, qui tamen non retineat.

XL. Enimvero confidentius dictum Bellarmino, illud, *Non habebitis vitam in vobis*, intelligendum, non poteritis retinere. Petrus dixit Act. 3. *Aurum & argentum non habeo*: non significans se habere quidem, sed non conseruaturum: verum omnino designans sibi tunc nihil esse auri & argenti. Matthæi 6. *Alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui est in cœlis.* Hoccine idem, ac accipietis quidem, verum non retinebitis? Stulte. Quid tum autem si dixit Ioannes tertio primæ, *Non habet vitam in se manentem?* Nam aliud est, non habere, aliud, non habere manentem: neque Christus hac phrasi vsus est. Quanquam neque Ioanni mens fuit dicere, Homicidam habere quidem vitam æternam, sed non in se manentem. Vin' scire? Paulo prius, *Qui non diligit fratrem suum, manet in morte.* At omnis homicida odit fratrem suum: Ergo omnis homicida manet in morte: At qui manet in morte, nullus habet vitam æternam: Ergo nullus homicida habet vitam æternam. Salmero, *Manet*, inquit, *in morte corruptæ naturæ, & peccati Adæ, à quo nondum surrexit: & sicut anima vita est corporis: ita Deus vita animæ: At vbi nulla est fides, illic nec Deus est.*

XLI. Nec obest nomen panis. Nam id nomen metaphorice tribuitur carni Christi. Non est autem necesse de metaphorico pane, eadem omnia dici, quæ de proprio. Panis dicitur propter nutritionem: non propter ætatis discrimina. Alioquin, quia qui recens baptizantur, infantes sunt metaphorice, sequeretur nullam illis communionem esse concedendam carnis Christi: nam teste Paulo prioris ad Corinthios tertio, lac tradendum est infirmis. Atqui hoc absurdum: & contra factitatum in Ecclesia.

XLII. Nego hæc verba, *Nisi manducaueritis*, sonare præceptum: sed causam præcepti, Nempe remedium aduersus præsentissimam damnationem. Chrysostomus, Δείκνυσιν αὐτὸ οὐ μόνον οὐκ ἀδύνατον, ἀλλὰ καὶ σφόδρα ἀναγκαῖον,

αὐτογνωσίαν, *Docet ipse non tantum non esse impossibile, sed etiam esse vehementer necessarium.* Gorranus, *Primo igitur ostenditur manducationis necessitas, quia sine illa non est salus* Est igitur remedii necessitas. Quid ergo Bellarminus habet? Ergo, inquit, iis tantum, qui vitam amittere possunt. Quid audio? Non etiam iis, qui vitam non habent? Quis dixit, sanus? Sed Iesuitæ frequenter insana somniant.

XLIII. Supereſt Sebastiani sophisma. Secunda persona ad adultos. Atqui Ioannis 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, id est, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis.* Audin' secundam personam? Et quidem, puto, non apud infantes; nam Apostoli erant valde adulti. Possuntne ergo infantes fructum ferre etiam non manentes in Christo? Cap. 8. *Si vos Filius in libertatem vindicauerit, vere liberi eritis.* An quia infantes liberi possunt esse, etiam sine Christo? Nisi forte Iudæi tunc adstantes, erant in mammis. Sed nihil obstat generalem doctrinam applicari iis quibuscum res est, designatis per secundam personam, secundum loci & temporis circumstantiam. Nec est æquum eos omnes arceri, qui non præsentes audierint.

XLIV. Sed enim de infantibus qui loquuntur, vnam absurditatis attingunt partem: alteram negligunt, quæ remanet integra, de adultis: quos tamen ne Papistæ quidem excludunt omnes à vita æterna, propter non manducatam oraliter carnem Christi. Quid ergo? Succurrendum fuit alia contractione: quam tamen Bellarminus leuiuscule indicauit; vnica particula, *Si possunt.* Verum alibi disertius. Richeomus c. 30. libri 1. contra Plessæum, Dicimus, tum cum hoc mandatum Dominus dedit comedendi carnem suam; id voluisse intelligi pro commodo temporum & personarum: cum infantes peruenerint in eam ætatem vt sint compotes rationis: & adultis nihil erit impedimento legitimo. Petrinius adhuc explicatius, Mandata Christi pertinentia ad Nouum Testamentum, non obligasse, nisi post clarum, sufficientemque promulgationem; constitutamque religionem Christianam. Rursus ne quidem post eiusmodi promulgationem, obligasse præter capaces, quique potuerint implere: id enim esse commune omnibus præceptis; vt apud Deum nullam obligent conscientiam, nisi eorum quibus possibilis sit exsequutio.

XLV. Nihil est noui, quo impugnetur necessitas remedii vniuersalis, de quo diximus. Certe, *Non est in alio quoquam salus*; Actorum 4. Nec salus vlli in eo, nisi qui eius sit particeps. Quid ergo, nisi ineptiunt, vel insaniunt potius, qui tempora excipiunt, & personas subducunt? Nam qui Christum non percipiunt, eos necesse est vel damnari, vel alio modo salutem assequi, quam per Christum. Hoc autem impossibile est; teste Petro. Illud a nobis est: consequitur enim Christi communionem esse absolute necessarium remedium ad salutem, id est, contra damnationem.

XLVI. Quorsum ergo nominatur impedimentum legitimum? Aut cuius rei: percipiendine Christi, an Sacramenti? Nam Sacramenti sane cõcedimus aliquod esse posse legitimum impedimentũ: quo posito nulla sequatur damnatio. Sed percipiendi Christi negamus vllum dari posse legitimum. Nam aliquod esse posse concedimus, vt natis in idololatria, in eaque educatis, vt in medio Turcismo, & in Barbaris illis, qui in orbe nouo, tam sero nomen audiuerunt Christi, vt in infantibus ante Baptismum denascentibus. Sed legitimum nullum possumus agnoscere; hoc est, tale quo posito excusentur à damnatione, qui Christi non fuerint. Neque vero aliter sentiunt Papistæ, saltem in iis exemplis, quæ iam notauimus. Et id nobis ad argumentum sufficit. Damnati sunt enim Turcæ omnes, omnes illi in nouo orbe, etsi non potuerint Christi carnem participare. Plane ex præscripto Christi. Quos enim, quæso, Christus alloquebatur? Certe Iudæos, non profitentes religionem Christianam: itaque æque saltem excusabiles cum Turcis. Et his tamen minatur interitum, si non comederint carnem suam. Nempe, quia in se venenum haberent, mortis causam: nec haberent antidotum, vitæ restituendæ.

XLVII. Decima solutro Sebastiani Michaelis: Discrimen esse inter legem, & statutum, iuxta Iurisconsultos. Lege comprehendi solum rationis capaces, vt si sit edictum, omnes capere arma ad pulsum tympani. At statuto generaliter omnes, tam qui intelligant, quam qui secus: vt si sit imperatum tributum annuum, teneantur etiam infantes, vt patet ex Christi natiuitate, cum dicitur descriptus vniuersus orbis. Baptismi institutionem esse velut statutum. At Eucharistiæ, velut legem. Et vero qui inferunt generalem necessitatem huius, non attendere verbis Christi, semper locuti ad numerum, pondus, & mensuram. Ioannis 3. de Baptismo, tanquam de statuto, & edicto generali, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Verum de Eucharistia, tanquam lege, non *Quicunque non ederit*: sed, *Si non ederitis*, nempe ad eos qui intelligerent. Distinctio ita est. Necessitas alia statuti, alia legis. De statuto negatur minor, de lege negatur maior.

XLVIII. De discrimine legis & statuti, non est necesse rixari. Habeant sua sibi Iurisconsulti arcana. Nos Theologicæ veritati adhæreamus: quæ non delectatur subtili vocabulorum aucupio. Sane vero in Scripturis, Statuti vocabulum, quod sciam, nusquam legas; sed legis sæpissime, & mandatorum, & iustificationum, & similium: Neque scio vtrum apud Theologos, Baptismi statutum, quisquam legerit: magis quam Eucharistiæ. Itaque non est quod simplici verborum sono nos speret commotum iri nouus Sophista. Qui eo se insuper ridiculum reddit, quod suam statuti definitionem firmet exemplo natiuitatis Christi: quasi edictum illud Cæsaris de descriptione totius terræ ad Christi personam pertinuerit: vt ab eo exigeretur tributum. Quod nemo dixit vnquam, aut etiam somniauit. Et hoc prorsus est absimile vero. Nam Maria venit vterum gestans. Nunquam autem factum apud vllos, vt tributum sit exactum pro graui vtero Quanquam quid ad nos?

XLIX. Mittamus vocalarum tinnitum: rem ipsam attendamus potius. Vasques cap. 2. disp. 213 *Cum Christus de manducatione sua carnis sub Sacramento loquatur, non minus his verbis præceptum illius tulit, quam Baptismi, Ioannis tertio, cum dixit, Nisi quis renatus fuerit: cum eodem tenore verborum per particulam, nisi, vsus fuerit: quis enim dicat ea necessitatem aliquam non denotari?* Nota: primo comparari phrasim Baptismi, cum phrasi hac de qua quæstio est, ex similitudine emphaseos: Secundo vtrinque præceptum esse. Denique ea phrasi necessitatẽ ferri aliquam, vt in Baptismo, sic in Eucharistia: Quare necessitatem præcepti. Quæ igitur occasio nugarum?

L. Rursus præceptum, siue statutum Baptismi, norunt omnes vim habere à remedio. Videlicet, quod omnes infantes obnoxii sint peccato originali: ideoque etiam damnationi; quæ ab eo certa, nisi adsit remedium. Quam ratiocinationem esse perpetuam in ore Papistarum, quis nescit? Atqui hæc eadem ratio potentissima est in Eucharistia. Fallor, rem Eucharistiæ dictam volui, id est, carnem & sanguinem Christi: in quibus magnum, præsentissimum, generalissimum remedium aduersus magnum, præsentissimum, generalissimum morbum, quo tenentur omnes homines.

LI. Neque vero in vocularum diuersitate, quicquam est momenti. Nam nisi quis renatus fuerit; si quis renatus non fuerit. Et, Si non ederitis, sonat Nisi ederitis. Itaque recte Vasques dixit, non minus his, quam illis verbis præceptum fuisse latum.

CAP. XV.

De effectu necessario manducatæ carnis Christi.

I. MAnducatio sancita Ioannis sexto necessarium effectum habet, salutem æternam. At manducatio carnalis carnis Christi non habet effectum necessarium salutem æternam: Ergo manducatio hæc carnalis non est sancita Ioannis sexto.

II. Maiot patet ex disertis Christi verbis, *Pater meus dat vobis panem, illum vere cœlestem. Panis enim ille Dei is est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Ego sum panis ille vitæ, qui venit ad me, nequaquam esuriet: & qui credit in me non sitiet vnquam. Ego sum panis ille vitæ. Patres vestri comederunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis ille qui è cœlo descendit, vt qui eo vescitur, non moriatur. Ego sum panis viuificus, qui è cœlo descendi: si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sicut misit me Pater, & ego viuo per Patrem: ita etiam qui ederit me, viuet ipse quoque per me.* Nihil potuit disertius affirmari: nihil sæpius inculcari. Itaque vel retractent aduersarii suam illam arguendi vehementiam, concludentem κατ' ἀδύνατον, intelligendam manducationem tam diserte, tam frequenter iteratam: vel nunc concedunto nostræ huius considerationis firmitatem.

III. Respondent; Hanc promissionem esse veram cum conditione debita; nempe si adsit dispositio ad digne communicandum: quæ conditio ferme communis est omnibus Dei promissionibus. Vt Ioelis secundo, *Quicunque inuocabit nomen Domini seruabitur.* Marci vltimo, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur.* Et tamen multi inuocarunt, crediderunt, baprizati sunt, qui tamen damnati sunt. Nempe quia subaudienda conditio, vt fungatur quisque suo officio in inuocando, credendoque. Qua sine conditione, non magis saluifica futura est communio spiritualis Lutheri ant Caluini. Sic Richeomus cap. 31. de Missa. Consentit Cosfetæus, sed breuior, cap 19. Defensionis Eucharisticæ. Solutionis artificium non est difficile. Manducatio alia digna est, alia indigna. Illius necessarium effectum esse salutem: non itidem huius. Itaque de digna concedi maiorem, negari minorem. Contra vero, de indigna negari maiorem, concedi minorem.

IV. Instо. Manducationis distinctionem in dignam & indignam non haberi nisi à Paulo: qui solus eius meminit prioris ad Corinthios vndecimo: sed ita vt huc non pertineat. Non enim producit vlterius, quam ad signa sacramentalia, panem & vinum. Diserta enim sunt verba, *Quisquis ederit panem hunc, & biberit hoc poculum Domini indigne, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini.* Nota: ederit panem hunc, biberit hunc calicem: non vero, qui carnem & sanguinem. Rursus dico legi diserte, quicunque manducauerit carnem Christi habitutum vitam æternam: sed nunquam tamen, qui comederit quenquam perituru. Et quisquam ausit in oppositum? Scimus sibi pro arbitrio cuncta permittere Papistas: sed nos oportet esse religiosiores.

V. Qui inuocarit nomen Domini, perisse quenquam, non damus: aut qui baptizatus crediderit. Papistas non miramur asserere: Nam qui pro fide laruam fidei obiiciunt; cur non fideles dicant damnari? Et qui tam nequiter fidem; cur religiosius inuocationem definiant? Nam sicur non possumus inuocare, nisi in quem crediderimus: sic neque inuocare, nisi quomodo crediderimus. Qui male igitur credunt, male inuocant. At vero qui male credunt, non credunt: ideo neque qui male inuocant, inuocant. Et miraris qui male credunt, qui male inuocant, perire? Sed qui credunt, eosdem perire impossibile est, teste Deo.

VI. Bellarminus. Quod manducatio sacramentalis non dat vitam sine fide: id prouenit ex indispositione accedentis, non ex ipso Sacramento, quod ex se semper est efficax. Sensus est, manducationem intelligi per se, & sic concedi maiorem, negari minorem. Aut per accidens: & sic concedi minorem, negari maiorem.

VII. Atqui de Sacramentali frustra respondet, quæ non fuit in interrogatione. Nos enim agnoscimus Sacramentorum omnium vsum talem esse, vt etsi per se, id est, iuxta suam ordinationem sint saluifica, tamen per accidens, id est, ex abusu cedant in damnationem. Vnde in hoc ipso Sacramento Paulus dixit, qui indigne sumpserit panem & vinum, sumere suam condemnationem. Veruntamen longe aliter res ipsa habet, quæ per Sacramenta sancitur. Nam hæc ex ipsa sua institutione vim sumens perpetuo est viuifica. Sic ies Baptismi, id est, remissio peccatorum nunquam fuit nisi salutaris: nunquam damnosa. Itaque qui fide accedunt ad Baptismum, accipiunt quidem suam condemnationem, sed non accipiunt ipsam remissionem peccatorum. In Eucharistia similiter.

VIII. Et vero vide quam caute distinguat Augustinus in Ioannem tract. 26. *Vt si quis manducauerit ex ipso non moriatur: sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum.* Et paulo post, *Huius rei Sacramentum, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi ali-*

cubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur: quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res vero ipsa cuius Sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit. Non potuit Bellarminus refutari potentius. Dixit Christus, *Qui eo pane vescitur, non moritur:* Augustinus, distinguit panem in eum qui pertinet ad Sacramentum, & eum qui ad rem Sacramenti. Obscurumne est, quid velit? Sacramentum sane signum est: itaque panis pertinens ad Sacramentum, est panis qui significat. Et quidem Sacramentum visibile. Nam res Sacramenti semper est inuisibilis: Ergo panis ille, qui signum est, talis est, vt qui eum manducet, interdum viuat, interdum moriatur. Sed panis ille alter, qui res est Sacramenti, longe aliter: Qui eum comedit semper viuit: nulli ille datur ad exitium. Atqui si saltem per accidens, id est, per abusum, non det vitam, profecto datur ad exitium: Ergo ne per accidens quidem, panis iste potest non dare vitam.

IX. Quid ergo? Nempe dicendum, eos qui Sacramentum sumunt ad exitium suum, non sumere rem Sacramenti. Nam si sumerent: Ergo aliqui sumerent ad exitium, quod negauit Augustinus fieri. Itaque facile exponitur id quod apud eundem legitur eodem tractatu, *Ac per hoc, qui non manet in Christo & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat ac bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta, quæ aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est.* Nam cum dixit spiritualiter manducare carnem Christi: non dixit διακριτικῶς, quasi manduceturalias spiritualiter, alias non spiritualiter: sed ἐξηγητικῶς quia nunquam nisi spiritualiter. Aut certe si διακριτικῶς dixit, manifeste opposuit carnem Sacramento: nimirum vt spiritualiter ad carnem pertineat, corporaliter autem ad Sacramentum. Nam alioquin debuit dicere, non spiritualiter eos comedere carnem Christi: sed tantum carnaliter, quod tamen minime dixit: sed opposuit nominatim, carnaliter & visibiliter premere dentibus Sacramentum corporis & sanguinis. Quæ nostra sententia est.

CAP. XVI.

De cibo in secessum.

I. ADdo præcedentibus argumentis geminum absurdum. Si corpus Christi carnaliter comederetur: Ergo abiret in ventrem, & inde in secessum emitteretur. At hoc absurdum: Ergo & illud. Probatur consequentia ex Matthæi 15. *Nondum intelligitis, quicquid ingreditur in os in ventrem cedere, & in latrinam?* Theophylactus, τοῦτο τὸ πᾶσι γνώριμον καὶ φανερὸν οὐ νοεῖτε, ὅτι τὰ μὲν βρώματα οὐ μένει ἔσω· ἀλλὰ κάτω γὰρ διεξέρχονται, μηδὲν μολύνοντα κατὰ ψυχὴν τὸν ἄνθρωπον· οὐ γὰρ μένουσιν ἔνδον, *Hoc quod omnes intelligunt, videntque, non intelligitis? Cibos non manere intus, sed per inferiora transeunt, nullo modo hominem inquinantes secundum animam: non enim intro manent.*

II. Assumpti partes duæ sunt; vna de ventre, altera de latrinis. De priore abeunt à nobis Papistæ, qui, vt notauimus in statu huius quæstionis, non concedunt tantum, sed etiam ex professo docent, corpus Christi abire in ventrem, id est, in stomachum, quod receptaculum est omnium rerum quæ sumuntur per modum cibi & potus. Sed hoc nihil nunc interest disputare. Quoniam hæ partes non sunt disparatæ, siue alternatiuæ, vt vel vna sit, vel altera: sed copulatæ, vt vtraque, tanquam vera per se: & omne quod intrat in os, abire in latrinas.

III. Ergo ad alteram venio, quam demonstrari non puto opus esse. Quia indignum est corpus illud sanctissimum, imo diuinum, tam absque reuerentia, imo tanta cum contumelia tractari, nempe in eas partes coniici, quas ne ciuiliter quidem nominari absque præfatione moris est. Atque adeo respondentes huic argumento nullos contigit videre in eam partem diuertentes, vt id assererent quod negamus. Et quanquam olim recitauerimus ex Turrecremata deferri id corpus, quocunque species integras, in canis, suisque ventrem, atque adeo in loca immunda: Algerus tamen 2. de Sacramento c. 1. non sine horrore exagitat Stercoranistas nescio quos hæreticos, qui dicerent tantum Sacramentum sicut corporali comestioni, sic & secessui esse obnoxium; argumentis ab illis Christi verbis. Quare assumptionem syllogismi nostri secure possumus tanquam vtrinque concessam supponere.

IV. Propero ad solutionem. Bellarminus præfatur cum Algero, ad hæc & similia obiecta oportuisse aures obturare, & nihil respondere. Ast ego, amplius dico, ad omnia Veritatis obiecta debere Papistas tacere. Quanto enim præstaret, quam male loqui? Quam peruicaciter respon-sando immane veritatis odium irritare, tum in seipsis, tum in animis siue audientium, siue legentium? Sed nostra alia conditio est: qui vt veritatis amorem procuremus, mendacii odium sollicitemus, debemus τοὺς ματαιολόγους, καὶ φρεναπάτας ἐπιστομίζειν, *vaniloquis, mentiumque deceptoribus os obturare*, vt loquitur Paulus ad Titum. Quod tum fit & commodissime & potentissime, cum eis suarum hæreseon ἄτοπα καὶ δύσφημα tanquam stercora in ora iniiciuntur, ἵνα οἱ ἐξ ἐναντίας ἐντραπῶσι, vt qui se ex aduerso opponunt, pudefiant.

V. In soluendo consequentiam infirmant, dictumque Christi contrahunt. Bellarminus, Loquitur Dominus de cibis, qui sumuntur ad alendum corpus. Illi enim ordinarie eum cursum tenent, quem Dominus describit. Quare ipse Dominus post resurrectionem vere comedit & bibit, vt testantur omnes Euangelistæ, & Petrus Actor. 10. & tamen non emisit cibos in secessum, quia non comedit ad nutriendum corpus. Gardinerus addit Angelorum exemplum. Sic igitur corpus Christi, quod à fidelibus manducatur, non ad corpus nutriendum, sed ad animam sustentandam, non est necesse vt corporaliter digeratur, vel in secessum emittatur. Subtilius Gardinerus obiecto 88. partis 1. Quidam, quia in ventre non digerunt, & egerunt, prorsus intereunt. Quidam, casu interdum exitiali transmittunt in pulmonem: Quidam in gutture retinent, vt spiritu contra nitente gargarizent, & reddunt denuo. Multi nihil aliud quam os abluunt, & mox expuunt. Demosthenes in eum vsum os impleuit lapillis, vt assuescens referto ore loqui, libero eodem & vacuo loqueretur expeditius. Adeo non infertur ex verbis Christi, illa consecutio, In os intrauit: Ergo in ventrem abiit, vel in ventrem abiit, Ergo egestione secessit. Breuiator Bellarmini Baptista, Non posse intelligi de omni cibo simpliciter. Nam qui transit in substantiam animalis non in secessum vadit: sed solum ex omni cibo assumpto ad alimentum corporis, aliquam partem communiter in secessum ire. Costerus obiectione decima. Non idem illud, quod sumitur iuxta speciem suam emittitur. Non enim eiicit homo panem, vel carnem, sed quæ ex partibus eorum impurioribus generantur excrementa. Itaque non egeritur corpus Christi, sed illud, in quod transierunt species panis & vini.

VI. Variæ sunt distinctiones, seorsim expendendæ. Prima est eorum quæ per os sumuntur, alia sumi ad nutriendum corpus: & sic concedi cōsequentiam, sed negari assumptum. Alia minime: & sic consequentiam negari: assumptum concedi. Sed cōcessa distinctione, tamen dico in vtroque genere veram esse consequentiam, & axioma Christi. Nam etiam quę non sumuntur ad nutriendum corpus, tamen abeunt in secessum. Exempli gratia, medicamenta, quæ non nutriunt, sed purgant. Sed & alia, vt plumbum, argentum, aurum. Denique docet experimentum, quæcunque eiiciuntur in stomachum, & sunt aliena à nutriendo corpore, ea necessario eiici, vel per vomitum, vel per secessum: alioquin esse noxia. Itaque verum est axioma, & certum in vtroque genere proposito: vt non sit propterea cogenda in arctum sententia Christi. Iam autem Christi corpus, non esse aptum nutriendis corporibus, concedunt aduersarii. Tanto magis vrget argumentum.

VII. Nam quod obiiciunt Christum manducasse post resurrectionem, nec eiecisse, est extra rationem huius vitæ, quæ est ante resurrectionem. Itaque poterat vtile esse nouæ distinctioni, quam tamen nemo ausus attingere: Quæ comeduntur vel ante resurrectionem comedi, vel post resurrectionem. Et sane quid hæc ad rem pertineret? Nam Eucharistia nulla sumenda est nisi ante resurrectionem.

VIII. Instat Bellarminus: sicut Martyr restringit verba Domini ad manducantes mortales; sic se posse restringere ad cibum corruptibilem, qualenon est corpus Christi, quod in Sacramento sumitur. Nam de mortalibus ideo tantum verum, quia soli comedunt, vt nutriantur: quocirca per se loquebatur de omnibus, qui comedunt vt nutriantur, per accidens autem de mortalibus. Nam si immortales indigerent nutritione, certe etiam digererent cibum, & egererent excrementa.

IX. Atqui sic primo deseritur distinctio: quia substituitur noua tibi corruptibilis & incorruptibilis: quæ non potest eadem esse cum comedentibus ad nutriendum, vel non. Deinde non est verum de mortalibus loqui Christum, ideo tantum quia comedant vt nutriantur. Ratio, quia etiam comeduntur, quæ non nutriunt: & tamen abeunt in secessum, vt diximus. Quare longe aptior distinctio mortalium & immortalium. Immortales autem egesturos in secessum, si egerent nutritione, ridicula speculatio est, suppositi impossibilis, tum etiam inutilis: tanto enim certior fieret nostra consequentia.

X. Quod attinet ad Angelos, Iansenius Concordiæ c. 147. *Aliter nunc manducabat Christus, & aliter Angelus Tobiæ Raphael in assumpto à se ad tempus corpore. Nam quia corpus ab Angelo assumptum non erat viuum corpus vel animatum, non erat etiam vera eius commestio, quanquam erat vera cibi contritio, & traiectio in interiorem partem corporis assumpti.* Quæ verba mutuo sumpta ex Thoma parte 3. quæst 55. art. 6. Maldonatus in 24. Lucæ, *Angeli edere quidem videbantur, re autem vera non edebant: sicut vera non edebant: sicut vera etiam videbantur habere corpora, quæ vera non erant.* Obserua. Corpora non fuisse animata, siue viuentia: quod quidem nemo neget. Sed quid mirum non ire in secessum, quæ ingeruntur in corpus inanime? Itaque rursus hoc exemplum aptum demonstrare necessariam distinctionem corporum viuorum, mortuorumque. Sed quid Eucharistia ad mortuos, vel mortui ad Eucharistiam?

XI. Baptista distinguit cibum in partes, vt aliæ transeant in substantiam corporis, aliæ secernantur in excrementa. Itaque non omnem cibum eiici. Non legerat videlicet Hieronymum: qui, *Ex hac*, inquit, *sententiola quidam calumniantur, quod Dominus physicæ disputationis ignarus, putet omnes cibos in ventrem ire, & in secessum dirigi: cum statim infusa esca per artus & venas ac medullas neruosque fundantur. Sed istiusmodi homines dum volunt alterius imperitiam reprehendere, ostendunt suam. Quamuis enim tenuis humor & liquescens esca in corpus fundatur, tamen cum in venis & artubus concocta fuerit & digesta, per occultos meatus corporis, quos Græci πόρους vocant, ad inferiora delabitur, in secessum vadit.* Autore ergo Hieronymo etiam partes singulæ abeunt in secessum. Quod tamen non videtur ita esse. Maldonatus melius, *Id scilicet Christus nesciebat, quod nemo nescit. Loquitur igitur non philosophice, non subtiliter, sed populariter: nam quia minimum remanet, ita loquitur, quasi nihil significet remanere.*

XII. Nos vero clarius. Primo, differre omne & totum. Et quanquam sit falsum totum cibum ire in secessum: tamen verum est, omnem cibum ire in secessum: Quomodo verum, omnem cibum nutrire corpus? quanquam ea pars vnde fiunt excrementa, non nutriat. Veruntamen hæc λεπτότης nihil ad rhombum: quoniam absurdum est corpus Christi siue totum, siue per partes abire in secessum. Præterea hoc verum de iis tātum quæ concoquuntur. Nam quæ aliena à concoctione, ea tota, & integra abeunt in secessum, vt aurum, argentum, plumbum, & haud pauca alia. Nam ista cuncta necessario secernuntur vel per vomitum, vel per stercus: Atqui corpus hoc non semper per vomitum. Horret animus, quæ sequantur cogitare: quæ tamen non omnes Papistæ horruerunt eloqui. Imo quod omnibus necesse est videre: cum ponant esse, vbicunque species sunt non mutatæ. Certum sit autem esse nonnunquam stomachi tantam infirmitatem, vt eiiciantur per λειεντερίαν integræ, nec violatæ. Vnde consentaneum fit aliquid etiam durius, quam quod olim Bezæ Cardinalis Lotharingus obiecit, Christum in cœno.

XIII. Gardinerus directe impugnat Christum, negans bene sequi.

Iniicitur in os : Ergo abit in ventrem : quia Demosthenes iniiciebat in os suum lapillos, non tamen in ventrem. Quidam ex gutture eiiciunt: quidam os tantum abluunt. Item, abit in ventrem : Ergo in secessum. Quia, transmittunt quidam in pulmonem, quidam non digerentes intereunt. Sed hæc ridicula: & inutiliter conquisita. Nam corpus Christi, nihil est eorum. Itaq; non nostrum oppugnatur argumentum, sed Christus arguitur mentitus. Nos enim, vt præmonuimus, ex eo arguimus, quod omnia sumpta per modum cibi ab ore transeant in ventrem, & inde in secessum. Quid ad nos, ea quæ non in ventrem, id est, stomachum? Nam hæc non possunt dici per modum cibi. Iam quæ ex ventre non abeunt in secessum concedo dari quædam, sed vt constat ab exemplis, tantum noxia corpori, in quibus nullum Christi corpus, quo neque pulmo afficitur, neque corpus interit.

XIV. Superest Costerus, qui videtur velle, nihil abire in secessum, nisi cuius species sit mutata. Sed id falso: Quæcunque enim non concoquuntur, non mutantur: Esto sane: excrementa panis eiiciantur : at certe non excrementa auri, aut argenti: sed ipsum purum putum aurum, argentum. Monuimus autem corpus Christi in iis esse, in quæ concoctioni, proindeque digestioni ius nullum, vt nemo miretur non mutari eius speciem, itidem vt panis.

XV. Egeritur, ait. id in quod transierunt species panis & vini. Subtiliter. Sed non primum necessario. Egeruntur enim interdum ipsæ species non mutatæ, non corruptæ, vt per λειεντερίαν: ac tum coguntur Papistæ corpus suum id quærere alibi quam in cœno. Deinde, quid hoc est, in quod transeunt species? Substantiane: Ergo geminabitur Transubstantiatio. Etenim transubstantionem dicunt mutationem specierum in substantiam, quæ sub iis non erat prius. Sed si ita est, vnde fit, consecratione, an natura? Naturam, non puto, quod enim exemplum simile? Si consecratione, At certe non illa ipsa, vnde prior transubstantiatio facta: quis enim nō horreat? Ergo ex alia. Quanam illla. Nisi forte ἀγράφης traditio. An vero non transeunt in substantiam, sed in alias species, id est accidētia: Puta color candidus, in atrum, & pondus in saporem: sapor in figuram. Viderint οἱ τὰ τοιαῦτα σοφοί. Certe ego nondum decretum vidi, aut in Lateranensi Synodo, aut in Tridentina, aut vlla alia. An spes est fore, vt rei tantæ definiendæ cogatur aliqua, vt olim in Laterano, sic posthac in Laterinis, propter materiæ vicinitatem?

CAP. XVII.

De Christo seipsum manducante.

I. Alterum absurdum. Si corpus Christi sub speciebus panis carnaliter manducatur: Ergo Christus ipse suum corpus carnaliter māducasset. At hoc absurdum : Ergo & illud. Probatur consequentia. Qua supposita transubstantiatione, Quicunque comedit panem, comedit etiam corpus. At Christus comedit panem: Ergo etiam corpus. De minore Gardinerus ad obiectum 75. primæ partis, *Christum communicasse cum discipulis, etiamsi verba Scripturæ nominatim non dicant, tamen quoniam id esse verum ex sensu collegerunt Catholici, equidem libenter amplector.*

II. Et sane olim Thomas quæstione 81. art. 1. *Quidā dixerunt quod Christus in Cœna corpus & sanguinem suum discipulis tradidit, non tamen ipse sumpsit. Sed hoc non videtur conuenienter dici, quia Christus ea, quæ ab aliis obseruanda instituit, ipse primitus obseruauit. Vnde & ipse prius baptizari voluit, quam aliis Baptismum imponeret: secundum illud Act. 1. Cœpit Iesus facere & docere. Vnde & primo ipse corpus suum & sanguinem sumpsit, & postea discipulis sumendum tradidit.* Bonauentura in 4. distinct. 9. qu. 4. art. 1. *Quidam quod* Christus *nullo modo sumpsit: quia sic non competebat. Veruntamen nunc communiter dicunt, quod manducauit Sacramentaliter.* Vasques in illum Thomæ locum, *Conclusio est affirmans, in qua omnes Catholici: quos, ego legerim, plane conueniunt. Et quamuis S. Doctor dicat aliquos oppositum sensisse, tamen qui illi fuerint non memorat.* Vide in eundem locum Gregorium de Valentia, & Suarem. Item Dominicum Soto in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 1. Item Ioannem de Turrecremata in caput *Non Moyses*, de Consecr. dist. 2.

III. Hoc putatur Areopagita significare in contemplatione 3. capitis de Ecclesiastica Hierarchia, αὐτὸς ὁ τῶν συμβόλων δημιουργὸς ὑπὸ κλήρου δικαίως τῆς οὐχ ὁσίως αὐτῷ καὶ ὁμοτρόπως τὰ ἱερὰ συναγαγόντα. *Ipse signorum effector & autor, iure optimo à sorte separat eū, qui non sancte, neque concordi animo Sacramenta secum sumpserat.* Paulo tamen infirmius. Sed Chrys. disertus est in Mat. hom. 8. Διὰ τοῦτο, ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα φησὶ, τὸ πάσχα τοῦτο φαγεῖν· τοῦτ' ἔστι, παραδοῦναι ὑμῖν τὰ καινὰ πράγματα, καὶ πάσχα δοῦναι, καθ' ὃ μέλλω πνευματικοὺς ποιεῖν. Καὶ αὐτὸς οὖν πίνει ἐξ αὐτοῦ· ἵνα γὰρ μὴ ταῦτα ἀκούοντες εἴπωσι, τί οὖν, αἷμα πίνομεν, καὶ σάρκα ἐσθίομεν, καὶ θορυβῶνται τότε· καὶ γὰρ ὅτε περὶ τούτων ἐκίνει λόγους, καὶ πρὸς τὰ ῥήματα αὐτὰ πολλοὶ ἐσκανδαλίζοντο. ἵν' οὖν μὴ καὶ τότε ταραχθῶσι, πρῶτος αὐτὸς τοῦτο ἐποίησεν, ἐνάγων αὐτοὺς ἀταράχως εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν μυστηρίων· διὰ τοῦτο οὖν τὸ αὐτοῦ αἷμα ἔπιεν, *Hac de causa, Desiderio desideraui, inquit, hoc pascha vobiscum comedere, hoc est, tradere vobis res nouas, & Pascha dare, quo vos spiritales faciam. Ipse quoq; bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent Quid igitur? sanguinem bibimus? & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur: Nam & quando prius de his verba fecit, multi solummodo propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc id quoq; accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communionem mysteriorum induceret. Propterea igitur suum sanguinem bibit.* Hieronymus Epistola 150. quæ ad Hedibiam, qu. 2. *Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.*

IV. Nec Scriptura ab eo est aliena, etsi non præcise dicat Christum sumpsisse vt Apostolos, bibisse. Enimuero Luc. 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha vesci vobiscum.* Matth. 26. *Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis.*

V. Transeo ad assumptum. Et probat absurdum esse, a Christo fuisse suū ipsius corpus esitatum. Primo, quia Christus Sacramenti gratiam non accepit. At eius corporis Christi est gratia Eucharistiæ. Ergo Christus corpus suū non accepit. Probatur maior, primum ab exemplo Baptismi: cuius ille suscepit ita signum, vt tamen remissionem peccatorum non acciperet, neque Spiritum regenerationis. Deinde, quia qui per Sacramenta gratiam accipit, eā non habet à se. At quæcunque Sacramenti gratia est, habetur à Christo per se. Itaque hanc per Sacramenta non accepit.

VI. Rursus : Si Christus accepit suum corpus corporaliter, ergo habuit corpus suum in corpore suo. At hoc est absurdum. Ergo & illud: Assumptū probatur: quia si habuit corpus suum. Ergo bis habuit corpus suum. At hoc impossibile. Probatur, quia si bis habuit, ergo per numeri multiplicationē. At hoc absurdissimum: Nam quod vnum est numero, non potest in numerum multiplicari.

VII. Tertio: Si Christus accepit corpus suum corporaliter, Ergo traiecit ipsum in stomachum. At hoc absurdum. Probatur. Si Christus traiecit corpus suum in stomachum, ergo habuit totum suum corpus in vna sui corporis particula, quod est absurdissimum. Atqui Conimbricenses art. 2. qu. 5. in c. 5. 4. Physicorum, *Vndecunq; sibi ille* (quicunque duobus locis erat) *appropinquet, in eundem locum recipi nequit, quin diuersa eiusdem corporis membra sese permeent. Si enim quasi alter Ianus versus vtramq; partem, frontem haberē debeat, vtiq; iam frons per occiput meabit. Si vero ad vnam duntaxat partem, neutiquam id fieri poteris, quin dum se ad vnum, eundemq; locum occupandum insinuat, anteriores partes per alias à se diuersas penetrent.* Applica. Atqui corpus Christi, quod erat extra corpus Christi, per manducationem redibat in locum corporis Christi. Ergo oportebat partes diuersas penetrari à partibus diuersis, vt exempli gratia, palatum à naso, vt rediret in nasum : & sic deinceps : Sed hæc ratio vtrum dici possit manducatio viderint οἱ τῶν σοφιστῶν παῖδες: Ego enim non capio. Neque sane omnibus datum hanc adire Corinthum.

VIII. Thomas inaudiuerat illud absurdum de corpore Christi in stomacho Christi. Et vt solueret, *Dicendum,* inquit, *quod Christus secundum quod est in hoc Sacramento, comparatur ad locum, non secundum proprias dimensiones, sed secundum dimensiones specierum sacramentalium, ita quod quocunque loco vbi sunt illæ species, est ipse Christus. Et quia species illæ potuerunt esse in manibus & in ore Christi, ipse totus Christus potuit esse in suis manibus, & in suo ore. Non autem hoc potuit esse secundum quod comparatur ad locum per proprias dimensiones.* Et hanc solutionem mutuo sumpsit Cardinalis de Turrecremata

IX. Sed inepta solutio est. Nam obiectio ita concepta, *Nihil potest esse in seipso, nisi forte ratione partium:* Hæc, inquam, obiectio de commensuratione loci nihil habuit prorsus: sed comparatione nitebatur corporis, ad ipsum corpus. Quæ constare potest etsi loci exsulet commensuratio. Nam neque angelus potest esse in seipso : Neque adeo anima bis in eodem corpore. Quantumuis verum sit, neque Angelum, neque animam commensurari loco. Neque adeo hoc ipsum Christi corpus bis esse in pane, & bis in vino: etsi fingatur in eo semel esse, absque ea commensuratione. Ridicule ergo tantus Sophista de cœpis interrogatus de alliis respondet. Nempe igitur hoc volumus : si vbicunque illæ species sunt, est ipse Christus: & eæ species sunt in Christo? Ergo in Christo est Christus. Quod intelligitur vel identice, vt omne totum est in toto per partes singulas: quæ tamen nihil ad Sacramentum: quoniam semper Christus in Christo, vt mare in mari, terra in terra, cœlum in cœlo: & denique omnia in seipsis. Vel disparate, hoc est, alia noua ratione, & accidentaria: atque hoc est, quod sensus ipse communis horret tāquam absurdissimum: ac proinde impossibile: nisi figurate loquaris: vt cum dixit poeta, *Tecum habita:* & vulgo, *Apud se esse* : quam rationem nunquam hîc admiserint Papistæ: qui tam κατὰ τὸ ῥητὸν volunt Christum esse in manducante, quam alias panem.

CAP. XVIII.

De cibo dentis.

I. Qvicquid editur corporaliter est cibus dentis, ventrisque : At corpus Christi non est dentis, aut ventris cibus: Ergo non comeditur corporaliter. Maior patet ipso experimento, naturæque obseruatione. Christus autem etiam dixit, quicquid intrat in os abire in ventrem. Sed & Paulus prioris ad Corinth. 6. τὰ βρώματα, *Esca,* inquit, *ventri, & venter escis:* æquali reciprocatione.

II. Assumptum probant hæc Patrum testimonia. Cypriani de Cœna Domini, *Hæc in Christi commemoratione retractantur à fidelibus: & defæcatis animis carnis eius edulium non est horrori, sed honori, potuque sancti & sanctificantis sanguinis spiritus delectatur. Hæc quoties agimus, non dentes ad manducandum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus & partimur.* Augustini tract. 25. in Ioannem, *Hoc est ergo manducare cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducasti.* Cuius testimonij posterior pars descripta est à Gratiano, de Consecrat. dist. 2. canone 47. Idem Augustinus de verbis Domini serm. 33. *Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit, Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi? Nolite parare fauces, sed cor. Inde commendata est ista Cœna.* In Ioan. tract. 26. *Vt si quis manducauerit ex ipso non moriatur: sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum. Qui manducat intus non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente.*

III. Argumenti solutionem formatam vidi nusquam : sed testimoniorū, quib. minor probatur variam sollicitationem. De Cypriano Bellarminus, Declarat his verbis Cyprianus fructum Sacramenti non consistere in corpore nostro delectando, vel saginando, sed animo nutriendo & reficiendo. Non enim acuere dicuntur dentes quicunque aliquid sumere volunt per oris instrumentum: sed qui auide sumere cupiunt, vt palatum delectent. Certe qui medicamentum amarum comedere iubentur : non dicuntur acuere dentes: quia nō sumunt vt delectētur eo cibo, sed inuiti accipiunt vt sanētur.

IV. Verum est agi de fructu. Sed verum est vicissim manducationem carnis Christi esse fructum Eucharistiæ. Itaque verum agi à Cypriano de manducatione eius carnis. Quid lucri factum Bellarmine? An quia aliud nos censes credere à te dictum, cum dixisti aliter? Puerilis cogitatio est: nec te digna, nisi esses Iesuita. Hunc fructum non consistere in corpore saginando, verum: sed verum etiam non consistere in dentium officio, vnde postea sequitur sagina Itaque Cyprianum torques, qui de sagina tacens, de dentib. aperte locutus est: quos nunquam efficies vt negligamus: quantumuis tua interfit ab iis auertere lectores.

V. Sed acuere dentes dicuntur, non quicunque aliquid sumunt per oris instrumentum. Fateor: nam per oris instrumentum sumitur etiam potus, in quem dentibus nihil iuris. Itaque debuisti saltem addere manducationem. Sed non est ausus tam manifeste prodere causam suam. Sciunt enim omnes id dici de omnibus qui parant se ad aliquid manducandum. Vnde enim habet illam contradictionem, de iis qui cum delectatione? Possem non obsistere, si desiderium dixisses, & quidem vehemens. Sed delectationem palati dico esse conquisitam nimis violenter. At, inquis, non qui iubentur. Imo, inquam, etiam qui iubentur: modo ne inuiti. Nam fieri quædam à volentib. quæ tamen imperantur, nemo opinor, ignorat.

VI. Gardinerus soluit longe aliter. Primo, agnosci carnis edulium, quod digne peractum, non sit horrori, sed honori. Non posse autem horrorem esse, absque vera carnis præsentia, & exhibitione. Secundo, potum sanguinis dici sanctificare, itaque ipsam sanguinis veritatem indicari, vt ab effectu causa æstimetur. Tertio, corpus Christi appellari panem sanctum: & hunc frangi atque hoc exponi in Christo distinguere diuinitatem ab humanitate, fide sincera. Itaque illud, *non dentes acuimus*, non esse officij dentium reiectionem, sed fractionis quæ dente fiat, ab ea quæ fide distinctionem: illam signum, hanc esse signatum. Et horum comparatione dentis officium extenuari: vt cum regnum Dei esse dicitur non in sermone, sed in virtute.

VII. Laboriosa hæc, atque intricata solutio est, denique etiam nihili. Carnis edulium, atque horrorem ipsi legebamus, vt non opus fuerit moneri à Gardinero: sed qui scimus edere in hoc toto argumento sumi metaphorice, non poteramus mirari edulium inde dici, eodem sensu. Horrorem esse nullum absque carnali carnis præsentia, & exhibitione, facile concedimus. Sed & vicissim docuimus non posse eandem carnalem præsentiam, exhibitionemque esse absque horrore. Itaque negato horrore, necessarium esse dicimus negari carnalem illam præsentiam, exhibitionemque. Quare ridemus affatim acumen sophistices, quæ quia nullus sit horror, concludat esse ergo talem præsentiam: quasi qui dato nullum esse diem, concluderet Solem esse exortum. Tam norunt magnifice consequentias suas nectere Papistæ.

VIII. Potum sanguinis Christi sanctificare, bene, vere, pie dictum Cypriano. Nec veritatem sanguinis hoc ipso negarim indicatam. Nam quis sanguinis spectrum cogitauit inducere? Sed nimirum Papistice veritatem dixit Vintonienſis Episcopus pro carnalitate. Verum hæc iterum consequentia cachinnos excitat. Et, vt ab effectu moris est causam æstimari, efficit vt cogitemus quantæ stupiditatis sit Papisticus error, à quo talia oriantur consequentiarum portenta. Nos contra potius dicimus, quia loquatur Cyprianus de potu sanctificante: Ergo non loqui de carnali illo somnio, à quo nemo sit vnquam sanctificatus.

IX. Christi corpus appellari sanctum panem nego. Et hunc panem frangere esse idem cũ distinguere diuinitatem ab humanitate, nihil ad me, nihil ad rem. Est enim aliud dentes acuere, aliud panem frangere. Et quanquam panem frangi certum sit, ne Papistis quidem contradicentibus: tamen nihil vetat id sumi allegorice.

X. Ea phrasi distingui fractionem quæ dente fiat, ab ea quæ fide fit, concedo: sed ita vt negetur ambabus locum esse in eadẽ re, id est, corpore Christi: quod nostrum argumentum est. Et hactenus etiam verum non reiici officium dentium, sed extenuari: nimirum quoniam in Eucharistia dentes sint necessarij propter signum: quod quia à nobis non appetitur propter se, sed propter aliud, ideo recte monemur non subsistere in eo. Verum si copus Christi dicas, omnino necesse est non tantum extenuari, sed omnino reiici officium dentium: nimirum quia explicetur per allegoriam. Vt cum Christus fermentum esse doctrinam Pharisæorum, tum non extenuauit vsum fermenti, sed omnino reiecit, id est, docuit se nullo modo loquutum esse de fermento proprie dicto. Ita nunc sane: quoniam fractio corporis Christi, explicatur distinctio humanitatis & Deitatis, omnino illud, *dentes non acuimus*, significat nullum in eo officium esse dentium.

XI. Hactenus de Cypriano. De Augustino primo loco Bellarminus respondet c. 7. lib. 1. Augustinum agere non de Sacramento, sed de fide incarnationis Rationem addit: Nondum enim peruenerat ad locum Euangelij vbi agitur de Sacramento.

XII. De fide Incarnationis quid hoc sibi vult? An incarnationem nominat tanquam peculiarem articulum? Exempli gratia, vt cum credidit Eutyches incarnationem, etsi non crederet in confusas naturas? Hoc vero falsissimum commentum est. Nihil enim Augustinus eo loco habet de incarnatione magis quam de omnipotentia, aut resurrectione, aut aliis articulis. Non magis, inquam, quam Christus ipse de Incarnatione egit seorsim in ea concione. An ergo generalius, vt cum fidem Christi dicimus, eam, quæ etiam credat in Deum Patrem, & Deum Spiritum Sanctum? quomodo statim, atque adeo eodem contextu leges, *Sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi, & non sunt bona?* Hunc ego sensum admitto. Nam reuera Augustinus versatur in exponendis his Christi verbis, *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* Sed hoc modo quid pertinet ad argumenti solutionẽ? Nam hæc ipsa fides est, quæ comedit carnem Christi in Eucharistia: & cõedit absque vllo dentium apparatu, vt nos volumus.

XIII. Atqui, ait, nondum Augustinus peruenerat ad locum de Sacramento. Imo, inquam, peruenerat ad locum de re Sacramenti, atque eatenus etiam de Sacramento Nam, ne nescias, non fuit Augustinus ex his postremis Papistis, qui concionem illam eius capitis misere discerpserunt, vt aliam in ea manducationem somnient ab initio, & aliam in fine. Sed fuit inter Veteres Catholicos, qui totam concionem interpretati sunt de vna & eadem manducatione carnis Christi: vt suo sumus loco plenius explicaturi: Cuius manducationis Eucharistia Sacramentum est. Itaque sensus est, eam ipsam manducationem, quæ fit in Eucharistia: manducationem, inquam, ipsius carnis Christi, non fieri opera dentium. Vnde nobis tuta conclusio, non esse corporalem, carnalem, Capernaiticam, Papisticam.

XIV. Nugatur prolixius Petrus de Bollo. Primo ab Augustino explicari Euangelium allegoricos. Atqui ex solo sensu literali trahi efficax argumentum. Secundo, proponere leuamen eorum, qui vel repentina morte, vel diris simis morbis affecti, vel inter fidelium cruciatus, vel propter tyrannorum minas sacramentaliter & realiter recipere non possint corpus Christi: nam his solam fidem opitulari, vt scilicet credant, quod vere & realiter sub speciebus panis & vini subsistat corpus, & ita fieri participes non minus quam si faucibus deglutissent: Tertio, explicandum Augustinum per Augustinum, cuius hæc sunt tractatu vicesimo septimo in Ioannem nimirum circa finem commentariorum in illud 6. caput: *Hoc totum quod Dominus de carne sua, & sanguine suo locutus est, & quod in eius gratia vitam nobis promisit aeternam: & quod hinc voluit intelligi manducatores & potatores carnis & sanguinis sui, vti in eo maneant, & ipse in illis: & quod non intellexerunt, qui non crediderunt: & quod spiritualia carnaliter sapiendo scandalizati sunt: Et quod eis scandalizatis, & pereuntibus, consolatio Domini affuit discipulis qui remanserant, ad quos probandos interrogauit, Nunquid & vos vultis ire? vt responsio permansionis eorum innotesceret nobis, nam & ille nouerat, qui manebant. Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, vt carnem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali: sed vsque ad spiritus participationem manducemus, & bibamus: vt in corpore Domini tanquam membra maneamus, vt eius spiritu vegetemur: & non scandalizemur: etiam si multi modo nobiscum manducant & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine aeterna tormenta.*

XV. Mirarer artificium: si nunc primum mihi noti essent Papistæ. Allegoricæ interpretationis mendacium est apertum. Neque enim est quicquã, quod allegoriam redoleat. Deinde etiam si daremus esse allegoriam: tamen ineptissime locutus est Sobornicus doctor. Nos enim non ab allegoria ducimus argumentum, id est ab Scriptura per allegoriam explicata: sed ab ipsa explicatione: id est ab Augustini mente: imo etiam disertissimis verbis. Vt si quis verbis Christi iubentis vitari doctrinam Pharisæorum inhæreret aliquid probaturus, etsi hæc explicent allegoriam fermenti: tamen nullo modo argumentatur ab allegoria. Itaque nihil lucratus est doctor Sorbonicus, nisi vt ostenderet se nescire quid sibi velit, non esse ab allegoria certum argumentum.

XVI. De ægrotis, aut in martyrio tyrannideve positis, verissimum est. Iis nempe leuandis studere Augustinum. Nimirum, quoniam ex ea manducatione Christi quæ fit absque dentium ministerio, ingens consolatio redeat ad omne genus homines: tum ægrotos, tum sanos: tum in martyrio luctantes, tum in pace positos. Verum ridiculus Sorboniſta sperat persuasum iri id esse obiectum adæquatum, vt loquuntur, Augustini, quasi ad sola eorum hominum genera dictum sit, ne parent dentes, & ventrem: quod nemo crediturus est cordatus, cui vel tantum lectus sit locus, in quo neque morbi, neque tyrannidis, neque martyrij vllum est vel vestigium.

XVII. Tum autem quid hoc est leuaminis? Vt credant vere & realiter sub speciebus consistere corpus & sanguinem. Audacter vt omnia, sed nunc quid ad me: Nunc, inquam, cum ago non de præsentia reali, sed tantum de manducatione: Atqui manifesta res est: si manducare corpus Christi, est credere ipsum cõsistere realiter sub speciebus: Ergo manducatio corporis Christi non est carnalis: quod nunc contendimus. Consequentia certa: quoniam fides nihil ad dentes, & os, & stomachum.

XVIII. Superest postremus conatus, de interpretatione petenda ab ipso Augustino. Optimum sane consilium. Sed nouo quodam fato consultori pessimum. Nam quid habet Augustinus? Manducatores carnis, & potatores sanguinis. Audio. Sed qui non carnaliter intelligant: ac proinde nec carnaliter comedant. Nam hos diserte distinguit Augustinus, ab iis qui scandalizabantur, corporaliter intelligentes. Tales ergo potatores, tales manducatores voluit, quales & nos volumus: quales Papistæ nolunt. Rursus: qui edant & bibant non tantum in Sacramento, sed vsque ad spiritus participationem. Recte quia manducatio corporalis hæret Sacramento: neque vlterius progreditur. Significant ergo hæc verba geminam manducationem necessariam esse in Eucharistia rite celebranda, vnum corporalem, quæ hæret Sacramento externo, id est pani: alteram spiritualem, quæ obiectum habet corpus Christi. Itaque noster est Augustinus etiam hoc loco, & sibi vbique pulcre consentiens.

CAP. XIX.

De non manducando ipso corpore Christi.

I. QVicquid comeditur corporaliter, ipsum per se comeditur. At corpus Christi ipsum per se non comeditur. Ergo neque corporaliter comeditur. Maior patet ex sensu communi. Nam opponuntur per se, & per aliud. Et per se comedi, significat, cum quid in seipsum recipit actionem esitationis: vt panis, vt carnes, vt reliqua. Per aliud autem contra, cum non est ipsũ subiectum eius actionis. Sic potest vinum manducari: sed non per se: verum per aliud, nempe in pane macerato. Sic musca bibi, si sit in vino. Nam alioqui falsum, aut vinum per se manducari, aut muscam per se bibi.

II. Assumptio est ab Hieronymo apud Gratianum de Consecrat. distinct. 2. c. 76. *De hac quidem hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet: de illa vero, quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se nulli edere licet.* Item ab Augustino in Psal. 98. *Spiritualiter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quẽ fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendaui vobis: spiritualiter intellectum viuificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari oportet tamen inuisibiliter intelligi.* Recitantur hæc verba à Gratiano c. 44. & 45. dist. 2. de Consecratione.

III. Hîc Papistæ primum negant agi contra realitatem. Gardinerus obiecto 220. part. 1 Eodem in loco habet Augustinus, Christum carnem quam assumpsit ex Virgine, dedisse manducandam. Vnde veritas rei datæ in Sacramento manifeste constat. Quod nec Bellarminus omisit, tantum postremo posuit loco, Verum, inquit, corpus Domini sumi in Eucharistia, ibidem docet, cum ait, esse ipsam carnem, in qua Dominus ambulauit: & à nemine manducari nisi prius adoretur.

IV. Atqui nunc disputatio est non de realitate: sed de carnali manducatione. Non est autem consequens, si realiter adsit, ideo carnaliter manducari carnem Christi. Itaque si maxime eam probasset realitatem Augustinus tamen hæc verba recte opponerentur carnali manducationi. Sed enim realis præsentia, quanquam præsentiam non dixit Augustinus: sed realis præsentia, necessario est in manducatione spirituali: vt postea dicam: sed ipsa

etiam

etiam spiritualis non enim contradicunt spirituale & reale. Nisi forte cum dixit Christus, se cibum esse dandum à Patre: quod ne aduersarii quidem negant dictum de spirituali manducatione, quis velit ita intelligi vt nihil reale Pater fuerit daturus.

V. Cæterum illud quod obiiciunt, neminem manducare, nisi prius adoretur, pro nobis certe obiiciunt contra se ipsos: Inde enim constat Augustinum intellexisse spiritualem manducationem, de qua sola id verum est. Nam in corporali, certe vt mittam hypocritas, qui quotidie sic dicuntur sumere: saltem canes & porci non adorant: & tamen tam realiter dicuntur comedere, quam quisquam sanctissimorum Quare de eo genere manducationis mentitus esset Augustinus. Quod neque aduersarii admittant in tam laudato teste: neque nos facile toleremus.

VI. Quomodo igitur soluunt? Iam olim Iuo Carnotensis Epistola 284. quæ ad Haimericum, *Dixisti te hærere in quibusdam verbis beati Augustini*: tum recitatis his quæ nunc præ manibus. *Quod sic*, ait, *conuenienter intelligi potest: quia ipsum est, & non ipsum. Ipsum quidem materiali essentia, sed non visibili forma.* Hanc explicationem amplexus est Lanfrancus contra Berengarium. Sed & Gratianus cap. 45. de Consecratione dist. 2. & quidem non sine fraude, vno contextu, quasi esset ipsius Augustini.

VII. Hac rima se nunc euasuros sperarunt omnes nostri Papistæ. Gardinerus ad Hopperi articul. 9. In illa antithesi nihil aliud quam distinguit visibile ab inuisibili: manifestum ab occulto: apparens à latente: sensibile, ab intellectuali: speciem propriã à figura aliena: quia non accipimus in mysterio corpus visibile, sed inuisibile, non manifeste secundum carnem carnaliter præsens, sed arcano & spirituali modo, & præsens & datum: non corpus apparens, sed latens: non quod sensus sentiant, sed quod intellectus dono fidei illuminatus intelligat: non specie & effigie corporis propria, sed sub figura, id est specie panis. Bellarminus, voluisse Augustinum dicere, non idẽ corpus manducandum, id est non eodem modo. Nam corpus in specie mortali & visibili aderat tunc præsens, comedendum autem erat in aliena specie, & impassibiliter ac inuisibiliter se habens.

VIII. Videro statim quibus hoc somnium confirment argumentis. Nunc solutionem placet considerare. Et dico esse extra rem. Nam argumentum erat à manducando corpore per se. Atqui eo non pertinet distinctio visibilitatis: & quæcunque in eam rem multiplicantur vocabula. Nam exempli gratia, possunt inuisibiliter sumi ea quæ per se. Etenim venenum in calice propinatum omnes sensus fugit: non minus quam caro in specie panis. Et tamen venenum in calice sumitur per se, bibitur quidem forrasse per aliud, nimirum dilutum humido multo: sed sumitur tamen per se, quia per suam materiam, vt aliter in pilulis, etiam deauratis. Atqui argumentum fuit non de sumendo quocunque modo, sed comedendo per se corpore.

IX. Sed ipsa interpretatio quam violenta! quam inusitata! Non hoc corpus quod videtis, vt sit hoc corpus non quale videtis. Quis enim nescit hoc genus pronominum non qualitatem designare, sed ipsum subiectum qualitatum? Discant à seipsis si possunt aduersarij. Quid enim illud quod legunt, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, apud Paulum, ausitne quisquam eorum interpretari, quale est cum frangitur videlicet in cruce? Ioannis 10. *Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat.* Dic nonne hic est talis qualis sedebat: quid erit sani? Nam cœcus sedebat: tum erat oculatus: itaque non talis Act. 3. *Agnouerunt eum esse, qui ad eleemosynam sedebat.* Ergone talem, qualis sedebat? Nono, *Hic est qui populatus est in Hierusalem eos qui inuocabant nomen istud.* An talis? Minime, sed mutatus. In confessione Berengarij legis: Panem & vinum quæ in altari ponuntur post consecrationem esse verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Eja, Papistæ, dicite, si audetis panem & vinum qualia in altari ponuntur esse corpus & sanguinem. Nam & nos γέγονε saltem mutata agnoscimus: & vos etiam amplius substantia. Possum vos infinitis exemplis obruere? si res esset tanti.

X. Tum autem illud Hieronymi *secundum se*, non potest pati hanc impostura. De ea, inquit, hostia, quæ est in cruce oblata, non licet edere secundum se. Secundum accidentia diceret: si eam quidem, sed alteratam intelligeret. Nam profecto caro illa in macello edita secundum se editur, etiam si cocta, non est talis, qualis erat. Et ne longe abeam, species ipsæ si credimus Papistis, tam sunt mirifice alteratæ, vt subsistant per se: qualis mutatio caret omni exemplo: Et tamen tam comeduntur secundum se, vt per eas corpus illud, quod fingunt sub iis latitare, dicatur conteri dentibus.

XI. Præterea, si non tale est manducatum, quale erat: Ergo non est manducatum mortale. At hoc absurdum: Ergo & illud. Consequentia patet: quoniam tunc cum distributa est Apostolis Eucharistia, Christus habuit carnem passibilem: & non impassibilem. Assumptum autem probatur, primum ex verbis Christi, *Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur.* Deinde, quia absurdissimum sequeretur Christo fuisse eodem tempore corpus passibile, & impassibile. Innocentius tertius c. 12. *Incredibile iudicatur, vt secundum eandem naturam simul esset mortalis, & immortalis.* Sed & Thomas artic. 3. q. 81. part. 3. *Tale corpus tunc dedit discipulis, quale habuit. Habuit autem tunc corpus passibile & mortale. Ergo corpus passibile & mortale discipulis dedit.* Iuo Carnotensis Epistola 284. *Stresponde atur, discipulos Christi corpus tale accepisse, quale tunc erat, nos vero tale accipere, quale nunc est, non video quæ auctoritas contradicat.* In quibus verbis non tantum assumptio nostra probatur: sed etiam axioma stabilitur oppositum ei enuntiato quod impingunt Augustino: Non tale corpus accepturi estis, quale videtis. Nam isti contra: tale datum quale erat: Ergo etiam quale videbatur. Non enim videbatur quale non erat.

XIII. Huic respondet Bellarminus argumento, quod erat oppositum à Martyre. In vltima Cœna corpus datum discipulis fuisse mortale, sed datum illis modo immortali, & impassibili: vt enim erat sub specie panis, lædi non poterat, licet alioqui in propria forma pati & mori posset.

XIV. Nugæ. Nam quem appellat modum illum quo datus est Apostolis: Ipsiusne corporis, an ipsius donationis? Vt exempli gratia, alius modus est Christi visi, alius Christi tacti, id est quo videtur & tangitur: quanquam non sit alius & alius Christi ipsius. Et rursus alius erat modus Christi infantis, & Christi adulti, etiamsi videri posset eodem modo. Quomodo ergo modum Bellarminus suum intelligit An ipsius donationis, non autem Christi? Mitto dicere, quam absurde dicatur modus donationis incorruptibilis, & immortalis: sed hæc solutio esset extra rem. Nam in verbis Hieronymi & Augustini, de quibus nunc quæstio de ipso corpore agitur, non de donatione. De illa hostia, inquit ille, quæ oblata in cruce: Hoc corpus, inquit iste, quod videtis. Atqui hæc hostia, hoc corpus longe sunt aliud, quam hæc donatio, siue hæc sumptio hostiæ, siue corporis. Nam si non esset aliud corpus, & donatio siue sumptio corporis absurdum sequeretur, ipsum corpus esse hypocriticum, quoniam aliquando sumptio est hypocritica, quod est horribile. Quare ἀπροσδιόριστος solutio.

XV. An igitur modus corporis? vt cum alio modo sumitur caro ex macello, alio ex olla: illa enim cruda, hæc vero cocta. Ergo eodem tempore aliter & aliter se habuisset corpus Christi ad seipsum. Imo contrarie: nam passibilitas & impassibilitas, cum sumuntur pro modis eiusdem rei, sunt in eõ tradictioriis: quæ simul esse non possunt Itaque conceptum ab Innocentio, *Incredibile iudicatur vt secundum eandem naturam simul esset mortalis & immortalis.*

XVI. Denique modum rei cum oporteat dici rei ipsius ad se comparatæ, non ad aliud, necesse est vno eodemque tempore vnicum esse rei modum, non plures: alioquin res ipsa differret à seipsa. Quod secus est de modis rei comparate ad alia. Vt eadem auis infra cœlum est, & supra terram: nunquam autem superior, aut inferior seipsa. At impassibilitas, & passibilitas, modi sunt rei, non comparatæ ad aliam: sed ad se ipsam. Itaque non possunt eidem corpori eodem tempore tribui. Nam & ipsi Papistæ in suis illis disputationibus de Vtopia, & Polytopia, sic distinguunt, quæ affectiones dicuntur secundum locum, posse alias & alias esse, & ideo Christum potuisse simul & semel affixum esse cruci, nimirum in Caluaria: & non affixum, videlicet in ciborio. Hoc enim casu negant valere concomitantiam. Sed quæ affectiones sunt absolutæ, & in reipsa, eas negant diuersas esse posse, puta posse vnum eundemque Iesuitam in Iaponica ægrotare, & Romæ eodem tempore plena sanitate gaudere. Imo si esset Romæ ad ignem magnum: & in Iaponica in gelu, tum vtrobique futurum tepidum. Nimirum quia aliud sit esse in igne, aliud calefieri. Illud affixum loco, hoc vero corpori ipsi. Itaque quia non est idem locus Roma, & Iaponica, posse Romæ Iesuitam ad ignem esse: minime vero in Iaponica. Sed si calefiat Romæ, non posse non calefieri in Iaponica, quia videlicet, non sit aliud & aliud corpus, vt alius & alius locus Cum ergo Romæ ad ignem calefiat, & in Iaponica ad gelu frigefiat, vnum idemque corpus, necesse viderunt misceri qualitates: & inde tepidum fieri. Hæc illi subtilissimo primi omnium, qui in orbe philosophi fuerint, excogitarunt acumine: magnam meriti laudem ab schola Papistica, & certum de hæreticis triumphum, quibus ab hac noua philosophia necesse est imparatissima esse ingenia. Sed vt ad rem redeam, subit mirari, quomodo à se tantopere discedant, vt qui dixerunt oportere eundem Iesuitam constituturum in tam disparatis locis, tamque contrariis circumstantiis, non posse esse calido, simul & modo frigido: Nunc iidem asserant, idem corpus in mensa passibile, in speciebus impassibile, non habere tamen se modo quodam medio: neque passibile neque impassibile, vt neque frigidum, neque calidum. Quanquam possunt & alia accidere non minus mira. Nam si eundem Iesuitam contingeret apud Iapones instar quadraginta martyrum, pro Ignatij nomine expirare (qui sumus est Catholicissimus: non minor credo quam cum pro imaginibus olim) expirare, inquam, eum qui Romæ ad ignem ingentem: tum quæro vtrum quemadmodum inter calorem & frigus: sic medio quodam gradu esset inter mortem atque vitam: neque Romæ neque in Iaponica martyr: neque enim credo, à tempore eadem mors, quæ à gelu. Sed, puto, non sunt hæc ad viuum resecanda: & expectandum, dum diligentius expolita recens Philosophia, omnibus incommodis sui mederi discat: vt hodierni Astrologi exspectant aliquid certius de motu trepidationis.

XVII. Redeo ad rem: vnde me aliquantulum abduxit nouæ subtilitatis admiratio, Examinatum eo ea argumenta, quibus disputarunt mihi Sophistæ sic interpretandum Augustinum. In quibus hoc esto Gardineri primum. Quum ita loquitur Augustinus, *non hoc corpus quod videtis comesturi estis*, annon ipsa locutionis phrasi significat corpus dari vere comedendum, sed non hoc quod videtur dari? Eam enim vim & emphasin habent illa verba, *Non hoc corpus quod videtis*, vt insinuent, aliud corpus quod non videtis comesturi estis. Nam vbi nullum datur cõedendum, ridicule dicitur, Non hoc quod videtis, vt rem non subsistentem conetur distinguere. Non enim cauillatur Augustinus: sed serio loquitur in re maxime seria, & dum corpus quod videtur, non dari comedendum dicit, aliud id est, qualitate diuersum corpus dari omnino fatetur. Iam vero quum sit absurdum cogitare ab Augustino significari gemina Christi corpora fuisse: illud aliud corpus quod datur comedendum, substantia vnum cum hoc quod videtur, credamus, licet propter alias qualitates possit dici aliud. Contra ho meo more. Quisquis dicit corpus Christi aliud ab eo quod videbant discipuli, manducandum: is dicit manducandum, non tale, quale videtur. At Augustinus dixit Christi corpus aliud ab eo quod videbant discipuli, comedendum. Ergo dixit comedendum non tale, quale videbatur. Maior probatur, quia vnum sit duntaxat corpus Christi, non plura. Minor probatur. Quisquis dicit non hoc Christi corpus manducandum, significat aliud manducari corpus Christi. At Augustinus illud dixit. Ergo hoc

XVIII. Nihil est in diluendo laboris. Negatur minor prioris syllogismi: nimirum, Augustinum dicere aliud Christi corpus ab Apostolis manducandum. Quoniam ille tantum dicit, non hoc corpus manducaturos quod viderent. Imo, inquit, hoc ipso significauit aliud manducaturos. Falsissimum, inquam. Doceo exemplis in oppositum. In Andria, *Te obtestor, ne abs te hanc segreges.* An ergo vt aliam? Nugæ. Rursus, *Nempe huic prorsus illam non dat.* Scilicet alteri daturum, inferes necessario? Tertio, *Hæ nuptiæ non apparabantur mihi.* An igitur aliæ? imo idem statim, *Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare* Hecyra, *ille reuiuiscet iam nunquam.* Nempe de eo negabat, quod futurum putaret de alio Similiter Matth. 26. *Non bibam ab hoc tempore, ex hoc fructu vitis, vsq; ad diem illũ:* an quia de alio? Sit videlicet absurdissimi Sophistæ sunt, cũ se putãt esse subtilissimos. Et ita speraruntolim se nobis imposituros, cũ dicerẽt peccatũ in Spiri-

Spiritum Sanctum non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro. Ergo aliquid aliud remittetur in futuro. O impostores vt antiquum obtinetis: neque vestra interest, ex quo ligno Mercurium faciatis!

XIX. Secundo alia ratione falsum, si negetur hoc corpus Christi comedendum ideo sequi aliud corpus Christi comedendum. Quid enim prohibet dicere, Ergo aliud corpus comedendum: Aliud, inquam, corpus: non autem aliud corpus Christi: Videlicet hoc sensu: Non estis manducaturi hoc corpus quod nunc videtis: sed aliud quoddam corpus, quod non videtis, nempe panis. Quæ vere mens est Augustini: quam vident quidem Sophistæ: sed profecto singunt non videre. Certe propterea Augustinus primo, non dixit, Non hoc corpus meum, siue Christi, quod videtis: videbat enim, & vsu communi tubaudiri posse in aduersaria parte: Ergo aliud corpus Christi: sed dixit, non corpus, quod videtis: vnde nulla necessitas postulat intelligi aliud, quam, Ergo aliud corpus, quod non videtis. Secundo addidit, *Sacramentum aliquod commendaui vobis*: significans fore vt manducarent oraliter non corpus Christi, sed eius corporis Sacramentum.

XX. Aliud eiusdem argumentum. Si sensisset Augustinus Eucharistiæ mysterium ex panetriticeo, & corporis Christi figura constare, quomodo isti figuratores contendunt: ita fecisset loquentem Christum, Non meum corpus comedetis, sed signum corporis, quia solam figuram vobis commendaui: sed quemadmodum signum & figura naturali alimento reficiunt corpus: ita ego mei corporis virtute reficiam vos.

XXI. Quo autem sensu nominatur panis triticeus, & corporis Christi figura? An veluti duæ partes integrales, siue duo termini relationis Sacramentalis? Viderit quosnam figuratores appellet. Certe si nos, aperte calūniatur. Nunquam enim hæc nostra fuit sententia, qui semper & ingenue & & constanter confessi sumus Eucharistiam duobus constare, duobus confici, Sacramento, id est pane, & re Sacramenti, id est corpore Christi.

XXII. Sin autem συνωνύμως, designent vnam eandemque rem, ita vt panis triticei sit ἀντίτυπος figura corporis Christi potest tolerari, dum Eucharistiæ mysterium nominet pro altero relationis Sacramentalis termino, videlicet sensibili, cui proprie Sacramenti nomen competit, ex ea definitione vnde dicitur sacræ rei signum. Nam profecto non potest hac notione Sacramentum constare ex duobus. haud magis quam pater ex Abrahamo & Isaaco: Maritus, ex Isaac & Rebecca. Itaque sana illa & vera sententia est, quæ dicit Eucharistiæ mysterium, siue Sacramentum, id est, eam partem quæ signum est, constare tantum ex pane & figura corporis Christi.

XXIII. Sed & eo concesso antecedente, verum est consequens. Atqui adeo sic Augustinum dixisse persuasissimum habemus. Sic, inquam, quomodo Gardinerus expressit: *Non meum corpus comedetis, sed signum corporis.* Nam etsi totidem non sint syllabæ: tamen syllabarum ea virtus est. Etenim, quod corpus meum Gardinerus dixit, Augustinus expressit, *Hoc corpus quod videtis*: vt Act. 1. *Hic Iesus qui sursum receptus est.* Reliquum autem est in necessaria consequentia Nam quia manifestum est Eucharistiam esse manducandam: & eandem duobus constare nempe signo, & corpore Christi: profecto qui negat corpus Christi esse manducandum (nempe oraliter) idem dicit solum signum manducandum. Idem confirmant sequentia: Sacramentum commendaui vobis quod necesse est visibiliter celebrari: sed oportet spiritualiter intelligi. Nam visibiliter celebrari est oraliter comedi: itaque manducationem istam oralem docet propriam esse Sacramento, id est signo: At inuisibilem intelligentiam rei significatæ. Quare Gardinerus incōsiderate pro argumento obiecit idipsum, quo nos nitimur argumento.

XXIV. Non habet Gardinerus plura Bellarminus vnicum. Apostolus 1. ad Corinth. 15. *Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum*: vbi similiter intelligit, non idem corpus humanum mori & seminari, in sepulcro, quod postea resurrecturum est: non quod non idem sit corpus numero futurum: sed quia non idem quoad qualitates. Ambrosius 2. de Pœnitentia c. 10 refert, quendam dixisse, *Ego non eum ego*: quia mutauerat vitam & mores. Hieronymus in primum ad Ephesios, dicit aliam esse carnem in Eucharistia, aliam fuisse in cruce, etsi euidenter ponat in Eucharistia veram carnem, & eandem cum ea, quæ in cruce. Denique Lucæ 24. Dominus, *Hæc loquutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum.*

XXV. Respondeo, hæc omnia exempla valde esse dissimilia. Postremum certo non intelligo quam vim habeat. Non enim si illa Christus diceret cū præsens esset, sequitur eundem alium & alium fuisse: sed tantum diuersis temporibus ipsum fuisse. Concedo equidem fuisse alium tum cum diceret, quam postea fuerit, cum non esset cum eis: sed nego id consequi ex vi verborum: quam nos hîc quærimus.

XXVI. Porro in nullis exemplis habes eandem phrasin, quam vsurpauit Augustinus, *Non hoc corpus*: sed alias, quæ non idem pollent. Neque enim dixit vnquam Paulus. Hoc corpus quod sepelitur non resurget: etsi dixerit nudum granum seri, non id corpus quod futurum sit. Etsi de grano & dixerit & vere dixerit non id seminari, quod futurum sit: nam re vera numero, ac proinde substantia differunt, granum seminatum, & id quod postea prodit: alioquin nulla multiplicatio esse quiret. Porro quæstio quam Paulus explicabat pertinebat ad qualitatem, verba diserta fuere, *At dicet aliquis quomodo suscitantur mortui? ποίῳ δὲ σώματι Quali autem corpore prodeunt?* Itaque nunquam dixit (repeto enim libens) non hoc corpus resurrecturum: sed volebat ex ea granorum similitudine concludi: non tale resurrecturum, quale est sepultum.

XXVII. Ambrosij illud, *Ego non sum ego*, primo manifeste figuratum est, neque quisquam auderet explicare, Hic non est hic, siue iste non est iste. Videlicet, quia Hic, siue iste, non individuum duntaxat designat, sed in tempore præsenti: itaque sensum oporteret esse: Iste qui nunc est, non est iste qui nunc est: quod est absurdissimum, & præter omnem mentis conceptum.

XXVIII. Hieronymum primo cur contraxerit Iesuita ad Eucharistiam, nulla fuit causa. Nam ille nullo eam aut expressit nomine, aut signo indicauit. Est enim sic locutus, *Dupliciter sanguis Christi, & caro intelligitur: spiritualis illa atque diuina, de qua ipse dixit, caro mea est vere cibus, & sanguis meus vere est potus: &, Nisi manducaueritis carnem meam, & sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam æternam. Vel caro & sanguis, quæ crucifixa est, & qui militis effusus est lancea*: Nam etsi hos locos nolunt Sophistæ latius patere, quam ad Sacramentum, tamen non propterea Hieronymus illis ita est vsus. Sed hoc ad hanc nostram rem non est magni momenti. Istud maioris: Dupliciter intelligi carnem Christi, non eo dici, vt sit re vera duplex caro Christi: sed vt notione diuersa dicatur: id est, non vt disparetur res à seipsa, sed vt distinguatur homonymia vocabuli. Ast in Augustino, nulla est homonymia vocabuli: sed ipsa rei designatio. Patet, quoniam non opponat vocabulum vocabulo: siue corpus corpori: sicut Hieronymus carnem carni: sed corpus Sacramento, quæ duo re differunt, nec minus sono.

XXIX. Præter hæc Gardineri, Bellarminique argumenta Gregorius de Valentia collegit tria § 21. punct. 1. quæst. 3. disp. de Eucharistia. Vnum, quia disputet Augustinus contra carnalem cogitationem Capharnaitarum, *Qui carnaliter*, inquit, *putauerunt, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis.*

XXX. Et hoc quidem verū, quod ipsa lectio indicat: sed quomodo inde conficiatur necessaria illa Papistica interpretatio, nimis stupide neglexit ostendere. Nam quis ferat dicentem, Egit contra Capharnaitas: Ergo intellexit non hoc corpus: Quoniam scilicet, sublata ipsius manducatione, vna eademque opera tollitur illa laniatio. Quis enim non videt in hanc formam argumentatos esse Caphernaitas? Omne corpus carnaliter manducandum est. At secundum Christum, eius corpus carnaliter est comedendum. Ergo idem laniandum est. Christum ergo Augustinus introducit negantem assumptionem, his verbis, *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis.*

XXXI. Alterum Gregorij argumentum. Quoniam alioqui locus hic Augustini etiam repugnaret Caluinistis, qui affirmant corpus ipsum Christi secundum se comedi oportere, licet non nisi modo imaginario.

XXXII. Magnas vero gratias debemus Iesuitæ solicito ne nobis non bene conueniat cum Augustino. Macte noua hac bonitate. Num quod Caluinistas calumniaris condonabimus reliquiis morbi Iesuitici. Verum eheus tu, frustra cibi ea sollicitudo animum inuasit: atque vt scias, te nullo egemus mediatore, vt nos in gratiam reducas cum tanto viro. Neque nunc aut ille nobis contrarium dicit, aut nos illi. Christi nos carnem credimus per se esse manducandam, sed non sine distinctione. Nam manducari vel carnaliter dicimus, vel spiritualiter Carnaliter manducandam per se nunquam aut dictum nobis, aut creditum: sed tantum per aliud, neque in Sacramento, id est per panem. Spiritualiter vero & credimus, & profitemur manducandam per se: non enim per panem. Et hanc nos Augustini sententiam esse pro certo habemus: teque alio detorquentem accusamus *παραπλωσίας*.

XXXIII. Tertium argumentum. Quia tract. 94. 95. similiter interpretatus sit illa Christi verba, *Iam non videbitis me*, Ioannis 16. id est ordinario modo, quo iam vobiscum versor.

XXXIV. Sed violentam hanc Augustini interpretationem facile quiuis deprehenderit. Nam si illud *Iam non videbitis me*, significat videbitis me mutatum, quid illud dicemus paulo post eodem capite, *Modicum & iam non videbitis me: & iterum modicum & iam videbitis me?* Quid hoc inquam, est? Omnes sane intelligunt, de morte, & paulo post sequuta resurrectione Ipse Augustinus tract. 10. *Post paulum enim passus est, & non viderunt eum, rursus post paulum resurrexit, & viderunt eum.* Audin? surrexit & viderunt eū? Quomodo resurrexit? Talisne: qualis erat mortuus? An potius mutatus, & immortalis factus? Ergo igitur viderunt non ordinario modo, quo iam cum suis versabatur. At qui hoc ipsum dicebat Augustinus non videre eum, *Quid ergo est, Ad patrem vado, & iam non videbitis me: nisi quomodo sum cum vobiscum sum? Tunc enim erat mortalis in similitudine carnis peccati, qui esurire poterat, atq; sitire, fatigari atq; dormire. Hunc ergo Christum, id est talem Christum, cum transisset de hoc mundo ad Patrem non erant iam visuri.* Itane? qualis ergo ad Patrem ibat? Et tamen, *Ad Patrem vado.* Debuit in tuam gratiam Augustine, *Ad Patrem non vado*, non enim idem vadebat, qui tunc erat. Sed nos ipsi potius credimus Christo, qui non id tantum, sed etiam paulo post, *Et iterum modicum, & iam videbitis me.* Vnde certum fecit eos se visuros, qui tamen viderent non amplius in similitudine carnis peccati: non amplius esurientem, sitientem, fatigatum, dormientem.

FINIS.

DANIELIS CHAMIERI

PANSTRATIA CATHOLICA

SEU

COMPLETA

AC

CONTROVERSIARUM

LIBER FUNDAMENTALIS ADVERSUS

SYNTAGMA CONFESSIONIS

FRATRUM MINORUM DE RACOVIA

DE SACRAMENTIS

IN GENERE

Tomus Quintus

EX

TYPOGRAPHIA

JOANNIS HENRICI HASTEDII

ANNO M DC LXX

Inches
Centimetres
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


Grauskala #13
C
Y
M
B.I.G.
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19